UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Jacobi Sadoleti Card. Et Episcopi Carpentoractensis Viri Disertissimi, Opera quæ exstant omnia

Sadoleto, Jacopo

[Francofurti], 1607

urn:nbn:de:hbz:466:1-69244

Visual Library



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Th. 5793.

X X
15
2 L. 54.
X
21

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

IACOBI SADOLETI CARD. ET EPISCOPI CARPENTORACTENSIS VIRI DISERTISSIMI,

Opera quæ exstant omnia:

AD ELOQVENTIAM, PHILOSOphiam, ac Theologiam pertinentia.

NVNC PRIMVM E VARIIS Bibliothecis simul edita & aucta.

ADHÆC ANTONII FLOREBELLI Mutinensis Orationes III.

SERIEM SEQVENTES VITAM paginæ exhibent.

Liber Collegij societatis Jesu Paderbornæ Ao. 1620.



MOGVNTIÆ,
Ex Officina Typographica Balthasari Lippij,
Sumptibus IONÆ RHODII.

ANNO DOMINI M. DCVII.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

REVERENDA DIGNITATE ATQVE EXCELLENTI DOCTRINA PRÆSTANTISSIMO PATRI PETRO WINÆO, Sacræ Theologiæ Doctori Collegij Soc. Iesv Moguntinensis Rectori Magnifico. S. D.

IN tanta hodie & scriptorum & librorum non copia, sed abundantia, quanta post literas natas nata nunquam fuit, sæpè mecum ego de seculi nostri fertilitate dicam, an luxuria, in hoc genere, tum contra de rebus ipsis & scribendi legitimis argumentis soleo cogitare. De illa quid sentiam, & in futurum quid eminer, apud me premere tacitus malo, quàm in vulgus promere, ne malorum augur & vates importunus habear, quem multi non sine irrisu & cum sententiæ meæ insectatione sint audituri. Proinde de rebus ipsis & argumentis, quæ iure cadant sub scriptionem, breuibus aliquid dicam. Omnium autem, qua post veteres tot ac recentes ipsos non pauciores scriptores scribi hodie possint, & debeant deinceps, tria facio capita siue classes, quibus nec puto fore quicquam ἀξιόγελον quod non includatur. In primo ordine statuo, qui aut noua prorsus inueniunt, aut veterum inuentis addunt: in secundo, qui opiniones antiquorum inuentis & scientiis quibuscunque, quocunque modo vel castigando vel dirigunt, ipsas autem res meliore via & ad discendum accommodatiore tradunt: in postremo, qui scripta ipsa priscorum omnis generis vel obscura illustrant, vel emendant maculosa. Pri-

mis nihil dignius: qui hos subsequuntur, nihil vtilius: quos vltimos feci, iis verò nihil magis necessarium. De omnibus latissimus dicendi est campus, si ingenio quis permittat expatiari, quod arctioribus habenis ita moderandum hic mihi, ne magis, qua de re, quàm ad quem, & qua lege scribam, videar meminisse. Falcem enim alienæ inserere messi, deq; aliorum quibusuis scriptis temerè ferre sententiam prudens semper abstinui, quin potius omnium bonorum scripta atque labores summis laudibus veneror, ac quantum in me est, ab interitu vindico. Qui quidem mei conatus, maximum, vti spero, elucubrationibus insudandis præbent incentiuum. Quorsum enim opus foret, tot curis, vigiliis, laboribus, nec sine maximo vt plurimum valetudinis detrimento, vt quisquam se macerat, si ipsius lucubrationes, quæ vtilitati plurimorum inseruire possent, omninò sopirentur. Iniuriosumq; adeo est, in doctorum virorum lucubrationes, quibus carere omninò, citra barbarici metum, posteriora secula nequeunt, vt simus iniquiores; Vita enim huius seculi, si vnquam, vel hodie maximè, breuis, memoriaq; labilis admodum, ars verò longa, omniscq; scientia, vt Aristoteles ait, infinita est, nec parare nobis doctrinam atque scientiam eadem via, qua didicerunt & docuerunt prisci, possumus. Tollamus enim priscorum scripta, quid nobis relinquetur?

Atque hinc etiam factum est, vt maiores nostri per multa secula certos quosdam eosque probatiores, in qualibet scientia autores, in quibus nimirum maximam vim rationis lumenq; veritatis animaduerterunt, selegerint, eosdemque vt oracula scientiarum omni posteritati commendarint; ne videlicet scientiarum nauem inter scopulos erroris fluctuantem sine anchora certoq; gubernatore relinquerent. Hinc Ptolomæum in Astrologia, Boetium in Musica, Euclidem in Geometria, Hippocratem & Galenum in Medicina, Ciceronem in Eloquentia, Platonem & Aristotelem in Philosophia & Dialectica prætulerunt, omniaq; prouenata, dubia ex eorundem scriptis deciderunt. Periculosum enim existimabant, Solis & Musarum vehiculum tot seculis sapienter ab illis gubernatum, vni Phaethonti temere gubernandum committere.

Sed

Sed enim non carent nostra etiam sæcula ingeniis maximopere admirandis. Non dicam iam de felici multorum industria, qui in expurgandis veterum scriptorum prodigiosis corruptionibus tantoperè desudant; quo factum, vt hodie summa multorum cum laude extent in optimis autoribus tam variæ lectiones, tot notæ, tot scripta critica, tot Aristarchorum de vera sententia concertationum plenæ disputationes, tot monumentorum & codicum manuscriptorum allegationes; quibus sanè studijs excitantur atque indies ad diligentiam maiorem studiumq; indefessum magis magisq; ingenia acuuntur, nec defatigantur in extirpanda barbarie, nec finem faciunt, antequam vestigia eius nullæ amplius inueniant. Et quamuis magna subinde dubitationum materies, imo & fœcunditas quotidie quasi subolescentium prorumpat, dum oriuntur ex aliis aliæ, quoq; plures tolluntur, hoc repullulare plures videntur, dubitareq; adeo necesse sit, pluresne dubitationes sublatæ sint à prioribus, an posterioribus relictæ commentatoribus; de quibus vtrinque incertum, illæne plus olim negotij præteritis ingeniis fecerint, an hæ futuris deinceps assiduo sint facturæ; Nihil tamen arduum animo magno, nihil nimium improbo labori existimantes, luctantur cum difficultate, capiuntque spiritus ab ipsarei mole, in qua vel adnisum esse, pulchrum, nec destituit fortuna conatum omnium, si quorundam minus adiuuat.

Tametsi verò ij quos iam dixi, de re literaria egregriè merentur, magis tamen eandem promouent, qui peculiares in quauis scientia materias terstiori eodemque eloquenti iucundæ lectionis stylo pertractant. quippe cui semper maximus est honos habitus, tributumque plurimum ijs, eodem qui excellere visi sunt. Etsi enim nihil arti, nihil Eloquentiæ Carneades tribuit, sed ita hanc non esse in lucem prognatos contendit, vt & blandiri illis à quibus aliquid petendum, & rem gestam exponere, & id quod intendamus, confirmare, & quod contra dicitur, refellere, & ad extremum conqueri ac deprecari possimus; Eloquentiam tamen cum politiori stylo coniunctam, adeoq; styli exercitationes cum lautarum præclararum supellectile comparatam habere, maximum est ad sapientiam assequendam momentum. Est enim, vt

Cicero vult, Eloquentia copiosè loquens sapientia Estq́ oratoris graui nomine dignus, qui, Crasso si credimus, quæcunque res inciderit, quæ dictione explicanda, non modo compositè, ornatè, memoriter, & cum quadam actionis dignitate, verum etiam prudenter dicere potest. Eiusq́ officium est, vt doceat, vt delectet, vt moueat: quorum nihil præstabit, si aridam, ieiunam, sterilem, exuccam, exanguem; non eruditam ac sapientem, nõ rerum ac sententiarum floribus conspersam, non doctrinæ notis illuminatam orationem protulerit. Et damnarunt semper veteres locutuleios ac loquaces, multum eloquentiæ, parum sapientiæ habentes; nihilq́ tam furiosum esse statuerunt, quàm verborum vel optimorum atq́ ornatissimorum sonitus magnos, nulla aut sententia aut scientia subiecta; inanem loquendi profluentiam, circulatoriam ac ventosam linguæ volubilitatem oderunt: in illam quoq́ sedulò curam incubuerunt vt omnium eorum, quæ ad hominum mores, ad virtutem, ad vitam, ad Rempub. ad alia pertinerent, cognitionem cum dicendi ratione coniungerent. Testis rei huius locupletissimus est Demosthenes, qui, vt ex Hermippe Plutarchus refert, Platonis diligens auditor fuit: octies descripsit Thucydidem, indeq́ plurimum adiumenti ad eloquentiam accepit. Testis Pericles ille, qui propter animorum motus fulminare ac tonare est iudicatus: dicendo excelluit, quod Anaxagora Philosopho Præceptore vteretur, non rhetoribus tantum aures præberet. Testis etiam est hic noster IACOBVS SVDOLETVS, qui non naturæ duntaxat vnitate fretus, vel verborum suffultus copia ac ornatu, vel præceptorũ quæ in arte traduntur, nuda nixus scientia, sed præclararum quoq́ rerum cognitione instructus, eloquentiæ operam dedit, indeq́ multum opis atque auxilij rebus humanis attulit; Estq́ stylus ipsius ad illud absolutissimum Ciceronianæ eloquentiæ exemplar omni diligentia conformatus. Vt interim nihil dicam, quanta sit in eo recondita sapientia, quàm variarum disciplinarum eruditio, quàm graues sententiæ; ad capessendam virtutem & literarum studia amplectenda, mirabiles in Iuuenum animis ignes elicientes; quibus artes, homine liberali minus dignæ, omniaq́ vitia tanquã fumi euanescere videantur.

Me quod attinet, pro meo benè de re merendi literaria voto ac

studio,

studio, in tam, aliquot hinc ab annis curam incubui, vt Autores, vtilitate sese sua puritateque præ aliis commendantes vel ab interitu vindicarem prorsus, vel sumptibus meis recognitos, notis atq; castigationibus, aut alia etiam aliqua accessione locupletatos Attice & venustè perpolirem, typisq; imprimendos committerem. Vtut enim, hoc dum facerem, eorum subeunda mihi censura, voces audiendæ parum æquæ commodæq; essent, qui nihil nisi ipsi quod fecerint, fieri rectè opinantur; plus tamen ponderis apud me momentiq; semper publica habuit, vt haberi meritò debuit, vtilitas: magni iudicia eorum facienda; locum precibus relinquendum esse duxi, qui grato labores hosce meos sumptusq; tam in rem factos agnouerunt animo; vtque propositum hoc deinceps quoque vrgerem, autores mihi suasoresq; extiterunt. Quo etiam nomine factum est, facile vt eorum voluntati atque suffragio calculum meum adiicerem, qui nec operæ nec impensæ in recudendis IACOBI SADOLETI operibus, quæ sparsim alioqui proflabant, parcendum esse existimarunt. Neque verò ad famam per sudores alienæ virtutis enitor, nec inde lauream expectani vnquam. Abunde mihi gloriæ est, abundè fructus, si & pubertati & paupertati, quæ tot, tantis tamque iustis voluminibus emendis non est, qualicunque labore optimè prospiciam; qua in re si peccasse dicar, feram oportet id æquo animo, & potius sapienter cum sapientibus peccasse, quam cum stultis stultè ignorasse ac sensisse malim.

Cæterùm, cùm transmissis nuper ad me IACOBI SADOLETI operibus, de eorum & publicatione & dedicatione quamprimum cogitarem, amplexus eam sum rationem, quam cum animus ipse mihi sua iecisset meus, amicorum etiam sententia videbam comprobari. Est hæc illa, quæ solennis hodie plerisque omnibus in isto genere scriptionis in vulgus nouitia videtur, & huius inuentum aui, apud doctos antiquam esse constat, & veteribus etiam frequentatam. Singulis libelli singuli inscribuntur, cuius alius alia, nec vna fortasse causa, mihi præter vnam hanc nulla, nisi vel amantibus mei vel benè iam meritis de me viris, animum in eos contra mei gratiq; significationem aliquam ani-

mi, publico eiusmodi monumento referre. Atque in ista quidem cogitatione multi sanè occurrebant, quibus officium hoc deberem. Obnoxium enim me quàm multis fecit humanitas ac beneuolentia in me insignis illa, quam vestrates, cum Moguntiæ nuper essem, cumulatam omni genere comitatus explicarunt, vt istum in hominem ignotum antea vobis, prolixissimum affectum, de immerente merendi benignissimam non voluntatem, sed cupiditatem & mirarer vehementer, & cum mirari non possem satis, etiam venerarer. Itaque difficultas orta mihi magna in electione, cui cum secernere arduum esset, quos non liceret; tam metuendum erat, ne offenderem, quos necesse esset præterire. Et diu sanè anxius hic hærebam, adeo vt fluctuare iam inciperem de toto consilio inscriptionis, nec aberam procul, vt damnarem, cum amici trepidantem confirmarunt vicissim & labentem erexerunt, ita mihi seriò magnaq; asseueratione, multa etiam suadæ suæ vi dicentes, nullam esse causam hanc, vt ab incepto desisterem, neque fore in præiudicium aliis, si alios prætulissem, neque posse queri se neglectos, quos coactus essem posthabere. Tandem & ipse mecum cogitabam, si qui ægriuscule laturi essent, posse me iis deinceps ita satisfacere, vt solutionis huius moram vel in lucrum sibi sint deputaturi.

Te verò, Vir Venerande, præ cæteris hoc ipso tempore nec volui nec debui præterire, non quod opera hæc SADOLETI nemini possint obtrudi, sed quia nemini magis volo; quem vt censerem inter primos mihi demerendum, plurimæ causæ effecerunt, non omnes hoc loco exponendæ: quia & ipsi tibi audire pro modestia tua molestum sit, & alij dari auribus tuis suspicentur. Ac sanè famæ credebam antea, cui fidem nunquam abrogo de viris magnis: sed hanc superasti tu profectò apud me, qui præsens & agnoui quadantenus quæ prædicasset illa, & quæ prædicari ego quidem nec audieram, cognoui. Sed in laudes & has & alias tuas nolo hic diffundi. Vt gratum aliquo pacto pro humanitate singulariq; beneuolentia mihi exhibitis, me videas, hæc SADOLETI Opera impensiori quàm hactenus studio impressa tibi offero. Stcq; habebo: quo censura tua fuerit acrior, eò impensius

tibi

tibi placuisse. Vtut autem placere illuc poterit, addictissimam tibi voluntatem placaturam omninò confido, quam lubens amplecteris & valebis, meq; habebis de meliori nota commendatum. Francofurti, 30. Augusti Anno 1607.

T. Magnif.

offic. colens

IONAS RHODIVS, Ciuis & Bibliopola Francofurtensis.

ILLVSTRISSIMO AC REVERENDISS. D. ASCANIO COLVMNÆ S. R. E. CARDINALI, & regni Aragoniæ Pro regi DANIEL RANSTIVS Senatorius Antuerp. D. D.

MEMORIA teneo, Amplissime Cardinalis, duos insignes eloquentia Cardinales aureum illud Leonis X. Pont. Max. sæculum, (quo existere potissimum in Italia ac renasci litteræ, Barbarie dudum oppressæ, in exterasque gentes propagari cœperunt) extulisse: IAC. SADOLETVM, ac PET. BEMBVM; Venetum hunc, & Poëticæ atque Etruscæ linguæ in primis studiosum illum vero Mutinensem, quiq; Philosophiæ studio sacras etiam litteras, vt Præsulem d. cebat, adiunxit. Carpentoracti enim Episcopus omnes eo cogitationes vigiliasque retulit, vt à fide religioneque maiorum aberrantes, ac deprauatarum opinionum æstu abreptos, quoad eius fieri posset, salubri consilio in viam reuocaret, ad obedientiamque vni in terris Pastori, vno in ouili præstandam omni eloquentiæ vi hortaretur. Eius ego Scripta difficillimis hisce temporibus, quibus exstincta pænè Pietas est, & hæreses magis magisque, pro dolor, inualescunt, eo consilio in manus capere, colligere, vnoque fasce colligare cœpi, cum vt animi mœrorem temporum calamitate contractum identidem detergerem; tum vt salubres aberrantibus admonitiones inde hauirem. Hominis enim

piam

piam Eloquentiam atque eloquentem Pietatem, cum à Ciceronis lectione discessero, iam inde à puero admirari, & admirando adamare animum induxi meum, suadente GASPARO CHARLÆO, Iureconsulto eruditissimo, propinquo meo, Ciceronianæ dictionis studiosissimo; vt relictum eius nobis *Myrothecion Ciceronis*, grandius longe quam MARII NICOLII opus, testatur. Vt autem BEMBI opera pridem collecta circumferuntur; sic & SADOLETI dispersa passim variisque in locis ac temporibus euulgata colligere placuit, vt Bibliothecis deseruirem. Eorum enim laudari video industriam qui vel auctoris eiusdem, bonæ sane notæ lectuque digni, omnia coniungunt; aut saltem argumenti eiusdem pleraque, vt ad manum sint, compingere consueuerunt. Sed de SADOLETO nostro, vnum de sexcentis Elogium ad feram, ciuis eius CAROLI SIGONII, bone DEVS viri quam diserti! Sic enim ad Ciceronis, qui intercidit, *Hortensium de Philosophiæ laudibus. Nostra*, inquit, *ætate* IACOBVS SADOLETVS *Cardinalis, vir amplissimus, tum omnium litterarum cognitione clarissimus; cum argumenti huius præstantiam animo cogitaret, dedit operam, vt quantum in se fuit, eo tractando Hortensii Ciceroniani desiderium æquiore animo perferemus. Scripsit in libros duos, vnum, in quo Philosophiæ studium accusauit; alterum in quo defendit. Quorum vtrumque tanta cum ingenij ac iudicij laude, tanta demum verborum ac sententiarum copia est assecutus, vt acriúsne ab eo reprehensa, an ornatius laudata Philosophia sit, haud facile iudicare possis.* Adiecimus hic & ANT. FLOREBELLI disertas tres orationes, cum quia idem argumentum continent; (ad concordiam enim fidei Germanos Britannosque inuitant) tum quia patria vtriq; communis Mutina, studiorumque similitudo. Disertus enim vterque, & hic SADOLETO ab Epistolis VITAM eiusdem contexuit. Cogitanti vero mihi, cuinam potissimum offerendus labor iste hortante in primis AND. SCHOTTO, SOCIETATIS IESV Sacerdote, qui Te Salmanticæ, ac

post

poſt Romæ in oculis tuliſſet; ex omni nobilitate, tuum in primis nomen occurrit, qui Romane & dicere & loquentes Romane admirari ſoleas. Tu enim Salmanticæ Iuris Ciuilis ſtudio incumbens in funere Annæ Auſtriacæ, Philippi Regis Hiſpaniarum coniugis, Paceauguſtæ pie defunctæ, dum Rex in Luſitaniæ expeditione verſatur, ſic in Academiæ totius conuentu peroraſti, vt exinde omnium in te ora vultusque conuertetis. Poſt etiam Barcinone coram Rege ipſo Latine diſſeruiſti; & illuſtris viri M. ANTONII COLVMNÆ nauali prælio ad Echinadas inſulas, exercitus Pontificij ductoris ac victoris filius dignus es habitus: mox etiam amiſſo in Tarraconenſi profectione parente, in Purpuratorum Patrum Collegium merito es adlectus: deinde ſecunda Regis Catholici & incolarum voluntate Aragonici Regni Pro-rex honoris gratia renunciatus, eandem prouinciam feliciter adminiſtras. Quod tibi bene feliciterque euenire DEVM venerans precor. Vale.

IAC.

IAC. SADOLETI CARD. Operum Catalogus.

PHILOLOGICA, ORATORIA, Philosophica, & Poëmata.

VITA Iac. SADOLETI per ANTON. FLOREBELLVM Mutinensem.

Epistolarum libri XVI. & ad PAVLVM SADOLETVM Episcopum, lib. vnus.

Epistola ad S. P. Q. Genevensem.

Epistola consolatoria ac meditatio in aduersis ad IOANNEM CAMERARIVM Episcopum VVormatiensem.

ORATIONES.

De liberis rectè instituendis.

Phædrus, seu de laudibus Philosophiæ libri duo.

De Pace ad IMP. CAROLVM V.

De bello Turcis inferendo.

Ad Principes populosque Germaniæ exhortatio.

Accesserunt

ORATIONES III.

ANTONII FLOREBELLI MVTINENSIS.

De auctoritate Ecclesiæ ad SADOLETVM.

Ad Germanos oratio de Concordia.

Ad PHILIPPVM & MARIAM reges de restituta in Anglia Religione.

EIVSDEM SADOLETI Poëmata.

De Laocoontis statua, quæ Romæ in Vaticano spectatur.

De C. CVRTIO Cos. An. V. C. 308. a quo CVRTIVS FLACVS.

Ad OCTAVIVM & FREDERICVM FREGOSOS.

THEOLOGICA.

In Psalmum L. *Miserere mei Deus*, Commentarius.

In Psalmum XCIII. *Deus vltionum Dominus.*

In Epistolam Pauli ad Romanos Commentarior. Libri tres.

EL O-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ELOGIVM
IACOBI SADOLETI.

DOMO MVTINA. CARPENTORACTENS. IN GALLIA EPISC. A LEONE X. P. M. POST PRESB. CARD. TIT. S. CALISTI, MOX S. PETRI AD VINC. IN ESQVILIIS A PAVLO III. CREATVS XI. KAL. IAN. ANN. CIↃ. IↃ. XXXVI.

ORATOR prudens, & Philosophus, Episcopatum annos plurimos in Gallia, non ingenio solùm scribendique facultate, sed industria etiam & fide summa administrauit. Magna purpuratorum Patrum, hominumque lætitia & gratulatione in collegium est adoptatus: nec à lucubrando cessauit: scripsitque sacra plurima. *In Epistolam D. Pauli ad Romanos; in Psalmos aliquot; variasq; Homilias: & orationes de bello Hungarico; & de suscipiendo bello aduersus Turcas.* In Philologia verò vt erat inter doctissimos idem eloquentissimus, *Epistolarum libros XVI. De liberis instituendis: &, De laudibus Philosophiæ.* vt Hortensij M. Tullij iacturam constantius feramus. *Poëmata item exstant duo: Curtius, & Laocoon.* Vitam eius accuratè ANT. FLOREBELLVS descripsit. Obijt Romæ septuagenarius. Fratrum filij hoc illi cenotaphium in æde S. Petri ad Vincula, quæ curationis eius fuerat, fecerunt.

D. O. M. S.

IACOBO SADOLETO EPISCOPO CARPENTORACTIS S. R. E. PRESB. CARD. VIRO MORVM GRAVITATE, PRVDENTIA ET VITÆ INTEGRITATE PRÆSTANTISSIMO, DOCTRINA ET ELOQVENTIA CVM IIS QVOS MIRATA EST ANTIQVITAS COMPARANDO: PAVLVS SADOLETVS EPISC. CARPENTORACTIS, ET CAMILLVS SADOLETVS FRATRVM FILII MOESTISSIMI MVLTIS CVM LACRYMIS PATRVO B. M. POSVERVNT.

VIXIT ANNOS LXX. M. III. D. VI.

EPI-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

EPITAPHIVM IVLII FRATRIS IACOBI SADOLETI,

ROMÆ

In Templo S. Laurentij in Damaso.

D. IMM. S.

PIETATI ET MEMORIÆ IVLII SADOLETI
SACERDOTIS LAVRENTIANI DE COLLEGIO CANONICORVM,
GRÆCIS ET LATINIS LITTERIS SINGVLARITER ERVDITI
OMNIBVS OPTIMIS ET DISCIPLINIS ET MORIB. ITA ORNATI
VT EIVS INGENIVM, COMITATEM,
LIBERALITATEM ET ANTE ANNOS PRVDENTIAM
NVLLA SATIS ÆQVARE POSSIT ADMIRATIO
IAC. SADOLETVS FRATRI CONCORDISS.
ET SPE DE EO MAXIMA ORBATVS
MVLTIS CVM LACRYMIS POS.
VIXIT ANN. XXVI.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



IACOBVS SADOLETVS, CARDINALIS.

Vt Plato facundâ decoravit dogmata linguâ
De priscæ Sophiæ dogmata sumpta sinu:
Eloquij sic tu decorasti flumine blando,
De sacro CHRISTI *dogmata sumta sinu.*

Bened. Arias Montanus

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ANTONII FLORE-BELLI DE VITA IACOBI SADOLETI S. R. E. PRESBYTERI CARdinalis Commentarius.

IACOBVS SADOLETVS Mutinæ natus est, loco honesto, & vrbe Cisalpinæ Galliæ imprimis nobili. Parens ei Ioannes Sadoletus fuit: homo ea vitæ ac morum integritate, eaque iuris ciuilis ac Pontificij scientia, vt iudicari haud facilè posset, vtrũ melior esset, an prudentior. Is cùm Ferrariæ, vbi apud Herculem, eius ciuitatis Ducem, autoritate & gratia multum valuit, ius ciuile magnis præmiis, maiore nominis sui celebritate & laude publicè doceret, filium suum ijs disciplinis ac literis, quibus puerilis imbui ætas solet, diligenter instituendum curauit. Erant tum in ea vrbe omnium liberalium artium magistri ac doctores egregij. In his Nicolaus Leonicenus, qui non scientia solùm medicæ artis excelluit, sed philosophiam etiam magna cum laude professus est. Eum Iacobus penè etiam puer Aristot. libros de morib. publicè interpretantem audiit. Tantum n. iam propter admirabilem ingenij vim proficerat, vt qua ætate cæteri laborare in linguis discendis solent, ea Græcas ipse & Latinas literas egregiè callens, nobilissimi omnium philosophi præcepta cognosceret. Hunc tali ingenio præditum, atque ita institutum, pater amplecti iuris ciuilis studium voluisset (plerunq; enim hoc fit, vt parentes quibus ipsi artibus & studiis dediti fuerint, eisdem liberos suos operam dare cupiant) sed tamen naturæ eum, & studijs suis obsequi passus est. Etenim

nim egregius adolescens maiorum iam & grauiorum artium studio tenebatur: eloquentiæ enim & philosophię amore exarserat. Itaque Ciceronem sibi, & Aristotelem penitus cognoscendos proposuerat: quorum ex altero philosophorum omnium principe, rerum cognitionem, ex altero Latinæ eloquentiæ parente, orationis elegantiam & copiam hauriret. Nec verò non poetices etiam studiosus fuit: in qua quidē quantum excellere potuerit, si ei se studio penitus dedere voluisset, complura quæ ab eo adolescente facta sunt poemata declarant. Itaq; illud in primis, quod CVRTIVS inscribitur: ex quo intelligi licet, graué eum, & grandiloquum (vt ita dicam) poetam euasurum fuisse. Is cùm ætate iam aliquantum processisset, & ipsam ætatem virtute ac doctrina longè anteiret, patris voluntate Romam se contulit, Alexandro sexto Pontifice Maximo. Amplissimi tum Romanæ ecclesię ordinis virtute atq; existimatione princeps & erat, & omnium iudicio habebatur, Oliuerius Carafa Neapolitanus: ab eo cupidissimè statim in fidem & cōtubernium receptus est: atq; hoc primum prudentię specimen ea in vrbe dedit, quòd ad eum se potissimū contulit, nō qui opibus & diuitijs maximè præstaret; (multi enim Romæ tum ditiores opulentioresq; eius ordinis viri erant, quorum illi omnium domus patuissent) sed qui integritate, qui prudentia, qui religione cæteris antecelleret. In eius castissima domō multos annos ita vixit, vt & ad optimarum artium studia assiduè incumberet, & cùm reliquis omnibus, tum illi grauissimo viro probatissimus esset: à quo etiā honesto in vrbe Roma sacerdotio ornatus est. Erat autem in eo iuuene præter excellens ingenium, incredibilis quidam pudor, ac singularis modestia: quæ nō modò in eius sermone extabat, sed in vultu etiam ipso, & oculis emmebat. Cōmendabat eū præterea omnibus ijs, qui illum nossent, grauitas quædam, maior, q̄ quæ ab illa ætate postulanda esset, eximia humanitate temperata. Referta tum ea Vrbs erat eruditissi-

tissimis, & in omni doctrinæ ac literarum genere præstantissimis hominib. eos ille omnes celeriter amicitia & consuetudine cõprehenderat, ex quo celebre iam eius nomen, & principib. quoq; viris, ijs præsertim, qui eisdem studiis delectabantur, notum erat: quorũ breui tẽpore omnium gratiam sibi & beneuolentiam conciliauit primis autẽ Federico Fregosio Salernitano Pontifi familiaris fuit, viro cùm genere ac nobilitate, tum virtute doctrinaq; præstanti: cuius etiam contubernio aliquandiu post Oliuerij Caraffæ obitum, vnà cum Pembembo optimo & doctissimo viro vsus est. Horum inter se amicitia Romæ postea maximè illustris fuit. Etenim iam inde ab eorum adolescentia instituta, per omnes ætatis atque honorum gradus, vsque ad summam iuuenturem sanctissimè conseruata est: erat enim virtute, & studiorũ similitudine, firmissimis animorum vinculis, iuncta & constituta. Iam quantopere Sadoletus eo tempore virtutis & eloquentiæ gloria floreret, ex eo facilè iudicari potest, quòd Leo Decimus, acerrimo ingenio, & grauissimo iudicio princeps, simul ac creatus est Pontifex Maximus, eum statim, & Petrum Bembum ex omni doctorũ hominum copia delegit, quorum in conscribendis epistolis opera & ingenio vteretur: quod apud Romanos Pontifices munus longè honestissimum est. Is autem eo ita munere functus est, vt non ingenio modò, & scribendi facultate, qua nemo ætate nostra ad illam antiquorum scriptorum laudem propius accedere existimatus est: sed industria etiam, & fide principi illi maximè satisfaceret. Itaque apud eum auctoritate & gratia multum valuit; & ea re facillimè augere honestatem & facultates suas potuit: Verùm vsque eo ab hac cupiditate remotus atque abhorrens fuit, vt (quod vix credibile visum iri puto, his præsertim temporibus & moribus) nullum sibi vnquam sacerdotium liberalissimo, & sui amantissimo Pontifice petierit: cum tamen amicis suis probis idoneisq; hominibus, &

alienioribus etiam, permulta & peteret & impetraret. Tanta idem abstinentia fuit, vt cùm pro loci eius quem apud principem tenebat autoritate, munera ei multa & ampla mitti solerent, ea semper repudiarit. Hac ille cõtinentia ita delectabatur, vt pleriq; pecunia, aut elegantiore veste ac supellectile delectari solent. Sua porrò cõmoda negligentem, aliorum vtilitati inseruire, eum autoritatis & gratiæ fructum esse putabat maximum. Cùm profectus esset, voti & religionis causa, ad Lauretanæ virginis templum, Carpentoractensis ecclesiæ Pontificatus in Gallia vacauit: eum delatum vltrò sibi absenti à Pontifice Maximo aliquandiu recusauit: cùm interea eundem Leo flagitantibus alijs denegasset. Vt redijt, diutius illi eum recusare non licuit. Itaq; vt illud magni animi fuerat, tam honestum sacerdotium vltrò à Põtifice Maximo delatum, à se reijcere: ita hoc moderati & Christiani, vocanti ad eiusmodi munus Deo obtemperare. Hoc ille sacerdotium adeptus, primò quanta maxima potuit absens diligentia, commissam sibi ecclesiam per idoneos homines rexit. Pòst cum ex hac vita Leo excessisset, statim rebus Romanis relictis, Carpentoracte migrauit eo cõsilio, vt populis fidei suæ creditis boni & diligentis Episcopi officium præstaret: neq; principibus amplius, sed Deo vni, & rectissimis suis studijs inseruiret. Exceptus est aduentus eius maxima lætitia & gratulatione illorum hominum: tantam illis iam absens de se opinionem, expectationem commouerat: cui tamen expectationi postea egregiè satisfecit. Nam & rebus diuinis procurandis, & vitæ innocentia, & admirabili in primis quadam in eos homines charitate, optimi & religiosissimi Episcopi munus obijt. Vixit in ea vitæ quiete ac tranquillitate quoad Hadrianus Pontifex Maximus, qui Leoni successerat, vixit. Creato enim post Hadriani mortem Clemente Septimo Pontifice Max. ab ipso statim euocatus, accersitusq; est: quem cùm eximiè diligeret, multisque & magnis eius officijs obstri-

obstrictus esset: quin ei pareret, tam amanter & tam acriter euocanti, facere non potuit: neque adeò rectum, neq; fas esse existimauit, tam bene merito de se Pontifici, præsertim optimum in Christianum Rempublicam præ se ferenti, operam suam denegare. Itaque etsi inuitus fecit, vt ab ecclesia sua discederet, tamen ad eum se contulit: verum ea lege, vt ne plus triennium abesset: vtique eo exacto tempore, remigrare sibi Carpentoracte voluntate ipsius liceret. Romam igitur cum venisset, versatus est in intima eius Pontificis amicitia & familiaritate. Nec verò ingenio hominis solũ Clemens, sed consilio etiam in administranda repub. vsus est. Ad deliberationes eas, quas habebat de maximis & grauissimis rebus, eum vnà cum aliquot alijs amicis adhibebat: curas illi omnes & cogitationes suas impertiebat: tantum deniq; eius fidei, tantum prudentiæ tribuebat, vt multa quæ ad Christiani nominis quietem, & ad morum ac disciplinæ publicæ correctionem pertinebant, eius potissimum admonitu & consilio sibi agenda constitueret. Atque vtinam is Pontifex ea quæ interdum præclaro quodam animi impetu agere meditabatur, ad exitum perduxisset: profectò cùm vniuersa Christiana Respublica meliore loco esset: tum ipsa Italia, atq; vrbs Roma, eas quibus postea afflicta oppressaq́; es calamitates effugisses. Non enim in eo Pontifice rectum in Republica sensum requisiuisses: cõstantiam potius, & perseuerantiam maiorẽ in bonis consilijs desiderasses. Itaque cum salutaribus Sadoleti consilijs sæpe vsurus esse videretur, flectebatur posteà aliorum quorundam, qui longè plurimum apud eum poterant, oratione. Intimus erat Pontifici illi Maximo Sadoletus: amplificandę fortunæ ac dignitatis suæ facillimam rationem in manib. habebat: colebatur prætereà, & magno honore afficiebatur ab omnib. pro sua tamen in Rempublicam voluntate, nullam cõmodorum suorum rationem ducens, ex ea temporum ac rerum perturbatione, maximo animi

dolore assiduè tangebatur: qui quidē extremum, cum rem in eum locum adductam intelligeret, vt nihil bene monendo & suadendo proficere amplius posset: statuit, quando Reipub. prodesse iam nihil posset, suæ saltem ecclesiæ prospicere arq; consulere. Itaque cum operam suam triennium iam Clemēti summa cum fide & integritate nauasset: etsi nōnulla cōcordia & compositionis spes inter eum Pontificem, & Carolum Imperatorem allata erat, iamq; inter eos induciæ pactę fuerant: tamen in sententia permānit. Nec verò non mouebatur animo, cum ab eo Pontifice esset discessurus, quem cum ob eximiam quādam eius humanitatem, tum ob perpetuam erga se beneuolētiam mirificè amabat. Sed cum cogitaret quanto ecclesiæ suæ officij ac necessitudinis vinculo obstrictus esset, cumq; Carpētoractensis populi desiderium ferre diutius non posset, longiorisq; in vrbe Roma commorationis causam ambitionem iam potius, quàm officium visum iri suspicaretur, omnino sibi abeundum esse statuebat: cuius iustæ voluntati, ac precibus, ad extremum Clemēs cedere coactus est. Comprobauit eius consilium is profectò qui intimos hominum sensus perspicit, neq; vnquam non rectis bonorum voluntatibus fauet, Deus. Etenim tam opportuno tempore discessit, vt vix dies viginti ab eius discessu interceserint, cum vrbs Roma, decepto à Caroli ducibus per inducias Clemente, absente ipso ignaroque (vt opinio fuit) Carolo, capta atque direpta est: vt is singulari Dei erga se beneficio horribili illi cladi subtractus fuisse videatur. Tum verò, quanquam serò, intellectum est, quam & prudenter sentire Sadoletus, & fideliter monere solitus fuisset. Ille enim & initio dissuasor belli aduersus Carolum, & posteà deponendorum armorum assiduus hortator, pacisq; quibusuis conditionibus accipiendæ autor semper extiterat, qui quidem cum sæpe aliàs, tum eo tempore, quo Christianis Principibus intestino bello implicatis, bellum à Turcarum Rege Pannoniæ illatum est, cum

eum regnum illud, quod Christianæ Reip. firmissimum ad eam diem propugnaculum fuerat, maximo in discrimine versaretur: honestissimè ab ipso Pōtifice Maximo pacis mentionem fieri, & de deponendis ac potius abijciendis armis agi posse censuit: idq; eum admonere non destitit. Sed nimirum Deus nobis ob peccata nostra iratus atque infensus, cum illa vrbi Romæ ac sacerdotum ordini infligēda plaga, nos vt resipisceremus, admonere statuisset: eam illi Pontifici mentem minimè dedit: vt tum honestam constituendæ concordiæ occasionem arriperet. Clade hac cognita, Sadoletus eum quem par erat, dolorem cepit, cum vrbis longè omnium nobilissimæ direptione & vastitate vehementer doluit, tum varij & graues multorum clarorum virorum, ac sibi amicissimorum hominum casus, quos tempestas illa oppresserat, in primisq; ipsius Pontificis Maximi calamitas magnum illi mœrorem attulit. Non tamen angoribus sese dedidit: sed cum Pontifici Maximo, ac multis præterea amicis tali eorū tempore literas amicissimè & prudentissimè scriptas misisset: tum ipse doloris sui leuamentum à Deo, & ab ijs studijs, ijsque actionibus, quæ cum Deo in primis gratis, tum etiam animis salutares sunt, petiuit: ad sacrarum enim literarum studia toto tum (vt aiunt) pectore incubuit: quæ post aliarum literarum & artium cognitionem à se vehementer culta temporibus quibusdam, propter occupationes remiserat. Nec vero legendo solum, sed commentando etiam & scribendo, tum sibi, tum alijs prodesse conatus est. Nam cum religionem videret seditiosorum quorundā hominum impietate magnopere vbique perturbatam: tuendæ eius studio incensus, Diui Pauli ad Romanos epistolam maxima religionis nostræ mysteria continentem & obscurissimis quæstionibus refertam, tribus libris non minus pijs, quàm ornatè & dilucidè explicauit. Commissis vero sibi populis ita præfuit, vt nullum in eos fortis & diligentis Episcopi munus prętermiserit: quos quidē quanti

faceret, nulla re potuit apertius declarare, quàm quòd eorum causa, amplissimi & potentissimi viri simultatem (qui eo tempore legatus, Auenionem, & finitima illi vrbi oppida, quæ in fine ecclesiæ Romanæ sunt, regebat) homo in iniurijs perferendis quę ipsi fierent, incredibili lenitate, ac nimia propè patientiâ, susciperе veritus non est. Multas enim ecclesiæ suæ iniurias inferri, multa tum à legato, tum ab eius magistratib. ac ministris iniquè decerni atq; agi, pro munere ac pro persona quâ sustinebat, minimè sibi ferendum existimauit. Ac primò quidem illum ab eis institutis, hortando & amicè sæpius monẽdo, deterrere conatus est: sed cũ nihil hac ratione proficeret, cumque eius, quanquam absentis, Romæ magna apud Clementem Pontif. Max. esset autoritas, breui tempore perfecit, vt legatus sese colligeret, & eos quibus præerat populos, magna in posterum equitate & diligentia regeret. Qua in re Sadoleti officium, ac pietatem potius adeò is aliquantò pòst amauit, vt non modò cum eo in gratiam redierit, sed ex eo tempore illum & vereri maximè, & patrem etiam appellare solitus fuerit. Recreatis hac eius actione Carpentoractensibus & reliquis illis populis, altera ab eo actio non minus pia nec minus illis grata ac salutaris suscepta est. Maxima iamdiu Hebræorum multitudo apud eos confederat: ij Christianos homines imperitos & incallidos circumuenire, & quibus pecunias credidissent, eos fœnoris grauitate, & renouandis multiplicandisque vsuris, ad extremum fortunis omnibus euertere solebant. Eorum quoq; auaritiam & fraudes, suscepta miserorum populorum causa, eaque diligenter apud Pont. Max. & magistratus vrbanos per literas & procuratores acta, magna ex parte repressit tandem ac coercuit. Quinetiam orationem in eos pro Christianis composuit, & eam quidem omnium, quę ab eo scriptę sunt, disertissimam. Alia præterea multa varijs temporibus in Carpentoractenses & rem eorum publicam officia contulit; quibus

bus planè declarauit, nunquam vnum cuiquam chariorem fuisse, quàm ipsi fuerit vniuersa eius ecclesia. Vsu sepissimè venit, vt illi aut Pontifici Maximo, aut Gallorum Regi, aut ijs qui plurimum apud eos poterant, commendandi fuerint: non dici potest: quo animi studio, ac potius qua solicitudine id egerit, prorsus vt multò vehemétius, quàm si ipsius ageretur res, laborare eorum causa videretur. Eorum liberi parum idoneis antea doctoribus vsi fuerant: hoc quoque ad officium suum pertinere existimans, vt illi optimis & moribus & disciplinis imbuerentur: curauit, vt doctores semper egregij ad eos instituendos conducerentur, quibus ipse quò diligentius officio fungerentur, præter eam mercedem quę eis publicè dabatur, non exiguam pecuniam contulit. In eo verò longè maximam curam ac diligentiam adhibuit: vt tam turbulentis temporibus, ecclesiam suam in fide, & recta erga Deum religione contineret. Itaque si quos in errorem impulsos, à recto itinere declinasse cognouerat, paternis eos admonitionibus in viam reducere studebat. Si cuiuspiam concionatoris fides & disciplina illi suspecta erat, is ne quem aut publicis concionibus, aut priuatis disputationibus corrumpere posset, prouidebat: denique eiusmodi concionandi munus illis mandabat, quorum pietas explorata ipsi esset & cognita: quos ipsos etiam attentè audiebat. Non continebat tamen illos homines in officio tantopere hæc eius diligentia, quàm ipsius innocentia, liberalitas, continentia. Non modò enim neminem vlla vnquam affecit iniuria: sed multorum ipsę iniurias ita pertulit, vt eos patientia & lenitate sua ad extremum sibi amicissimos reddiderit. Duriore annona magnum hominum egentium numerum alebat. Patebat eius domus semper honestis illius præfecturæ ac vicinitatis hominibus. Inanos præterea honestos ac pios sumptus, vectigalia sua sic solebat impendere, vt vertente anno par ratio esset accepti & impensi: neque enim quicquam tanto-

pere detestari solitus erat, quàm in sacerdotibus studium cogendæ & coaceruandæ pecuniæ. Erant ei omnino modica vel exigua potius vectigalia: sed frugalitate & temperantia in victu cultuq; domestico, assequebatur, vt eius liberalitati sufficerent. Hoc eius vitæ genere, hisque officijs fiebat, vt illi eum populi incredibili pietate & cultu prosequerentur, ac summam, vti parenti, fidem rerum suarum omnium haberent. Delecti quidem (hoc communis eorum consilij nomen est) adeum de rebus omnibus publicis referre, eius sententiam imprimis scisciari, & exquirere solebant: eius denique vnius monitis & consiliis nitebantur. Nec verò illis modò populis tantopere charus & probatus erat, sed omni ferè Gallia magnum eius erat nomen, magna virtutis & integritatis opinio. Itaque Franciscus Rex cùm Lugdunum quodam tempore venisset: atq; ibi officij causa à Sadoleto conuentus fuisset: eum & comiter admodum atq; honorificè excepit, & ex collocutionibus aliquot, grauitate hominis prudentiaq; perspecta, si manere apud se vellet, honestissimum illi in amicitia sua locum; & amplissima præmia detulit. At is cum Regi gratias egisset, de tam propensa erga se voluntate, exposuit quo consilio res Romanas reliquisset, petijtq; ab eo, vt se ad officium & munus suum redire pateretur: cuius consilio animoque collaudato, Rex eum amantissimè dimisit. Discessit autem illinc cũ Regis iudicio probatissimus, tum collecta multorum ex amicis & purpuratis Regis gratia, quorum studia & beneuolentiam erga se, varijs postea ecclesiæ suæ temporibus expertus est: velut eo tempore, quo Franciscus Allobrogum regulo bellum intulit: ea autem res ita se habuit: Per Carpentoractensem agrum Regis exercitus iter faciebat: in eo exercitu Gulielmus quidam erat, qui magnam Germanorũ manum ad regem adduxerat, homo iracundus & præceps. Accidit, vt cùm aliquot eius milites Carpentoracte ingressi petulantius sese gererent, eorum contu-

contumeliis & insolentia accensi commouerentur primò nonnulli opifices, deinde tota ferè (vt fit) ciuitas cõcitaretur: quo in tumultu vno alteróue ex Gulielmi militibus occiso, reliqui ex oppido expulsi, se ad ducẽ suum receperunt. Eam ille suorum cædem & iniuriam vlturus, cùm ira exarsisset, copias suas continuò vnà cum aliquot tormentis bellicis Carpentoractẽ adducere parabat. Hac re cognita Sadoletus, cùm fortè tum extra oppidum esset, suorum periculo exanimatus, paratusq; eadem quam illi fortunam subire, properè accurrit. Adeum statim concursus factus est, illum omnes intuebantur, quid ageret, quò se verterent nesciebant: Germanorum enim cohortes iamiam affuturas esse nuntiabant. Is nuntios statim & literas ad præfectum regium pro ea quæ inter eos erat notitia mittit, ciuitatis periculum exponit, auxilium implorat. Præfectus autoritate hominis & precibus adductus, Gulielmum accersit, cum egrè ac vix placatum, incepto cogit desistere. Ita Carpentoractenses cum iam propè de salute & fortunis suis desperarent, Episcopi sui beneficio ex ingenti periculo erepti sunt. Gesta autem ea res est mortuo iam Clemente Pontif. Max. cum Paulus ei tertius successisset. Huius quoque Pontificis accersitu Romam Sadoletus redire coactus est. Etenim is sui Pontificatus initio spem atq; expectationem omnium mirabiliter erexit: ostendit enim sibi in animo esse, nouis legibus solutam sacerdotum disciplinam astringere: & sublatis eis, quæ à superioribus Pontificibus Romanis tributa, minus probarentur, sanctiorem gerendi summi Pontificatus rationem instituere. Eius rei perficiendæ causa è longinquis locis accersiuit, quos doctrinæ, integritatis, & prudentiæ maximam opinionem habere intelligebat: vt cum eis, cumq; alijs præterea quibusdam, quos ex amplissimo ordine adhibiturus erat, tantarum rerum cõsilia communicaret: eorumq; admoniret quæ aut abroganda essent, aut sancienda, cognosceret.

sceret. Hi autem qui accersiti sunt omnino sex fuerunt, in quibus Iacobus Sadoletus fuit, qui tam grauem ob causam Pontificis Maximi literis euocatus, paruit ei, vt debuit. Agitata ea res fuit complures dies, Sadoleto & reliquis grauissimis viris nihil earum rerum obtrectantibus, quæ ad sedandam sacerdotum, imprimisq; summi illius sacerdotij inuidiam, pertinere videbantur: quo quidem tempore Sadoletus etiam eis de rebus aliquot orationes scripsit, quò Pontificis Maximi animum ad rem tam præclaram, tamque Reipublicæ salutarem, perficiendam acrius accenderet. Verum cùm totaea res postea ob multas & magnas difficultates, & impedimenta quæ obijci videbantur, vel refrixisset, vel dilata in aliud tempus fuisset. Sadoletus non amplius Romæ sibi terendum tempus existimans, de reditu cogitabat: cùm repentè vnà cum quibusdam optimis & præstantissimis viris in senatum Romanæ ecclesiæ à Pontifice Maximo cunctis illius ordinis suffragijs, magna bonorũ omnium lætitia & gratulatione delectus est. Tum is Carpentoracte spectans, & ad ecclesiam suam redire cupiens, cùm pristinam vitæ suæ rationem ea dignitatis amplificatione obturbatum iri intelligeret, eum honorem recusare in animo habuit: iamq; hac de re epistolam cõposuerat, quam ad Pontificem Maximum mittere cogitabat. Sed cum in eo accipiendo honore amicorum consilio autoritatiq; cessisset, ita in Remp. versatus est, vt nihil præter ipsius Reipublicę commodum, & sedis Apostolicæ dignitatem, propositum vnquam habuerit: ac sententiam suam ea qua decuit libertate & constantia semper dixerit. Huius adeo animi ac libertatis suæ magnum Reipub. pignus dedit, quo primum die sententiam in senatu dixit: planè enim declarauit, nihil sibi vnquam sancta illa maiorum nostrorum disciplina, mihi fide sua & officio futurum antiquius. Fortè eo die agebatur de amplissimi & nobilissimi cuiusdam hominis honore & commodo: erat autem Sadoletus non colle-

collega eius recens solũ, sed vetus etiam amicus. Itaque non poterat non inuitus homini, quem multis de causis plurimi faciebat, refragari: tamen cum causa esset eiusmodi, vt illum honeste, saluis sanctissimis legibus, sententia sua adiuuare non posset: illud quod boni & constantis senatoris fuit, fecit, vt legibus ipsis potius, & religioni suæ consuleret. Nec verò non eadem libertate & constantia vsus est, quotiescunque accidit, vt de ipsius Pontific. Maximi commodis, aut etiam honore ageretur. Libertate autem vti sic solebat, vt neminem iure posset offendere: leniebat enim illam eiusmodi orationis modestia, quæ cogebat eos ipsos, quib. aduersaretur, in optimam partem ea quæ is dixisset, accipere. Sed vt amicitiæ & gratiæ nihil dabat: cum id fieri eius fides minimè patiebatur: ita cum è Republ. esse censebat, quempiam in amplissimum ordinem ascisci, aut alio quopiam ornamento atque honore affici, cupidissimè etiam ac studiosissimè fauebat. Itaque complures egregios & virtute ingenioq; præstantes viros, quò in senatum legerentur, aut alijs sacerdotijs ornarentur, Pontifici Maximo partim coràm, partim absens per literas cõmendauit: idq; illis sæpe inscientibus: non enim hoc ambitione adductus faciebat, sed studio Reipubl. Nec verò silendum est de illis officijs, quæ in quosdam Germaniæ Principes, ipsorum quidem etiam, sed multo magis Reipub. & communis religionis causa contulit: semper enim illa tot Germaniæ populorum & principum defectione, ecclesiæ luctuosa, ipsis pestifera, grauissimè doluit: semper vt ij, qui & poterant & debebant, tanto illi vulneri mederentur optauit. Sed cum sedulitate sua ijs quitum ab ecclesia & Pontifice Romano penitus alienati erant, prodesse nihil posset, enixè id operam dedit, vt eos saltem qui sua sponte in recta religione permanserant & sedi Ap[illegible]tolicæ amici erant, officijsq; suis aliquanto etiam a[illegible]res & firmiores redderet. Itaque Georgium in prin[illegible]m, hunc Bauariæ, illum

lum Saxoniæ ducem, omni ſuo ſtudio officioque complexus eſt: quæcunq; ab eo proficiſci potuerunt ad illos ornandos, & cohoneſtãdos, profecta ſunt: in eorum negotiis de quibus cum Pontifice Maximo agendum eſſet ipſorum procuratores, & legatos, opera, conſilio, autoritate ſua ſemper adiuuit. Eius porro officia adeò grata illis fuerunt, vt & amiciſſimè ei ſcribere ſoliti fuerint, & gratias agere, & procuratoribus ſuis, vt eius potiſſimum opera & conſilio vterentur, præſcribere. In grauiſſimum poſtea morbum incidit, ex quo nondum planè ſeſe confirmauerat, cum proficiſcentem Paulum Pontificem Maximum ad reconciliandos Carolum Romanorum Imperatorem, & Franciſcum Gallorum Regem, graue inter ſe & diuturnum bellum gerentes, ſecutus eſt: quo in itinere cum Placentiam veniſſet, de integro ægrotauit. Ibi cum aliquot dies curandi ſui cauſa ſubſtitiſſet, vt primum conualeſcere cœpit, feſtinans properansque optatiſſimę illi de pace actioni intereſſe, itineri ſe commiſit: neq; deſtitit, quin Nicæam quò conuenturi illi erant Principes, peruenirent. Tum verò tempus illud ratus eſſe, quo bonos omnes pacem vrgere oporteret, vti ea fieret pro ſua parte vehementer enixus eſt. Deinde cum ea minimè conuenire potuiſſet, pactis Pontificis Maximi opera decem annorum induciis, cum is Pontifex Romam reuerteretur, ipſe conceſſu eius Carpentoracte, reficiendi & confirmandi ſui, ac reuiſendæ eccleſiæ cauſa ſe recepit. Commoratus ibi eſt, vt rem familiarem planè cõſtitueret, aliquanto diutius, quam ſe facturum oſtenderat: ne tamen operam ſuam interea Reipublicæ nauare deſineret, opus præclarum ſanè, & Reipublicæ temporibus aptum aggreſſus eſt, de extructione catholicæ (ita enim inſcribebat) Eccleſiæ: quod opus Ioanni Saluiato collegæ ſuæ deſponderat, cum propter veterem eorum inter ſe neceſſitudinem, tum ob excellentem eius viri in ſacris literis & cæteris diſciplinis, quæ magno viro dignæ ſunt, ſcientiam.

Verum

Verum propter itinera & occupationes, quæ illum à-
liæ ex aliis postea impeditum tenuerunt, nec tres, quos
iam confecerat eius operis libros, perpolire, nec quar-
tum, quem illi tanquam fastigium addere in animo ha-
bebat, instituere potuit. Reuocatus enim Romam, vix
dum ibi constiterat, cum renouato quibusdam de causis
inter Carolum & Franciscum bello, & ob eorum discor-
dias Republica Christiana iterum in maximum discri-
men adducta, quippe cum Turcicum bellum impende-
re videretur: Paulus Pontifex Maximus per legatos cum
utroque eorum de pace agendum esse existimauit. Ita-
que delectus ipse est, qui legatus ad Galliæ regem iret:
qui quanquam affecta iam ætate esset, tamen nullum
pro Republica laborem aut periculum recusans, lega-
tionem eam suscepit: adhibitaq; diligentia, quantã ma-
ximam ferre senile corpus poterat, maturè in Galliam
peruenit. Talis viri autoritate regem permotum esse res
postea declarauit. Nam cum ei Sadoletus Pontificis Ma-
ximi mandata ac monita exposuisset, post aliquot con-
gressus, animum eius, quanquam armati & viribus suis
fidentis, ad pacem flexit. Itaque ex magna desperatione
concordiæ, subitò in spem compositionis ventum erat,
si modò alterius legati qui in Hispaniam ad Carolum
missus fuerat, felicior fuisset legatio. Non est autem o-
mittenda illa in legatione singularis eius abstinentia:
nam cum legatorum qui à Romanis Pontificibus mitti
solent, quandiu extra vrbem Romam sunt, varia & mul-
tiplex sit potestas, & eam ob causam facultatem ha-
beant magnæ conficiendæ pecuniæ, neque id propter
inueteratam aliorum consuetudinem turpe habeatur:
ea tamen potestate ipse ad quæstum abuti minimè susti-
nuit, neque nisi graui ex causa vsus est: ac ne comites
quidem suos quicquam, præter mercedes pro scriptu-
ra, aut huiusmodi quapiam opera debitas, quas ipsas et-
iam imminuit, accipere passus est. Vt à rege autem dis-
cessit, Carpentoracte venit, quò reliquam ibi hyemem
mane-

maneret, seq; ex assiduis laboribus reficeret: id enim ei Pont. Maximus, ætati hominis & valetudini parcens, permiserat. Hoc quoq; Sadoleti integritatis exemplum sit, quòd cũ extremo legationis tempore integri mensis sumptum accepisset, atq; ante exactum mensem Carpentoracte peruenisset: decem dierum sumptum (tot enim dies reliqui fuerant) referri vtique ad quæstorem Pontificis Maximi, quanquam dissuadentib. amicis, & nimiam eius religionem accusantibus, iussit. Eodẽ tempore clientes domesticos, quorum opera strenua & fideli in legatione vsus fuerat, alium alio præmio, & quidem supra facultates suas remuneratus est. In sequenti æstate in Italiam non sine magno Carpentoractensium dolore discessit. Eò cũ veniisset, interfuit colloquio Pauli Pontificis Max. & Caroli Romani Imperatoris, qui in agro Parmensi congressi sunt. Iter tum ex Hispania Carolus in Germaniam habebat: oblata ea occasione, Sadoletus magnum laborum quos in legatione pertulerat fructum captum iri à se existimauit, si illum quoque ad pacem hortatus esset. Redierat enim ex legatione Gallica, animumq; eius regis ad concordiã propensum cognouerat, vel ipse potius effecerat. Verũ adeò Carolus dolore iraq; exarserat, quòd à Rege Galliæ bellum renouatum fuisset, vt neq; accurata Sadoleti oratio neque ipsius Pontif. Max. autoritas quicquam profecerit. Is tamen postea, lenita videlicet ira, post victum & in deditionem acceptum Sicambrorum ducem, qui regis partes secutus fuerat, & expugnata nonnulla Galliæ oppida, pacem cùm eo rege fecit: qua ex re Sadoletus tantum lætitiæ ac voluptatis cepit, vt Deo bonorum omnium autori, ab ecclesia sua meritum continuò honorem haberi iusserit, & scriptam ipse orationem paulò pòst Carolum miserit, per quam illius sapientia & moderatione laudata, gratias ei egit suo & Christianorum omniũ nomine: & ad ea quæ pro religione, & concordia, ac libertate Christiani nominis agenda restabãt,

eum

tum accendere atque incitare conatus est: cuius optatis magna iam ex parte, optimi & fortissimi Imperatoris virtus pietasq; respondit. Fuit enim hic vir incredibili quodam in Rempublicam Christianam studio: vt ego quidem, qui pro diuturno contubernio sensus eius latis cognitos & perspectos habui, hoc de eo affirmare nõ dubitem, plus illum doloris semper ex malis hausisse communibus, contraq; ex publicis commodis gaudij, quàm rebus suis vel secundis lætatus sit, vel aduersis doluit. Idem moribus fuit facillimis, animo aperto ac simplici, natura omnino ad iracundiam procliuior, sed eius comprimendæ assidua meditatione tantũ profecerat, vt lentus potius esse videretur: ac si quando paulò esset commotior, tum maximè sedata & voce & oratione vteretur. Amicitias summa cum fide, & quibuscunq; potuit officiis coluit: familiam suam ea charitate est prosecutus, vt cum de suis minimum, de illius commodis plurimum laboraret. Patrem, iuuenis: matrem, senex ferè octogenariam amisit: ambos quoad vixerunt summa pietate dilexit & coluit. Fratribus, qui ei complures fuerunt, partem suam primo paternæ hæreditatis donauit, post aliis quoque eos beneficiis affecit. Adiutor ad regendam Carpentoractensem ecclesiam, cum iam senex esset, vt sibi Paulus Sadoletus fratris patrueli filius daretur, à Clemente impetrauit: idq; non tam propinquitati à se datum dicere solitus est, quàm adolescentis ingenio, atq; virtuti. In literarum studiis summa industria versatus est. Lucubrare autumno ineunte benemane incipiebat, hyeme verò multò etiam matutinus: id tempus grauioribus studiis aut scriptioni dabat: quod supererat tẽporis, id totum literarum studiis reddebat. Hactenus ea quæ de vita eius memoriæ prodenda esse visa sunt, scripsimus: nunc de eius obitu pauca scribemus: qui quidem vitæ eius integerrimè atq; innocentissimè actæ, planè consentaneus fuit. Habitare trãs Tyberim cœperat, in ædibus D. Mariæ templo adiunctis:

ibi autumni initio in febrem incidit, quę leuis primò, ac propè contemnenda esse videbatur: sed cũ nunquã planè decederet, morbus ingraueſcere cœpit. Tum is ſtatim accerſiri ſacerdotem iuſſit: eo adhibito, ritè & ſumma cum religione, omnia quæ diuinitus ad expiandos animos & placandum Deum inſtituta ſunt, ſeruauit: re quidem diuina coram eo facta, antequam ſacrum illud & ſalutare Domini noſtri corpus acciperet, cum CHRISTVM Deum ac conſeruatorem noſtrum, ſubleuatus à ſuis, venerari, & ſupplici quadam oratione affari cœpiſſet: tantam ſubitò lacrymarum vim profudit, vt eam precationem præ fletu ac ſingultibus abſoluere vix potuerit: ſupremis propè vocibus ac mandatis Paulo Sadoleto, qui ei ſumma pietate aſſidebat, eccleſiam ſuam cõmendauit: ac paulo pòſt magno ſuorum luctu, magno bonorum omnium mœrore ac deſiderio, animam Deo reddidit. Doluit eius morte Paulus Pontif. Max. doluit ſenatus: à Ioanne quidem Petro Carapha Sabinorũ Epiſcopo, quo primum die poſt eius obitum ſenatus habitus eſt, ea de illo habita eſt, magno cum aſſenſu cũ reliquorum patrum, tum ipſius Pont. Max. oratio: vt neq; vberius cuiuſquam vita laudari, nec mors dolentius deplorari potuiſſe videretur. Laudauit eum item luculenta oratione, maxima honeſtiſſimorum cuiuſq; ordinis hominum frequentia, in æde D. Laurentij, Iacobus Gallus, ciuis Romanus in primis honeſtus. Obijt annum agens Septuageſimum. Sepultus eſt ſine vlla funeris pompa (ita enim ipſe præſcripſerat) in æde quæ curationis eius fuerat, Diuo Petro in Exquitiis ſacra.

FINIS.

IACO-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

IACOBI SADOLETI EPISCOPI CARPENTORACTI, S.R.E. CARDINALIS EPIstolarum libri sexdecim.

Sunt multò quàm antehac vnquàm diligentiùs recogniti, atq; in lucem æditi.

EIVSDEM AD PAVLVM SADOLETVM Epistolarum liber vnus.

ALEXANDRO FARNESIO S.R.E. CARdinali Paulus Sadoletus Episcopus Carpentoracti, S.P.D.

CVM Sadoleti patrui mei obitus, amplissime Farnesi, eum mihi luctum ac mœrorem attulisset, quem paterna eius in me beneficia, meaq; perpetua erga eum pietas postulabat: nullum doloris mei expertus sum nullum aptiusq; solatium, quàm quòd extremo illius mandato, & meo vnà officio, conor Deo infirmitatem meam adiuuante, satisfacere. Nam cum is & sæpe aliàs, & cùm iam penè animam exhalaret, hanc mihi Carpentoractensem ecclesiam, quam ipse præsens quoad ei licitum fuit, summa cura & diligentia rexerat, pro sua paterna in eam charitate, diligentissimè commendasset, meq; vt ab eius custodia nulla re vnquam auellerer, vehementissimè hortatus esset: nullam moram post eius mortem interposui, quin ad parendum tam salutaribus præceptis, & ad obeunda tam sancti & præclari muneris officia, me conferrem: cuius mei consilii maiorem indies fructum capio. Sed cum officii mei ratio,

& illâ, quam sanctissimæ patrui memoriæ debeo, pietâs, hoc præterea à me postulare videretur, vt illius scripta, & lucubrationes, quæ penes me essent, ederem: ad eas me legendas, & accuratè considerandas (socio hac in re, & adiutore vsus Antonio Florebello) dedi: cum is vt summè gratus, officiosusq; est, vnam ob causam hanc, quòd homini de se optimè meritò, cuiq; iure & charissimus, & probatissimus fuit, mecum vna fidem suam officiumq; præstaret, accersitu meo se ad me in Galliam contulisset. Atque eam quidem eius scriptorum partem, quibus locos ad religionem & sacras literas pertinentes tractat: quanquam multa ab eo in hoc genere egregiè ac præclarè instituta comperimus: tamen edenda minimè putauimus. Non quin eadem in illis, quæ in reliquis eius libris, qui eo viuo exierunt, & pietas extet, & sacrarum rerum scientia: quæ & nos magnopere delectarent, & cæteris item iucunda ad legendum fore non dubitaremus. Sed cum ea quæ aliquot hisce annis instituerat, propter crebras (quod tute scis) summi Pontificis interpellationes, multasq; & magnas in vrbe occupationes, absoluere atque expolire minimè potuerit: satius esse duximus, non quæ nos de illius scriptis probaremus, sed quæ ipse probaturus fuisset attendere. Cùm verò orationes quasdam, & magnum præterea epistolarum aceruum inuenissemus, eas potius edendas esse iudicauimus: non omnes quidem, sed eas tantum, quæ accuratius nobis scriptæ esse videbantur. Atque orationes quidem aliàs. Hoc autem tempore epistolas in decem & septem volumina digestas, emisimus: quas vtinam etiam ipsas patruus meus antequam diem suum obiisset corrigere ipse atque emendare potuisset. Sed etsi non dubito, quin illius correctio, & (vt ita dicam) expolitio multum illis additura fuerit venustatis atque elegantiæ: non propterea tamen sum ab edendo deterritus, cùm sperare mihi videar, studiosis eloquentiæ hominibus earum lectionem, neque iniucundam, neque infructuosam fore. Eas autem idcirco ad te Farnesi amplissime, mittendas putaui, quòd meæ singularis in te obseruantiæ, & gratæ animi voluntatis pro tuis erga me & patruum meum meritis, quæ & multæ sanè & insignia fuerunt, & abs te nuper præstanti tuæ erga me & fratrem meum liberalitate cumulata atque aucta

sunt

sent, signum ac testimonium aliquod extare volui: præsertim cum ad eas, quæ in te elucent virtutes, hanc quoque laudem accedere intelligerem: quòd tu etsi maximis & grauissimis occupationibus & curis, quas tecum auus tuus Pontifex Maximus, idemq; princeps sapientissimus partitur, nunquam ferè non distringeris: quod tamen interdum otii tibi & vacui temporis dator, id in optimarum artium studiis libentissimè consumis. Quippe ex quibus præterquam quòd maxima cum animi voluptate vetustis, ad magnas res agendas & tractandas vehementius instruis. Te autem cognouisse videor, huius generis scriptorum parum mei delectari præcipuè esse solitum: quò etiam libentius fuit, ut non eas modò epistolas, quæ ad te scriptæ ab eo fuissent, in tuo nomine aderem: sed vniuersas etiam, quæ ad cæteros, ad te mitterem. Equidem maiora tibi præstare pro tuis in me meritis & cupio, & debeo. Sed tamen quando maioribus officiis non possum, hoc saltem munusculo meum summum erga amplitudinem tuam studium declarandum esse existimaui. Vale. Carpent. 1549.

ARGVMENTA EPISTOLARum librorum XVII.

IAC. SADOLETI CARD.

LIBRO I.

EPIST. I. Narrat gesta itineris sui, gaudetque se liberatum à molestijs.

II. Petit promissa sibi seruari.

III. Agit gratias pro amico humaniter accepto.

IV. Narrat miserias omnes, easq; se fortiter ferre.

V. Gratulatur amico de felici euentu, prosperamque fortunam suam narrat.

VI. Dolet amico non patuisse aditum, agitque gratias.

VII. Hortatur amicum ad summa quæque.

VIII. Commendat Franciscum Binum, eumque summopere laudat.

IX. Commemorat beneuolentiam cum amico suo, & eum seque solatur in miseriis.

X. Refutat amici consilium.

XI. Laudat summopere amicum.

XII. Suum erga amicum animum beneuolum commemorat.

LIB. II.

EPIST. I. Laudat librum amici Petr. Bembi Card.

II. Iterum laudat amici librum, excusatque suum consilium amico dandum.

III. Suadet amico bene sperare de quodam, laudatque eius institutum.

IV. Literas frequentiores petit.

V. Narrat quid egerit cum sibi commendato; errorem suum excusat.

VI. Librum suum commendat.

VII. Literas solidas expetit.

VIII. Laudat eum ad quem scribit, eumque hortatur, vt euoluat Aristotelis libros.

IX. Congratulatur amico de dignitate quam adeptus erat.

X. Laudat sibi commendatum, captatque beneuolentiam.

XI. Scribit, quem dolorem hauserit ex discessu amici, eumque laudat.

XII. Dissuadet amico accessum ad alias partes.

XIII. Laudat Thomam Caietanum Card. à patientia in rebus aduersis.

XIV. Scri-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

XIV. Scribit se scriò acturum de negotijs pacis, hortaturque Thomam Caietanum, vt ea de re ad se perscribat.

LIB. III.

PRAEF. I. Inquirit à Frederico Fregosio, quonam se conferet, libros; literas expetit.

II. Congratulatur Frederico Fregosio de recepta valetudine, hortaturq; eum, ne maneat in Italia.

III. Capit consilium cum amico ad quem locum sint conuenturi.

IV. Narrat beneficia sua sibi collata à Frederico Fregosio, excusatque tarditatem literarum.

V. Scribit, quibus commentatorib. vsus sit in explicatione Ep. Pauli ad Romanos, exponitq; suam sententiam de Fide & operibus iustitiæ, aliisq; Theologicis.

VI. Scribit de interpretationib. variorum locorũ S. scripturæ.

VII. Scribit quid sit tractaturus in rebus Theologicis & de futuro Concilio agit.

VIII. Desiderat videre librum ab amico compositum.

IX. Excusat se, quod minus frequenter scripserit, gaudetque Matthæum Gibertum libros quosdam edidisse, auertq; scire quando omnino absoluti erunt.

X. Agit gratias eidem Matthæo pro libellis, quos ab eo dono acceperat, & hortatur eum, vt libellos alios edat.

XI. Laudat hospitem suum, eumque commendat Matthæo Giberto.

XII. Laudat Ægidium Cardinalem à beneuolentia animi, & amicitia certior fieri desiderat.

XIII. Laudat Ioannem Picum Mirandulanum scribitque de libellis, quos meditatur.

LIB. IV.

PRAEF. I. Hortatur Erasmum, vt à contentionibus abstineat, operamq; adferat fidei Catholicæ labenti.

II. Laudat Erasmum atq; eius interpretationem Psalmi.

III. Scribit de libello, quem meditabatur.

IV. Commendat quendam Desiderio.

V. Agit de suo libello, quem ad Erasmum mittit.

VI. Desiderat fieri certior ab Erasmo, in quo statu sit.

VII. Agit de sententia Bonifacij Amerbachij de cœna Domini, agitque gratias pro dedicatione Basilij Magni.

VIII. Respondet gratulationi Germani Brixij.

IX. Excusat errorem cõmissum in commentarijs Epist. D. Pauli ad Romanos, nonnihil extenuat laudem suam, petitq; fieri certior à Germano Brixio de iudicio Theologorum de suo illo libro.

X. Excusat tarditatem literarum, laudatque Episcopum Parisiensem.

XI. Congratulatur Gulielmo Bellaio Card. de valetudine prospera, laudatq; eum à constantia in aduersis.

XII. Commendat eidem Gulielmo Paulum Sadoletum, eiq́ue congratulatur de nuptiis.

XIII. Petit à Pino Riuensi Episcopo corrigi commentarium in Psalmum XC.

XIV. Agit gratias Aug. Grimaldo pro acceptis ab eo beneficiis.

LIB. V.

EPIST. I. Petit à Ioanne Saluiato corrigi suum commentariũ in Psalmum XCIII. commendatq; ei Paulum Sacratum.

II. Agit Ioanni Saluiato gratias de beneuolo eius animo, recipitq́ue excusationem de commendato, hortaturq; vt de populo suo aliquam cogitationem suscipiat.

III. Non esse agendas sibi gratias, quòd Ioannis Saluiati nomen scriptis celebrare sit aggressus.

IV. Solatur Albertum Pium in valetudine.

V. Agit Rudolpho Pio gratias pro misso indice eius librorum.

VI. indicat beneuolum animum suum erga Franciscum Guicciardinum.

VII. Ostendit suam erga Paulum Iouium beneuolentiam.

VIII. Hortatur Franciscum Ripam ad librum edendum, eiq́ue agit gratias.

IX. Agit gratias Lazaro Bonamico, suumq́; ei statum indicat, ac de eius statu fieri desiderat certior.

X. Laudat Lazarum Bonamicum, quod susceperit curam instruendi iuuentutem, hortaturq́ue vt pergat: desiderat & eum videre.

XI. Lazarus Bonamicus indicat Sadoleto, se nullo modo constituisse deferere onus instituendi iuuentutem.

XII. Laudat Sadoletum à diligentia, reddit́q; eum memorem promissi.

XIII. Excusat se, quod Lazarum Bonamicum hortatus fuisset, rursusq́; vt professioni literarum Philosophiam adiungat, monet.

XIV. Laudat Aonium Palearium, & suum fert de eius scriptis iudicium, & literas petit frequentiores.

XV. Laudat poëma Aonij hortaturq; vt in studiis poëtices eo animo pergat, quo cœpit.

XVI. Laudat librum Aonij de immortalitate animorum carmine conscriptum, rogatq́ue Gryphium vt cum Vida & Actio Syncero typis suis excudat.

XVII. Philosophiam vel plurimum ad Theologiam ait conducere,

ere, petitq; à Galeatio Florimonte suum in Psalmum XCIII. commentarium corrigi.

XIIX. Dicit de variis eruditis sui temporis hominib. suamq; aduersam fortunã narrat, ponitq; causam discessus sui ex vrbe Roma.

LIB. VI.

EPIST. I. Commendat Paulum Sadoletum Ioanni Bellaio.

II. Agit gratias Ioanni Bellaio fratriq; eius Langæo pro acceptis ab eo beneficiis.

III. Gratias refert Bellaio p beneficiis Paulo Sadoleto collatis.

IV. Narrat miseriam suam alienamque, congratulaturq; Antonio Prato de adepta dignitate.

V. Commendat Antonio Prato Ioannem Fraxinum ad sacerdotium aspirantem, vt ei procuret munus aliquod Ecclesiasticũ.

VI. Scribit Antonio de morte Cossinerij Aquensis Præpositi, eumque summopere laudat, petitq; ne se suosq; deserat.

VII. Agit gratias Antonio pro Paulo Sadoleto liberaliter ab eo accepto, & qdã cõmemorat de suo in Epistolas Pauli cõmẽtario.

VIII. Gratiam habet Antonio Prato pro testimonio veri pro se dato, suumq; erga regem animum commemorat.

IX. Declarat latitiam suam, gaudetq; D. Pauli Epistolas publicè explicari, laudatque institutum.

X. Excusat tarditatem literarum, congratulaturque Francisco Turnonio de adepto honore.

XI. Testatur suum erga Franciscum Turnonium desiderium.

XII. Congratulatur Antonio Puccio Cardinali, quod successerit in locum Laurentij Puccii patrui sui, quẽ ẽt summopere laudat.

XIII. Commendat Paulum Sadoletum Ioanni Lotharingo.

XIV. Agit gratias Ioanni Lothoringio pro auxilio & ope Paulo collata.

XV. Commendat suam beneuolentiam erga Lothoringium.

XVI. Scribit Ioanni Lothoringio se comiter excepisse Florentiam Volusenum eiq; eundem commendat.

XVII. Cõgratulatur N. Acromõtio de amplificatiõe dignitatis.

XVIII. Augustinum Triuultium laudat, iubetq; Pontifici scribere, cui illum commendasset.

XIX. Congratulatur Aug. Triuultio, quod populos quosdam Pontifici commendauerat.

XX. Narrat quædam de negotiis publicis, petitq; ab Aug. Triultio, vt de eisdem rebus cum Pontifice agat.

LIB. VII.

EPIST. I. Suum beneuolum animum commemorat & congratulatur Benedicto Accolto de dignitate quam erat cõsecutus.

II. Benedictus Accoltus offert Iac. Sadoleto operam suam in quauis re, eumq; hortatur vt ad se veniat.

III. Laudat prædictum Accoltum à virtute constantiæ in amicitia, eiq; suam erga eum voluntatem commemorat.

IV. Petit à Benedicto vt Antonium Gornazanum procuratorem suum hospitio suscipere dignetur.

V. Agit gratias Benedicto pro beneficijs sibi ab eo collatis.

VI. Laudat Epistolas Benedicti Accolti à sermonis elegantia, eiq; congratulatur, quod ad tantam literarum doctrinam pertigerit: scribitq; de miserijs reipub. seq; ipsum solatur.

VII. Narrat felicem successum pugnæ Heluetiorum contra hæreticos, in quorum numero erat Zuinglius, qui eo prælio est interfectus.

VIII. Paul. Sadoletũ constituit in socium & adiutorẽ suę Ecclesiæ adsciscere, declaratq; iudicium suum de publicis negociis.

IX. Commendat Accolto Didacum Mendosam, vt eum in amicitiam recipiat.

X. Solatur Accoltum in morte patrui, atque congratulatur de rebus bene gestis.

XI. Commemorat beneficia & amorem sibi præstitum à Blosio Palladio.

XII. Excusat tarditatem literarum suarum, agitq; gratias Vbaldino Bandinello, quod suæ prouinciæ causam tam accuratè apud Pontificem egisset, eiq; indicat, quis sit præfectus statui prouinciæ suæ.

XIII. Congratulatur Laurent. Campegio de reb. bene gestis, indicatq; se bene sperare de tollendis & exterminandis hæreticis.

XIV. Laudat Hippolytum Medicem, quod Antonium Pulleonem Burgium largo congiatio prosecutus sit, quo Antonius nubiles filias suas nuptum daret.

XV. Respondet Hippolytus Medices laudibus illius dotis, easque extenuat.

LIB. VIII.

EPIST. I. Laudat Iacobum Sadoletum Polus Card. hortaturq; vt Paulum ad Theologiam promoueat, seque in eadem scientia exerceat.

II. Laudat Reginaldum Polum, eiusq; monitis respondet.

III. Reginaldum laudat, suumque erga eum beneuolum animum indicat.

IV. Reddit rationem, cur in artibus liberalibus & maximè in Philosophia tempus suum conterat.

V. Scribit se curasse librum suum typis excudi.

VI. Congratulatur Hieronymo Nigro de doctrina eius, narratq; quomodo tempus suum transigat.

VII. Congratulatur Sadoleto Niger, quod à belli tumultu liber sit, suadetq; ei, ne domicilium mutet.

VIII. Lau-

VIII. Laudat Hieronymi Nigri desiderium erga literarum studium, docetq; de morte Leonis.

IX. Petit sibi à Nigro procurari professorem literarum.

X. Curat quosdam ex suis amicis per Nigrum salutari.

XI. Indicat consilium suum, quo decreuit ad Calendas Maias Patauium proficisci.

XII. Reprehendit argumentum carminis Ludouici Pariseti.

LIB. IX.

EPIST. I. Congratulatur Paulo III. quod ad Pontificatum sit euectus, eumque summopere laudat.

II. Indicat Paulo III. Pont. Max. causas, cur Paulum suum ad eum miserit, Pontificemque laudat.

III. Agit Paulo III. Pont. Max. gratias pro beneficiis ab eo acceptis.

IV. Congratulatur Alexandro Farnesio de honore & dignitate, quam erat consecutus, hortaturque vt Pont. Max. Vidam imitetur.

V. Respondet his monitis Sadoleti, petitque vt sibi in suis rebus auxilio sit.

VI. Laudat Epistolas Sadoleti ad Alexand. Farnesium missas, petitq; ab eo, vt subinde similes literas mittat Farnesio.

VII. Respondet literis præcedentibus Ioan. Petri Crassi.

VIII. Congratulatur Gasparo Contareno de fortuna prospera, eiq; gratias agit pro beneficiis sibi ab eo collatis.

IX. Commemorat suum beneuolum animum erga Contarenũ agitq; de explicatione quorundam locorum Epistolæ D. Pauli ad Rom. in suis commentariis explicatorum, petitque à Contareno, vt curet ne suus liber Venetiis ante secundam editionem Lugdunensem imprimatur.

X. Agit de quibusdã Theologicis, cõmunemq; miseriã narrat.

XI. Extenuat laudem suam agitque gratias Archiepiscopo Capuæ pro beneuolo erga se animo.

XII. Tenere se desiderio Marij Maffæi, laudem suam extenuat, petitque ab eo corrigi suum librum.

XIII. Agit gratias Grano Siguiæ & Mario Aligero pro acceptis ab eo beneficijs.

XIV. Indicat se teneri desiderio Marij Maffæi hortaturq; eum vt ad se veniat.

XV. Laudat Antonium Surianum, quod defenderit suam innocentiam, beneuolentiamque complecticur.

XVI. Reddit rationẽ sui itineris ad vrbẽ, narratq; quid ibi agat.

XVII. Commemorat mutuam amicitiam inter se & Benedictum Accoltum.

XVIII. Respondet Cosmo Gereo, qui se ad hospitiũ inuitârat.

LIB. X.

EPIST. I. Narrat creatũ se Cardinalem Herculi Ferrariæ duci.

II. Idem epistola hac commemorat.

III. Agit idem sequentibus epistolis.

VI. Scribit de nouo suo statu, quo animo illum sit aggressus.

VII. Laudat Claudiũ Rangonũ, eiusq; gratulationi respondet.

VIII. Respondet gratulationi Francisci Bellencini.

IX. Laudat epistolas Bembi, narratq; miseriam sui status.

X. Respondet gratulationi Andreæ Alciati Iureconsulti miseriasq; sui status commemorat.

XI. Respondet gratulationi Romuli Amasæi, eiq; gratulatur de doctrina.

XII. Respondet gratulationi Achillis Bocchii.

XIII. Respondet gratulationi Lazaris Bonamici.

XIV. Respondet gratulationi Augustini Beatiani.

XV. Respondet gratulationi Lilij Gregorij.

XVI. Respondet gratulationi Hieronymi Vidæ Poëtæ egregij.

XVII. Germanus Brixius Iacobum Sadoletum monuerat, ne in honoribus animum mutet, cui respondet Sadoletus.

XVIII. Suum beneuolum animum erga Fredericum Nauseam commemorat: & sententiam de concilio habendo exponit.

XIX. Laudat literas Ioannis Bellaij, dicitque se non defuturum reipub. officiis.

XX. Suadet Ioanni Bellaio, vt amœnum locum deligat, in quo ætatem transigat, redditq. eũ certiorem de concilio prorogato.

XXI. Reddit Reginaldum Polum certiorem de reipub. turbis.

LIB. XI.

EPIST. I. Petit adscribi in albũ amicorũ Georgij ducis Saxoniæ.

II. Respondet Sadoletus Epistolæ Georgij Ducis Saxoniæ, qui se in amicitiam assumpserat.

III. Respondet opinioni Georgij, qua putabat, statum reipub. non commodè regi posse, si qui præsunt & imperium obtinent, ij non singulari inter se coniunctione animorũ sint concordes: illam opinionem laudat, reddit eum certiorem de concilio futuro, petitq; ab eo consilio iuuari.

IV. Narrat gesta consilij in vrbe Nicæa; excusata primò tarditate literarum.

V. Amplectitur Iulium Pflugium in suam amicitiam.

VI. Laudat libellum Ioannis Cochlęi; scribit quędam de Cõcilio; petit libellum Alberti Pighij, quem conscripserat de Ecclesiæ principatu.

VII. Dubitat an & quomodo fiet concilium de Repub. laudat

Iulij Pflugij beneuolentiam; laudat iudicium Cochlęi de sua oratione, eiusq; librum probat conscriptum in vesanas Lutheri declamationes.

VIII. Exponit dolorem suũ de morte Georgij Ducis Saxoniæ.

IX. Indicat dolorem de morte principis Georgij, suumque animum erga Cochlęum declarat.

X. Petit à Gulielmo Bauariæ Duce Stocamerum quo cum sua consilia communicet.

XI. Reddit causam, quare fuerit sollicitus.

XII. Excusat tarditatem suarum literarum, scribit quædam de publicis miseriis, laudat Gulielmum Bauariæ Ducem, suamque eloperam defert.

XIII. Laudat desiderium Gulielmi erga fidem tuendam.

XIV. Laudat Franciscum Fregepanum, eiusq; desiderium erga religionem.

XV. Lætatur de confirmatione Ecclesiarũ, & mutatis capitib.

XVI. Hortatur Fregepanum in publicis miseriis prouidendis officio suo non desit, eumq; solatur in voce populi, dicentis libertatem eius potiùs esse superbiam.

XVII. Excusat tarditatem literarum, & quod ad hæreticum scripserit.

XVIII. Narrat incommoda ex eo prouenientia, quod concilium non fuerit habitum, solaturq; Ioannem Archiepiscopum Vspalensem, qui miseriæ fluctibus iactabatur.

LIB. XII.

Epist. I. Petit ab Alexandro Farnesio, vt Auenione aliquem constituat, qui vices ipsius agat, assiduęque in ea vrbe commoretur.

II. Petit à Farnesio, vt pro se intercedat apud Paulum III. Pont. quo tempus absentiæ suæ ab Vrbe prorogetur in proximum Aprilem.

III. Gratulatur Farnesio de ipsius familiæ aucta dignitate.

IV. Laudat Farnesium, qui in augendo honore Bembi assiduus fuit, petitq; suo nomine agi gratias summo Pontifici.

V. Petit à Farnesio excusari, quòd Romam venire nequeat, exponit causas, quare Carpentoracti manere debeat: conqueritur, quòd Iudæi vbiq; extollantur: pauperes Catholici deprimantur, conferq; illi rei esse occurrendum.

VI. Congratulatur Farnesio de itinere feliciter peracto, gratiasq; agit, quòd eius commendatione apud Pont. voti sit compos redditus.

VII. Exponit dolorem suũ, quo erat affectus ex eo, quòd Hieronymus Alexander Brundusius Cardinalatu defunctus erat, petitq; facilè à Pont. Max. eum in pristinam dignitatem restitui.

VIII. Ex-

VIII. Excusat se Pont. Max. cur nequeat Romam venire.

IX. Commendat Pontifici Pet. Bembum, vt eum in ordinem Cardinalium assumat.

X. Commendat Pontifici Max. Gregorium Cortesium Abbatem, vt eo numerum Cardinalium suppleat, vt accidit.

XI. Commendat Pontifici Hieronymum Capoferreum Nicensium Episcopum, & Thomam Campegium Episcopum Feltrensem pro ordine Cardinalatus.

XII. Petit à Pontifice iuuari aliquibus subsidiis & bonis Ecclesiasticis, quod ijs summopere egeat.

XIII. Solatur Pontificem in morte matronæ cuiusdam.

XIV. Gratulatur Pōtifici, quod geminis pronepotib. ex Imperatoris filia & nepote eius in lucem editis spes pacis affulserit.

XV. Hortatur Guidum Ascanium, vt prouideat in negocio Iudæorum, qui Christianos suis priuilegiis vexant.

XVI. Excusat se de quibusdam, quæ scripserat Guido Ascanio, scribit de quibusdam improbis superiorib. deq; negotio Iudæorū.

XVII. Laudat Guidū, quod p̄ suis populis in Iudæorū negocio laborarit, ideoq; ei gratias agit, petitq; ab eo, si adhuc alicuius rei mentio incidat, vt ius populi sui contra Iudæos tueatur.

XVIII. Gratulatur Marcello Ceruino de adepto Episcoparu.

XIX. Congratulatur Hippolyto Estensi, quod in ordinē Cardinaliū sit assumptus, eiq; suum erga eum officium commemorat.

XX. Suum officium commemorat, laudatq. Polum.

XXI. Congratulatur Frederico Fregosio de Cardinalatus honore, quem erat consecutus.

XXII. Indicat Gregorio Cortesio Abbati suum erga eū officiū.

LIB. XIII.

EPIST. I. Cōmemorat miseriam Poli, summq; erga Contarenū desideriū, cōmendatq; ei vt causas Ducū Bauariæ sedulò agat.

II. Ponit sententiam suam de iustificatione & caritate.

III. Commendat Contareno suos populos prouinciamq; suam afflictam.

IV. Mittit Contareno librum de ædificatione Ecclesiæ, quem corrigi petit, eiq; suos populos commendat.

V. Petit à Reginaldo Polo vt beneficia ei præstita verbis commemorare desinat, ei congratulatur, quod saluus ad vrbem aduenerit. negocium Iudæorum deplorat.

VI. Extenuat beneficia sua, quæ Polo præstiterat, & in se collata exaggerat, petit efficiat ne Romam reuocetur.

VII. Respondet Gul. Poleto scribenti Sadoleto mirari se, quod pecunia egeret, agit ei gratias regiq̄e, quod eorum beneficio in pace viuat.

VIII. Commendat Poleto Albertum Pighium.

IX. Offert

IX. Offert operam suam Poieto Regique.

X. Congratulatur Poieto de bonis omnibus ablatis ab eo iniuste & sine causa ei restitutis.

XI. Solatur Petrum Carafam in miseriis publicis.

XII. Agit Francisco Quignonio gratias pro beneuolo erga se animo, redditque causas cur ad vrbem accedere nequeat.

XIII. Laudat Dionysium mutuamq; amicitiam commemorat.

XIV. Mutuam cum Dionysio Card. amicitiam commemorat.

XV. Petit à Dionysio librum suum de ædificatione Ecclesiæ legi & corrigi.

XVI. Commemorat dolorem, quem perceperat, quòd audisset Dionysium esse mortuum.

XVII. Petit à Marcello Ceruino librum suum corrigi.

LIB. XIV.

EPIST. I. Laudat Polum & epistolam Ioannis Marij: quoddam tamen vitium in eo reprehenditur, quod nimis magnam iudicij sui opinionem haberet.

II. Veterem & mutuam amicitiam commemorat offertque suam operam Nicolao Rodulpho.

III. Reddit causam, cur ratius scribat ad Rodulphum.

IV. Mittit Saluiato librum de extructione Catholicæ Ecclesiæ, scribitque se laboraturum sedulo, vt aliquam opem reipub. adferat.

V. Commendat Alexandro Cęsarino patrocinium suorum populorum.

VI. Agit gratias Alexandro, q; populis suis patrocinatus fuerit.

VII. Mittit Iacobo Symonetę orationem suam corrigendam, scribitq; de oratione quadam ad amicos mittenda, sollicitum se esse ait, an Iacobus saluus Romam peruenerit.

VIII. Congratulatur Iacobo, quod saluus Romam peruenerit, & suorum populorum patrocinium commendat.

IX. Agit gratias Francisco Turnono, quod populũ suum à miseriis liberarit, eiq; commendat Albertum Pighium.

X. Petit cognoscere ex Ambrosio Catharino quid agat, & quibus ipse rebus occupetur indicat.

XI. Laudat librum Ambrosij de originali peccato.

XII. Ponit iudicium suum de libro Ambrosij Catharini de originali peccato.

XIII. Laudat librũ Ambrosij Catharini de Iustificatione, eumque hortatur, vt cito edat librũ de prouidẽtia & prædestinatione.

XIV. Declarat in publicis miserijs ad Deum esse confugiendum, habendumq; esse concilium: Laudat librum Hermanni Archiepiscopi Colonensis de sacramentis, suumq; iudicium de eo ponit.

XV. Com-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

XV. Commemorat mutuam amicitiam, suamque ei operam affert.

LIB. XV.

EPIST. I. Laudat Herculem Gonzagam, cui data erat Mantua regenda, eum instruit ad regendum probè; declarat Italiam modò in hac calamitate versari; quòd malos rectores habuerit.

II. Indicat dolorem suum ex morte Laurentij Campegij Episcopi fratris; eumq; solatur.

III. Gratulatur Ioanni Morono, qui Bononiensis legatus erat, eiq; commendat Hieronymum Gratum.

IV. Mittit Gregorio Cortesio librum suum, eumque corrigi postulat.

V. Ponit iudicium suum libri Sadoleti de Purgatorio; scribit animos omnium esse suspensos, quid publicis rebus fiet.

VI. Laudat Iacobum Sabellum, cumque eo firmam petit amicitiam.

VII. Petit ab Antonio Perenotto curari, vt sua oratio in manus Cæsaris tradatur.

VIII. Indicat Ioanni Toletano causas, quibus detinetur, quò minùs iussu Pontificis Romam venire queat; eique illud negotium commendat.

IX. Laudat Ranutium Farnesium, eumque hortatur, vt in virtutibus pede certo pergat.

X. Dissuadet Ranutio Farnesio Cardin. ne eat ad ius, sed ad Theologiam, virtutesque eum hortatur.

XI. Respondet laudibus, quas ad se Christophorus Madrucius miserat.

XII. Solatur Christophorum Madrucium de morte fratris.

XIII. Commemorat beneuolentiam mutuam, eique commendat Ioannem Marsupinum.

XIV. Scribit quid Romæ existens ibi agat.

XV. Respondet gratiarum actioni Henrici Lusitani; hortatur vt desiderium erga fidem seruet: curetque vt frater ipsius rex idem desiderium non permittat interrumpi.

XVI. Laudat poëma Georgij Cœlij Lusitani.

LIB. XVI.

EPIST. I. Ponit iudicium suum de libro Alberti Pighij de hierarchia Ecclesiastica, suamque erga eum beneuolentiam indicat.

II. Iocatur cum Lazaro, eique commendat Paulum Sacratum ad eius scholas ire desiderantem.

III. Com-

III. Commendat Romulo Amasæo Iacobum Bordingum Medicinæ studium Bononiæ perficere volentem.

IV. Laudat Scipionem Blanchinum, quod Iacobo Bordingo auxiliatus fuerit; mutuam amicitiam commemorat.

V. Agit gratias pro beneficiis sibi collatis à Prospero Sanctacrucio, suam erga eum voluntatem exponit.

VI. Disputat hic vtrum sit licitum homini in aliquo publico honore posito, (cum aduersis omnium voluntatibus videat se nihil proficere, quòd ad Reipub. pertineat salutem, habeat autem idem domi & priuatim præclaras gerere actiones, in quibus versatur & se exercere eiusdem Reipub. commodo queat) dimittere curas publicas, & ad studia priuata se conferre: quæ nihilominùs in publicam vtilitatem redire videantur.

VII. Agit Bernardo Feliciano gratias, quod suis honoribus insistat.

VIII. Agit gratias Donato Rullo pro libro ad se misso.

IX. Commendat mutuam beneuolentiam: miratur cur ab Donato Rullo pridem non acceperat literas.

X. Scribit quid sentiat de rebus publicis.

XI. Commemorat quædam de suo libro de peccato originali, quem mittit Isidoro Claro.

XII. Gaudet quod Nicolaus Peitellius bene suum populum Carpentoracti instituat, eiq; agit gratias.

XIII. Hortatur Florentium Volusenum, vt Catholicæ religioni insistat.

XIV. Indicat dolorem suum ex morte Pet. Bembi, hortatur Florentium vt pergat, quo cœpit, pede.

XV. Scribit Francisco Mario Molsæ Poëtæ se pro eius causa apud Pont. egisse, petitque an sua commendatio ei profuerit.

XVI. Scribit Sadoleto, quid ex eius commendatione apud Pont. effecerit, laudatq; Sadoletum.

XVII. Commemorat suas miserias, & aliquorum vult fieri certior.

XVIII. Ponit iudicium suum de oratione Antonij Florebelli, eumq; hortatur, vt pede cœpto pergat.

XIX. Petit Antonium sibi comitem.

IACOBI SADOLETI EPISTOLAE ad Paulum Sadoletum.

I. Reddit Paulum memorem mandatorum discedentem; quid domi suæ agatur, ei nunciat; petit ab eo sedulo laboret, vt literarum professorem inueniat.

II. Latinum Iuuenalem, qui literas ad eum ferebat, in amicitiam recipi iubet.

III. Indicat Paulo, se laboraturum in causa Mutinensium, seque hominem literarum studia docendo aptum comperisse, respondetq; variis eius literis.

IV. Mandat Paulo variis salutem impertiri: miratur eum politicum esse, se in lucem emissurum Commentaria in Epistolam ad Galatas; petitq; vt ex Pontifice quærat, quod ipse potissimum argumentum desideret.

V. Relinquit ei liberum vel Romæ manere, vel ad se redire.

VI. Respondet Sadoleto de variis amicis, qui eum salutârant, eumque hortatur, vt reditum cautè instituat.

VII. Mittit Paulus Sadoletus librum patrui sui Bembo, ab eoque petit corrigi, se redeuntem ad patruum Bembum visurum.

VIII. Commendat Rodolpho Pio, vt Molsam in amicitiam recipiat.

IX. Scribit quid Mutinæ agat, redditque Paulum quorundam certiorem.

X. Reddit Paulum certiorem eorum, quæ tum Romæ, tum Parmæ gesta sunt.

XI. Desiderat eum videre, iubetque ad se venire, reddit variorum certiorem.

INDEX, COMMONSTRANS, quis, cui scribat, & quoties.

Prior nota librum; posterior epistolam denotat.

Achilli Bocchio 10, 12.
Adamo ab Epistolis Ferdinando Regi 15, 13.
Alberto Pighio Camp. 16, 1.
Alberto Pio 5, 4.
Alexandro Farnesio S.R.E. Cardim. 9, 5. 12, 1. 12, 2. 12, 3. 12, 4. 12, 5. 12, 15, 16.
Alexander Farnesius Cardin. Iac. Sadol. 6, 19.
Alexander Casarino 14, 5. 14, 6.
Ambrosio Catharino 14, 10. 14, 12. 14, 13.
Andreæ Alciato Iureconsulto 2, 10. 2, 11. 2, 12. 18, 19.
Andreæ Gritto 10, 6.
Angelo Colotio 5, 18.
Antonio Prato Episcop. Senonensi, S. R. E. Cardin. 6, 4. 6, 5. 6, 6. 6, 7. 6, 8.

Anto-

Antonio Puccio Card. 6,12.
Antonio Sursano 9,15.
Antonio Pulleoni 9,16.
Antonio Florebello 16,19.
Antonio Perenoto 15,7.
Antonio Pulcario 5,14.
Augustino Grassa 4,14.
August. Triuultio S. R. E. Card. 6,18.6,19.6,20.
Augustino Beatino 10,14.
Bonifacio Amerbacchio Basiliensi 1,12. 4,7.
Bonifacio Accolto Card. 7,1.7,2. 7,3.7,4.7,5.7,6.7,8.7,9.7,10.
Bonifacium Accoltum S. R. E. Cardin. Iac. Sadol. Episc. Carpent. 7,2.7,9.
Blasio Palladio 7,11.
Christophoro Mardrucio Episc. Tridentin. 15,11.15,12.
Claudio Rangono 10,7.
Cosmo Gerio 9,18.
Desiderio Eras. Rot. 1,11.4,1.4,2. 4,3.4,4.4,5.4,6.
Didaco Mendoza 15,14.
Dionysio Cardinali 13,13.13,14. 13,15.13,16.
Donato Rullo 16,8.16,9.
Egidio Cardinali 3,12.
Federico Fregoso Archiep. Salernis 1,6.1,7.3,1.3,2.3,3.3,4. 3,5.3,6.3,7.12,21.
Federicum Fregos. Archiep. Salernitan. Iac. Sadol. 3,8.
Florent. Volusseno Sca. 16,13.
Francisco Guicciardi. 5,6.
Francisco Ripa 1,8.
Francisco Turnonio S. R. E. Card. 6,10.6,11.14,9.
Francesco Bellencino 10,8.
Francisco Eregepani Vngaro 11, 14.11,15.11,16.
Francisco Quignenio 13,12.
Francisco Mario Molsa 16,15.

i

Francisc. Molsa Iac. Sad. 16,16.
Idem Paulo Sadol. 16,17.
Frideric. Nauseæ 10,18. 11,17.
Gabrieli Paleoto Bono. 16,14.
Galeatio Florimont. 51,7.
Gaspari Contar. 9,8.9,9.13,1. 13,2.13,3.13,4.
Georgio Duci Saxon. 11,1.13,2. 13,3.13,4.
Georg. Calio Lusitan. 15,16.
Germanio Brixio 4,8. 4,9.4,10. 10,17.
Georg. Cortesio abbati 12,22.
Eidem Card. 15,24.
Georg. Cortesi. Sadol. 15,25.
Guido Asca. 12,15.12,16.12,17.
Gulielmo Bellaio 3,11. 3,12.
Gulielmo Bauariæ Duci 11,10. 11,11. 11,12. 11,13.
Gulielmo Poietrio Cancellario 13,7.13,8.13,9.13,10.
Henrico Lusitano 15,15.
Herculi Gonzagæ S. R. E. Card. 1,8.2,8.15,1.
Herculi II. Duci 10,1.
Herman. Episc. Colon. 14,14.
Hieronymo Nigro 1,5. 8,6. 8,8. 8,9.8,10.
Hieron. Niger. Sad. 8,7. 8,11.
Hieronymo Vidæ 10,16.
Hippolit. Medici 2,9. 7,14.
Hippol. Medices Sad. 7,15.
Hippolyto Estensi 12,19.
Iacobo Symonetæ 8,5.
Eidem Card. 14,7. 14,8.
Iacobo Sabello Card. 15,16.
Ioanni Matthæo Giberto 1,1.3,9. 3,10.3,11.
Ioanni Saluiato 1,9. 1,10.5,1.5,2. 5,3.10,20.13,4.
Ioanni Francisco Pico 3,13.
Ioanni Bellaio 5,1.6,2.
Eidem Card. 6,3. 10,19.
Ioanni Nicolao Aptæ 6,9.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ioanni Lotharingo Card. 6,13. 6,14.6,15.6,16.
Ioan. Petr. Crassus Episc. Viterbii Iac. Sadol. 9,6.
Ioan. Petro Grasso 9,7.
Iulio Peflugo 11,5.11,7.
Io. Coclæo 11,6.11,8.11,9.
Ioanni Gotto 11,18.
Ioanni Caraffæ 13,12.
Io. Huttardo Mendozæ 14,15.
Io. Baptistæ Speciano 16,6.
Io. Bernardo Felic. 16,7.
Ioanni Morono 15,3.
Ioanni Toletano 15,7.
Isidoro Clario 16,10.16,11.
Laurentio Campegio 7,13.
Laurentio Grana Signiæ & Mario Aligero Rheatis Episcopis 11,13.10,4.
Lazaro Bonamico 1,2.5,9. 5,10.5,12.5,14.10,13.16,2.
Lazarus Bonamicus Iac. Sadol. 5,11.5,12.
Lilio Greg. Gyraldo 10,14.
Ludouico Pariseto 8,12.
Marcello Cerusino 12,18.
Eidem Card. 13,17.
Mario Maffæo Volater. 9,12. 9,14.10,5.
Mario Aligero Rheatis & Laurentio Grana Signiæ Episcopis 9,13.10,4.
N. Sena Tholos. præsidi 2,13.
N. Acrimontio Card. 6,17.
N. Arch. Capuæ Card. 9,12.
Nicolao Rodolpho 14,2.14,3.
Nic. Peitello 16,13.
Paulo III. Pont. Maximo 9,1.9, 2.9,3.12,7.12,8.12,10.12,11. 12,12.12,13.12,14.
Paulo Iouio 5,7.
Paulo Sadol. 17,1. & seq.
Paulus Sadol. P. Bembo 17,7.
Idem Rodulpho Pio 17,8.
Petro Bembo 1,3.1,4.2,1.2,2.2,3. 2,4.2,5.2,6 2,7.10,2.10,10.
Eidem Card. 12,19.
Pino Riuensi Episc. 4,13.
Prospero Sanctacrucio 16,5.
Ranutio Farnesio 15,9.15,10.
Reinaldo Polo 8,2.8,3 8,4. 10,21.13,5.13,6.
Reginaldus Polus Iac. Sadol. Episc. Carp. 8,1.
Rodulpho Pio 5,5.10,4.
Romulo Amasæo 10,11 16,4.
Sebastiano Gryphio Typographo 5,16.
Scipioni Blanchino 16,4.
Thomæ Campegio 15,22.
Thomæ Caietano 2,13.2,14.
Vbaldino Bandinello 7,12.

IACO-

IACOBI SADOLETI, EPISCOPI CARPENTORACTI, S. R. E. CARDINALIS EPISTOLARVM LIB. I.

Epist. I.

IAC. SADOL. EPISC. CARP. IOAN. Matthæo Giberto Episc. Veronæ, S.P.D.

POSTQVAM veni Carpentoracte, has primas exaraui literas, easque ad te, aliquanto serius, quòd fueram sanè incommoda ægritudine impeditus: senseram enim ex itinere δυσουριαν, quo morbo tamen releuari iam videor. Sed siue illam mihi maritima iactatio contraxit, siue iter terrestre aliquid postea addidit ad illius morbi molestiam: omnino intelligo, me hac corporis imbecillitate iam non ad aliam rem vllam, quàm ad ocium & quietem idoneum esse. Quod ipsum videor nunc demum, tuo singulari beneficio, & summa principis benignitate consecutus. Nos à portu Centumcellis Nicæam vsque nauibus peruecti fuimus, nihil ipsi illa, quod apparet, maris agitatione offensi: cùm cæteri omnes ferè, qui erant mecum, graui nausea conflictati essent, Niceæ duos dies mansimus. Inde digressi à Valdemontio: cuius mihi humanitas magnæ voluptati fuit, iumentis pretio coactis iter terra fecimus: septimo die Niceæ peruenimus Carpentoarcte, ad diem 5. Nonas Maij, lati, velut ex diuturnis fluctibus stabilem aliquando & desideratam terram aspicientes, si lætitiam nostram rumores de rebus vrbanis non interpellassent: parum illi quidem constantes, sed ramen mihi molesti. Audieramus autem Labeone iam conscendente, Germanos milites, quos nos, ab Vrbe cùm proficisceremur, pro pacatis reliquimus, animis commutatis, spectare denuo ad arma: remque iterum adductam esse in discrimen. Hic mihi metus, atque hæc solicitudo ita hæsit in animo, vt postea euel-

li non potuerit: nec sum sedato animo futurus, quoad certum sciero, quid euenerit, & num salus nostra etiam nunc infesta, an improborum & perfidorum consilia, vel ipsa per se se consenuerint, vel metu compressa sint. Equidem interim illa consolatione sustentor, quòd video dies iam complures rumores illos conticuisse, non enim simile esset veri, si quid accidisset postea tumultuosius factum, tantas res tandiu silentio iacere oppressas. Sed quoquo modo se se habeat res, meus incredibilis erga summum Pontificem amor, neutiquam patitur curæ & angoris expertem esse. Qui si aliquo est adhuc proprio in periculo (quod vtinam ne ita sit, atque in hoc Deus misericors nostras preces exaudiat) nę ego perquam doleo grauiter, tum eius ipsius causa, cuius ego salutem semper anteposui meæ: tum etiam mea. Viderer enim mihi ab officio quasi defeciisse si hoc tempore tali dominum deseruissem: atque eum dominum, in quo ego amando, ornando omni pietate atque omnibus officiis colendo, neque virtuti ipsius vnquam, neq; meo studio satisfacere potuissem. Sed & tunc quid me angeret, quo esse vinculo Deo immortali obstrictus, quo denique animo, qua spe placatiorum rerum, ab eo digressus sim, ipse tu optimus es testis. Et nunc in his quoque locis ac tertis ea mente sum, vt secundas res ipsius aliis fruendas libentissimè relinquam: aduersarum non recusem esse particeps. Deum autem quæso, id quod acturus assiduè & precaturus eum sum, vt pacem & otium aliquando afferat & Pontifici Max. & Italiæ: quò liberius ac diutius illius eximia virtute & humanitate frui omnes possumus. Sed hæc hactenus. De teipso, mi Giberte, aueo plurimum, & ex te cognoscere: quem ego habeo autorem meæ tranquillitatis: cui vni beneficio alterum par nunquam reperietur. Itaque quantum tibi debeam & ipse sentio: & dabo profectò operam, vt cæteri omnes intelligant. Ego nunc quod maximè est necesse, recuperandæ valetudini studeo, quam cœlum istud vrbanum valde mihi labefactarat: vt id quod agere festino, commodius deinde nauare possim. Rapior enim cupiditate incredibili, ad veræ immortalitatis spem, quam videor mihi habere in manib. maximis Dei beneficiis, & mea summa voluntate incitatus. Itaq; & ad gerendum piè ac sanctè sacerdotium hoc animo sumus alacres, & ad artium honestissimarum studia inflammati. In altero, vt ne isthinc obturber, tuq; & eximiæ autoritatis, & summi erga nos amoris præcipuæ partes sunt: in altero mea fuerit culpa, si non & tuæ, & cæterorum de me opinioni respondero: liceat modò per valetudinem. Efficiam n. profectò vt omnes fateantur, meam vel egregiam operam, vel præclaram certè voluntatem exitisse. Quo in genere, quid tibi receperim, quid Pont. Max. fuerim pollicitus, optimè in memoria habeo.

beo. Tuvt me ſicut conſueuiſti diligas ac tueare, te maximopere mi Giberte iucundiſſime rogo. Vale Carpentor. XVI. Cal. Iunias, M.D.XXVII.

II.

IAC. SADOL. EPISC. CARP. LAZARO *Bonamico, S. P. D.*

SIvales gaudeo. Poſt meum ab Vrbe diſceſſum nihil adhuc o- minino à quoquã literatũ: ac neà meis quidem. Itaq; in deſide- rioſum, & de illis, & de te, & de cæteris amicis aliquid audiendi: atq; unam omnia ex mea ſententia. Nos venimus ad Carpen- tor. ad V. Non. Maias, ſumma horum hominum gratulatione, quorum auxit lætitiam inopinatus noſter aduentus. Itaq; quod ſemper optauimus, ex diuturnis fluctibus, videmur tandem por- tum eſſe conſecuti: modò vos iſthic ſalui, ſummiq; Pontificis res eam teneant ſtatum, quàm maximè cupimus, nihil mihi ad ſpem beatæ vitæ non abundè videtur affore. Nam & paruo ſat contẽti ſumus & in hoc honore piè ſanctéq; adminiſtrando quoad nobis datũ diuinitus fuerit. Deo ipſi eidem deſeruire contendemus: & in libris ac literis toti volutabimur: veterẽq; ac diuturnam ſitim optimarum artium noſtro tandem arbitrio, in ipſis fontib. exple- bimus. In hoc genere toto, q̃ pertinet ad artes honeſtas, & ad no- ſtra illa tibi ignota ſtudia, video te vnum maximo eſſe poſſe mihi adiumento. Nam & de tuæ doctrinæ vbertate hauriendum nobis erit, & bonorum librorum exte copia requirenda. Quorum al- terum tute mihi recepiſti eum adhuc eſſem Romæ; alterum mihi ſemper patuiſſe intelligo. Sed de libris peto à te magnopere, vt promiſſa mihi perficias: ea in re impenſæ parci nolo. Gratiam au- tem eam tibi referam, quæ maxim ẽ & tua virtute & noſtra ami- tia erit digna. Ego ei nunc præuerti volo curæ, vt valetudini re- operandæ ſtudeam, quam vrbanum iſtud cœlum non mediocri- ter labefactarat: & ſpero me optati fore compotem. Te ſi rogem, vt priſtinum tuum amorem erga me conſerues, faciam & tibi præ- ſtitũ, & amicitiæ noſtræ iniuriam quod videat quaſi conſtantiæ ei diffidere. Itaq; non committam vt de hac re iure me accuſa- re poſſis. Tantum à te petam, vt Vbaldinum, Sangam, Lælium, Pyrrhinum, Colotium, cæteroſque, partim amicos, partim etiam diſcipulos tuos, ſaluere iubeas meis verbis: nec patiaris hebeſce- rum eis ingeniolos beneuolentiæ, qua erga me videbantur eſſe af- fecti. Imprimis verò ampliſſimis viris Campegiis patronis tuis, & patri & filio, quibus ego mitificè deditus ſum, idq; eorum meri- to, ſalutem à me dicas plurimam. Vale mi Lazare ſuauiſſime, & tibi perſuade, te à me valdè amari. Carpent. XVI. Calend. Iun. M.D.XXVII.

III.

IAC. SADOLET. EPISC. CARP. PETRO Bembo S. P. D.

DIV est, quòd destitimus inter nos missitare literas: neque enim inueteratæ amicitiæ tanta coniunctio, talem operam vllam, aut oblectamentum requirebat. Alia porro non fuerunt, de quibus esset opus alterum nostrum ab altero certiorem fieri. Sed cùm tu in ocio atq; literis assiduus esses, ego maximis Romæ curis & solicitudinib. impedirer, in longe dispari conditione vitæ, pari tamen beneuolentia inter nos iuncti semper fuimus. Nunc autem, postquam Dei immortalis admirabili beneficio ex illis turbulentis fluctib. me euolutum, & ad portum ociumq; traductum, ea excepit vita quam maximè semper appetiueram: non existimaui nostra necessitudine, aut ipso tempore alienum esse, aliquid ad te literarum dare: præsertim cùm tu mihi idoneam ad scribendum occasionem præbuisses. Cognoui enim ex Bini nostri literis, quas ille ad me Venetiis misit, vigere apud te beneuolentiam mei absentis, & memoriam amicitiæ nostræ cum fide conseruari: cum is se ad te visendum accessisse, aliquotque horas consumpsisse tecum sermonibus suauissimis confirmet: eaque de te prædicet, quæ & tuis plurimis maximisque virtutibus, & meo perpetuo de te iudicio consentanea sunt. Ac mihi quidem quòd intelligo me amari abste, non tam nouum nunc quidem, quàm semper gratum atque optatum accidit. Quòd verò erga Binum ipsum egregia humanitate vsus es: eique & opem, & studium, & autoritatem tuam detulisti, quodque hoc etiam prolixius causa mea fecisti: de eo habeo tibi magnam gratiam. Certè enim is & diligitur à me, & per se dignus ipse est, quem tu quoque diligas: est enim summa modestia, & summa probitate præditus: doctus præterea, & elegans, & cum laude versatus in vtroque genere scribendi. Sed hoc tu facile pro tuo singulari ingenio perspicere per te potes. De me autem ipso si cupis nosse qui nostet status sit: Ego Carpentoracti habito, quo veni ante diem V. Nonas Maias, id tandem assecutus, quod & meæ quietis causa tantò antè optaueram, & Deo immortali iam diu debueram. Locus ipse ab omni terrore & tumultu liber: hominum secunda in nos voluntas: ocij iam non spes, neque desiderium, sed certa, & haud dubia possessio. Denique omnia eiusmodi, vt planè me in limine positum beatæ vitæ fuerim arbitraturus, nisi ad mea priuata incommoda Reip. calamitas quoque tanta accessisset. Nam quòd ego fortunis omnibus spoliatus, tanquam naufragio facto, nudus ad littus euaserim: non tam graue mihi quidem est, iam vsu & ratione edo-

do, ferenda esse fortiter vulnera fortunæ (etsi quod fuit grauissimum, libri quoq; mei eandem calamitatem subierunt) quàm audire vrbem omnium nobilissimam, domicilium Imperii ac dignitatis, sedem & patriam omnium nostrum, ita captam ac direptam: clades, cædes, strages tot, tamque inauditas, ab hoste immani & impio fuisse factas. In quibus & Pont. Max. quem ego incredibiliter amo, indigni casus: & multorum præterea charissimorum atque amicissimorum hominum mortes & exilia, me vehementer perturbant. In quo angore animi etsi ea requiro ex studiis doctrinæ doloris solatia, quæ mihi adiumento & leuationi esse possint: tamen haud ita multum vsque adhuc profectum est. Omnē enim medicinam vincit dolor: nec sic possum studere constantiæ, vt obliuiscar humanitatis. Sed hæc Deus viderit: cui me totum addixi. Ego si ab his difficultatibus quæ me plurimæ præmunt, & ab omni parte circumsistunt, respirare aliquando cœpero: efficiam profectò, vt aliquis studiorum meorum & ocii fructus appareat, in quo præclaram tuam voluntatem imitabor: ingenium & facultatem non assequar. De omnibus autem scito tuam iudicationem fore. Vale, & nos dilige. Nauagerio tuo, & M. Antonio Michaeli nostro, Nigro, duobus Teupulis, cæterisque amicis (sunt enim vtique nostrum fermè communes) plurimam meis verbis salutem dic. Carpentor. III. Non. Nouemb. M.D.XXVII.

IV.

IAC. SADOLETVS EPISC. CARPENT. *Petro Bembo, S.P.D.*

NOLI admirari, si & mea, & tua expectatione serius, meas hasce dedi, ad tuas amicissimè atque humanissimè scriptas literas: morbo impeditus satisfacere officio non potui: quo tamē leuari iam videor. Itaque vt primum facultatem nactus sum, non commisi, vt desiderares à me hoc officium: vel ego potius vt desiderarem. Miro enim studio tenebar respondendi tibi: cùm vsq; eo accurate, & suauiter mihi rescripsisses, vt omnem amorem tuum erga me in illis planè literis intueri liceret. Nam & iucundam memoriam vetustæ inter nos beneuolentiæ declarabant: & societatem doloris eius, quem ex communis Reipub. calamitatibus vterque nostrum suscepisset: & quod maximè tua virtute & prudentia dignum erat, leuationem à molestiis, quam & tu adhiberes, & mihi ipsi censeres esse adhibendam. Quorum alterum manineri animi & misericordis, commoueri aliorum miseriis: alterum etiam sapientis, si quid ad te priuatim iacturæ peruenisset, scire adhibere ea solatia, quæ ad continendum animum in officio, apta esse videantur. Itaque ego, etsi mea sponte non admo-

dimimbecillus, tuo tamen hortatu atq; exemplo fortior factus sum: nam me quidem non tam priuatæ meæ difficultates mouebant, (quæ, quanquam multæ, & magnæ, tamen non tam acerbæ, quia graues: quàm tolerabiles, quia non nouæ videbantur) quàm tot innocentium atq; amicissimorum hominũ exitiis, tanta Latini penè nominis internicione, perturbabar. Præsertim cũ & is Pontifex in crudelissimorum hostium venisset potestatem, quem ego summè amarem: & ea vrbs oppressa esset ac direpta, à qua ego essem & fortunæ meæ subsidia, & artium optimarum ornamenta (si qua modò sunt in me) omnia consecutus: quo etiam difficiliùs mihi erat ad consolandum ratio, quàm fuerit tibi. Tu enim quibus auxiliis summæ virtutis, & prudentiæ, ad confirmandum animum vsus es: ea ipse domo, atq; abs te ipso attulisti. Ego quæ solatia meo dolori adhibere cogito, ea ab vrbe illa ipsa accepi, cuius causa mihi maximè dolendum est; vt idem mihi doloris monumentum sit, quod deberet esse leuatio. Itaq; illæ ipsæ literæ, quas tu proponis nobis, & quarum certè nos ope & auxilio plurimum vti cogitamus, planè hærent in ancipiti & conturbatæ sunt. Si adsunt mihi, metuunt ne ingratæ sint in illam vrbem, vade sunt profectæ: si desunt, ne parum functæ officio videantur. Sed, quomodo nunc se res habet, consoletur nos profectò tum ratio ipsa tum earum rerum, quæ postea secutæ sunt vis ac natura. Pontifice iam liberato ex impiorum manibus, vrbe Roma reuiuiscente, arbore ea, quæ excisa fuerat, tanquam ab radicibus, deintegro fruticante: nisi grauiter pertimescerem, idque videre iam viderer, ex tantis, & tam acerbis calamitatibus, quas per tot annos Italia passa est, gradum potius aliquem ad futura mala iactum esse, quàm præteritis cumulum adiectum. Quòd si tu aliter sentis, habesque in alteram partem quod potius sequare: quæso me hoc metu quàm primum libera. Dices: Quid ergo? etiam si hæc ita futura sint, idcircóne angoribus dedere nos debemus? Minimè hercule istud quidem: neq; enim est fortis viri pendere ex alieuis euentibus. Sed tamen φιλανθρωπία quædam est, quæ nos afficit: cogitque, vt vultum ex vultu, sic animum ex animis necessariorum nostrorum immutare. Quantum autem mihi & tibi cum Latio sit, quantum cum Italia, quàm arctum deniq; cum ipsa vrbe Roma vinculum intercedat, non solùm coniunctionis, sed sanctissimæ cuiusdam quasi necessitatis, magis perspicuũ est, quam vt commemoratione egere videatur. Qui propter, vt hanc orationẽ totam iam concludam, & ita fero fortiter cõmunes miserias, vt non obliuiscar humanitatis: & sic doleo aliorũ vicem, vt putem mihi nequaquam propterea ab animi constantia desciscẽdum esse. Confugio igitur, te eodẽ hortante & suadẽte, ad literas, quarũ nimiũ iam diu cõmertio & assiduitate cõsuetudinis carui,

Quo

Quo quidem ipso fit, vt tibi nihil possim ex eo genere in præsentia mittere quod lectione dignum sit: dies fortasse aliquid adferet & meæ spes, commentationesq; non semper abibunt irritæ. Sed abste, quê librum Vrbinatem te scribis confeciſſe, cũ ego auidè expecto. Recordor n. primo illo fœtu cùm eum recens peperisses, quantopere mihi is liber arriserit: quàm mihi mirè placuerit & elegantia in eo sermonis, & copia, & grauitas ipsa, ac prudentia. Quæ cùm ego tum plena iam & perfecta esse arbitrarer: tu tamen homo lynceus, & acutius cernens, quàm cæteri omnes, perspiciebas animo quiddam præstantius, quò nos ne cogitatione quidem aspirare possemus. Ita multorum annorũ mora & lima, & retostatem illi ac dignitatem, & nobis desiderium legendi auam. Quòd si certos nactus fueris, qui deferant, (nam vt non tuto committas, minimè postulandum est) gratissimum mihi feceris, cum mihi quàm primum miseris. De Bino meo quòd ista in illam voluntate es, & lætor, & habeo gratiam. Scripsi ego ad eum statim acceptis tuis litetis: sed ita acciderat, vt cùm eæ mense Decembri datæ essent, mihi Mattio deniq; redderentur: quo tẽpore ille Venetiam excesserat, & ad Pontificem erat profectus. Vbicunq; is erit, tamen magno illi honori & emolumento semper erit, tã domus tua ac familiaritas: tum apud cæteros autoritas & cõmendatio. Quod quidẽ eo cupidius manere illi saluum apud te opto, quòd duriore adhuc fortuna conflictatus exitũ suorum consiliorum etiam nunc nullũ videt. Nos hîc viuimus in fortuna tenui, de reliquo sat contenti, nã & amœnis in locis sumus, & in amore omnib. quodq; eunctorum maximũ est, quæcunq; pacem & tranquillitatem animi turbare possunt, omnia penitus ex animo ipso eiecimus atq; expulimus. Itaq; nullã iam cogitamus, nisi eã philosophia habere rationẽ, quo in genere vt aliàs scripsimus, te adiutore potissimũ & duce vti meditamur. Egidiũ Cardinalem minus commodè valere mihi valde molestum est. Amo n. hominem maiorẽ in modum. Nam cũ omni eximia virtute & humanitate præditus est: tum & mihi, & tibi semper fuit amicissimus. In tanta autem penuria nostri temporis vitorum talium, & amandus & colendus à nobis præcipuè est. Ei vt plurimam dicas meis verbis salutem, itemque nuncies. ad eum me scripturum fuisse, nili valetudini eius parcendum esse duxissem, vehementer te rogo. Vale mi charissime & suauissime Bembe, nosque vt facis dilige, communibusque amicis salutem à nobis dic. Vale Carpentoract. prid. Idus Matas, M. D. XXVIII.

V.

IAC. SADOLETVS EPISC. CARPENT. *Hieronymo Nigro, S. P. D.*

EX eis literis, quas abs te IV. Idus Iulij datas, V. Calen. Septem. accepi, cognoui, quod per mihi gratum fuit, te ex illo acerbo & horribili casu, quo vrbs Roma, & totius ferè Italiæ reliqua dignitas, immanis barbariæ fluctibus oppressa est, amissis rebus cæteris saluum ipsum atque incolumem in patriam reuertisse: quod & de te cognosce, & de aliis item nonnullis qui ob virtutem & amicitiam mihi sunt charissimi, non mediocre mihi solatium in meis maximis dolotibus præbuit. Quanquam enim, vt tute scribis, fortunis spoliari graue est, præsertim innocenti, cui nullo ipsius merito ista accidunt: grauius etiam amittere optimorum studiorum lucubrationes, multis vigiliis, & multo sudore diu collectas: tamen ea vis malorum, & tantus concursus omnium calamitatum fuit, vt non pessimè cum illis videatur esse actum, quibus libertatem in hoc tempore, & salutem tueri fuit licitũ. Quod tibi & aliis pleriſque tui similibus, meis familiarissimis, Dei immortalis ope & auxilio contigisse lætor. Nam quod ego sapientia quadam videar consecutus, vt abfuerim in tam acerbis rebus, atque temporibus: nequaquam id mihi arrogo, sed hoc eiusdem Dei erga me beneficium agnosco, gratiasque ago illi, quantas equidem possum. Nam quas debeo vt agam & referam, non modò meæ, sed ne vllius quidem humanæ facultatis est. Certè enim si quid ego vidi, aut præmonui: si quid in me aut boni sensus in tanto rerum motu, aut prouidentis in posterum consilii fuit, totum id fuit à Deo: cui dum cupio dare eas operas, quæ à mea fide & à pietate mea requiruntur: quid mirum, si ita accidit, vt bonũ consilium euaserit sapientia? Nec verò ego aliud medius fidius statuo esse sapientiam, quàm meminisse vnumquemque, quid sui officii & muneris sit: idque cum fide & cum integritate præstare. Quod si hi fecissent, qui maximè debuerunt, (de summo Pontifice non loquor, cuius mihi virtus, clementia, integritas semper visa est non solùm magna, verùm etiam admirabilis) quod nunc ad omnium iniurias & contumelias proiectum est, in pristina sua veneratione maneret sacerdotium. Sed recordaris profectò reliquorum ordinum, morumque communium labem & confusionem: quos ego accusando non insequar: non quia causa fuerint vniuersæ calamitatis: sed quia non possum commemorare sine dolore, quæ & vrbi omnium nobilissimæ & hominibus multis mihi necessitudine iunctis, infanda & atrocia contigere. Illud dico, quod sentio, Deum hominesque contestans, cupisse optimum Pontificem mederi moribus perditis. Sed cùm res ferro egeret, non malagmate: ipsius autem natura & lenitas à vehementioribus remediis abhorreret: vt in corporũ solet morbis, sic in corruptis moribus, quæ intempestiuè adhibita est, auxit morbum potius medicina quàm leuauit. Mihi quidem sæpe summi Pon-

mi Pontificis virtutem ac probitatem, beneuolum etiam aduersus ipsum me animum, egregiamque humanitatem, mecum reputanti, sic amore animus incenditur, non aliquo nouo videlicet, sed illo vetteri & diu antè susceptо: vt interdum mihi peccare videar, quòd non præstò sim, tantarum illi miseriarum & consolator, & comes. Quòd si non his vinculis sanctioribus detinerer, nec tanti munere officij Deo essem astrictus: aut si arbitrarer, posse me vnà cum Dei, & Christianæ Reipublicæ honore ac commodo, illius saluti, dignitatiq; prodesse: crede mihi, quo minus me in omne demitterem discrimen, non periculo vllo, non vlla proposita acerbitate deterrerer. Sed rem intelligo adductã in eum locum, vt lugendum tantummodo nobis sit, nec meam vicem mihi quidem (quoquo enim modo se haberes, mea nauis est in portu) sed humanitate vincor, & mollicia animi quadam, vt aliorum incommoda ducam pro meis. Nam me, etsi eadem, quæ tam multos pessumdedit, fortuna afflauit: quod meis & meorum familiarium non tam fortunis, quam reliquiis veterum fortunarum amissis, omnes ad me nudi atq; egentes confugerunt: tamen quoniam ferte hæc modicè didici, vel natura, vel consilio, vel etiam vsu planè doctus: viuo autem degoq; & in ea gente regioneq; terrarum, quæ pace & concordia inprimis fœdata est, & in eo obeundo munere quod mihi maximè congruens & honestum est: non meam vicem doleo, sed aliorum. Nam mihi quod ipse gratuler habeo potiùs, quàm quod lugeam. Eorum verò, quos amaui, amoq; incommodis quin mouear, fieri nullo modo potest. Habeo tamen spem, & rationem quandam, quæ mihi, vt in malis, non parum solatij affert: illam videlicet, quam ad Deum ipsum refero: quem scio, & noui, ita irasci solere peccatis hominũ, vt sibi solui eas pœnas velit, quæ illis ipsis, qui deliquerunt, vtiles sint & salutares. Quam eandem rationem reputantem (petis enim à me per literas, vt tibi aliquid consulam, quod sit leuamentum doloris tui) volo bene sperare de reliquis rebus. Cui enim castigatio fuit, eidem erit Deo salus nostra curæ. Porrò ea magis ex virtute & religione, & probatis moribus quàm ex opibus multis & lauta supellectili spectanda est. Quòd si multò minore in bono læsi fuimus, vt in eo quod maximum bonum est, augeamur, quis lugeat iure? neq; hanc felicitatem quandam potiùs, quàm calamitatem fuisse ducat? Sed de his satis. Ego te tuos labores, & studiorum vigilias perdidisse, valde molestè fero: quod mihi idem accidit, casu propè mirabili, euentu tristiore. Cùm enim direptis rebus cæteris, libri soli superstites ab hostium iniuria intacti, in nauim coniecti, ad Gallicæ littus iam peruecti essent: incidit in vectores, & in ipsos familiares meos pestilentia. Quo metu ij permoti, quotum ad littora

nauis appulsa fuerat, onera in terram exponi non permisere. Ita asportati sunt in alienas & ignotas terras: exceptisq; voluminibus paucis, quæ deportaui mecum huc proficiscens, mei reliqui illi tot labores quos impenderamus, Græcis præsertim tot codicibus conquirendis vndiq; & colligendis: mei tanti sumptus, meæ curæ, omnes iterum iam ad nihilum reciderunt. Ex quo sat perspectum est, præter communes cũ genere Italo hoc tempore inimicitias, proprium aduersum me bellum gerere fortunam. Sed nihil illa proficiet: maximum habeo in summo Deo, non paruum in æquitate animi perfugium. Non me tantum quotidianæ illius iniuriæ conuellunt, quantum assuefaciunt ferre hæc humana fortiter atq; constanter: atq; eò quidem fortius, quòd Deum mihi patronum non deesse intelligo: nullo hoc merito, nullis virtutum officiis fateor. Sed quid refert, si is adest tamen, meque ipse & protegit, & tuatur? cuius, quò minus ego illis dignus sum, hoc sunt maiora erga me & præstantiora beneficia. Pro quibus vtinam aliquando gratus in illum esse possim. adnitar quidem certè, maiusq; etiam donum eius agnoscam, si gratus fuero: quàm cætera cuncta pro quibus gratia debeatur? Quid ergo est? hoc vulnere quo nullum grauius studiosis hominibus infligi potest, amissarũ scilicet vigiliarum & lucubrationum, tu leuius multò percussus es, cui ingenium & ætas suppeditat, quàm ego: cui quantulum quæso est reliqui? Sed tamen ne sic quidem deficio animo: tibique autor sum, eadem illa studia acrius repetendi: vt non plus detractum fortunæ iniuria, quàm per diligentiam additum esse videatur. Illud fuit extremum in tuis literis, velut approbatio amoris erga me tui: quod scribis nihil tam optabile tibi esse, quàm esse apud me, & hoc ocio frui mecum. In quo, ne viuam mi Niger, si tibi concedo, vt tu me cupidiùs appetas, quàm ego te. Amaui semper plurimum ingenium, probitatem, sedatum animum, spectatos mores: sed inprimis tuum bene mihi perspectum erga me amorem. Quò minùs autem, quod summè cupiebam, aliquod illustre ad te commodum atq; ornamentum ex nostra amicitia proficisceretur: meministi profectò quæ res fuerit impedimento. Quod nunc quidem vertit in bonum: si quidem minus malum est carere, quàm amisisse. Quæ autem sunt in his locis, eiusmodi sunt: vt animus si sit æquus vacuusq; cupiditate, nihil fieri possit amœnius, &, si his rebus contentus esse possit, hoc est, paulò minùs quàm mediocribus: ocii quidem & honestissimarum ac iucundissimarum voluptatum affatim est: quodq; imprimis tibi esse gratum scio, summa nostra in te constat beneuolentia. Sed de re tota tuum consilium est, vtrum videlicet, & quando. Nos quidem tui sumus. Lazarum queror ita nostri oblitum, vt nihil adhuc ad me dederit literarum. Nec puto tamen ab eo me non amari,

quem

quem ego mirificè diligo. Eum de hoc commonefacias velim, multamque & illi, & cæteris amicis salutem à me dicas. Vale mi Niger, & nos amare perseuera. Iterum vale. Carpentoracti, V. Id. Septemb. Anno M. D. XXVII.

VI.

IAC. SADOLETVS EPISC. CARpent. Federico Fregosio Archiepiscopo Salernit. S. P. D.

PAulus ad nos reuersus, simul vt in me incidit, ipso primo aspectu & colloquio, statim interrogatus à me nunquid Lugduni tecum esset congressus, & te, quod tantopere cupiebat, conuenire potuisset: Ego verò & conueni hominem, & multum cum eo vt essem, valde mihi ex sententia contigit: neque arbitror, inquit, alios dies mihi in vita illuxisse iucundiores, quàm hos, quibus frui tanta virtute atque humanitate fuit licitum. Tum multa de te, de moribus, de literis, de omni genere sermonum, consuetudinumque tuarum est locutus. Quæ cùm ego audirem, meo perpetuo de te iudicio consentanea, non mediocriter lætabar, prædicationem veterem nostram huius quoq; adolescentis asseueratione & testimonio confirmari. Qui (quod mihi credas velim) non paulò est, quàm vsus ferat, & quàm ætas illa postulet prudentior. Sed cùm neq; ille laudandi & prædicandi, neq; ego percontandi finem facerem, is dies in sermonibus de te nobis totus consumptus est. Non enim satiari poteramus, cùm quem ego amorem erga te diuturnum iam dudum & stabilem conseruarem, ille eo recente flagraret. Quod mihi quoq; accidisse recordabor primis illis temporibus amicitiæ nostræ, ac familiaritatis: quibus ita eram studio tui, propter tuas eximias & maximas virtutes incensus, vt tum demum conquiescerem animo, cùm tecum essem: neq; aliud tempus vllum gratum mihi atque optatum accideret. Eisdem nunc vestigiis Paulus ingressus, ab eadem virtute tua, quæ me cepit, ipse quoque arreptus est: vt in amore tui & obseruantia habiturus sis posthac non hominem vnum ex nostra familia, sed familiam cunctam. Sed quòd tu aliis occupationibus impeditus, quemadmodum constitueras, in hæc loca venire nequiueris: mihi (vt verè fateat) valde molestum est. Iam enim præceperam animo fructum eximiæ cuiusdam voluptatis, quem in te videndo & amplectendo percepturus essem. Tum autem erat multarum rerum, consiliorum etiam multorum, inter nos communicatio facienda: in quibus & tu sententiam meam penitus cognouisses, & ego tuam exquisissem. Ita parati vterq; nostrùm (sicut ego opinor) vt vter consiliũ attulisset melius, id ambobus

bobus ratum esset. Accidit autem eiusdem fortunæ iniquitate quæ me semper eludere conata est, vt me hæc quoque expectatio summæ iucunditatis frustraretur. Quod si me procuratio Ecclesiæ, & διοικήσεως meæ non tenuisset, quam hoc tempore obire more maiorum & explorare est necesse: nulla res mihi fuisset tanti, vt non ad te subito conuolarem: quod tamen sum, die quidem incerta etiam nunc, sed tamen aliqua facturus. Nam & longo interuallo te reuisere perquàm opto: & quò propiores sumus, hoc te careo ægrius: cui nostræ ægritudini tuo aspectu & colloquio subueniendum omnino est. Quibus autem de rebus ego cogitaram sermones inter nos conferri oportere: eæ res partim ad Rempublicam & ad temporum horum, naturam conditionemq; pertinent: quod genus cùm non satis tuto literis committatur, prætermittere totum est satius: partim in ratione traducendæ vitæ, & in omni genere studiorum literarumq; versantur. De quibus & communicare inter nos etiam absentes, & crebro epistolas mittere licebit. Quanquam in hoc genere quidem, & meorum consiliorum rationes Paulus ad te pertulit: & de tuis mecum vicissim est locutus. Atque vt perspicio, haud ferè dissentimus. Nam quòd tu Hebræas, ego potiùs Græcas secutus sum literas: idem est spectatum ab vtroq; nostrùm. Quid enim interest qua quisque semita, dum eò tamen perueniat, quò veniendum est? Sanè solùm in eo paruula inest dissensio: quòd tu ita sacras literas videris esse amplexus, vt alias omnes reiecteris, & sepositeris: ego sic ad easdem propero, atq; contendo, vt tamen aliarum comitatu velim accedere instructior. Sic enim intelligo, (quod idem omnibus patere arbitror) vt in hisce militaribus & bellicis studiis, quò quis fortior est vir, & imperatori suo acceptior: hoc armis & equis, & omni militiæ instrumento magis curat vt sit instructus: sic nobis in hac cœlesti militia summo omniũ Regi & Imperatori Deo nosmetipsos exercentibus, nullum externum ornamentum, quod huic studio non officiat, esse repudiandum. Sed de his, vt etiam dixi, & scribã ad te accuratiùs, cum sensum tuum omnem ex literis tuis cognoro, & vt ad nos planiùs ipse omnia perscribas vehementer à te postulo. Illud constare debet vtriq; nostrum, quod conuelli nullo modo potest: in omni genere scriptorum, studiorumq; nostrorum, Latinam linguam præcipuè à nobis excolendam esse, qua nec grauior vlla est, nec præclarior: præterquam quod nobis ab eis viris maioribus nostris tradita est, quorum admirabilis incredibilisq; sapientiæ neminem potest omnino pœnitere, in qua quidem ego cum spero te atq; opto vnà cum cæteris artibus optimis, quibus mirificè deditus es, assiduè versari, tum ego certè versor: hoc etiam commodius, quòd tuæ bibliothecæ gratissimo mihi munere copiosior

factus

factus sum. Pro quo ago equidem tibi gratias: sed eas referre mallem quàm agere: cui rei occasionem aliquam aliquando dies allatura est. Tu vt valetudinem tuam diligenter conserues: noscq; quod facis, ames: & te à nobis plurimum amari scias, & si petere videtur esse superuacaneum, tamen abs te peto. Vale. Carpent. Idib. Maiis, M. D. XXVIII.

VII.

IAC. *SADOLETVS EPISC. CARP. FEDERICO Fregosio Archiepiscopo Salerni, S.P.D.*

QVòd cognoui ex literis tuis te valere rectè, memoriam q; mei absentis & beneuolentiam conseruare, eo valde lætatus sum. Quod verò in eisdem literis erat asscriptum, te proficiscentem Lugduno illas ad me dedisse, id mihi nonnullam afferebat molestiam. Non enim possum non cum aliquo morsu doloris ferre: te, cui ego vni omnium hominum cupio esse coniunctissimus: disiũgeruam magis à me, & ad remotiores regredi terras: cùm ego te abeuntem, quem corde & animo amantissimo prosequor, pedibus consequi non possim. Nec videre mihi videor interdũ, quid me retineat: cùm multa tamen impediunt, quibus à spe propinqua videndi & conueniendi tui sum exclusus. Sed quod corpore non possum, id amore equidem & cogitatione facio, vt tecum sim: neq; hora vlla à contemplatione tui absentis mihi præterit vacua. Quòd si liceret vnà esse, vt ego te ad præclara illa studia, quib. aliquando simul fuimus dediti, excitarem: vt te non paterer sine diffidentia quadam, siue aliarum potiùs occupationum concursu, à spe præstantissimarum rerum relanguescere? Etenim visus sum perspicere tuis ex literis sententiam quandam eiusmodi tuam, quasi tu mediocritate contentus sis. Quod sanè nollem, ita enim natura factus es, ita institutus, vt summa ac prima magis spectare debeas. Atq; ego, qui te adhortor, non is sum tamen, qui autoritate multum valeam: aut qui sciam mihi id capere consilij, cuius tibi sum autor: quippe qui negligentia naturæ, vel imbecillitate quadã animi, quotidie multa constituens, nihil audeam aggredi. Verùm non qui ego sim, sed qui tu esse possis, tibi est cogitandum. Quòd si tempora impedimento sunt, rerum q; tuarum rationes ita te implicatum cum multis retinent, vt conseruandi officij causa necesse sit & sæpe te, & à multis perturbari: sustineat hanc etiam fortuna, cum plurimis aliis peccatis, iniquitatis suæ culpam. Nos autem id demus operam, de quo est in tuis literis præclarissimè scriptũ, vt quotidie efficiamur meliores. Et est hæc una tamen omnium maxima præstantissima q; doctrina, quam non Platoni, neq; Aristoteli, sed omnium doctori & creatori Deo acce-

acceptam ferimus. Nam de ratione scribendi, vtrum Latinè inter nos oporteat, an secus, liberum sit vtrique nostrùm. Ego tuis literis, cuiuscemodi illæ fuerint, contentum me fore confiteor: modò accipiam crebrius. In quo peto à te, vt non inuideas hanc exoptatam voluptatem expectationi meæ. Nihil enim mihi potest esse iucundius, quàm de te crebrò, & ex te ipso cognoscere. Quo quidem in munere ego tibi præibo, vt tu me imiteris: sæpiùs ad te scribam, vt eliciam tuas. Paulus in studiis remissior nunc quidem est: quem ego languorem libenter asscribo tempori. Nihil enim est, quòd nolim potiùs existimare in causa esse, quàm naturam, aut voluntatem adolescentis: qui si quo incredibili ingenio est præditus, totum intendere ad optimas artes amplectendas voluerit, næ ille non solùm nobis, qui propinquiores sumus, sed alienioribus etiam magno futurus est ornamento. Nos ambo valemus, neq; valere plurimum optamus, & beneuolentiam nostri conseruare, sicuti à nobis quidem summa ea cum fide & constantia erga te conseruatur. Vale. Carpent. XV. Cal. August. M.D.XXVIII.

VIII.

IAC. SADOLETVS EPISC. CARPENT. Herculi Conzage S.R.E. Cardinali, S.P.D.

IOannes Franciscus Binus, qui tibi has literas reddidit, vir est eis virtutibus ornatus, quas cognoui semper & requiri à te, & amari. Nam cùm in scribendo literarum venustate ac manu omnibus, quos quidem ego adhuc viderim, facilè antecellit: tum verè in dictando, & lucubrando tanta facundia est, vt idoneus fuerit habitus, qui mihi in eo munere succederet: quo, vt tu optimè nosti, Romæ non mediocri cum dignitate fungebar. Est enim meæ disciplinæ alumnus: dedit q; mihi aliquot annos non mediocri mea cum vtilitate operas: tantum q; ingenio & labore profecit, vt in Pontificis epistolis ac diplomatis, facilè iam eius scripta pro meis probarentur. Quod q; paucis admodum contigit, in vtraq; lingua, & Latina, & vernacula, ea videlicet, quæ nùc est Italiæ familiaris, pares progressus fecit. Adiunxit porrò ad has artes, quæ ingenij & doctrinæ sunt, illas quoq; quæ sunt bonorũ & virorum, & morum: iam & fide, & probitate, & omni diligentiæ genere atq; assiduitatis, & mihi, & omnibus prorsus satisfecit. Is, vt dicebam, cùm locum honorificum apud summum Pontificem esset nactus: cum q; & testimonio meo, & suæ virtutis commendatione, Principis summam gratiam ac beneuolentiam obtineret: eiusdem fortunæ iniuria, cuius iniquitate cætera ceciderunt, è summa spe & honore pristino deturbatus est: re familiari sua

sua, quod dutius etiam est, nec satis commodè antea constituta, & nunc penitus direpta. Quod quidem fato quodam meo illi accidit: qui cùm se, & spes ac rationes omneis suas in meam fidem convulisset, vehementerq; ego cuperem illius consulere fortunis, & id sæpius conatus essem: non potui tamen assequi vt id ipsi efficerem. Quod autem fuit proximum, id effeci, vt eum in eo loco constituerem, vbi & sperare vberiora, & adipisci posset. Nunc in his vrbis Romæ & totius Italiæ ruinis, quæ me & communis patriæ, & plurimorum amicorum ac necessariorum incommodis, & imprimis summi Pontificis, quem ego omnibus vnum antepono, cuilli, vehementissimè perturbant: cum ad humanitatem nihilominus pertinere arbitrer, suscipere curam eorum quos & iudicio meo, & beneuolentia sum complexus: existimaui, si res Romanæ ita cecidissent, & collapsæ essent, vt ex tanto, tamq; acerbo naufragio, ne tenues quidem superessent reliquiæ pristinæ dignitatis, ellerq; ipsi Ioanni Francisco reditus ad suum obeundum munus penitus intercluſus: neminem esse digniorem qui potiretur hac gloriam, tali viro opitulandi, quam te, cuius ego & amplitudini semper faui, & virtutem & liberalitatem naturæ sum admiratus. Quæ quidem hoc in te illustriora omnibus videntur necesse est, quòd cæteris Italiæ luminibus extinctis, sola penè tua virtus & nobilitas relicta est. Itaque nequaquam quidem mirum est, si, qui suæ confidunt virtuti, fortuna verò deteriore vti sunt, hoc tempore te intueri vnum, & in te spes suas constituere coguntur: sicut & Binus ipse constituit, & ego vt ita faciat, illi quoque autor sum. Sed quod ad commodum & vtilitatem tuam pertinet, si hunc hominem amplecti tua beneuolentia, & in familiaribus tuis habere instituetis, eiusque operam & industriam in tuis rebus adhibere: parce mihi, & cautè de eo est agendum: ne videar cum beneficium à te petam, potius afficere beneficio velle: cùm præsertim quantum ex tali ministro commoditatis, opportunitatis, dignitatis, principi viro accedere possit, tu pro tuo ingenio & prudentia statuere optimè queas. Quod autem attinet ad me, qui in summo dolore, quem ex rebus publicis capio, hac quoque cura solicitor, vt hominis miseri deditii, omniq; virtute præditi, quem ego summè diligo, tranquillitati & commodo consulatur: peto à te mi optime, & præstantissime Hercules, atque omni animi studio te magno opere rogo, si quid mei amoris residet in te, & si communium studiorum coniunctio, quæ in amicitia vim habere maximam ad beneuolentiam solet, me ex animo tuo effluere palla non est: mihi des hoc absenti, quod ego maximè exopto, voloque, vt hominem hunc, de manu mea, in manum tuam tam benefícam & liberalem acceptum, in familiaritatem

tem & gratiam recipias, velisq; illi apud te esse locum, quò suo labore, industria, fidelitate, amorem tuum & iudicium emereri possit. Quod illum ita maturè itaque officiosè facturum esse confido, vt tu si meo testimonio fidem habere, & mihi morem gerere animum induxeris, quod te equidem facturum non dubito, facilè & quamprimum sis intellecturus, ad tua multa & fortunæ & familiæ ornamenta, ex huius hominis familiaritate magnum quoque decus accedere. Me quidem tanto tuo beneficio deuinxeris, vt tibi perpetuam pro eo gratiam sim debiturus. Quod vt facias vehementer etiam atq; etiam rogo. Vale. Carpentoracti, XIV. Calend. Iulij, M. D. XXVII.

IX.

IAC. SADOLETVS EPISC. CARPENT. IO. *Saluiato S. R. E. Cardinali, S.P.D.*

NOdem menses ferè sunt, cùm ego Carpentoracte, vt meam ipse gererem & gubernarem Ecclesiam, me recepi: cùm viginti ipsis diebus antè Roma essem profectus, quàm illa acerba horribilisq; clades vrbi illi omnium clarissimæ & nobilissimæ incidisset. Qua mea illinc profectione, cùm res illas libenter relinquerem, ab vno Pontifice Maximo & clementissimo ægrè fui diuulsus. Amo enim eum, & amaui semper: nec meo in illum studio & voluntate quicquam adhuc in vita expertus sum ardentius. Quo etiam maiorem ex illo grauissimo casu cepi animo dolorem: quem tamen scribendo non persequar, ne & meam ipse molestiam augeam: & te videar velle ad luctum illarum rerum mecum vnà reuocare. Quod autem ad meum officium & obseruantiam erga te pertinet, posteaquam huc veni, cogitaui iam æpius ad te scribere. Nõ enim te fugit, dum Romæ fuimus ambo, te mihi semper propositum fuisse, quem præcipuè colerem: non solùm amplitudinis & dignitatis tuæ causa (hoc enim tibi commune erat cum multis) sed multò etiam magis, quod tu mihi videbaris, in illo genere & ordine, vel solus, vel certè cum paucissimis, antiquæ illius virtutis exemplum retinere. Eram igitur tibi ex animo deditus: neq; tu id nescis. Quam meam opinionem & obseruantiam confirmabat, tum insignis beneuolentia, qua fui semper coniunctus cum patre tuo clarissimo viro: tum tua erga me perpetua præstantiq; humanitas, cuius nullo tempore obliuisci possum. Cogitaui igitur scribere ad te. Sed cum nullum supperetret, (his quidem temporibus miseris, perditisq;) argumentum, quod vel mihi scribenti, vel tibi meas literas legenti, esse aptum videretur, distuli vsque in hunc diem: nec medius fidius, quò nunc habeam magis quid scribam, quam habuerim antea. Sed quia quicquid

quid nunc demum scripsissem, id te putaui placatiore animo esse lecturum: cùm non solùm dies, id quod omnibus commune est, sed etiam prudentia, quæ tua laus propria est, sedasset in te animi molestias. Quanquam qui sedari possint, non planè perspicio. Non enim sunt nostra mala eiusmodi, vt si in vna parte offensum sit, in altera sit prosperè actum. Sed cùm vno interitu omnia iaceant prostrata, vbi amplius spe nulla nitamur, non habemus: nisi ad eum solum respiciamus, qui altissimum posuit refugium suum: quò videlicet, neq; mali flagellum aliquod, neq; fortunæ temeritas potest aspirare. Quod equidem oro, optoq; quotidie, vt ita fiat. Sed si cæteris non possim, mihi quidem ipsi consulere potui: habeoq; constitutum, nequaquam amplius posthac à summi Dei cultu ac famulatu me seiungere, cui vni sum dicatus ac deditus: hoc arctiore fidei & deuotionis vinculo, quàm plerique: quod cognoui meam illi salutem & libertatem esse curæ. Itaque certum est, quod tempus vitæ reliquum mihi fuerit, id omne ad Dei immortalis cultum, & artium optimarum studia conferre. Quod scribo ad te aliquanto liberius. Sensi enim, te nunquã abhorrere à talibus consiliis, quæ cum Deo coniuncta sunt: quæ qui debidere & aspernari solebant, cùm opes & potentias nimiũ sectarentur, intellexerunt, ipso euentu docti, falso se consilio à veris rationibus aberrasse. Sed de his hactenus: neq; enim hæc eiusmodi sunt, in quibus immorari admodum lætabile sit. Ego quem amorem, quamq; obseruantiam erga te iam inde ab initio nostræ coniunctionis cœpi, perpetuò sum conseruaturus. Tu me vt diliges, & in tuorum numero ducas, tibiq; deditissimum esse existimes, magnopere à te peto. Vale. Carpentoracti, III. Nonas Februarij, M.D.XXVIII.

X.

IAC. SADOLETVS EPISC. CARP. IOANni Saluiato S.R.E.C.S.P.D.

TVis literis plenissimis humanitatis & beneuolentiæ, quibus ad meas rescripseras, nihil adhuc respondere potui, morbo impedirus, non negligentia retardatus. Fuerunt autem illæ, vt quidem esse debuerunt, mihi iucundissimæ. Nam & memoria mei tua mirum in modum me delectauerunt: & in optimam partem accepi, tum iudicium, quod ipse de me in illis faciebas: tum consilium, quo cohortabare, vt nollem hoc tempore deesse reip. in tot annos summa cum fide & diligentia seruiuissem. De iudicio quidem, quòd tibi ego idoneus videar, in quo sit aliquid opis & adiumenti reipub. (quando hoc ita accipio, vt id tui potiùs erga me amoris iudicium esse putem, quàm vllius meæ virtutis testi-

monium) habeo tibi magnam gratiam. Talis enim viri beneuolentia satis mihi pro illustri testimonio est. Quòd verò aut me deceat, aut id vera & recta ratio à me postulet, vt referam me rursus in illos fluctus, ex quibus Dei immortalis incredibili benignitate semel ereptus sum: quanquam in omni genere prudentiæ plurimum tibi tribuo, tamen in hoc planè quidem non assentior. Est enim meum mihi munus attributum, quod nec deserere debeo, neque ab hac mente, illius piè rectèq; administrandi, ipse deseri. quod quidem ego perspicere non possum, quo pacto absentes probè administrent, cùm ego ipse qui adsum, attendoq; re experiar, hanc vnam omnium maximè laboriosam & difficilem esse prouinciam. Sed vt hoc mutari conuellíq; possit: quis mihi præsterit, ritè omnia deinceps in vrbe auctum iri? optimus quidem & iustissimus est Pontifex: sed cuiusmodi cæteri ordines? cuiusmodi tempora? Qui hominum mores? Nos verò qui satis diu satisque vehementer illis rebus dedimus operam, & al qua inseruiendo reipub. naufragia iam fecimus, aliquando littus portumq; nacti, obnixè illum teneamus. Equidem quod reliquum dabitur vitæ, id etiã Deo & musis sic impendere totum decreui, vt aliam nullã cum quoquam cogitem habere rationẽ. nec despero in hoc ipso quoq; genere vitæ, fore me & ipsi summo Pontifici, quem incredibili quodam amore prosequor, & cæteris amicis ornamento aliquando ac voluptati. Tantum tenere mihi hanc tacem animi, & hunc fructum tranquillitatis, quo mirificè perfruor, ad diem vitæ vltimum liceat. in quo mens quidem mea perquàm est constans, sed fortuna est ipsa pertimescenda, cuius tanti & tam varij sunt ad lædendum conatus, aduersus quam illo perfugio vti meditamur, quod est vnum omnium certissimum & maximum, vt in Deo ipso omnis spes vitæ, omnia subsidia fortunæ constituamus: qui si fuerit nobiscum, quis contra nos erit? Atq; hæc pauca ad te, velut excusans opinionem meam, si non ea est omnino sententiæ tuæ consentanea: cùm præsertim probè intelligas ipse, etiam si in me esset ingenium atq; eloquentia, quæ quidem perquàm minima est, quàm nihil tamen illa profectura sit in tam auersis ab æquo & bono, cunctorum moribus ferè & voluntatibus: quæ non modò nihil appetunt rectum, neq; honestum: sed ne in eo quidem ipso, quod perperam appetunt, habent certam & constantem rationem appetendi. Sed hæc fortasse plura, quàm oportuit. Quòd autem priuati iam tecum officij est: quòd tu meam beneuolentiam & agnoscas erga te, & tuam mihi ipse vicissim tribuas, meque in numero ducas tuorum: vehementer (vt verum fatear) mihi gratum est: tibiq; confirmo, si quid aliquando euenerit, vt re ipsa declarandum sit, quo sim in te animo: me non solùm æquaturum, sed (si licebit) superaturum etiam tuam de

me

me opinionem. Tu vt mei memoriam conserues, hominiq; omnibus ingenij & virtutis ornamentis prædito, Alberto Pio Carporum principi, plurimam vt dicas meis verbis salutem, te magnopere rogo. Vale. Carpentoracti, III. Nonas Maij, M. D. XXVIII.

XI.

IAC. SADOLETVS EPISC. CARPENT. *Des. Erasmo Roterod. S. P. D.*

ACepi tuas literas, Basileæ Calen. Octobris datas, in quibus erat manu tua asscriptum, alteras te eodem exemplo antè dedisse: quas non acceperam: Sed & hæ tardiùs huc allatæ sunt, medio enim Nouembri mihi sunt redditæ: Quas habui, mi Erasme doctissime, omni ratione gratissimas. Nam & effigiem tuæ eximiæ virtutis, summæq; humanitatis, mihi ante oculos totam posuerunt, quam ego semper soleo & mirari, & amare: & tuæ erga me singularis beneuolentiæ fuerũt mihi fidelissimæ testes. Quòd enim tanta de salute mea cura susceperis: atq; vsq; eò fueris sollicitus, quoad habueris certum, quid me factum esset: meq; in his locis constitisse cognoueris: amici nimirum animi, & egregiè beneuoli, hæc magna est significatio, in qua ne viuam mi Erasme, si tibi concedo, vt in amando me sis superior. Multa equidem quæ in te sunt, atq; haud scio an multò plura quàm in quoquam alio, dilexi semper & admiratus sum, ingenium, eruditionem, copiam: atq; illud imprimis, quòd tu ista tantæ doctrinæ ornamenta ad pietatis studium, & ad Christi celebrandũ nomen contulisses. Huic verò tuo tanto in meipsum amori, etsi animo beneuolentia sum par, verbis tamen & literis satisfacere non possum. Dum enim auidè cupio exprimere quàm me tibi deuinctum putem, mihi nec stylus, nec oratio suppetit: quòd tu per te melius poteris existimare. Sanè, quod ad me attinet, admirabili Dei beneficio salus mihi tum & incolumitas est inuenta, cùm viginti diebus ipsis ante miserrimum casum Romæ, ex vrbe illa exiuiter habens ad Ecclesiam meam, & in ea residere, quod reliquũ esset vitæ, constituens: quo quidem voto iam antea Deo eram obstrictus. Nec verò dubito, quin recta & grata Deo hæc voluntas, cuius meæ incolumitatis extiterit. Nam mea reliqua eiusmodi sunt, vt mihi illius magis misericordia sit opus. Sed quò ego minus meritus sum, hoc summi eiusdẽ Dei clementiæ & benignitati maiora me deberur gratia. Meas quidẽ fortunas omneis, acerba misi vrbis fortuna eripuit. In his ipsam bibliothecam, quam ego Græcis & Latinis libris magna diligentia vndiq; comparatis, retinebam: quæ omnium fuit, vt & tu existimas, & ipse sentio, ia-

ctura grauissima. Sed tamen omnia in partem bonã accipienda sunt. De Bembo meo nihil est quod labores. Is uno etiã tum Leone, morbo coactus, cœli mutandi causa, contulit se Patauium: ibidemq; consedit, & nunc quoq; commoratur, totus literis & studiis deditus, omnemq; habens cum Musis rationem: quem ego arbitror pangere profectò aliquid, quod ipsi laudi futurũ sit, cæteris non mediocri voluptati. Vrbis Romæ casum quem plurib. defles, non alterius arbitror eloquentia dignè posse deplorari, quàm tua. Incredibile est, quantũ calamitatis & damni, ex illius vrbis ruina, omni humano generi inuectũ sit. In qua etsi vitia quoq; nonulla inerant, maximã tamen multo partem dominabatur virtus: domicilium certè humanitatis, hospitalitatis, comitatis, omnisque prudentiæ ciuitas illa semper fuit: cuius excidio, si qui, vt scribis, lætari sunt: ij non homines, sed feræ potiùs immanes sunt existimandi. Quanquã hoc paucis usu arbitror contig isse, vt aut nõ doluerit nobilissimæ omnium & multò præstantissimæ vrbis clade: aut si furore quodam vsq; eò debacchati sint, vt hoc illi exitij maliq; optauerint, nunc saturatis odiis non aliqua furoris sui pœnitentia, & vicissitudine rerum humanarum moueantur. Sed de his viderit Deus. Quos tu quod scribis, resipiscere iam cœpisse, cupio equidem vt ita sit: idq; precari Deum nõ desinam: non enim odi illos, quin eos reuerti ad sanitatem opto: sed tamen Deus viderit. Ego quòd te habeo socium huius doloris, neq; parum ex eo me consolor, & de tua optima mente atq; natura egregium iudiciũ facio. Quod vrinã pacis & concordiæ communis aliqua aliquando ratio habeatur: quò meliùs consolari nosmetipsos, & rectè sperare de omni repub. possimus. Nunc & tu prudentissimè scribis, & ego intelligo, omni hac spe (nisi Deo aliter statutum sit) penitus sublata, nihil neq; bonis literis loci, neq; studiis pietatis, relictum iri. Nec tamẽ propterea deficere animo, aut defatigari debemus, quin cuncti, qui artibus optimis imbuti & instituti sumus, subueniamus pro sua quisq; parte huic tanto damno, communiq; iacturæ: & in libris nauemus pacis & pietatis operã, si minus in repub. & in cœtu hominũ possumus. In qua quidem actione & ego elaboro, & te video tantam iam laudem consecutum esse, vt non modò assequi te, sed vix imitari quisquã confidar. Nam quæ nos multo cum labore, longo tempore rudia tamen & imperfecta facimus, tu nullo negotio breuissimo in tempore, planè expolita absoluta q; lucubraris: vt iam nõ in te curæ sit, sed naturæ, orationis ille nitor, & verborum sententiarumq; incredibilis vbertas. Quo etiam minimè mirum tibi videri debet, multos esse obtrectatores tuæ laudis, & inuidos: est enim edita in altũ laus tua, neq; omnes eiusmodi, vt magis eos virtus ad amorem, quam celebritas famæ ad maleuolentiam adducat. Qui tamen abs te contemnen-

mnendi & nihil faciendi sunt: non enim digni sunt, quorum vel habeatur mentio. Ego sicut & amor erga me tuus, meusq; vicissim erga te, & mea natura, & inprimis officium amicitiæ postulat, semper futurus sum, & tuarum clarissimarum virtutum suntor, & dignitatis ac nominis præcipuus amator. Vale. XII. Cal. Decembris, M.CCCCC.XXVIII. Carpent.

XII.

IAC. SADOLETVS EPISC. CARPENT. BONIFACIO Amerbachio Basilienſi S.P.D.

Legi tuas literas, plenas beneuolentiæ, & officij: in quibus quòd merita mea erga te tantoperè commemoras, facis tu quidem abundantia amoris: nam ego eiusmodi officia, quæ similibus tui viris probis doctisq; tribuuntur, magis honestare eos qui tribuunt, quàm eos quibus deferuntur, semper arbitratus sum. Quamobrem si quid egi tui causa, non tam mihi te gratias, quàm me occasioni agere oportet. Atque vtinam, qua in te voluntate sum, tantum mihi dedisset fortuna facultatis, vt magna aliqua in te meum animum meliùs perspicere potuisses: non te fefellisset opinio tua, si quam de natura & moribus meis susceptam habes. Etenim cùm sim virtutis atque doctrinæ planè studiosissimus, teque vtraque earum plurimum valere perspexissem: iam ex eo tempore, quo te primùm Auenione cognoui, amaui te perpetuò postea, nihilq; non tua causa mihi faciendum esse duxi: neq; me meæ semel susceptæ in te beneuolentiæ vnquam pœnituit. Nunc verò, cùm te ostendas tam memorem, tamq; gratum, humanissimisque verbis omne tuum studium mihi deferas, etiam amantis absentem studiosiusq; complector. Quid enim faceres, si aliquo magno beneficio à me esses ornatus, cùm pro tam praua re, tam magnam te mihi debere gratiam præ te feras; omnino omneis habeo causas diligendi tui. Quapropter velim hoc tibi persuadeas, paucos te habere, de quibus tibi æquè, ac de me polliceri possis. Sed hæc factis libentiùs præstabo, quàm verbis. Irenæi librum accepi, quod sanè mihi iucundum munus fuit: gaudeoque ea quæ diu abscondita fuerunt, nostra ætate potissimùm lucis esse reddita. Ego assiduus in literis sum: cudo etiam nescio quid: quod si confecero ex sententia, erit aliquid, credo, ad veræ pietatis studia profectum. Sed incredibilis in me est tarditas: in quo ego soleo Erasmum nostrum maximè admirari, eiusque ingenij vim, & orationis suspicere copiam. Cui tu plurimam salutem dic, tametsi eius quoque literis ipse rescribo. Vale mi Amerbachi, & nos dilige, omnesque istic viros, doctos, qui rectè

pieque sentiunt, meis verbis saluta. Carpentoracti, XI. Calend. Decembr. M. D. XXVII.

XIII.

IAC. SADOLETVS EPISC. CARP. N. SENATUS Tholosani Præsidi S. P. D.

CVm venissem Carpentoracte ad V. Nonas Maias, meæ Ecclesiæ deseruiendi, & Deo in ea operæ officiiq; impendendi causa, rebus Romanis aliquando penitus relictis, quod quidem meum consilium, Dei eiusdem erga me benignitas, & secuti exitus postea, comprobauerunt: quæsiui statim ex his quos scire putabam, quibus in locis esses, cupiens scribere ad te, & fundamenta nostræ beneuolentiæ iam pridem auspicato iacta (si quidem optimum auspicium virtus est) literis confirmare. Cùm autem mihi de te nihil certi responderetur, propterea quòd negotiis publicis à Rege assiduè adhibitus, itineribus crebris distraherere, neq; diutiùs ferè vno in loco consisteres: & ob eam causam, & quod deinde tristibus nuntiis ex Italia multis allatis, & priuata mea incommoda, & multò magis publicæ calamitates animum meum non leuiter perturbauerant, vsq; in hunc diem a scribendo fui retardatus. Nunc verò, depulsis nubibus illis mœroris ac molestiæ, quas mihi in animo tantorum malorũ cogitatio congregarat, cùm (quod solet esse non difficillimum iis, qui in summo Deo spes suas posuerunt) spretis humanis casibus ad serenitatem animi, & ad constantiam me retulissem, statui has ad te dare literas: quas vbicunq; esses, tamen sperauì ad te aliquando perlatum iri, per quas & officio satisfacerem (sum enim tibi pro tuis multis erga me meritis iam pridem valde obstrictus) & renouarem in te, quoad fieri posset, memoriam ac beneuolentiam mei nominis. Egò iam ab eo tempore, quo primùm ad senatum Tholosanũ (cui tu maxima cum dignitate præes) causa Ecclesiæ meæ fuit delata, cognoui meorum procuratorum, hominum probatissimorum, testimonio, qui vir esses, qua integritate, qua prudentia, quanta auctoritate præditus: intellexi quoq; tum illud, te ita esse studiis optimarum & artium & literarum deditũ, vt in eo genere laudis & scientiæ excelleres. Quod quidem ego maximum in homine, si cum virtute innocentiaq; iungatur, statuo ornamẽtum esse. Non enim si rarum est, ideirco desinit esse præclarum. Quin ad splendorem & nobilitatem huius doctrinæ, qua expolitur humanitas, quæq; vna præcipuè animos hominum ad veram dignitatem honestatemq; instituit, addit quandam admirationẽ etiam raritas. Magnum est enim & prorsus admirabile, ira quæri à quopiam in hoc tempore sapientiam, vt ea non ad quæstum vl-

lura

lum, sed tantùm ad bene beateq; viuendi rationem referatur. Equidem his tot tuis ornamentis laudibusq; acceptis, susceperam iam erga te nõ mediocrem beneuolentiam: cùm accesserunt officia deinde tua erga me absentem, meosq; presentes, qui causam meam apud senatũ istum defendebant, plena gratissimæ humanitatis. Offendisti enim illis, te (quòd meæ quieti & tranquillitati, quoad æquitas ferret, cuperes esse consultũ) in tota ratione iuris administrandi, quod tu pro tua singulari iustitia potissimùm obseruaturus esses, habiturũ libenter rationem mei: vt, cùm primùm rectè fieri posset, de te transigeretur: atq; ego curis illis & molestiis omnibus liberarer. Quam voluntatem erga me tuam vsq; adeò memini tum mihi acceptã esse gratã, vt nullum tantum onus gratiæ esse, cuius non me tibi debitorem putarem. Nihil n. est, quod me magis alliciat, vel rapiat potius ad amandum, quàm amoris erga me significatio. Quæ cùm in te nõ mediocris apparuisset, multaq; essent præterea, quæ ego in te nõ probarem solùm, verùm etiam admirarer: memini tum me ita constituere, tanti viri amicitiæ nil mihi esse debere optatius. Itaq; & statim tibi de hac mea voluntate literas misi, & multis mandaui, vt coram eam tibi exponerent. Secuta sunt tempora, quib. tu, Regis tui de tua præstanti virtute, iudicio, ad grauiores res obeundas Tholosa euocatus, ego in illis Italiæ fluctibus versatus, ambo grauibus curis negotiisq; districti, à scribendo cessauimus. Nunc autem, cùm Dei immortalis incredibili beneficio, cui meã salutem cognoui fuisse curæ, ego in portum ex alto tandem peruectus sim: habeam q; constitutũ, quod reliquum vitæ est totum in eo munere fungendo ponere, quòd à me eidem Deo maximè debetur: putaui conuenire beneuolentiæ in te meæ, te de aduentu nostro, omniq; statu facere certiorem: vt scires, me repudiatis pristinis illis vitæ actionibus, quæ, etsi à me non mediocri dignitate tractabãtur, ad illa tamẽ iam aspiranti, quę diuina immortalia q; sunt, impedimẽto magis erãt, quàm adiumento, beneuolum totũ esse in eas literas, & ad ea honestissimarum artium studia, per quę nosmetipsos noscẽdi, & ad Deũ ipsum propiùs accedẽdi, ampla nobis facultas parata sit, quã facillime consequemur, si cum studio veræ sapientiæ cultũ puræ sanctęq; religionis in vnũ quasi complexũ copulabimus. Quod fumus Deo adiuuante studiosè effecturi. Et quoniã te quoq; eadẽ voluntate ad hęc præclara studia propensum esse intelligo: audebo te hortari, non tam ambitione, quã beneuolentia adductus, vt mãdas in sententia, atq; inter publicas res administrãdas, impertias huic etiã curæ aliquid temporis: quò & fructus vberiores vitæ beatæ percipias, & fias ad illa gerẽda atq; tractãda, si fieri potest, etiã instructior. Ego quã semel erga te singulare susceperi beneuolentiã eam perpetuò & cũ fide colebo. Tu si me vicissim, vt spero, & vt instituisti facere, di-

lexeris, mihiq; aliquid aliquando literarum miseris, dabo operam profectò, vt te ne vnquã nec iudicij de me tui, nec nostræ institutæ necessitudinis pœniteat. Vale. Carp. XI. Cal. Nou. M.D.XXVII.

IACOBI SADOLETI EPISC. CARPENTORACTI EPISTOLARUM Lib. II. Epist. I.

IAC. SADOLETVS EPISC. CARPENTORACT. Petro Bembo, S. P. D.

SVBITVS discessus Pauli Sadoleti (qui fratris Patruelis filius, mihi ad manum adolescens, non solùm summa spe atq; indole omnium virtutum, sed ipsis iam virtutibus præditus, repentino nuntio de patris morte coactus, à me profiscitur) facit, vt conturbatiore animo ad te scribam de tuo libro quæ scribenda sunt. Quem ego librum tibi remitto, nactus idoneum hominem, qui perferret. De quo ipso tamen accipe pauca. Lectus enim est à me perdiligenter: mirumq; in modum ea me lectio delectauit. Nam & charissimi amicissimiq; hominis præclara ingenij ac doctrinæ monumenta aspiciens, eum ipsum, quem maximè diligo, visus sum aspicere: & ipsa oratio ac dicendi genus, eiusmodi est, vt nihil nitidius, nihil elegantius, neq; venustum magis possit desiderari, vel in delectu cultuq; verborum, vel dignitate & copia sententiarum. Itaq; ego, qui eas parteis in dialogo gero, quas tu me pro tua in me beneuolentia gerere voluisti, sumq; in illis testimonium illustre tui de me iudicij consecutus, facilè agnosco, in istis ipsis scriptis me multò disertius & commodius loqui, quàm soleam in meis: proq; eo magnam tibi habeo gratiam. Quod enim maximo cum labore, nequeo tamen assequi, id sum tua opera sine labore vllo meo perfacilè adeptus. Ac ad reliquas quidem suauitates, multas ac magnas, quibus me affectum sensi, illa accessit, cæteris non minor, quòd temporum nostrorum, vererumq; dictorum, ac factorum, quæ nobis vnquam inter nos acta & communicata sunt, omnium est mihi memoria ex illo libro renouata, tum cùm erat nostra ætas ad omnem alacritatem & animi hilaritatem longè aptior. Habita quoq; est illustris mentio multorum fortium virorum, quibus cùm vtriq; nostrùm iucundissima fuit familiaritas: quorum partem maximam mors nobis eripuit. Quo etiam tu maiorem officii & pietatis laudem es meritus. Quos enim iuuenis apprimè dilexisti, eos ætate iam prouecta eis honoribus exornas, per quos & virtus vnà eorum, & tui præstantis ingenij laus immor-

mortalitati consecratur. Sed hæc hactenus. Etenim cùm scribam negligentius, simq; animo suspensior, verendum mihi est, ne tanquam omnia conans dicere, parum tamen dixisse videar de eo, de quo nihil satis pro dignitate dici potest. Itaque venio ad alteram partem. Contendisti enim tu a me per literas pluribus verbis, vt in corrigendo & mutando, quæ mihi mutanda esse viderentur, neu stylo parcerem, néue vllam in eo amoris, aut indulgentiæ ducerem rationem. Ergo obtemperare tuis præceptis volens, annotaui nonnulla, hercule magis vt fidem tibi facerem diligentiæ meæ, quàm quòd valde necessarium arbitrarer. Sed malui tibi superstitiosus, quàm parum seruans religionis videri. Ea tu potiò in optimam partem accipies. De reliquo, mi Bembe, aliqua semper inter nos: in quo te non desinam hortari, vt omissis alienioribus scriptis, te ad hoc genus scribendi totum conferas, in quo quidem facilè vueri principem locum potes. Illustrabit, mihi crede, hæc tempora, & nomen simultuum Latina oratio, quæ & grauitatem maiorem habet in sese, & vtilitatem ad omneis res accommodatiorem. Quanquam & hoc, & omnia, multò tu melius. Federicus Fregosius his proximis diebus in Italiam profectus est, matris etiam ipse morte euocatus. Ei ego misi commentarium quendam, in quo de sacris agitur reb. Venetiis imprimendum. De quo si tu quid audieris, (nam non sum ausus hoc genus scriptorum ad tuum iudicium deferre tanquam à leuioribus studiis alienius) peto à te pro nostra amicitia, vt aliquam curam adhibeas, quo sine mendis edatur, hoc sola autoritate assequi potes: & si tibi ostenderis gratum id futurum esse. Nostris communibus amicis, & Colæ tuo, quem ego quoque non mediocriter diligo, plurimam die salutem. Vale mi charissime Bembe, & nos vt facis ama. Carpentoracti, VI. Cal. Iulij.

II.

IAC. SADOLETVS EPISC. CARPENT. *Petro Bembo S.P.D.*

QVOD excusationem præponis in tuis literis, quamobrem libri tui non tam citò missi mihi fuerint: in eam accipio partem, vt tu potius humanitate tibi solita vtaris, quàm quòd id fuerit necesse. Nihil enim tuum, vllo vnquam tempore, venire in suspicionem negligentiæ potest. Et illi quidem auidè expectabantur à me: verùm vt tamen, quoquo venissent tempore, gratissimi futuri essent. Sed, vt perspicio, correxit moram omnem liberalitas tua: cum fenore enim redditi nobis sunt, accepimusque plus quàm speraremus, & quàm fuerat inter nos pactum. Itaque magis est cur tibi gratias agam, quàm quod de tuorum, vt scribis,

tarditate querar. Ego verò illos & legi, & lego: tantumque ex lectione eorum capio voluptatis: quantum verbis consequi non possum. Nam & sermonis nitor atque elegantia, & rerum, quæ inibi explicantur, vbertas, varietas, dignitas, & amicissimi hominis in eis imago ac monumentum, & meus mehercule erga te ipsum amor, omnia eiusmodi, vt miranda mea quædam sit in legendis illis delectatio. Nec multò secus in vernaculis. Non n. credo existimare te, funditus me gustu omnem illiusmodi scriptorum etiam perdidisse: facisq; nonnullam amicitiæ iniuriã, qui me in inuidiam eam voces, tanquã illa sint non mei stomachi: sic n. scribis. Quasi non ego possim pronuntiare cõplura tua in eo genere, quæ olim à me memoriæ mandata sunt, cum Asulanis tuis ediscẽdis, operæ & temporis non minimum impendissem. Sed tu fortasse coniicis ex eo, illa mihi non placere, quod te auocare solebã ab illis literis. Faciebã ego id quidem, sed consilio, vt videbar, bono. Cũ enim in Latinis maior multo ineset dignitas, tuq; in ea facultate princeps mihi longè viderere, non tam abstrahebam te illinc, quàm huc vocabam. Nec studium reprehendebam in illis tuum, sed te maiora quædam spectare debere arbitrabar. Quòd si tu ea magnitudine ingenii es, vt præclarè vtrumque præstiteris, non mea ratio redarguenda, sed tua prædicanda, & ferenda in cœlum est virtus. Paulus quidem meus ita incensus est studio tua legendi, vt satiari non queat, quem hic nos habemus non iam discipulum nunc quidẽ, sed mirificum comitem studiorum nostrorũ. Tantos enim progressus habet in literis, vt eius quoq; nos iudicio in nostris scriptis libentissimè vtamur. De Iouio quod scribis, gratũ est: cognoui ego illum semper mihi amicissimum, & verò etiam tibi. Habet enim ille quod pauci, vt in eadem palæstra, in qua ipse se exercet, aliorum nihil inuideat industriæ: ex quo maiore etiã laude est dignus. Meum quidem consilium huc concedendi, & in his permanendi locis, cùm semper mihi placuit, tũ etiam magis mihi probatum debet esse, si tibi est: & illis, quibus cum te locutum Bononiæ, & illorum opiniones de me inaudisse narras. Quos gaudeo equidem in ea esse sententia, vt probent: sed tu vnus mihi multorum instar: Equidem ipse quod ad mei animi sensum attinet, maiorem indies capio ex eo consilio voluptatem. Non eram enim natus omnino seruituti: & erat tempus aliquod nobis ad recolẽda nostra illa præclara studia sumendum. Tum ætas iam ad ociũ senectutemq; deflexa, me ad requierem, & tanquam in portum inuitabat. Tum autem alia multa. Quanquam quid ego singula cõmemorem cum id ita vt facerem, suaserim mihi omnia? Egi igitur quod putaui esse rectum: quam sapienter, nescio, fortiter quidem, & feliciter certè. Ea enim sunt consecuta, vt qui etiam non ex ratione, sed ex euentis consilia hominum ponderant, meũ fa-

ctum

ctum non sint ausi vituperare. Quare quoniam sumus in portu, teneamus stationem quam cepimus, & quod reliquum fuerit vitæ, honestissimis studiis atq; actionibus impendamus. Deus modò propitius sit, & commodè valere liceat: præstabimus, vt ratio extet otij nostri. Vnus nobis deest conspectus, vel potius congressus tuus, qui nunc quidem foret, vt tu suauissimè scribis, nostrûm vtriq; dulcissimus. Sed quoniam id non potest, simus hac epistolarum inter nos collocutione contenti: quæ quidnam prohibet quæso, vt ne sit crebrior? Amabô, te quando ad eam vrbem es, in qua omnium ferè gentium negotia geruntur, perspice, quorum fide & opera optimè inter nos commeare possint literæ: equidem sequar constitutum tuum. Commentarium meũ planè nolo Venetiis imprimi, ab illo ἀρχετύπῳ duntaxat, qui commutatus fuit pluribus locis. Eum Lugduni imprimendum curauimus: cuius mittimus tibi volumen vnum, verius aliquantum nos quidẽ existimantes, non placiturũ illum tibi, nec tui fore stomachi: nec tã me hercule, quod non præclaræ in eo agantur res: sed quia barbara multa & obsoleta necessario aspersa sunt: nosti enim morẽ huius scriptionis. Tu boni consule quicquid est, & nos amare perseuera, mi charissime atq; optatissime Bembe, amore illo fraterno, quo iam diu coniuncti inter nos sumus germanum in modũ. Flaminium optimum adolescentem, & eundem deditum optimis studiis, Colamque item tuum, cuius ego fidem, diligentiam, virtutem, quotidie pluris facio, saluere iube plurimum verbis meis. Vale. Ex suburbano nostro Carpentor. XI. Cal. Aug. M.D.XXX.

III.

IAC. SADOLET. EPISC. CARP. PETRO *Bembo* S. P. D.

GRATVM est mihi, quod video tibi curæ esse, quemadmodum crebro inter nos per literas colloquamur: quando quod potuit esse gratius, vt liceret nobis garrire coràm quæcunq; in buccam venissent (qui quotidianæ fructus familiaritatis vberrimus esse solet, & suauissimus) nobis fato quodam est ereptũ. Sed tamẽ ne huius quidẽ officii exercitatio despicienda est: est enim & iucunda & dulcis: modò literæ cursum haberent & secundum & facilem. Video enim tuas datas Ianuario mẽse, mihi extremo Maio fuisse redditas, eum hæ prius ad aulam Regis peruenissent, & illinc demum, tanquã errore agnito, ad me se vix aliquando recepissent. Ego tamen in dandis literis sequar institutũ tuum, vt Lugdunum mittam, vnde Venetias postea perferantur, ad Lazarum Bayfium legatum Regis, hominẽ vt ego quoq; cognosce videor, & doctum & perhumanum. Qui cùm ad me prior scripsisset, non existimauit

uit amicitiam petitis altè principiis, & magno ambitu verborum conciliandam esse. Sed scripsit apertissimè & familiarissimè: vtingenuæ suæ naturæ illustre testimonium iam tum mihi dederit. Amo igitur eũ, neq; id mediocriter. Porrò accedet corollarium, mihi quidem non molestum, vt item ad illum semper aliquid dem, quò etiam meæ ad te commodius ferantur. Sed ad literas tuas. Illæ verò, mi Bembe suauissime & optime, admirabile est, quanta animum meum voluptate affecerint: quod, vtrum eloquentiæ in illis tuæ tribuendum putem, an amori in me tuo, qui vndique in illis literis se ostendit, difficile est dictu. Eminet enimuero vtrunque, meque ita delectat, vt nihil vnquam magis. Sed de genere orationis stylique elegantia, vereor, ne si plura dicam, tibi etiam ipsi videar ineptus. Testatum enim iam diu apud omneis est, & qui tu sis, & de te ego quid sentiam. De amore ergo potius, quem tuum esse erga me tantum, quantum audeo optare, & video, & vehementer lætor. Itaque illa quàm suauiter scripta, de mea beneuolentia erga te, tibi planè perspecta, de fratrum nostrorum filiis, de studiis domesticis, de omni cura cogitationeque rerum etiam intimarum? quæ tu tam amanter, tam fraternè singula commemoras, vt non tuas literas legere, sed teipsum videat audire loquentem: quem ego absentem, tanquam præsentem, & audio mediusfidius, & quotidie intueor. Ac (si verum loqui volumus) hoc est propriè amare, communicare videlicet recondita consiliorum suorum: non id quod plerique facimus, cùm nullo argumento proposito accedimus ad scribendum, verbis crebrò iactare, & quasi ostentare beneuolentiam. Sed ne viuam, si concedo tibi, vt plus me ames, quàm ego te amo: qui in hac ratione præsertim, debeam partes ferre potiores. Nam vt mittam initia & ortus familiaritatis nostræ, quorum semper mihi quidem iucunda est recordatio, cùm tu principio à me appetitus, dedisti mihi te promptum & facilem, ac in omni genere elegantem ac perhumanum: vtque reliqui deinceps temporis indicia tuæ erga me voluntatis præteream, quæ & magna & multa sunt: hoc tuo officio quid potest esse constantius, quòd eandem amicitiæ fidem absenti mihi præstas, quam olim præsenti iam diu præstitisti? Namque ego, qui veteribus necessitudinib. relictis, ad nouas atque insolitas fortuna quadam translatus sum: si conseruo memoriam meorum familiarium, quid quæso, aliud facio, quàm id quod natura fert? scilicet vt leniam desiderium animi mei recordatione eorum quos diligo? Tu qui domi cum tuis charissimis remansisti, qui amicis abundas, cuius domus assiduè floret copia lectissimorum hominum: eum me ipsum tanti absentem facis, in amoreque persistis, nec diuturna iam disiunctione nostra quicquam esse imminutum de tua pristina voluntate significas, & beneuo-

benolentiæ in te meæ faces subiicis: & tibi officii summam laudem vendicas. Quæ nulla re à me potest, nisi magnitudine amoris compensari. Sed quid ego? labor equidem longius: etsi enim hæc grata memoratu, minimè tamen necessaria sunt. Quapropterea missa faciamus. Quòd tuus in fratris filio instituendo labor non eum adhuc exitum assecutus sit, quem tu sperares: credasmihi hoc velim, non minus curæ mihi rem eam esse, quàm tibi ipsi. Quid enim interest, vtrum tuus sit, an meus? Sed ego spe quadam adducor, vt confidam, fore tibi illum aliquando voluptati. Multùm enim illum ætas, multùm imitatio domestici exempli adiuuabit: nec boni seminis virtus facilè est interitura. Quapropter suadeo tibi, vt neque spem de eo, neque studium deponas. Meus quidem, cùm est vti ego maximè volo, Deo habeo gratiam. Is te vnum summè omnium colit: miroque afficitur desiderio, tum visendi te, tum arctius adhærendi tibi: cui rei vtique aliqua aliquando capietur occasio. De studiis nostris, in quæ præter expectationem suam, & cæterorum, vterque nostrum delapsus est, hoc de me tibi habeo dicere: visum fuisse mihi, ista magis conuenire huic iam ætati, & huic personæ quam gero, esseque officio meo coniunctiora, quàm illa quæ lucis quidem habent ac laudis plus, sed vtilitatis certè minus. Itaque in hæc iam totus immineo: perfectoque Hortensio, quem habeo nunc in manibus, etsi negotij eius magnitudo penè vt desperem facit, (est enim res prorsus maximi operis) sed tamen eo aut perfecto, aut abiecto, non facilè aliud agere me, neque alibi vspiam, quàm in sacris literis versari cognosces. Tua verò susceptio conscribendæ historiæ, dignitatis plena est (vt ego iudico) non mediocris: nam & honorifico senatusconsulto ad hoc munus vocatum fuisse, eximiæ tuæ est gloriæ: præsertim cùm illud non ambitione expressum, sed sponte, & ipse iudicio senatus exortum fuerit: & tua summopere laudanda ac prædicanda est pietas, non denegasse patriæ hanc operam, vt illius gestæ res tuo ingenio potissimum, grauissimoque testimonio posteritati proderentur. Quare id cupio tibi bene & feliciter euenire. Quanquam non illud quidem tibi tam optandum est, quàm vt incolumis diu valetudine bona perfruare: cætera enim abundè adsunt, per quæ & tui ingenii laus, & Rei tuæ publicæ monumentorum memoria consecretur immortalitati. Tibi sanè ea res cecidit non incommodè: non enim necesse habuisti, id id quod mihi contigit, deflectere à veteretur riculo studiorum tuorum, & velut incognita in via imprimere nouas orbitas, siquidem hoc opus est, (vt ille inquit) omnium vnum oratorium maximè. Sed ne illud quidem assertior, vistum iri hoc tibi difficile, aut laboriosum: quid enim est, quod tibi, pro tuo isto ingenio, istaque doctrina, ac eloquentia, qua insigniter

ter præditus es, aut nouum accidere, aut difficile possit? Verùm de his satis: Colam meum tantopere probari à te, & magnifieri, neque miror, & vehementer gaudeo. De Flaminio idem sentio, quod tu. Lazarum Bonamicũ audio tradere Patauij publicè doctrinam bonarum artium iuuentuti. Eum ego hominem maiorẽ in modum diligo: neque dubito, quin tibi iam factus sit perfamiliaris: summo est ingenio, excellentiq; doctrina. Sed virtus, & probitas, & in omni officio fides atq; constantia, in primis in illo homine amanda & complectenda est. Eum tu saluere iubebis verbis meis plurimum. Credo te memoria tenere, confectam à me olim, cùm Romæ etiam essem, orationẽ quandam in Iudæos, quam ego causam in duas actiones partirii instituerã: sed prior fuit pars tantummodo absoluta, si tamen absoluere est, quod parũ politè efficiar: eam ego nunquam duxi edendam, neq; hercule nunc in alia sum voluntate. Sed cùm flagitanti iam sæpius, & amicitiæ nomine vim quasi afferenti, Herculi Gonzage, homini & nobilitate virtuteq; maiorum suorũ, & suis ornamentis ac laudib. amplissimo, omniumq; & cultu & amore dignissimo, resistere amplius non possim, illam adeũ mitto, (modò n. in fasciculũ coniecta est) hac lege tamen, in quo multis precib. cũ eo ago, vt ne cuiquam omnino copiam illius describendæ faciat, præterquã tibi, si id fortè petiuerit: & si damni nihil putaueris, bonas horas tuas in ea legenda consumere non bene. Quod tibi notũ esse volui, vt cum de meo animo certior factus esses, quid tibi esset faciendũ, ipse statueres. Vale mi optatissime atq; humanis. Bembe, & M. Anton. Michaëlem, quẽ ego vnice semper dilexi, quemq; mei vicissim cognoui amantissimum, saluta meis verbis, etiam atq; etiam. Carpent. XI. Cal. Iulii, M.D.XXXI.

IV.

IAC. SADOLETVS EPISC. CARPENT. Petro Bembo, S.P.D.

CVm haberem plus aliquantũ otij quàm tu, seruani vetus institutũ, vt Latinè ad te scriberẽ: tametsi quacunq; lingua scribatur inter nos, neutri quicquam accidere potest iucundius. De te enim sentio, item vti de me ipso, cui omnis tua epistola incredibilem semper quandam adfert voluptatẽ. Cepollus ille, quem tu mihi commendas, ad me ipse non adiit: literas tuas misit. Ei ego denunciari iussi, si quid opera mea vellet vti, omnia me tua causa, quæ is vellet, esse facturum. Orationem meam tibi tam placuisse, quàm scribis, vehementer gaudeo: & si hoc mihi præter opinionẽ accidit. Semper enim ego de illa fastidiosius iudicaui. Sed tu amore fortasse inductus, quo erga me, & res omneis meas afficeris, honorificentius sentis de illa, quàm res ipsa ferat. Quod si ita est,

ego

ego tamen iacturæ nihil facio, quantum enim de fructu ingenij deperdo, tantum mihi ex amore tuo erga me voluptatis adiicitur. Fregosium nostrum futurum tecum aliquot menses, peream, ni inuiderem tibi, nisi te tantopere amarem. Sed amabô mi Bembe suauissime, dato hoc mihi, vt de vestris mirificis sermonib. aliquid nos quoq; qui absumus, degustare possimus. Id perlepidè fieri, literulis ab vtroq; vestrûm familiariter ad me scriptis: quas ego loco vestri exosculer, & in manibus assiduè habeam, colloquarq; cum iis: & quoniam in viuis capitibus non possum, in imagine talium amicorũ, amori meo in vos incredibili aliquid oblectamẽti, & exoptatæ voluptatis dem. Equidem qui alioquin hic libentes sum, cùm fructus illos dulcissimos vestri congressus cogito, relegatus mihi videor. Sed obdurandũ est: est n. quiddam, quò ego aspirare conor, quod vtiq; esse statuo cæteris rebus præstantius: idque etiam facit, vt tuo amantissimo consilio, quo mihi præcipis, quas parteis in scribendo sequi debeam, minus facilè obtẽperem. De tuis scriptis atq; historiis, in quas ingressus es (vt anteà tibi scripsi) mea summa est expectatio: neq; ea tamen maior ingenij tui viribus. Itaq; iam videre mihi videor, patriam tuam, suis opib. florentem, tuæ vocis testimonio etiam futurã ornatiorem. A Lazaro accepi literas, illisq; respondeo. Te quòd delectet veteris nostræ coniunctionis memoria, haud mirandũ est: nihil n. illa amantius, neq; fidelius. Sanè eadẽ mihi ita iucunda est, vt non solum fructu suauitatis, sed ornamento etiam non mediocris honoris me afficiat. Quippe cũ tibi me esse cordi, vim mihi in se magnam laudis ac iudicij habere videatur. Vale mi charissime atque optatissime Bembe. Carpent. V. Idus Martias M.D.XXXII.

V.

IAC. SADOLETVS EPISC. CARPENT, *Petro Bembo S.P.D.*

CVM Auilam tuum per se libenter vidi, hominẽ (vt tute scribis, & ego semper cognoui) & prudentem, & probum: tum autem, quòd veniebat à te, & è tuo sinu quasi erat profectus, nihil accidere potuit mihi illius aduentu colloquioq; optatius. Itaq; noli existimare, alios sermones biduum illud, quo nobiscum mansit, cum eo mihi fuisse, præterquam de te: Omnia sum expiscatus, quę de homine coniunctissimo, omniumq; mihi lõgè charissimo, aut quærere nostra diuturna iam disiunctio mihi suadebat: aut audire amor erga te meus summus expetebat. Quæ quidẽ cuncta esse sicuti ego maximè cupio, teq; eũ tenere statum, qui sit maxime ad tranquillam & honoratam vitam appositus, & tibi gratulor, & mihi summopere gaudeo. Quoniam n. ij inter nos sumus, vt pro

frator-

fraterna noſtra neceſſitudine omnes noſtri in vnum conſpirent & conſentiant ſenſus: ego in bonis tuis rebus me eundem ſtatuo eſſe atque te, & eadem mihi videor frui fortuna, quando eadem, qua tu, perfruor voluptate. Sed ad reliquas quàm plurimas iucunditates, quas Auilæ aduentus mihi attulit, permagna mihi acceſſio fuerunt tuæ ſuauiſſimæ ornatiſſimæque literæ: quibus ego ſæpiſſimè legendis non tamen ſatiatus ſum: tantum in illis humanitatis, tantum officii, tantum incredibilis cuiuſdam ſpiritæ beneuolentiæ. Atque hæc præterea, ſic ſuauitate orationis omnia condiuntur, nihil vt mihi videar vnquam legiſſe dulcius. Me verò in illis cùm valde delectauit iudicij tui teſtimonium, quod mihi de mea oratiuncula das, plenum vt ego perſpicio, & fidei & amoris: tum verò grauis illa & ſapiens admonitio amiciſſimi mihi hominis imprimis viſa eſt, qua à me requiris meæ priſtinæ vitæ conſuetudinem: eò quòd tibi videar in illum hominem aliquanto acerbius eſſe inuectus, quam moderati hominis natura poſtulet. Ego verò mi Bembe, cum nil tuo iudicio ſtatuam eſſe grauius, facilè ita eſſe adducor vt credam, diſcedo in ſententiam tuam, meque duce erraſſe, quando is tibi videtur error. Sed ego primùm in oratione illa antiquum morem dicendi imitari conatus ſum. Scis enim ipſe, quàm aſperè, quamque vehementer in improbos inuehi ſoliti ſint ij, quorum nobis ingenium atque eloquentia præcipuè probatur. Sordes porrò & amentia, vel feritas potius quædam hominis illius, in quem inuehebamur, ſuſtinere illiuſcmodi orationem videbantur, præſertim cùm tractarem eum locum: nihil magis pernicioſum eſſe Reipub. quàm principum auaritiam, & nimiam pecuniæ coaceruandæ cupiditatem. Is autem in quem ſcribebamus, infinitis in eo genere ſordibus, non ſolùm commaculaſſet famam ſacerdotij: verùm omnia omnino non æquitatis modò, verùm etiam humanitatis iura conturbaſſet. Poſtremò, id quod mihi maximè fraudi fuit, non magis exituram orationem illam putaui, quàm eas, quas nunquam ſcripſeram. Quod quando contigit ſecus, ſi tamen contigit, (eſt enim illa penes amiciſſimos, qui ſciunt me eam vulgari nolle) danda opinor nobis eſt opera, vt actionem alteram aliquando, hoc eſt corpus totum cauſæ conficiamus. Cuius rei cùm tempus venerit, (nam, vt nunc eſt, aliis rebus occupatus ſum) tunc te adiuuante, & ſuppeditante ingenium tuum lucubrationibus noſtris, illa in manus hominum egredietur limatior. Verum de oratione hactenus. Te procedere in conſcribenda hiſtoria, iamque octo annorum res geſtas complexum eſſe valde lætor: ſum enim ea in expectatione, viſuros nos, quod iure comparemus ac exæquemus antiquitati. Ego in eis adhuc ſtudiis verſor, quæ tibi minus probari intelligo. Sed cùm iam pridem opus quoddam incepiſſem, cui perſi-

perficiendo præfinieram hyemem eam quæ iam exacta est, in hoc tempus sum valetudinis incommodo reiectus. Quare æstatis quoque huius vacationem postulo: nam ineunte proxima hyeme constitui omnino reuerti ad Hortensium, omnesque in eo absoluendo adhibere & industriæ neruos, & diligentiæ meæ. Lampridium tecum multum esse, hominem dignum eis studiis, in quibus semper magna cum laude versatus est, plurimum gaudeo: cui tu quòd testimonium eximiæ virtutis apud me das, non fuerat id necessarium: ego enim hominem satis bellè noui. Sed tamen mihi fuit iucundum: talium enim virorum mentione mirificè delector. Lazaro nostro Bonamico rescripsi: eas tu curabis reddendas literas, cumulumque addes salutem illi meis verbis. Itemque Colæ tuo, & M. Antonio Michaeli, cuius mihi assiduè viuit memoria. Tuque imprimis mi Bembe, si nos amaris, curabis valetudinem tuam diligenter, atque ista animi tranquillitate ocioque perfruere. Vale etiam atque etiam. Carpent. VI. Idus Maij, M.D.XXXII.

VI.

IACOB. SADOL. EPISC. CARPENT. PETRO Bembo, S.P.D.

COMMODVM recognoueram librum de liberis rectè instituendis, daturus illum librariis describendum, ad teque postea missurus, vt antequàm exiret in manus hominum, tuo imprimis iudicio penderetur; cum mihi nec opinanti nuntiari iussit, homo & laude virtutis & nobilitate præstans Reginaldus Polus, eras statim se Patauium profecturum, & si quid ad te vellem, me admonuit. Eam ego in crastinum diem expectabam. Sed talem hominem qui perferret nactus, quo meliorem, & certiorem ne optare quidem potui, præcipitaui libri descriptionem: neque vnius manu fui contentus, totusque nunc sum in ea diligentia atque cura, vt is absoluatur, (si modò assequi potero) ad te; deferatur. Quem, oro te mi doctissime Bembe, ita legas, vt persuasum tibi imprimis habeas, me abs te opem expectare, non laudem. Scio quantum tribuam & doctrinæ, & iudicio tuo: iure vtrunque quidem. Quis enim est hac nostra ætate te vno dignior, cui omnium bonarum artium studiosi primas deferant? Sed amor ille tuus mihi perspectus & cognitus, quo me complecteris, interdum dubitare me paululum cogit, ne indulgentius agas mecum, quàm mihi fortasse expediat. Hoc ego vellem, & hoc te etiam rogo, vt ad meam hanc lucubratiunculam perlegendam, eo animo accedas, quasi mihi studeas obtrectare potius, quàm plaudere. Non enim dubito, si talem curam adhibueris, quin aliquot deprehensis sublatisque erroribus, liber splendidior & limatior prodeat. Sed hoc ni-

mium vehementer te rogare, alienum esse videtur à fraterna nostra necessitudine: quæ ipsa per sese admonet vtrunq; nostrum, vt eâ inter nos officia tribuamus, ac expectemus vicissim, quæ veritatem amicitiæ maximè confirment. Equidem, si id tibi rectè fieri posse videbitur, vt aliorum quoq; doctorum hominum de eo iudicia exquiras, libenter concessero. Etiam vt describendum aliquibus des, si quis fortè extiterit, qui hanc & papyrum & operam velit perdere, quòd non nolet fortasse Gonzaga noster vir bonarum literarum sitientissimus. Sed ego ita tibi hoc permitto, si menda prius sustuleris, non scriptoris magis illa, quam autoris. Denique vt tuo periculo cuncta fiant. Nam ego in tua fide, benevolentia, humanitate, totus requiesco. Nigro meo dicas velim, accepisse me eius literas, quas dederas ad me ab vrbe discedens, & eleganter & amicè scriptas. Quibus quò minus adhuc respondeam, certa causa est, quam oportuno tempore expositurus sum. Interea quidem vt me diligat, seque à me apprimè diligi sibi persuadeat, ab illo meis verbis petito. Lazaro nostro scribam aliquid, quanquam & parùm habeam temporis, & valdè sim occupatus: quæ res etiam facit, vt ad te quoque minùs accuratè nunc scribam. Vale, III. Nonas Septembris, M.D.XXXII.

VII.

IAC. SADOLETVS EPISC. CARPENT. Petro Bembo S. P. D.

NON scribo tibi, sero me accepisse tuas literas, (te quoque enim scire video id ipsum) cùm, priùs quę missæ fuerant, in itinere ipso deperierint. Has quidem, quas accepi, scribo mihi fuisse iucundissimas. Nec tam me hercule ob eam rem, quod fortasse suspicari possit non nemo, nempè quòd te laudant, inquiens. Puto id quidem etiam aliquid esse: (non tam enim iudico verecundi esse hominis, & ipsa moderatione animi reperati, quàm & insulsi & stupidi, talis viri approbatione & testimonio, qualis tu es, non delectari) sed ego ad animi mei lætitiam palmarium esse in illis statuo, quod video te eorum sermonib. qui de me honorificè loquantur, non secus ac tuis laudibus, vt tute ad me scribis, gaudere & triumphare. In quo agnosco non amorem solùm, sed planè magnitudinem animi tuam, qui nisi esses ipse omni laude cumulatus, non tam libenter faueres eorum famæ, qui quantauis ipsi laude virtutis floreant, te ipso tamen se confitentur inferiores. Ego verò mi Bembe neq; quibus ornatus sim virtutib. scio: (nihil enim in me esse intelligo, quod magnopere spectandum prædicandúmue sit) & de te sentio idem quod semper

per sensi, nihil fieri posse tuo ingenio, eloquentia, virtute, humanitateque præstantius. Polus quidem noster, vt est blandus conciliator amicitiarum, voluntatumq; conglutinator, non amantius profectò mihi testimonium apud te potuit dare, quàm tibi sæpe tribuit apud me. Cuius ego tibi familiaritatem & quotidianum vsum inuiderem, nisi & illum, & te in oculis gererem: amo enim vtrunque vestrum. Itaque vereor, ne si quid mihi seorsum ab alterutro, ex vobis appetam, facere iniuriam amicitiæ videar: quæ præscribit, vt amicorum commodis æquè gaudeamus ac nostris. Quòd si in Italia constituissem, certè nusquam me conferrem aliò quàm ad vos: in vestraque consuetudine potissimum, in vestris familiaritatibus & amantissimis congressibus conquiescerem. Sed neq; ea de re deliberare fas mihi puto, & meus reditus in Italiã, etsi munere hoc officii imprimis quod sustineo, tamen etiã voluntate mea mihi penitus pręcisus est. Hîc nata viuo, vt mori hîc ibidem velim: eademq; terra, quæ vitam meam sustinet, corpus etiam ipsum, cum supremus venerit dies, contegat. Massiliam accessi, Pontificem salutatum, vt debui: illo enim officii vinculo me obstrictum esse in primis arbitrabar. A quo sic fui exceptus, vt nihil mihi in mentem venerit optare, in quo non eius benignitas, & singularis humanitas, mihi pene se obuiam obtulisse visa sit, vsque eò facilem eum, & liberalem in cunctis sum expertus. Sed & multorum præterea, qui ex vrbe venerant, egregiam erga me voluntatem studiumq; cognoui. Ex quo valde lætus discessi illinc: non emolumentis præmiisque fortunæ, quæ iam apud me valent minimum, sed multis & claris testimoniis amoris ac beneuolentiæ, quæ ego maximi facio, à compluribus viris amplissimis atq; ornatissimis honestatus. Quamobrem stemus in eo, quod iam dictum est, vt familiaritatis nostræ desiderium mussitandis literis leniamus. Non enim est causa cur transmittendæ alpes, aut mare inferum cur pernauigandum sit: cùm crebra inter nos scriptio, & suaues huiusmodi epistolæ, si non alternos nobis vultus, at effigiem certè animorum, & vim amoris totam ante oculos ponant atq; constituant: in quo voluptas nostra præcipuè sita est. Neque eò dico, quin mihi te videre, atq; intueri, foret dulcissimũ: sed illud sperare, imprudentiæ est: optare temeritatis. Hoc quidem quod nostrum est, quod nostri arbitrii ac potestatis, in quo nullũ ius sibi fortuna vendicat, præstemus vterq; nostrum, vt fructum amicitiæ nostræ, charitate, ac beneuolentia, iucunditatem consuetudinis, epistolis repræsentemus: quorũ in altero fides, in altero voluptas à nobis est attendenda. Nigrum meũ amo, vt debeo: ad eumque puto me daturum literas. De Lazaro aueo scire quid agat: nihil enim iam diu ab eo literarum, ac ne nuntium quidem ex quo

nosse potuerim. Colam tuum saluere plurimum iubeo, cuius & memoria mei, & benequolentia delector. Te de meis capere eam voluptatem, quam capio egomet, & tibi prorsus credo, & mihi est pergratum. Certè quod ad ocium senectutis meæ attinet, quę aut instat iam, aut admodum propinqua est, videor habiturus, in quorum pietate & modestia acquiescam. Ambo quidem literis mirificè dediti, & tui imprimis studiosi peramantesque sunt. Quod cùm agunt, non se addere tibi quippiam, sed se ornare adolescentiam suam clarissimi tui nominis cultu, & singulari obseruantia arbitrantur. Vale. VI. Idus Martiales, M. D. XXXIII.

VIII.

IAC. SADOL. EPISC. CARP. HERculi Gonzagæ S. R. E. Cardinali S. P. D.

SVPERIORIBVS proximis diebus, cùm tibi lucubrationem quandam meam misissem, neque ipse tunc propter valetudinem scribere potuissem: monui meos, vt me tibi excusarent, perpetuamque meam in tua amplitudine omnibus meis officiis colenda, tibi declararēt voluntatem, qui se id diligenter fecisse, teque in optimam partem omnia accepisse, mi rescripserunt: insuperque te eis præcepisse, vt scriberent ad me: si quid haberem in præsentia elucubrati, aut quandocunque aliquid haberem, id ne grauarer communicare tecum: ne si secus agerem, grauior fieret a me amicitiæ nostræ & veteri inter nos coniunctioni iniuria. Quo ego nuncio dupliciter delectatus sum: Nam & tui de me animi iudicium, & egregiam tuam cognoui ad optimas artes amplectendas voluntatem: quæ mihi semper in te omni digna honore, & laude visa est, hoc etiam magis, quòd in tanta raritate & penuria eorum, qui nobilitatem cum virtute habeant coniunctam, tu vnus excellis: qui vtrunque ita adeptus sis, vt in tuis plurimis maximisque ornamentis, maior tamen multo virtuti tuæ, quàm fortunæ gratia habenda sit. Itaque recordor iam inde ab tua ineunte adolescentia, me semper iudicasse, te fore vnum, aut certè præcipuum inter cæteros, in quo his temporibus perditis lumen veræ dignitatis illuceseceret: qui omnibus & naturæ & fortunæ bonis instructus, nobilitatem & potentiam, nō arma iniuriæ, sed instrumenta bonitatis esses habiturus. Postea verò quam ego in has sanè longinquas regiones me contulissem: tuque ad vrbem accessisses, domiciliumque in ea fortunarum ac dignitatis tuæ constituisses, nunquam mihi inauditus fuit splendor tuus, & singularis in omni genere morum elegantia, & comitas. Quæ cùm vna & constanti omnium voce laudaretur, non dici potest qua lætitia afficiebar: cùm intelligerem,

cæte-

cæterorum quoque hominum iudicia cum meis de te iudiciis consentire. Atque hæc quæ nobilitati & generi, & tuæ maiorũq; tuorum dignitati debita erant, illustrius tamen abs te gerebantur, quàm reliquorum vsus ferat. Quid? illa quæ iam tua sunt & propria, quæ pauci isto loco attingunt, quanti tandem facienda sunt, quòd bonas literas, quòd optimas artes, omniaque honestissima studia ita consectaris, vt in honore ipso, non insignibus honoris, quibus solis plerique nituntur, statum tuæ dignitatis positum putes. Atqui ab his initiis viri illi oriuntur, quorum nunc consiliis maximè eget Respub. quæ, nisi me fallit, adducta est in id discrimen, vt vehementer nobis sit de communibus fortunis extimescendum. Sed qui in secundis rebus comparant sese, vt possint aduersas & dubias, si quando inciderint, consilio regere, & virtute sustinere: hi omnia in se obtinent beatæ vitæ præsidia ad quæ tute eximiè paratus es. Facilè enim & prudentiam in capiundis consiliis, & in dandis fidem, autoritatem in sententia dicenda, in omni vita constantiam & grauitatem, ista tibi optimorum autorum lectio suppeditabit, accedente præsertim vsu atque ætate. Quorum quidem princeps Aristoteles, cuius libros, eos qui de moribus & de repub. sunt, habere te in manibus, & ego confido, & imprimis planè expedit: omnes enim in illis & prudentiæ, & doctrinæ scatent fontes. Sed ego fortasse ineptus, qui hæc ad te scribam, quæ tu melius scis, quàm ipse qui scribo. Facit autem amor, non temeritas mea, me loquaciorem. Quapropter de his hactenus. Quod ad meas autem lucubrationes attinet: Ego illas orationes, quas requiris, neque confeci, neque adeo amplius mihi conficiendas puto: alienæ enim videntur hac iam ætate, & hoc genere vitæ quod profitemur. Vnã earum quã perscripseram, misissem tibi, ni veritus essem, ne quorundam offenderẽ animos, qui mihi necessariò in illa oratione nominandi sunt. Sed loco illarũ mittam tibi cùm primum probare cepero, dialogum de optimo genere instituendæ adolescentiæ, quem æstate proxima confectum quo multa, & magna complecti conatus sum: hoc labore maiore, operaq; difficiliore, quòd neminẽ habui veterum, qui me adiuuaret. Vnus omniũ antiquorum (quod sciam) de hac eadem re Plutarchus scripsit: sed non in eum modum, vt mihi magnopere imitandus esse videretur. Nunc habeo in manibus de Philosophia librum, in quo illa à me defendenda est, grauiter vituperata a T. Phædro: etenim partes illas ti dedi, amico homini iam mortuo, per quas & ingenium illius, quod erat in eo summum, & natura prompta ad accusandum lacessendumq; commendaretur posteritati. Sed est opus arduum admodum, & perdifficile. Nam cùm de rebus altissimis, & maximè remotis a communi hominum sensu, differen-

dum est: tum obscurissimæ res illustribus verbis & sententiis explicandæ. In quo alter est cogitandi & concipiendi labor, alter non minor, cogitata exponendi. Spero tamen fore, si ad calcem peruenero, vt maximis vtilitatibus, quæ è Philosophia sunt, intellectis, & tota vi præstantissimæ disciplinę cognita, multum posthac luminis dubiis hominum mentibus afferatur. Sed de his quoque satis. Extremum est, vt te orem, vt me tui amantissimum studiosissimumque & diligas absentem, & tuo patrocinio protegas, ac tueare. Vale. Carpentoracti, VI. Calend. Februarij, M. D. XXXI.

IX.

IAC. SADOLETVS EPISC. CARPENT. Hippolyto medici S. R. E. Cardinali. S. P. D.

QVANTAM voluptatem acceperim, & quo fructu lætitiæ ac iucunditatis fuerim cumulatus ex amplificatione dignitatis tuæ: peto à te, vt ne meis ex literis coniecturam facias, cum id facilius sit tibi existimare, quàm mihi scribere. Certè ita lætatus sum, vt ex paucissimis, quæ maximè desideraui, hoc mihi imprimis gratum optatumq; acciderit. Factum est autẽ Dei immortalis benignitate, vt nostrum gaudium omni ex parte fuerit expletum, bona iam valetudine Pontificis maximi patrui tui nobis nuntiata: in cuius salute & vita cum salus omnis mea reposita sit, cumque ego eum præter venerationem debitam, vsque adeò à me, semperque amauerim, vt neminem ardentius: nil mirum est, si ex vobis & vestro in vtranque partem statu, status omnis pendet & periculi & salutis meę. Nam de te quidem ipso nominatim quid dicam? in quo ego statim ab ineunte pueritia, ea perspexi indicia ingenij, humanitatis, modestiæ, cęterarumq; virtutum omniũ, vt iam tum facilè appareret qualis tu in ætate vir postea esses futurus. Cuius tamen ętatis legitimum quasi tempus expectare noluisti: sed optimis artibus literisq; deligendis, ac prudentiam hominum familiaritate adhibenda, perfecisti, vt virtutis in te cursus, quàm ætatis fuerit celerior. Gratulor igitur, & verè, ac ex animo gratulor, cùm dignitati tuæ, tum illis eximiis virtutibus, per quas omni honore & amplitudine dignissimus es iudicatus. Et tum hoc gaudeo, tũ etiam illud, quod ad eam sectam vitæ potiùs es conuersus, quæ & longè tutior, & ad beatam trãquillamq; degendam vitam accommodatior multò est. Quamobrem, quod est omnis veræ gratulationis extremum, Deũ immortalem supplex deprecor, vt tibi iste honos proprius, & quod in istum ordinem dignitatemque venisti, id tibi faustum, felix, prosperum, fortunatumq; perpetuò sit: quod eius-

dem

dem summi Dei benignitate & clementia, tua adiuuante virtute, sic confido futurum esse. Et quoniam iam tu quoque harum gentium pastor & rector, & huius tuæ alterius patriæ, quam diuino iudicio es consecutus, patronus factus es: horum populorum causam, salutem, iura, libertatem, fortunasq; omnes tibi ita commendo, vt maiore animi studio commendare non possim. Egent enim maximè tua cura, patrocinio, fide, vigilantia, sicut quotidie ipse multis ex rebus cognosces. Illud item testabor, te in vicario pristino retinendo, multum & populi studiis, & ecclesiæ tuæ vtilitati consuluisse. Est enim vir omni virtute integritateque præstans: ac, quod ad rem non parum pertinet, etiam aspectu & facie venerandus: affinis præterea summi omnium & maximi iureconsulti Ioan. Franciſci Ripæ Auenione habitantis: cuius egregiam operam & singularem vtilitatem, in omnibus tuis rebus tibi paratã & promptam experiere. Ego neq; meipsum qui iamdudum tuus sum, neq; mea studia atque officia tibi pollicetor, ne videar quæ tua in potestate iamdiu sunt, si ea de integro tibi deferam, nouiquotidie muneris gratiam abs te inire velle. Vale, & nos dilige. Carpent. VI. Idus Febr. M.D.XXIX.

X.

IAC. SADOLETVS EPISC. CARPENT. *Andreæ Alciato S. P. D.*

NVNQVAM essem arbitratus accidere posse, vt ex amici hominis molestia aliquid veniret ad me voluptatis: sum n. si quisquam alius, officij in eo genere retinendi maximè cupiens. Sed nunc planè ex instituto meo depulsus sum. Quòd enim Medullionis Brixiaci controuersia tuas ad me elicuerit iucundissimas literas, mirificè (fateor) sum delectatus: cùm illę præsertim ita scitè ac eleganter scriptæ sint, vt singulare meum ac perpetuum de tuo ingenio ac virtute iudicium, non confirmarint solùm, verùm etiam vehementer auxerint. Quas quòd te tardius ad me dicis dedisse, parcentem occupationibus meis, vt ne meis studiis intempestiuius obstreperes: in eam partẽ accipio potiùs, vt tu de tuis studiis nolueris esse detractum: cùm in omni genere artium optimarum tu excellenter & eximiè, nos aliquantò etiam minùs quàm mediocriter versemur. Sed vtut est, auderem vota facere, vt tibi quotidianæ ad me scribendi occasiones darẽtur: nisi vererer, ne eodem tempore multorum lites & dispendia precarer. Quare sic habeto: tuis literis nec fuisse mihi aliquid complureis hosce dies, nec potuisse esse gratius. Medullionẽ quidem ipsum cuius volo causa, hoc etiam diligentius cõmendaui iudici Symonetæ per literas: quòd perspexi eius causam à te

doctissimo homine probari, quem nollem mehercule quicquam negotii habere nec molestiæ. Sed quid id refert: τὰ χρήματα ἀνθρώποισι τιμιώτατα, δύναμίν τε πλείστην τῶν ἐν ἀνθρώποις ἔχει. Igitur adiuuandus est, saluo tamen officio, quod te autore videor mihi rectè facere. Pro quo tu quoque quòd eidem Symonetæ scripsisti, maximè illius causæ profuturus es, πᾶν γὰρ ἐξαιρεῖ λόγος, ὃ καὶ σίδηρος πολεμίων δράσιεν ἄν. Erit autem hoc grauior tua commendatio, quod non solũ amici in amicum studium, sed hominis etiam doctissimi & consultissimi, iudicium atque autoritatem affert. Illa duo extrema sunt in tuis literis: vnum, quòd affirmas me egere non posse opera tua, cum ego ea semper egeam: quis enim potest talis & viri, & amici quotidiana opera non indigere? Alterum, quòd optas, vt in his studiis esse assiduus possis: atque incredibilis tua ingenii magnitudo facit, vt nequaquam optato opus sit. Quod enim nos, & vnum tantum, & id spissius: tu idem celerrimè, & præterea alia plura comprehendis. Quapropter est magis, cur tibi ipse gratulere, quàm cur quicquam optes. Quòd si mei suffragii prærogatiua eam haberet religionem, quam in antiquis comitiis habere erat solita: in quibus nemo vnquam à prima centuria renuntiatus est consul, quin fuerit idem magistratum illum assecutus: peruellem te totum, quantuscunq; es, nostrum omnino esse, arcemq; & vitæ tuæ & doctrinæ, in his liberalioribus & vberioribus studiis collocare. Quod si contingeret, nullam profectò barbariam te socio atque adiutore pertimescerem. Et tamen sic etiam diuisus, & in alteram fortè partem propensior, maximo es & temporibus his, & rei literariæ, ornamento. Ego, quod ad animum meum erga te attinet, tantum tibi tribuo, quantum profectò paucissimis: ita te amore complexus sum, vt omnia tua causa mihi videar debere. Quod si acciderit, vt opera id ostendendum sit, efficiam vt intelligas, maximam apud me rationem esse & amoris mutui nostri, & tuæ eximiæ præstantisque virtutis, Vale. pridie Calend. Maij, M.D.XXIX. Carpent.

XI.

IAC. SADOL. EPISC. CARPENT. Andreæ Alciato S.P.D.

CASTELLANVS noster legit mihi particulã literarum tuarum: qua rationib. tui discessus expositis, adscribis, si eæ mihi probatæ rationes fuerint, te satis habiturum: neque quid alii sentiant, aut loquantur, valde laboraturum. Quod ego ita accipio, vt agnoscam in eo tuum pristinum erga me amorẽ. Tantum enim iudicio meo tribuis, quantum ego mihi non arrogo. Sed quod

quod ad tui facti iudicationem attinet: ego, mi Alciate, tantum constituo in teipso esse & virtutis & consilij, vt quodcunq; agas, id mihi ab optimo animo & eximia prudentia semper proficisci videatur: causasq; tui abitus existimaui iustissimas, quæ te virum talem ad nouum capiendum consiliũ impulissent. Sed quod me tangit priuatim, quodq; ego ex meo sensu loquor, nunquã profecto dissimulabo, discessum illum tuum mihi dolori nõ mediocri fuisse. Nec tamen velim te hoc ita accipere, quasi ego factum tuum aliqua ex parte reprehendam, nõ enim reprehensionis ille fuit dolor, sed mei in te amoris. Etenim si, cùm in his locis esses, infinita penè commoda egregiasq; vtilitates mihi in te paratas esse intelligebam: quòd & in natura tua comitatẽ, & in ingenio præstantiam, & in amicitia ingenuè conseruanda fidem, & in omnibus partibus vitæ atq; sermonis, humanitatẽ, elegantiamq; experiebar: quid mihi priuato his tot bonis, doloris accidisse ex tuo discessu putas? cùm præsertim, quod pluris est quàm cætera omnia, mihi quotidie versanti in eis literis, in quibus tu excellis, vbi laboris atque hæsitationis aliquid incidisset, paratum esset, te præsente, perfugium optimi & amicissimi, & in omni literarum & doctrinarum genere longè præcellentis viri: cuius vel solo habitu vicinitatis, & animus, & vires meæ ad studia reficiebantur. Itaque (ingenue enim fatebor) quas in omni reliqua vita facio minimi, tunc opes non parum expetendas duxi. Non mea mehercule causa (turpe enim est id Philosopho, Christiano præsertim) sed quòd eas tunc si possedissem, hoc tantum lumen hęc prouincia non amisisset. Sed etsi grauis mihi iactura, & his populis omnibus tua decessione facta est: tamen quòd audio dignum tua virtute & singulari præstabiliq; scientia, conditionem tibi esse delatam: teque in Biturigibus summa illorũ hominum voluntate, & concursu maximo auditorum, ius ciuile tradere: mei animi molestiam tuæ virtutis dignitas consolatur. Hoc etiam magis, quòd video id esse gratum homini omni honore & dignitate amplissimo Francisco Turnonio vestro Episcopo Biturigum: cuius ego multas eximiasq; virtutes cũ venerer: multis quoq; illius erga me olim meritis, de quib. à meis certior sum factus, obligatus vehementer sim, cogor illo ipso officio, quod ego præcipuè in omni vita colo, ipsius voluntatem meis rationibus anteferre. Quem quòd audio aucta & amplificata dignitate, in Cardinalium ordinem honoremque peruenisse, equidem maiorem in modum gaudeo & gratulor: sed tamẽ vt illi ordini magis aliquantum putem, quàm ipsi in hoc tempore ex eius honore splendoris & honestatis esse acquisitum. Ad eum ego cùm cuperẽ scribere & agere pro eius veterib. in me beneficiis gratias: illa ratione sum retardatus, quod prius scire ex te volo, ecquid putes

nostras ad illū literas nō inopportunas futuras. Quod ipsum quæso scribe ad me, nosq; quod facis, dilige, ac valetudinem tuā conserua diligenter, tibiq; persuade, me, & mea omnia nō minùs tibi prōpta esse, quàm mihi ipsi. Vale. VIII. Cal. Feb. M.D.XXX. Carp.

XII.

IAC. SADOLETVS EPISC. CARPENT. *Andreæ Alciato S. P. D.*

Literas tuas ad quartum Cal. Iun. datas, pridie Nonas Quintileis accepi: quæ me tui erga me amoris significatione vehementer delectauerunt. Magno enim argumento mihi est, me abs te diligi & magnifieri, quòd adis me cum fide, tuis de reb. consilium meum vnà atq; operam expetens. Quorum vtriusq; vtinam tantam haberem facultatem, vt & tibi & tui similibus abundè possem suppeditare. Sed de consilio mi Alciate, quod tibi respondeam parum admodum est: vel quòd eius in teipso satis statuo esse, vel quod ipse quod feci, cùm illa turbulenta & dubia (vt mihi quidem videbatur) reliqui, quò hæc multò quietiora consectarer: id indicio esse potest vnicuiq; quid sentiam. Quanquàm enim noua hac pace videantur vetera bella Italiæ repentè esse sublata: tamen recentibus etiam nunc vulneribus nondum cicatrix planè obducta est: animiq; iidem permanent mutuis exasperati odiis, & partium studio infecti. Quibus quantum sit confidendum, tuæ imprimis prudentiæ est existimare. Tibi autem ipsi, si in ea loca migraueris, vt contingant reliqua ex tua sententia, grauiora certè prælia excipienda erunt, vel obtrectantium tuæ laudi, vel commoda tua oppugnantium. Nam quòd te patriæ amor eò vocat, humanum id quidem est: sed & sapienter ab illo Poeta dictum legimus, Patriam esse vbicunq; sit bene. Verùm de hoc, vt dixi, tuum consilium sit, meum est potiùs ad omnia quæ tu velis, operam tibi meam studiumq; deferre. Itaq; quod quæris, ecquem Bononiæ amicum habeam, qui tibi operam dare in tuo hoc negotio agendo possit, qui & mea causa velit, & autoritate ad agendum sit idoneus, vix videor habiturus. Omnes enim ferè quibus cùm mihi fuit familiaritas, alio casu alius diem suum obierunt: vt de quo tibi pollicear nominatim habeam neminem: nisi fortè Bartholomeum fratris filium Cornelij nostri Voltæ, summi viri & nobis amicissimi, qui magno cum gemitu omnium, & de hac Prouincia nuper, & planè modò de vita decessit. Huius vt dico, fratris filius, etsi ætate iuuenis est, propter virtutem tamen, familiæq; dignitatem, & clarissimi optimiq; patrui memoriā, gratiosus est apud omnes. Eum ego confido susceptūrū esse has partes, præsertim in causa illustri & honorifica. Habet n. hominis doctiss-

simi

simi commendatio non mediocrem dignitatem. Sed ego, si tibi videatur ad legatum ipsum quoq; & ad quadraginta viros literas dabo, tribuamq; debitum tuæ virtuti testimonium: neq; solùm hortabor, sed obsecrabo etiam, vt de tali viro atq; doctore accersendo studiosis iuris ciuilis, & suæ ciuitati esse consultum ac prouisum velint. Hæ literæ quid profuturæ sint nescio: nihil obfuturas videor posse præstare. Sed vt ego ostendo tibi quid sim facturus, sic tuum nunc iam, quid placeat tibi & quid me agere velis, facere me per literas certiorem: simulq; rationem aliquam inire, quò ille celerius huc perferantur: vt tibi, cui valde cupio, non voluntate solùm, sed diligentia etiam satisfaciam. Vale. Ex hortis nostris suburbanis, VIII. Id. Iulij, M. D. XXX.

XIII.

IAC. SADOLETVS EPISC. CARPENT. *Thomæ Caietano S. R. E. Cardinali S. P. D.*

LÆtus sum, te Romam saluum atq; incolumem reuertisse: quod vt primùm cognoui ex meorũ literis, confestim scripsi hæc ad te cupiens tecum loqui per literas, quando (quod libentissimè facere solebam) coram amplius non possum. Non enim meus in te amor, & singularis obseruantia, qua te semper sum prosecutus, aut spatio temporis, aut locorum interuallis diminuta est. Nec ego vnquam obliuiscar, vnum te semper extitisse, qui me ex animo dilexeris, fueriscq; mihi in rebus meis omnibus perpetuus propugnator & fautor. Pro quibus meritis ego tibi viciſſim omne meum studium, omnem meam obseruantiam, cultum, honorem, beneuolentiamq; dicaui: fuiq; tuarum maximarum virtutũ, quas ego admirabar, apud cæteros prædicator. Nũc disiunctis nobis tanto terrarũ & regionum spatio, & tuum nihilominùs amorem erga me eundem manere confido, & de meo tibi planè polliceor. De temporibus autem his, deq; hac strage rerum omniũ & ruina, per quam cuncta oppressa sunt, nihil sanè tibi scriberem in hoc tempore, neq; tantorũ malorum acerbam memoriam refricarem, nisi intelligerem, quod cæteris dedecori & calamitati fuit, id ad singularem tuam laudem esse conuersum. Quòd enim aduersos casus patienter tuleris, fortunarumq; tuarum iacturam pro minimo habueris, præstiteriscq; te in omni fortuna firmum atq; constantem, præclara laus, & docto homine sapienteq; digna. Sed tamen tibi cum quibusdam est aliis communis. Non enim defuerunt (quam ego coniecturã de meipso facio) quos bonorum suorum amissio de statu suo minimè dimouerit. Sed quod in tanto armorum strepitu tumultuq; bellorum, furore hominum crudelissimorum atq; auarissimorum omnia perstrin-

gen-

gente, tam multis cædibus, direptionibus, incendiis, in pace & odio esse potueris, & ad literas sacras toto animo ita incumbere, vt vtrumq; Instrumentum nostræ fidei sanctissimæ interpretandum susceperis, totumq; penè absolueris: nec te aut periculi tui metus, aut alienorum incommodorum dolor, ab ea cura & intentione animi auocare potuerit: hoc est, quod ego inprimis nouum & admirabile esse duco. Insolita ista virtus, & incredibilis quædã animi altitudo fuit, quæ effecit, vt in tantis communibus miseriis solus & placatus, & beatus esses. Quò etiam magis tuum hoc opus videre desidero: quod posteris quidẽ nostris tui excellentis ingenij, nobis verò etiã virtutis & admirabilis constantiæ perhibeat testimoniũ. Equidem, quod ad me attinet, ipse quoq; in literis versor: sed conditione impari. Nam nec ingenio multũ possum & animo sum infirmior: quanquam mei damni cogitatio me nunquã, plurimũ autem afflictæ reipub. miseri cordia cõmouit: tum autem maximis hic difficultatib. in re familiari sum conflictatus. Etenim mihi fuit necesse pro natura & instituto cõsuetudinis meæ, omneis meos & veteres, & nouos recipere familiares, qui vndiq; egentes & nudi ad me confluxerunt. Sed de his satis. Ego, vt etiã dixi, amorem & obseruantiam, quam erga amplitudinem tuam semel iustissimis de causis suscepi, eam inuiolatam retineo, semperq; retenturus sum. Tu vt in me amando pari voluntate sis, tuumq; animum illum pristinum, quem ego multis rebus olim habeo cognitum, erga me conserues magnopere a te peto. Vale. Nonis Nouemb. M. D. XXIX. Carpentoracti.

XIV.

IAC. SADOLETVS EPISC. CARPENT. Thomæ Caietano S. R. E. Cardinali S. P. D.

DE tua erga me beneuolentia sæpe mihi à meis scribitur: quam equidem non dubito firmam esse, idq; magnopere habeo gratũ. Animus quidem meus erga te idem est, qui semper fuit, cùm tibi mirificè deditus, tum tuarum præstantissimarũ virtutum admirator & cultor: quas ego ab ineunte fermè adolescentia omni semper honore & obseruantia prosecutus sum. Itaq; recordor, & me in philosophiæ studiis nõ minima ex parte olim à te adiutũ instructumq; fuisse, & tuam mihi nullo loco defuisse neq; opem & autoritatem in publicis rebus, neq; in priuatis meis beneuolentiam. Sed quæ tua erga me plurima extant beneficia, ea mihi fideli magis memoria conseruanda sunt, quam multis verbis iactanda & commemoranda. Quod autem est & tuæ summæ virtutis amplissimæq; dignitatis proprium, & idem aliqua ex parte etiam ad me pertinet, id ego ex te nisi quid impediat scire sanè

sanè velim: Quem tu, scilicet, huius concilij, de quo tam multi sermones increbrescunt, effectum aut exitum futurũ putes. Nam si res agatur seriò, spesq; aliqua sit latum iri auxilium bonis moribus & legibus, aduersus tot & tam graues, cùm dissensiones in fide & religione, tum in communi vita corruptelas: optandum est omnibus nobis, & vehementer Deo supplicandum, vt bene ac prosperè procedat res. Egoq; quanquã imbecillitate valetudinis, & domesticis difficultatib. valde impeditus nullum discrimen recusaturus sum, quò in eo interesse conuentu possim. Sin autẽ totam negotium fuerit simulatio, libentiùs mansurus in statione mea sum: neq; eò venturus, vbi mea opera nemini vtilis, mihi autem ipsi incommoda vehementer futura sit. Hæc ego à te, si tua spectetur grauitas & dignitas, tanquam à patre requiro: si excellens singularisq; doctrina, tanquam ab eo, qui non meus, sed omnium esse magister possis. Hoc quidem sic existimo, si saluo officio fieri posse decreueris, te nihil in hac re prętermissurum esse, quod ad me monendum, instruendumq; pertineat: etsi nulla maior mihi futura est instructio, quàm exploratio iudicij ac voluntatis tuæ. Quod vt facere velis, deq; eo ad me scribere, magnopere te rogo. Ego hic in literis & libris assiduus sum: neq; intelligo iam, quid sit aliud beatè viuere, nisi quod prædicare solebat Solon, quotidie aliquid senescentem addiscere. Quod nos hoc melius facimus & præstantius, quòd ea consectamur addiscimusq; per quæ ad noscendum fruendumq; ipsum Deum spe firma exoptatæ immortalitatis adducimur. Tu vt valeas, meq; absentem, quod facis, diligas, & patrocinio tuo tueare à te peto. Vale. Carp. M.D.XXX.

IACOBI SADOLETI EPISC. CARPENTORACTI EPISTOLARUM Lib. III. Epist. I.

IAC. SADOLETVS EPISC. CARP. FEDERICO Fregosio Archiepiscopo Salerni, S.P.D.

POST tuum è Gallia discessum, adhuc nihil abs te accepimus literarum. Quod mirarer equidem, & tecum quasi expostularem, si hanc tuam culpam, ac non eorum esse arbitrarer, qui quas literas suscipiunt perferendas, eas aut negligentia, aut perfidia nõ curant reddere. Nam cum tu iam aliquid scripseris, mihi persuadere nullo modo possum. Admonet enim me, cùm ipsum spatium eius temporis, quod à tuo abitu ad hunc diem intercessit, mensium trium iam ferè: in quo

in quo non ſcribere modò nobis, ſed ſcriptitare etiam potuiſtis: tum verò tua illa mihi nota humanitas & inſignis erga me beneuolentia, vetat me quicquam de officio tuo ſuſpicari, quod aliter ſit ac deceat. Etenim profectò memor non ſolùm expectationis meæ, ſed tuæ etiam promiſſionis: cùm Lugduno confeſtim iam decedens Italiam verſus, literas ad me manu tua dediſti: in quibus erat ſcriptum, te cùm primum in Italia conſtitiſſes, curaturum, vt de omni tuo ſtatu fierem certior: rationemq; initurum qui & tutò, & facilè commeare inter nos literæ poſſent. Ac mihi quidé, cur in expectatione non parua tuarum literarum eſſe debeam, cauſæ complures ſunt. Primùm, meus ſummus in te amor, quinó ſinit intermitti apud animum meum cogitationem tui. Quapropter etiam de ſalute & incolumitate tua ſolicitus, omnem euentum itinerum tuorum ſcire valde cupio: neq; ſolùm vt valeas, ſed quid agas etiam, acturuſq; ſis, & quibus in locis conceſſurus, Romæ ne, vt eſt nonnullorum opinio, an alibi certo aliquo in loco. Deinde de Pſalmo meo aueo mehercule aliquando cognoſcere quid ſit factum: & ſi hæc quidem cura & cogitatio non minùs ad te, quàm ad meipſum pertinet, communis enim ex illo ambobus nobis eſt honos: ſi tamen ex illo aliquis honos. Sed mea præcipua erat expectatio, quod maximè in hoc tempore meis rationibus conducebat, illum iam eſſe editum. Hanc ſpem tardari, & differri in tam longũ tempus, ſanè mihi quàm moleſtũ eſt, eritq; quoũſq; quemadmodum ſeſe habeat res, ex tuis literis certum cognoro. Nam ſi ij, quibus liber imprimendus miſſus eſt, rem forſitan contemnãt, neq; ſtatuant idoneam, in qua videatur eſſe elaborandũ, præciſum iſthic quidem eſt omne negotium: ſed ejtò id mihi oportuit ſignificari: vel enim abieciſſemus de eo curã omnem, vel ad Lugdunenſeis tuos impreſſores conuerſi fuiſſemus. Sin eſt autem vt & probent materiã, & in ſcriptione vitium non reprehendant, quod equidem malim, permagni faciens hominum doctiſſimorum iudicia, quorum & copia, & gloria abundat illa ciuitas, quænam iſta quæſo, & vnde exoritur tanta cunctatio? Sed vt ſit in his rebus quæ ignorantur, quarum ratio certa coniici nulla poteſt, ſic mihi permulta de hac re cogitanti, vagari ſuſpicione quà volo licet: firmo aliquo conſilio conſiſtere nõ licet. Qua ſolicitudine animi quieſci tum poterit, cùm tu me de re omni certiorem feceris. Tertiũ illud eſt, quod ego expecto à te, vt ſciam, quà, & per quos epiſtolas mittere tutò poſſim: mirũ enim me tenet deſiderium ſæpiùs laceſſendi & compellandi tui: cùm tu præſertim iam locis à nobis factus diſiunctior, omnem ſpem obſectationis meæ tecum, in literis ſolis reliqueris. Cuius ego diſceſſu in hoc tanto regno videor penè ſolus relictus: hoc etiã magis, quòd profectionem tuam propè continuo eſt Paulus noſter con-

ſecu-

secutus. Is enim paternæ mortis subito casu, & insperato compul-
sus incommodo, quò rem familiarem & pupillos fratres suos in-
uiseret, constitueretq; res domesticas ante diem V. Cal. Iun. hinc
est profectus, cùm tu octo dieb. ipsis antecessisses: cuius tamen
reditus nunc nobis in expectatione est, extremus enim Sextilis
erat reuersioni constitutus: quam diem intelligis appropinquare.
Qui si tecum potuit in Italia congredi, quod quidem ipse & ma-
xime expetebat, & fieri posse nõ diffidebat, planè ab eo fueris do
omnibus nostris rebus edoctus. Nos literas eius non habemus
ex ante diem X. Cal. Quintilis, neq; hoc sine aliquo animi nostri
scrupulo. Cogit enim nos vereri propemodũ omnia, vel beneuo-
lentia, qua illum vt si filius esset vnicus, complectimur, vel poste-
ritatis cogitatio, cuius omnem spem & rationem in illo vno re-
posuimus: vel quòd graui anni tempore, & insalubri ferè vbique
gentiũ cœlo, omne corporis periculum videtur esse pertimescen-
dum. Sed tamen in spe bona sumus. Tu si nos diligis, quod profe-
ctò facis, ne me patiare obsecro, tamdiu in desiderio tuarũ litera-
rum esse. Etiam pro tua humanitate curabis, vt aliqua volumina
ad nos libro impresso demum mittantur, quò possimus amicis
munuscula cum epistolis deferre. Vale, & ad nos quamprimùm
scribe: Bembumq; nostrum mirificum hominem, omni summa
virtute præditum, eundemq; coniunctissimum vtriq; nostrum,
aliquando nactus oportunitatẽ, meis verbis iube saluere quam-
plurimùm. Carp. Idib. Augusti, M. D. XXIX.

II.

IAC. SADOLETVS EPI. SC. CARP. FEDE-
rico Fregosio Archiepiscopo Salerni, S. P. D.

ACcepi literas tuas, ante diem XV. Cal. Ianuarij datas: ex qui-
bus cognoui, quantò pòst meæ ad te perlatæ essent, quam
fuerant datæ: & quæ te occupatio moraq; tenuisset, quò minùs,
vt cupiebas, maturè ad nos scriberes. Ego verò cùm tanto iam
interuallo nihil abs te accepissem, neq; adeò de te: solicitarer au-
tem non parum cupiditate cognoscendi, quid tibi & rebus no-
stris communibus contigisset (sunt enim inter nos omnia com-
munia) cùm me præsertim in ea cura & cogitatione amor erga te
meus summus quiescere non fineret: fateor me diu in expectatio-
ne fuisse tuarum literarum: nonnullamq; cepisse admirationem
earũ tarditatis. Sed tamen vt suspicarer potius alia omnia, quam
coniunctionem nostræ necessitudinis vel minima ex parte im-
minutam esse, quà vel in amore apud te, vel quà in omnibus of-
ficiis conseruandis fide ac diligentia. Nunc cùm tu & valetudi-
nis incommodo aliquandiu conflictatus, & molestissimis nego-

tijs

tiis distentus fueris: atq; ea nunc impedimenta partim Dei beneficio, partim prudentia tua à teipso repuleris: gaudeo primas eas fuisse literas, quæ mihi lætum nuntium attulerunt: quæ si citius venissent, molestiæ mihi fuissent. Tuamq; tibi recuperatam valetudinem, & sapiens consilium vitandæ vrbis, vehementer gratulor: pristinam quoq; tuam agnosco animi magnitudinem. Vidi enim te olim cùm viueremus vnà, hæc ipsa contemnentem, quæ vulgus admiratur: tum scilicet, cùm ea adipisci facilimè poteras. Et erant illa eiusmodi, vt haberent aliquam, si non veram dignitatem, at speciem tamen, & simulacrum quoddam dignitatis. Nunc verò: Sed quid ago? aut cur nequicquam sumo hanc operam? Ad nostra potiùs, De Psalmo cognoui, quo loci sit res. Sed ego ingenuè tibi indicabo, cùm iam desperassem isthic rem confici, misi Psalmum Lugdunum, aliquot correctum locis, vt imprimeretur ibidem, quartodecimo admodum ab hinc die, hoc est ad IIII. Idus Decembr. vt intelligas me moderatum cupiditati meæ, quoad in spe fuerim isthic rem confectum iri, octauo mense videlicet postquam tu ex his locis discessisses. Nec tamen puto te existimaturum, me egisse aliquid quod sit contra officium. Nunc siue hîc, siue illic, nostra vriq; de eo conquiescit cogitatio: nec tamen adhuc quippiam habebamus certi, quid fieret Lugduni. Sed de his satis. De te autem ipso, & de tuo discessu in Italiam, qui meus tum fuerit sensus nihil me attinet dicere: nisi illud quod proprium est amoris, profectionem tuam dolori mihi non mediocri fuisse. Causas equidem discessus, & graues, & iustas esse arbitrabar: quæ te hominem prudentissimum mouissent. Mansionem autem in Italia tuam, neq; ego probo, neq; teipsum probaturum esse arbitror: quanquam enim ibi officio pio & necessario detineris: tamen cùm tibi tantundem ferè in Gallia cum Deo negotij sit: & eadem te huc religio reuocet: quæ in Italiam euocauit: non video, peractis eis rebus quæ ad prouidendũ consulendumque populis more & instituto maiorum inuentæ sunt, quid te sit in Italia diutiùs retenturum, quando cætera omnia, quod opinor te iam cognoscere, vsq; eò confusa perturbataq; sunt, vt nulla res in istis locis sit, quæ prudentem quempiam aut bonum virum possit delectare. Quare si tu idem senties, fuerisq; expertus, poteris me autore officium & munus præstandæ Deo religionis, ad causam tui reditus, rectè interpretari. Ibi enim potissimum commorari debemus, vbi plurimum proficere nos posse sentimus: aliis quidem præterea etiam, sed nonnihil & nobismetipsis. In quo ego disputarem copiosiùs, nisi te doctissimũ hominem, & optime hæc ipsa videre mihi persuasissem: & vererer ne tu fortasse magis ab amore meo erga te, & desiderio tui, quam à vero & integro iudicio huiusmodi orationem proficisci putares.

putares. Quamobrem hæc missa. Paulus nobiscum est: nec sinit me diutiùs in expectatione sui esse: extremo enim Sextili ad nos rediit, estq; nunc totus in Græcis literis: quod si perfecerit studiũ, non dubito, quin omnia deinde facilia sit habiturus. Nos nihil scribimus impræsentia, legimus autem libentissimè: multasq; & magnas iam partes Aristotelicæ doctrinæ transegimus, imprimis τὰ μετὰ τὰ φυσικά: in quibus visi sumus nobis non pauca subtiliùs & acutiùs comprehendisse, quàm anteà. O te si haberẽ, quo cum communicarem nihil crede mihi fieri posset beatius. Hæc enim animi lætitia, ac in studiis voluptas socium requirit: sine quo non illa quidem manca est: sed esset ea mediusfidius hilarior tamen, atq; uberior. Paulus nondum tantis rebus par. Tu maximo animo, præstantissimo ingenio, summa in me beneuolentia, eximia scientia. Sed fortuna obstat, & quæ ipsam etiam fortunam vincit necessitas. Ergo idipsum ferendum est. Tuum constituendarum & missitandarum literarum seruabo diligenter. Bembo meo asscribes, quoties ad eum scripseris plurimam meis verbis salutem. Tu vale, & nos dilige: quod te facere ita non dubito, vt nihil habeam tuo in me amore nec certius, nec iucundius. Vale. IX. Calend. Feb. M. D. XXX. Carpentoract.

III.

IAC. SADOLETVS EPISC. CARP. *Federico Fregosio Archiepiscopo Salerni, S. P. D.*

CVm in Gallia esses, crebro commeabant inter nos literæ: quod fiebat tum propinquitate locorum & regionum (minus enim magnis omnino & spatiis viarum & difficultatibus intercepti eramus) tum quòd eorum qui literas perferrent, maior erat copia. Postea verò quam tu in Italiam profectus es, omnia hæc nobis spissiora & difficiliora facta sunt. Quod mihi sanè magnæ est molestiæ. etenim eiusmodi sunt tempora, & eæ impendent res, vt si vnquam alàs, nunc cùm maximè tuum mihi consilium & beneuolentia requirenda sint. Quæ si vicinioribus in locis esses, parata mihi arbitrarer. quia abes longè gentium, nõ illa quidem mihi erepta, nec adeo tamen in promptu adesse mihi intelligo. Sed quid me angat, solicitumq; habeat, etsi te per te satis existimare arbitror, quòd eisdem affici te puto in hoc tempore animi solicitudinibus & curis, tamen aliquid tibi à me ea de re putaui esse scribendum: vt quoniã amore & optima in rem Christianam voluntate coniuncti sumus, nostras quoq; cogitationes & consilia coniungamus. Increbrescit enim quotidie magis (vt tute scis) de concilio rumor: cuius habendi multæ quidem sunt causæ iustæ ac graues: ac si verè loqui volumus, etiam necessariæ.

Sed ecquid sperandum ex eo boni sit, magnæ videtur esse considerationis: quæ fortasse ad nos nihil pertineret, nisi grauis officij onere premeremur. Quod præstare debemus, non tam hominibus quidem, quibus (si bene coniectura vtor) sancta & seuera cõsilia haud ita multis placitura sunt: sed prepotenti Deo, cuius tantis aucti beneficiis, nihil habemus neq; in vita, neque in fortuna, quod non pro illius honore & nomine effundere simus parati. Hanc ego sententiam cùm mihi tecum statuam esse communem, reliqua iam sunt communicanda inter nos: quod consilium sequi, & quemadmodum nosmet gerere debeamus. Nam si (vt dico) fructus est expectandus aliquis ex hoc principum Ecclesiæ & Episcoporum conuentu, qui sit Christianæ Reip. profuturus: non dubium est, quin conueniamus, quemcunque fuent in locum concilium indictum, nec laborem vllum diserimẽue fugiamus: tametsi mihi ipsi, propter domesticas aliquot difficultates, imbecillitatemq; corporis, futura sit res molesta. Sin autem, quod magis vereor, propter inextricabiles difficultates temporum totum hoc remedium ad sedandas discordias, & ad morbos ex animis tollendis inane futurum sit, atq; irritum est iam non paruæ deliberationis res, quid agendum nobis, & vtrum accedendum eò, an manendum domi in vigilia nostra sit, cùm alterum fortasse consilium inutile, alterum planè honestum semper habeatur. Hęc ego si mihimetipsi considerem, exquisita potiùs & explorata scriberem ad te: cùm verò tantum tuæ prudentiæ confidam, quantum meum perpetuum de tuo singulari ingenio iudicium postulat: peto à te & pro amicitia nostra rogo, vt suscipias totius negotij deliberationem atque curam: & siue habes iam statutum, quid tibi faciendum sit, siue es deinceps constituturus, me omnis participem consilij & voluntatis tuæ facias. Ego enim eo sum animo, vt quicquid à te probatum fuerit, id vt sapienter sancteq; constitutum, ipse quoque secuturus sim. Quare tu & de rumore ipso, totaq; re, & de loco, tempore q; conueniendi, si quid habebis indagatum & compertum, facies me (si videbitur) tuis literis certiorem. Imprimisq; hoc ita cogitabis, si veniendum aliquò sit, summopere cupere me, quod sine incommodo tuo fiat, contubernalem tibi esse. hoc mihi gratius atque optatius accidere nihil potest. Vale. VI. Calend. Februarij, M.D.XXX.

IV.

IAC. SADOLETVS EPISC. CARP. Federico Fregoſio Archiepiſcopo Salerni, S.P.D.

Eſi

ETsi quotiescunque literas tuas lego, toties sentio me noua quadam lætitia affici, vt nihil esse mihi possit earum lectione iucundius: tamẽ proximæ literæ tuæ, quas ego Nonis Iulij abs te datas, tertio Nonas Septemb. accepi, mihi molestiæ aliquantum plus, quàm voluptatis attulerunt. Nihil enim grauius accidere mihi potuit, nec quod minùs ferre possent sensus animi mei, quàm intelligere, te suspicari, aliquid mihi accidisse abs te, ex quo animus meus in te esset offensior: cùm præsertim id agas tam multis verbis, vt verè de me nescio quid dubitasse videare. Ast ego contrà, primum hoc dico, nihil me vnquam esse in te conspicatum, quod vel proprium esset tuum, vel mecũ tibi in nostra amicitia commune, in quo non & admirabilis mihi tua virtus, & beneuolentia erga me, eximia visa fuerit. Et in vtroq; quidem multæ mea extant, neq; ea obscura, de tua virtute humanitateq; testimonia. Sed non sumam mihi impræsentia, cuncta vt commemorem. Illa perstringam breui, quæ tui amoris erga me propria sunt, quorum nunquam me quidem cepit obliuio. Sed commemorationem antehac verecundia impediuit, cuius tu nunc nõ prætermittendæ necessitatem quandã mihi affers. Nam siue prima nostræ familiaritatis initia spectemus, quid tua tunc erga me comitate, liberalitate, beneficentia illustrius: siue hęc postrema (nam media fortunæ vitio, occupationib. maximis vtriusq; nostrũm, & locorum disiunctione, non tam testata esse potuerunt) quem ego possum afferre ex plurib. amicis, quos mea mihi officia quamplurima conciliarant, qui maius erga me ostenderit sui animi studiũ, aut cui tantopere salus mea curæ fuerit? Veni in Gallia, nudus rerum omniũ, tanquam ex naufragio in terram iectus. An me oblitum putas illarum literarũ tuarum, quas ad me prior misisti? in quibus cùm esset suauissima recordatio veteris nostræ necessitudinis & declaratio amoris in me tui: nonne cùm fortunas omnes tuas in communionem meorum temporum mihi obtulisti, tum humanissimis atq; amantissimis verbis paria facta respondêrũt? Iuisti me opibus, instruxisti libris, quorum ego iactura (maximã enim feceram) non mediocriter angebar: omnibus & prudentiæ, & liberalitatis tuæ consiliis auxiliisq; fouisti. Quo quidem tempore, cùm cętera mihi ex te iucundissima accidèrent, illud tantùm submolestè ferebam, quòd maiora subire conabaris meæ causa onera, quam vt meus pudor facilè pati posset. Hæc ego qui nosse debeam & in memoria habere, quid ita, quæso, sum a te in iniuste iracundiæ crimen vocatus? qui etiam si iustam aliquam haberem succensendi tibi causam, non possem id sine nefario scelere, & sine magna commutatione meæ naturæ ac voluntatis facere: quam ita iam pridem habeo institutam, vt nullas cognoscas iniurias, significationib. us aurẽt eneuolentiæ maximẽ

obligetur. Vide quæso dulcissime Federice, ne in hoc me aliquò inconstantiæ & leuitatis crimine condemnes. Quod etsi molestum mihi foret tibi ita videri: mea me tamen conscientia consolaretur. Mihi enim ipse sum cognitus, & scio nihil à me commissum, quod ad nostræ amicitiæ fidē, vel minima vlla ex parte violandam possit valere. Quanquam ne tu quidem de me aliter sentis: non enim dubito quin me firmū & certum amicum esse constituas, potiusq; tua illa suspicio tota fuit amoris: & nimirum ita est. Habet enim hoc illa animi affectio peculiare, vt quod maximè appetit atq; optat, eius amittendi suspicione maximè stimuletur. Sed tu si verè de me existimare volueris, & cogitare cum animo tuo, quis aut ego sim, vel cuiusmodi esse debeam, præsertim aduersus te, cuius tot & tanta erga me extant merita: cognosces profectò, nihil fieri posse in omni amore & obseruantia tui, studio meo & voluntate flagrantius. Nam quòd iam diu non scripsi, primùm, non fuit quod scriberem, nec per quos: neq; tu tamen in eo diligentior me fuisti. Deinde, nunquam ego in literis arbitratus sum indicium omne amoris & beneuolentiæ consistere: vel eo argumento, quòd tam diu antea cùm nihil inter nos commeauerit literarum, incolumem tamen beneuolentiam seruauimus. Et tamen recordor me statim ad eas tuas rescripsisse, quas Auenione cùm essem, acceperam: Psalmiq; impressi volumen vnum tibi misisse, cùm si tum me aut tua Aristotelis reprehensio, aut cohortatio ad sacras literas commouisset, fuerim aliquod signum turbati animi tibi daturus. Ac cohortatio quidem tua mihi & sapientissimi consilij, & amicissimæ voluntatis semper plena visa est. Cum Aristotele verò nulla mihi est cognatio, nisi quòd hominis illius acumen & doctrinam præcipuè miratus sum: ac maximus mihi ille quidem & doctissimus Philosophorū semper est habitus. Sed quid tam liberum esse debet, quàm suum vnicuique de re quaq; iudicium? opinionum porrò inter amicos dissensio aliqua aliquando est, voluntatum nunquam. Quamobrem de his tu & quemadmodum voles ita senties, & hoc nos animo erimus, vt Philosophiam cum sacra doctrina nunquam nōn coniungendam esse arbitremur. Sed hęc satis, aut nimis fortasse multa. Ego his diebus accepi ex Germania aliquot doctorum hominum, & in his Erasmi literas. Psalmū nostrum ibidem de integro impressum statim diuulgauerunt: vnum volumen miserunt ad me: rem mirabiliter probant. Erasmus quidem, vt sibi ipse displicere, & sua iam scripta contemnere videatur. Literæ scriptæ docte & copiosè. Sed de doctrina nihil scilicet noui. De hominis probitate, ingenuitate, virtute, aliquid noui fortasse, vel enim nō tantum, vel non ita putares. Scito igitur ea in illius literis eluce-

re signa integri animi, & probi, & alienam virtutem studiosè am-

plecten-

plectentis: vt dignissimus sit, qui & ametur à nobis, & in honore habeatur. Cui ego me vt respondeam, paro: ne me humanitate & ingenuitate vinci patiar. Spes est aliquid in ea natione à nobis profectum fuisse: Quod si benignitate Dei fuerit factum, næ ego maximum, & maximè optatum mei laboris præmium fuero adeptus. Sed alias de his. Tu vt me ames, teq; à me & diligentissimè coli, & constantissimè amari, vt certum atq; exploratum tibi habeas magnoperè à te peto. Vale. Pridie Idus Septemb. M.D.XXX. Carpentoract.

V.

IAC. SADOLETVS EPISC. CARPENT. Federico Fregosio Archiepiscopo Salernit. S.P.D.

MAgnæ mihi delectationi fuerunt literæ tuæ: quæ mihi te cùm abundare ocio, tum autem id ocium consumere in optimis studiorũ lucubrationibus significarunt: beneuolentiamque erga me tuam, cuius mihi semper gratissima est commemoratio, etsi non apertiùs quàm antea, vberius tamen aliquantò mihi declarauere. Gaudeo te eum esse, qui & tibi ipse summum bonum in vita, scrutandis & recolendis scripturis sanctis reperieris: in quibus certè, huius boni, quod non maximũ modò, verùm etiam solum est, cunabula sunt posita: & mihi eum animũ in amicitia præstes, vt mea tibi studia maximæ curæ esse ostendas. Quo quid potest esse amoris, officij, humanitatisq; significantius? Sed quoniam de his, quæ inter nos sæpe intercesserunt, officiis, deq; mutua nostra beneuolentia, & alias crebro à nobis fuit dictum, & vt arbitror, etiam dicetur: veniamus ad literas tuas. Ac primũ illud à te deprecor, vt in meis quod prius fuerat scriptum, multa me inuenisse in Paulo, quæ fuerint prioribus seculis incognita, ne insolentiæ & elationi animi mihi attribuas: etsi piget me verborum illorum, quæ cùm illas scripsi literas, minus animaduersa à me fuerunt: quod accidit festinatione quadam acceleratione q; scribendi. Etenim non ad te solum illo tempore, sed ad complures præterea alios literas dabam: in qua occupatione & turba, cura mihi recognoscendi, & perpendendi ex ani o excidit. Non enim volui incognita dicere simpliciter, sed de quibus mihi non constabat veterib. ea seculis à quoquam fuisse tradita. Nam hoc quidem planè, libereq; testor, me in abstrusas quasdã Pauli sententias penetrasse scrutando: quas, quoad nosse potui, adhuc intelligo fuisse vel occultas, vel certè minus dilucidè explicatas. Neq; id tamen meo ingenio, quod perpusillum est, sed diuino beneficio sine vlla hæsitatione tribuo. Solet enim Deus ipse, fons bonorum omnium, sic interdum etiam indignis impertire bene-

ficia sua: vt & hi, qui iis fruuntur, & qui hos vident perfrui, non humanum in eo meritum vllum, sed tantum diuinam liberalitatem & gratiam admirentur. Sic igitur sese res habet: vt exillo meo labore atque vigiliis, præferente lumen menti meæ sancto illo spiritu, qui in domo quamuis sordida suam tamen intactam & illibatam retinet dignitatem, sperem fore mysteriũ fidei etiam incredulis, & prius ista contemnentibus, si modò rationibus acquiescere constituerint, clarum atq; illustre. Nam quòd meadmones, vt interpretes eos legam, in manibusq; habeã, qui piè, & erudiтè in Paulum commenti sunt: cõsilium tuũ mihi vehementer probatum est. Quod quidem etsi mihi antea venerat in mentem, fueramq; in eis libris, quos tu mihi proponis, diu & multum accuratissimè volutatus: posthac tamen studiosius etiam faciam, quòd tantopere tibi id placere intelligo. Veruntamen & Chrysostomus summus vir, atque eximius Pauli interpres, magno mihi vsui fuit: & cæteri simili pietate ac ingenio non parum opis mihi auxiliiq; contulere. Atq; hic quidem, modò quem nominaui, lingua expolitus, copia abundans, sententiis creber, genere quodam dicendi incitato atq; denso, non decet solùm nos ea quæ sunt fideі in Paulo, quod ipsum sanè egregiè, & perquam doctè facit: verùm animos præterea quoq; nostros vsq; eò permouet, vt cùm eum legimus, accurateq; attendimus: tum maximè probi & iusti cupiamus esse, imprimisq; continentes. Augustini verò, cuius ego ingenium præcipuè soleo mirari, inchoatam in hanc epistolam ad Romanos scriptionem tantummodò habemus: & quædam item epistolæ obscuriora loca quasi subciuis operis tractata. Origines redundat & effluit, maximi vir ingenij, excellentisq; doctrinæ: sed cũius in tanta vbertate & copia, vix queas aliquid certi comprehendere. Huius sententias imitati recentiores plerique haud ita multum deinde de suo, quod accipere debeamus, attulerint. Ambrosius restrictus, & quasi refugiẽdo se ostendens, summa tamen doctrina & sanctitate vir. Laboriosus Thomas, idemque magis alienæ sententiæ narrator, quam demõstrator suæ: qui tamen collectis omnibus iis propè, quæ ab aliis dicta sunt, & laborem minuit nobis inquirendi, & curam acuit diiudicandi. Hieronymus aliquanto demissior, (si tamen is Hieronymus) quam videatur tantarũ explicatio rerũ postulare. Nam collectanea Græca quæ esse penes te scribis, (habeo enim ego ferè similia quædam composita ab Eunomio) nihil aliud, vt ego coniicere possum, quàm Chrysostomi selecta & breuia dicta sunt. Vnus est reliquus ex iis, quos mihi nominandos duxi, Theophylactus: bonus nimirum autor, idem nudus ac venustus, & qui verum & germanum sensum Pauli breuiter atque aptè totidem penè verbis, quot ille scripsit, persequatur. Habes quorum ego potissimum

subsi-

subsidio & doctrina in hanc scribendi rationem ingressus sum? quibus tu, si habes alios meliores, aut quos mihi æquè existimes amplectendos, si eorum me certiorem feceris, obediam, & patebo autoritati tuæ: omniaq; te præmonstrante libenter exequar, quæ ipse consulueris, & ad quæ tu me fueris adhortatus. De quæstionum magnitudine, & difficultate, quæ in hac ad Romanos Epistola versantur, idem sentio quod tu: nihil esse illis implicitum, neque tamen excussum ac exagitatum magis: quas longo penè temporum interuallo sopitas, Lutherani rursum in contentionem & certamen deduxere. De iis quod sententiam meam exquiris, nõ est id vnius Epistolæ negotium: & satis tamen in commentationibus nostris de eis rebus disputatum est. Breuiter tamen sic habeto: Fidem à me distingui, & secerni ab operibus iustitiæ iis, quæ per legem præcepta sunt: sine tamen iustitia quadam sua diuiniore multò & præstantiore, fidem nullam à nobis posse constitui. Nam quæ verbis tantum voceq; vsurpetur, si non sit radix in corde priùs validè defixa, similem eam esse ramis non cognatis cum arbore, sed hærentibus. Illa est fides Paulo, cùm corde creditur ad iustitiam: sic enim demum ore confessio est ad salutem. Itaq; idem ipse Paulus ad Philippenses scribens, cùm iustitiam se legis libenter reliquisse, vt eam quæ ex fide est iustitiam adipisceretur, exponit: fidem profectò ab humana iustitia hac segregat, & in diuina illam iustitia constituit. Quæ autem diuina sit iustitia, & quæ humana, & in libris nostris perscriptum est, & nos te ad illorum lectionem reiiciemus. Neque enim fas tantis de rebus tam exiliter impræsentia scribere. De libero arbitrio, & de Gratia, quæ duo videntur inter se ita esse opposita, vt maximis olim concertationibus agitata in Ecclesia Dei fuerint, & nunc ab his recentibus hæreticis repetuntur. Ego & Pelagium grauiter accuso, qui dari nobis præmium pro meritis nostris sine gratia voluit: cum nullum omnino meritum à nobis, nisi dono gratiæ prodeat, & proficiscatur: & Augustino non vsquequaque assentior. Nimium enim extremè ex contraria parte is diuersam mihi causam videtur defendisse: cuius ratio si vera sit, in maximas difficultates, & impeditissimas actiones consiliorum ac voluntatũ, hominum mentes incidere necesse est: vt nequeant explicare, quid optimum sit factu. Ego verò illam nostri animi ac voluntatis assentionem ad arbitrium nostrũ reuoco, qua præbemus nos Deo faciles & obtemperantes, vt is deinde nos fingat & flectat quò velit: omnem autem plenam actionem, omnemque laudabilem boni operis fructũ, & quicquid denique est in quo vis meriti insit, ad diuinam gratiam sine dubitatione vlla refero. Atq; hæc non modò sic ponuntur à nobis, sed validis (vt puto) rationibus argumentisq; firmantur, autoritate vbique scripturæ adhibita,

quæ commendet & corroboret rationem. Verùm de Paulo satis. Quòd scribis, damnari à me studiũ Hebraicarum literarũ tuum: non puto ea mente me ad te scripsisse, vt operam tuã in ea re damnandam esse dicerem: potiùs illud non tam reprehendi equidem in te, quàm desideraui, vt in Latinis & Græcis studiosius te exerceres. In quo ego nõ Hebraica studia contempsi, sed illis hęc anteposui: quæ sunt (meo quidem iudicio) ad id quod quærimus longè vtiliora. Etsi vereor, ne tibi videar arrogans, qui de incognitis rebus audeam iudicare. Sed (quęso) audi quid moueat me: Primum salus nostra in Euangelio est: id autem est totum Græcè traditũ. Deinde si ex vetere scriptura testimonia quærimus, quib. Euãgelio fides addatur, parúmne multa ex ea percepta habemus? At enim illa è fontib. haurire conducibilius multò est. Fateor: si possint haberi pura & liquida. Sed quid causæ est, quòd omnes penè qui ad eam linguam se dedunt, tanquam cæteri nihil antea viderint, nouas conuersiones nominum ipsi reddere conentur? quod ipsum & in his libris cernimus, qui vim singulorum verborum explicant, qui nullius fermè vocabuli significationẽ & sententiam referunt, nõ multiplicem. Cur Paulus summus legis doctor, natiuæ linguæ peritissimus, cùm sacros scripturæ citat locos, eos semper non ab isto fonte, sed à septuaginta interpretibus accersit? Nam quod de semine mulieris & serpentis tu commodè exponis, non aliter video à septuaginta fuisse translatum. Duo cherubin, duo testamenta existere, perbellè interpretatum est, a numero videlicet coniectura ducta. Nam si vtriusq; testamenti vis exprimenda fuit, decuit alterum cherubin, tanquam inferiorem & ministrũ, alteri ancillari: qui ambo tamen penes arcã Domini pares effecti sunt. Vide potiùs, ne ministerium Angelorum, quo Deus in populo illo dirigendo vsus est, eo monumẽto denotatum fuerit: qui duo statuti sunt, vt ab eo ordine vnitas, quæ sola est adoranda, remota esse intelligeretur. Quanquam ego in his non pugno: licitũ enim est vnicuiq; suo modo interpretari: cùm ad ea quæ ex Spiritu sancto perscripta sunt, omnes quæ ad pietatem faciunt, accommodentur sententiæ. Illud dico, esse quasdam prædictiones in sacris literis futurarum rerum, ita euidenter claras & manifestas, vt nusquam aliò, quàm ad Christũ referri possint: sicut illa est inter homines venturi Messiæ diuersatio: mors quoq; eius & ignominiæ ab Esaia propè depictæ, & Zachariæ illa crux: & Iacob prophetia: conuocatio quoq; gentium, & sponsi sponsæq; connubium, quod in Psalmo quadragesimoquarto ita decantatum est, vt perspicuè appareat, duos esse, quibus honos ibidem, & nomen Domini Dei attribuatur. Multa prætereo breuitatis causa, & quòd tibi notiora esse arbitror, quàm mihi. Nomen quippe Dei omnipotentis, Tetragrammaton ad mira-

miracula patranda etiam valere, his qui illud nouerint, veteres existimauere: totamque eam scientiam appellauerunt Cabala. Cuius vis quæcunque sit, (non enim scio, neque didici) maxima sit quidem per me licet: non enim volo à me cuiquam arti esse detractum. Quod tamen sentio id proferam. Primùm, non egere nos huiusce modi arte ad salutem nobis comparandam. Deinde visos à me permultos, qui ex hac scientia non religione, neque pietatem: sed aut vanas aut etiam impias superstitiones susceperint. Quod etsi accidere poterit, hominum, non artis vitio: tamen timiditas mea eiusmodi semper fuit, vt nunquam passus sim eius rei nomen, nedum cognitionem & studium, ad aures meas propius accedere. Quid ergo est? num nam reprehendo ego eos, qui ista consectantur? Minimè: omnem enim cognitionem & scientiam dignam homine libero iudico: nec si quid fortasse ex aliqua aliquando periculi impendet, non tuam grauitatem & sapientiam superiorem omni periculo statuo: sed meam imbecillitatem vereor. Itaque aut non valenti mihi, aut non volenti, illa esse aliena & remota studia non admodum fero moleste. Quam etiam imbecillitate adductus, cùm suasi tibi, vt Paulum assiduè haberes in manibus: non id eò feci, quòd putarem illum minus tibi familiarem esse: sed quòd arbitrabar, quò plus in eo operæ studiique poneres, in Hebraicis autem literis minus, quantum temporis scilicet ex illis detraheres, ad Paulumque transferes, hoc melius & præstantius studiis tuis consultum fore. Qua in re, & in simili coeiusmodi dando, si erratum à me est, peto à te, mihi vt ignoscas: bono quidem animo id feci, quanquam fortasse imprudenter: Sed æquum est nos inter nos & non agnoscere sæpe culpas, & beneuolentiam semper adhibere. Etsi hoc quidem posterius tu vnum facis, ego cum amore culpam aliquam interdum in meis factis adiungo. Nunc venio ad quæstiones, de quibus sententiam meam scisciteris, quarum duæ locorum sunt, alteræ rerum. Quæris quod fuerit Tertium cœlum illud, ad quod sublatus est Paulus. In quo respondeo tibi: tertium ibi cœlum à Paulo pro summo & vltimo poni, in quo non sydera, neque astra, sed diuina mens inhabitat: nam & Tertium illud superlationis vim habet: & mox subiungit ipse, audiuisse se ibidem arcana verba, non contemplatum spectacula fuisse. Quanquam autem ista cœli mentio, non tam loci, quàm rei significationem habeat: (non enim in loco habitat Deus, sed ipsa Dei virtus & potentia semetipsa continetur: cuius arcana qui audiunt, a Deo edocti, ad domicilium Dei extolluntur) tamen etiamsi ordinis & loci reddenda est ratio, congruè cœlum istud tertium esse dicitur: quando primum, ducto hinc initio, est aeris & ignis circumiens vna cum cœlo mundi inferior globus: qui non so-

lùm vulgò, ſed ab omnibus poëtis Cœli vocabulo nuncupatus eſt: vſque eò, vt ne alienam quidem à natura ignei elementi ſuperiorum orbium naturam eſſe veteres exiſtimarint. Quod idem & in Geneſis principio videtur comprobatum: quà firmamentum quod nominat cœlum, inter aquas duplices conſtituit Deus: tametſi de hoc quidem non tam mihi liquet. Alterum porrò cœlum aſtra ſignaque continet. Tertium eſt Deo, & cœleſtib. illis mentibus attributum. Sed vt dicebam, non tam locum, quàm rem notare voluit Paulus. Summum n. profectò cœlum illud eſt, ex quo hauſta illi fuit diuina ſapientia. Quod item de ſinu Abrahæ, in quo recumbebat Lazarus, intelligendum eſt: nuſquam enim ibi locus, ſed res tantùm eſt deſcripta: cùm is qui iacebat in miſeriis, Lazarum vidit in beatitudine recumbentem. Aut ſi in eo locus quærendus eſt, ſinus Abrahæ regnum cælorum eſt. Sicut ipſe Dominus alio loco, Venient multi, inquit, ex ortu, & occaſu, & recumbent cum Abraham, Iſaac, & Iacob in regno cœlorum. Filii autem regni eiicientur foras. Felicitas igitur eo loci, & miſeria in euangelio eſt expoſita: ea quæ morientes diſpari ſanè exitu exceptura eſt, locorum autem propriè non eſt ſpectata ratio. Inter felicitatem porrò & infelicitatem maximum vtique interpoſitum chaos eſt: quod etiam eſt impermeabile, iudicio Dei præmiis iam, pœnisque conſtitutis. Hactenus de locis. Nunc de rebus eſt dicendum. Ac primò, Auaritiam eſſe idolorum ſeruitutem, non vno loco dixit Paulus: ea ratione, quod qui pecuniæ ſtudent, totius vitæ ſuæ ſpem & fiduciam conſtituunt in pecunia. Quod in alijs cupiditatibus non fit: nam cæteræ cupiditates ſingulares ſunt, auaritia vna reliquas omnes complexa eſt. Quæritur enim ad eam rem pecunia, vt cupiditatibus omnibus ſuppeditetur. Porrò ponere vitæ totius ſpem alibi quàm in Deo, alium ſibi eſſe Deum adſciſcere, & adoptare: quod in auaritia præcipuè quoque euenit, quando cupiditates aliæ ſubitis ferè motibus incitantur: auaritia habet certum & conſtitutum conſilium. Ita & vitulum, quem dimiſſo Deo Iudæi adorauerunt, non ſine myſtico ſenſu, auaritiam eſſe cultum Idolorum, legimus fuiſſe aureum. Alter locus eſt apud Lucam, quo Dominus rediens à nuptiis, ſeruis fidelibus, qui vigilauerint, menſam appoſiturus eſt, eisque ipſemet miniſtraturus. Torquet enim te verbum illud Tranſiens: quòd non à tranſeunte, ſed à permanente velles ſanctis Dei & electis conuiuium exhiberi. Sed error eſt in verbo, non enim Tranſiens, ſed Obiens, debuit transferri: id enim Græcè eſt παρελθών. Obire autem præter oculos diſcumbentium multa neceſſe eſt, eum qui pluribus velit miniſtrare: eſtque verbum illud non abitus, ſed ſedu ıratis. His ſic expoſitis, dicendum tibi à me ingenuè eſt: in quo

in quo vereor, ne tu aliena sententia sis, qui humanam putes sapientiam, bonarum artium & literarum cognitionem esse, eam videlicet quæ est inimica Deo. Non enim ita est. Humana est illa sapientia, quam refutat & aspernatur Deus, aduersúsque eam in honorem stultitiam adducit, quæ illa sapit & meditatur, quæ ad fructus rerum mundanarum comparandos apta, appositáque sunt: quam nos Prudentiam vulgo appellamus: Solertiam quādam accuratè & cautè internoscentem molestias, & voluptates: eáque adhibentem, quæ opes, honores, diuitias, potestatesque sint allatura: contraria verò reiicientem, atque euitantem. Hæc enim ad diuersum longè finem a Deo, tota directa est: & qui in hisce stultus est, hoc est, cui ista præ cœlestibus cordi non sunt, ille Deo præcipuè gratus & probatus est. Artium verò liberaliū, & philosophiæ cognitio, in eximia parte veræ sapientiæ statuenda est: si sit ea ad Deum ascendere volenti tanquam gradus, non autem ad mundi fastum, præmiaque conuersa. Neque ego arbitror, quod audacter confirmare possum, quenquam in sacris literis, aut vlla denique in arte scientiáue satis vnquam instructum & eruditum fore, cui ignorata philosophia fuerit. Ad quam ego te adhortari pro coniunctissima nostra necessitudine non desinos vt quæ te in adolescentia tua aluit & produxit, eadem prouectiore quoque ætate ornet & comitetur: tuáque artis præstantissimæ & optimæ, cuius adminiculo & viribus theologia est innixa, vberiores inde fructus feras. Vale & nos dilige. Carpentoracti, III. Nonas Aprilis, M.D. XXXIII.

VI.

IAC. SADOLETVS EPISC. CARP. *Federico Fregosio Archiepiscopo Salerni, S.P.D.*

IN extremis literis tuis, quas abs te Nonis Iulij datas, ego tertio Idus Nouem. accepi, ratio à te reddita est, quare epistola tua sit longior, teq; velut excusando exponis, non potuisse propter rerum copiā, & huius in scribendo muneris inexperientiam, (sic enim loqueris) breuius & contractius scribere. Quod ego quam in partem proferas, constituere adhuc non possum. Etenim si mea id causa dicis, quòd vereare, ne quid tuarum longitudo literarum offensionis mihi aut molestiæ afferat: arbitror fieri à te nonnullam & mihi, & mutuæ nostræ coniunctioni iniuriam, si putas me offendi posse tuis literis: aut si suspicari de me in animum inducis, quicquam mihi accidere abs te posse, quod non sit mihi omni cum lætitia ac suauitate, & expectatum, & gratum. Imò verò tu, si quando breuiter scripturus sis, ad id tibi potius excusationem comparato: quasi inuideas mihi

mihi eximiam partem meæ voluptatis, cui iucundissima sunt scripta tua, eadem quæ longissima. Etenim cùm te ipso carere mihi necesse sit, tuamque optatissimam, & mihi certè spectatissimam virtutem, prudentiam, humanitatemque quotidie requirere in mentem veniat: quid magis solatio potest esse, & leuamẽto, quàm in tuis literis, in tuis sermonibus scriptis, quando viua voce frui non licet, in tui memoria & cogitatione acquiescere? Quæ tunc me maximum in modum delectat, cum aliquid de te, vel abs te, recens ad me allatum aut audio, aut lego. Sin autem illud ipsum, scribere diffusè, & abundanter, tibi ipsi fortasse graue, odiosumque est, plusque in eo, quod multum scribis, laboris, quàm quod ad me scribis, inest voluptatis: equidem tuo imprimis commodo esse consultum volo. Sed tamen scito tua ista sententia (si modo ea tua est) nil mihi accidere posse incommodius. Sed neque vt hoc tu ita sentias, persuaderi mihi potest: & ego initium tuarum literarum sæpenumero degustans, in quo suauissimè atque amicissimè, tanquam deplorans disiunctionem nostram, & quotidianos mecum congressus expetens, scribis, postquam id nobis ereptum est, vt iam nequeamus esse vnà, daturum te operam, vt sacris de rebus ac quæstionibus literæ inter nos, & percunctationes non conquiescant: cum facilè adducor vt credam, te quoque ad me libenter scribere: tum id certè tibi de me polliceor, & in scribendo ad te, & in tuas legendo, nullam à me percipi voluptatem, quæ quidem mihi maior esse videatur. Sed de his satis. Neque enim dubito, quin tu in amicitia nostra pari mihi & fide, & voluntate respondeas. Quod molestiam meam (sic enim appellas) tibi probatam esse dicis: gaudeo maiorem in modum, si quid fortasse imprudentius scriptum à me fuit, id à te in bonam partem accipi: plusque in hoc multò æquitati & humanitati tuæ, quam meæ modestiæ & moderationi tribuendum est. Ego enim omnino scripsi inconsideratius: visusque sum præ me ferre (à quo certè abesse longè cupio) iactantiam quandam verborum, & animi leuitatem. Neutrum horum quidem ex ingenio meo: sed tamen nescio quo pacto mihi illud excidit, cuius me quotidie magis pœniteret (etenim magis indies ac magis difficultate susceptæ oneris ac muneris retardor) nisi in eum hominem incidissem, qui cum summo & singulari iudicio, summam quoque æquitatem & clementiam naturæ habet coniunctam. Quapropter si me amas, quantum profectò amas, aut illa de literis meis verba tollito: aut ipsas potius concerpito literas: ne apud alios non tam æquos homines, neque tam amantes mei meum mihi dedecori erratum sit. De fide & Operibus, nec tuam, satis perspicere quini sententiam, nec meam tibi paucis perscribere audeo, etsi eram tum, cùm has literas dabam, in eo ipso loco

& parte

& parte operis mei, in qua de Operib. legis agitur, recognoscenda, occuparus. Itaque in id tempus hæc tantæ quæstionis disceptatio reiicietur, cùm absoluto libro, aut illum integrum, aut saltem particulam istam excerptam ex eo ad te mittam. Responsiones meas tibi probari lætor: etsi id te magis confirmandi mei causa, quam quòd tua illæ approbatione dignæ sint, ita sentire puto. Certè quod prouidebam & expectabam, potuisses tu me in maximas difficultates coniicere: si quà sinum Abrahæ regnum intelligi cœlorum dixi, illud apposuisses, quærendo & percunctando, num ante aduentum & mysterium Christi quisquam omnino homo in cœlorum regnum introire potuisset. Scis enim his de rebus, quæ sit, & quanta contentio. Tertium autem cœlum sedem esse summi & præpotentis Dei, coniectura etiam magis, quam cognitione certa suscipimus. Nam quòd ad omnia tu paratas velis scripturæ esse sententias & autoritates, sit id copiæ & intelligentiæ tuæ: nos enim in toto isto genere ieiuniores sumus. Quòd Hebraicæ linguæ tantum tribuendum putas, ego etsi in alia solitus sum esse sententia, non quòd linguam illam vaquam improbarim, sed quòd Græcis semper magis fui deditus: tamen cùm tantum tuum iudicium sit, facilè tibi assentior, rem ita se habere, vt tu dicis: hoc etiam magis, quòd tu vtriusque linguæ egregiè peritus & prudens, summam diiudicandi facultatem habere potes, mea quidem pigritia huiusmodi est, vt eo quod habeam, quamuis pusillo & tenui, cogar esse contentus: neque ad maiora illa aggredienda, aut animus mihi, aut vires suppetant. Quamobrem tu & tuam vicem, & meam, si in his elaboraueris, quæ tantopere nostræ religioni conducere existimas: mihi nil deperibit. Nam & vtilitate eadem tecum perfruar, & tuam gloriam (si modò est spectanda in hisce rebus vlla gloria) mihi quoque recuni statuam esse communem. In tali enim amicitia & coniunctione, cuiusmodi nostra est, nihil vtrique nostrum ab altero seiunctum potest esse. Deo Cherubin neque ego inficiatus sum duo testamenta rectè posse ἀναλογεῖσθαι, & tamen ratio illa veritatis, quam in ambobus eundem gradum tenere vis, aliquantum mihi diuersa videtur. Nam & vmbræ verè sunt vmbræ, & corpus verè corpus: interest tamen non parum inter vmbrarum & corporis veritatem: vtrunque enim æqualiter verum est, sed non æquale verum. Sic & cœlum scabellum pedum Dei, etsi id non æquè verè cœlum esse id dicimus, atque Deum esse: longo tamen differt veritatis interuallo à scabello suorum pedum Dei. Verùm hæc subtilioribus istis disceptatoribus relinquenda sunt. De arcana illa Hebræorum diuinaque scientia, quoniam nihil cognitum habeo, ne habeo quidem quicquam quod dicam: meam omnem sententiam ad tuum de illa iudicium ac

commu-

commodo. Quod mihi de ea submouerat aliquam suspicionem, & tibi ingenuè prolocutus sum: & tu scelus ac culpam nonnullorum in eo genere conuitiis insectatus es. Mihi, his dimissis, illud potissimùm curæ est, vt in Euangeliis & Paulo abstrusos & reconditos indagem sensus. Vtor autem interpretibus nullis accuratiùs, quàm his autoribus ipsis, qui illa scripta diuinitus ediderunt, vt è fontibus magis, quàm ex riuis hauriam. Itaque locum illum de duob. gladiis in Luca meo quoque sensu interpretatus: rectè, an secus, vt tu queas diiudicare, misi ad te exemplum meæ lucubrationis, quam leges cùm tibi erit otiũ. Quin & illud, quod penè fueram oblitus, scito datum mihi negotium a Pontifice Maximo, quem nos visum & salutatum Massiliam accessimus, vt totum illum sermonem interpretet, qui est à Christo habitus cum Nicodemo, cap. III. Ioannis, si ritè recordor: in quo de Spiritu spirante vbi velit, & quanquam vox eius audiatur, ignorato tamen vnde veniat, aut quo vadat, obscura admodum & perdifficilis est narratio, tantis doctissimorum dissensionibus vt mihi videatur fieri posse implicatius. Item & alter locus in extremo Euangelio mihi exponendus est, quo Christus Magdalenam ipsum agnoscentem prohibet ab amplexu. Noli me tangere, inquiens: nondum enim ad patrem ascendi meum. In his duobus locis explanandis si quid tu mihi afferes subsidij, atque opis, ac laborantem tuo præstante ingenio subleuabis: erit causa, cur hunc laborem mihi fuisse optandum putem. Quod obsecro te quidem vt facias, reque inspecta accuratè & diligenter participem citò me facias & sensus & iudicii omnis tui. Quid aliud tibi scribam? quid? illud nimirum, mihi esse molestissimum, quòd vsq; eo tardè commeent inter nos literæ, quippe cùm recentes hæ tuæ quatuor menses ipsos in via morate fuerit: quòd si idem euenturum est in meas, quæ spes est, nos posse hac iucundissima, & mihi multum exoptata consuetudine scribendi inter nos, curasque communicandi, perfrui? Quare si Lugdunum scripseris ad tuos vt studeant esse diligentiores, & illos credo expergefeceris, & mihi feceris gratissimum. Vale, Carpent. Idibus Nouemb. M.D.XXXIII.

VII.

IAC. SADOLET. EPISC. CARP. FEDERICO Fregosio Archiepiscopo Salerni, S.P.D.

ACCEPI literas tuas, quas Bachij puer ad me attulit, à quo cùm percunctatus essem de te ea quæ volebam, atque is mihi omnia læta respondisset: alacriore animo conuersus sum ad lectionem literarum; in quibus recognoui animum tuum pristinum

num erga me, & plenam beneuolentiæ, atq; humanitatis voluntatem: qua nihil mihi accidere solet optatius. Hortensium meum valde tibi placuisse sanè gaudeo, cùm enim iudicium tuum faciam tanti, quanti certè facio, tum verò homini amicissimo, omnium-que grauissimo, probari labores meos maximum certè mihi fructum voluptatis & lætitiæ affert. Siquidem ea quæ agimus, ab optimo quoque maximè probari cupimus. Et sanè in hoc genere literarum nunc studiosiùs versor: philosophiæque magis inhæreo quàm antea. Recordor enim prudentissimum consilium tuum, quod quibusdam ad Paulum literis mihi das: Videndum nobis esse, qui sacras literas tractamus, quemadmodum eas in publicum proferamus: quòd tantum sit hominum fastidium in hoc tempore, vt difficillimè reperiatur quod placere possit. Illarum verò tractatio etsi non hoc consilio à me erat susceptа, hominibus vt placerem, sed quoddam mihi officium iustum ac debitum suscipi videbatur: vt quoniam videbar mihi nonnullas Pauli sententias planius & diligentius declarasse, industriæ & vigiliarum mearum fructum communicarem cum aliis. Tamen cùm videam rem secus euenire, quàm putaremus: neque religionis, & pietatis studium, quod ego maximè spectaram, sed lites, & diffidia potius seri: abstinendum hoc quidem tempore opinor ab hac ratione scribendi, & ad philosophiam omnem operam conferendam. Quod sanè ego facio: iamque habeo mihi duo argumenta proposita, ad quæ, ætas cum defluxerit, magno animo sum aggressurus. In quibus etiam religionis semina & inuitamenta quædam ita aspergam, vt appareat nos Christianos esse, cæterisque consulum in optima ratione agendæ vitæ cupere. Effugiemus enim hoc modo calumnias obtrectantium, quorum argumenta atq; scripta si veram pietatem redolerent, animosque hominum ad amorem Dei accenderent: aut si denique ipsimet ea, quæ tanto strepitu spirituq; prouoluunt, mente atq; intelligentia ita concoquerent, vt scirent planè quid loquerentur: essent eorum reprehensiones & monita cum summo honore à nobis accipienda. Sed quo animo ipsi contendant, nouit Deus: quàm verò scienter agant ac peritè, nos quoque possumus aliqua ex parte iudicare. Verùm his omissis, de Hortensio tibi respondeo, nullam mihi esse causam editionis festinandæ: cùm & multorum sententias ex Italia expectem, imprimisque Bembi nostri, & ipse etiam accuratius librum sim retractaturus. Magnam enim rem, vt illa est, maiore fortasse animo à nobis susceptam, quàm consilio, voluimus etiam atque etiam considerare. Quod quando factum simus, nondum habemus exploratum: & tamen cùm nobis constitutum id fuerit, certiorem faciemus. De concilio

verò

verò ſcribitur ad me ex vrbe, rem decretam eſſe: ad annumque nos Mantuam conuenturos: quò veniam equidem, neque pro mea parte huic officio deero: etſi maximo meo cum incommodo hinc ſum me commoturus. Veruntamen impius, atque ingratus erga omnipotentem Deum eſſem, cui in corde meo puré ſeruire cupio, niſi meas eius officii partes ſuſciperem. Vtinam modo agatur aliquid ſpiritu ſancto dignum: nos quidem operam pro noſtra exiguitate eam præſtabimus, quam nobis præſcripſerit, & inſpirauerit Deus. Quòd verò ibidem te viſurum me confido, magnum erit id ſolatium meorum incommodorum. Itaque iam nunc tecum ago, vt tu, qui propius abes ab illis locis, futurusque es ad omnia expeditior, ſi tibi videatur, des operam, quò vicinitate coniuncti eſſe poſſimus: maximeque vt librorum ad rem pertinentium copiam habeamus: quò communi ambo & ſtudio, & voluntate, quantum in nobis erit, conſulamus Chriſtianæ reip. Ac de his quoque ſatis. Paulus te & veneratur & obſeruat, idque optimo iure facit. Is mihi adiutor in hac regenda eccleſia & ſucceſſor datus eſt à Clemente VII. Pont. Max. eiusq; rei diploma habemus Maſſiliæ confectum, nobisque perliberaliter, & ſine pretio vllo traditum, quod te ſcire volui. Auere enim videbare in tuis literis id cognoſcere. Vale. VI. Calend. Iunij, M.D.XXXVI.

VIII.

FREDERICVS FREGOSIVS ARCHIEpiſc. Salerni, Iacobo Sadoleto Epiſc. Carpentor. S.P.D.

QVAM vellem mutua tibi amicitæ noſtræ officia ex meis ſtudiis præſtare poſſe: & te quàm ſimillimo munere remunerari. Sed quando pares tibi referre gratias minimè poſſumus, eò maiores habebimus. Quapropter hunc ad te ex noſtris contubernalibus nuntium deſtinaui, vt eſſet cui tutò, ac ſine vtriuſque noſtrùm ſolicitudine liber tuus committeretur, & ad nos quàm celerrimè præferretur. Mira enim auiditate teneor tuorum ſcriptorum, dum ea non lego, & dum lego voluptate. Gratum tamen mihi admodum feciſſes, ſi ſuperioribus tuis literis libri argumentum ſignificaſſes. Sed hoc te puto facere voluiſſe, vt vna tantùm, ſed ea maiore lætitia perfunderemur. Tuæ autem prudentiæ erit ſic librum inuoluere, & operimentis munire, vt à pluuiarum iniuria integer atque incolumis nobis reddi poſſit. Eum cum perlegero, ſententiam de eo meam, atque iudicium diligenter perſcribam: vt ex me cognoſcere poſſis, quam in tua ſcripta

pta atque in te ipsum iniquus sis iudex. Nemo enim est (mihi crede) à quo ea probari malle debeas, quàm à te ipso: nec grauius iudicium ad ea examinanda afferri potest, quàm quo in scribendo fuerint meditata. Scripseram ego quoque his diebus meditationes quasdã in duos Psalmos quàm breuissimos, in CXXX. & CXLV. feruenti sanè animi affectu, sed frigido atque inerti stylo meo scilicet: quas ad te olim misissem, nisi & eadem librariorum penuria ac tu, hîc laboraremus. Et (vt verum fatear) acrimoniam ingenii atque iudicii tui subueritus essem, ne tu ab aliis exigeres, quod præstare solus potes. Illudque veniebat in mentem, huicquid mihi cum tam seuero iudice, qui cùm sua scripta cæteris probentur omnibus ac permagni æstimantur, solus ipse non probat ac reiicit. Sed si æquiorem fore te in me iudicem, quam in te ipsum sis, pollicitus fueris, fortasse mittam, & aliqua ratione eas describendas curabo: ea etiam conditione addita, vt nulli omnino eas legendas concedas, nisi planè intimus amicus tuus sit, ac propè domesticus: ne antequam adhortationibus tuis de asterendis Tullianis codicibus obtemperare cœpero, inertiæ ac tarditatis infamiam subeam. Misi eas tamen Ludouico Buiceni episcopo, cuius iudicium non adeò reformido. In quibus eum vinam affectum deprehendere posses, quo scriptæ fuerunt minus enim essent ineptæ: attamen aliquantulam in sacris literis exercitationem agnosces. Sed de his nimis multa. Profectionem meam in Italiam ex primo vere in vltimam æstatem reiici. Quid etiam tunc facturus sim, mihi nondum planè compertum est, ita omnia mea consilia incerta atque implicata reddidere eæ calamitates, quæ ex Italia nuntiantur. Quicquid autem statuero, quàm primum vt scias curabo. Illo enim suaui amicorum nostrorum conuictu atque consuetudine, ex qua summam voluptatem percipere solebam, vix tam diu careo, vitamque meam eo nomine acerbissimam puto. Hic verò nouos parare, qui loco illorum substitui possint, quos vel mors eripuit, vel fortuna disiunxit, mihi sanè est impossibile, his præsertim temporibus, his regionibus, his moribus. Fac vt valeas: & amicitiam nostram, vt literis mandas, ita etiam memoria conserues. Paulo verò nostro multam salutem. Diuione, pridie Non. Februarij.

IX.

IAC. SADOL. EPISC. CARPENT. IOAN. Matthæo Giberto, Episc. Veronæ S. P. D.

IAm dudum est, cùm ego ad te nihil literarum dedi, quod accidit non oblitione tui mea, neque pigritia, aut negligentia nostra:

sed quod ipse meis occupationibus impeditus, dubitans de tuis, veritus sum ne mea sedulitas forsitan tibi molesta esset, si te à grauioribus & sanctioribus curis inanium lectione literarum auocasset. Et si inanes nunquam epistolæ esse solent, quæ vt aliud nihil afferant, testes tamen sunt amoris, & conseruatæ optimæ voluntatis. Verùm hoc testimonium neque (vt ego arbitror) tu à me desideras: neque ego abs te requiro, satis enim nostra vetus constansque amicitia testimonij vtrique nostrum præbet, esse nos inter nos quales esse debemus: amicissimo animo videlicet, & constantissima voluntate coniunctos. Ego ijs proximis mensibus audiui, impressos esse tua impensa, & opera, optimos autores Græcos: quorum in sacris literis interpretandis egregia doctrina est & autoritas, quo nuntio valde sanè lætatus sum, animumque tuum pristinum recognoui propensum ad bene merendum de artibus optimis. Quarum tamen princeps ista est, quæ ad Deum, & ad veram felicitatem est directa. Hoc si ita sit, quod ego confido esse, fretus tua animi præstantia & liberalitate, peto à te, vt me certiorem facias: vt, siue sit perfectum negotium, ipsis voluminibus & libris, siue in eo vt perficiatur, spe propinqui commodi oblectare possim. Nos hic commentarios in Epistolam ad Romanos scribimus: opusque difficile & arduum ita tractamus, vt in eo præcipuè laboremus, quo extare possit tibi, quod iam pridem sumus polliciti: obscuras ancipitesque sententias in ea epistola permultas nostra cura & diligentia dilucidiores fore. Magno in eam rem animo incumbimus: maiore etiam labore. Sed neque animus noster, neque labor, sine Dei ope quicquam potest. Ad eum igitur confugiendum est, omnisque verioris scientiæ illuminatio ab eo vno poscenda, ac flagitanda. De cætero, sat rectè nos valemus, tametsi ingrauescente iam ætate appropinquantis senectutis incommoda incipimus præsentiscere. Sed illa feremus forti animo. Tua mihi curæ est valetudo, quam cupio prosperam atque bonam tibi perpetuò esse. Et quanquam dixi paulò antè à neutro nostrum debere desiderari mutuum amoris & beneuolentiæ testimonium, quòd illud vtrique nostrum de altero exploratum est: tamen si quando quæ ad me scripseris, deque tua erga me voluntate certiorem me feceris, nunquam non maximam capiam ex tuis literis voluptatem. Hoc si tibi erit difficile ipsi, poteris idem per duos. Omnis enim de te significatio, & de statu tuo atque incolumitate, deque recordatione nostræ necessitudinis, semper mihi gratissima, atque optatissima futura est. Vale, & nos dilige. Carpentoracti, VI. Cal. Nouemb. M. D. XXXI.

IAC.

X.

IAC. SADOLETVS EPISC. CARPENT.
Ioan. Matthæo Giberto, Episc. Veronæ S.P.D.

LIBROS tuos accepi vna cùm literis: quorum vtrum fuerit mihi gratius, constituere satis non possum. Nam & literæ tuæ beneuolentiam, qua me complecteris, mihi declararunt: & libri virtutem animi tui, illam ipsam pristinam, quam ego anteà in te cognoui: per quam tu ad illustrandas, & in honorem prouehendas optimas arteis semper fuisti propensus. Ac reliqua quidem duo volumina Damasceni & Enthymij mihi grata, illud verò in Pauli Epistolas Chrysostomi peroptatũ etiam fuit. Quid enim mihi accidere potuit optatius, & rationibus meis magis accommodatum, quàm cùm in eadem me exercerem palæstra, in qua tantus vir tantopere insudauit, habere me eum & monitorem, & magistrum, cuius doctrinæ & autoritatis neminem possit pœnitere? Qui cùm in omnibus operibus suis, quæ multa sunt, vel pene dicam innumerabilia, & fluens semper sit, & dulcis, & sine labore cultus, sine deliciarum suspicione nitidus: tum verò in hoc opere ad ea ornamenta orationis, quæ dixi, nescio quid plus grauitatis addidisse mihi visus est. Cui ego palmam in intelligendis, ac enucleandis scripturis sanctis, sine vlla dubitatione tribuo. Proximus huic mea sententia Augustinus: non ille quidem ingenio minor, nec ad scrutandum atque ad exponendum minus diligens. Sed Græcæ linguæ ignoratio, qua imperfecta Augustinus vtebatur, vim in eo maximi ingenij, tanquàm virgultis & vepribus impeditam aliquoties detinuit. Habeo igitur tibi, atque ago, pro isto tuo munere, & animo erga me, maximas gratias. In quo enim me hortaris, vt in hæc præclara studia incumbam, beneuolentiam tuam mihi ostendis, in quo verò opitulare, etiam liberalitatem. Ego verò magno animo operam do, vt quod opus inchoaueram, id ad exitum perducatur. Sed totis hic quatuor mensibus valetudine aduersa à scribendo fui retardatus, nunc valetudine recuperata, nõ committam vt vllum mihi tempus vacuum à literis prætereat. Quòd te multa deterreant, quo minus susceptam istam prouinciam optimorum autorum in lucem edendorum sustinere posse confidas: ego rem totam tuo iudicio examinandam relinquo. Illud tamen confirmo, nihil fieri posse præclarius, neque tuo nomini honorificentius. Meas epistolas tibi semper gratas accidere lætor: daboque operam posthac, vt & ad te sæpius, & liberiore animo scribam. Vale, & nos dilige. Carpent. III. Nonas Maij. M.D.XXXII.

XI.

IACOB. SADOL. EPISC. CARPENT. IOAN. Matthæo Giberto, Epiſc. Veronæ S.P.D.

REGINALDVS Polus ea virtute, nobilitate, & doctrina vir qua tu optimè noſti, cùm reuerteretur in Italiam, priſſinas (vt ego ſentio) conſuetudines doctorum hominum, & tuum impri mis conſpectum appetens, ad me diuertit: oſtenditque mihi eas literas, quas tu ad illum ſanè quam amicè, eleganterque ſcripſeras. In quibus erat quoque mentio mei & honorifica, & multa, quæ cùm iudicium tuum de me, tum multum magis ſtudium beneuolentiamq; declararet. Ego verò, & ſi ſubito penè aduentu illius, ac feſtinatione diſcedendi occupatus, nec temporis ſatis ad ſcribendum, nec animi habere poteram: tamen putaui eſſe nefas, illum ad te ſine meis literis accedere. Itaque has continuò exaraui: non tam vt gratias tibi agerem, quòd me aſſiduè in memoria haberes, (etſi illę quoque iure optimo tibi à me debentur) quam vt indicarem tibi, ſummam me ex illis ipſis literis tuis cepiſſe voluptatem, quod me abs te intelligam amari. Quanquam hoc quidem minimè nouum mihi accidit, ſed eius tùm ſemper iucunda eſt commemoratio. In quo re arbitror exiſtimare, me non poſteriores in te amando ferre partes. Verùm harum rerum affirmatio iam toties iterata inter nos, minus fortaſſe in hoc tempore neceſſaria eſt. Illud quod te magis auere ſcire puto, quibus ego nunc in ſtudiis verſer videlicet, quid mihi habeam propoſitum, ipſe Reginaldus tibi exponere poterit, qui exiguum hoc tempus, quod mecum fuit, totum poſuit in inquirendo, percontando, quæ mea ſtudendi, aut ſcribendi ratio, qui animus, quod conſilium eſſet. Cui ego planè omnium mearum actionum cogitationumque rationem reddidi. Sed quod mihi in eo magnæ voluptati fuit, videor cognoſſe in illo, cùm ſummum ingenium, & excellentem in Græcis Latinisque ſcientiam: tum verò ſummam in moribus & congreſſu, elegantiam, atq; humanitatem. Quem hoc etiam nomine pluris facio, quòd intellexi te ab eo incredibiliter amari: vſque eò ille de te, & de tuis rebus omnibus & amanter, & honorificè ſemper loquitur. Eum igitur habebis tu ſcilicet, nosque in deſiderio manebimus & ipſius, & tui, & aliorum multorum: quorum familiaritas, & amicitia, mihi & ornamento erat, & ſolatio. Sed hoc feremus, vt poterimus. Illud tibi de nobis perſuaſum eſſe volumus, viuere apud nos perpetuò & memoriam & beneuolentiam tui, deque tua mutua erga nos voluntate nobis viciſſim exploratum eſſe. Tu vt ſtudia ea vrgeas, quæ præclara & eximia maximo animo es aggreſſus, valetudini-

que

que seruias valde te & hortor, & rogo: nihil est quod maius, aut accommodatius ad beatam vitam facere possis. Vale. III. Nonas Septemb. M.D.XXXII.

XII.

IAC. SADOL. EPISC. CARP. EGIDIO Cardinali. S.P.D.

Cl quantum ex tuis literis accepi voluptatis, tantum ipse meis literis exprimere posse confiderem: nihil aliud agerem profectò hoc tempore, quam tibi miram quandam ex eis animi mei lætitiam, iucunditatemque perscriberem, per quam intelligeres, laboris tui fructum egregiè tibi constitisse, cùm amicissimo tuo, eidemque tibi deditissimo, & vtilitatis tantum, & delectationis attulisse. Sed quoniam eo onere me oppressum iri planè video, si suscipere nitar, quod perferre non queam, ignoscès mihi, si ne conabor quidem id aggredi, quod perficere posse desperem. Illud tantum scito, tuis mihi literis nihil accidere potuisse optatius: nec solùm ex ea parte, qua ad ea quæ quæsieram & doctissimè simul, & humanissimè respondes: sed etiam ex eo, quòd videre videor in illis omnem expressam imaginem amoris erga me tui: tanta in illis suauitas, tantum studium satisfaciendi mihi: tantus & verborum, quæ ad eam rem faciant, & optimarum electissimarumque sententiarum inest lepos. Itaque intelligo nunc quidem, atque experior, meum de tua præstanti eximiaque virtute, sapientia, bonitate, verissimum semper certissimumque fuisse iudicium. Nec quòd antea vnquam dubitarim, sed quia dies, res, euentus, quotidie id magis comprobat. Nam si à mediocri viro, & mediocri dignitate prædito, hæc amicitiæ officia præstarentur, laudandus ille vtique quicunque esset, & in paucorum numero reponendus: rem enim vulgò haud ita multum vsitatam in se ipso ostenderet. Ab homine verò amplissimo, & omnibus ingenii, eloquentiæ, honorisque ornamentis cumulatissimo, retinere hæc officia fidelis amicitiæ, & in absentem amicum nil benevolentiæ humanitatisque prætermitti, hoc est mi Egidi vir maxime atque ornatissime, quod in te habet laudis admirationem, non cum aliorum laudibus comparandam. Quantum enim te exæquas inferioribus amicis mansuetudine, benevolentia, facilitate, tantum altitudinem animi tui, virtutis gloria exaggeras. Sed hæc hactenus, sunt enim maioribus theatris proposita. Quod ad ea attinet, de quibus te consulueram, satis omnino abs te mihi est factum, doleo tamen te tua in eo genere scripta desiderare: quorum venustatem & elegantiam vel ex hoc coniicere possimus cuiusmodi fuerit, quòd illa barbaris idonea visa

sunt quæ disiicerentur. Illud & optarim scire, postquam adsciscunt Moysis libros Maumethani, num & Prophetas suscipiant, multamque in veteri lege aspersam esse existiment futurarum rerum prædictionem: & an ipsi quoque Messiam aliquem expectent. Nam vsum quidem vini cur interdixerunt, cùm tantum vxoribus compluribus ducendis, pellicibusque habendis, libidini ab illis sit tributum? Si modo hæc vera sunt, de quibus cupio à te fieri certior. Ego, si mihi optata Deus concesserit, efficiam profectò, vt ne te pœniteat aliquantum hoc laboris mea causa cepisse. Sin autem (vt humana sunt) mea spes me fortè frustrata fuerit, tu tamen virtutis tuæ & officij fructum tecum auferes. Certè quod in obseruantia, omnique amore, & meritorum tuorum memoria, præstari à me tibi, nomini, laudi, honoríque tuo vspiam poterit, largè enimuerò id & prolixè præstabitur. Vale. Carpentoracti.

XIII.

IAC. SADOLETVS EPISC. CARP. Ioan. Francisco Pico, Mirandulæ Comiti, S. P. D.

SVMMA voluptate affecerunt me literæ tuæ, recognoui enim in illis tuam pristinam virtutem coniunctam singulari erga me beneuolentia: quarum alteram semper in te colui, atque admiratus sum: altera cùm me antea delectauit, tum verò præcipuè in hoc tempore delectat. quo ego absens liquidiùs possum de vniuscuiusque studio atque amore erga me, & de amicitiæ fide iudicare. Quam quòd in te egregiam esse conspicio, & cæterarum similem virtutum: tumque tuis vir sis, vt tuum de quoquo homine iudicium maximo illi ornamento sit quem diligas: meritò sit à me, vt ego omnium rerum charissimum habeam hoc testimonium tuæ erga me voluntatis. Quamobrem scito (iterandum est enim) nihil mihi potuisse accidere literis tuis optatius. Quòd autem scribis perhumanè atque amanter, te non parum mea tui memoria lætari: eosque reprehendis, qui tanquam experres omnis humani sensus, his amicorum beneuolentiæ signis atque iudiciis non moueantur: facis iure tu quidem. Quid enim magis est hominis, quàm amare velle, atq; amari? Aut qui omnino fructus communis vitæ est dulcior, quàm conuictus & consuetudo cum præsentibus amicis, inter absentes mutua recordatio? Sed ego memoriam tui, ne si velim quidem, dimittere vllo modo possum. Non enim leuiter fuit impressa: nec tu is es, in quo quid non insigne sit ad recordandum. Sed cum & velle obliuisci amici sit nefas: & tu inaudito quodam, & singulari genere virtutis communem laudem & vsitatam multum anteceſseris:

non in memoria solùm nostra, sed in ore & oculis, & in intimis sensibus assiduus hæres. Cuperem nunc hic commemorare, quæ res me impulerunt in admirationem tui, & quam grauibus de causis tibi deditus. Sed quoniam tu homo sanctus & seuerus hæc ipsa contemnis, moderabor ipse mihi, nec tibi oneri ero. Tantum dicam, hac nostra ætate, his hominum moribus adiuue, postquàm vidisse me in iis qui populis & cœtibus hominum cum imperio præsunt, vim cum iure, potestatem cum modestia, religionem cum armis, summam rerum atq; artium optimarum scientiam cum gubernandi labore atque cura, nisi in te vno esse coniunctam: vt qui te semel nouerit, idem si fiat postea tui immemor, facilè etiam probare possit, esse se oblitum sui. Verùm pauca hæc hactenus, quæ tamen vereor, ne tibi nimiùm multa esse videantur. De commentario meo incredibiliter gaudeo, & operam & studium meum tibi probari. Quapropter ego, etsi sponte mea satis in id studium animatus, tua tamen cohortatione, & monitis factus ardentior, enitar posthac, vt plura præstare possim. In quam cuestigio curam & cogitationem incumberem, ni haberem in manibus veteres quasdam lucubratiuncul as meas, quas perficere constitui, ne omnis antehàc vitæ labor intereat. His quidem absolutis, quod breui fore confido, omnis mihi opera in sacris & rebus, & literis insumetur, Deus modo propitius sit, conabor efficere aliquid, quod si non propter doctrinam, quæ in me perexigua est, neque propter vitæ & morum sanctitate, à qua ego longissimè abfum: at propter amorem & studium Christianæ religionis quo ego fum maiorem in modum incensus, afferre nonnihil lumiris ad communem vitam & vtilitatis possit. Sed hæc Deus diuerert, is qui omnia vnus potest. Ego te mihi charissime, ac doctissime Pice, & amo coloque tantum scilicet, quantum cum mea fides, tum tua eximia virtus postulat, & me abs te amari vehementer gaudeo. Habeoque Gregorio Lilio nostro gratam, qui occasionem hanc præbuerit, & tibi vt scriberes ad me, & mihi tibi rescribendi. Quem quòd foues & sustentas in eius afflictis rebus, facis quidem quod te decet: neque ego habeo exemplum aliud quid deceat, quam te ipsum præstantius. Sed & mihi facis gratissimum, qui illum non mediocriter diligo. Ita igitur hoc quoque in numero tuorum optimè sanctissimeque factorum. Paulus meus, & idem tuus (te enim semper ferè habet in ore) mirificè literis bonis deditus est: quas etiam sequuntur mores boni. Itaque tantos progressus facit, vt mihi ipsi magno iudicium eius in meis scriptis, non modo exquirendum, verum etiam extimescendum esse videatur. Eum ego confido (Deus ita conata adiuuet) & meæ, & vestrum, qui illum ama-

tis, expectationi cumulatè satisfacturum esse, atque in eam partem maximè, quam tu pice rectè probas. Is tibi refert plurimam salutem. Vale, & nos dilige. Ex suburbano nostro Carpentoracti, IX. Calend. August. M.D.XXX.

IACOBI SADOLETI EPISC. CARPENTORACTI EPISTOLARUM Lib. IV. Epist. I.

IAC. SADOL. EPISC. CARP. D. ERASMO Roterod. S.P.D.

ANNVS est, aut eo plus, cùm binas abs te literas accepi eodem exemplo: quarum quæ posterius scriptæ erant, cùm priores mihi redditæ fuissent, esset autem in illis tua de mea incolumitate, & opportuno ad meam ecclesiam receptu, gratulatio plena amicissimæ voluntatis: recordor me tum, vt noster amor ferebat, diligenter tibi respipisse. Pòst mihi allatæ sunt alteræ vna cum Psalmo LXXXV. & tua eius interpretatione: cuius ego lectione fui mirificè delectatus, tuamque illam admirabilem ingenii vim, & copiam, in eo etiam recognoui. Sed quo minus tibi de eo tum aliquid scriberem, fecit occupatio, & par quidem meus labor: quem ego in interpretando Psalmo XCIII. paulo ante susceperam. Sed neutiquam par tuæ facultas neque æqua ingenii ac doctrinæ vis, per quam celeriter opus à me institutum absoluerem. Sum enim in hunc vsque diem, vt vides, retardatus. Sed postquam tandem confeciſſem, nihil habui antiquius quàm hoc quicquid esset quod elucubraueram, continuo ad te mittere: χάλκεον ἀντὶ χρυσοῦ videlicet. Sed tamen siue tibi id probaretur, vt singularem animi voluptatem ex hominis omnium doctissimi ac mihi beneuolentis iudicio caperem, siue non probaretur, præceptis tuis atque doctrina in posterum melior fierem. Quorum vtrum malim, & vtrum mihi vtilius sit, non queo satis constituere. Approbato forsitan iucundior sit, quæ sit ab amico fideli eruditoque profecta: emendatio certè vtilior. Itaque te vehementer oro, atque rogo, vt si quid duxeris reprehendendum, aut quoniam erunt opinor multa, quæ tibi homini acutissimo minus placebunt, ne parcas agere mecum ingenuè ac liberè: fidemque amicitiæ, quam persanctè coli à te non dubito, in hac re mihi potissimum præstes: hocque sic statuas, tuum mihi iudicium in vtramuis partem gratum atque expectatum fore. Ego de tuo Psalmo, ac de cæteris, quæ

quæ in hoc genere plura, præclaraque edidisti, & quotidie edis, cùm ingenium, & copiam, & facilitatem tuam mirari soleo: tum animi virtutem, atque constantiam: quod plurimis æmulis tuæ laudi obtrectantibus, ab instituto labore minimè deterreris: studesque quotidie magis, vt bonis & literis, & moribus per te consulatur: in quo tua scientia & egregia voluntas maximis mihi viderur laudibus ad cœlum extollenda. Vnum est quod optarim, (quid enim me prohibet idem officium amici præstare tibi, quod ego abs te requiro?) vnum est, inquam, quod velim, idq; tibi vehementer suadeam, vt à contentionibus omnibus te auoces: & aliqua in scribendo prætermittas, quæ vt non sint à vera pietate abhorrentia, contra tamen inueteratas populi opiniones, & quorundam hominum, siue etiam ordinum studia tendunt: quibus se non opponere maioris arbitror fore grauitatis. Quid enim te cogit hominem in omni doctrina summum, cum longè imparibus quasi altercando, & iurgiis concertare? cùm præsertim sacrarum scripturarum paratus campus sit, latè in omnem partem patens: vbi te ad tuum arbitrium exercere, & omnes in eo ingenij tui diuitias explicare possis: quas admirentur homines, non de quibus litem tibi intendant. Equidem quicquid scribo, scribo animo optimo atq; amicissimo: & quod maiorem in modum cupio, tantam virtutem, quanta in te est, ab omni non dicam labe, sed suspicione labis etiam apud vulgus alienam esse. Verùm hæc tu melius. Nos, mi Erasme, quantum possumus, vterque pro virili parte, feramus opem labenti fidei Christianæ, quæ vt vides ipse, non solùm vitiorum in hoc tempore dominatu, & multitudine facinorosorum hominum, quibus omnia redundant, sed externis domesticisque hostibus, omnibusque & bellorum & impietatis machinis oppugnatur: estque ad cadendum procliuis, nisi eam, qui vnus omnia potest, fulserit & sustinuerit Deus. Cui quidem Deo ac Domino si gratiam eam, quam debemus, conabimur referre, & beatam ipsi inueniemus vitam, & cæteris noster non inutilis erit, neque infructuosus labor. Quanquam tu quidem hortatione non indiges. Nos vt locum nostrum ne deseramus, debemus magis prouidere. Sed de his satis. Tu valebis, nosq; diliges, tibiq; persuadebis, esse nobis maximæ curæ & quietem, & dignitatem tuam. Vale etiam atque etiam mi Erasme. Amerbachio nostro plurimam salutem, a quo crebriores literas desidero. Carpentoracti, pridie Idus Feb. M. D. XXX.

II.

IAC. SADOLETVS EPISC. CARPENT.
Erasmo Roterodamo S. P. D.

TVum de meo Psalmo iudicium, tanquam profectum ab homine omnium doctissimo, & viro maximo, magna quidem animum meum voluptate affecit. Sed cùm tui nominis autoritas mi Erasme eiusmodi sit, vt breuis tua commendatio pro insigni laude cæterorum omnium valere debeat, facilè perspexi, quòd plus tu in laudes dixisti meas, quàm quod mei ingenij tenuitas sustinere posset: tum id abs te amori in me tuo fuisse datum, & tuæ præstanti eximiæque humanitati, in qua tu mihi videris iam velle, sicut in optimarum artium tractatione & scientia, omnibus nobis antecellere. Etenim si meus frater germanus esses, qui potuisti magis, aut ostendere lętitiam animi tui, quam ex mei ingenioli partu, qualicunq; illo quidem percepisti: aut tuam erga me beneuolentiam declarare: in quo ipso vtique apparet & extat quędam rara omnibus seculis naturæ tuæ probitas, & singularis integritas, nullo infuscata obtrectandi studio. Quod tamen est veræ atque perfectæ virtutis proprium: cuius qui compotes sunt, cùm ipsi sibi confidant, alienas etiam solent virtutes exosculari. Sed ego me indignum tuo isto de me testimonio arbitraturus sum, si tibi concesserо, vt tu in me amando priores partes feras. Non enim aut ita tardo ingenio sum natus, vt non cognoscam, quid requirant præstantissimæ virtutes tuæ: aut ita ingrato, vt tuæ optimæ erga me voluntati non parem gratiam reddam. Sed quoniam hæc factis meliùs præstanda sunt, quàm verbis: sed hactenus de eis dictum. Psalmum tuum mihi redditum, cùm in prandio essem, & aliquot graues viri mecum vnà essent, auidè perlegi, cursim videlicet, nec potui illum retinere quin mihi extorqueretur è manibus: tanta est cunctorum legendi tua cupiditas. Itaque expecto, dum eum de integro legam. Quantum tamen ex illo primo aspectu percipere potui, duæ me res in eo eximiè delectauerunt. Vna, quod vbique ferè, & omnibus in locis, stimulis quibusdam pietatis, ac religionis ex verbis tuis animum meum pertentari sentiebam: ita dulcis, & pia, & omneis deliniens sensus fluebat oratio. Altera, quòd tu certè in hoc genere factus es constantior aduersus ineptorum hominum molestissimas garrulitates non tam refutandas, quàm contemnendas. Quod ego te prioribus literis cùm hortabar, iccirco mi Erasme faciebam, quòd tuæ me dignitatis studium & cura stimulabat. Quanquam enim (vt tu scribis) altius vitiis dormientes inclamare asperius aliquando sit necesse: tamen id ita agere, vt non à stomacho neq; ab iracundia illiusmodi reprehensio profecta esse videatur, si cuiquam, tibi profectò conuenit. Difficile omnino est, vel potiùs inusitatum, non commoueri, cùm odiosè sunt, qui obstrepant: & quòd ipsi aliquid sibi inanis gloriolæ aucupentur, inutilibus disputationibus tanquam gladia-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

diatoriis libellis lacessunt amplissimos viros. Sed ad tuam cæterarum laudum omnium excellentiam hanc quoque accedere decorum tibi est, vt eos vel negligas, vel si obiurgandi sunt, paterno quodam admoneas affectu, quando tu quidem in sacris literis, ad antiquum decorem splendoremque reuocandis, & omnium nostrum, & huius seculi es pater. Illud item censuerim, cùm iam accepta vulgo quędam sint, quæ suapte natura ita redolent pietatem, vt solùm in eis, quod nimium est, subaccusare posse videatur (cuiusmodi est quorundam sanctorum veneratio, & picturarum crebritas) non esse popularibus studiis obsistendum. Non quin multò sit rectius figere in Christo cogitationem summam: sed neque ista à fide nostra aliena sunt, & non queunt omnes ad sublimiora illa facilè ascendere. Hæc ego temerè scribo fortasse, & parum considerans quis ad quem. Sed ignosce, mi Erasme, audaciæ meæ. Summus quidam & incredibilis meus in te amor me cogit vti libertate in amicitia propè ad temeritatem: quanquam tu quidem pro tua summa benignitate in bonam partem accipis. Sed ego ne sim saluus, si quicquam aliud specto, nisi quietem, & dignitatem, & amplitudinem tuam: quam semper tutatus sum, & quantum in me fuit etiam affectam præmiis, atque ornatam esse volui. Itaque recordor, me quondam Pontifici Maximo, ei qui nunc est suasorem fuisse, vt tibi insigne sacerdotium quoddam in Germania traderet. Quod ille, qua bonitate est & studio erga homines doctos, erat facturus, nisi certi contradixissent: hacque aduersus te nixi calumnia, bonum animum Pontificis in aliam vertissent partem. Stunicam autem hominem doctum meditantem aduersus te ἀντιῤῥητικὰ quędam autoritate & precibus ab ea voluntate sententiaq; deduxi: nec quoad ego mansi Romæ, quicquã ille in te scribere est ausus. Quid ergo est? ego quod in hoc recente Psalmo duarum illarum rerum, quas notaui, alteram video penitus prętermissam, alteram leuissimè tactam, mirificè sum tua moderatione animi & prudentia delectatus. Nam cætera tua in illo & admiranda, nec noua, orationis splendor, grauitas, copia, rerum quæ tractantur in eo, veritas ac dignitas, & quidem triplicata sene, vt perspicuum sit, orationis thesauros non exhauriri apud te, tanquam collectos, sed semper scatere. Atque ego cùm meum dicendi genus comparo cum tuo, aspicio planè me serpere humi, & nimis familiariter illa diuina tradere, quæ tu μυστικώτερα effe facis, & ea in sua veneratione grauitateque conseruas. Et tamen quicquid sumus ego & tu, à Deo ambo totum obtinemus: in quem grati esse, eiusque honori & gloriæ perpetuò inseruire debemus. De Hesychio quod quæris, habueram Psalmorum Græcum librum, vetustate insignem: in eo proœmium

Hesy-

Hesychij luculentè scriptum in eam sententiam, vt probare conaretur omnes Psalmos Dauidis esse. Is liber mihi cum cæteris omnibus periit. Reliqua sunt apud me Græca collectanea in Psalmos incerto autore: scripta non tam copiosè, quàm eleganter: quibus præcipuè vtor. In iis interdum citatur Hesychius. Sed ego cùm illa legi, & Latinorum aliquos de eorum numero quos prædicas: non tam illorum explanationem valde sequens, quàm Spiritui sancto permittens me totum, feror quacunque me ille vocat: cuius vtinam vt spiritualis in me homo, sic etiam corporalis templum idoneum esse posset. Sed crede mihi, mi Erasme, nostra nobis non parum adhuc obest infirmitas. Deus autem omnium potens, qui tibi labores, & solicitudines, & affectam valetudinem dat: quis scit, an maiore tuo bono id faciat, quàm si quietem tibi & molle otium præberet? equidem confido ita esse, nihil laboriosa solicitaque vita, sed quæ cum Deo prorsus coniuncta sit, videtur reuera fieri posse felicius. Germanicæ nationi bene sit: amo enim gentem totam, dignissimamq; arbitror, quæ in vera tuenda ac propugnanda religione suorum maiorum gloriam consequatur: cui qui obsunt, & contaminant patriæ suæ decus ad bonam eos mentem conuertat Deus. Tuæ in Psalmum meum annotationes mihi gratissimæ: itaque cogito magnam partem illorum mendorum tollere: nam aliqua sunt, quæ autoribus optimis nituntur. De me, mi Erasme, sic tibi persuadeas volo: quanquam ego tenuis sum, & magnis à fortuna detrimentis multatus: nihil me tamen habere, quod non tuum æquè velim esse ac meum. Neque in hoc solùm, sed in omni tua dignitate atque fama conseruanda hoc sum animo, vt sponte per me ipse, & abs te monitus, summam tibi fidem in amicitia ac beneuolentia semper sim præstiturus. Vale. XIV. Calend. Octob. M.D.XXX. Carpentoract.

III.

IAC. SADOLETVS EPISC. CARPENT. D. Erasmo Roterodamo S.P.D.

QVòd literæ meæ ad te tardissimè perferantur, planè molestum mihi est. Cuperem enim illas maturè redditas: nec tam, vt te delectarent, quod tu humanissimè atque amicissimè fieri scribis, quàm vt meum tibi officium celeriter esset cognitum. Tuas quidem tertio Calend. Martij datas, ineunte Maio accepi. In quibus quod mihi de valetudine prospera gratularis, equidem libenter accipio hanc gratulationem tuam, tui amoris eximij erga me testem. Veruntamen scito à medio Nouembri vsq; ad Aprilem extremum minus me commodè valuisse. Itaque toto hoc tempo-

tempore & intermissa nostra studia conticuerunt, & ego nihil dignum vito potui exequi. Ad meam nunc tamen pristinam prouinciam sum reuersus, de qua antè ad te scripseram, vt commentarios in Pauli epistolam ad Romanos conscribam. Quod opus est difficillimum omnium est, sicuti & tu sentis, & ego re ipsa experior: tamen animo non deficio. Vtinam sic euentum meorū consiliorum fortunet Deus, quemadmodum à mea parte nihil neq; laboris deerit, nec studij. Accidit autem mihi peropportunè, vt nanciscerer diui Chrysostomi commentarios in omnes Pauli epistolas Græca lingua impressos: qui mihi domo ab Episcopo Veronæ missi sunt: quorum ego famam, vel volumen etiā ipsum ad te puto peruenisse. Cupio quidem certè, vt quod tunc tibi defuisse scribis, cùm hoc idem opus esses aggressus, id nunc suppetat, si fortè tibi libeat quæ iam diu exorsus fueras, ea nunc penetere. Frobenianam operam non repudiabimus, cùm tempus erit excudendi: præsertim te tanto autore, vt res rectè geratur, curam adhibente. Sed mihi magis, mi Erasme, tuo iudicio erit opus, quod ego semper maximi feci, & facturus sum. Res ardua est, ego difficiliter & tardè scribo. Nouos etiam, neque eos paucos, inuenio sensus: qui boni sint, an secus (ego enim mihi ipsi non satis fido) talium virorum, qualis es tu (si tamen aliqui tales) iudicium exquirendum mihi est. Tuum certè imprimis, qui aut vnus, aut præcipuè in hoc genere scribendi non doctrinam modò, quæ in te summa est, sed copiam etiam & dignitatem orationis adhibuisti. Basilium magnum sua loquentem lingua exisse à te, & in manus hominum diuulgatum esse, vehementer gaudeo. Nam quòd mihi à te sit inscriptus, id maius est tui de me iudicij testimonium, quàm ego expectassem: aut quàm me dignū esse arbitrer. Sed tua humanitas & beneuolentia eiusmodi, vt nō quid me accipere, sed quid te dare oporteat, potiùs expendas. Equidem maximas tibi de eo gratias habeo agoq; etiam relaturus, si occasio fuerit. Te ita crebrò, & à tam multis peti, & mirum sane mihi, & permolestum est: nec video quæ sit causa, nisi fortè ea, de qua iam pridem ad te scripsi: existimatio tua videlicet, quæ in tam alto sita est loco, vt omnibus flatibus inuidiæ proposita esse videatur. Nam qui in hanc Theologiæ palæstram nomen suum profitentur, quò sibi de principio commendationis aliquid in vulgus quærant: nomen eligunt clarissimum, in quod inuehantur: auget deinde rixam ipsa contentio. Sed ego si isto loco essem, vna semel defensione, in vniuersum omnibus responderem: partim inuentæ facta consiliaq; excusans, si quid fortè esset à me in illa ætate liberius scriptum: partim etiam modestè prudenterq; retractans, quæ eiusmodi essent: vt etiam si non vere, at saltem verisimiliter ansam aliquam possent præbere obtrectanti-

stantibus: quod summos doctores sanctissimos homines cernimus feciſſe. Poſtremò verò, omnem ſenſum meum de fide Catholica ita exponens, vt non poſſet cuiquam eſſe dubium quid ſentirem: hoc opere edito, perenne mihi ſilentium ſuſciperem aduerſus maleuolos, quorum inſolentiam iniquaſque calumnias, cùm res ipſa & veritas, tum tua excellens fama, virtuſq; refutaret. Sed ego hæc non tam monendi tui cauſa loquor (non enim tu eges monitore) quàm teſtificandi ſenſus & animi mei. Oecolampadium extinctum, vtinam poſſem dolere iure. Sic enim literæ & doctrina hominis poſtulabant, niſi extitiſſet ille in alio genere pernicioſus. Pſalmum tuum auidè expecto, eumque perlegere cupio. Epiſtolarum tuarum volumen audio exiiſſe, Lugduniſque haberi: id ego miſi qui mihi emerent. Tu interea, mi Eraſme, ſi nos diligis, da operam vt valeas, & ſuſtentes ætatem iſtam tuam iis, quibus ſoles, optimarum artium ſtudiis, & conſcientia rectorum conſiliorum. Nos qui te plurimum amamus, nullo vnquam loco deerimus, nec famæ, nec laudi, nec voluntati etiam tuæ. Vale. Carpent. VIII. Idus Maij, M.D. XXXII.

IV.

IAC. SADOLETVS EPISC. CARP. DES. *Eraſmo Roterodamo S. P. D.*

IS qui tibi has literas reddidit, minus mihi ſanè cognitus eſt: neque ego hominis mores, naturamque perſpexi. Sed cùm adiiſſet ad me, diceretque ſe celebritate famæ, & amore quodam nominis tui commotum, velle ad te proficiſci, vt ſub te magiſtro lautioribus literis operam daret: non potui non probare hoc eius conſtitutum: nam & rem pulcherrimam, & doctorem præſtantiſſimum appetere mihi viſus eſt. Proinde petenti à me commendatitias literas, libenter conſeruaui conſuetudinem meam: & in his, quæ ad humanitatem pertinent, facilem ei me præbui. Commendo tibi eum igitur: ſed ita, vt cùm ipſe de eo feceris iudicium, dignumque ſtatueris, quem in amicitiam tuam recipias: tum eum ſic adhibeas, & benignitate tua complectare, vt quod ſine vllo tuo incommodo fiat, aliquem ipſe fructum ſui huius rectiſſimi ſtudij conſequatur. Ego poſteaquam ad te proximè reſcripſerã, biduo illo aut triduo accepi libellos tuos, quorum iam bonam perlegi partem: imprimisque ſum tuis defenſionibus aduerſus illos obtrectatores tuos mirabiliter delectatus, ſummam enim illæ doctrinam, & illam, quam ego maximè probo, egregiè redolent animi moderationem. De Baſilio iterum

tum ago tibi etiam atque etiam gratias: quòd me ad eorum numerum, quos tui ingenij monumentis illustrare voluisti, aggregare dignatus es. In quo si tibi non par opera rependetur à me, at mea æqua certè tuæ isti præstanti erga me voluntati reddetur voluntas. Vale mi Erasme, & Amerbachium nostrum meis verbis salutа. Iterum vale. Carpentoract. VII. Idus Iunias, M. D. XXXII.

V.

IAC. SADOLETVS EPISC. CARPENT. *D. Erasmo Roterodamo S. P. D.*

NOli amabo putare, mi Erasme, quicquam mihi esse, aut gratius tua erga me beneuolentia, aut iudicio grauius. Itaque & quicunque istinc veniunt, tuumque modò nomen, & meritum de te aliquem ad nos perferunt, libentissimè à me accipiuntur: eoque etiam magis, si quod afferunt monumentum tui præstantis ingenij, præclaræque in rem & pietatem Christianam operæ ac voluntatis, qualia sæpe multa à te proficiscuntur: vt tibi molestum esse non debeat, illos tenui a me munusculo affici, qui id laboris mea causa susceperе. Et de tuo iudicio (ita mihi diuos omneis opto esse propitios) in ea sum sententia, vt nihil meorum mihi probari possit, quod ad religionem quidem, & ad literas sacras pertineat, si non id antea tibi fit probatum. Quapropter cùm confecissem commentarios in Pauli primam epistolam (quo labore, & quibus vigiliis, non dico satis enim cognita tibi est illius Epistolæ obscuritas) statueram aliquot menseis quiescere, totumque me ab illa cura & cogitatione auertere: vt deinde recens, atque nouus ad meam recognoscendam, & accuratius expendendam lucubrationem accederem. Qui tamen mos & mihi consuetus est, & à viris doctis solet vsurpari. Eratque mihi in animo, neminem omnino participem facere, antequam ipse probassem. Sed cogitans casus humanos, & quanto mihi mœrori ac detrimento esse posset, si qua asperior fortuna, quæ in vtrunque nostrum prohibò habet potestatem, commercium inter nos hoc literarum peremisset: librum è tribus primum, qui erat descriptus, dextra opera ad te misi, in quo maxima quidem sunt & pulcherrima fidei Christi mysteria. Quem peto a te mi Erasme & pro insigni ac mutua beneuolentia nostra rogo, eo animo vt legas: vti ita statuas, melius mihi abs te multò consultum fore, si reprehenderis in eo, quæ tibi reprehendenda esse videbuntur, quam si laudaueris, si qua erunt laudanda. Ausus

eosdem

equidem sum, id quod videbis ipse, ab itinere cæterorum, iam diu trito atq; vsitato deflectere: aliaq; quadam ingredi via, quæ mihi visa sit magis emergere ex fluctibus quæstionum, fortiusq; & splendidius ad veritatem contendere: Deumque vt mihi adesset, semper precatus sum. Sed falli tamen possumus. Quamobrem mi Erasme, omnis in te spes mihi est, tuum iudicium quod tu modestè imminuis, ego autem plurimi facio, idque non iniuria, nunc mihi quidem ipsum perfugium & portus est, & totius mei laboris expolitio, egoque in te vno, tuoque in me amore, ac tua spectatissima virtute, & doctrina acquiesco. Illud te nolo ignorare, deesse non pauca in hoc libro, quæ tunc adiicientur, cùm opus totum acriùs examinandum resumpserimus. Nam & multa in eo explicatiùs differenda sunt, quàm nũc exposita sint: & collecta ex sacris literis testimonia aliquot sanè oportuna atque illustria tum sumus addituri, cùm de vulgando opere cogitabimus. Nam nunc quidem huic parti, quam ad te misimus, ne lectionem quidem adhibui: veritus ne correctionibus ac lituris ante tempus implicarer, quando omnem eiusmodi curam (vt dixi) in aliud tempus reieci. De impressione nihil mallem, quàm id quod tu mihi consulis, vt apud Frobenium transigeretur res: certus enim sum, nusquam melius: neq; sumptu permouerer, sed pudore quodam afficior propter bonitatem & modestiam Gryphij, qui mihi totus deditus planè est. Quanquam erit hac quidem de re spatiũ deliberandi. Illud te summè oratum volo, vt hanc partẽ commentariorum ita ostendas cui voles, vt nemini omnino describendi copiam facias: res enim nondũ plenè perfecta est. Ego & familiariter ago tecum, & me id tutò facere posse arbitror: summa enim mihi est & de tua humanitate opinio, & de integritate fides. Quamobrem si quid tibi oneris impono, id ea mente facio, quod tibi volo esse persuasissimum nihil tibi esse vicissim in omnibus rebus tuis, & opera mea, & beneuolentia paratius. Declarationes tuas, etsi magnoperè probaui prima illa lectione, vt ad te scripseram, tamen de integro legam: nec dubito, quin sim omnia in illis, quæ à te commutata sint, meliora ex bonis facta reperturus. Legi commentarium in Symbolum, quo mirificè delectatus sum. Os enim profectò obstructum iam est litigiosis hominibus, & sibi iniustam laudem ex obtrectatione aliorum quærentibus, quos tua excellens virtus & autoritas satis per se ipsa refellit. Vale Erasme, & nostri memoriam retine, qui nunquam tui esse immemores possumus. Ad Amerbachium nostrum do literas, cui lucubrationem meam vel imprimis ostendi volo. Iterum vale. Carpent. V. Idus Iunij, M. D. XXXIII.

IAC.

VI.

IAC. SADOLETVS EPISC. CARPENT. D. Erasmo Roterodamo S. P. D.

Diu est cùm ego nihil de te, ne rumoris quidem, accepi. Quòd si tu ades in eisdem locis, in quibus solitus es, tibique commoda valetudo est, sicuti cupio equidem, & spero, nonnulla de re me tenet admiratio. Hominis enim πολυφιλήτου, καὶ πολυγράφου non est visitatum hoc silentium. Sanè nos post librum illum tuum de Concordia Ecclesiæ nihil aliud accepimus, quod ab Erasmo scriptum esset. Itaque non sine aliqua fumus suspitione, ne aut minus fortasse valeas, aut in Belgas tuos profectus sis. Videbare enim in literis tuis postremò ad me scriptis, significare, te id cogitasse facere. Quod si ita est, mi Erasme, quæso, vt cernorem me de tuo omni statu facias, qui pendeo animi, donec exploratum aliquid de te habuero: nam mihi tua salus & tranquillitas mirabiliter cordi est. Non dedit nobis fortuna, vt in eisdem locis viueremus: quod vtrique nostrûm, arbitror, mihi quidem certè fuisset optatissimum. Potuissem enim apertius tibi, atque illustrius, omnem meum sensum & animũ declarare. Sed quoniam id præteriit, actum ne agamus, vt dicitur, animos certè virtus dedit in amore consentientes: in qua tu multò præstantior, maiores autem meæ partes sunt, te summum virum colendi, & diligendi. Tanquam igitur ad hominem omnium tibi amicissimum, vt de tuis rebus omnibus interdum scribas, vehementer te rogo. Mei in Paulum perfecti commentarij sunt: itaque eos propediem cogito edere. In iis plurimum mihi opitulatæ sunt correctiones illæ tuæ, quas in primum librum adhibuisti. Vellem idem in reliquos fecisses, maximo mihi emolumento ea res fuisset. Sed fortuna nobis disiungendis, multis meis & magnis inuidit iucunditatibus: cui quidem à nobis non potest obsisti, ea enim summas frangit infirmatque opes, nedum meas. Sed quod ad rem pertinet, potes perspicere mi Erasme ingenij tarditatem & imbecillitatem mei: qui tanquam καταπόδης diutino cursu cubitum vix processi, vt ex hoc quoque maior tibi à tua incredibili nauitate & industria voluptas pariatur. Verùm hęc hactenus. Te mi charissime atque optime Erasme oramus, vt semel amorem erga nos abs te susceptum constanter & perpetuò tueare. Carpentoracti, Calend. Nouemb. M. D. XIV.

VII.

IAC. SADOLETVS EPISC. CARPENT. Bonifacio Amerbachio Basilienſi S. P. D.

NOlo te vereri, mi Amerbachi, ne tuæ literæ mihi aut intempeſtiuæ vnquam, aut minùs gratæ ſint, cùm eas ego libentiſſimè legam, tuamq; in illis bene cognitam mihi modeſtiam ſemper mihi iutueri videar. Quamobrem nulla te à ſcribendo eiuſmodi ſuſpicio retrahat, dum id tibi commodum alioquin ſit: ſemperque ita exiſtimes, te mihi quoties ſcribis, toties ſem gratam facere. Tuam de cœna Domini ſententiam, & cogãoſſe mihi iucundum fuit, & eandem ego vehementiſſimè probo, illudque præterea adiungo; Tot ſeculorum perpetuam conſuetudinem à communi Eccleſia vſurpatam, non ſine approbatione Spiritus ſancti tantum roboris habere potuiſſe: cùm præſertim tot ex illo numero ſanctiſſimi viri extiterint, qui gratiam ſuam & amicitiam cum Deo miris rebus & multis ita declararint, vt dubium de eo eſſe non poſſet. Qui certè impij, nefariiq; fuiſſent, & ab Deo penitus alieni, ſi panem pro Chriſti corpore, & rem prophanam pro rerum omnium effectore ſumpſiſſent ſibi adorandam, atque colendam. Quibus ipſe Oecolampadius profectò nec ſanctitate, nec doctrina fuit par. Atque is antequam excederet è vita, cùm audiſſet parteis ſuas, hoc eſt, eorum, qui impiè de ſacramento corporis Chriſti ſentiebant aduerſo prælio afflictas, quod prælium non humana vi, ſed numine omnipotentis Dei confectum eſſe conſtaret: ſi conuerſus eſt ad meliorem mentem, eius doleo morte: doctus enim ſanè vir, & bonis literis apprimè erat ornatus, etſi ego nunquam illi magnam eruditionem in Theologia tribui. Sin autem aduerſus Deum perſtitit contumax, equidem nunquam cuiuſquam malo lætabor: verùm non iniquo animo feram, ſementem tantæ prauitatis è medio ſublatam eſſe. Vtinam iſti ciuitati, & ciuibus in ea omnibus, rectus inſideat in fide Catholica ſenſus: quorum ego alteri, propter nomen & nobilitatem vrbis, alteris ex pietate charitateque Chriſtiana valdè amicus ſum. Qui ſi me audire volent, quod illis tu meis verbis (ſi videbitur, & ſi occaſio dabitur) licebit dicas maiorum ſuorum potiùs in tuenda vera religione Chriſti laudem, quam temerè nouantium res bene conſtitutas, inſaniam pergent imitari. Opera quæ ſcribis Eraſmi valde auidè expecto, nec dubito cæteris futura diſſimilia: hoc eſt, plena doctrinæ & vbertatis. Quòd mihi Baſilius tantus autor fuere inſcriptus, habeo equidem magnam vobis gratiam: ſed tamen alius erat quærendus potior, qui tali munere honeſtaretur: nam

eg⁹

ego ingenuè loquor, non huius mihi dignitatis conscius sum. Tamen tuam, & Erasmi mei beneuolentiam agnosco, eamque gratissimam habeo: quam ego pari compenso voluntate. Carpent. VIII. Idus Maij, M. D. XXXII.

VIII.

IAC. SADOLETVS EPISC. CARPENT. *Germano Brixio S. P. D.*

QVperioribus diebus, cùm per incertos tabellarios literas à te accepissem: in quibus neque locus vnde illæ datæ, neq; dies erat adscripta, esti ex orationis tuæ filo stylique elegantia, tum etiam amoris significatione aduersùm me, non mediocrem cepi voluptatem: tamen diù suspenso animo fui, quidnam mihi in tali re faciendum esset, cùm ad rescribendum quidem officium me impelleret: quò autem, aut per quem literas ad te darem, nullum consilium capere sat certum possem. Pòst verò diligentiùs rerum meditatus, & illam faciens coniecturam, tales viros, cuiusmodi es tu, Lutetiæ Pharrhisiorum libentiùs sæpiusque commorari: propterea quòd illa ciuitas amplissimum est doctorum hominum domicilium, literas eò misi: vbi si te illæ reperissent, esset officio meo, & animo satisfactum. Sin minùs ibi te offendissent, neque in eo opinio mea & coniecturæ ratio frustrata esset: per Iudæum tamen ad te, vbicunque esses, mitterentur. Cui homini doctissimo atque optimo, tu simili virtute & doctrina præditus, incognitus certè esse non potes. Verùm quòd mihi in literis tuis gratularis, quòd me, quem diu antè mortuum existimasses, repente non modò viuere, verùm etiam dignitate atque honore auctum esse audisses, gratulatio tua, vt quæ ab optimo proficiscitur animo, lanè mihi probata est. Sed tu si vnam illam esse mortem arbitraris, qua qui naturæ & mortalitatis conditioni satisfacit: planè nondum mortuus sum, neque suprema fati diem adhuc executus. Si verò grauiorem & veriorem putas mortem, cùm quis cogitur alieno viuere arbitrio, non fati: sanè & mortuus tui, & reuixi, posteaquam in hunc portum otij & tranquillitatis sum peruectus. Scito enim, me his quinque annis, posteaquam videlicet Romanis relictis rebus, in meam Ecclesiasticam prouinciam me contuli, solis gustasse quàm fructus veræ vitæ, nihilque expertum fuisse postea quod pœnitendum mihi esset. Quare tu si μυσαχῶς gratularis mihi, habes istandi de amico & gratulandi causam. Sin autem vulgari consuetudine verbi locutus es: en tibi amantissimum tui hominem non modò non mortuum, sed viuentem nunc quidem beatius quam antea: cui ista ipsa dignitatis accessio, qua te

gaudere dicis, vtinam illa non magis oneri, quàm honori esset. Sed tamen quoniam diuino numine in hoc loco positi, & in hoc honoris gradu locati sumus: demus operam, quoad possumus, vt nostra eidem Deo & opera parata sit, & voluntas. De te autem ipso mi Brixi, quando ex eorum hominum numero es, quos ego colere & complecti studiosè soleo, dedistique mihi per literas tuas & doctrinæ & humanitatis specimen: sic me existimare puta, te esse dignissimum, quem omnes qui bonas arteis sectamur, in oculis assiduè feramus, nihilque vicissim accidere mihi posse tua erga me beneuolentia gratius. Quæ quoniam (vt scribis) à te susceptа iam diu est, ex quo me scilicet primum Romæ cognouisti: pergo à te maiorem in modum, vt & veterem illam renouare, & si est augendi locus, etiam augere & amplificare eam velis. In quo tibi polliceor, me curaturum, vt in nullo amicitiæ officio, nec in voluntatis studio me vincas. Vale. Carpentoracti, X. Calend. Iulij, M.D.XXXII.

IX.

IAC. SADOLETVS EPISC. CARPENT. *Germano Brixio S. P. D.*

NOn potuit fieri commodius, nec magis vt ego vellem, quàm quòd meus liber tibi redditus fuit: primoque ipso in prælio, vt aiunt, cum homine disertissimo doctissimoq; congressus, non dicam cum laude (abhorret enim mea mens ab eo quod insolentius videatur dictum) sed certè sine ignominia discesserit. Quanquam tu quidem etiam illum laudas: in quo agnosco vel beneuolentiam erga me tuam, vel comitatem naturæ, qua es præditus. Sed quòd epistolam meâ desiderasti, hocq; genus officij quod in scribendis epistolis situm est, imprimis inter amicos vsurpari iudicas conuenire: verè tibi dicam. Subitus discessus Giramandi, qui me festinare valde coegit, tum autem hæsitatio quædam mea, cùm nec quibus in locis planè esses, nec quid rerũ gereres satis nossem: illudq; etiam valde vererer, ne tibi homini vehementer in literis occupato obiicerem laborem: adduxit me, vt statuerem per nuntios potiùs, quàm per literas tecum agendũ esse: præsertim cùm homini & amico, & prudenti, id negotij cõmitterem. Qui, quàm mirificè functus officio sit, tum ex reb. ipsis, tum autẽ tuo imprimis iudicio testimonioq; cognoui. Illud verò mihi pergratum accidit, quòd meum consilium istuc mittendi librum & ad Theologorum vestrorum iudicium deferendi, tibi quoque esse intelligo probatum. Quod equidem, mi Brixi, ea ratione feci, quòd Christianam illam humilitatem animi, quam maximè in scriptis meis extollere, & in cœlum ferre, verissimis

dissimis laudibus soleo: non solùm verbis, sed ipsa re, quantum a me fieri potest, cupio semper mecum habere coniunctam. Cuius si vt nomen, ita veritas Christianis hominibus in cultu & in honore esset, tot hodie pestilentissimarum hæresum erroribus, & hac religionis labe careremus. Sed quòd scribis te curarunt, vt æquis iudicibus, & à politiorum literarum cultu non abhorrentibus, res permittatur, habeo tibi magnam gratiam: iamque id perfectum à te video. Scripsit enim ad me ex illis quidam sanè quàm liberaliter: vt mihi in mentem venerit Ietan, esse apud Theologos vestros Musis etiam locum, verùm illis sanctionibus: quod tamen tibi & Budæo nostro acceptum ferendum est. Certè id quod sentis, est omnino verissimum: nec res tam præclaras barbarè atque absurdè debere tradi, & quæ à me scripta in Paulum sunt, siue Latina & Græca eruditione intelligi vix posse: aut ne vix quidem. Expertus enim sum ego, quæ sublimitas rerum, quanta & cuiusmodi altitudo maximorum in illis mysteriorum insit. Quæ tu quòd breui, & subita lectione tam accuratè perpenderis, non rerum facilitati, sed tui ingenij magnitudini est asscribendum. Quo nisi tu eximio præditus esses, crede mihi, impeditius multò iter ad illa percipienda & intelligenda offendisses. Dies tamen, & mora, & crebrior lectio, quotidie magis indicabit, nihil fieri posse rebus illis reconditius. Quod tibi hoc libentiùs scribo, quòd te quoque video in eodem stadio currere. Non enim mihi ignota neque inaudita studia sunt tua: sed & ex pluribus cognoui, & legi ipsemet homilias illas Chrysostomi, quas tu è Græco sermone in Latinum vertisti, ea & elegantia verborum, & grauitate: vt non tam opulentissimum transtulisse autorem, quam imitatus esse videare. Itaque expectabimus alias: gratumque mihi in eo feceris: si vt coniectæ fuerint, mihi eas afferri quamprimùm curaueris: etsi cum ad conciones erit ventum, grauior tibi labor videtur fore propositus. Nosti enim profectò quàm ardenter ille, quamque nemini solitus sit auditores non magis docere (mihi quidem videtur) quam aut obiurgare, aut accendere: etsi vtrumq; quidem, ideque cum magna cura. Verùm cùm in multis interpretandis Pauli locis ab eius opinione dissentiam, iccirco tibi visus sum eum minus legisse. Ego verò in ipso legendo, expendendo, interpretando Paulo, cùm omnium ferè interpretum, qui aliquo numero sunt, scriptis & commentationibus vsus sum: tum verò Pauli eiusdem ope & doctrina plurimum adiutus: qui quidem suimet longè optimus est interpres. Noli enim putare, me ad primam illam, quæ Romanis inscripta est, epistolam exponendam accessisse, nisi priùs perlectis, diuque volutatis, omnique animi attentione perspectis cæteris eiusdem doctoris

ctoris epistolis. Quarum assidua & acri lectione in eos diuinæ sapientiæ fontes sum inductus, ex quibus si non hausisse puriorem doctrinam, saltem leuiter ex illis aspersus fuisse videar. Vnum est in quo miror, quòd ita reprehendora quibusdam, quasi deflectere vel tantulum à vetere translatione Pauli nephas sit. Cuius tu rei, mi Brixi, qui vtramque linguam probè nosti, optimus poteris esse iudex. Mihi enim si quicquam in illis commentariis est, quod probetur, illud præcipuè est, quòd visus mihi sum verba è verbis expressa verè Latina reddere, quæ antè nimirum alieniora pleraque erant, vt vis Apostoli sententiaque obscuraretur. Ea si conatus sum illustria & perspicua facere, quod ordine, & proprietate Pauli verborum accuratissimè seruata factum à me est: quidnam, quæso, ea in re admissum est culpæ? cùm præsertim gratius hoc etiam meum factum esse debeat, quòd Lutheranis vt sua παράδοξα facilius probent, imperitosque in fraudem inducant, ad ignoratam plerisque linguam sæpenumero confugientibus, hic vtique campus doli & fallaciarum intercludendus fuit. Si tamen ego non sum hallucinatus, quod fieri nimirum potuit, homo enim sum. Alia quidem via commodius istis contortoribus scripturæ sanctæ occurri, illorumque præstigias & machinationes redargui vix potuisse existimo. Itaque & initio mei operis hac potissimum de causa illam me sumpsisse enodandam epistolam sum testatus. Sed hæc hactenus. Venio nunc ad eas epistolæ tuæ partes, quæ partim me delectarunt mirabiliter, partim pudore etiam affecerunt. Nam quòd meæ lucubrationi tantum laudis impartis, quantum non tam à summo iudicio, quam ab amicissimo animo profectum intelligatur: gaudeo equidem me abs te sic diligi, tuamque istam præstantem atq; egregiam erga me voluntatem permagni æstimo. Sed res ipsa planè vt erubescam me cogit. Etenim quis ego sum, quo ingenio, qua doctrina, quibus ornamentis præditus, cui ab homine doctissimo atque optimo tantum laudis tribuatur? Si enim in eo laudandus sum, quòd sim deditus optimis artibus & studiis: quam multi sunt nostra hac ætate, qui in eodem genere studiorum excellunt? nónne horum talium frequentia Italia, & Gallia, & ipsa quoque Germania nunc referta est? Si verò quod optimas tueor & sustineo partes, ab antiquiorumque scitis atque decretis transuersum vnguem non discedo: non tam id laudi vlli dandū est, quam vitio, seeus si fiat, maximo. Nam quòd in portum me ex vrbanis illis fluctibus, & ex magna agitatione tranquillam in stationem recepi: ego sanè liberam & voluntariam vitæ agendæ rationem obnoxiis illis, & alienæ sententiæ addictis rationibus, ob eam primùm causam longè prætuli, quòd vni iam Deo liberius famulari, & commissæ mihi ab eo eccle-

ecclesiæ officium præstare præsens possem. Deinde vt mihi cum
Musis iam diu optatum haberé liceret commercium. Cuius qui-
dem vitæ suauitas & delectatio tanta est, vt non regem esse,
sed regibus non egere, verè regaliter viuere, & ipsa verè bea-
ta vita sit. Quanquam hoc argumentum nequaquàm in vulgus
edendum est, ne ad eos quidem, qui aliquam speciem bono-
rum doctorumque præ se ferentes, eisdem nihilominus, quibus
vulgus, honorum atque opum cupiditatibus iactantur. Sed e-
go tecum tanquam mecum hanc rationem puto. Non enim mi-
hi plus assumo in huius laude consilij, quàm tibi ipsi tribuo: quē
& multis antea testibus, & tuis nunc ex literis planè intelligo
in eadem mecum esse sententia: nisi quòd tua virtus hoc appa-
ret illustrior, quòd ego multis diu curis, laboribus, vigiliisque
vexatus, quas ad alienum arbitrium ferebam & suscipiebam,
tandem æstio fractus, in quietis locum me contuli. Tu tua spon-
te, solùmque iudicio, studiis ambitionis missis, in eundem por-
tum es peruectus. De qua præclara animi tui moderatione, re-
ctissimoque consilio, & eiusdem mecum societate muneris, & ti-
bi gratulor, & mihi apprimè gaudeo. Nullo enim alio comite or-
natior, aut hanc inire prius viam, quæ minimè populo nota est,
iamque ob desuetudinem dumetis inhorruerat, & stirpibus, aut
nunc tenere eandem possum. Sed de his quoque satis. Iulij fra-
tris mei quòd mihi mentionem facis, eodem penè amore ac si
frater ipsius germanus fuisses, vtereméque tuam cũ illo familia-
ritatem prædicas: peream mi Brixi, nisi cum meum erga te studi-
um ad summum creuisse crederem, maximus tamen hac de causa
cumulus accessit: non enim existimaram nostram coniunctionẽ
tam inde ab illius tecum consuetudine auspicatam fuisse. Neque
verbum te vrbanum meminisse mihi videbar, aut pòst in Gallia
tibi quicquam rei cum fratre fuisse meo noueram. Sed omnis
tui cognitio principio mihi in Gallia oblata est, primum ex lite-
ris tuis, quas iam longo interuallo accepi iucundissimas. Dein-
de ex epistolis & Erasmi ad te, & ad illum tuis, illoque imprimis
opere mihi sanè probato, quod conuertendo Chrysostomo lu-
cubrasti. Postremò verò Lugduni, deindeque Massiliæ, cùm ad
summos principes salutatum accessissem, sermones cùm pluri-
bus permultos & habui & accepi de te: cùm tua virtus & doctri-
na, maximeque ista animi æquitas, qua tu fortunæ & cupidita-
tum modum constituisses, omnium vna & constanti voce lau-
daretur. Itaque cùm plurimas iam haberem tui magnifacien-
di causas, eumque hoc nouissimum studium, quòd tu in meis ex-
hibendis scriptis honoris mei causa suscepisses, vehementer tibi
me obstringeret: illa tamen mei fratris cõmemoratio tã piè, tam-
que amanter abs te facta, prorsus effecit, vt te in illius penè loco

diligam. Quam ob rem rectè feceris, idq; mihi erit gratissimum, si ita statueris, quæcunque à coniunctissimo fratre officia sperari, aut expectari possunt: ea tibi à me prompta esse & parata: vt si vsus venerit quò memetipsum tibi patefacere penitus possim, non sis maiorem erga te beneuolentiam cuiusquam, neque fidem in amicitia integriorem cogniturus. Illud te rogo, vt quid theologi vestri de meis scriptis senserint, certiorem me facias: cura etiam adhibita, vt literæ ad me diligentius perferantur. Nam quas mense Aprili dedisti, eas mihi scito extremo Iunio fuisse redditas: quibus vt debui, sine mora respondi. Tuis addubitationibus, quæ ad linguæ Latinæ rationem pertinent, altera seorsum pagella conor satisfacere. Vale mi doctissime Germane, & nos amare perseuera. Carpentoracti, pridie Calen. Iulias, M.D.XXXIV.

X.

IACOB. SADOLET. EPISC. CARPENT. *Germano Brixo. S. P. D.*

ET literæ tuæ, id quod aliâs quoque conquestus sum, tardissimè ad me perlatæ fuerunt: (datæ enim pridie Idus Februarias, post Nonas Aprilis denique mihi sunt redditæ.) Et ego quò minus ad eas continuò responderem, valetudine fui aduersa impeditus. Scito enim me octauum iam mensem pituita vsque eò laborare, vt & odoratum penitus, & vim etiam gustandi aliqua ex parte amiserim. Qui morbus hyemis tempore lentior, eoque magis tolerabilis: quòd humoribus pigrè & segniter se mouentibus, sensum in nobis mali obtusiorem aliquanto facit. Vere nouo excitatur, & ad nocendum corpori acuitur. Itaque & febricula aliquot diebus tentatus sum, & nunc capite frequenter langueo: non tam dolore quidem, quàm grauedine quadam occupatus, atque pressus. Sed mihi multis adhuc frustra remediis adhibitis, recuperandæ valetudinis spes, secundum Deum, reliqua est in appropinquantis caloris aduentu. Quę si nos fefellerit, feremus humaniter, omneque Dei omnipotentis de nobis ipsis decretum in partem optimam accipiemus. Illud vtique præstabitur à nobis, vt ne qua culpa nostra morbus vim ad lædendum, incremẽtúmue accipiat. Habes causam meæ tarditatis. Nunc reuertor ad tuas literas, quæ mihi mediusfidius extiterunt gratissimæ: vel quòd beneuolẽtia erga me tua eas mihi gratas semper effecit, vel quòd de libro meo quid actum fuerit, cognoui: de quo ad id tempus nihil acceperam. Eram autem non minimum sollicitus, quo pacto ex eo afficiantur animi vel audientium, vel legentium. Et nimirum hoc tempore, hisque animorum opinionumque dissentionibus, nihil tam nobis pertimescendum, quàm calumnia est, quod

quod iam vulgare quidem videtur esse vitium. Sed mihi, vt concertatio omnis permolesta, sic animi æquitas tutissimum est perfugium: quo sum vti solitus, si quis falsam mihi litem aut iurgium intendat: nam beneuolis castigatoribus vltrò magnam gratiam me debere confiteor. Quare quod mihi polliceris, vel potius recipis, te acturum accuratè cum theologis vestratibus, vt meum hunc animum æqui bonique consulant, id ego abs te non mediocri cum cupiditate expeto. Nihil enim malo, quàm & suũ illis honorem, & mihi meam pacem ac tranquillitatem incolumem manere. Præterea faueo etiam ordini illi atque collegio, in quo video firmissimam anchoram fluctuantibus (vt nunc est) fidei nostræ rebus constitutam esse. Sed hæc hactenus: neque enim dubito, quin iam officio functus fueris: nihilque reliqueris loci neque hortationi, neque admonitioni meæ, quippe qui non studium solum amoremque in amicitia, sed nauitatem etiam, & diligentiam afferas. Quo quidem nomine non mihi vni, sed prorsus omnibus earus iure optimo atque amabilis esse debes. De Episcopo Parisiensi nostro istud idem sentio quod tu. Nihil illo homine elegantius: nihil bonarum artium fieri posse amantius: in quibus ille ita cæteris fautor est, vt præcipuam tamen laudem ipse obtineat. Ei te gaudeo tam familiarem, quàm tu scribis, existere. Neque illud est κολοιὸς πρὸς κολοιὸν, sed ad summum virum vir ingenio & doctrina præstans eos aditus habet, quos germana virtus illi patefecit. Eum ego etsi mirabiliter amo, coloque, idq; ipse non nescit: tamen mihi erit pergratum, si tu hoc idem in sermonibus crebro illi inculcaris. Cætera, quæ in tuis literis plenissima amoris atque officii sunt, iccirco à me prætereuntur, vt ne videar aut meis nimium oblectari laudibus aut tuas blandiùs sæpiusque commemorare, quàm ingenuitas amicitiæ, & nostra firmitatem atque constans necessitudo postulat. Illud habeto, tantum tibi tribui à me, quantum & doctissimo homini, & in officiis omnibus constantissimo, ab homine item officij doctrinæque studioso & peramante debeatur. Cuius mei de te iudicij nunquã me profectò pœnitebit. Vale. Scriptis his literis, venit mihi in mentem requirere ex te, ecquem tu forte isthic haberes liberalibus institutum artibus, qui & Latinis & Græcis docendis literis idoneus esset, idque ipse profitetur munus. Similem enim quempiam ego nactus, libenter eum huc sat bona (vt opinor) conditione accerserem: quòd ciuitas hæc nostra publico id, vti fieret, decreuit consilio. Vellem autem eum maximè, qui in Ciceronianis scriptis exercitatus esset, atque eruditus. Hac in re si quid est mihi quod præstare, & ciuibus in eo meis prodesse possis: peto a te, vt ne grauere suscipere aliquam curam, & te in eam cogitationem conferre. Certè enim si assequemur quod cupimus, ma-

gno nos omnes abs te affectos esse beneficio sumus arbitraturi. Iterum vale. Carpentoracti.

XI.

IACOB. SADOL. EPISC. CARPENT. GVlielmo Bellaio Langæo S.P.D.

CVM hosce plures iam menses vehementer de te & de tua salute solicitus fuissem, quod ignorans vbinam esses, te in illis Italiæ fluctibus etiam nunc versari arbitrabar: summam repentè accepi lætitiam ex optato nuntij aduentu, qui ex aula Regis nuper huc profectus, saluum ac valentem te sibi visum esse confirmauit. Quod si ita est, (vt ego spero & opto) cùm mihi ipsi gratulor, tum ago Deo immortali gratias. Facit enim incredibilis ille amor, quo te iampridem sum complexus, vt nihil mihi abs te neque secundarum, neque aduersarum rerum, esse seiunctum possit. Quanquam quas tu secundas tibi esse res putes nescio, præter Regis tui gloriam atque amplitudinem. Vidi enim te in maximis illis miseræ Italiæ turbinibus ac procellis, non ferentem modò omneis labores, & omnia pericula constanter, ac fortiter: sed adeuntem etiam vltrò, & plenè exposcentem pro tui Regis dignitate atque gloria, vsque eò quidem, vt nemo secundis suis rebus tam iucundè ad commodum & vtilitatem suam perfruatur, quàm tu in turbulentis & asperis alacri animo versabare, quò fidei tuæ officioq́ue satisfaceres. Quod etsi iure ac merito pro tanti honore Regis faciebas, tamen rarum nos in te, propeq́ue inauditum fidei ac virtutis exemplum conspicientes mirabamur. Nunc autem si in portum peruectus es, instituistiq́ue commorari inter tuos, & ea artium optimarum studia quibus à pueritia mirificè fuisti deditus, in aliquo otio recolere: nuncio tibi me futurum socium eiusdem & voluntatis, & iudicij. Dedi enim me penitus & dicaui literis: neque aliud quippiam iam cogito dies noctesq́ue, quàm quemadmodum possim veram & dignam Christiano homine immortalitatem consequi: cuius rei iudicium, & fructum etiam aliquẽ, velut otij mei primitias, celeriter, vt spero, in manibus es habiturus. Sed non audeo scribere de his nunc pluribus, donec sciero, vbi tu sis, quid agas, ecquam mei absentis memoriam beneuolentiamq́ue conserues. Quod vt facias, mihiq́ue aliquando aliquid de tuis rebus scribas, te vehementer etiam atque etiam rogo: imprimisq́ue tibi vt persuadeas, nullum vnquam tempus fore, quo tuorum meritorum erga me, & nostræ mutuæ insignisq́ue beneuolentiæ, memoria moriatur. Vale. Carpent. XV. Calen. Martij, M.D.XXXVIII.

IAC.

XII.

IACOB. SADOLET. EPISC. CARPENT. *Gulielmo Bellaio Langæo S. P. D.*

NOn puto te mei oblitum esse, id enim humanitas tua mihi perspecta & cognita, & mea constans erga te voluntas suspicari vetat. Cùm enim ego tantum te diligam, quantùm litera exprimere non possum, quod meus in te amor omnem verborum vim, & orationis copiam longè vincit: non duco posse hoc accidere in natura ingenua, & liberali, cuiusmodi tua est, vt posteriores in amando ferre partes velis. Quamobrem certus sim me tibi esse cordi, quemadmodum quidem antea semper fui. Quòd autem lacessitus à me toties per literas, nullas mihi adhuc rescripseris, id occupationibus tuis totum attribuo: etsi vel vna culis abs te duobus, vt aliàs tibi scripsi, poteram esse contentus: qui mihi amanti, cupienti, de te multum cogitanti, munus muneris loco accidissent. Siquidem in illis imaginem animi, & amoris erga me tui, complecti & osculari mihi licuisset. Sed quando id præteriit, adest noua occasio, qua nanctus mihi beneuolentiam tuam possis. Paulus Sadolet. fratris mei filius, is qui tibi has literas reddidit, adolescens est apprimè institutus artibus honestissimis, à meque in filij loco diligitur. Is iamptidem flagrans cupiditate visendæ Aulæ Regiæ, & ipsius Regis salutandi venerandique tam suo, quàm meo nomine, hoc tempore à me potissimum dimissus est: quo mea quoque innotescat, aliqua perferri ad Regem meis verbis: ex quibus ille pluribus suis beneficiis in me iam collatis, animum meum erga se memorem & gratum cognoscere posset. Etenim iam dudum vereor mi Langæe, ne me rusticum hominem iam quèdam, & parum vrbanum esse existimetis, qui officium iustum meherculè & debitum, ad vos isthuc veniendi, & coram memet Regi obtestandi tamdiu distulerim. Sed eius me mei facti oppidò quàm puderet, si aliqua in me resideret culpa, ac non totum hoc crimen fortuna sustineret. Quibus autem de causis vsque adhuc retentus sim, & quid potissimum velim in hoc tempore, cuncta ipsius Paulo cognosces. Quem peto à te Langæe mi suauissime, atque magnopere rogo, vt omni tua humanitate, tua inquam illa præstante atque egregia, complectare. Nihil mihi omnino facere gratius potes, quam si in hoc adolescente quanti me facias, & quid mea causa cupias, ostenderis. Is à me habuit mandatis, vt nihil omnino ageret, nisi de cõsilio tuo. Quamobrem cum totum suscipias oportet: & non solùm illi introducer, sed monstrator etiam sis, & monitor, quemodo, & quando, aut

aut ad Regem adire, aut reliquas eum res agere & tractare conueniat. Hoc cùm mihi feceris (vt dixi) gratissimum: tum tu virtuti & humanitati tuæ seruieris, quemadmodum quidem solitus es: ipsumque adolescentem dignum & fide & beneuolentia tua etiam experiere. Nos hîc de nuptiis tuis nescio quid audiuimus, easque plenissimas dignitatis esse intelleximus. Id si ita est, quod quidem cupio esse, tibi eam rem feliciter & prospere euenire opto: ac Deum quæso, vt eos ex te gignas liberos, qui tibi & voluptati, & generi tuo sempiternæ laudi esse possint. Vale mi Langæe, & me vt soles dilige. Carpentoracti.

XIII.

IACOB. SADOLET. EPISC. CARPENT. *Pino Riuensi Episcopo S.P.D.*

DIV est, quòd nihil ad te dedi literarum: non obliuione amicitiæ nostræ, sed quod cùm nihil haberem quod scriberem tua lectione dignum, nullas volui potius, quàm inanes esse meas literas. Nunc verò cùm se mihi occasio, & propè dicam necessitas quædam obtulerit scribendi ad te, libenter hac oportunitate sum vsus. Etenim quibus in rebus egere mihi videor cùm eruditi hominis doctrina, tum amici fide, tu mihi statim occurris adutrunque aptus, cuius iudicium & integritas à me maximi æstimetur. His diebus absolueram commentarium in Psalmum XC. sanè maximo cum labore atq; cura, quod mihi ferè scribenti semper accidit, vt propter tenuitatem ingenij omnia difficillima esse videantur. Eum librum cùm cuperem communicare tecum, & cum aliquot viris doctis, vt quàm maximè emendatus in manus hominum exiret, difficultate librariorum fui retardatus, quorum est incredibilis in his locis inopia. Itaque ad impressores me necessariò contuli, ne nunquam quicquam ederem quod laude dignum esse posset. Nam cùm non insistendum mihi in hoc vno opere sit, sed ad alia, Deo bene iuuante, progrediendum: visum est fore vtile maturè intelligere, quid quisque in hac lucubratione mea prima ex me requirat, vt ex his, in quibus iure nunc reprehendar, in alijs posthac cautior & sapientior fiam. Hac spe & fiducia libello exitum permisi, eumque eucstigio misi ad te: vt siue tibi probaretur, singularem animi lætitiam ex hominis doctissimi, atque amicissimi approbatione acciperem: siue minus probaretur, tua castigatione & monitis in posterum fierem melior. Quorum vtrumuis ita mihi gratum futurum est, vt vtrum malim nesciam. Vtile est reprehendi, cùm erres: Iucundum laudari, præsertim a laudato viro. Sed si hi sumus, qui esse debemus, hoc est veri rectique cultores, potior esse debet voluptas veritas.

Quamo-

Quamobrem à te peto, idque maiorem in modum, vt cùm hæc nostra leges, reperiesque aliquid quod tibi non satis probetur, sensimque acris iudicij tui aliqua in re offendat, ne parcas monere & reprehendere me, fidemque amicitiæ, quam à te sanctissimè seruari non dubito, in hac re mihi potissimum præstes. Vt enim dico, si minus in hoc volumine, quod iam editum est, at in aliis ad quæ ego me paro, plurimum mihi & tua eruditio proderit, & autoritas. Tibi equidem hoc confirmo, me in hac scriptura & lucubratione mea, non tam meam spectasse laudem, quàm eorum vtilitatem, qui legent: si fortè in hac tanta vitiorum vbertate, quibus hodie terrarum orbis laborat, aliquid ferre opis possim labenti iam, & grauiter affectæ religioni Christianæ. Quod optatum etsi maius multo est, quàm vt conueniat meis viribus: per quos tamen vult, omnia quæcunque vult, & potest, & potuit semper omnipotens Deus: qui à pecore pascendo, & à sycomoro, reges populo suo & propheras accersiuit. Cuius nos honori, & nomini toto animo inseruientes, satis habituri sumus, si cui inter legendum nostra, aut Dei ipsius omnia intuentis timor solito maior, aut acrius desiderium rectè faciendi incesserit. Sed de his satis. Tu vt me diligas, tibique persuadeas, te à me & coli summopere, & amari, magnopere à te peto. Vale. Carpentorath, Calend. Martij, M. D. XXX.

XIV.

IAC. SADOLETVS EPISC. CARPENT. *Aug. Grimaldo Episc. Grassæ, S. P. D.*

OMnibus in rebus tuus amor erga me semetipsum ostendit: quod etsi mihi est peroptatum, re & factis sæpius apparere quantopere tu me diligas: tamen quòd tibi nihil adhuc possum reddere præter beneuolentiam, & memorem pro tuis iam pluribus officiis erga me voluntatem: aliqua cura afficior, ne cui indignus talis viri tanto erga me studio esse videar. Quod ego à te peto, vt ne ita credere animum inducas. Crebrior tibi, & felicior data est occasio bene merendi de me, & propter amplitudinem potestatis, & propter excellentiam virtutis. In quo verò & fides agitur, & officium, & fidelis amicitiæ firma coniunctio, mori millies malim, quam quoquam in eo esse inferior. Sed quorsum ista? Paulus fratris filius, quem ego mihi pro filio duco, nuper reuersus ad nos, mihi narrauit, quo pacto fuerit acceptus à te: vt non solùm amorem, quo me prosequeris, sed humanitatem etiam, & liberalitatem tuam, quæ summa est, totam effuderis in eum: aliquotque locis ea de me præsentibus audientibusq; compluribus dixeris, ex quibus perspicuè pateret, & quantum me

amares,

amares, & quàm amicè de me atq; honorificè non sentires ipse solùm, sed alios etiam velles sentire atque existimare. Hæc tua recentia officia, quæ aliis iam plurimis accumulata sunt, si obliuisci aut dissimulare velim, ingratus & nefarius: si verbis compensare, ineptus sanè existimer. Sed in re difficili ad capiendum consilium & dubia, malui tamen scribere ad te aliquid, & gratias tibi agere, quam omnino me videri mutum. Eas igitur tibi & ago & habeo quàm maximas, habiturusque sum semper, donec vita superabo mea. Et quoniam alia mihi non est de te bene promerendi facultas: illud quod sperare nonnihil posse mihi videor, si hoc ocium quo nunc fruor, Deus mihi fortunabit, tibi polliceor, me omnem operam daturum, vt & tuæ eximiæ virtutis, & meæ erga te summæ beneuolentiæ ac voluntatis, aliquod non obscurum iudicium prodatur posteritati. Sed & hoc parum est, & tu multò maioribus es dignus. Nos tamen id quod possumus libenter præstabimus, in quo animus tibi noster, non res ipsa est spectanda. Vale, & nos amare ne desine: tibiq; persuade vicissim, te a me non amari solùm, sed mirabiliter etiam obseruari, & coli. Carp. XV. Calend. Octobris M.D. XXIX.

IACOBI SADOLETI EPISC. CARPENTORACTI EPISTOLARUM Lib. V. Epist. I.

IACOB. SADOLET. EPISC. CARPENT. Ioan. Saluiato S.R.E. Cardinali, S.P.D.

COGNOVI ex literis meorum, id quod mihi magnæ voluptati fuit, te saluum ad vrbem, & ad Pontificem Max. reuertisse: atque vtinam vt virtus tua mihi planè perspecta & probata semper fuit, sic haberet locum his duris temporibus, quo Reip. & Ecclesiasticæ autoritati posset esse adiumento. Quod tamen confido fore, fretus prudentia tua, & optimi Pontificis sapientia atque consilio. Ego cùm tu etiamnum in Gallia esses, memoria tenco, me tibi scripsisse, exeudia me ne cio quid in sacris literis: quod simulac absoluissem, continuò tibi missurus essem. Id nunc mitto, commentarios videlicet in Psalmum XCIII. aliquantò serius, quam volebam: quòd expectatio mea quoad scirem vbinam locorum constitisses, studium mittendi meum retardauit. Nam quin tibi in omni laude doctrinæ ac literarum plurimum tribuam, ne tu quidem dubitare quicquam potes. Nosti enim iam diu animum meum erga te, & perpetuum iudicium, quod ego cùm de ingenio tuo, tum de præstan-

præstantissimis virtutibus, omnique tua integritate & modestia semper feci. Quæ hoc maiora ornamenta putanda sunt, quò rariora in hoc tempore cernuntur. Itaque gratum quidem mihi fuerit tibi probari lucubrationem meam, si tamen probanda sit. Verùm illud quoque gratius, me abs te admoneri, si quid inerit quod reprehensione dignum esse videatur. Tendenti enim mihi ad similia alia, admonitio tua præcepti in posterum, & doctrinæ apud me locum obtinebit. Sed de hoc satis. Reliquum est, quod ego nescio quamobrem hæsitem petere à te, cùm à tali viro, eodemque patrono ac defensore tum meo, tum meorum omnium, si qua opus sunt, audacter postulanda sint: neque tamen (vt ego arbitror) meæ modestiæ in petendo fines transilam. Habeo fororis filium de tuo Ferrariensi populo, Paulum Sacrum, bene ac liberaliter eductum, optimisque institutum & moribus, & literis: qui mihi cordi vehementer est, & propter necessitatem sanguinis, & multò magis, quòd ex indole bona virtutis ac ingenij spem de se maximam omnibus nobis affert. Is ecclesiasticam sectam secutus, dedit in sacram militiam nomen, & me iampridem sacerdotio quodam donatus fuit. Verùm patruus eius Ioan. Baptista, cuius tibi virtus, pudor, integritas, nota est, tum multorum liberorum onere premitur, vt nequaquam id illi subsidij satis sit. Quare cùm ipsius Pauli egregia indoles, & optimarum artium ac literarum studium, tum domus illius ac familiæ nobilitas digna est, quam tu tua humanitate ac liberalitate complectaris. Feceris igitur rem tua virtute vehementer dignam, si sacerdotio alio quodam in ipsius patria illi deferendo eum iuueris, quò & studiosius colere bonas artes, & patris fratrumq; onera, quæ multa & magna sunt, queat sublcuare. Quod ego à tua amplitudine vt efficiat summoperè contendo atque imprimis, si tibi videatur, vt eum in illius Ferrariensis Ecclesiæ canonicorum, quos vocant, collegium ascribas. Erit hoc mihi eximiis tuæ erga me beneuolentiæ indiciis maximè gratum, proclusque honorificum. Tu verò cùm illam familiam honestare, in bonoq; statu collocaueris: tum egregiam illam, quæ de te est, & de tua singulari sapientia ac religione, confirmaris opinionem: tanquàm sic statuas, sacerdotia, non ad temeritatem & arbitrium flagitantium, sed ad ornandos homines idoneos, & ad bonorum mentes studio virturis ac doctrinæ accendendas, distribuì oportere. Ego si hoc (vt spero) impetraro, maximo me abs te affectum beneficio, & perpetua debitione gratiæ tibi deuinctum esse arbitrabor. Vale mi Patrone, & patrem tuum charissimum virum meis verbis saluere iubo quàm plurimum. Carpent.

IAC.

II.

IAC. SADOLETVS EPISC. CARPENT. Ioan. Saluiato Cardinali, S. P. D.

SÆpius mihi iam contigit, vt ad te scriberem, aliquos tibi commendans: quod & dudum in sororis meæ filio feci, cùm peti abs te, vt quoad commodo tuo fieri posset, aliquo eum sacerdotio in patria sua honestares. Et proximè his literis, quibus commendaui tibi causam meorum populorum, quorum est mihi salus, & meæ fidei potissimùm ab Deo credita. Sed verè hoc loquar, tuum in me studium, & præstans in omni genere humanitas, longè vicit expectationem meam. Sic enim ex meorum literis intelligo, nullum tibi dari locum declarandi amoris tui erga me, quin id ita apertè prolixéque efficias, vt facilè appareat, tibi esse cordi & voluntatem, & commendationem meam. De quo gratias tibi ago quantas possum maximas, atque vtinam referre possem: eundem me re ipsa esse erga te experirere, quem oratione præ me fero. Sed crede mihi, si amor, si cultus, si obseruantia, si tuarum plurimarum, earundemque præstantissimarum virtutum prædicatio, aliquam partem obtinet referendæ gratiæ, te nullum meum officium desideraturum, quod proficisci ab homine gratissimo possit: darumque me operam, quantum in me erit, vt quæ tua sit integritas, quod ingenium, quæ virtus, & in conseruandis ac tuendis clientelis, etiam absentium, & veterum amicorum fides, non præsens solùm ætas, sed etiam futura intelligat. Non enim parua laus, sed meo quidem iudicio omnium propè maxima: homini potenti, & maximis opibus prædito, charam præcipuè esse & humanitatem in omni agenda vita, & in tuendis amicitiis fidem: atque hoc maior, quò ratior. Verùm hactenus de his: vberiorem enim ea orationem desiderant. Quod ad sororis filium attinet, accipio excusationem tuam, & in seruandis promissis virtutem animi, constantiamque collaudo. Cùm autem poteris, cùm erit tibi commodum, tunc de eo cogitabis, si voles, & si tibi pro liberalitate tua, amplectenda probitas adolescentis, & ad optimas artes ad quas propensa est, adiuuanda esse videbitur. De meis quidem populis te rogo atque obtestor, vt cogitationem aliquam suscipias. Incredibile dictu est, quantopere eos diligam: in quo mihi ab illis refertur gratia. Non enim suam penè salutem mea ipsi salute habent chariorem. Sed tamen multis iamdudum incommodis affecti, & inter nationes exteras quasi exemplum quoddam præferentes, quid sit sub æquitate & ditione Romanæ Ecclesiæ viuere: digni sunt, quibus maiore eum indulgentia imperetur. Itaque ego nec tot procuratorum acu-

ac mihi cum missionem, nec minas formidinesque probo, quibus hominum mentes à voluntate obtemperandi potius abducuntur Ecclesiastica mansuetudine agendum cum illis est: id quod etiam magis puto profuturum. De quo si tibi videbitur, vt cum summo Pontifice loquare, aliquidque ad me quàm primum rescribendum cures, magnopere à te peto. De meo ad vrbem reditu, quem tu iampridem exoptare videris, agnosco equidem benevolentiam tuam. Veruntamen confirmo tibi, si quis vspiam est, quem sui status minimè pæniteat, me eum esse. Nullam enim rem possum optare de eis rebus, quæ ad sedandum animum pertineant quam non mihi penè vltro diuina bonitas obtulerit. Absunt opes à me, & eximij illi honores, & concursus hominum negotiumque: quibus ego in rebus nullam vnquam partem beatæ vitæ repositam esse putaui. At multa adsunt, quæ ego statuo esse potiora: pax animi & tranquillitas, & mens mediocribus contenta rebus, tum amor cunctorum qui circum me sunt: imprimis verò studiorum, & literarum voluptas, ac delectatio: quæ & maxima est, & latam & rectam ad immortalitatem munit viam. Denique si mihi vitæ ratio esset ex omnibus vna eligenda, eaque maximè faceret ad fœlicitatem: non videor aliam fuisse electurus, quàm hanc quæ mihi singulari Dei beneficio nec opinanti tributa est. Quamobrem redeundi istuc quidem meum nullum consilium est. Sed mens certè & voluntas summo Pontifici & Sanctæ istius sedis honori & autoritati vehementer dedita, maque imprimis peramans: quem ego patremque vna tuum vnum clarissimum, atque vniuersam familiam vestram, omni semper studio & obseruantia sum prosecutus. Qua in sententia etiam quoad viuam permanebo: nec vllo vnquam loco, aut sedes à me apostolica boni Episcopi, aut vos amicissimi ac benevolentissimi hominis officium requiritis. Vale. VI. Calend. Martias M.D.XXXI.

III.

IAC. SADOLETVS EPISC. CARP. *Iohanni Saluiato Cardinali S. P. D.*

QVAM in omnibus dictis factisque, quæ tu pro me vnquam, aut mecum egisti: tum verè in his præcipuè literis, quas proximè accepi à te, omnis tua humanitas patefacta mihi est, plena amicissimæ erga me voluntatis. Nam & comprobatio tua mei de Paulo iudicij, vehementer grata mihi extitit. Et quod tu eum in amorem tuum, & in familiaritatem tam libenter receperis, id quoque intelligo meo amori te fuisse datum. Quanquam meum quidem de eo testimonium, illius actionibus, ingenio, modestia,

stia, apud te confirmatum esse summè gaudeo. Certè enim ex nemo est, aut omnino perpauci, quibus meas actiones atq; cons silia, æquè ac tibi probata esse cupiam: quem ego & propter in signem prudentiam, ac integritatem, omni honore cultuque d propter animum eximium erga me incredibili quadam benevo lentia prosequor, atque complector. Quod autem scribis gra tum tibi à me fieri, quod nomen tuum meis scriptis concelebra re sim aggressus: non est de eo cur mihi gratiam debeas. Ego enim id reputans quod verum est, ex tuo nomine & commemo ratione clarissimi atque ornatissimi viri, omnique virtute pra stantissimi, non parum luminis in mea scripta deriuatum: susce negotium non tam tui (non enim virtus tua eget testibus) quam mei honoris causa: atque vt literæ meæ, quæ sua sponte obsole tiores sunt, tuæ & autoritatis, & laudis gloria illustrarentur. Ne me tamen oblitum existimes velim eius orationis, quam habe tecum, cum tu apud nos Carpentoracti esses. Non enim si u alio argumento nunc versor, illud propterea abieci, quod tib ostenderam me susceptur ũ esse. Sed cùm & difficilius illud opus & longioris multò temporis existeret, nostra autem festinatio amoris mei erga te aliquo indicio tibi declarandi moram tan tam non ferret: ad id elucubrandum me conuerti, quod videba tur maturè confici posse. A quo tamen ipso & hyemis asperitate & tenuitate meæ valetudinis aliquandiu sum retardatus. Sed re petam cursum, vt opinor: hocque acrius instabo & connitar, qu maior mea cupiditas perficiendi facta est. Tua in meæ sororis fi lium propensa beneficaque voluntas gratissima mihi est: eaque cumulum affert tuis erga me meritis, quibus iam plurimis ni sum obstrictus. Ego tuis literis serius respondi, quòd cùm te Neapolim profectum esse constaret, de reditu tuo ad vrbem ni hil ante hoc tempus audieramus. Vale. IV. Calend. Aprilis, M. D. XXXVI.

IV.

IAC. SADOLETVS EPISC. CARPENT. Alberto Pio Carporum Principi, S. P. D.

NOLLEM te existimare, aut negligentia fieri mea, aut obli uione nostræ veteris amicitiæ, vt raras ad te dem literas: non enim ea causa est. Sed tui sæpenumero summa cum benevo lentia memoriam recolens, habeo tamen & temporis, & valetu dinis tuæ rationem. Nam & duriores adhuc res tuæ, quàm tua virtus & dignitas postulabat, me sæpè conantem scribere retar darunt: non habentem præsertim opis atq; auxilij aliquid, quod tibi possem afferre. Et inualetudo tua ita mihi molesta est, vt non tu

non tu interdum corpore grauius affecto sis, quàm ego tua causa perturbato sim animo. Quod cùm communis humanitatis est, aliorum incommodis commoueri: tum verò beneuolentiæ proprium, æquè ac suis. Sed te quamuis iactatum fortunæ iniuria, & valetudinis imbecillitate laborantem, tua tamen grauitas sapientiaque consolatur. Etenim multa tibi in te ipso præsidia sunt aduersus taleis casus comparata, literarum, ingenij, philosophiæ, atque in omni genere rerum agendarum, consiliorumque & capiendorum & dandorum prudentiæ, summæque autoritatis. Quibus rebus fit, vt tu in aduersis multò maior appareas, quàm in secundis hi, qui existimationem bonam ab hominibus nec dignitate mereri, nec per virtutem consequi potuerunt. Accidit, quod isti omnium maximo & præstantissimo Regi confido magnæ curæ esse quietem & trãquillitatem tuam: qui vt liberalis ac benefici erga omnes, sic grati aduersus de se benè meritos summam iamdudum laudem obtinet. Sed vt hæc tibi possunt esse solatio, quæ à me dicta sunt, etsi qua alia sunt huiusmodi ad firmandum animum apta atque accommodata, sic te experiri non dubito, id quod ego quoque facio, in cunctis casibus humanis, maximum & certissimũ perfugium esse Deum. In quo qui rationes & spes suas collocant, hi placatam in omni fortuna, & lætam præcipuè degunt vitam. Equidem quod ad me attinet, cùm ipse quoque fuerim multis (vt tute scis) fortunæ iniuriis incommodisque affectus: patrioque relicto solo, in alienas & penè ignotas regiones me contulerim: tamen hoc vno solatio semper maximè sustentatus sum, quod Deo certo reputans nostra curæ esse, cætera ferenda omnia fortiter & patienter duxi. Quam quidem rationem & persuasionem meam (si tamen persuasio, ac non certissima potius scientia appellanda est) vt ne sola cogitatione, sed scriptis etiam & literis vsurparem: confeci his mensibus commentarium quendam in Psalmum XCIII. sanè quàm laboriosè, quò enim meum tenuius est ingenium, hoc mihi maior in scribendo cura ac diligentia adhibenda est. Sed cum viderer in Psalmo illo multa perspicere lumina iustitiæ & prouidentiæ summi Dei: ætatem autem nostram intuerer (dubitatione credo, & quasi diffidentia rerum diuinarũ) in tanta & scelerum & hæresum, ac propterea etiam calamitatum velut tempestate iactari: suscepi negotium vt quoad possem Deo adiuuante, aliqua de ipsius altissimis consiliis explicarem: per quæ & veritas magis hominibus illucesceret: & qui iam aberrassent à via recta ad iter, si vellent, tutum conuerterentur. Qui meus labor, quid aliis profuturus sit, ignoro: me quidem certè non parum consolatus est, valdeq; confirmauit. Tibi verò ipsi quanquam domi tuæ ista iam trita sunt, vel vberiora etiam,

& præstantiora multò, quæ tu in tuis habes doctrinæ & sapientiæ thesauris recondita, tamen vnum volumen pro amicitia duxi esse mittẽdum: vt si fortè tu aliis curis impeditus, minus hæc ipsa cogitare in præsentia posses, mea sedulitate facilius admonerere. Sin hoc nihil fuisset necesse, ego tamẽ fungerer officio amicissimi ac beneuolentissimi: neue scriberem quicquã talium rerum, quod non ad tuum arbitrium iudiciumque deferrem. Vale, & nos tui amantissimos dilige. XV. Calend. Augusti, M. D. XXX.

V.

IAC. SADOLETVS EPISC. CARPENT. *Rodolpho Pio Episc. Faventiæ S. P. D.*

POst acceptas literas tuas, quas vnà cum indice librorum tuorum iamdudum ad me misisti, cum me ad respondendum pararem, gratiasque tibi agere instituerem, quod laboris tantum mea causa suscepisses: factus interim sum literis amicorum certior, legationem tibi in Galliam decretam, teque primo quoque tempore itineris faciendi causa Romæ exiturum esse. Quæ res me tenuit, quò minus ad te tunc darem literas, veritus scilicet, ne, si ad vrbem misissem, te minimè ibi conuento, meus irritus labor & inanis diligentia existeret. Nunc cum arbitror, te (non enim certi quicquam postea hac de re cognoui) iam eò peruenisse quò fueris missus: eaque munera apud Regem obire, quæ tibi mandata sint: non existimaui hoc à me officium iustum sanè & debitum differendum amplius esse, quin & scriberem ad te, & tibi agerem pro tuo singulari erga me studio gratias. Est enim tua in me beneuolentia cùm aliis sæpe locis atque temporibus, tum verò in hac cura & cogitatione copiosissimi indicis mittendi mihi planè perspecta: cum ea præsertim illud quoque indicet, nihil in tua insigni bibliotheca sic tibi sepositum esse, quod non idem mihi commune esse velis. Atq; ego quidem hoc animo sum, vt liberalius mecum agi arbitrer, si quis mecum libros suos, quam si diuitias communicet, quanto scilicet doctrinæ & sapientiæ, quàm auri præstantior & preciosior est possessio. Itaque nullo maiore beneficio cuiquam homini possum esse obstrictus. Cuius quando mihi copia & facultas abs te parata est, vtar equidem ea cùm fuerit commodum, & cum tu ad tuos reuersus fueris. Interea autem quod meæ gratissimæ naturæ memorisque voluntatis proprium est, & gratias tibi ago, & me eo nomine non mediocriter tibi deuinctum confiteor: huiusque meæ erga te voluntatis declarandæ, si res tempusque tulerit, occasionem vtique non prætermittam. Et quoniam qua cœpisti erga me liberalitate, eadem agere vti pergas, cùm mea spes de te,

tum

rum tua imprimis virtus & constantia postulat: peto à te pro nostra amicitia, si in Regia es, inque illis negotiis iam versaris: cum mihi ibidem agenda res quædam sit, ad ius Ecclesiæ meæ magnopere pertinens: hominem mihi vt comperias & exercitum, & fidelem, qui tibi notus aut familiaris etiam sit, & cui ego meum negotium committere tutò possim. Nam quominus delita opera hinc aliquem mittam, rei domesticæ angustiis sanè prohibeor: & tamen confido, tua autoritate & gratia, quod cupiam, atque commodè hoc modo posse consequi. Quod vt facias, mihique aliquid de eo rescribas, magnopere te, omnique animi studio rogo atq; oro. Vale. Prid. Idus April. M. D. XXXV.

VI.

IAC. SADOLETVS EPISC. CARPENT. *Francisco Guicciardino S. P. D.*

FVI ego te semper antea amaui, tuamque industriam, consilium, animi virtutem plurimi feci: tamen cùm modò venisset ad me Alfonsus Sadoletus frater, multaque mihi de te narrasset, quæ insignem tuam quandam erga præsentem eum, meque absentem beneuolentiam, tum autem optimum in nostram omnem familiam animum declarabant. Crede mihi, amore eo quo te pridem diligebam, vehementius etiam sum inflammatus, magnaque meæ opinioni accessio de te facta est: quod perspexi fidem amicitiæ, quæ inter præsentes quoque rarò admodum colitur, eam à te erga absentes sanctissimè conseruari: quo genere laudis vix vllum meo iudicio reperiri maius potest. Atque ego, qui cum aderam istic, viuebamque vobiscum, tuoque interdum aspectu & sermonibus perfruebar, fauebam tibi maiorem in modum, magnisq; gerendis rebus hominem te imprimis idoneum esse arbitrabar: nunc altero hoc tuæ virtutis & humanitatis præclaro testimonio confirmatus, habeo iam non quæ laudem in te solum, ac diligam, verùm etiam magis quæ admirer: quanto scilicet maiore admiratione digna virtus ea est, quæ prudentum bonorumque iudicio, quam quæ popularibus laudibus expenditur. Quòd si in eisdem locis, eisdemque negotiis, quod fere antea faciebamus, versari vtrumque nostrum contingeret: declararem tibi profecto beneuolentiam meam: omnibusque meis dictis factisque ostenderem, quàm mihi chara esset & necessitudo nostra, & dignitas atque amplitudo tua: nullumque a me officium nec fidelissimi amici, nec coniunctissimi hominis desiderares. Sed quoniam longè absum, magnisq; locorum interuallis distracti inter nos sumus: cætera quidem amicitiæ officia tibi ex me prompta esse non possunt, quæ coram præstari so-

lita sunt, & expectari. Illud vnum verò, quod vel præcipuum est & reliquorum omnium longè primum, à me certè non deerit: quo tuum semper nomen in intimis sensibus geram, conseruemque memoriam tui, & te colam beneuolentia sempiterna. Etenim cætera, amoris signa, & indicia quædam sunt: hic est ipse propriè amor, qui ea fide & veritate tibi à me præstabitur: vt nunquam tu, quæ in me atque meos studia contulisti, ea tanquam in indignos collata, sis reprehensurus. Ego tanquam procul absum à vestris grauioribus istis actionibus atque curis, quæ sonitum, atque turbam, & pompam quandam præ se ferunt: habeo tamen & ipse hîc quoque delectationes meas, quibus tranquillo animo mirificè fruor: quòd assiduus sum in studiis artium optimarum, & præclarissimarum: quæ me tanta iucunditate afficiunt, vt nihil omnino solicitudinis neque molestiarum ad animum meum finant introire. Quam ego vitam etiamsi minus illustrem, aliquanto tamen beatiorem esse iudico. Sed de his aliàs. Reliquum est, vti te rogem, vt quam iampridem erga me suscepisti, in eadem perpetuò maneas voluntate: meosque tueri tua beneuolentia non desinas. Vale. Carpent. XIII. Calend. Aprilis, M. D. XXXIII.

VII.

IAC. SADOLETVS EPISC. CARP. *Paulo Iouio Episcopo Nuceriæ S. P. D.*

ETsi mihi dubium nunquam fuit, quin abs te summopere diligerer: tamen & literæ tuæ plenissimæ amoris atque officij, & ea quæ tuis verbis Polus ad me detulit, quæque ipse præterea commemorauit de te, planius mihi ostenderunt, tibi esse cordi & quietem & dignitatem meam: atque ea quæ quotidianis ex lucubrationibus à me proficiscantur, pluris à te æstimari propter amorem, quàm fortasse digna sint. Quam ego tuam erga me voluntatem, ne viuam mi Paule, nisi omnium rerum habeo charissimam. Nam cùm tu singulari doctrina, virtute, eloquentia præditus, is vir sis, vt tuum de quoque iudicium maximi fieri debeat: tum verò incredibilis illa comitas, & quædam rara iucunditas, quæ tibi à natura data atque insita est, facit vt nihil te fieri possit amabilius. Ex quo facile potest existimari, quantum ego mihi ornamentum in tua amicitia esse cõstituam: cùm & propter ingenij ac doctrinæ præstantiam, me ornare, & propter humanitatem suauitatemq; naturæ delectare etiam possis: non nolis autem vtrumque: cuius quidem tui animi erga me plura habeo indicia ac testimonia. Sed accidit præteritis temporibus, vt cùm & tu meam consuetudinem appeteres, & ego tuæ

esset sitientissimus, potentioribus tamen concedere fuerit necesse, qui te totum sibi arripuerunt: cùm tamen inter nos salua semper manserit amicitiæ coniunctio. Non enim ego vnquam pertuli, neque permissurus sum, vt tu in amore me vincas. Multa me adducunt, vt neminem te pluris faciam, paucos pari atque te benevolentia prosequar. Sed eo nihil est ad meum vinciendum animum arctius, quòd me à te amari intelligo. Eius rei duo signa habeo certissima: vnum, quòd locorum disiunctio non immittit benevolentiam: alterum, quòd me tuis quotidie scriptis condecoras. Quæ si hoc solùm afferrent, vt testificarentur te de me sepissimè cogitare, ferreus nimirum essem, nisi te amarem efficitim, ferremque assiduè in oculis. Cùm verò scripta tua eiusmodi sint, vt immortalitatem mihi polliceantur: quid aut tuo hoc in me officio maius, aut mea in te benevolentia debet esse flagrantius? quam ostendam equidem tibi aliqua in re, mihi crede: & si defuerint cætera, eodem te genere remunerabor: etenim fortasse impari, pari certè studio ac voluntate. Itaque & alia tantisper studia intermittam, sicuti tu mihi suades, & ad philosophiam me referam, quemadmodum idem tu mihi es autor: omnibusque in rebus tuo iudicio atque consilio vtar libentissimè. Vtinam liceret nobis esse vnà. Sed quando diuersis non solùm locis, sed etiam opinionibus remoti absumus, quòd ego in porru libenter maneo, tu illis adhuc vndis & fluctibus delectaris: epistolis missitandis inter nos assequamur, vt nunquam non esse vna videamur. Quod te oro mi Paule suauissime, vt in eo me non deseras. Nihil mihi potest esse dulcius, quàm aut loqui tecum, quod iam ereptum est: aut tuas legere literas, in quo morem mihi gerere tuæ est potestatis. Quapropter tu qui omnes venustatis atque humanitatis articulos tenes, noli pati (obsecro) me hac tanta & tam exoptata voluptate tuarum literarum carere. Vale, & nos dilige, tibique persuade, te à me mirabiliter amari. Carpentoracti.

VIII.

IAC. SADOLETVS EPISC. CARP. Io. Francisco Ripæ Iurisconsulto S. P. D.

TVa præstans doctrina, & summum ac singulare ingenium, quod non modò in hac iuris ciuilis laude ac scientia, sed omnibus bonis in literis artibusque excellit: faciunt, vt quicquid profiteatur à te, id non solùm vtile & commodum, sed etiam optabile omnibus esse debeat. Cùm verò nuper voluminibus quadraginta editis, viginti interpretationum, totidemque responsorum, omnem fermè ciuilem prudentiam explicare

& proferre in medium instituëris: remque totam, qua nulla ferè subtilior, neque enucleatior excogitari possit, summo studio & cura, summis laboribus vigiliisque confeceris: diuque sub eadem expolitam lima adhuc compressam domi continueris: quid mirum mi doctissime Ripa, si ego, vt eam aliquando ederes, & ad publicam vtilitatem inuulgares, non hortator solùm, verùm etiam rogator accessi: cùm de tuo præcellenti & admirabili ingenio sentiens id quod necesse est, non æquo ferrem animo, tam diu differri commune omnium doctorum & bonorum virorum commodum, cùm præsertim ex eo egregia quædam laus & expetendus honor mihi ipsi quoque pareretur? Quo quidem nomine duplices tibi ago gratias: vnas cum cæteris hominibus communiter, quod ipse quoque tuis eruditissimis laboribus & monimentis ad fructum meorum studiorum vsurus sum: alteras proprias iam & singulares, quòd sum hoc tanto abs te & tam præclaro munere honestatus, quo meum nomen per tua scripta commendari immortalitati voluisti. Cui muneri si referri ea gratia posset, quam ego libenter redderem, crede mihi, cognosceres & experirere, in hominem memorem & gratum tua te officia & studia contulisse. Sed in hoc etiam tua humanitas & fortuna illustrior fuerit, quòd ea dare potuisti, quibus par recipere mihi posses. Ego tamen ad eam beneuolentiam, qua te semper maxima complexus sum, & ad id iudicium, quod de tuis ingenij & doctrinæ ornamentis eximium semper feci, adiungam vinculum officij & obligationis, qua tibi perpetuò deuinctus futurus sum: quanquam hæc quoque ipsa in vero amore & fideli amicitia, qua iam pridem copulati sumus, satis per se omnia insunt. De cætero quicquid ab vtroq; nostrûm in alterum profectum fuerit, id non nouam constituere, sed veterem & mutuam beneuolentiam nostram declarare videbitur. In quo vt tecum omnibus officiis certem, ita adnitar, vt siue victor, seu victus, in eadem & pari laude vtrumque sim positurus, quando non vinci beneficiis, quibus plerunque tempus & fortuna occasionem dant: sed in amore, & fide amicitiæ inferiorem esse, id probo viro maximè fugiendum est. Tu valebis, & perges quæ præclarè instituta sunt, ea quamprimùm emittere: meq; amabis, si tamen te à me vnicè amari verè existimas. Vale, Carpentoracti, XVI. Calend. Octob. M.D.XXVII.

IX.

IAC. SADOLETVS EPISC. CARP. *Lazaro Bonamico S. P. D.*

O Gra-

O Gratas tuas mihi iucundasque literas: quæ etsi tardissimè ad me perlatæ sunt, (scriptæ enim V. Idus Maias, extremo ferè Octobri mihi sunt redditæ) tamen quòd primæ mihi de te, & de tua nihil commutata erga nos voluntate optatissimum nuntium attulerunt, non dici potest, qua à me lætitia & gratulatione fuerint acceptæ. Namque scito, has vnas mihi abs te post nostrum digressum ex vrbe fuisse redditas: perbreues illas, quidem, sed plenas officij, suauitatis, beneuolentiæ: quibus etiam præsertim liber adiunctus fuit, & propter philosophiam gratus, & quòd à te profectus, est aliquanto gratior. Agnosco enim, prædicatione tua esse factum, vt ille mihi honos potissimùm haberetur. Te enim facis tuo grauissimo testimonio, vt nos aliquid esse videamur: cùm ea sit de tua eximia doctrina, singularique iudicio apud omnes homines opinio, vt quem tu laude cohonestaris, de eo non possit nisi honorificè & amplè iudicari. Agerem gratias, si hoc non alienum nostra familiaritate esse existimarem. Sed perinde sit atque si essent actæ. Ad Franciscum Asulanum dedi literas, gratissimum mihi illius munus, multoque magis quod de me facit iudicium, fuisse significans: conaturumque me, vt referam gratiam, si occasio fuerit. Quòd idem illi abs teipso confirmari, teque meæ naturæ memoris atq; gratæ, apud illum testem, &, si opus sit, etiam sponsorem esse opto. De me autem, mi suauissime Lazare, sic habeto, nihil aliud iam mihi esse in optatis, quàm quo pacto queam hoc, quod mihi reliquum est temporis, totum in optimis artibus studiisq; consumere. Multi adhuc me impeditum tenuerunt, quæ ego partim iam remissis curare cœpi, partim penitus abieci: vt tandem aliquando solutus & liber, in hanc vnam curam me conferrem. Itaq; mihi ipsi non desum: assiduè lego, scribere etiam sum ingressus nescio quid: quod quidem si processerit ex sententia, maiore animo ad reliqua sum perrecturus. O si te haberem, quos mihi spiritus tuus ille doctissimus sermo, & familiaris vultus excitaret? Paulus mihi in studiis mirificus comes, rari alij, vel potiùs nulli quanquam Aurunione est Alciatus, vir omni cultissimus doctrina, mihiq; amicissimus: nonnulli præterea, sed paucii: verùm vt iam sunt, qui mitem incipiant, & conentur idem facere. Cum Fregosio nostro frequens nobis scribendi commercium, occupationibus distinemur, quò minùs vnum in locum conueniamus. Hæc quod ad doctorum hominum consuetudines attinet. Cætera sanè iucunda & placata. Ora hæc quam incolimus, ventis paulò infestior: cæteroquin amabilis, & imprimis amœna est. Nos hortos suburbanos sic diligenter instruimus & ornamus, vt appareat, in illis spem omnem otij & oblectationis nostræ nobis esse repositam. Quos si aliquando viseris, reperies Quirinalibus illis nostris nequa-

quam inferiores: aquarum quidem abundantia, & vbertate pomorum etiam superiores esse: Habes statum nostrum. Tu de tuo vt nos facias certiores, idque crebrius, magnopere à te peto. Nihil est enim mihi iucundius, quam & sæpe de te audire, & loqui. Bembum, Nigrum, Michaelem, Teupulum, cæterosq; quos tute nosti esse amantes nostri, iube meis verbis saluere quam plurimum. Et tu salue ac vale mi charissime & optatissime Lazare: nosque amare perseuera tui prorsus cupidissimos. Carpentoracti, pridie Calend. Nouemb. M.D.XXVIII.

X.

IACOB. SADOLET. EPISC. CARPENT. *Lazaro Bonamico S. P. D.*

CVM iamdiu ignorarem quibus in locis esses, propterea quod recordabar, te postremis literis tuis, ad me nescio quid de tua quadam peregrinandi voluntate scripsisse: neque hi, qui istinc ad me literas dederant, vllam tui omnino mentionem fecerant, accepi literas tuas, ex quibus te apud tuos esse, & memoriam nostri pristina cum beneuolentia conseruare cognoui. Quæ quidem mihi iucunda cognitu fuerunt, sed illo nihil mihi iucundius, quòd intelligo te ita gerere, atque augere rem literariam, vt tua eximia virtus atque doctrina, & tibi maximæ laudi, & plurimis vtilitati emolumentoque sit. Etenim quid est (queso) præclarius, quàm videre florem collectæ ex omni Italia iuuentutis, incumbere ad optimas atq; honestissimas artes: atque ad illud summum perfectumque contendere, in quo hominis virtus sita sit? Quod quidem facit, vt diis simillimi esse videamur: idq; te doctore magistroque contingere, vt qui tuam eruditionem, ingenium, probitatemq; cognoscimus, facilè coniectura prospicere iam possimus, quantum de noua sobole doctorum bonorumque virorum sperandum nobis sit: quæ maximè his literis, & his studiis potest frequentari. De qua re tibi hoc etiam scribo accuratius, quòd visus sum aspicere in literis tuis hæsitationem quandam tuam, tibi ne in ea sententia permanendum, nec ne sit. Quæ me certè hæsitatio molestia afficeret, si putarem tibi, aut per tuum, aut per aliorum consilium, vt ab isto munere descisceres, licturum esse. Sed cùm neque videam causam, cur te tam præclari instituti, non dicam pœnitere, sed non summopere cupidum esse oporteat, & nihil sit quod agere melius possis: non est cogitandum tibi, quid in eo laboris insit, sed quantum reliquis commodi: cùm præsertim munus nullum hominis magis sit proprium, quàm sua bona communicare cum cæteris, plurimumque vtilitatis & commodi ex se in alios profectum velle. Cuius

generis

generis cùm maxima tibi facultas & à natura, & ab industria tua adsit: non debes profectò desistere, nec defatigari, quoad plures per te Lazari Latinæ & linguæ & sapientiæ sublati sint. Atque ego qui te hæc adhortor, & moneo, non equidem consulo mihi: spes enim mihi esset maior fruendi aliquando te ipso, tecumque viuendi, si ista cura vacares: sed habeo fructus publicationem. Quanquam scribit ad me Niger, constitutum sibi tecum esse huc proficisci, duosque menses mecum ponere. Quod vtinam videam illum diem, quo vos complectar ambos, aliquantisperque explear conspectu atque congressu duorum mihi amicissimorum & coniunctissimorum hominum: quos ego non minùs diligo, magnique facio, quàm ab iis sentio me & magnificeri, & diligi. Sed de his hactenus, non enim animus meus erga vos longa oratione mihi explicandus est, quando eum vos de vetho expendere sat potestis. De consuetudine & conuictu Poli nostri tantum capere voluptatis, quantum scribis, & minimè miror, & tuum de illo iudicium vehementissimè probo. Quid enim esse potest homine illo humanius, eruditius, sanctius? Eum ego cùm hac iter haberet, paucis illis horis vix degustare quidem potui: sed tantas tamen ab illo omnium ornamentorum diuitias tum mihi perspexisse visus sum, vt postea illum non amore modò, sed insigni quadam obseruantia semper sim prosecutus. Nam cùm illa mihi amabilia in eo sunt cognita, ingenium, probitas, literæ, in quibus ille non mediocriter excellit, tum id præterea admiratione summa dignum (quod ego primũ omnium) quòd cum tanta generis amplitudine & nobilitate, tanta naturæ bonitas atq; humanitas iuncta sit. Itaq; quanti fieri à me putas, quod à te scriptum est, nomen sæpe meum versari in sermonibus vestris? Ego verò vobiscum, ô amicissimi homines, & animo semper & cupiditate illa sum, vt si detur facultas, vobiscum viuere potissimùm velim. Etenim si essemus vna, Deus immortalis, quantas, & quàm varias caperemus suauitates? quæ studiorum coniunctio? quæ communicatio voluntatum? qui denique ardor existeret animorum? vt ad illa præclara atque sancta Philosophiæ adyta copulati introiremus? in quo Paulus nobis non iniucundus esset comes: qui (aberat autem ille à me cùm hæc scriberem, sed quod verè testificari de eo possum) vtrumque vestrùm mirabiliter obseruat, & diligit. Sed quoniam optare nobis ista licet, sperare fortassis non ita licet: retinemus incolumem beneuolentiam mutuam, stimulum autem & solicitudinem animi deponamus: quodq; est dignum iis maximè quæ profitemur studiis, fidem amicitiæ etiam absentes colamus. Sed de his quoque satis. Hortensium, de quo instas, absoluere adhuc non potui: fui enim maximis occupationibus impe-

impeditus, & id ipsum diu. Reruleram me autem ad eam cogitationem atq; curam, vt conficerem: sed iam calores me obturbãt. Enitar tamen vt & fidei in eo meæ, & vestræ expectationi satisfiat. Partem eam literarum tuarum, qua te de literarum missione excusas, non duco dignam responsione, ne tuæ integritati & constantiæ videar diffidere, qua nihil est apud me certius, nec exploratius. Vale, & summis viris Bembo, Polo, cæterisque quos a me amari scis, plurimam meis verbis salutem dic. Carpentoracti, Nonis Iunij, M. D. XXXIV.

XI.

LAZARVS BONAMICVS IACOBO SADOLETO *Episcopo Carp. S.* P. D.

IAM penè constitueram leuare me hoc impedimento verius, quàm onere, in quo biennium fui: cùm tuæ literæ perlatæ ad me sunt, quę summa quidem sententiarum grauitate, verborumque copia, admista incredibili quadam suauitate ingenij, excellentisque bonitatis tuæ, (quid autem dicam de beneuolentia, quæ nusquam tam efficax, tamque perspicua, quam erga vos) vehementer ab hac ratione me reuocabant. Sed erat in his nihil quo cuperem mutare sententiam, quanquam omnia prudentissimè & amicissimè scripta non ignorabam. Nam quòd videbaris suspicari, me id velle, aut leuandi, aut fugiendi laboris causa: hoc tibi persuade, nihil tam alienum à me. Contra verò, hoc mihi semper animo insedisse: Homini turpissimum esse, labore frangi, industriáue debilitari, qui cæteris vsui ad virtutem esse, aut ipse magnam consequi præstantissimarum rerum cognitionem posset. Qua ex causa cum nobis à publico negotio in otio esse licet, tum maximè in studiis bonarum artium toto animo versamur, multoque plus laboris toleramus. Cognosce igitur, & iudica, quàm falsa fuerit suspicio de me. Tu putas me Patauinæ cõditioni renunciare velle, laborem vt vitem: ego me cupere id scio vt plus laboris impendam. Nam quod proponis communem vtilitatem, eam nunquam deserendam existimaui. Sed cum maiora onera in re literaria nonnulli ex amicis me sustinere posse crederent, id consilij dabant, vt leuiora relinquerem, maiora amplexarer: idque boni viri esse docebant, atque ipsum mihi me diffidentem impellebant, vt non viuentium solùm, sed etiam posteritatis memoriæ consulerem: quam rem in hoc publico impedimento nihil erat cur quispiam optaret. Video & tibi & his idem placere, vt vtilitatib. hominum inuigilem, idq; mihi persuasissimum est. Sed imbecillitas ingenii venit in dubium. Alteram vtilitatem multò maiorem esse animaduerto: ad vtrã minus ineptus

sim,

sim, explicare non queo. Scio tamen in altera plus laboris & ingenij inesse: quod vt perexiguum est in me, eoque deterreor: ita labore nunquam impediri soleo, & propterea sum alacrior. Hæc erunt deliberandi causæ, cùm ad te scribebam: sed non audebam aperte scribere, quod erat scribendum aliquid de me ipso: quod scio pernitiosum. Quamobrem multa prætermisi, quæ ab amicis dicuntur falsi quidem illa, sed dicuntur tamen. Vtinam hîc esses, vt aut te illi, aut illos tu in tuam sententiam adduceres [si modo alia esset tua] re quæsita inter vos, & disputata: de qua iterum velim audire quid sentias: hoc est, ad vtram me hominum vtilitatem potius cohorteris. In quo tuo iudicio, obsecro te, vt nihil dubites, nos esse ad omnem laborem paratissimos. Scripsi proximè ad Hippolytum Medicen Cardinalem carmen, nondum misi: id cum hac epistola leges, raptim descriptum propter occupationes: de quo qualis sit, tuum, Paulique nostri iudicium valde scire cupio: eo enim nihil politius esse arbitror, Bembus tuus tibi salutem plurimam dicit. Vale, Patauij. VII. Calend. Septembr. M.D.XXXIV.

XII.

LAZARVS BONAMICVS IACOBO SADOLETO *Episcopo Carp. S. P.D.*

BONITAS naturæ tuæ omni ex parte se effert in iis literis quas ad Nigrum scripsisti de quærendo Græcarum & Latinarum literarum doctore & magistro. Nam tibi satis non est officio tuo non deesse, vt summa cum religione, pietate, fide episcopatum geras tuum, & in omni Christiani muneris administratione eum te præbeas, qui charus sis omnibus, atque admirabilis: sed quæ alios curæ esse debent, docendo, admonendo, cohortando, vt recissimè curentur, omni contentione elaboras. Commouisti pronunciam à studio pulcherrimarum literarum abhorrentem. Hoc non solùm bonitatis fuit, sed cum sapientia atque eloquentia coniunctæ bonitatis. Ego & quia rem honestissimam esse, & tibi placere video, & sum ipse ad communes vtilitates propensior, investigando mentem & cogitationes meas figam. Mira est paucitas horum hominum, quod te fugere non arbitror: in ea tamen studium extabit nostrum. De Hortensio caue ne lõgius tam præclarum opus ducas, quam in dialogo de educatione puerorum promisisti. Turpe aliis, datam fidem non præstare: episcopo verò, & Sadoleto quidem episcopo, turpissimum: præsertim cum sis habiturus huius mendacij nostram ipsorum memoriam, atque adeò posteritatem testem. Vide quanta cupiditate ardeam, qui timeam ea quæ ne suspicari quidem de te possum. Ignoscas autem

tem mihi, tuæ propè gloriæ fauenti magis, quàm meæ. Hic de bonis literis bene mereri non desino: & in eo me planè nauasse operam intelligo, quòd vndiq; cõcurritur. In hoc numero si quis erit idoneus, & impetrari id poterit (quod tamen difficile iudico) eum ad te mittam. Vale. Paulo nostro plurimam salutem adscribimus, Patauij, XVIII. Calen. Sext. M.D.XXX.

XIII.

IAC. SADOL. EPISC. CARPENT. *Lazaro Bonamico S. P. D.*

PVPVGERVNT me nonnihil literæ tuæ VII. Cal. Septemb. Patauio datæ: meq; in eam suspicionem adduxerunt, vt vererer, ne quid à me antea imprudentius fuisset scriptum, quasi tu mihi ex opinionem inertiæ desidiæque venisses. Quod ego non modò eo animo scripsi nunquam, sed ne cogitare quidem potui. Quid enim minus, quàm quod nusquam quicquam est, idque ego scio nihil esse? An te ego non noui? tuaq. mihi virtus, industria, humanitas parum perspecta est? aut quisquam omnium mortalium est, qui audeat affirmare, tuos sibi sensus melius quàm mihi, perceptos esse, & cognitos? Crede mihi, mi Lazare, memetipsum turpissimæ insciticæ accusarem, si tibi ignauiæ notam vllam attribuerem. Sed quod tunc scripsi me existimare, laborem illum docendi & tibi honestum esse, & alijs permultis fructuosum ac vtilem, nec videri mihi causam cur defugiendus esset: non scripsi iudicans te laborem omnem velle fugere: sed cùm te in illo munere continere cuperem, iccirco illa à me tum suscepta cohortatio est: sic enim sentiebam, maximam laudem virtutis esse, prodesse quàm plurimis. Quod tu latius in posteritatem patere putas, quàm si tantùm præsenti sæculo seruiatur: propterq; eam causam secreta & libera studia requiris: otiumque in illis, maiorem etiam laborem & maius negotium appellas: neque arbitraris vtrunq; abs te præstari posse, vt & priuatim tibi satisfacias, & cæteris publicè. Concedo: teque ad illa alta & magnifica philosophiæ studia aspirare planè video. Quid ergo, nõnne commodissimè poteras istam ipsam artem omnium nobilissimam publicè profiteri? inque instituere adolescentes, vel separatim, si tibi ita fuisset visum, vel etiam cum Cicerone, & cum eloquentiæ studijs coniunctè? quam ego viam rationemq; docendi potissimam semper sum arbitratus. Hoc enim certè abs te si factum fuisset, vel etiam si nũc fieret, Deus immortalis, qui concursus præstantium ingeniorum, quantus amor sapientiæ in animis hominum existeret? Tu quoque qui nunc te quereris distrahi, coniungeres domestica tua studia cum forensib. & laborem vtrunque in eadem operas lucubratio-

brationesq; conferres. Sed ego tibi non præscribo, satisq; in te ipso statuo esse consilij. Hoc dico, quod habeo exploratum, te vtrò vetteris, præclarè id quod susceperis esse effecturum. Quæ mea de tuo ingenio, & excellente doctrina opinio, non noua neque recens, sed iam diu antè mihi susceptа est. Legi carmen tuũ, idq; admodũ probaui: valde n. mihi graue & elegans visum est: vtinam fructum eiusmodi afferat, vt quod de Pericle scriptum est, aculeos relinquat in eorum animis, ad quos maximè ista pertinent. Tuas à Ioan. Caracciolo viro clarissimo literas, de quibus in quadam epistola fueras conquestus, iampridem accepi. Ille verò Brunus, doctus (vt ego conijcio) adolescens, scripsit ad me, se Georgio Seluæ Vaurensi Episcopo, regio istic legato, cõtubernalem factũ esse. Quẽ hominem, mi Lazare rogo te vt nosse velis: talẽ enim offendes, ingenio, humanitate, probitate, doctrina, vt pluris tibi propter eũ Gallia futura sit. Polus ad me scribit, vberrimis elegantissimisq; literis, multa ille quidẽ digna illo ingenio & sanctissimis ipsius moribus. Sed plurimũ tamen & præcipuè de te, quẽ ipse admodũ cuperet ad Theologiæ studia iam aliquando animũ adijcere. Quam ego cupiditatẽ eius vehementer probo, tibiq; suadeo, vt hanc diuinã imprimis facultatẽ & ad salutem nostram necessariam, diutius à tui ingenij thesauris ne habeas segregatã. Sed de his alias. Nunc tempus interpellat, luxq; & negotia instant, nam hæc manu mea scripsi ante lucẽ. Valebis igitur, & omnibus amicis, imprimisq; Bembo meo, plurimam à me salutem dices. Vale. IX. Calen. Decemb. M.D.XXXIV.

XIV.

IAC. SADOLETVS EPISC. CARPENT. *Lazaro Bonamico S.P.D.*

EX tuis literis Idib. Martij datis, quas ego paulò antè Idus Martias accepi, illum facio quæstum, quòd optimi & doctissimi viri Aonij Palearij amicitia auctus sum. Quem ego me hercule hominem plurimi facio, vel propter eius virtutẽ atq; doctrinam, in suoq; genere scribendi elegantiã: vel quòd ea sunt illius animi erga me indicia ac monumenta, vt nõ modò amare, sed gratiam illi etiam habere sim cõpulsus, si tamen compellitur, qui libẽter quid facit, & studiosè. Amo certè illũ, & gratiam præterea habeo, ita de me ipse meritus est. Qui etiamsi nullo suo officio me sibi deuinxisset, propter ingenium tamen, propter optimarũ artium scientiam mihi erat amandus. Nunc quid me facere oportet, cũ tanto me obstrinxerit merito? Atq; is quòd tuam commendationem intercedere voluit in nostra amicitia concilianda, quanquã tu illi verè ac constanter id esse opus negasti; tamẽ ipse nonnihil vidit,

vidit. Siue enim quòd ita iure fieri à me debere intelligit, siue quòd animum meum erga te habet exploratum, sensit id quod verissimum est, nullam esse tantam virtutis commendationem apud me, quæ non tuo testimonio multò fiat vberior. Itaque illum, quem sponte & per se iure quidem optimo antea dilexissem, tua nunc commendatione habeo chariorem. Quid autem de eo, deque eius scriptis sentiam, scribo ad ipsum quidem copiosius: sunt enim illa à me diligentissimè perlecta. Sed tibi quoque breuiter dico, probari mihi mirificè cùm ingenium hominis, & in scribendo elegantiam: tum illud imprimis religionis studium, quod præ se fert: quod quidem vbicunque adest, illa mihi & plena & grauia & pererudita videntur esse. Phædrum meum, quòd sis ad calculos iudicij & prouidentiæ tuæ denuò reuocaturus, valde lætor: magnamque in tua consideratione & diligentia eius expoliendi spem habeo. Tantum à te peto pro iure amicitiæ nostræ, vt ne ambitiosè, néue erga me nimium indulgenter eum cortigas. Marcum Fortiacum gaudeo tibi esse cordi: certè mihi magnæ voluptati est tuum de illo adolescente iudicium cum ea opinione quam semper de eo habui, conuenire. Eum tibi ne cõmendo quidem, video enim esse satis commendatum, vel ex eo quòd contubernio tibi coniunctus est. Paulus & te amat, & memoriam tui seruat quam debet, tuque crebrò in sermonibus nostris versaris, queis & consuetudo tua, & suauitas à nobis requiritur. Qua posteaquàm carendum nobis necessariò est, tuas saltem optamus crebriores, mi Lazare, literas: quòd iis desiderium tui nostrum aliqua ex parte leniri sentimus. In quo nobis vt morem gerere ne graueris, equidem te vehementer etiam atque etiam rogo. Vale, & amicis nostris communibus plurimam meis verbis salutem dic. VI. Calendas Iunij, M.D.XXXVI.

XV.

IAC. SADOLETVS EPISC. CARPENT.

Aonio Paleario S. P. D.

SERIVS accepi literas tuas. Datæ enim illæ III. Idus Februarias, mihi medio fermè Maio sunt redditæ. Quibus perlectis equidem valde lætatus sum, cum tali ingenio, quale tuum mihi iam perspectum est, talem etiam animum erga me plenum amoris & desiderij, coniunctum esse. Quid enim est rerum omnino omnium, quod mihi bonorum & doctorum beneuolentia videatur optabilius? Itaque cùm epistolam tuam primò legissem, eaque mihi vehementer placuisset, (est enim & suauiter, & ornatè, & peramanter scripta) ab illius statim lectione ad poema tuum me cõtuli, totumque perlegi triduo: singulis videlicet libris in singulos dies

dis collatis. De quo, vt tibi verè exponam quod sentio, hoc iudicij fecerorum, qui in eo genere voluerunt esse, sanè quàm paucos, & nostra, & superiore memoria, æquè eleganter scripsisse atque te eruditius certè neminem. In quo mihi illud mirificè probatum est, quòd hæc tua scripta non accersitis, fucosisque argumentis, neque quò magis poetica videantur, à fabulosa illius moti di Deorum vetustate repetitis: sed sancta, & vera religione condita sint. Vt quemadmodum vultus pacatus, & constans in homine, bene affectæ mentis, & probi animi est indicium: sic tua ista eximia erga Deum pietas, quæ sese in tuis scriptis primam offert: nos cogit de te, deque omni sensu animi tui, excellenteque doctrina præclarè existimare. Ac cætera quidem tuum carmen mirè mihi satisfecit: video enim quos imiteris, quid referre in tuis scriptis & exprimere conere: tibique neque in eligendo iudicium, neque in conando fructum laboris tui abesse intelligo. Perficio etiam verborum elegantiam, sententiarum acumen, numerique apta & varia compositione delector. Sunt enim ista omnia in te ita studio & cura elaborata, vt sint vbique nihilominus ingenij luminibus lita. Illud vnum interdum (quanquam admodum raro) desidero: quòd cupissem nonnulla à te dissert explanatius, quibus nunc percipiendis mens nostra aliquantulum laborat. Atque illa (ne forte mihi Lucretianum modum dicendi opponas) non sunt ex eo genere, quod difficultate rerum quæ tractantur, suapte sponte obscurum propè necessariò sit, in quo soleat iusta esse scribentibus excusatio: sed è medio quædam sumpta, compressius abs te dicta sunt, quæ dilatari, & patere melius vellem. Neque ea tamen tam multa, vt pertimescas. Sed fortasse vt nodus robur, & vt nævus decus aliquando, atque ornatum pulchro corpori afferre solet: sic plerisque illa potuerunt videri circo esse quæsita: quòd cursus nostræ cogitationis, fluentis facilitate orationis, aptè illis interdum, tanquam salebris, reprimetur. Quod quidem ad veras laudes egregiè compositi carminis pertinet, totum tibi ita tribuo, vt hoc planè confirmem, nihil me his aliquot iam annis in eo genere editum legisse libentius. Itaque te iam ne hortor quidem, vt quo itinere instituisti, eodem porrò pergas. Satis enim tibi incitamenti, cùm iudicium de te, expectatioque hominum, tum fructus ille ingenij suauissimus, qui in pangendo maximè & in commentando percipitur, debet afferre. Qui etsi omnibus eruditis datus est, cùm hi aliquid ex sese procreant atque gignunt: vberior tamen adest poetis. Quanquam ego te non poetam magis, quàm oratorem esse studuisse, eius rei facio ex epistola tua coniecturam. Ea enim ita commodè, & conciniter scripta est: vt facile intelligam, te vtrumque velis, & suscipere & posse præstare. De me verò, quem tu

tantopere in tuis scriptis ornas, eoque honore afficis, quo maiore nemo afficere quenquam potest, quid dicã, vix reperire mihi posse videor. Nam si eas in me laudes agnoscam, quas tu mihi tribuis, timeo, ne arrogans: sin repudiem planè atque reijciam, vereor, ne ingratus aduersus te sim, cùm de tuo iudicio ipse detrahã, eo ipso vnde sim ornatus. Quamobrem vt in difficili eiusmodi causa, ad id me vertam, quod meo pudori maximè est consentaneum: vt tibi agam pro tua ista humanitate & erga me benevolentia gratias, meque tibi hoc nomine obstrictum esse confitear. Quod facio equidem, & libens facio: tibique persuasissimum esse cupio, te à me singulariter amari, vel ingenij, & virtutis, & probitatis tuæ causa: vel eius officij atque amoris, quo me ipse prosequeris: vel quod eorum & temporum, & hominum, in tuis literis mentio facta est, quorum meam & memoriam, & erga illos benevolentiam, dies nunquam delere oblivione vlla potest. Vt præter id, quod tuo nomine tibi debeo, quantum etiam illos dilexi, torum in te persequar, Quo me in te animo esse, fusius venerit, re ipsa, experiendoq; cognosces. Vale. Carpentoracti VI. Cal. Iunij, M.D.XXXVI.

XVI.

IACOB. SADOLET. EPISC. CARPENT. *Sebastiano Gryphio S. P. D.*

SVPERIORIBVS proximis diebus, cùm esset allatus ad me liber Aonij Palearij, de immortalitate animorum, præclarâ inscriptionem præ se ferens, eamq; rem totam heroico carmine complexus, legere eum statim perquàm auidè cœpi: quasi tentaturus, an promisso satisfaceret, qui tam sublimem titulum operi suo præposuisset. Atq; ibi video, id quod mihi primum summæ voluptati, deinde penè incredibili admirationi fuit, rem tantam quãta altera nulla est, quæ quidem scriptorum ingenijs proposita sit, tam grauiter tam eruditè, tam etiam & verbis & numeris apte atque eleganter tractatam esse, nihil vt fermè nostrorum temporum legerim, quod me in eo genere delectarit magis. Nam nec sententiarum orationisq; vbertas, in tam difficili ac penè spinosa materie, vlla desideratur, nec in exponendis rebus reconditissimis lux atque facilitas. Numerus porrò carminis is est, vt videatur Lucretium velle imitari, redolet enim antiquum illud: sed in sapore humanitatis conditus est, vt asperitate dimissa, vetustatis tamen autoritas salua remaneat. Atque hæc in vniuersum. Ista iam partium singularum propria, nihil non Latinè dictum, nihil non accuratè, quóue iudicium & diligentiam adhibitã esse non pateat: multaque præterea vbique nitentia ingenij & re-

nusta-

nissatis luminibus, &, quod ego pluris quàm reliqua omnia facio, Christiana mens, integra, castaq; religio, erga Deum ipsum honos, pietas, studium, in eo libro vel maximè, non solùm docere mentes errantium, sed etiam animos incendere ad amorem puræ religionis possunt. Sed quorsum hæc, mi Gryphi? Primum volui dare testimonium apud te doctissimo viro, vt quid de eo sentirem tu planè cognosceres. Deinde à te petere, id quod ipse quoque cuius volo causa, & petit à te per literas, & summè flagitat, vt eius hosce treis libellos tuis formis exprimendos cures. In quo ille valde suo honori, ego meæ cupiditati satisfactum fore abs te arbitraturi sumus. Noli enim putare non apud Italos omnes tum esse nomen in magna gratia. Quicquid prodit ex officina tua, id ita demum & rectum & probatum habetur omnibus, si in eo tuum nomen sit præscriptum. Nota est enim probitas, & diligentia tua, nota eruditio. Quid igitur restat, nisi vt tu & bonis & amantibus tui morem libenter geras? Quod tamen semper sponte tua facis, nunc mea etiam causa facere propensius debes, qui meam fidem atq; officium in hac re agi iudico. Sum enim, vt tu scias, in hoc ipse libro honorificentissimè appellatus, secundo {vt opinor} volumine, vt tibi hæc opera mihi quoque vna cum Aonio, non ipsi soli præstanda sit: quandoquidem tu me amore iampridem, atq; obseruantia tua mirificè es complexus. Nec erit cur te pœniteat, hunc talem librum Actij Synceti, & Vidæ doctissimorum hominum, ac præstantissimorũ poetarum scriptis adiunxisse: cum quibus certè hic iurè comparari potest. Nam & in eadem argumenti sententia sanctitateque ornatissimè versatur, & philosophiæ præterea rationibus vberius est instructus. Sed hoc tu per te æquè bene cognosces. Illud vtiq; tibi persuasum habere debebis, quicquid in hac re ex mea & Aonij voluntate effeceris, id vtriq; nostrũ fore gratissimum. Eadem hæc de te, quò eam magis mihi curæ esse intelligas, meis verbis tecum aget vir optimus, ac vetere mecum amicitia coniunctus, Thomas Sertinus: sic enim ei à me mandatum est. Qui & vt in me semper perofficiosus fuit, & pro eo studio, quo probos & eruditos homines sui similes prosequitur, non dubito quin diligenter officio functurus sit. Vale mi Gryphi. Carpentoracti. III. Calend. Iulij. M.D.XXXVI.

XVII.

IACOB. SADOL. EPISC. CARPENT. Galeatio Florimonti Suessano S. P. D.

BInas à te eodem tempore accepi literas: quarum alteræ ex Cœnobio Ferrariensi, vt scribis, VI. Cal. Ianuarij erant datæ:

alteræ Baucis pridie Calend. Iulij, quæ me vtræque mirificè delectauerunt, multis enim sunt & amoris tui erga me, & ingenij ac doctrinæ significationibus refertæ: ac, vt verum tibi confitear, longè aliam personam mihi, aliud specimen ingenij obtulisse visæ sunt, ac priores fecerant: quibus fueram adductus, vt te admonendum putarem, vt omissis leuioribus illis studijs, ad grauiores arteis te conuerteres. Quod etsi tunc à me optimo fuit factum animo, tamen nunc planè intelligo, non fuisse necessarium. Te enim id ita fecisse, multumque in omnibus artibus optimis profecisse sentio. Sed quæ tu de sacris literis, deque earum summis doctoribus ad me scribis, ea mihi vehementissimè probantur. Omnis enim nostra salus, omnis beatæ & immortalis vitæ spes, in illo potissimùm studiorum genere posita est. In quo verò aspernari videris philosophiam, & grauissimos illius autores reijcere, id mihi tecum conuenire non potest. Ego enim cùm me ex illius studio non admodum hebetem sentio esse factum, tum verò sic statuo, non lapidem lapidi, neque parietem fastigio vllum tam congruere, quàm theologiæ & diuinis literis philosophiam. Itaque illud ipsum quod inducis tanquam illudens, tanti est, vt absque eo persuaderi quidem possit, & εἰ ἀνάγκη πᾶν τὸ κινούμενον ὑπ' τινος κινεῖσθαι, existimari esse Deum, sciri autem nequaquam. Sed hæc hactenus: non enim huius sunt scriptionis, & temporis. Tu quod videris vereri, ne tuæ mihi literæ molestæ sint, facis mihi nonnullam in eo iniuriam: parum enim commodè de mea humanitate existimas. Scito igitur, tuas mihi literas, & antea gratas extitisse, & in posterum fore semper gratiores. Commentarios meos in Psalmum XCIII. remitto tibi, quando me illius fefellit diligentia, cui primo negocium dederam. Facies autem tu mihi pergratum, si quando his studijs apprimè deditus es, si qua tibi non bellè in illis videbuntur se habere, de ijs me admonueris: hominisque amici verissimo officio fueris functus. Quod vt agas, studiosè abs te peto. Vale. Carpentoracti, X. Calend. Martij.

XVIII.

IACOB. SADOLET. EPISC. CARPENT. *Angelo Colotio S. P. D.*

SÆPIVS iam literis meorum certior factus sum, viuere apud te & cæteros istic æquales nostros, quos fortuna nobis reliquos fecit, mei memoriam absentis: sanctumque illud fœdus amicitię, quo vetusto admodum coniuncti inter nos sumus, suam apud vos religionem obtinere. Quod mihi cognosse fuit iucundissimum: etsi hoc verbum, propter eas ruinas quib. oppressa sunt omnia,

nia iamdudum ex vsu atque animo nostro sublatum esse videatur. Sed tamen cùm mihi scribitur (id autem sit ferè quotidie) te & Petra sanctam meum, cuius ego excellens ingenium & naturam liberam atque ingenuam dilexi semper, & Thebaldeum magno honore ac laude dignum hominem: Curtium quoque nostrum, cuius plura iam extant cùm literarum atque ingenij, tum amoris erga me atq; officij indicia ac monumenta: amanter sæpè percontari de me, meamq; pristinam desiderare consuetudinem: profectò hominum cùm mihi mea voluntate & iudicio charissimorum, tum sua virtute ac dignitate honestissimorum, crebra de me mentio, eademque plena amoris & desiderij maximam mihi voluptatē affert. Nihil enim est homini cum fide amicitiæ volenti, quo me ex genere hominum esse profiteor, pari amicorum erga se voluntate optatius. Ac mihi recordanti spatium præteriti temporis, & vetera animo repetenti, cùm & plures conuenire soliti eramus vnà, & erat ætas nostra ad omnem alacritatem animique hilaritatem longè aptior: quoties venire in mentem putas eorum cœtuum conuiuiorumque quæ inter nos crebrò habere solebamus? cum aut in hortis tuis suburbanis, aut in meis Quirinalibus, aut in circo maximo, aut in Tyberis ripa ad Herculis, aliàs autem aliis in vrbis locis conuentus agebantur doctissimorum hominum: quorum vnumquemq; & propria ipsius virtus, & communis cunctorum prædicatio commendabat. Vt post familiares epulas, non tam cupedia multa conditas, quàm multis salibus, aut poemata recitabantur, aut orationes pronuntiabantur, cum maxima omnium nostrum qui audiebamus voluptate: quòd & summorum ingeniorum in illis laus apparebat, & erant illa tamen quæ proferebantur plena festiuitatis ac venustatis. Quo in genere recordor pressum & acutum Casanouam, Capellam lætum sonantem, magniloquum Vidam, & cum proximè ad antiquam laudem carmen accederet: castigatum & prudentem Beroaldum: vberes autem & suaueis Pierium, Granum, Mathalenum, Blosium, quosque complures nostra persecta ætas, partim carmine, partim soluta oratione eximios: cuiusmodi Nigrum nostrum Tulliana in dicendo grauitate: Antoniumque Venantium, & Binum in vtraque enitentem lingua. Acres autē in iudicando, & imprimis acutos, Vbaldinum, & Antonium, cui Computistæ cognomen est. Quo è numero multi in vtroque genere dicendi egregiam sibi laudem à doctis omnibus compararunt. Nam illa ornamenta & lumina Romanæ linguæ, Phædrus & Camillus Porcius, magno cunctorum incommodo iamdiu morte erepta nobis sunt: in quibus sedem sibi vindebant statuisse eloquentia. Cuius nunc honorem atq; nomen, consensu iam vrbanorum omnium, retinet Paulus Iouius, & in

scribenda historia grauis & elegans, & in omni genere literarum perpolitus. Quin & duorum summorum hominum me admonet recordatio, fuisse quoque eorum conuentu nostras aliquando cœnas atque epulas exornatas: quorum est vnus Petrus Bembus, cuius in omni virtute laudeque eloquentiæ summa & singularis semper fuit gloria: alter qui nuper in Hispania decesit maximo cum mœrore omnium quibus fuerat notus, hoc est planè omnium, Balthasar Castilioneus, magnus vir imprimis, nec solùm nobilitate & genere, sed magnitudine etiam animi, & omni eximia virtute præstans: quique quod militari viro erat admirandum, omneis omnino artes libero homine dignas, & omnia doctrinæ genera comprehenderat: quem ego recordor sæpè atque hilarè nostris cœtibus interfuisse: & ipsum, & eum qui paulò antè est mortuus, summa indole ingenij & spe maximæ virtutis, Ioan. Franciscum Furnium ciuem meum. Namque hos qui modò secutus supremum in Gallia obiit diem, pari cum illis virtute & nobilitate præstans, Andreas Nauagerius, tametsi nostris cœtibus minus sæpè interfuerat: propter excellentem tamen in literis & scientiam & gloriam, a nobis est perhibendus. Lazarum autem qui nunc abest à nobis, cuius in Græcis & Latinis singularis est eruditio, quique philosophiæ & sapientiæ studia non solùm scientia, quod faciunt permulti, in quibus tamen excellit: sed vita & moribus, & vera virtute complexus est: credo equidem vobis in desiderio esse. itemque Marium Volaterranum, hominem grauem iam & dignitate, & annis: sed cuius admirabile ingenium, summamque optimarum literarum cognitionem, nisi vrbs & vrbanæ curæ præpediuissent, plurimum lucis allaturum nostro seculo non dubito fuisse: à quo potissimùm exhilarabantur cœnæ nostræ: cùm & in lacessendo acutè, & in respondendo, omnes ex eius verbis atque vultu effluerent lepôres. Nam Marium Buccabellum quòd audio esse incolumem, maximoperè lætor: hominem cùm omni virtute ornatum, tum mihi amicissimum. Atque inter hos tot & tales viros, aliosque complureis, quorum omnium nomina persequi non huius est scriptionis, dulces quoque Corycij iracundias, & gratas ineptias Donati spectare haud displicebat: quos noster Sauoia homo omnium facetissimus & prouocare solebat studiosè, & ridere. Nam de te mi Goloti quid ego dicam? Cuius in animo, ac naturâ mihi videntur Musæ effigiem sui moris ac decoris insculpsisse, vt esses pudore, virtute, liberalitate ornatissimus: cuius pectus atque ingenium doctrinis omnibus, domus autem ipsa tua omnibus doctis pateret. An est quicquam in rebus ad conciliandos natum animos, quod meâ in te beneuolentiam non accendat, præsertim cùm me abs te tantoperè intelligam amari?

amati? Sunt quidem & multæ præterea amoris causæ: vetus necessitudo inter nos. Societas etiam eorundem studiorum, tum cum dabamus Græco doctori Carteromacho simul operam. Quo quidem ex tempore recordor nec meam tibi insignem benevolentiam, nec tuum mihi studium vnquàm defuisse: tum autem multa sæpè nobis communia, lusus, conuictus, deambulatio: par propè atque idem in amicis delectus, ex eisdem rebus delectatio. Sed quorsum ista? omnino longiùs sum lapsus, meque veterum & rerum & hominum cogitatio vlterius prouexit, quàm fuerat voluntas. Sed tamen illud intelligi à te volo, non vestrum solùm, qui valetis & viuitis, (quorum quidem salus mihi ita iucunda est, vt mea sit vita propter vos mihi charior) sed eorum etiam, qui fato functi sunt, quorum maior longè est multitudo, memoriam cunctorum mihi in intimis sensibus inhærere: quorum equidem omnium, (si hoc ocium, quo nunc perfruor, Deus mihi fortunarit) nomen non patiar apud posteros ignorari. Atque hæc tempora, & has vitæ iucundæ ac beatæ suauitates, insecuta clades & acerba fortuna reipub. disiecit. In quibus detrimentis, etsi maximum cepi ex vrbis graui casu, & vestrum omnium iacturis, quos illa calamitas oppressit, dolorem: tamen id mihi accidit non incommodè, quòd consilio & voluntate reliqui res Romanas, antequam illa me istinc tempestas extruderet. Direptæ meæ quidem omnes, dissipatæque fortunæ: idque non semel, sed bis, aut etiam tertiò: quodque diutius visum, libri vnà erepti. At nihil tamen indignitatis, nihil fœditatis in corpore passus sum. Nudus in has oras, tanquam ex naufragio sum compulsus, ac liber animi, & placatus tamen: vtpote cui iam non in his rebus externis, non in honore & gratia populari, non in diuitiis atque opibus: sed in alia quadam cerratione viuendi, animi sit quies, & vitæ beatitudo reposita. Itaque facilè patior, meum constitutum procul ab vrbe manendi, vinculis iam ineluctabilibus constrictum esse, non solùm voluntatis meæ, verumetiam necessitatis: cuius numini non repugnare ne Deos quidem ipsos vetere prouerbio iactatũ semper est. Etenim cùm consilium cepi Roma exeundi, noli putare non multa extitisse, quæ me dehortarentur, & quæ animum meum quodam dolore flecterent: amor, consuetudo, spes honorum, amicorum & necessariorum lacrymæ, ornatissimorum hominum familiaritates: quibus ego (quod liceat sine arrogantiæ dicere) egregiè præter cæteros florebam: atque illi vt meipsum, non vt fortunam meam appeterent. Dices, quid ergo? quæ te ad discendum causa compulit? Ilia, mi Coloti, quòd magna mihi vitæ parte in alienis rebus iam acta, ad ea quæ me attingebat propiùs, & in quibus mea salus & vera vita consistit,

sistit, mihi aliquando tandem reuertendum intelligebam. Dederam satis principibus, dederam satis amicis, dederam Reipub. mihi quando darem? si iam quinquagesimum attingens annum, non ex illis fluctibus in portum, & ab terrenis ad cœlestia & curam & animum meum reuocarem? His ego de causis vrbi salutem dixi: non amorem & charitatem Christianam deponens, sed contactum rerum turbulentarum reformidans. Sed quod dicebam modò, me vt absim ab vrbe, non solùm voluntatis, verùm etiam necessitatis vinculis constrictum esse, id eiusmodi est: Nulli vnquam sua patria, solumque illud in quo quisque natus, & alitus, gratam incunabulorum memoriam secum perpetuò fert, tam charum fuit, tamque amabile, quam mihi vrbs Roma, & sancti illi penates tot clarissimorum fortissimorumque hominum, quorū penè in passus singulos, cum per vicos & plateas vrbis vadebamus, aliquod in monumentum, aliquamq; in historiam pedem ponebamus. Cur autem tantum amarem, & vetustatis admiratio faciebat, & præsens ciuitatis maiestas: & me hercule etiam magis, quod quicquid est in me humanitatis atq; ingenij (si modò est aliquid) omne hoc illi referebam acceptum. Hanc igitur Vrbem mihi dilectam & charam vsque eo, vt nihil in amore fieri possit ardentius, deformatam ruinis, exinanitam frequentia, plurimis claris viris, illustribusque orbatam, quorum in suauitate & beneuolentia mei (quos pro repub. capiebam) labores requiescebant, vt videre velim, animum inducere non possum: iactatam præterea etiam nunc procellis, obiectam tempestatibus. Ita quod prius amore repugnante, iudicio tantùm adductus faciebam: nunc eodem amore autore firmius facio: vt sedem mihi in his locis perpetuò domicilio constituerim. Si quidem amantis est non solùm appetere congressum eorum quos amat: sed si quid illis accidat miseriæ & calamitatis, cui ferre opem ipse non possit, non modò aspectum tanti doloris, sed mentionem quoque ipsam deuitare. Quamobrem immota hæc quidem & in omnem partem stabilis est animi mei sententia, tempus reliquum vitæ quod supereſt, non in vrbe Roma, sed Carpentoracti: neque ad hominis vllius arbitrium, sed ad summi Dei honorem atque cultum, mihi impendendum & consumendum esse: ita, vt optimis artibus & literis suam partem sim daturus. Qua spe, & quo euentu, quoniam nihil magnum de me polliceri possum, totum in aliorum opinionibus relinquo. Quod autem mihi vehementer cordi est, & de quo plurimum laboro, vt saluum maneat mihi & præcipuum ornamentum præteritæ vitæ, & futuræ solatium: hoc est, vt vestra erga me voluntas incolumis permaneat, quando ex vestro amore erga me, vestroque iudicio, omnis prope mei animi lætitia pendet: id vos vehementer oratos & rogatos esse volo, vt mei ab-

mei absentis memoriam retineatis: quaque ego fide, quaque constantia, fidem veræ amicitiæ conseruans vos in oculis atque in animo assiduè gero: eandem vos mihi fidem beneuolentiamque præsteris. Quod non vt diffidens postulo, sed vt amans, & quod omnium rerum mihi est optatissimum, me ab illis diligi, quos cunctorum amore dignissimos, ipsorum virtus, & doctrina, & summa humanitas facit. Valete. Carpent. M.D.XXIX.

IACOBI SADOLETI EPISC. CARPENTORACTI EPISTOLARUM Lib. VI. Epist. I.

IAC. SADOLETVS EPISC. CARP. Ioan. Bellaio Episc. Parisiensi S.P.D.

AMOR meus erga Langæum fratrem tuum eximius & singularis, (quem ego propter eius multas & magnas virtutes diu antè susceptum, sanctissimè, fidelissimeque conseruo) fecit, vt simili in te quoque voluntate semper fuerim, eamque tibi beneuolentiam præstiterim, quam & fratris tui mihi perspecta, & tua sæpe audita, omniumque in primis probata testimonio, virtus postulabat. Sed accidit in hac coniunctione nostræ amicitiæ, vt vos essetis, quam ego multò fortunatiores. Cum enim nihil sit, neque natura ipsa præstantius aut clariùs, nec bono viro iucundiùs, quàm benefacere: vos omnis vestræ liberalitatis exponendæ occasionem in me sæpè habuistis: ego autem ne semel quidem facultatem sum nactus, quo fratris tui merita erga me paribus officiis compensare possem, & ostendere vtrique vestrum, concedere me homini profectò nemini, qui maiore animo & ad promerendam & ad referendam gratiam, aut propensiore ad benefaciendum natura sit paratus. Sed tamen quoniam vos quoque imprimis digni estis, quibus instrumentum fortuna suppeditet vestræ declarandæ virtutis & bonitatis: sit sanè in hoc sors vestra felicior, ego ad cæteras causas diligendi tui, hanc quoque habeo non minorem cæteris, quòd in eiusdem collegij munus atque officium à Deo patre vocati, huius sacri honoris societate cõiuncti sumus: quem & tu summa cum laude geris: & ego id adnitor, vt ne omnino improbandus sim. Hæc cùm ita se habeant, nulla iam apud me super dubitatio, quin ego vicissim abs te diligar, quod tu quidem facere debes, vel fratris eiusdem tui causa, vel etiam tua. Conuenit enim naturæ & humanitati tuæ, vt in amore respon-

deas his à quibus diligare. Quod cùm ita esse mihi persuaserim, id à te instituì petere, quod mihi hoc tempore maximum esset, maximeq; necessarium. Paulus Sadoletus mei filius fratris, adolescens institutus sanè quàm liberaliter, mihi iampridem à patre traditus, à me pro filio educatus est. Is affectus cupiditate visendæ aulæ Regiæ, & eius cognoscendi, ac meo etiam nomine venerandi Regis, de cuius plurimis ac maximis virtutibus quotidie & à me permulta, & a multis sæpè audit, istuc venit: quædam illi etiam expositurus, quæ à me mandata sunt. Eum ego & tibi, & Langæo fratri tuo potissimum commendo. Quanquam enim non egeo aliorum amicorum & beneuolentium copia, vel abundo etiam potius: tamen omnium hominũ nemo est, quem ego malim adhibere in meis negotiis atque rebus, quàm alterutrum vestrum. In quibus mea omnis reposita est fiducia, vos fraternè & amanter curaturos, vt ea quæ ego volo, quemadmodum quidem volo, ita maximè fiant. Quid autem velim, & quamobrem istuc miserim, ex Paulo ipso cognosces. Ei porrò mandaui, vt nihil omnino agere aggrederetur, nisi conuento prius Langæo: quem fortè in aula si non offendisset, ad te adiret, omniaque gereret de vestra potissimum autoritate ac sententia. Quapropter peto à te, vt hunc adolescentem, mihi & charum admodum, & probatum, omni humanitate tua excipias. Ego si ea abs te officia expecto, quæ tibi vicissim si casus ita ferret, libentissimè tributurus essem: non tibi id mirum videri aut nouum debet. siquidem ex illis artibus literisque liberalissimis, in quibus instituti ambo atque educati sumus, sic didicimus, inter bonos agi liberè omnia, & familiariter oportere. Quorum verborum vim si attenderis, hoc profectò statues, & tuam mihi paratam beneuolentiam semper præsto esse debere, & meam tibi: quod à parte tua sperare, a mea polliceri tibi possum. Vale, & nos dilige tui amantissimos. Carpentoracti, M.D.XXXII.

II.

IAC. SADOLETVS EPISC. CARPENT. *Ioan. Bellaio Episc. Parisiensi S.P.D.*

CVM aduentus Pauli summa me lætitia affecit, propterea quòd paterna illum iamdudum charitate complexus, eius ingenio, probitate, modestia, sic delector, vt omnia quæ parentibus à benè moratis liberis iucunda accidere solent, ab illo mihi accidant: tum verò cumulatus sum maximo gaudeo, cùm de tua erga me atque illum voluntate, deque omnibus officiis, quæ

que mihi absenti in illo præstitisti, ipsius testimonio & verbis sum
elocutus. Quæ quidem non solùm illo exponente cognita mihi
sunt, sed tuis etiam humanissimis & elegantissimis literis con-
firmata. Ego verè (sic tua & mea salus perpetuò mi Bellai Deo
cordi sit) vt istum animum tuum erga nos, amorem, studium,
omnibus fortunæ præmiis & honoribus antepono. Non enim
existimo quicquam duco in rebus humanis esse optabilius, quàm diligi
ab his, qui propter virtutem & nobilitatem, digniſſimi ipsi sunt
ab omnibus qui diligantur. Quod quando mihi in te contigit,
& tibi qui es mihi chariſſimus, ego quoque vicissim (vt video)
non inamabilis sum: & mihi ipse gratulor, & tibi gratias ago.
Quod nobis tuam opem & operam paratam defers, si quid mihi,
vel Paulo istic fuerit opus, ego promissionem tuam neque con-
temno, & tamen istam tuam voluntatem omnium promissio-
num instar habeo chariorem. Te enim ipsum potiùs expeto exi-
miumque in te bonum, & in Langæo fratre tuo mihi constitu-
tum est quos habeo ambos, quibus non beneuolentia solùm,
sed vero etiam iudicio sim amicissimus. Quod quidem latiùs
enim manat, & in illum fratrem vestrum, qui Lutetiæ in sena-
tum est cooptatus, & in vniuersam domum familiamque ve-
stram. Equa cùm videam qui exoriantur viri, quibus ingenij & a-
nimi ornamentis prediti, de generis vestri indole ac disciplina
id statuo quod necesse est, esse illam in laude virtutis raram, in
exemplo propè admirabilem. Quid enim vestra ista comitate, &
in obsequendi studio, diligentia, sedulitateque spectatius? Sed
hæc, quæ maiorem copiam orationis desiderant, in aliud tempus
differenda sunt. Regi isti maximo, ac præstantissimo, ego iam-
pridem omni obseruantia & amore me addixi: cùm aliis quidem
etiam de causis, vel quod ita debeo (sum etenim illius iuri pote-
statiq; subiectus) vel quod ipse humanitate, beneficentia, magni-
tudine animi, omnium cultum amoremq; demeretur. Verùm il-
la tamen præcipuè me induxit ratio, quòd ipsius animum pro-
pensum erga bonas literas, dignum esse arbitror, cui ab eisdē lite-
ris & artib. quas amat, honos & gratia referatur. Quarū ille artiū
cauſa cùm mihi nonnihil de sua beneuolentia impartiat, vt & tu
scribis, & ipse ex multis indiciis cognoui: enitar, atq; contendam,
quoad efficere potero, vt tanti Regis nomen per me quoq; pro-
pagetur in posteritatem. Omnino opus habeo in manibus vnum
omnium difficillimum: de quo (vt video) ex Pauli sermonibus
satis cognosti. Sed tamen in maximis conflictationibus altissi-
marum quæstionum, dabo operam, vt meæ diligentiæ ac labo-
ris fructus aliquis appareat: etsi, quod mihi per quam accidit in-
commodè, quatuor iam mensib. valetudine aduersa ab illo opere
& curæ sui distractus. Sed & ego incipio ex morbo recreari, &

redu-

te depulso morbi periculo, tuam pristinam valetudinem recuperasse, vehementer lætor: neque me meam sperare propinquam iam salutem, quàm te tuam adeptum esse iucundius mihi est. Verùm de his hactenus. Ego & tibi & Langæo fratri tuo pro vestris singularibus officiis maximas gratias ago: & par vobis studium, similemque voluntatem polliceor. Quod autem est fidelis veræque amicitiæ proprium, vt nunquam vestrorum exeat mihi animo memoria meritorum: id ita præstabo, vt vos nobis eiusmodi studia amorisque indicia tribuisse ne vnquam pœniteat. Valete. Carpentoracti, X. Calend. April. M.D.XXXII.

III.

IAC. SADOLETVS EPISC. CARP. Ioanni Bellaio S.R.E. Cardinali S.P.D.

NIhil quidem ad me nouum, sed tamen & optatum semper, & gratum ex vrbe rediens attulit Paulus, cùm de tua erga præsentem se, meque absentem humanitate, beneuolentia, comitateque, plurima commemorauit. Quæ ego audiens, meaque vetera & perpetua studia erga te, & fratres tuos, animo recogitans, facilè mihi persuadebam, quod tantum vobis honoris semper atque obseruantiæ tribuissem, quòd tantum vos adamassem, omnibusque meis officiis vestram præcipuè familiam ex omni Gallica nobilitate fuissem prosecutus, positam à me operam perbene, idque iudicium, quod de vobis fecissem, non tam vobis laudi, quam mihi ipsi ornamento esse intelligebam. Fortes enim viros, & liberales, eosdemque magni animi, etiam consilij, tum autem omnibus artibus ingenuis egregiè instítutos, florentes gratia, honore, nobilitate, cùm amare cœpi, non solùm faui illorum virtutibus, sed meæ quoque laudi consului: cùm ex eorum amicitia factus ipse sum honestior. Neque hoc tamen malitiosè spectaui, vt ad meum commodum ista reuocarem: sed verò vestri memores, vestra virtus, vestra dignitas ad singulare quoddam de vobis iudicium adduxit. Et si (quod cum pudore quodam loquor) eos ex tua beneuolentia fructus percipio, vt quasi hoc ipsum antè prouidisse & spectasse quodammodo videar: vt quod egisti proximè in altero illo fratris mei filio, quem in clientelam & domum tuam receptum, non solùm opibus sustentas, quod ipsum per se magnum est: sed & (quo nullum signum amoris nobis illustrius præbere potuisti) consilium ipse dedisti Paulo, autorque fuisti, vt eum potissimùm familiaritate tua deuinciret: quò mores adolescentis, qui videbantur esse inconstantiores, tuæ grauitatis nutu coercerentur. Hæc res, etsi præter animi mei sententiam sic acta est (ego enim aliam quandam

dim vitæ rationem adolescenti ipsi præscripseram) tamen postquam id ita vti fieret, tua grauissima intercessit autoritas, debeo existimare, nihil non optimo à vobis factum esse consilio. Tantùm à Deo peto, vt adolescens, quem ego certè diligo, dignum se tuo hoc beneficio, & insigni humanitate præbeat. Quod autem ego plurimi facio, quodque mihi ad lætitiam animi, & ad voluptatem maximum est, habere tam illustre monumentum tui erga me animi, de eo tibi optime atque amplissime Bellai, tantas habeo agoque gratias, quantas maximas & animus meus capere, & lingua verbis proferre ac nuncupare potest. Sed tu fortasse hos verborum sonitus non postulas, animum meum requiris: quem tibi semper deditissimum, quotidie etiam magis magisq; constrictum atque obligatum habiturus es. Qui quidem ita tuus est, vt ferè sine te, & sine dulcissima recordatione tui, mecum nunquam esse possit. Eum ego mecum vnà, cumque omnibus meis, qui omnes tui sunt, dedo tibi atque trado: teque oro, vt tam istam voluntatem erga me, quæ est mihi rerum omnium charissima, conserues & tueare. Fratrisque mei filium, ætate etiam nunc & moribus adolescentem, ita tibi commendatum habeas, si se dignum patrocinio tuo præbuerit. Vale. III. Id. Martij. M.D.XXXVI.

IV.

IAC. SADOLETVS EPISC. CARPENT. *Antonio Prato, Episcopo Senonensi, S. R. E. Cardinali S. P. D.*

QVo tempore Romam à summo Pontifice ex mea Ecclesia euocatus accesseram, ea conditione eram profectus, vt confirmatis rebus mei muneris (eram enim illi à consiliis, vt tu scis) liceret mihi ad meam Ecclesiam reuerti, & in ea diu iam debitum, & nuper inchoatum Deo omnipotenti famulatum impendere. Quod & postea feci optima Pontificis voluntate, ita apto tempore atque opportuno, vt facilè appareret iusta & recta cupientibus libenter Deum opem ferre. Viginti enim diebus ipsis antè fum elapsus, quàm illa clades, horribilisque calamitas vrbi Romæ incideret. Qua etsi meæ quoque fortunæ omnes dissipatæ fuerint: salus tamen mea, & libertas, mihi incolumis retenta est. Mea igitur causa dolendum mihi non fuit, neque enim admodum sum iactura rei familiaris commotus, alienam autem vicem quin dolerem humanitatis causa facere non potui. Graui itaque merore & acerbissimis animi angoribus ex multorum mihi amicissimorum, ac summi præcipue Pontificis incommodis

dis fui affectus: quem ego (Deum immortalem contestans) vi-
rum bonum, eundemque prudentem pacisque imprimis amantem esse semper cognoui: verùm aliquorum minimè prudentiũ consiliis parum felicem. Sed mihi ad meam ecclesiam iam reuerso tua amplitudo proposita imprimis fuit. Arbitrabar enim mei officij esse, meæq; perpetuæ erga te obseruãtiæ, aliquid ad te scribere, ex quo & mea fidelis tuorum erga me meritorum memoria, & maximarum clarissimarumq; virtutum tuarum admiratio tibi significaretur: egoque quod diu antè cupiebam, amplificatæ dignitati tuæ gratularer: cuius ipse quoque pro virili mea parte, si non adiutor (tua enim summa & præstabilis virtus atque auctoritas meo adiumento non egebat) at certè conscius, & diligens minister extitissem. Accidit autem propter mea plurima incommoda, maximasq; omniũ rerum difficultates, vt ab hoc scribendi officio vsq; ad hunc diem fuerim retardatus. Gratulor igitur tibi, vereque & ex animo gratulor, quòd hunc istum amplissimi sacerdotij honorem ita es adeptus, non vt gratiæ ille datus, sed vt virtuti tributus fuisse videatur: vt in eo non fauor, sed meritum: non muneris, sed præmij ratio, non voluntas dantis, sed accipientis dignitas fuerit spectata. Qui quidem honor in te collatus, mihi ipse honestior atque insignior multò videtur esse factus. Nam quod ad honorem ipsum attinet, multi sæpe indigni illum obtinuerunt. Sed habere vsum rerum maximarum, fugere infamias & turpitudines, abstinere alienis, iustitiam colere, negotiorum maximorum & curarum altissimarum autorem esse sapientem, ingenio, integritate, doctrinaq; præstare, verè hi honores, vera ornamenta sunt. Quæ cùm in te mea sententia permaxima sint, magis honori ipsi propter te, quàm tibi propter honorem ducimus gratulandum. Ille enim indicare tantummodo habet eius hominis, in quem collatus est, virtutem & dignitatem, in quo fallere sæpe est solitus. Tu verò effecisti, non vt nunc demum verè indicet, sed vt plus in te etiam præstare, quàm in aliis promittere posse videatur. Sed hæc clariora, quàm vt multa egeant prædicatione, parcius attingenda sunt. Tantùm à Deo immortali est postulandum, vt tibi istum honorem fortunet, & perpetuæ felicitati iubeat esse: quod nos summa cum beneuolentia & amore erga te eundem ipsum Deum supplices deprecamur. De me autem ipso hoc tibi habeo dicere: cùm tua erga me vetusta merita grata mihi recordatione in animo semper versentur, non posse me obliuisci quantum tibi debeam. Itaque laboro dies ac noctes, vt aliquo modo possim in te videri gratus. Et quoniam cæterarum facultatem rerum fortuna mihi ademit, illud quod proprium est mihi ab Deo omnipotenti donum, quod ego sacris literis & præstantissimis disciplinis apprimè deditus colere

lete scribendo nonnihil possum hominum de me & de ipsa virtute benemeritorum memoriam: eorum tuæ laudi & amplitudini defero. Etenim hanc voluntatem meam si non fueris aspernatus, dabitur aliquando nobis locus, vbi memorem me tuorum erga me meritorum & tu ipse agnoscas, & ventura posteritas intelligat. Vale amplissime patrone, & tuo patrocinio nos fouere ne desine. Carpent. VII. Idus Sept. M.D.XXVIII.

V.

IAC. SADOLETVS EPISC. CARPENT. *Antonio Prato S.R.E. Cardinali S.P.D.*

QVIA notum est meum erga tuam amplitudinem studium, & incredibili tui nominis obseruantia: ideo fit, vt quidam homines, de tua in me vicissim voluntate coniecturam facientes, cupiant tibi per me commodari. Quibus ego profectò hoc officium humanitati debitum non negabo: dum illud prius testor, in cunctis quęcunque à te petiero, ita mihi cupere morem geri: si ea tibi & facilia factu, & æqua atq; honesta esse videbuntur. Ioannes Fraxinus, qui has literas tibi reddidit, ciuis est Auenionensis, inprimis honestus & bonus, mihi autem, & sua causa, & suorum necessariorum ac cognatorum, quos ego mirificè diligo, valde charus atque iucundus. Is ad nostrum hoc vitæ genus, & ad sacerdotalem ordinem aspirans, cuperet ecclesiastica aliqua vectigalia consequi: quod difficillimum sibi putat fore, nisi sacerdotiorũ in regno obtinendi aliquam facultatem sit nactus. Eam porrò arbitratur se tua vnius ope atque auxilio consequi posse: itaque eum tuæ bonitati, beneficentiæ, humanitatiq; commendo: vt per te, perq; tuam gratiam ac benignitatem, optatum eiusm votorum suorum consequatur. Quod faciliùs efficere poteris, quòd & ipse mediocria postulat, & tua etiam limitandi ac deminuendi futura est potestas. Ego, si hoc in illum beneficium mea commendatione adductus contuleris, non mediocri mei ipsum beneficio abs te affectũ esse arbitrabor. Erit enim hęc significatio tuæ erga me voluntatis, non modò honori mihi & ornamento apud hasce nationes, sed animo etiam meo prępiuè gratę quippe qui fructum meæ in te summæ obseruantiæ summique amoris non alium prorsus quęro, quàm amorem ipsum tuum: quo vt perpetuò dignus sim, omnibus meis studiis atq; officiis diligentissimè prouidebo: tuorumq; erga me meritorum memoriam grata semper recordatione prosequar. Tu vt nos diligas, habeasq; in numero tuorum, omni animi cura & studio abs te peto. Vale. Carpentoracti, XV. Calend. Martij, M.D.XXIX.

IAC.

VI.

IAC. SADOLETVS EPISC. CARPENT. Antonio Pra o S. R. E. Cardinali S. P. D.

MEa tuarum maximarum occupationum cogitatio facit, vt minùs sæpe ad te literas dem, quàm cuperem. Sed vbi nominis tui honor agitur, non puto me alienum ab officio factu rum, si quæ tuæ dignitati conuenire arbitrer, liberè ad te scribam. Sumus in maximo mœrore omnes, quibus rectus regendi ordo, & iustitia cordi est, ex Cossinerij Aquensis præfidis viri clarissimi & sanctissimi morte. Qui his regionibus & populis abs te præpositus, tanquam è cœlo nobis missus, nouæ integritatis & iustitiæ lumen quoddam omnibus ostendebat: suamque propè inauditam virtutem cum tua maxima laude, & istius regis admirabili gloria, labore & vigiliis suis, omnium hominum tempori & commodo expositam habebat. Qui alieno sanè tempore nobis ereptus est: suo ipse profectò non mediocri bono, sed cum nostro graui incommodo. Quanquam ego eum de facie non noueram. Verùm ita se gerebat in eo munere, quod illi abs te commissum fuerat, ita æquitatem, veritatem, imbecillitatem, aduersus iniuriam, mendacium, violentiamque protegebat, ac tuebatur, vt quotidianis illius laudibus, & commemoratione clarissimorum operum calerent aures meæ. In quo egregia quædam iuncta erat commendatio nominis tui, cum incredibili cunctorum erga te beneuolentia. Sic enim omnes iudicabant, ad tuas cæteras virtutes, quæ vno omniũ ore celebrantur, prudentiam, grauitatem, integritatem, doctrinam, quæ ita in te elucent, vt solus propè omniũ hominum tantis curis & negotiis, quæ gubernas, habeare par, hanc quoq; accedere laudem dignam sapientia tua, vt non solùm per te, sed per alios etiam, vel res populorum & gentium saluti ac tranquillitati esse consultum. Cùm enim cerneremus omnes, quam tu curam suscepisses, vt optimus nobis rector præficeretur: & tuam prouidentiam de nobis agnoscebamus, & in te amore incredibili accensi ferebamur. Ac nostra quidem erga amplitudinem tuam voluntas eadem futura est, eademque de tuis virtutibus opinio. Sed tu in quo spes nostræ sitæ sunt, cuius fiducia cuncti in tanto dolore aliquantũ acquiescimus: per Deum ipsum immortalem, qui hęc facta & opera imprimis intuetur, qui te merito voluit tanta potestate esse præditum, vt istam tuam mentem tot sapientiæ thesauris refertam, ad publici boni curam totã conferres: ne desere nos, eandemq; adhibe autoritatem & diligentiam, quam adhibuisti antea: vt similis nobis præses iustus, ac grauis, tuæque imitator disciplinæ de

insti-

integro præponatur. Quod cùm feceris, non magno tuo labore maximam es consecuturus apud Deum gratiam, apud homines laudem. Nos quidem qui tui toti sumus, & tuo nomini, famæ, honorique præcipuè dediti: quantum erit in nobis, non sinemus huius tui tanti ac tam insignis beneficij prædicationem, neque nunc silentio tegi, neque apud posteros mutam esse. Vale. Carpentoratti, Pridie Nonas Iulij, M.D.XXXI.

VII.

IAC. SADOLETVS EPISC. CARPENT. *Antonio Prato, S.R.E. Cardinali S.P.D.*

QVæ tua fuerit humanitas in excipiendo Paulo meo, cùm is salutatum ad te meis verbis venisset: quanta declaratio eius benevolentiæ, quam erga me susceptam habes, eo referente narrantéque cognoui. Pro qua, quid ego tibi dicam? Habere me gratum tibi? habeo equidem. Sed quid istud est, tantis iam à te beneficiis acceptis? An me relaturum eam aliquando? Quis audeat hoc loqui? aut quis non intelligat, sicut ad solis lumen lychni igniculum, sic ad virtutem, ad amplitudinem, ad autoritatem tuam, meas omnes fortunas nullius esse momenti? Sed ne ego planè ingratus sim, si non agnoscam, & cui, & quantum debeam, audebo nimirum agere tibi gratias, atque eas quidem quantas possum maximas: te vehementer deprecans, vt tua illa præstans atque eximia erga me humanitas, qua me tibi in perpetuum obstrinxisti, hoc etiam addat ad reliqua plurima beneficia cumuli, aut meam hanc gratiarum actionem in bonam partem accipiat: meumque memorem, & gratum animum approbet, etiam si pares meæ voluntati effectus non sequantur. Id quod me à sapientia, & ab animi tui æquitate spero iam impetrasse. Ego hoc tempore versor in opere omnium difficillimo, vt divi Pauli epistolam interpreter ad Romanos. Cuius operis cum ipsum quoq; librum confecissem (nam in tres libros tota diuisa commentatio est) forte iter hac habuit amplissimus vir Collega tuus Franciscus Turnonius, cognitaque meorum studiorum ratione, cùm me multum vt perseverarem hortatus est, tum illud petiit, vt simul atq; hunc primum perfecissem librum, ad eum statim mitterem: quod idem postea per literas non destitit postulare. Id ego nunc feci: misiq; ipsum volumen, examinandum omnium doctorum iudicio, qui modò æquitatem animi cum doctrina habeant coniunctam. Nam quod ad me attinet, paratus ad vtrumq; sum, & probari, & reprehendi. Quæ etiã reprehensio si fuerit iusta, mihi futura est vtilior: quando per il-

lam melior & consideratior siam. Hæc ego ad te scripsi, magis ne quid mearum rerum tibi esset ignotum, quàm vt audeam postulare vti hæc legas. Quæ etiam si non indigna, attamen incommoda sunt tuis grauissimis & maximis occupationibus. Mihi tua salus, dignitas, amplitudo, ita est cordi, vt Deum optimum Max. quò ista omnia tibi tueatur, quotidieq; ad secundiores prouehat euentus, rogare non desinam: quod sit virtuti, & bonis moribus ac legibus, sanctæq; fidei Catholicæ, cum tua insigni laude, commodo semper atque emolumento. Vale. Pridie Calend. Octob. M.D.XXXII. Carpentoracti.

VIII.

IAC. SADOLETVS EPISC. CARP. *Antonio Prato S. R. E. Cardinali S. P. D.*

CVM Lugduni fuissem, speciemque illam in te summi & præcellentis viri, de quo tam multa absens audieram, ipseque pluribus in rebus ita esse cognoueram, oculis mei præsens subiecissem, fuissemque eam magna mea cum voluptate, nec minore cum admiratione contemplatus: propterea quòd voluptatem mihi meus in te perpetuus amor, singularisq; obseruantia, admirationem verò sapientiæ & virtutis tuæ magnitudo afferebat, possum tibi confirmare, post meum illinc discessum, memoriam tui semper mihi in animo ita versatam esse, vt non dies, neque noctes, mea de te cogitatio, & cura aliquid conandi, quò pro tuis plurimis erga me beneficiis gratus in te esse intelligerer, vllo modo requiesceret. Etsi enim superioribus temporibus tu nunquam destitisti de me bene mereri, tuamque ego in meis rebus omnibus, quæ ope & auxilio tuo eguerunt, beneuolentiam erga me, humanitatem, liberalitatem sum expertus: tamen hoc recente facto, quo mihi dedisti præclarum apud Regem tui de me iudicij testimonium: idemque detulisti, ac de optimi Regis voluntate mihi es pollicitus: si Regem, & Regiam colere, & sectari vellem, amplissima mihi fortunæ præmia non defutura. Hoc inquam tuo præstantissimo merito, quo nullum maius a tanto & tali viro ne optari quidem potest, ita sum ad omnem beneuolentiam & studium colendi tui ac venerandi nominis incitatus, vt ne si vitam quidem pro te effundam, vel paruam partem tuorum meritorum videar consecuturus. Quanquam enim diu est, quòd ego amplitudinem tuam & colo, & diligo, omniq; honore, atq; obseruantia prosequor, multisq; tuis erga me beneuolentiæ significationibus summè deuinctum me atq; obligatum esse sentio: tum autem de grauitate, doctrina, sapientiaque tua ita existimo, vt nullum propè exemplum tale, hominis rerum

molem

molem maximarum tanta facilitate prudentiaq; moderantis, ne antiquis quidem temporibus putem extitisse: tamen illud de te iudicium commune mihi cum multis semper fuit. Hoc verò quod præcipuè ac propriè meum est, quo tibi sum tanta & tam insigni tua humanitate obstrictus, sic me & cepit, & incendit, vt prorsus mihi necessariò confitendum sit, neq; ad referendam tibi gratiam aliquas opes meas, neq; verò ad commemorandam verba vlla suppetere. Et quoniam arbitror ad meum officiũ pertinere, vt tibi respondeam, de eo, quod tu mecum locutus es: agamque quoquo modo possum tamen gratias. Quorum alterũ tunc propter breuitatem temporis mihi non licuit: alterum nũquam plenè licebit sic facere vt debeo: de eo primùm dicã, quod ad sectandum Regem pertinet: cui equidem sum toto animi mei studio addictus. Sed vt hanc vitã abiiciam paçatam, atq; tranquillam, in quam ego veluti in portũ, ex magnis ipse quoq; negotiis, & agitationibus, tanquã ex fluctib. me recepi: non casu neq; fortuito, sed consilio certo, daraq; opera: nequaquam id videretur aut constantiæ meæ, aut verioris vitæ vtilitatib. conuenire. Non enim in otijs præcipuè, nec in diuitiis nostra posita bene agendæ vitæ ratio est: sed in eis magis studiis & actionibus, quæ & præsentem nobis iucunditatem præbent, & futuram immortalitatem pollicentur. Quod tu summus omnium & prudentissimus vir, in te ipso facilè potes recognoscere. Sed & si quieta vita hæc, illi alteri vitæ difficili & negotiosæ præponenda multum est: tamen cùm incidant interdum tempora, vt officium cæteris rebus anteuertendum, nec possit aliter virtus & veritas ritè conferuari, nisi labor aliquis negotiũmve suscipiatur: si quod eueniat tempus eiusmodi, quo magna res aliqua Regis nostri, magnæ gloria ageretur, si modò ei ego muneri viderer esse idoneus: & ita res cum fide & dignitate tractanda esset: in quo vtique vereo errare & decipi communem vitam, quæ versutas, & varias gerendarum rerum rationes, illis rectis & prudentibus actionibus anteponit. Si talis, inquam, actio, ac tale offerretur tempus: non denegarem Regi nostro profectò operam & fidelitatem meam. Neque cùm id facerem, viderer mihi ab hoc iam suscepto genere vitæ desciscere: id enim certè nunquam sum facturus. Sed officio tantisper me iudicarem fungi, vnaq; alia in actione ei Regi deseruirem, cui me omni honesta ratione, & propter potestatem eius, & propter virtutem atque humanitatem esse subiectum decet. Sed neque hoc vt contingat, optandum mihi est. Cupio enim rationes & consilia omnia Regis ita faciles cursus habere, vt non sit opera aut industria cuiusquam admodum requirenda. Et tamen si contingeret, non tantam in me ingenij vim agnosco, vt non multos Rex habiturus sit, quam

ego sum, magis idoneos. Quamobrem hac tibi mente & voluntate mea satis exposita, redeundum mihi ad id est, quod est omnium longè difficillimum: quo pacto tibi agam gratias. Quod si aut tua non tam ampla autoritas, aut merita erga me meo officia saltem forent, conarer aliquid profectò, & aliquam partem gratiæ exequi me posse confiderem. Sed cùm & amplitudo tuæ dignitatis, & benignitas in me tua omnem meam agendi quendiq; facultatem longè superet: peto a te, vt meum amorem erga te, & fidem & pietatem, quæ nunquam posthac a tui me venerandi nominis assiduo cultu, incredibiliq; obseruantia futura est, pro aliqua parte gratiæ recipias. Quòd si ea studia, quibus quotidie versor, aliquid fortè aliquando habebunt autoritatis: dabo operam profectò, vt quanquam tuum preclarissimum nomen meis ipsum scriptis multò plus luminis allatum sit, quàm ipsi mea scripta, meum tamen de te, tuisq; præstantissimis virtutibus iudicium apud posteros appareat. Quod non idcirco scribo, quòd magnam tibi rem polliceri mihi videar: sed quòd magnam meam erga te intelligas esse voluntatem. Vale. Carpentoracti, V. Idus Iulij, M. D. XXXIII.

IX.

IAC. SADOLETVS EPISC. CARPENT. IO. anni Nicolao Aptæ Iuliæ Episcopo S. P. D.

VEllem tantum dari mihi ad scribendum facultatis, vt eam mere possem eam, quam concepi animo incredibilem lætitiam, posteaquam audiui tua, & cæterorum Episcoporum, qui istic sedes & domicilia habetis, opera, autore & principe amplissimo legato, factum esse, vt diuinum illud Pauli epistolarum volumen publicè explanaretur: vosque vnà cum aliis multis, egregiarum studio sacrarum lectionum, in illud adiutorium conueniretis frequentes. Certè enim si Christianus sum, charamque imprimis habeo omnipotentis Dei gloriam (quemadmodum quidem habeo vita ipsa mea longè chariorem) hoc nomine maximè leter necesse est. Non enim alia re magis illa illustratur, neque ipsius Dei maiestas, infinitaque bonitas melius ostenditur, quàm cùm illius beneficia erga nos memorantur: plurima illa quidem passim & maxima, quæ omni humano generi abeo tributa sunt. Sed quod ad fidem Christi, & adoptionem nostram in genus summi Dei pertinet, qua nos tanquam filij in hæreditatem regni cœlestis vocati sumus, tale atque tantum, vt vix humana vlla cogitatione magnitudo illius beneficij possit concipi, cuius in vno Paulo sunt explicata mysteria: si verò legati summi viri laudi fauco, eiusque dignitatem cupio esse quam amplissimam: secuti

ficerit profectò omni cum beneuolentia facio: quid illo dignius? quid honori, nobilitati, nominiq; eius conuenientius, quàm autorem esse tanti boni suis populis? suamque tantam & tam beneficam in omneis homines ostendere voluntatem: vt quos patrocinio regit, consilio gubernat, imperio & autoritate in pace & officio continet, eos etiam studeat non solùm terrenis bonis, verùm etiam cœlestibus florentes sua opera fieri, ac beatos? Magna ista laus, & principe magno digna. Hoc ille nimirum suo facto, hac prouidentia, hoc insigni præstantique beneficio planè aperit animi sui naturæque magnificentiam: & dignissimũ se demonstrat, in quem tam multa dona sint ornamentaq; fortunæ à Deo hominibusq; collata. Te verò, mi optime & iucundissime Nicolae, quibus efferam laudibus? cuperem de te omnia proferre quæ sentio. Noui tuam bonitatem, iustitiam, integritatem, sensus tuos noui plenissimos pietatis, animũ quoq; optimis semper deditum & artibus & literis, quod sæpe miratus sum. Atq; eò magis, quòd te ex maximis curis & occupationibus, quibus distinebare, aliquid semper videbam surripientem temporis, quod verioribus studiis impartires. Cuperem, inquam, hæc de te loqui, & enucleatiùs commemorare omnia. Sed vincit tua virtus studium meum, neq; est nostra tuis laudibus facultas vllo pacto par. Veruntamen etsi tu neq; nunc primum, nec vnquam mediocriter, sed diu antè totus in optimis studiis fuisti: hoc tamen recente tuo facto, quòd summi doctoris & præconis magnifici lectionem prouehere, atque illustrare pro tua parte conatus es, sic me tibi deuinxisti, vt in vetere nostra mutuaq; benevolentia meus in te amor quasi nouo igni inflammatior facti esse videatur. Itaque cùm te magis magisque quotidie amo: tum reuò fratres illos nostros, qui tibi honore pares, me autem ipso omni dignitate superiores multò sunt, & colo nunc demum & vereor, quantum equidem possum, non quantum illi meriti sunt: qui tecum in tam præclari operis societate consenserunt: qui ea quæ se digna sunt & fouent, & sectantur. Ex quibus ipsi quantum in animo suo lætitiæ ac veræ voluptatis, quantum apud homines bonæ existimationis comparaturi sint, ipsa re, si perseuerauerint, experientur. Vrbi etiam isti Auenionensi gratulor: in qua si hæc vigere studia, & germinascere incipient, tantorum præsertim adiuta autoritate virorum: maximum illi ciuitati non modò ornamentum, sed etiam commodum accessurũ est. Aperietur enim animis ingenuis, & altius quàm pro vulgi captu sese attollentibus, via, qua non è terra se natos neque in terram versos esse intelligant, sed cœli dominos sese & cœlestium rerum futuentur. Non in litibus conterant ætates: sed ipsi cæterorum litibus & controuersiis apponant modum. Non igna-

tis, & abiectis, & vilibus curis, solicitudinibusque rerum, a
opum terrenarum tantopere deprimantur: quæ hominem e
gunt sui obliuisci, & à se ipso deficere, atque in turpem qua
dam & penè monstruosam degenerare naturam: sed celsi, &
recti, ac veris diuitiis opibusque fidentes, incolumem statu
retineant dignitatis suæ. Atque hæc ego confirmo homin
naturis & animis aguasci ex his literis, & ex hac tanti doctor
lectione præclara. Non de ieiuniis, nec de vigiliis, aut assi
tate orandi, aut paupertate profitenda nunc loquor: hæc en
quanquam sancta sunt, & cœleste præmium promerentur: ta
men in alio quodam virtutis genere sunt spectanda. De illa vi
dico, quæ posita in honoribus, referta diuitiis, in magistra
bus collocata, animum secum affert ad ista omnia longè pl
suis & propriis bonis, quam his, quæ sunt fortunæ dona con
dentem: quæ in negotiis & conuentibus hominum, in aul
in conuiuiis, in omni sermone & familiaritate conuiuendi, a
voluptatem & lætitiam consectatur: vt à decore quodam su
& specie præstantis viri non discedat; plena illa semper gau
dij ac iucunditatis: nihil vnquam ferè molestiæ in se ac pertu
bationis admittens: cùm hi, qui terrenis istis cupiditatibus i
piuntur, & omnia in pecunia posita putant, nunquam verè, ac
ex animo lætentur: sed habeant vitam solicitudinibus, scru
pulis, auiditate, pœnitentiaque perpetuò infectam. Ad ha
tanta commoda, atque bona, quando inspirante summo Deo
maximi & clarissimi legati nostri sapientia ac liberalitate, vo
bis illius exemplum autoritatemque sequentibus, aditus iam i
ista ciuitate patefactus est: & gratiæ à nobis Deo agendæ sunt, &
ipse multum sedulo; orandus, vt nobis omnibus, quibus ha
legati prouidentia ac benignitas vberrimos fructus verissimo
bonorum allatura est, felix & faustum hoc principium facer
dignetur: vt bonis initiis meliores quotidie succedant exitus,
& quæ bene incepta sunt, studiosiùs perficiantur. Sperandum
enim est, hoc egregio opere perfecto, & cœlestis doctrinæ le
ctione inducta ac confirmata, adiecturum animum eundem
psum legatum ad hanc tollendam confusionem, quæ in admini
strando iure nullum fermè iam vestigium veritati ac iustitiæ re
liquum fecit: vt non sedandarum discordiarum causa, & vt ius
suum vnicuique tribuatur: sed malitiæ, perfidiæ, auaritiæq; ex
ercendæ gratia in forum atque vsum adducta videatur. Ex qua,
magna cum clade detrimentoq; multorum, neque hominum
solum, verùm etiam populorum, certum quoddam genus vnum
depascitur, quod est ad aliorum consumendos labores prau
iam consuetudine inueteratum. Hoc restat adhuc, hoc in expe
ctatione est, quod ab optimi præsidis prudentia ac virtute po
stule-

sulerur: huius est muneris functio, & administratio reliqua: in qua tractanda, ordineque constituenda, quantum illi laudis ab omnium sermonibus peruenturum & commendationis sit, ex finitimo prouinciali exemplo possumus intelligere. Atque ego, qui amplissimi legati honorem & dignitatem præcipuè expeto, ipsumque incredibili amore obseruantiaque complector, non sum quietum animum habiturus, donec eum videro hanc sibi etiam laudem, hoc apud homines clarum & celebre nomen comparare: præsertim cùm si ipse tantæ adipiscendæ gloriæ occasionem prætermiserit, alius qui successerit (ita enim credibile est) libenter eam sit arrepturus. Quid ergo est? non omnes omnia facimus, vt is, quem maximè amamus, hac potissimum fama, hoc honore potiatur? qui nostra omnia ad eum colendum contulimus, non hoc illi imprimis proponemus, in quo ipse suscipiendo suum longè adaugeat dignitatem, in ore omnium & laudibus cum admiratione versetur, illustre testimonium præbeat suæ eximiæ virtutis & bonitatis, memoriam nominis sui cum æterna beneuolentia cunctorum in omnium animis relinquat? Quid ipse? Feretne alium potius, quàm se, in huius boni possessionem accedere? patietur tantum ingenium, tanta nobilitas, tanta virtus, alios sibi occupare hanc gloriam? & in tam præclara actione, quâ ipse dimiserit maiores sese illo, & animi præstantioris ostendere? Nouestita existimandum. Equidem quod ad me attinet, cum illum conuenero, omnibus precibus obtestationibusque adnitar, vt ipse det ad hanc curam, sua nobilitate prudentiaque dignissimam. Cæterum tu optime Nicolae, qui cum illo assiduus es, cuius ille fide & opera plurimum vtitur, & amori integritatique maximè credit, (in quo quidem nil fallitur) enitere quæso, contende, elabora, vt communem patronum nostrum, ad cætera plurima maximaque ornamenta, quib. à Deo insignis factus est, huius quoque facti clarissimi & præstantissimi, gloria videamus insignitum. Sed ego fortasse verbosior sum, quam opus sit. Id tu mihi ignoscas velim, & sic existimes, ab initio tantum voluisse gratulari, cùm gaudium, quod ex lectione Paulina in honorē pudice adducta conceperam, continere non possem. Postea verò ad alia hæc scribenda amore, quo legatum, & hosce simul populos prosequor, fuisse prouectum. In quo si quid à me peccatum est, id humanitatis, & erga me beneuolentiæ, in bonam partem accipere, atque errori meo veniam dare. Ego in te amando colendoque augebo potius semper, quàm vnquam diminuam studium meum. Vale, & nos, quod facis, dilige. Carpentor. VII. Cal. Iul. M.D.XXXI.

X.

IAC. SADOLETVS EPISC. CARPENT. Franc. Turnonio S.R.E. Cardinali, S. P. D.

DIv est, quòd ego & amore incensus tuarum clarissimarũ virtutum, & magnis tuis beneficiis obligatus, toto tibi animo fui deditus: tuamque amplitudinem omnibus meis officijs colendam mihi proposui. Sed hanc meam voluntatem quo minus tibi adhuc per literas declararim, id causæ fuit: quòd sperans aliquando congredi tecum, & coram tibi animum meum patefacere: reseruabam me ad id tempus, quo præsens præsenti tibi agerem pro tuis erga me beneficiis gratias, & totum me in potestatem tuam traderem. Sed cùm hoc longius iam fieret, multæque me causæ & difficultates quotidie detinerent, quominus in ista loca & ad summi Regis conspectum, sicut constitueram, accedere possem: statui non esse amplius differendas has literas. Quæ si non toram vim amoris in te mei, quæ permagna est, tibi explicarent: nonnulla tamen me liberarent culpa: quæ vereor ne à me susceptа sit. Feci enim certè, quod facere non debebam: nimis serò, quo animo sim erga te, tibi significauerim: commisique vt parum grati & benevoli hominis officio videar functus. In quo oro te, & quæ tua est humanitas, vehementer rogo, mihi vt ignoscas, néue id negligentiæ meæ, aut obliuioni tuorum erga me meritorum, sed inani potius spei & cupiditati visendi & alloquendi tui attribuendum putes. Quod cùm confidam me à te pro tuæ naturæ benignitate iam impetrasse: accedam ad reliqua, quæ mihi scribenti in his literis proposita sunt. Primùm, vt tibi de tuæ amplificatione dignitatis gratuler: deinde, vt pro acceptis beneficiis gratias agam. Gratuler igitur tibi, & valde gratulor, quòd istum gradum honoris amplissimi ita es consecutus, vt non laus tua in illo honore posita, sed fortuna virtutem tuam secuta esse videatur. Nec verò vlla est verior, & magis te digna gratulatio, quàm quòd tu is homo es, eis ingenij, virtutis, nobilitatis, prudentiæ ornamentis præditus, vt nullus sit tantus honor, qui tibi non ita debitus sit, vt tamen dignitati tuæ par esse non queat. Sed vt hæc mittam, quæ hoc etiam maiora in te ac præstantiora existunt, quòd omnis doctrinæ, & omnium artium optimarum comitatu ac scientia sunt instructa: illud in tua natura præclarum atque magnificum, quòd opes, & gratiam, & autoritatem tuam, quæ magna est, omnibus semper bonis vis esse adiumento atque præsidio: quânam id hominum laude, aut quibus tandem honorum insignibus potest compensari? Equidem de tuo honore ita sentio, vt eo omnes bonos magis quàm te ipsum

Iactari

lætari patrem oportere. Siquidem illi fructus vberiores liberalitatis tuæ tibi in eo propositos esse sciunt: tu isti honori plus splendoris affers, quam ipse honos tibi. Sed de his, quæ longiorem multo postulant orationem, tantum impræsentia dictum sit. Illud, quod mei priuati in te est officij, ingenuè aperteque confiteor, me tibi maximo tuo merito valde esse obligatum. Recordor enim cùm ego essem absens, ac hominum litigiosissimorum seuiolentissimorum iniuria meæ fortunæ in graue iudiciorum discrimen essent vocatæ: te ita suscepisse meas partes & fauendo & suadendo, & præsens ipse meam causam commendando, vt nullum prorsus officium prætermiseris, quod homini amico à patrono amplissimo posset tribui. Idque neque tu rogatus à me, neque vlla mecum familiaritate coniunctus: vt eo plus beneficium tuum, & naturæ tuæ bonitas sua sponte propensa ad me beneficiendum appareret. Quæ si studia voluntatis tuæ erga me, aut in memoria mea perpetuò non hærerent, aut à me minoris quam dignum est æstimarentur, hominem ipse me non putarem. Sin autem rursus illis à me referri arbitrarer posse meritam gratiam: minus amplè ipse de me, & de meis facultatibus existimarem. Quæ cùm ita sint, & cùm tua beneficia in me amplissima, eg natura certè & voluntate gratissimus, opib. & fortuna tenuior sim, quam vt possit à me tuis benefactis & meritis officium par referri: peto à te, vt qua liberalitatis animique præstantia, me tibi ab initio deuincire voluisti: eadem nunc & bonitate, & liberalitate, animum meum flagrantem desiderio satisfaciendi tibi, gratumque referendi; pro relata gratia accipias: meque tuum eorum & in tuorum numero imprimis habeas. Ego enim tibi polliceor ac spondeo, si eandem tu mihi beneuolentiam beniguitatemque præstiteris, quam ab initio ostendisti, meque semel susceptum in clientelam perpetuò complexus fueris, daturum me operam, vt ne te huius de me iudicij, & tuæ amicæ erga me voluntatis pœniteat. Vale. Carpentoracti.

XI.

IAC. SADOLETVS EPISC. CARPENT. *Franc. Turnonio S.R.E. Cardinali, S.P.D.*

SVAVISSIMAS tuas accepi literas, quas Lugduno in Italiam profectus ad me dedisti: librumque Budæi nostri cum his vna, cùm ipsum mihi per se gratum, tum etiam gratiorem, quòd veniebat ad te. Quanquam ne id ipsum quidem tàm, quàm quòd illo modo, & cùm illa diligentia veniebat. Dedisti enim mihi amoris in me tui insigne testimonium, cùm tantam curam suscepisti, vt optatum illud donum ad me perferretur. De quo tibi hoc

confirmo, duplicem me cepisse voluptatem, & quòd materia digna est eruditis auribus, & quòd Regis nostri nomen talibus iam scriptis celebrari gaudeo. Budæus velim genere ipso orationis aliquanto esset lenior. Summum quidem illius ingenium, & incredibilem doctrinam, tum autem coniunctam his tot ornamentis innocentiam vitæ, & probitatem, & dilexi semper, & admiratus sum. Sed mi humanissime Turnoni, qui tam repentè nobis te eripuisti, quæso ad quod tempus te expectaturi sumus? omnino puto magnis te de rebus eò fuisse missum: tametsi rumoribus multa circumferuntur, quibus ego neque omnino fidem habeo, neque prorsus derogo. Verùm alia sunt, quæ magis puto ad me pertinere: vrgeo enim dies & noctes opus illud, cuius tu partem in manibus habes: a qua te lectione abduci laboribus itinerum ac legationis, & planè suspicor, & parum tamen te iacturę in eo facere duco. Tuus mihi honos, & tua dignitas cordi est: atque vt legatione prosperè feliciterque perfuncta, quod tamen ipsum cum Christianæ fidei & Reipub. commodo coniunctum sit: cum omnium laude & gratia ad tuos te, & ad nos, qui maximè sumus tui, primo quoque tempore recipias. Vale, & nos, quod facis, ama. Carpent. XII. Calend. Febr. M.D.XXXIII.

XII.

IACOB. SADOLET. EPISC. CARPENT. Antonio Puccio Cardinali S. P. D.

CVM cognouissem ex literis meorum, Laurentium Puccium patruum tuum, virum amplissima dignitate & omni virtutis gloria florentem, cessisse à rebus humanis, teque in eius locum esse suffectum, qui eundem, quem ille, honoris & autoritatis gradum obtineres: sanè & dolui animo vehementer, & lætatus sum. Nam & illius amissi, quem in parentis loco semper habuissem, desiderio commouebar: & tuæ amplificatione dignitatis mirum in modum gaudebam. Qua in disceptatione doloris atque lætitiæ aliquandiu cùm fuissem: rationibus vtrinq; perpensis atque examinatis, tandè iudicaui æquius esse multò, tibi & dignitati tuæ gratulari, quàm illius obitum decessionemque lugere: præsertim cùm hoc à me erga te officium amicitia vetus nostra requirat: illi autem nihil omnino mali contigerit, quod sit luctu & lamentatione dignum. Nam si vitam illam cogitamus beatam & immortalem, quæ in cœlo his qui cum fide & pietate hîc vixerunt, post mortẽ à Deo est proposita: nihil omnino earum rerũ, quibus illa comparatur, prætermisit Laurentius. Mitto nunc bonitatem, mitto liberalitatem, mitto innumerabiles ab eo, & prope infinitos assiduè pro Republica susceptos labores, humanitatem

tem etiam, facilitatemq; prætermitto, qua ille ad se adeuntibus, & ipsius ope ac consilio vti volentibus, expositus semper fuit. Quid illa vel pietate & religione potuit esse illustrius, qua ipse erga Deum illius honoris studio incensus ferebatur: vel charitate, qua erga homines? cùm nec monere errantes, nec erigere lapsos, nec solari desperantes vllo vnquã tẽpore desisteret: omnia quæ sua cogitata, consilia, acta, eo potissimum conferret, vt sanctæ ecclesiæ honos apud omnes, & autoritas magna haberetur. Quòd si illa etiam spectantur, quæ in hac vita nobis, qui superstites adhuc sumus, alleuamenta doloris sunt: nullius vnquam nomen nec clarius, nec frequentius, quam Laurentij toto orbe terrarum peruagatum est. Ille curiã regebat, ille & ciuib. & exteris lumen præferebat sapientiæ suæ: erga pauperes comis, potentibus non infensus, bonis omnibus fautor: nulli vnquam acerbus, maximis porrò Pontificibus & consilio semper, & opera, & omni fide atq; amore coniunctus & cõsentiens. Itaq; non dubito, quin ista tanta vrbs, & ista curia talis viri tam benefici, & tam salutaris, morte sibi tota squallens & penè ornamentis omnib. spoliata esse videatur. Ego verò, in quem plurima illius beneficia extiterunt, qui me in filij loco dilexerat, in quo ego patriam mihi singularem & venerationem constitutam habebam, facere equidem non possum, quin graui & intolerando mœrore vrgear. Sed tamen magnum mihi affert solatium, quòd intueor te, quem suscepto amore semper sum complexus, cuius patrui tui virtutes egregiè imitatus es, eiusdem facium esse honorum & dignitatis hæredem. Quod & ex animo lætor, & tibi & generi tuo Reiq; publ. Christianæ bene id ac feliciter euenire cupio. Videor etiam sperare debere, te talem patriæ & amicis futurum, vt eximias virtutes tuas ingenij, integritatis, doctrinæ, cum magno tuo commodo Christiana imprimis religio experiatur: nosque, qui tui amicissimi semper fuimus, tuorum ornamentorum, & laudum participes etiam simus. Ego quod ad me attinet, quem amorem & obseruantiam perpetuò erga te habui, & aucturus etiam magis, & conseruaturus sum, sicut & mea natura, & tua præclara dignitas virtusque postulat: tu vt me ope & patrocinio tuo, vbi opus veniat, defendas ac tueare, magnopere te rogo. Vale Carpent.

XIII.

IAC. SADOL. EPISC. CARPENT. Ioan. Lotharingio Cardinali S. P. D.

EX quo tempore primùm Romæ te cognoui, tecumq; aliquoties locutus, perspexi planè & virtutem tuam, & humanitatẽ non

non inferiorem esse, neque nobilitate generis neque fortuna: a mani semper te plurimum, amplitudinemque tuam singulari observantia sum prosecutus. Sed non contigit mihi ante hoc tempus, vt redigerem tibi in memoriam illa initia nostræ familiaritatis, quòd vtrique nostrûm & locorum disiunctio, & occupationum ac negociorũ dissimilitudo, alias curas attulit. Et tamen non dubito, quin sicut mihi hæsit in animo perpetua recordatio tui, cum insigni beneuolentia coniuncta: ita & tu aliquod vestigium etiam nunc tuæ erga me pristinæ voluntatis retineas. Hoc si ita est, quod confido esse, tua animi nobilitate & ingenuitate fretus: peto à te, vt has literas eo animo legas, quo legendæ sunt ab homine amplissimo simul atque humanissimo, hominis amantissimi ac deditissimi literæ. Paulus Sadoletus adolescens eruditus sanè quàm liberaliter, mei qui fratris filius à me in filij loco diligitur, isthuc profectus est & visendæ aulæ Regiæ, & Regis ipsius meis quoque verbis conueniendi ac venerandi causa. Et ego dedi in mandatis, vt ad te adiret potissimum, tuaque imprimis gratia atque autoritate vteretur. Eum igitur tuæ fidei, humanitatique commendo: primùm, vt eum ipse comiter excipias, deinde si ita opus esse cognoueris, vt præbeas illi faciles ad summum Regem aditus. Quanquam hoc fortassis per alios potent consequi, veruntamen omnis tua amoris erga me significatio, magno mihi honori poterit esse: quam ego abs te vehementer mediusfidius expeto: nec tam vt apud cæteros honestus, quàm vt tibi ipsi charus esse intelligar. Summæ enim mihi futurum est voluptati, si intellexero, à tali viro, tantis ornato & ingenij & fortunæ bonis, eodemque in omni dignitate principe, studium atque obseruantiam meam erga se parui non æstimari. Quæ etsi per se non valde expetenda sit, propter tenuitatem videlicet fortunæ nostræ, tamen quoniam nos ex eo genere hominum sumus, qui nunquã amicis solent esse dedecori: susceptamque semel amicitiæ & necessitudinis fidem summa cum religione retinemus, poterit tua quandoque amplitudo aliquantum etiam de me sibi polliceri, qui eo animo sum, vt & nobilitati tuæ honorem, & virtutibus laudem, & dignitati cultum, & humanitati ac beneuolentiæ erga me gratiam semper sim habiturus. Tu si hanc meam voluntatem gratam tibi esse acceptamque ostenderis, libenterque mihi aliquod tui amoris impartieris testimonium: & studium meum augebis colendi perpetuò atque obseruandi tui, & hoc dignum ipso tuo genere, & maiorum tuorum, ac tua virtute efficies. Vale. Carpentoracti.

IAC.

XIV.

IACOB. SADOLET. EPISC. CARPENT. Ioan. Lotheringio Cardinali, S. P. D.

NON me fefellit, non minus esse in te humanitatis, quàm nobilitatis. Præclara omnino ingenia, quæ hanc laudem consectantur, vt non plus patiantur in se ornamentorum & dignitatis à fortuna esse, quàm à virtute: idque ego in te satis antea noueram. Sed tamen Paulus ad nos reuersus, ea mihi de te narrauit, hisque verbis animi tui egregias virtutes atque laudes est persecutus, vt ad summam meam tuæ liberalitatis & humanitatis opinionem addi iam nihil posse videatur. Equidem quòd me habiturus esses in memoria, quòd Paulo ipsi nullo loco defuturus, & speraui antea, & nunc re expertus sum. Sed quòd tam studiosè, tamque amanter id esses facturus, vicit in hoc (vt verum fatear) tua excellens bonitas expectationem meam. Itaque quomodo tibi agam gratias nescio: cuperem equidem referre & dignas, & debitas. Sed hoc etiam fuerit præstantis animi tui, scire promereri de altero, quantum tibi reddi non possit. Ego verò non tam fortunæ, neque opum præmiis & honoribus, quàm ista comitate naturæ, & significatione amoris sic obligor, vt nullum vinculum ad me deuinciendum potentius. Quo quando iam tibi ita obstrictus sum, vt solui eo amplius nec possim, nec velim: sic tebes de me existimare, nullius tibi animum, nullius studium, nullius obseruantiam æquè esse paratam, vt meam. Et quoniam in gratia referenda nihil tibi possum de me polliceri, quod copiarum & opum sit, quibus tu pro tua & maiorum tuorum amplitudine ac dignitate honestissimè abundas, ego minus etiam quam mediocribus contentus viuo: id quod in me est, quoque solent viri magni, & præcellentes, ab amicis tenuioribus cõtenti esse, polliceor tibi & recipio, si mea digna fuerint studia quorum testimonio virtuti honos habeatur, gratiam me tibi aliquam in illis, & veri amici fidem operamque nauaturum. Paruum hoc quidem, & cuius penè me pudeat. Sed tu qua magnitudine animi nostram spem de te tuis officiis superasti, eadem summam in nobis voluntatem referendæ gratiæ pro relata gratia accipies. Vale patrone noster, & nos tui studiosissimos tuo patrocinio semper tuere. Carpent. XVII. Calend. Septemb. M. D. XXXII.

IAC.

XV.

IAC. SADOL. EPISC. CARPENT. Ioan. Lotharingio S. R. E. Cardinali. S. P. D.

IN meo à vobis digressu, nescio quo pacto imago omnium vestrum, summiq; imprimis Regis, atque tua nō solùm me discedentem prosecuta est, sed vsque adhuc in animo meo permanet: ac, vt se habet res, etiam permansura videtur. Habet enim illa in me familiare sibi iam domicilium. Quod profectò euenit magnitudine quadam amoris, quo erga vos incensus sum. Iamdudum hoc quidem: etenim sat diu est, quòd mea & studia, & officia ad vtrunque vestrum colendum contuli. Sed mea hæc voluntas etiam confirmatior facta est, posteaquam ego sum cum ambobus vobis collocutus. Quo in congressu non tam potestas & amplitudo vestra, quæ quamquam permagna est, alios tamen & habuit pares aliquando, & habitura est: quam humanitas quæ illi amplitudini maximo est ornamento, & in qua vos singulares esse contenditis, fecit, vt vos ego præcipuè & colam & admirer. Itaque nil mirum, si vobis & amore, & obseruantia sum addictus: quorum alterum virtuti vestræ iure ac merito debetur, alterum potestati. Sed ego hæc cogitans, cùm animi mei studium & beneuolentiam vobis declarare cuperem, vel potius ab amore ipso cogerer: ad Regem quidem non sum ausus, neque sanè conueniebat: ad te verò, cuius mihi comitas magis est in promptu, has dedi literas: nihil aliud postulans, nisi te illis interpretibus, quando coram non licet, & salutare, & venerari, & tibi meipsum in memoriam redigere: petereque à te, vt me in numero tuorum habere pergas. Hoc cùm mihi optatissimum est, tum virtutis proprium, & humanitatis, & nobilitatis imprimis tuæ. Vale. Carpentoracti, V. Idus Iulij, M. D. XXXIII.

XVI.

IACOB. SADOLET. EPISC. CARPENT. Ioan. Lotharingio Cardinali, S. P. D.

ETSI eæ sunt curæ & occupationes tuæ in hoc tempore vt magis tu votis precibusque nostris apud Deum adiuuandus, quam literis interpellandus esse videaris: propterea quòd hæc de pace actio, præclaraque tractatio, tota tuæ fidei diligentiæque permissa, in alias cogitationes minimè deriuanda est. Tamen cùm veniret mihi in mentem, te eum esse, qui summam nobilitatem tuam, quam à maioribus accepisti, virtute etiam & huma-

humanitate tua feceris ampliorem: ingenij autem tui magnitudinem nossem, qua tu obire simul multa, & conficere paratus es: non putaui molestum tibi me facturum, si eum hominem tibi commendassem, quem imprimis dignum tua beneuolentia esse arbitror. Florentius Volusenus, natione Scotus, elegantia morum, & literis Latinissimus, de quo homine sanè agendum paucis tecum est, quippe, qui tibi probè notus sit, & tuæ bonitatis ope ac subsidio, literarum studiis Lutetiæ aliquantum tempus operam dederit. Is cùm superioribus mensibus vrbis Romæ visandæ studio flagrans, de tua voluntate cum collega tuo Ioanne Bellaio, viro ornatissimo, in viam se dedisset, atque Auenionem vsque esset peruectus: ibi aduersa valetudine, & inopia rerum necessariarum subsistere est compulsus: pauloque pòst ad me se contulit: quem ego, quanquam pertenuis, & magnis rei familiaris difficultatibus affectus, iucundè tamen, comiterque recepi, cognitoque mox hominis ingenio, & natura ingenua liberalique perspecta, etiam in honore deinde habui. Etenim nihil est quod agam libentius, quàm vt opituler, quoad possum, doctis viris & eorum animos ita sustentem, vt ne eos studium suum in optimis artibus posuisse vnquam pœniteat. Quòd si meæ huic voluntati fortuna benignius esset suffragata, nemo me (opinor) istam vel laudem, vel voluptatem bene de bonis promerendi, studiosiùs appetisset. Nunc in hoc meæ vitæ statu, qui, etsi multis externis rebus deficitur, eas tamen habet insitas animi iucunditates, vt mea maximè fortuna contentus viuam. Interdum tamen illud me angit, quòd non possum quemadmodum quidem cuperē, bonis & doctis hominibus prodesse. Quod ecorco ad te scribo, vt tu, qui potes, & qui hanc liberalitatis ac beneficentiæ laudem libentissimè soles vsurpare, gaudeas isto tuo tam excellente bono, hocque ita statuas, quod præclarè intelligis; Nihil esse beatius, quàm habere benè de multis promerendi facultatem, cum istiusmodi natura, & magnitudine animi, & nobilitate coniunctam. Sed vt eò redeam vnde diuerti, Florentius mecum nunc Carpentoracti est, maximoque animo, & incredibili assiduitate optimis literis, præsertimque Philosophiæ dat operam: mihique in quotidiana consuetudine admodum iucundus & gratus est. Te porrò dominum & patronum suum prædicat ipse, ac profitetur: inque ea parte semper futurus est, quacunque tu iusseris. Eum ego tuæ fidei, bonitati, liberalitatique commendo: & abs te vehementer peto, vt quando ipse non minus hic studia doctrinæ persequitur, quam si Lutetiæ esset, velis pro tua præstanti liberalique natura, eam mercedem annuam illi saluam abs te esse, quam iampridem cōstituisti. Hoc cùm tua amplitudine, generisque tui, ac virtutis gloria maximè di-

mè dignum est, tum mihi certè facturus es gratissimum: quàm obseruantia, qua cœpi, te assiduè prosequor: amoremque meum semel erga te, optimo quidem iure susceptum, fidelissimè conseruo. Deumque immortalem supplex oro, vt cùm tibi salutem perpetuamq; incolumitatem, tum fructum & laudem benè confecti istius muneris, in quo honorificentissimè & summa omniù cum expectatione versaris, præbeat & largiatur: vt tua ope, prudentia, labore, autoritate conciliata pax, nos non solùm in otio, & in tranquillitate constituat: sed ab iis periculis, quæ mihi videntur multa & grauia impendere, reddat tutos. Vale. 1536.

XVII.

IAC. SADOLETVS EPISC. CARP. N. Acremontio S. R. E. Cardinali S. P. D.

PAVLVS meus, qui istuc ad salutandum maximum istum Regem meo iussu accesserat, in reditu suo ad nos, de tua virtute, prudentia, autoritate multa mihi narrauit: illudque addidit, singularem tuam quandam erga se & eximiam humanitatem in omnibus rebus se expertum fuisse: prætereaque cognouisse pluribus signis atque indiciis me ipsum quoque tibi esse cordi: paratamque esse, si quid incidat vt opus sit, & operam mihi & benenolentiam tuam. Quæ ego ita accipio, vt ad agendas tibi meritas gratias animi quidem multum, facultatis autem parum habere mihi videar. Talis enim viri neq; testimonio ornatius quicquam, neque amicitia fieri potest optabilius. Sed ego, etsi tuæ amplificatio dignitatis in ea incidit tempora, quibus ego ab vrbe absui: nominis tamen tui studio quodam etiam antea tenebar, quòd non pauca de te, & de virtutibus tuis audieram, quæ nunc quidem apud me expressiora facta sunt, postquam tua hac recente humanitate, tanquam quodam adhibito lumine, apertius nobis sunt demonstrata. Ac quod ad gratulandum tuæ dignitati pertinet: non te arbitror dubitare, quin mihi sit honos tuus charissimus, & amplitudo præcipuè grata: cùm tu præsertim istam ipsam dignitatem meritus ante sis, quàm obtinueris. In quo magis gratulandum mihi videtur, quòd tu non minus splendoris ipsi honori afferas, quàm honos tibi. Sed tamen spectatam virtutem his etiam insigniri fortunæ ornamentis optandum est: quod ego in aliis facio & semper feci magis, quàm in me ipso. Nam cum cæteris qui benè essent meriti, omnia honorum insignia semper optauerim, mihi hanc delegi & fortunarum & vitæ mediocritatem, in qua beata præcipuè vita consistit, atque hoc animo ac iudicio ex vrbe Roma egressus, tanquam è magno mari, in hunc exiguum quidem, sed tamen tutum & tranquillum portum,

postrum, me contuli: in quo sic viuo contentus, nullius fortunam vt anteponam meæ. Quanquàm hoc fortasse humilis animi sit, illud ampli & magni, virtutem æquare honoribus, quod in te factum esse mihi summæ voluptati est. Quare & honori tuo gratulor, & voluntati erga me maximas gratias ago: tibi vicissim polliceor, si quid acciderit, in quo mea tibi obseruantia & opera alicui possit esse voluptati, (nam commodo, aut ornamento, non ausim dicere) me sic amore, & studio, & vigilantia esse enixurum, vt tibi facilè pateat, te in homines non ingratos tua & officia & beneuolentiæ indicia contulisse. Vale. Carpentoracti, XVII. Calend. Septemb. M. D. XXXII.

XVIII.

IAC. SADOLETVS EPISC. CARP. *Augusto Triultio Cardinali S. P. D.*

QVanquàm tu paulò antè à nobis discessisti: tamen ne viuam, mi humanissime Triuulti, ni iampridem mihi factum esse videtur, cùm te non vidi neque tecum collocutus sum. Ita sum captus tua ista præstanti humanitate, suauissimisque sermonibus: qui inter nos tales extiterunt, quales amantium inter se, & beneuolentium esse solent, familiaritate dulces, simplicitate aperti. In quibus ego & animum tuum erga me perspexi plenum amicissimæ voluntatis, & tu de meo persuasissimus esse potes. Sed etsi tuus nimium celer, subitusque discessus, non mediocre mihi desiderium tui reliquit: habui tamen in memoria, quæ ubi proficiscenti facturum me receperam, dedique ad summum Pontificem literas, tuum hac transitum illi declarantes, & quantum tu in omnibus sermonibus consiliisque rerum aut gestarum, aut gerendarum animo & cura mihi excubare visus esses: quo ipsius dignitas, & sedis Apostolicæ autoritas per te semper illæsa incolumisq; maneret. In quo debitum tibi tribui apud eum virtutis, & humanitatis, & prudentiæ testimonium. Hoc cùm à me ita factum sit, scripserimque præterea non pauca ad huius status prouinciæ pertinentia: tuæ nunc partes sunt, certiorem eum facere per literas, quid tibi de omnibus hisce rebus videatur, vt si fieri potest, tua autoritate ad nostros scribendi rogandique labores accedente, maior ab illis habeatur horum locorum & populorum ratio, quàm adhuc quidem habita est: & vere si cogitare volumus, habenda etiam est. Siue enim saluæ Italiæ res fuerint, quod opto equidem vt ita sit, & Deum immortalem supplex precor, magnum sacerdotalis famæ & dignitatis in his regionibus est ornamentum: siue illæ excidio calamitatique propinquæ, quod magis formido horreoque, hic

portus fortunis omnium futurus est tutissimus. Sed ego imprudentia labor, qui hæc te admoneam, cui non minus nota sunt quàm mihi. Quamobrem de his hactenus. Illud silentio non præteribo, quod me meus erga te amor animo & lingua vsurpat sæpè cogit, me tuum esse cum omnibus meis, atque ita tuum, qui te ex animo magis diligat, quàm ego & diligo, & omni cultu observantiaque complector, habeas profectò neminem. Valete. Carpentoracti, VI. Idus Nouemb. M. CCCCC. XXXI.

XIX.

IAC. SADOLETVS EPISC. CARP. *Augusto Triuultio Cardinali S. P. D.*

ACCEPI literas tuas, quas ex Vrbe ad me dedisti: in quibus recognoui animum tuum pristinum propensum in rem dignitatem ecclesiasticam: tuamque erga me plenam amicissi studij voluntatem: pro qua tibi me vehementer obstrictum sentio. Sed accidit mihi perincommodè, vt molestissimo me bò impedirer, quominus, quod maximè cupiebam, crebrius te scriberem. Nihil enim fieri potest amore in te meo, & volu tate tecum per literas quasi colloquendi, ardentiùs. Quo è me bo si emersero, nullum à me officium beneuolentissimi hom nis requires. Nunc vt se res habet, quanquam spem propinqua optatæ salutis iam habeamus: sumus tamen admodum imbecilli. Quòd cum summo Pontifice diligenter egeris, populosque li hosce commendaris, qui etiam sua sponte plurimum debe esse commendati, pertinuit hoc ad fidem quoq; tuam, & ad am plissimi hominis autoritatem: quæ tum maximè grauis est, cùm vtilitati publicæ suffragatur: in qua quod te video & animo cogitatione esse intentum, maiorem in modum tibi gratulor. Vera enim est laus, & meo quidem iudicio omnium maxima, gnitatem qua quis plurimum potest, & sapientiam qua est pra ditus, ad alienum commodum potissimum, & ad vtilitatem Re pub. conferre. In qua procuranda cùm & mihi, & cunctis qui a commune bonum contendunt, propósita sit & opera & prude tia tua: iure & tu magnus, & nos qui tua amicitia fruimur, & rentes per te, atque honesti sumus. Sed quid in his locis nun agatur, quod quidem cognitione dignum sit, quoniam & lega tus missus est dedita opera, qui Pontificem de omnibus reb edoceat, & idem meas literas meaque mandata ad te perferat, modo isthuc peruenit, nunc non est commemorare necesse. Il lud tibi non dubium esse volo: in omnibus quæ gerentur, quæ que contingent, tam publicis, quam priuatis meis & proprii me semper in tua fide, patrocinio, beneuolentia, autoritate plur

plurimum esse præsidij atque opis mihi constitutum arbitrari. Vale. III. Nonas Martias, M. D. XXXII. Carpentoracti.

XX.

IAC. SADOLETVS EPISC. CARPENT. *Augst. Triultio S. R. E. Cardinali S. P. D.*

NIHIL mihi accidere potest tua erga me beneuolentia gratius, quæ quidem quotidie magis apparet ex iis, quæ mea causa dicis, aut facis. In quibus etsi patrocinium hominis amplissimi, atque omni honore laudeque dignissimi mihi peroptatum est: amor tamen tuus multò est iucundior. Sed quod ad postulata illa attiner, quorum tu exemplum mihi mittendum curasti, res mihi ipsa iampridem fuerat nota. Nam & ille qui illas res petebat, diu antè mecum communicauerat: egoq; illi vehemens dissuasor fueram: non minus hercule quietis & vtilitatis ipsius, quam publici boni causa. Videbam enim, id quod certè contigisset, si hæc oppida permutasset Pontifex, non sine magno tumultu rem futuram. Sed etsi minimè illius hominis consilia mihi probabantur: tamen quòd cogitationes suas commiserat mihi, fidemq; imprimis habuerat: cuiusdam religione officij impediri me arbitrabar, quo illi minus obstarem. Atque ita etiam nunc interpretor: neq; existimo posse me fide integra quippiam aduersus eum moliri, aut scribere. Illud mihi quidem nouum & mirabile visum est, eum ipsum Regem, qui illum homine alieno beneficio ornare conabatur: suis & maiorum suorum beneficiis, quæ ab regia liberalitate iam diu erant profecta, eum spoliasse, & priuasse. Scito enim duo vel præcipua oppida fuisse illi adempta, & ad Regiam ditionem reuocata, quæ ipse & maiores sui tenuerant. Quanquã hęc lex non illi soli proposita est, sed omnibus ad quos quoquo modo Regũ beneficia eiusmodi his ducẽtis annis peruenerunt; vt cogantur cuncta restituere, & quicquid illud est, quod ius aut nomen obtineat oppidi, id remittere regi. Quod vtinam hactenus tentatum sit, neq; transeat ad sacerdotes. Quod si accident, non mirabor, quando qui istic regnant, nomen fortunatq; sacerdotum omnibus modis dilacerandas præbent. Qui enim sancti apud cæteros, & venerabiles esse possunt, si a tutoribus suis sic despiciuntur? Quòd repugnantiam epistolarum mearum fidemq; testimonij, quod ego vnius hominis reprehensioni primum, deinde laudi præbui, excusaris apud summum Pontificem, veramque rationem in excusando adiunxeris: non dici potest, quam mihi feceris gratum. Nec in eo tamen humanitate solum & beneuolentia erga me vsus es, sed summa etiam & singu-

lari sapientia. Nam aut necesse est, si hæc permittitur testimonij mutatio, eos qui aliquando peccarent, nunquam rectè facere, aut eos qui semel accusando scripserunt, non rebus, sed hominibus semper inimicos esse. Ego verò hominem quenquam odisse, nunquam duxi esse sacerdotis. Rebus autem amicum aut inimicum esse, prout illæ res bonæ malæue sint, arbitror esse hominis, & Reipub. commodo, & suo officio consulentis. Itaque si (quod nolim) aliquid accidat eiusmodi, quo mihi denuo testimonium mutandum sit, non id facere verebor: neq; aliquam extimescam culpam, vbi veritas mecum steterit. Quapropter te vehementer rogo, vt repetito cum summo Pontifice de his rebus sermone, sensum hinc animi mei totum illi aperias. Glaucerium nostrum, hominem tua beneuolentia dignum, quòd benignè honorificéque tractaris: facis tu quidem semper quod virtus postulat tua, naturaque plena humanitatis ac comitatis. Sed ego totum illud tributum mihi intelligo, maximasque tibi de eo habeo agoque gratias: quanquam hoc officio mihi sæpius vtendum est, ita de me assiduè insigniterque mereris. Solùm ex omnibus tuis dictis ac factis aliquantum mihi molestum illud fuit, quod meis familiaribus affirmasti, nescio quid te de me, & de honore meo cogitare. Quæso humanissime atque optime Triulti, an nondum cognosti mentem meam, qua ab omni mutatione fortunæ atque status nihil est abhorrentius? Vtinam mihi incolumitas hæc aliquandiu maneat, qua nunc diuino beneficio fruor: cæteris rebus omnibus sum beatissimus. Nec de beatitudine illa, quæ maximè meæ professioni conueniret, si essem is, qui esse deberem: sed de hac humana felicitate loquor. Quid enim mihi abesse potest iucunditatis ac lætitiæ, qui hac conditione fortunæ in qua sum positus, summè contentus sum? quin & in animo meo pacem, & in populis mihi creditis beneuolentiam, & in studiis meis admirabilem voluptatem, & in omni parte actioneque vitæ auream illam mediocritatem & consecutus sum, & quoad licet cõseruo. Noli me, oro, in illos fluctus ex hoc portu reuocare, neque mihi iniicere huiusmodi scrupulos, qui me (mihi crede) admodum stimulant. Demus potius operam, vt illis præclarissimis honestissimisque artibus, in quibus elaborauimus vsque a puero, dignum laborum præmium immortalitatem consequamur. In quibus ego te absentem cogitatione mea complector: habeoque iam paratum locum, vbi fidem illam citò præstem, quam cum Carpentoracte discederes tibi dedi. Ad hæc tu me adiuua, & suscipe causam hanc multò accommodatiorem mihi. Quod facies si me amaris, & rebus omnibus tuebere, & quod præcipuum omnium est, meæ tranquillitatis fueris patronus. Vale. Carpentoracti, III. Nonas Maij, M. D. XXXII.

IA.

IACOBI SADOLETI EPISC. CARPENTORACTI EPISTOLARUM Lib. VII. Epist. I.

IAC. SADOLETVS EPISC. CARPENT. *Benedicto Accolto S. R. E. Cardinali S. P. D.*

COGNOVI ex literis meorum, qui in vrbe sunt, te, (quod magnæ voluptati mihi fuit) saluũ & sospitem ab alienis oris, quò fueras horribili tempestate compulsus, Romam reuertisse: neque solùm vrbi illi afflictæ & mœrenti lucem tuæ virtutis & dignitatis attulisse, sed nobis quoque qui longè absumus, declarasse, quàm esset memor veteris amicitiæ, & quam propensus ad inseruiendum commodis & vtilitatibus nostris animus tuus. Sic enim mei ad me scribunt, te ita cum eis de me collocutum esse, nihil vt prorsus fieri potuerit amantius. Quod etsi nunquam dubitaui, quin ita esset, confisus constantia & humanitate tua: tamen nosse quotidie magis, reipsa experiri, saluũ mihi esse præsidium amicitiæ apud eum, quem & dilexi semper præcipuè, & colui, mihi est gratissimum. Itaque quod ad parteis meas attinet, sic tibi velim persuadeas, ex his qui te obseruant & colunt, quorum maxima est pro tua amplitudine & liberalitate multitudo, nemini me concedere, neque in officio, neque in beneuolentia, neq; in recordatione pristinæ necessitudinis, neque in tuarum præstantium virtutum laude & celebratione. Dignitati verò tuæ hoc minus multis verbis in hoc tempore gratulor, quòd & mea tibi est sat perspecta voluntas, & honor ille non certior in te, cùm tibi datus est, quàm antea, cùm speratus atq; præuisus. Et mehercule etiam, quòd tempora eiusmodi sunt, vt honori ipsi magis ex tua persona, quàm ex eo tibi videatur esse gratulandũ. Quapropter hoc tantùm dico: omnia quæ ad decus, & ad amplitudinem tuã pertinent, non minus grata atque optata accidere in te mihi, quàm si in ipsum me collata essent. Quanquam habeo ego quidem id quod maximè semper expetii, honestissimum otium, quod totum à me in regenda Ecclesia mea, & recolendis optimarum artium studiis summa cum animi voluptate consumitur. Tu si ista erga me voluntate perpetuò fueris, nosque absenteis tua fide & patrocinio tueri perrexeris, maximo me honore & præmio affectum esse arbitrabor. idque vt facias, te vehementer etiam atque etiam rogo. Vale, & patrium tuum hominem amplissimum meis verbis saluere iube. Carpent. XVI. Calend. Iunij, M. D. XXIX.

II.

BENEDICTVS ACCOLTVS S. R. E. CARDInalis, Iacobo Sadoleto Episc. Carpentoracti S. P. D.

NIHIL gratius, nihil iucundius accidere mihi potuit tuis literis. Tum quòd eas legens videbar tecum esse, quem loquentem audire semper mihi magnæ voluptati fuit: tum quòd erant plenissimæ & officij, & humanitatis, cum præclara significatione tuæ erga me voluntatis. Quæ etsi mihi iam antea perspecta erat, tamen quòd eandem illam absens ostendebas, quam omni tempore præsens declaraueras, fuit mihi summoperè gratum. Non quod de tua constantia dubitarem: sed illius commemoratione sum maximè delectatus. Ego autem, quod præclare nosse debes, te ab ineunte ætate dilexi, fecique semper plurimi, neque solùm excellentem illam doctrinam tuam, sed grauitatem etiam, & prudentiam sum admiratus. Et, quod iudicium meum fuit de virtute tua, te vnum mihi in omni vita ab initio imitandum proposui. Quòd si eò quò tendebam, accedere non potui: tuum tamen in me studium cum paterna beneuolentia coniunctum, in eo nunquam defuit. Quæ res ita in animo meo residet, meque ita admonet, vt me tibi plurimum debere profitear. Quod cùm ita sit, persuasum tibi esse potest, omnia quæcunque in me sunt, quemadmodum etiam dixi tuis, ad commoda & dignitatem tuam prompta esse, atque parata: meque nullum vnquam officij genus prætermissurum, quod vsui possit esse tuis rebus. Tu quum perfunctis magnis laboribus, eò te receperis, vbi arbitrato tuo in literis, & cum dignitate viueres, non possum non probare otium istud tuum, quod & tibi honestissimum, & nobis fructuosissimum est futurum. Sed scito, res nostras hic te maximè desiderare: quibus profectò si adesses, plurimum opis afferre posses virtute tua. Et mihi imprimis gratissimum faceres: cuius ego quotidiana consuetudine, hominis omnium præstantissimi, quam familiarissimè vti vellem. Sed viro prudenti non audeo consilium dare. Patruus meus tibi salutem reddit. Vale, & me quod facis ama. Romæ XII. Calend. Iulij, M. D. XXIX.

III.

IAC. SADOL. EPISC. CARPENT. B. Accolto S. R. E. Cardinali S. P. D.

NIHIL recordor permultis hisce annis mihi accidisse gratius, neque optatius, quàm tuas nuper literas: plenissimæ enim fuerunt amoris, suauitatis, officij. Quodque ad præclaram

iam lau-

tim laudem tui præstantis ingenij pertinet, eo modo scriptæ, vt purius, aut elegantius, quod me legisse meminerim, habeam profectò nihil. Itaque duplici ex illis gaudio affectus sum. Nam cùm omnis tuæ erga me voluntatis significatio pergrata: tum verò orationis nitor, & verborum ac sententiarum venustas, quam in scribendo adhibuisti, mihi vehementer iucunda extitit. Simul enim intelligebam legens, & quàm tu de me amicè honorificè q; sentires: & in eo explicãdo, quam tu existeres dignus, vt de te ab omnibus præclarè ac mirabiliter sentiatur. Nam illa tua dulcis commemoratio superiorum temporum, repetita propè ab vltimo, & perducta in hoc vsque tempus, cum illustri testificatione tui de me iudicij, perpetuæq; opinionis, tantam mihi lætitiam attulit, & voluptatem, vt eam verbis consequi non possim. Planè enim perspicio, id quod his temporibus rarum est, in homine præcatum potente, firmam manere apud te amicitiæ fidem, per quam amici, quamuis absentis, memoriam beneuolentiamque conserues. Sed profectò illud verum est quod dici solet, eum qui bene à natura ad amplexandam laudem constitutus sit, omnes facilè in animo comprehendere virtutes. Quam ego ingenij indolem in te intuens, iam tum à primo, cùm etiam penè puer me tibi adiunctum in amicitia esse voluisti: cœpi sperare continuò magna, eaq; de te feci iudicia, quæ postea euentu ipso comprobata sunt. Etsi in eo quidem omnes decepti fuimus, quòd spem opinionemq; nostram, tuamq; vnà ætatem, virtus ipsa in te longè antecessit. Verùm hæc ad exponendum longius fortasse tempus & copiosiorem desiderant orationem. Quæ autem sunt officij, & exposita alias sunt, & nunc breuiter sic exponantur: vt scias, nihil mihi esse magis in optatis, quàm tibi persuasissimum esse, me inter tuos, qui pro tua dignitate & summa liberalitate permulti sunt, maximè omnium esse tuum. Id quibus aliis officijs possit declarari, si sciuero, non committam vt meum vllo in loco studium requiratur. Hoc quidem ipse per me præstabo semper atque efficiam, vt neq; singularium tuarum laudum commemorationem, neque tuorum de me meritorum memoriam, quæ quidem hoc recente testimonio tuæ erga me tantæ voluntatis cumulata sunt, illa vnquam mihi ex animo aut ex ore ætas deleat. Quòd si hoc otium, quo ego maximè delector, & quod tu (quanquam te consuetudinem meam desiderare præ te feras) non probare tamen non potes, Deus mihi fortunauerit: dabo operam profectò, vt me neque in amore, neq; in fide amicitiæ, posteriores ferre parteis aliqua in re intelligas. Vale, & nos absentes tuere. Carpentoracti, XVIII. Calend. Septembris, M. D. XXIX.

IV.

IAC. SADOLETVS EPISC. CARP. Benedicto Accolto S.R.E. Cardinali S.P.D.

NON putaui me contra officium esse facturum, si tuam beneuolentiam & studium erga me, quod multis locis fæpe sum expertus, ad omneis res, quæ ad me ipsum pertinerent, tua ope conficiendas, familiariter aduocarem. Nam neque est omnino quicquam, quod mihi ego de te non pollicear, & tua egregia præstansque liberalitas ea est, vt nos, qui te plurimum & obseruamus & colimus, iam pro nostro iure propè illa abuti posse videamur. Verùm id quod peto, huiusmodi est. Antonius Cornazanus, qui mea Romæ negotia procurat, vir probus & fidelis, & in omni officio retinendo imprimis diligens, mihi est propter virtutem & fidelitatem charissimus. Eum ego valde mehercule optarim reuerti ad nos, solitaque officia & munera obire mecum, quæ semper mihi ab illo grata acciderunt: quod etiam ipse non nollet. Sed cùm propter causas quasdam vel notas tibi, vel certè non difficiles cognitu, eius ad nos reditus hoc tempore videatur esse intercluſus, in que hac re, quæ sanè incommoda mihi est, illud tamen possit inesse commodi, quòd in vrbe remanens, nostra obire negotia, & si quid mea interfuerit, quod vsu venire indies singulos potest, te ipso quidem patrono & defensore, id expedire ac transigere, plurimasque mihi in eo operas vtiles atque oportunas præbere poterit: statui, quod necessariò erat faciendum, ad id meum quoque consilium & voluntatem adiungere. Itaque ei permisi, vel potiùs eum hortatus sum, vt Romæ domicilium habere institueret, nec apud alium tamen, quàm apud cum, cuius ego (si istic essem) domo & contubernio potissimùm vterer. Apud te, inquam, tua vt esset in familia, mihi proponere cœpi. Nam nec honoratiorem sibi dominum, neq; maiore apud cunctos dignitate, in me ipsum beneuolentia, quàm te, habere illum posse intelligebam: nec verò cuius & animus & autoritas meis rebus esset paratior. Quapropter cùm res sic sese habeat, equidem quod mihi abs te petendum est, quo id pacto petam non satis reperio. Si peto audacter & liberè, timeo ne nimis confidens: si religiosè & prudenter, ne vllius animi esse videar. Ita alterum meus pudor, alterum tua liberalitas, & nostra videtur coniunctio repudiare. Sed si ego in omni vita præcipuum comitem mearum actionum, consiliorum, voluntatum, pudorem semper esse volui: nihilque mihi fuit antiquius, quam eum retinere perdiligenter, in quo ornamentum totius vitæ mihi decreui esse positum: paticris tu, quæ tua est humanitas, tea

me re-

me rogari atque orari: quod equidem ago ſtudiosè, ac vehementer, vt familiarem meum virum optimum, quem ego multis de cauſis mirificè diligo, tuum familiarem eſſe velis: ſtatuasque eo apud te domi habendo, mei quoque abſentis partem non paruam te habere: quippe cùm crebrior multò futura ſit, & tuorum beneficiorum inſtauratio erga me, & ſignificatio meæ perpetuæ erga te voluntatis: quæ quidem illo interprete quotidie magis tibi declarabitur. Sed vereor ne quod modicè, & cum religione me rogaturum dixeram: id iam non rogare, ſed efflagitare videar. Quare plura hæc fortaſſe quàm opus fuit. Illud tantùm adiungam: ſi hominis opera & obſequio vti inſtitueris, magnam te ex eius fide & diligentia commoditatem eſſe capturum. Mihi verò ita gratum facturum, vt tua quotidiana merita erga me, quibus ego tibi me deuinctum eſſe confiteor, hoc etiam facto non parùm cumulata futura ſint. Vale. VIII. Calend. Octob. Carpentoracti, M.D.XXIX.

V.

IAC. SADOLETVS EPISC. CARPENT.

Benedicto Accolto S. R. E. Cardinali S. P. D.

NON reperio verba, quibus tibi agam pro tua eximia ac pręſtanti erga me voluntate gratias: quam tuis diſertiſſimis literis præclarè declaraſti. Voluntate autem dico? quis vnquam illuſtrius, & certioribus factis oſtendit, alterius honorem ſibi eſſe cordi, quàm tua erga me non dicam facta, ſed merita iam complura ſunt. Nam quòd fidem amicitiæ mihi abſenti pręſtas eandem, quam pręſenti olim officiis omnibus pręſtitiſti: neque officit animi tui quaſi luminibus, altitudo & fortunæ, & dignitatis tuæ, quò minùs me reſpicias, in eodemq; habeas loco, quo antea habere eras ſolitus: ſit hoc virtutis, ſit conſtantiæ, & animi magnitudinis tuæ. Quæ verò in ipſum me contuliſti multa & magna non amoris ſolùm indicia, ſed ſummæ etiam liberalitatis, quibuſnam ipſe verbis, aut quo dicendi genere ſatis exprimere poſſim? Quòd fauiſti mihi videlicet ex animo ſemper: quòd mei abſentis famam & nomen aduerſus maleuolos homines & alienæ laudi libenter obtrectantes, ſtudiosè tutatus es, quòd meis, & meorum amicorum, affinium, familiariumque negotiis, nunquam tuum patrocinium & autoritatem deeſſe paſſus es, nemoque apud principem pro me aut ſępiùs interceſſit, aut vehementiùs: quęſo, iſta omnia quanti? pręſertim à tanto viro tanta autoritate, tanta eloquentia, tantis ornamentis honoris, fortunæ, ingeniique prędito? Quibus tamen contenta temeritas mea non fuit: auſus enim pręterea ſum (quid enim mihi non daret auda-

ciæ bonitatis tuæ fiducia, & opinio tui erga me amoris) ausus sum, inquam, cùm hominem vnum ex meis Romam mitterem, qui mea ibidem negotia gereret, collocare eum domi tuæ, & tanquam meo iure velle, vt is tuo sumptu atque impendio meis rebus deseruiret. Quam quidem meam temeritatem in eum modum tua liberalitas excepit, vt quòd audacter feceram, sapienter feciſſe viſus ſim. Nec ſolùm tu opibus tuis difficultates meas leuaueris, ſed etiam virtutibus vitia obſcuraris. Atque hęc cùm ita ſint, ſcribis tamen ad me amicitiam noſtram ſummis à me officiis cultam, à te ſolùm grato animo obſeruatam fuiſſe. In quo admiratus valde ſum nouam in te quandam atq; inauditam vim humanitatis, qui iſto animo in amicitia colenda ſis, vt cùm beneficia tribuis, accipere te arbitrere. At ego hoc ſolùm mihi reſeruaueram ex omnibus officiis quæ ſunt amicitiæ debita, vt cùm tu me autoritate & patrocinio tuo, cum opera & gratia, opibus etiam tuis foueres & ſuſtentares: ego qui in cęteris tibi par eſſe non poſſem, iſta ipſa de te prædicans, & magnum obligationis vinculum, quo tibi teneor aſtrictus, ingenuè confitens aliquam partem gratiæ referre tibi viderer. Quam ſi tu quoque laudem ad partes tuas rapis, & commutatis nominibus rerum, bene mereri de altero, in te vis eſſe idem ac alteri debere: amabo te mi Accolte optime atq. humaniſſime, quam nobis partem reliquam in officij laude facis? Sed ego ne ſim ſaluus, ſi non contendero omni mea ope, atque elaborabo, vt mea quoque officia & ſtudia erga amplitudinem tuam, etiamſi minùs propter ſtatus noſtri mediocritatem, eximia magnaque fuerint: ab animo tamen amiciſſimo, & gratiſſima voluntate profecta videantur. Et ſi hoc ipſum quoque, vt mihi maius eſſet ac difficilius Rainerius meus fecit, qui nuper abs te reuerſus, non deſtitit adhuc prędicare, nullum genus humanitatis liberalitatisque fuiſſe, quo tu non illum vberrimè atque amantiſſimè proſecutus ſis. Quod ego totum mihi in illo abs te tributum eſſe ſentio, agoque tibi propterea maximas gratias. Sed quæ ille ad me tuis verbis detulit de ſtudio tuo & cura augendæ dignitatis meæ, id eſt eiuſmodi, vt iſta tua voluntate & in me beneuolentia nihil mihi quidem poſſit eſſe iucundius: rem autem ipſam cùm ætas noſtra iam ingraueſcens, tum ſtudium artium optimarum, in quibus omni tempore verſor, facilè patitur ad alios potiùs accedere, quibus iſta magis cordi ſunt, quam ad me, qui hiſce rebus ſatis perfunctus ſum, & nunc aliud quoddam genus vitæ conſector (vt ego quidem ſtatuo) aliquantò beatius. Ego in omni officio atque amore, tuæque amplitudinis obſeruantia, eam tibi amicitiæ veritate, & id ſtudiũ animi grati polliceor, quod cùm tua

exci-

cellens virtus ac dignitas, meritaque erga me plurima ac maxima, tum autem fides imprimis mea & natura postulat. Vale. Carpentoracti.

VI.

IAC. SADOLETVS EPISC. CARPENT. *Benedicto Accolto S.R.E. Cardinali S.P.D.*

TARDIVS mihi redditæ fuerunt literæ tuæ: eæ enim X. Calendas Septembris datas ego circiter Nonas Octob. accepi. Sed earum lectione mirifica, incredibile est quanta animi voluptate fuerim affectus. Quanquàm quid primum de illis dicam, aut quid collaudem potissimum, nescio. Illud dico, nihil leporis esse, nihil venustatis, nihil omnino humanitatis, nihil benevolentiæ, quod non in illis literis præclarè eximieq; luceat: & cum singularem tuam ingenij ac eloquentiæ laudem, tum amorem tuum erga me perspicuum mihi ponat ante oculos. Sed horum vtro magis sim delectatus, satis adhuc constituere non possum. Iucundior fortassis est amoris & voluntatis illa significatio: sed tua in scribendo subtilitas atq; elegantia multo certè admirabilior. In eo tantum te profecisse, vt ad summam laudem perueneris, nec iam cum nostri temporis hominib. sed cum antiquitate ipsa contendas: gratulor tua quidem mehercule imprimis: sed nonnihil etiam nostra causa. Facilè enim prospicio, cùm extare iam inciperit, quis tu homo, quanti me facias, fore, vt hoc tuum de me iudicium magno mihi ornamento apud omneis sit. In summa tibi hoc persuasum esse volo, nunquam quicquam me legisse his literis tuis, quas proximè accepi, castius, purius, liberalius. Itaque tum ne hortor quidem, vt omnia summa tibi proponas, atque ea statuas, dignitatem tuam, quam ego intelligo esse maximam, non minus ex his optimis & præclarissimis artibus, quam in omni honore & præmijs fortunæ existere. Tua enim excellens & eximia virtus hortatione non indiget. Sed ego, quod propium mei amoris in te fuit, & optaui semper te intueri talem, qualem nunc aspicio, & mei optati ac voti compos factus, iure meo triumpho atq; lætor. Habeo enim id quod maximè optandum homini est, amicissimum meũ omnibus & fortunæ & ingenij bonis ornatissimum. Verùm hęc hactenus. Nam nec pluribus agere verbis de eis necesse est, & tantum quantum in te est, non potest tamen explicari. Quòd acceptorum beneficiorum commemorationes, actionesq; gratiarum, ac cętera eiusmodi amicitię verecũdioris officia, auferri iubes ex literis nostris, libereq; inter nos & perfamiliariter agi: agnosco magnitudinẽ animi tuam, qui fructum liberalitatis tuæ in ipsa liberalitate constituas. Nam

Nam si scriptioni & operæ parcendum sit, mihi consulitur vni. Meæ enim illæ erant partes agendarum gratiarum: meum munus, in quo nec par quidem tibi esse poteram: cùm tu de me bene merendo, ego tibi gratias agendo, quotidie inter nos quasi certaremus. Sed vt tunc liberalitati & benignitati tuæ, sic nunc voluntati bonitatique concedo: patiorque ea à me silentio præteriri, quæ alioquin prætereunda non esset: nisi hoc mihi tu pollicerere, quod tamen pollicereris, te animum meum gratum & memorem non secus habiturum. De publicis rebus vtinam aut tu mihi nunciares lætiora, aut ego his quæ grauia impendent, aliquid opis ferre atque auxilij possem. Voluntas certè mihi non deesset, neque adeò etiam tibi. Nec verò tantum vllum esset periculum, tantus labor, quod nos pro salute & statu Christianæ Reipubl. defugere vellemus. Sed cùm neutrius nostrum sit potestas, cùm res eò deducta sit, vt omni cogitatione dignitatis iam dimissa, reliquæ salutis spem non in consilijs nostris, sed in incertis euentibus rerum totam reposuerimus: quid attinet solicitudinem capere velle de his, quæ nec prouideri à nobis possunt ne accidant: nec cùm acciderint vitari? Vna est ratio opitulandi reliqua: quæ sola mederi ijs incommodis queat: quam tu sanctissimè, & prudentissimè commemoras: si fortè Deum nostri misertum sit. Etsi de eo quidem non dubium est, quin ad miserendum sit paratus. Potius, si fortè bona fide nos aliquando ad illius opem & misericordiam studeamus confugere. Nam de ostentis & prodigijs, quæ multa scribis & mira Romæ inspecta partim, partim aliis ex locis nunciata fuisse, sanè ego quam minimum laboro. Quo enim portentorum significatione opus, cùm quæ è talibus solent significari damna, mala, incommoda, quotidie sentiamus? quæ satis ipsa portentum sibi sunt: nec ab aliquo disiuncto monstro, sed ex se ipsis non magis portendunt, quam inferunt calamitatem. Nihil certè nouarum cladium iam expectamus, quod non antè fuerimus experti: nisi fortè vniuersus impendet interitus. Sed hæc Deus viderit, in cuius manu sunt omnia. Nos damus operam quoad possumus, vt domicilium ibi nobis præparemus, vbi tantùm datur verè viuere: ne cùm ex his locis fuerit migrandum, velut re noua atque inopinata perturbemur. Ad quod magna nimirum opus est non solùm cura, verùm etiam felicitate, & apud Deum gratia. Habemus multa vt homines, quæ nos interpellent, verùm tamen adnitimur. Tu qui in illis fluctibus versaris, qui sunt ventis pluribus expositi, maiorem artem & constantiam adhibeas necesse est. Quod ipsum tamen tuæ virtuti præstanti & singulari futurum est non difficillimum. Quod reliquum est, ego meum in te amorem, insignemque obseruantiam summa cum pietate conseruo. De tua voluntate

erga

erga me prorsus sum persuasus. Omnia tibi prospera & fausta euenire opto. Tuis opibus & facultatibus cùm vsus venerit, perinde vtar, vt meis. Denique tibi confirmo, nec habere te quenquã, qui te magis diligat, quam ego diligo: & me cui plus confidam, quàm tibi, reperire profecto neminem. Vale. Carpent. XVII. Calend. Nouemb. M.D.XXXI.

VII.

BENEDICTVS ACCOLTVS CARDINAL. Iacob. Sadol. Episc. Carpent. S.P.D.

CVm mihi nihil soleat in hac disiunctione nostra non solùm iucundius, verùm etiam vtilius accidere, quàm tuæ epistolæ: vereor ne illud mihi sæpius, penè quodam fato, accidat perincõmode, vt siue tabellariorum negligentia, siue meis occupationibus, serius quàm ego vellem meæ ad te literæ perferantur: mihique propterea fructu iucundissimo atque vberrimo tuarum epistolarum diutius sit carendum. Nam etsi nihil statuam esse tanti, vt cum his honestissimis sermonibus, quibus absentiæ nostræ desiderium per literas suauissimè lenire consueuimus, sit conferendum: tamen ita negotiis quibusdam odiosis, atque adeò importunis, his diebus proximis distinebar, vt quod in superiore mea epistola tabellariorum culpa est commissum, vt tibi tardius redderetur: nunc planè sit effectum mea: qui ex illis molestiis non valuerim tantam demere temporis, quantum ad rescribendum ad dilectissimam illam tuam epistolam plenam singularis tui erga me amoris, quam ad me XVII. Calend. Nouembris dedisti, satis esset. In qua tanti me à te fieri animaduerti, vt qualem me esse cupio, talem tu illustribus quibusdam amoris notis, pigmentisque lectissimis mirificè expresseris. Quod quamuis ab incredibili tua in me beneuolẽtia profectum agnoscam: amplissimum tamen illud, atque insigne tuum de me testimonium quanti à me fieri oporteat, quantumque ornamenti apud omnes bonos mihi sit allaturum, facilè intelligo. Itaque cùm tibi omnia me debere antea profiterer: nescio quo pacto magnus nunc (quod minime iam posse euenire putaueram) innumeris singularibusque tuis erga me officiis, hoc etiam nomine sit additus cumulus. Atque vtinam aut ea quæ tu de me amicissimè sentis, præstare possim aliquando: (dano equidem in eo sedulò omnem operam) aut cæteri tibi tantùm per assentiantur, dum mihi facultas maior ad te pro tua singulari eximiaque virtute, egregiisque in Christianam rempublicam meritis, ornandum atque augendum detur. Tunc enim in magnitudine mei erga te amoris immẽsa atque mirifica tibi declaranda plenissimè mihi ipsi satisfacere posse confiderem.

Quod

Quod verbis, aut scriptione prosequendum non puto. Nosse lùm quòd eam esse volo animorum nostrorum coniunctionem, vt re & beneuolentia, nõ verbis inanibus confirmetur: sed etiam quòd in ea summa voluptate, quam ex tuis literis capio, ita pun simis illis atque amplissimis admirabilis tuę eloquentiæ splēdo rib. mei ingenioli prestringitur acies, vt nisi ab illa tua in omne scorsumq; in me insigni humanitate recreer, planè deterreat scribendo. Verùm de his hactenus. De rebus publicis, est quod ti tius quiddam tibi possim hoc tempore significare, ex eisdem nim qui hac æstate proxima nuntiabant maximum illum Tur rum motum, nuper accepimus, ea quę ab illis nunc nobis impe dent, multo esse commodiora. Nam scribunt, Turcas ipsos bo nam illius bellici apparatus partem ad mare rubrum esse co uersuros: vt per illud oceanum Indicum validissima clade o lati, impediant Lusitanos, qui ad Indos aromatum gratia solu sunt commeare. Quod etsi nobis aliquid sit allaturum incon modi, summæ tamen Christianæ reipublicę Dei Optimi Ma mi immenso erga nos amore, ita consultum vides, vt cùm è fa cibus penè fati erepti ac planè conseruati esse videamur: tum e iam aliquid nobis superfit spatij in eas cogitationes incumbend quæ sint & tantis nostrorum temporum acerbitatib. aptissim & antiquo Christianæ pietatis decore dignissimæ. Quod vtinam à nobis non prætermittatur, & his quæ quasi dormientibus po bis à diuina clementia sunt concessa, negligentiores non efficia mur: sed ad ipsius Dei Optimi Maximi opem (vt est in tuis literi bona fide confugiamus. Cùm enim nullum tempus pietati & re ligioni aptum non sit, tum id magis est necessarium, quo maio in nos illius elucet benignitas, ne ipsius misericordia frustra ea dat: sed ad ea potius pericula, quæ premunt, leuanda allicia Aut si quid acciderit, nobis ad salutem tranquillitatemque pe petuam iter patefaciamus: neue quanto ille benignior fuit nobis conseruandis, tanto sit in illis puniendis iratior, si quo tot tantaque beneficia pro maleficijs habuisse animaduerti rit. Nam cùm sæpe antea ipsius Dei Optimi Maximi immen nostrarum rerum cura extiterit: tum verò non dubijs figmen tionibus (si modò ij erimus, qui esse debemus) sperare nunc po sumus, illum non solùm tantam malorum molem ab exte hoste Turca iam pridem imminentem, à ceruicibus nostr esse remoturum: verùm etiam eas omnes, quæ nuper à domes cis proditoribus, quos hæreticos appellant, per vniuersum fer Christianum orbem delubris templisq; sanctissimis nefario fe lere subiectæ sunt faces, ab ipsius præsente numine restinctum ri. Quis enim non videt ea quę superioribus mensibus ab He tijs qui Catholicam fidem nobiscum vnà retinent, aduersus re

eque

quos eius gentis pagos qui à recta religione desciuerunt, duobus magnis prælijs sunt gesta, sine ope diuina geri prorsus non potuisse: cùm enim magna ipsorum pars teterrima illa impietatis labe dudum esset contaminata, (Nam ex tredecim pagis, quinque tantùm in fide permanserunt) decreuerunt illi, qui numero superabant, vi & armis ita cogere quinq; pagos veræ religionis amantissimos, vt illos suæ perfidiæ socios sibi adiungerent. Cumque iam res (vt te audisse non dubito) ad manus deuenisset, primò in prælio octingenti ex nostris maximo Christianę pietatis studio inflammati, paulum extra aciem, quæ ex octo tantum hominum millibus constabat, primi procurrere, incredibiliq; virtute & fortitudine viginti hostium millia sunt adorti. Quos continuò, cæsis hominum amplius tribus millibus, & totidem ferè captis, qui proiectis armis mortẽ supplices sunt deprecati, in fugam cõiecerunt. Cuius victoriæ cursui quamuis nox magno fuerit impedimento, pręliumq; diremerit: in eo tamen illud maximè salutare accidit, & prędicandũ, quòd cũ hostes rem esse in angusto animaduerterẽt, eos omnes quorũ opera & artificijs plebs fuerat concitata, in primam aciem coegerunt procedere. Quod vbi sine mora facere, vel vt suis adderent animos, vel quòd ita necessitas postulare videbatur, minimè recusassent: interfecti sunt noti ferè omnes tantorũ scelerum & perfidię autores, inter quos ceciderunt quàm plurimi sacerdotes, qui abiurato veræ religionis cultu, sese in Satanæ famulatum coniecerant: repertusq; etiam multis vulneribus confectus Zuinglius qui primus ad Heluetios attulit pestifera Lutheranorum dogmata: eisq; ob singularem, qua maximè inter Heluetios florebat, opinionem virtutis, doctrinæ, & sapientiæ, assiduè imperitorum animos imbuebat: cognitumq; postea est, pagum qui Tigurinus appellatur, quique omnium illorum infidelium habetur caput, ex CCC. senatoribus, ad septem tantũ, eo confecto prælio, esse redactum. In quo triginta tantũ pedites à nostris sunt desiderati: relataq; sunt ex pugna ad pagum Lucernensem (qui itidem fidelium Heluetiorum est facile princeps) complura signa militaria: inter quæ fuit vexillum maximum pagi Tigurini, & tormenta muralia XIX. quadringentaq; castrensia. Hoc prælio inter hæreticos nuntiato, quanquam nulli erat dubiũ, quin illa omnia Dei Optimi Maximi felicissimis auspicijs à nostris essent confecta, mireq; ipsius Zuinglij interitus hostes perterruisset: multitudine tamen & numero suorum cõfisi, iterum prælio decertare, rursusq; fortunam experiri decreuere. Itaq; breui redintegratis viribus delectisque ex omnibus pagis, teterrimo illo scelere imbutis, & in vnũ locum coactis, hominũ millibus circiter triginta: additisq; præterea Germanorum auxilijs, qui superiore prælio nõ pugnarant

interesse, in nostros castra mouerunt. Quibus cùm nostri appropinquassent, subitò & præter omnem spem hostium, concursu tam acri in eos impetum fecerunt, vt eum modò hostes ferre non potuerint. Itaque primùm loco pulsi, deinde dissipati, postremò uersi terga verterunt. Quos nostri insequuti, compluribus captis, magnum eorum numerum trucidarunt: multos quoque eis repentinus suorum terror, ac fuga, in quasdam locorum angustias compulit. Quibus intercluſi, ex præruptis altissimisque rupibus, nostris vrgentibus, se præcipitauerunt. Hoc prælio nostris felicissimè confecto, rursusque hostibus profligatis, & insigni clade affectis, cùm Lucernenses, qui vt supra memoratum, inter quinque pagos fideles in maximo habentur honore, aliquot oppida ab hostibus occupata recepissent, ea qua Christianos decuit vsi mansuetudine, ac lenitate, legatos de communi quinque pagorum concilio ad Tigurinos miserunt: qui testarentur, se quæcunque feciſſent, nullis priuatis inimicitijs, sed tantùm veræ religionis causa feciſſe: neque quicquam aliud petere suis armis, quàm vt ad auitum sacrorum morem rediretur. Quæ cùm æquo animo Tigurini, Dei (vt ego arbitror) ira perculsi, accepissent: omnes qui pertinaciores in eiuranda impietate sunt visi, confestim è pago expulerunt, seque Lucernensibus & aliis fidelibus adiunxerunt. His de rebus heri in senatu recitatæ sunt, magna omnium lætitia, literæ Episcopi Verulani, quem illuc Pontifex Maximus legatum miserat. Quibus nobis magnam spem facit, cùm vnus omnino sit hic pagus Tigurinus, cuius auctoritate reliqui, qui à communi religione & Christiana pietate discesserunt, contineantur: fore, vt breui dimissa pristina errorum pertinacia, cum pagis fidelibus se coniungant. Quod si euenerit, tanto futurum est Cæsari adiumento in eo conuentu, quem pro sua summa pietate & religionis studio, ad abolendum, aut si id fieri non poterit, aliqua saltem ratione, reprimendum impium Lutheri scelus, aliaque hæresum monstra cõcienda, quæ ex letali illo, ac pestifero fonte per omnem Germaniam longè lateque fluxere, ad Calend. proximas Febr. Ratisbonæ indixit, vt ipsum multò commodius, maiorique existimatione & dignitate, tantis vulneribus Christianæ reipub. Deo bene iuuante, mederi posse sperãdum sit. De rebus vrbanis nihil est quod scribam: nam & pleræque eodem loci sunt, quo reliquisti, & si quid præterea noui sit, puto tę ab aliis certiorem fieri. Itaque venio ad postremam epistolæ tuæ partem, in qua de vitæ tuo instituto grauissimè scribis. Qua perlecta in eadem opinione continuò fui: eaque e non modò eximiam quandam, & singularem pietatem, religionemque præ se ferre mihi est visa, verùm etiam iucunda accidit & salutaris. Cum enim semper iudicauerim hæc fortunæ mẽbra, diuitias,

diuitias, honores, dignitates, inania esse & caduca, magisque ad laborem & pericula, quàm ad salutem valere: semperque statuerim, ipsius Dei cultum, & salutem animorum longè his esse præuertendam, tamen vix dici potest, quàm hæc mea mens tuo iudicio sapientissimo, monitisque grauissimis fuerit confirmata, atque dum ea mihi spes propterea non euanescat, quæ me mirificè sustentat: fore, vt habita (quod dudum oportuit) eximiæ multiplicisque virtutis tuæ ratione, huc ad nos quandoque redeasegoque hanc vsus & congressionis tuæ intermissionē, quod ad mihi per tua tempora licitum fuerit, assiduitate & diligentia facere possim. Dum igitur spes ista non extenuetur, non solùm approbo sanctissimum istud tuum propositum, quo solo ad æternam domum recta peruenitur via: verùm quantum potero eniter ipse quoq:, atq; à Deo Opt. Max. assiduis precib. contendam, vt tandē aliquando vtar pacatis fluctib. quò mihi securus ad verā tranquillitatem muniatur cursus. Interea si quid est, quod me tua aue cuiusquam tuorum causa curare oporteat, id tibi ne pollicenti quidem videtur, cùm & voluntatē meam tibi satis notā esse intelligam, & ea quæ restant, re tibi magis quàm verbis me probaturum confidam. Vale. Prid. Id. Decemb. 1531. Roma.

VIII.

IAC. SADOLETVS EPISC. CARPENT. *Benedicto Accolto S. R. E. Cardinali, S. P. D.*

EGo humanitatis tuæ, & beneuolentiæ erga me vberes quotidie capio fructus: velut ex his literis, quas proximè ad me ex Iouis Pisciæ sermone misisti. Quam illę amanter scriptę sunt? quam prolixo animo? quàm (vt ita loquar) penè etiam ardenter vt omnis tua in illis mihi gratificandi, & in omnibus morem gerendi, voluntas se ostendit? Non possum tam loqui quàm sentio: id certè, si vllo vnquam tempore tuus aduersùm me animus beneuolus atque constans, voluptati mihi fuit, his sum literis incredibiliter delectatus. E quibus illum tamen fructum vel maximum cepi, quòd meam erga te beneuolentiam, & singularē in omni genere obseruantiam, tibi perspectam & cognitam plane esse intelligo. Etsi enim peroptatum mihi est, me abs te diligi, charumque haberi: illud tamen etiam optatius, meam voluntatem, pari in beneuolentia vicissim tibi reddenda, tibi quoq; esse probatam & gratam, de qua autor sum, vt omnia ex me summa tibi pollicearis, non fallam existimationem tuam. Non enim minor voluptas est probis & constantibus viris, amare, quàm amari: præsertim cùm id iure fiat: sitque in eo iudicij quędam etiam laus, nō amoris solùm, & studij significatio. Quòd quoniam

mihi in te contigit: moriar, ni operam omnem dedero, vt qu
te amo tantopere coloque non solùm tuæ erga me benenolen
relatum, sed tuis multis eximijsque virtutibus etiam tribu
esse videatur. De Paulo quod me hortaris, ego iampridem
ipsum commentor, vt eum mihi socium & adiutorem in
ecclesiæ custodia adsciscam: qui mihi postea succesturus sit.
veritus sum vsque adhuc ætatem eius: nam de Pontificis quid
maximi voluntate erga me, & de tua ope atque opera mihi
ta, non dubito. Nunc verò cùm & annorum satis sit (agit enim
ætatis quartum & vigesimum) & summum eius ingenium, or
mi mores, ac singularis vitæ modestia exornet: maturè iam
deor posse facere. In quo (ita Deum velim propitium) vt
meum de illo iudicium, non tam consanguinitati, & gen
(quanquam ne id quidem non spectatum est) quam virtu
meritis à me tribuitur. Sed de eo te ex alijs malo, quam ex me
gnoscere. Illud quod mea valde interest, à te vehementer pet
cum nemine adhuc rem hanc communices, habeasq; eam to
occultam & tacitam, quoad paratis rebus, tua mihi opera &
toritas requiretur. Quòd confidis in repub. meliora fore, qua
quæ pertimueramus, vtinam quidem ita sit. Ego quid eic
aut quid expectem nescio: in summo timore versor: nihil par
ad succurendum video, quod quidem validum firmumque
Fortunę parum habeo fidei: nostris consilijs vt valeamus exop
Sed hæc quoq; quando ea non sunt muneris nostri, Deo perm
timus, qui vnus omnia potest. Ego superiorib. diebus, quanqua
morbo graui impeditus, ex quo iam tamen conualescere in
dedi ad te literas, quibus ad illas tuas respondebam, quæ vbe
mę atq; ornatissimæ pridie Idib. Decemb. datæ, secundum m
& magnas amoris tui significationes, de Helueticis rebus me
cebant. Quas quoniam vereor ne non tibi sint redditæ, eo
exemplo rescribi iussi, & ad te mitti: non ea me hercule grat
quòd illarum iacturam grauiter ferendam putem: quippe quę
iam scriptæ negligentius (vt ab ęgroto sunt) sed vt perspice
nullum à me tuendi officij, neq. amoris mei tibi declarandi
cum prætermitti. Vale. Carpentoracti, V. Idus Martij. 1532.

IX.

IAC. SADOL. EPISC. CARPENT.

Benedicto Accolto S. R. E. Cardinali, S P.D.

CVM iter hac haberet Didacus Mendoza, qui tibi has lit
reddidit: adolescens summo quidem inter Hispanos gen
& loco, & summa nobilitate: sed ingenio etiam & moribus, qu
maiorum suorum clarissimorum virorum splendore ornat
acc

accidit, vt is mecum diem vnum esset, atque in sermonib. (vt fit) percontanti mihi, quò, & cuius rei gratia hoc itineris susceptisset: Romam inquit, vt bonarum artium studijs ibi operam dem. Quæ cùm responsio mihi præter opinionem meam accidisset (non enim solitis sumus videre ex illis oris ad Vrbem istius rei causa venientes) admiratus, perrexi interrogare reliqua. Tum ille mihi animum suum totum aperuit, ita inflammatum ad eas artes & literas, quas nos optimas appellamus, nihil vt fieri posset ardentius. Hic iam non te puto expectare, dum exponam, quo statim beneuolentiæ studio in illum accensus fuerim. Sum equidem semper propensus ad eiusmodi animos omni mea comitate complectendos. Sed tamen iuuenē hunc intuens, amplissimis fortunis, nobilitate eximia, cognationibus maximis, patriam in qua propè dominaretur, & penates suos relinquentem, peregrinantemq; in alienas & remotas regiones, nullius rei cupiditatis, præterquam bonarum literarum causa: crede mihi, sum nō mediocriter motus. Itaque tempus eius confirmandi & cohortādi non omisi. Laudaui consilium: hortatus sum, vt magno animo incumberet in studia, ad summa contenderet: facilè eum si adniteretur, vel partes primas, vel proximas certè adepturum. Quod hoc maiore cum spe faciebam, quòd videbam eū sine moderatore adhuc & magistro, sua ipsum sponte, solo naturæ bono, tantam iam adeptum iudicandi facultatē, vt Ciceronis imprimis scripta in manibus haberet, ijsq; præcipuè delectaretur. Sed cū ipse me rogasset, vt ad vrbanum aliquem ex meis amicis hominem doctum literas darem, cuius ipse, ad Vrbem cùm veniisset, familiaritate atq; amicitia vti posset: occurristi tu continuò, vel tam doctus, vt excellens: vel ita amicus, vt tibi à me non fides solùm in tuenda amicitia, sed obseruantia etiam debeatur. Itaq; cū eo de te multa locutus sum: dixi quæ sentio: ostendi nusquam eo magis, quam apud te, voti sui futurum compotem: propterea quòd domus tua talium virorum & præstantium ingeniorum cōtuenta præcipuè celebraretur. Annuit gaudens: seq; ad te profecturum primò dixit. Qui cùm hoc animo istuc veniat, vt tibi sit vsui quam coniunctissimus, nihilque omnino aliud abs te præter beneuolentiam tuam expetat: peto à te mi optime Accolte, vt hunc talē iuuenem sic recipias in amicitiā tuam, vt omni illē tua humanitate, quæ profectò summa est, ad arbitrium suum, & quādocunque illi fuerit commodum, perfruatur. Est omnino hoc tuum, & naturę tuę præstantis ac singularis, fauere bonis ingenijs, eaq; florentia atq; honesta esse velle. Sed quod tua sponte faceres in complectendo atq; extollendo hoc adolescente, vt mea quoq; causa studiosè magis & significantius facias, id ego te etiam atq; etiā rogo: imprimisq; vt illi eruditorum hominum beneuolen-

tiam concilies, quorum frequentia & copia semper abundar domus tua. Quod cùm feceris, nam facturum non dubito, vide tibi posse polliceri, tantam te ex adolescentis nobilissimi atq optimi necessitudine, obseruantia, familiaritate, voluptate esse capturum: vt in quo melius tuam liberalitatem comitatemque adhibeas, non sæpe fis reperturus. Vale. Carpentoracti, XI Calend. Iunij, M.D.XXXII.

X.

IAC. SADOLETVS EPISC. CARPENT. *Benedicto Accolto S. R. E. Cardinali, S. P. D.*

EODEM tempore & de tuo reditu ad Pontificem Maximum & de patrui tui viri clarissimi, hominisque sapientissimi, mor te accepi. Quo ego nuntio variè commotus sum. Nam cùm vld mihi lætandum arbitrarer, in eis esse iam locis, in quibus tua excellens virtus & autoritas, & tibi celebritati atq; laudi: & nobi qui in fide tua sumus, teq; vehementer colimus, vsui atq; emolumento esse posset: hanc tamen animi mei lętitiam obturbabat illa cogitatio, quòd intelligebam te funere domestico, & in funere, in quo tecum vnà magnam ornamentorũ & dignitatis suæ iacturam fecisset Resp. non priuatis solùm incommodis, sed propè luctu publico commoueri. Talis enim vir profectò amissus est, vt non solùm qui ex stirpe & genere eodem sunt, proprium illud damnum sentiant: sed & nos, qui vobis semper & vestræ familiæ dediti fuimus, & omnes boni, vniuersaq; ciuitas, communem hanc & suam ducat calamitatem. Etenim re vera vnius in interitu sua cuique pars incommodi & detrimenti inuecta est. Quis enim erat opis egens atque consilij, cui non esset in illius humanitate & sapientia paratum perfugium? quis in ciuili & pontificio iure ita hæsitabat, vt cum accepisset cognosset; illius sententiam, non ea tanquam oraculo contentus, omnes scrupulos dubitationum ex animo suo eijceret? quòd in illo inaudita quædam & propè singularis iuris scientia esse putabatur. Quæ porrò grauitas in eo? quę autoritas? qui cùm propter summam amplitudinem ac dignitatem, omnib. publicis consilijs non interesset solùm, verùm etiam præesset: propter opinionem tamen prudentiæ atque consilij id consequebatur, vt non cũ alijs multis vna, sed propè solus gubernare Rempublicam, & eam suis sustinere humeris videretur. Iraq; & illius potissimum monitis ac prudentia nitebantur summi Pontifices, & omnis penè Italia Christianumq; nomen cunctum consilijs eius acquiescebat. Sed est tanto incommodo, mœroreq; communi, vnius hominis mors omnibus lugenda est: nos tamen qui propiores illi extitimus ta

fami-

familiaritate atque amicitia, quique ab ipso primùm pluribus beneficiis ornati, deinde à te proximo illi & coniunctissimo, omni humanitate accepti semper fuimus, haberemus grauiorem causam dolendi atque mœrendi, nisi nos tua præstans virtus consolaretur. Itaq; ne illas quidem rationes diligenter mihi exquirendas puto, quibus coner quasi leuare dolorem tuum: cùm te hominem egregia animi firmitate præditũ, fidentem eis muneribus, quæ tibi & à natura, & ab industria tua donata sunt, nullaresmolesta de statu tuo dimouere posse videatur. Illa potius commemorabo, quæ non tibi, sed nobis esse solatio queant: hominem eum, qui florentissimè vixerit, summos honores gesserit, summam fuerit gloriam virtutis, doctrinæ, omnisque prudentiæ consecutus, tum autem diutissimè nobiscum versatus sit, in senectute extrema, & in ea ætate decesserit, quæ iam nulli idonea voluptati, tantùm ad labores, & ad miserias sit exposita, non esse defendum velut mortuum: cuius præsertim imago virtutis, & dignitatis, & autoritatis, in te ipso nobis relata sit: vt nihil in illo amissum desiderare possimus, quod non in te nobis reditum cumulatè habeamus. Ac cæteras quidem rationes aptas ad consolandum, quæ ex Deo & religione, & ex illa altera vita cœlesti & immortali afferri possunt, tibi potius considerandas relinquemus, quàm ipsi nobis sumemus exponendas: cùm nihil à quoquam in eam rationem tam accuratè dici possit, quin tu id multò melius scias, magisque promptum habeas, quàm quisquam nostrum. In eo nos potissimum insistemus, atque inhærebimus, vt tibi in te ipso, & in eodem te, nobis omnis consolatio sit posita. Qui dum te habebimus, non sumus neque sine patrono nos, neq; Respub. sine egregio suorum ornamentorum defensore futuri. Quare hoc officio, si non commodè atque ornatè, piè certè, & amanter per me, & illius mortui memoriæ, & nostræ mœrentis necessitudini persoluto: licere mihi iam arbitror de illa altera parte, quæ tota mihi iucunda accidit, hoc est, de reditu tuo ad Pontificem, pauca verba facere. Etenim noli existimare, mi optime Acolte, tuam istam absentiam non mihi nimis diuturnam fuisse visam: quanquam de rebus præclarè gestis, prouinciaque rectè & ordine constituta, cum omnium gratia, & laude, ad nos reuertisse gratulor. Sed tamen non dici potest, quàm mihi videatur Reipub. esse vtile, te in hoc motu rerum, & tantorum congressu principum, ibi potissimum esse, vbi consilio & integritate tua res imprimis publica perfrui possit. Et si in hoc fortasse refero ad me aliquid, qui cùm tu abes, carere mihi videor tutore vel præcipuo omnium fortunarum mearum. Verùm quanquam hoc nonnihil forte est: illa tamen vehementiùs me adducit ratio, vt te optem istic esse, quòd scio quantum in tua virtute & elo-

quentia præsidij rebus communibus constituturum sit. Sed ne de
hoc quidem longior mihi habenda oratio est: cùm præsertim
verear, ne tibi in maiore aliquo negotio impedito intempes-
uus obstrepam: tuasque grauissimas interpellem occupationes.
Illud tantùm addo, me de aduentu tuo, & de laude gestæ consu-
uatæq; prouinciæ tibi ita gratulari, vt cupiam quæ de illis rebus
ad nos perlata sunt, multorum celebrata literis & sermonibus
tamen, quoniam confusè nobis significata sunt, singula melius
nosse ex te, & enucleatius. Cuius rei cùm erit tibi otium, vt facile
præstare id possis, aliquam suscipies curam docendi me, cerno
remq; faciedi. Me quidem certè gloriæ tuæ fautorem, & laudum
prædicatorem amantissimum ac fidelissimum semper habitura-
es. Vale. Carpentoracti, XII. Calen. Februarij, M.D.XXXIII.

XI.

IAC. SADOLETVS EPISC. CARP. *Blosio Palladio suo, S. P. D.*

AMOR meus in te Blosi, qui etsi antea magnus semper fuit,
tamen ex hoc recente congressu nostro factus est ma-
dentior, posteaquam diuturna absentia mea nihil de tuo summo
erga nos amore detractum esse cognoui: non patitur ferre me
moram scribendi ad te, quin quamprimum tibi & salutem nun-
tiem, & Deũ immortalem precer, vt vestra ista nauigatio omni-
bus vobis prospera & salutaris sit. Nam hîc nos quidem eramus
solicito animo, quòd ventos vobis aduersos verebamur. sed in
hac animi cura, & molestia, illa inerat consolatio: quod matu-
mo dimisso cursu, arbitrabamur vos iter pedibus facere consti-
tuisse. Hoc si ita est, nilque accidit vobis incommodi, est cur ma-
gnam Deo verè sospitali gratiam habeam. Nam mihi quidem nil
euenire optatius potest, quam audire & nosse, incolumes vos a
sospites domum reuertisse. Sic enim à vobis digressus sum Ma-
filia discedens, sic in his oris terrisque remansi: vt tamen me-
cum vestrûm omnium memoria & aere desiderium consuetudi-
nis vestræ manserit. Cognoui enim planè, reque ipsa sum experi-
tus, nihil homini esse, vt poëta inquit quidam, homine amico
amicius. Etenim, per Deum immortalem, si vobiscum assidue
fuissem, nullaque intercapedo temporis vsum & familiaritatem
nostram diremisset, qui potuistis maius studium præ vobis ferre
& voluntatem gratificandi mihi? qui tantum mihi à vestra con-
suetudine iam diuulso tribuistis, quantum ego, si in vestris oculis
semper habitassem, vix ausus fuissem optare? Et ego his à vobis
officiis prouocatus, pari vobis pietate & beneuolentia non re-
spondebo? aut posteriores in amando partes ferre me patiar?

morime millies malim, quàm eiusmodi quicquam committere. Quòd si ad referendam vobis gratiam parum idoneus fuero: ad commemorandam quidem certè & habendam, ero diligens. An ego optimi & maximi Pontificis tot beneficia erga me tacita silentia præterire? pro quo si vitam sanguinemque profundam, vix vllam partem ipsius erga me meritorum assequar. Quid? tua tam multa officia, mi Blosi, quæ mihi à te tributa sunt, obliuiscine vsquam possim? quid aliorum tot hominum humanitatem & studium? à quibus cũ tam longè septem annorum interuallo abfuisse, vix debui existimare vel tenue vestigium recordationis de me in eorum animis residere: qui tamen omnia mihi recentis beneuolentiæ signa præstiterunt. Quibus equidem cunctis sum obstrictus: sed in exoluendis nominibus ita reddam vnicuique, vt mihi tempus, occasio, facultasque suppeditarit. Nam tibi mi Blosime torum iampridem dedidi: tuumque istum amorem adeorum me non minore ipse charitate beneuolentiaque sum amplexus. In qua quidem mutua voluntate nostra vt perpetuò maneamus, neuter profectò nostrum ab altero rogandus est, (quid enim nobis in vetere amicitia nostra tuenda constantius?) ego tamen morem secutus sic agendi, rogo te etiam atque etiam, vt me isto modo amare nunquam desinas: tibique vicissim de me ita persuasum habeas, esse te mihi & fore semper charissimum. Vale. Carpentoracti, VIII. Calend. Decemb. M.D.XXXIII.

XII.

IACOB. SADOLET. EPISC. CARPENT. *Vbaldino Bandinello S. P. D.*

PRIDIE eius diei, quo sum hinc Massiliam profectus, qui fuit dies tertia Cal. Octob. accepi tuas literas. Quæ etsi mihi gratissimæ fuerunt, declararunt enim planè tuum erga me amorem, eamque curam & diligentiam, quam tu in rebus meis agendis adhibuisses: tamen quoniam mihi tardiùs fuerant redditæ, egoq; tecum Massiliæ congressurum me arbitrabar, nullam tunc fuisse cogitationem respondendi tibi, cùm ad id potius me paratum, vt præsens tecum de omnibus rebus colloquerer. At postquam illuc veni, primùm id mihi accidit incommodi, quòd mihi ibidem Pontifex duodecim dies ipsos expectandus fuit. Deinde cùm ex eius aduentu eam certè voluptatem cepissem, quam meus in optimum atque humanissimum principem amor, totq; præterea hominum mihi amicissimorum insperatus conspectus attulisset: in tanta mea gratulatione illud accepi molestiæ, quòd neq; te, neque alios quosdam mihi amicissimos ho-

mines in conuentu illo affuturos cognoui. Ac de te quidem audiebam, cùm Pontificis missu in Hispaniam iter susceptisses, aliquotque iam dierum processisses viam, in itinere ipso aegrotum restitisse. Quo ego nuntio cùm essem sanè perturbatus, Jonus noster, & is qui tibi & mihi est amicissimus Petrus Carnisecius plenus officij atque humanitatis adolescens, affirmauit periculum nullum esse: seque certò existimare, antequam conuentus Massilienſis dimitteretur, nobiscum te futurum. Id postquam non contigit, egoque tuo aspectu & colloquio fui priuatus, statui non amplius differendum esse officium meum. Itaque etsi Paulo mandaram Massilia iam discedens, vt aliquid daret ipse ad te literarum: tamen aliena illa opera non contentus, vt primum reuerti Carpentoracte, has ad te scribere instituii, quæ tibi nuntiarent, gratum te mihi fecisse, quod meam, atque adeò quòd prouinciæ huius causam tam accuratè apud Pontificem egeris. Quanquam ille, qui fuerat huc missus, vt prouinciam seditionibus quibusdam laborantem, pace concordiaq; placaret, non sedator, neq; extinctor factionum, sed concitator potius apparuit. Venerat enim huc partibus illis addictus, quas maxime timebamus. Neq; ipse id dissimulabat, neque animi sui studium tegere poterat. Sed cùm cupiditate esset ita aperta, vt palam omnibus pateret, quorum arbitrio gesturus esset magistratum, cumq; in causis paribus eorum qui rerum per se gestarum rationes essent reddituri, non æquo iure aduersus omnes, neq; eodem vteretur: complures hinc boni viri & nobiles concilio habito, primum quæsitoris huius libidini se opposuerunt: deinde re ad maximum Pontificem Massiliam delata, facile ab eius clementia & singulari iustitia est impetratum, vt pro homine parum his populis probato, alium nobis daret, in cuius virtute, & integritate, & prudentia requiesceret Prouinciæ status. Quod & factum est, datumque negotium Paulo Capisuccio, homini eximia autoritate atq; doctrina, quem nunc maximè expectat Prouincia. Quæ ego tibi volui nota esse, vt intelligeres, neque tu me, cùm tibi ista exponebam, sine causa laborasse: & quam gratum putes mihi accidisse hoc officium erga me tuum. Nam quòd de studiis meis cum eodem optimo Pontifice communicaris, gaudeo maiorem in modum, meorum illi studiorum rationem probari. Sed crede mihi, quantum literis potero, quantum scriptis, quantum hac mea ingenij mediocritate, & his facultatibus, quæ mihi à natura, aut à diligentia tributæ sunt, omnia sum ad eius ornandam atque illustrandam gloriam collaturus. Ita enim ille de me meritus est. Et hac in re, quod per me minus valebo, amor mihi ingenium & vires suppeditabit. Te quidem tacuisse cum illo id quo mininè prolato fuit opus, & probo factum, & in eo etiam benevolen-

nolentiam tuam agnosco. Operam tuam in vrbe ita mihi paratam esse duco, vt meammet mihi. Sed mea istic pleraque parui momenti sunt. Quòd si acciderit, vt tua mihi gratia & ope sit vtendum, literis non parcam. Illud cuperem, de quo etsi tu Lugduni mecum modestissimè es locutus: tamen doleo vehementer, non ex mea id sententia quam primùm confici: vt hominis florentissimi, ac liberalissimi, gratiam & beneuolentiam tibi reconciliares. Quem hominem ego summè diligo atque colo: arbitrorque id me iure optimo facere debere: quando & illius eximia virtus spectata omnibus, & beneficia erga me complura ac præclara extiterunt. De me meisque rebus, & de publicis, nihil ego ad te scribo. Nam & quæ propriè ad me ipsum pertinent, parum idonea sunt quæ scribantur: &, si quod publicè factum est, quod sit dignum scriptione, plurimos earum rerum habiturus es & narratores, & testes. Tu vt valeas, nosque, quod facis, diligas, magnopere à te peto. Carpentoracti, XII. Calend. Decembris, M. D. XXXIII.

XIII.

IAC. SADOLETVS EPISC. CARPENT. *Laurent. Campegio S. R. E. Cardinali S. P. D.*

NIHIL mihi potuit nuntiari lætius, quàm te ex Germanica legatione tua, saluum & sospitem, longo interuallo, ad tuos reuertisse, gratumq; & optatum conspectum tuum summo Pontifici, collegisque tuis omnibus atque ipsi vrbi imprimis retulisse. Non enim dubito, quin tua eximia virtus & autoritas, in his tantarum agitationibus rerum, sæpiùs requisita & desiderata fuerit. Quanquam seruiuit illa quidem Reipub. magnasque & maximè ægras illius partes consilio & diligentia absens sustinuit. Sed tamen quemadmodum ea membra quę cordi propiora sunt, plures & potiores habent in conseruando corpore functiones: sic summorum hominum sapientia & grauitas, proximè principem, & in ipso capite conciliorum statuenda est: vt latius in omnem partem illarum vtilitas possit dimanare. Verum vt se cunque res habet, labores tuos eiusmodi fuisse, vt ea, quæ grauissimè laborabant, iamque curam omnem respuere videbantur, in commodiorem tamen statum per te deducta sint, valdè & laudi tuæ, & publicæ vtilitati gratulor. Atque vtinam aliquando finem eius mali aliquem videamus, cuius tanta extitit vis, vt non solùm humanas, verùm etiam diuinas res & rationes potuerit peruertere. Nec verò nunc eius tollendi atque exterminandi non adest occasio, duobus summis optimisque principibus in vnum locum adductis. Qui si prudentia & facilitate perfecerint,

vt tertium hunc quoque cuius nos in regno viuimus, flagrantem studio Christianæ pietatis contra hæreticos tutandæ & protegendæ, in amicitiam & gratiam possint restituere: non memo, quin clarius in cœlo sibi monumentum seruatæ religionis, quam in terra deuictarum gentium sint constituturi. Sed ego forsan studio inani feror, atque ea curo quæ minus ad me pertinent. Quæ etsi in studiis & voluntatibus omnium communia sunt, in potestate tamen paucorum sunt posita. Quid ergo? nónne mihi licitum est optare, vt pauci illi qui possint, etiam velint consulere Reipublicæ? Quanquam vt dixi, de optima mente principum istorum dubium mihi non est. Res forsitan impeditiores sunt, & durior ac difficilior earum rectè tractandarum ratio. Recordor enim quam sæpè cùm ipse quoq; interessem rebus agendis, optima hominum consilia, grauis Reip. fortuna interruperit. Sed tamen vt ex instituto hoc sermone honestius abeamus, Deum supplices precemur, vt quod humana vis nequit, ipse sua clementia & ineluctabili potentia velit prouidere. De te autem ipso, Campegi optime, atque humanissime, illud quidem mihi persuasum habeo, quod tuæ est naturæ & bonitati imprimis consentaneum, eos qui te coluerunt semper & amauerunt, nequaquam tuo ex animo elapsos esse: neque vllam esse posse tam diuturnam absentiam, quæ te obliuisci veterum amicorum cogat. In quibus ego si principem locum appeto & diligendi tui, & amplè atque honorificè de tua virtute existimandi: haud sanè mirum videri debet. Sed tamen meas esse duxi partes, redigere tibi in memoriam, me eodem animo & obseruantia erga te esse, qua semper fuerim: & simul hanc voluptatem scribendi ad te, & tecum per literas quasi colloquendi, capere properaui. Qua quoniam diu mihi carendum fuit, dici non potest, quàm fuerim sæpè angore quodam animi solicitus: cùm tua in longinquis partibus commoratio, tecum hoc mihi commercium literarũ adimeret. Nunc posteaquam es reuersus (quod tibi benè prospereq; vt eueniat opto) renouabo, si tibi non fuerit molestum, hoc officium scribendi: teq; interdum meis literis appellabo. Tu quod proprium est constantiæ & virtutis tuæ, me, quem in fide tua semper habuisti, vt perpetuò tueare ac diligas, te etiam atque etiam vehementer rogo. Vale, Carpent. XII. Calend. Feb. M. D. XXXIII.

XIV.

IAC. SADOL. EPISC. CARPENT. Hippolyto Medici S. R. E. Cardinali, S. P. D.

CVM ad me Roma scriptum esset, te viro optimo & homini prudentissimo, mihiq; vetere amicitia coniunctissimo, Ar-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

tonio Pulleoni Burgio in magnis ipsius rei familiaris angustiis, tua ope & liberalitate auxilium tulisse, largoq; illum congiario profectum esse, quo is nubiles filias, quibus dotem aliter conficere non poterat, honestè atq; ex suæ dignitate familiæ nuptũ daret: equidem cepi eam animi lętitiam quam debui, plurimumque ambobus vobis absens sum gratulatus. Quòd cùm vtrumque singulariter amem, te verò prętereà obseruem etiam atque colam: eadem tua benignitate & illum leuatum onere atque incommodo, & te gloria ac laude auctum esse cognoui. Etenim ea demum vera liberalitatis est laus, cùm in illos confertur beneficium, qui sua dignitate donantis nomen illustrant. Ac quod ad illius virtutes attinet, exponerem libenter, quibus ille de causse & tuo & omnium amore dignus sit (quid est enim illius prudentia, quid temperantia, quid integritate, fideq; spectatius?) sed quoniam tu horum illi ornamentorum pręcipuus testis es, quippe qui eum non iudicio solùm tuo, quod à tanto viro satis magni æstimari debuit, sed opibus etiam tuis, & copiis, virtutis causa decorastis, supersedebo hoc onere, de illo narrandi ac prędicandi quæ sentio, & ad te vnum conuertar: qui mihi visus es hoc prędeclaro facto admonuisse cęteros, & docuisse, nihil esse tam proprium præstantis eximiæque virtutis quam aliorum & fouere & honorare virtutem. In quo magna mehercle naturæ vis, & imprimis mirabile consilium extitit. Quæ cùm duo virtutis genera constituisset, vt vna esset virtus ad iuuandum & commodandum se impartiens, altera idonea cui commodaretur: ita hunc complexum prędaræ societatis iugatum inter se & annexum esse voluit, vt altera sine altera suum explere munus ritè nequeat, nec quisquam habere laudem rectè faciendi possit, nisi is in quo rectè sit, hoc sit munere & beneficentia dignus. Prębuit igitur tibi Pulleo noster facultatem ex tua eximia virtute agendi, quòd suis ipse meritis ac virtutibus magnitudinem animi tui prouocauit. Ille tibi à tua ineunte ætate, egregia cum fide & benevolentia deseruiuit, tuosque teneriores annos aluit instituitque ad virtutem: vt tu nunc vir effectus, erga optimum virum, qui patruis tibi loco fuisset, pietatis officia vsurpares. In maximis rebus summo omnium principum patruo tuo, operam illi & diuturnam & valde vtilem nauauit: vt tu tunc illius industria & integritate muneribus honestanda, & acuti in pendendis hominibus, & propensi in adiuuandis famam & gloriam tibi comparares. Difficultates ille domesticorum incommodorum, patientiamq; paupertatis, nec sine dignitate, & cum modestia diu tulit: vtum eo subleuando nunc ac recreando, insignem liberalitatis ac magnanimitatis laudem consequerere. Ita in hac veluti altera quodammodo inter vos procuratione virtutem, cùm illa

ipse

ita ſepararet, atque excoleret, vt ad quamlibet magna prom-
renda beneficia eſſet aptus: tu excelſo & magno animo omni-
merita tua liberalitate anteire contenderes: factũ eſt id quod
cuit, vt tua tamen virtus exiſteret ſuperior. Quantã enim inter
gem intereſt, & inter ciuem, tantũ diſtat inter gloriam dantis
accipientis. Itaque Pulleonis prudentiam, probitatem, mod-
ſtiam, amamus & collaudamus omnes: tuam verò largitatem
beneficentiam, altitudinem animi ſummopere etiam admi-
mur. Tu enim hac tempeſtate vnus, aut certè cum pauciſſimis
opum & diuitiarum inſtrumento, quæ tibi pro loco, pro nobi-
tate, pro familiæ tuæ gloria ſunt ampliſſimæ, non ad explen-
auaritiæ ſtudia, quæ ſemper infinita eſſe ſolent: ſed ad effunden-
dam tuam bonitatem in plurimorum commoda & emolumen-
ta vteris. Tu talem iam te, annis penè adhuc adoleſcentibus, &
nobis & Reipub. pręſtas: quales fermè ſi eſſent hi, qui matu-
ſępe ætate, & multo vſu rerum, honoribus & muneribus publi-
pręficiuntur, ſplendere melius hoc ſeculum omni eiecta ſor-
auaritiæ cerneremus. Quæ maximè vna, altis & pręſtantibus an-
mis atque conſiliis infecta atque inimica eſt. Quæ facit, vt digni-
tatis, & honeſtatis, & amplitudinis, aut nullam iam, aut ſan-
quàm exiguam partem teneamus. Cuius quando labis macula-
tu & natura tua voluntateq; abhorres, & contrario amore virtu-
tis & liberalitatis es incenſus, illaq́ue ſpecies & forma diuin-
pulchritudinis animo tuo illuxit: quid eſt cur dubitemus (pro
communi nunc ſenſu omnium te amantium loquor) locare in
te pręſidia ſpei noſtræ, rationemq́ue publicæ ſalutis ac dignita-
tis in tua potiſſimùm virtute conſtitutam habere? cùm quid à te
expectandum firmioribus ætatis tuæ annis à nobis ſit, obſidibus
magnis iam edocti ſimus. Fortitudine tua ſuperiore anno ad-
uerſus ferociſſimos noſtræ religionis hoſtes, & nunc benignitate
ac beneficentia erga de te meritos. Quorum vtrumque cùm in
ipſo extremæ adoleſcentiæ tuæ tempore tanta cum laude glo-
riaq́ue pręſtiteris, certiſſima ſpe ſumus, percepturos nos vberri-
mam frugem ex matura poſtea tuæ virtutis ſegete. Quod vt ita
ſit, idq́ue noſtra ex ſententia eueniat, & ex tua dignitate, ſaluum-
q́ue te, & magnum, & florentem diu videamus, ego cùm Deum
immortalem ſupplex rogo atque oro, tum tibi pro iſta tua tam
humanitate ac liberalitate, & meo, & Pulleonis nomine, ago
gratias tuæq́ue pręſtantiſſimæ virtuti, ac tam egregiæ com-
memorandæq́; naturæ, vehementer atq; ex animo gra-
tulor. Vale. M.D.XXXIIII.

HIP

XV.

HIPPOLYTVS MEDICES CARD. IACOBO Sadoleto Episcopo Carpent. S. P. D.

SI vllius vnquam honestæ rei, actionisve, iucundissimum fructum mihi capere visus sum, hæc profectò ea est, de qua tu mihi per literas grauissimè & copiosissimè superioribus diebus gratulatus es. In quibus dandorum recipiendorumq; beneficiorum adeò rationes omnes patefecisti, vt liberalis viri effigiem, quàm optatissimè postea acutissimeq; verbis exornares tuis, te potiùs animo spectasse intelligam, quàm quod de re tam tenui ea sentias, quæ à te in hanc sententiam scripta sunt. Facis tu id quidem naturæ tuæ bonitate, vt si quid ab amicis rectè factum audieris, continuò id, qualecunque sit, in cœlum laudibus efferas: neque laudes solùm, sed admiratione ac plausu etiam prosequare. Ego autem ad hanc quam informandam suscepisti liberalitatis speciem, nihil adhuc (vt verum fatear) attuli præter exiguum quiddam vix inchoatum, ac planè rude. Quod tu, qui vberrimis exercitationibus, grauiorum artium locupletissimis præsidiis, memoria nostra id assecutus es, quod vel paucis antiquorum contigisse videmus: vestitu orationis adeò illustrasti, eò vt me rediges, vt nonnihil existimationis accepisse tuo hoc præclarissimo testimonio non negem. Est igitur cur Puelloni gratias agam, cuius virtute ac probitate ea mihi de illo in animo opinio insederit, vt de augenda hominis vtilitate & commodis ratio tandem inceuda fuerit, hocq; quasi æs alienum, quo illi infirmiores ætatis meæ gradus obstricti erant, dissoluendum. Ita factum est, vt dum ab officio non discedimus, non solùm piè id facere, & humanè homines interpretentur, sed aliqua ex parte in societatem quoque illius præstantissimarum laudum mihi deueniendum putent. Quod quoniam abs te probari sentio, tuo iudicio standum est. Itaque non pugnabo tecum, & omnia quæ de me scribis, deque mea humanitate, liberalitate, beneficentia, aduersus Puellonem eò pertinere arbitrabor, vt & tu quanti illum facias, & quanti rursus à me fieri velis, hoc tuo illustri testimonio testatum relinquas. Nam de superioris anni aduersus iniquissimos nostræ religionis hostes suscepta à nobis prouincia, nihil est quod tibi respondeam. In quo quidem ea mihi tribuis, quæ sine temeritatis nota vix possim agnoscere. Desiderio certè peracri, ac studio flagranti ad ea tunc arma accessimus: quæ si iterum nobis sumenda erunt, tantò Reipublicæ insignioren operam nauare conabimur, quantò maiorem nobis corroborata iam ætas, consilij maturitatem, & rerum vsum attulit. Tu verò

verò mi Sadolete, quem à nobis maximarum & grauissimarum artium studia, in quibus iam pridem magna cum laude versaris, abducunt, isto tuo sic fruere ocio, vt cùm te pręclarissimo ingenij monimentis ab omni posteritatis obliuione vindicaueris, nonnihil etiam memoriam nostri conseruandam putes. Vale. Roma Idibus Iunij.

IACOBI SADOLETI EPISC. CARPENTORACTI EPISTOlarum Lib. VIII. Epist. I.

REGINALDVS POLVS IACOBO SAdoleto Episc. Carpent. S. P. D.

GRATIAS tibi agam priùs (ita enim rerum ordo & mei officij ratio postulant) deinde ad mandata tua conuertar. Neq; verò illa solùm me ad agendum gratias impellunt, quæ tu in me pręsentem officia contulisti: cùm me domo atque hospitio honorifice sanè lauteque acciperes, cùm animum meum, tui congressus cupidissimum, erudito illo & pleno grauitatis sermone retineres & planè pascares: atque maximis de rebus quęrentem & hęsitantem, omni prorsus scrupulo & dubitatione liberares. Quæ quidem quoties in mentem reuoco (reuoco autem sępissimè) quod de Platonis cœna dixit Timotheus: cùm ab eo inuitatus esset, & eundem postero die vidisset, cœnas Platonis non modò in pręsentia, sed in posterum quoque diem esse iucundas: idem ego multò prolixiùs de tuo hospitio dicere possum. Non modò in pręsentia fuisse iucundum, sed in aliquot menses iam fuisse, atque idem vt spero, in multos annos futurum. At verò cùm à tua consuetudine, cuius ego suauitatem tum primùm quasi gustare cœperam, tam citò dirimi, ac tanto locorum interuallo disiungi, animo sanè molestè ferrem, cùm nec mihi tum integrum esset aliter facere, rationibus meis sic ferentibus, & in hęc loca penè trahentibus: ne huic quidem dolori meo defuisti. Inita enim à te ratio est, quemadmodum eo quo tantoperè delectabar, nō vsquequaque priuarer. Sed vt te etiam absens aliqua ex parte frueret, adiuncto mihi eiusmodi itineris comite, qui te mihi quotidie reddebat, qui iucundissimos tuos, & grauissimos sermones sine intermissione referebat, nec sanè intermori eam, quam ex consuetudine tua voluptatem cepi, vllo pacto sinebat. Quis enim tu-

sum melius exprimere potuit, quàm tu, quàm scripta tua, quàm liber ille tuus quem per me Bembo reddi voluisti? in quo prudentia tua, grauitas, doctrina, quibus maximè delectabar, elucent. Hunc certè mihi comitis loco accepi, qui non modò mihi in breui illa & paucorum dierum via, quæ in Italiam properanti instabat, pro vehiculo fuit, quod de facundo comite dici solet: sed in longo totius vitæ cursu, in quo maximè, & periculosissimè laboratur, & vehiculi, & ducis locum facilè obtineret. Ex quo quidem hanc primo aspectu voluptatem cepi: quòd mihi cogitationem omnem de eo in quod ingressus eram itinere, impedito sanè & molesto, abstulit, meque totum in contemplationem præclari illius itineris abduxit, quod te duce & monstratore, adolescenti ad laudem & decus tendenti, certum & glorioſum proponebatur. In quo quidem valde delectabar, cùm quasi oculis, sic animo cernerem, te grauissimum & prudentissimum senem, vt peritum gubernatorem, gnarum & locorum & maris, siderumque & tempestatum omniũ, sic animo prouidum, sic omnia pericula longè lateque perspicientem, vt nihil non prædiceres ac præcauetes, quod vel impedire tam præclarum cursum, vel in periculum adducere posset. Qui non cuiuis adolescenti, in vulgi moribus educato, vulgaribus parentibus orto, & qui filiorum educationem in postremis haberent, te ducem profitearis: sed illi qui ab optimis parentibus, penè antequam in lucem puer ederetur, huic tam præclaræ expeditioni fuerit destinatus: cuius educationi natura non obsistere, sed suas dotes benignè largiendo, fautricem sponderet. Qui ab incunabulis sic eductus, sic literis & moribus formatus fuerit, quemadmodum est à te sanctissimè & prudentissimè præscriptum. Hunc verò talem cùm tibi ipse oratione formasses, vel potiùs natura sic formatum, & parentum votis huic rei destinatum, cùm Paulum tuum accepisses, quid non voluptatis mihi præbuit, præclarus ille quem recensses, in eo instituendo apparatus? Deinde cùm ex puerili institutione, tanquam ex angustiis eum abduxisses, & in latum illud, quod adolescentis institutioni quasi pelagus patebat, adduxisses, tum sanè maximè delectabar, cùm te secundissimo illo orationis cursu, plenis eloquentiæ velis, ita omnes artes doctrinasque percurrentem videre, vt cùm nihil tibi tum aliud propositum esset, nisi vt earum artium sedes & loca, vbi ad tempus insistendum, atque ad maiora & vlteriora tendenti commorandum esset, monstrares: ea tamen sic oratione illustras, sic artium singularum vires & virtutes explicas, vt propè monstrando in earum tam possessionẽ mittere adolescentem videaris, atq; eas recensenda tradere. Hæc certè magna cum voluptate contemplabar sed quò magis me delectabant, eò sanè auidiùs expectabam,

quò

quo tandem pręclarum istum cursum, quem tanto apparatu in-
stituisti, dirigeres: quem tibi portum proponeres. In qua expe-
ctatione statim se mihi in conspectum obtulit philosophiæ por-
tus, quò te velis remisq; properare, atque illic paulò post ab-
mnium tuum relinquere videbam. Pręclarus ille quidem, & o-
mnibus aliis portus pręferendus, si antiquis illis Aristotelis &
Platonis temporibus, vel etiam si recentioribus M.T.Ciceronis
hic cursus abs te institutus fuisset, aut si ij gubernatores adole-
scenti tuo contigissent: nec enim illi profectò alium elegissent,
nec facile tum alius tutior vel commodior reperiri potuit. Sed
cùm his felicibus temporibus cursum institueris tuum, quibus
vt multi terrarum noui tractus, insulęque & portus antiquitati
incogniti, inuenti sunt: pluribus eorum qui antiquitus celebre
erant, vel mari obrutis, vel vetustate consumptis: sic etiam ani-
morum portus multò tutior & tranquillior, Deo ipso, & eodem
Dei filio duce & inuentore nobis apertus sit, quem antiqui igno-
rabant. Cumq; Sadoletus ipse, qui in hoc cursu gubernatoris lo-
cum obtinet, etsi appulsus quidem ad antiquorum portum, ta-
men pręteruectus sit, nec diutiùs ibi commoratus, quàm vt ne-
cessaria sibi inde sumeret ad reliquum cursum perficiendum: in
hunc tandem, qui à Deo filio monstratus sit se receperit, vbi nos
summa cum animi tranquillitate & securitate viuit: quid est cur
non Paulus tuus meritò tecum conqueratur, si in alieno & infi-
do iam portu eum relinquas, cùm te ipsum in optimo & tutissi-
mo collocaris? Ego certè illius verbis tecum expostulare nõ du-
bitabo, si iuuenem omnibus vel naturæ dotibus, vel doctrinæ
pręsidiis tua opera instructissimum, & planè talem qualem te
parentum votis expetendum proponis, fluctuantem iam in phi-
losophiæ portu reliqueris: quæ ne portus quidem iam nomine
digna sit: sed vt de Tenedo dixit Poeta, Nunc tantùm simus, &
statio malè fida carinis. Atqui non nobis tantus iste in eo edu-
cando apparatus, nec pręclara ista tua institutio, talem nobis
promisit, qui pręcepta tandem viuendi à Philosophis peteret,
aut qui animi securitatis causa in illorum portum confugere ne-
cesse haberet: sed qui vel principibus ipsis Philosophorum, si iam
reuiuiscerent, nouum & pręstantius viuendi genus ostenderet,
quo illi nunquam aspirare potuerunt. Sapientiam autem & ani-
mi tranquillitatem longè aliam, & aliunde quàm à philosophiæ
pręceptis petendam, tantò pręstantiorem & diuturniorem ea
quam philosophia promitteret, quantò humanis pręstabilioris
diuina sunt. Quare age mi Sadolete, noli promisso tuo, in usu
iuuene instituendo satisfactum putare, si eum ad philosophiæ si-
mites perduxeris, aut etiam si philosophiam ipsam integram tra-
dideris. Soluas inde oportet, neque vnquam defatigere, donec
in se-

in sacrum eundem portum, in quo tu ipse summa cum animi tranquillitate viuis, illum perduxeris. Nec enim conuenit tam præstanti educationi, & illi quem omnium opinione, heredem virtutis & sapientiæ tuæ es relicturus, in alio quàm quo ipse tabernaculum vitæ posueris, portu conquiescere. Hæc ad te verbosiùs scripsi, vel tuo imperio obsequutus, qui me etiam de illo tuo libro, quem satis admirari non poteram, quid sentirem ad te scribere voluisti, vel meo in sacras istas Musas amori satisfaciens. Quas abs te illaudatas & tacitas præteriri, cùm reliquas omnes artes & disciplinas dignis præconiis ornaris, vix æquo animo spectabam. Vel etiam quòd Langæo nostro, cuius liberis instituendis iste abs te labor præcipuè sumptus sit, hoc imprimis gratum fore non dubitabam, si quod in philosophia & reliquis artibus facis, vt singularum laudes attingendo, ad earum studium adolescentum animos erigas, idem in Theologia facere non negleteris: in qua reliquæ omnes, vt in oceano flumina, se immergere solent, & debent. Et certè conuenit, vt quæ te ipsum maximè ornat, & indies magis magisq; ornatura est, cùm de iis disciplinis sermo sit, quarum cognitio humanos animos colit & perficit: eius laudem haudquaquam silentio inuoluas: præsertim cùm ad Langeum scribas, quem scio, quoties è negotiorum fluctibus, quibus in aula versanté iactari necesse est, emergere licet, in nullo libentiùs, quàm in Theologiæ portu conquiescere. Sed tu meæ loquacitati ignosces, qui cùm sanctè adiurare possim, me his quatuor annis non tantum quidem Latinè legisse, quantum nunc ad te scripsi, Theologorum libris auocatum, quos tamen in genere Latinorum scriptorum non pono: in hanc insolitam Latinè scribendi loquacitatem erupi. Sed vt loquendi tecum, sic etiam scribendi ad te, quo cum absente quasi loqui videor, dulcedo quædam me longiùs vltra epistolæ fines prouexit. Cui tu pro tua humanitate ignoscas oportet. Nunc ad tua mandata venio. In quo eò breuior ero, quòd nuciora mihi scribenda reliquerunt eorum literæ, ad quos mihi mandata & literas dedisti: quas iam spero ad tuas rescriptas te habere. Omnes enim receperunt, post paucos dies, quibus id commodè facere possent, se tuæ voluntati esse satisfacturos. Bembi verò literas cum his ad te mitto: quem cum Venetiis salutarem, eiq; tuas literas vnà cum libro darem, quantoperè delectaretur de te, & de tuis studiis audire, pro vestra coniunctissima necessitudine, facilius est tibi existimare, quàm mihi scribere. Veronensi verò Pontifici, quem Veronæ salutaui, etiam tuas literas tradidi: qui me vnum diem apud se detinuit, cùm nullus penè nobis sermo esset, nisi de te, & de tuis studiis: cum sæpe se valde dolere ostenderet, suauissima consuetudine tua, propter locorum interuallum, quo disiuncti estis, se priuari

Lazarum tuum Patauij offendi, cui etiam tuas literas tradi-
cùm ad me salutatum humanissimè venisset. Omnes verò tibi
ista animi tranquillitate & ocio gratulantur: ex quibus tam p
claros fœtus oriri, & prodire in vtilitatem publicam vident. Q
vt tibi perpetua sint optant. Egoq; imprimis, qui non minus p
claros sciam te iam parturire, his qui à te iam sunt in lucem e
ti, hoc idem optare non desinam, partumq; felicissimum opt
Vale. Venetiis, IIII. Cal. Nouemb.

II.

IAC. SADOLETVS EPISC. CARP. *Reginaldo Polo S. P. D.*

ILLVM primum cepi ex literis tuis fructum, quod cognou
his manu tua scriptis, te valetudine bona iam vti: de qua h
ram mehercule aliquot antea diebus non parum solicitus, ca
Thomas tuus ad me Auenione scripsisset, te in eum morb
quo hîc laborabas, Venetiis denuò incidisse: nunc tuæ mihi p
optatæ literæ omnem mihi huiusmodi de te metum & solici
dinem meam penitus abstersерunt. Confido enim (quæ tua te
perantia est) hunc nuncium valetudinis tuæ, & lętitiam qu
nos ex eo capimus, diuturnam nobis fore. Alter autem fruc
ex tuis literis non tam fortasse necessarius, quàm hîc de quo
xi, sed certè ad voluptatem animi aliquantò vberior: quòd qua
tum tu me ames, & quàm de me honorificè sentias, ex eis
planè literis perspexi. Etiam mehercule cuiusmodi tu sis, qua
doctus, quàm humanus, quàm elegans, quàm dignus qui ab
mnibus his ameris atq; colaris, qui virtutem, & comitatem, &
ptimum sibi morem esse colendum putent. Sed quæ tu ad me
me ipso scribis, in quibus iudicium tuum est de me cum singul
beneuolentia coniunctum: omnia sunt eiusmodi, vt cuiuis ino
enti facilè appareat, amantis illa e[illegible] hominis magis, quàm iud
cantis. Etsi enim tu hac ingenij quoq; & sapientiæ laude mirab
ornatus es vt possis commodè iudicare de altero: tamen id qua
tibi esse impedimento, quod plurimis officit, vt amore induc
amici bona carius æstimes, quàm quanti illa sunt, minimè m
randum est: præsertim cùm naturæ humanitatem habeas ing
nio & prudentia non inferiorem. Mihi quidem, cùm ea quæ m
tribuis, non continuò agnoscenda esse videantur, libenter il
refero & conuerto ad amorem: quo sanè dum charus tibi iucu
dusq; sim, satis tuo iudicio me ornatum esse puto. Non enim m
diocris est operæ, neq; virtutis, tali viro qualis es tu, tantop
placere. De te verò, mi doctissime atq; humanissime Pole, si ex
xero quæ sentio, nunquid tu illa certo iudicio, ac beneuol

In te meæ es asscripturus? Vtinam quidem possem verbis omnia complecti, quæ mihi de te in animo insita, penitusq; affixa sunt: non vererer nimium amantis suspicionem. Sed si hoc non queo, quod meos eloquendi, exprimendiq; conatus, tuorum ornamentorum copia obruit: illud quidem dicam quod in promptu est: vsque eò me aspectu, sermone, sanctissimis tuis illis, & modestissimis moribus, fuisse captum: vt nunquam postea mihi ex animo nostri illius congressus memoria exciderit. Quanquam enim perspiciendi tui penitus, ac fruendi exigua mihi potestas fuit facta, propter subitum à nobis discessum tuum, qui mihi mœroris non minus reliquit, quàm tuus lętitiæ aduentus tulerat: tamen vitæ cursum tuæ mecum ipse considerans, & summorum hominum testimonia, quæ tibi sępe egregia apud me ab illis data sunt, cogitatione mea repetens, quibus præsertim testimonijs brevis illa mecum congressio tua apprimè fidem fecisset: talem te in animo gerere cœpi, qualis profectò tu es. Neque aliter statuere potueram, quàm eum, qui & nobilitate domi, & fortunis amplissimus, cognatos, familiares, patriamq; reliquisset: & cùm flagraret studio atq; amore artium optimarum, ex vltimis orbis terrarum regionibus illarum adipiscendarum causa in Italiam se contulisset: ibiq; annos complures commoratus, ita se dedisset familiaritatibus amicitiisque doctissimorum ac prestantissimorum hominum, vt illorum omnium iudicio imprimis dignus ipse haberetur, quem & propter fidem atque integritatem vitæ venerarentur omnes, & propter ingenium doctrinamque colerent: hunc ego (inquam) existimare alium non poteram, quàm summum & singularem virum: hominemq; eiusmodi, cui nos ista qui pendimus & iudicare aliquid possumus, non benevolentiam modò, aut honorem tacitũ, sed omnia cultus & officij aperta & perspicua studia deberemus. Accesserunt literæ tuæ præclaræ testes ornamentorum tuorum, atq; amoris summi erga me tui: quæ me totum tibi addixerunt. Quàm illæ humaniter scriptæ? quàm eleganter? quàm argutè? nihil vt ingenij luminibus his quæ in eis plurima elucent, nihil vt præclara effigie pietatis tuæ, ac religionis erga summum Deum, quæ in illis expressa est, fieri possit illustrius. Et tamen tu is cùm sis, qui alicuius domum ingressus, intro tecum feras lętitiam hospiti tuo, atque honorem: agis mihi per literas gratias quòd te domi meæ libenter acceperim. Quasi non maximo mihi ornamento fuerit aduentus tuus, & voluptati sermo atq; congressus. Aut tu plus ex me, quàm ego ex te, & ex sermonibus tuis, adeptus fueris & suauitatis, & commodi. Ast ego tuum illud consilium fidele & sapiens nunquam è memoria depono: cùm tu mihi dubitanti, quodnam genus potissimum sequi studiorum deberem,

& quorum autoritati atque opinionibus assentiri: quòd eram
qui alia mihi studia quædam, & diuersas scribendi rationes pro
ponerent: fidenter & prompte consuluisti, vt ea præcipuè scri
rer studia, quorum fructus in hac vita non solùm, sed in omni
ternitate integri manere possent. Quo ego responso maximè a
ductus sum, vt me literis sacris totum dedendum putarem,
quas eram iam quidem sponte mea propensior. Simulq; integ
tatem, & virtutem, & religionem tuam admiratus sum. Qui cu
inter eos homines diu versatus esses, quibus hæc studia min
probantur: atque eis artibus ipse instructus, quorum videtur
pos, eruditio, elegantia, ab his rudioribus (vt existimatur) studi
abhorrere: bonitate tamen naturæ, & ingenij vi, ac cæteris, am
ponenda studia duceres: quæ non præsentem modò suauitate
sed multò magis rationem perpetuæ vtilitatis habeant. Sed qu
ago: maioris ista sunt operæ & temporis longioris quàm vt ra
epistola comprehendi possint. Veniamus ad literas. In quib
quòd scribis, librum meum in via tibi pro vehiculo fuisse, val
mediusfidius id lector: quodque eum probas ac laudas, mihi v
hementer gratum (quid enim dissimulare est opus) Sed illu
gratius tamen est, quòd ex illo te intelligo memoriam & cog
tationem mei crebriùs aliquantò & diligentiùs vsurpasse: q
nihil mihi quidem accidere potest optatius. Mandata mea, q
abeunti tibi dederam, diligenter te confecisse, neque miror (no
ui enim fidem & integritatem tuam) & te de ea re plurimũ de
mo. Accepi iam quidem à Bembo meo literas, cùm vberes ac c
quæ ab eo requirebam, imprimisque & elegantes & eruditæ
tum omnibus refertas officij ac beneuolentiæ signis. Expositi
tionem tuam qua vteris mecum, quòd locum Theologiæ in
numeratione earum artium, quibus recta institutio adolesce
tiæ continetur, nullum dederim, sed in philosophia totum ho
minem constituerim: sic accipio mi Pole, vt in omnibus tuis d
ctis atque factis tua animi virtus, & Deo dedita voluntas vela
menter mihi probetur. Sed ego primùm nominatim de Theolo
gia nihil dixi, quòd ea in philosophiæ nomine contineatur. Est e
nim Theologia (vt ipse nosti) apex quodammodo philosophi
& fastigium. Cuius tanquam magni cuiusdam corporis, cùm ple
ra membra sint, vt ab Aristotele est perspicuè demonstratum: ill
quæ de Deo pars, & de principe causa pertractat, sola prope di
gna est quæ philosophiæ nomine censeatur. Quæ etsi aliter fer
tractata à nostris est, ac veteribus fuit: eam tamen philosophiam
nunc appellari video à doctissimis & sanctissimis viris, Chryso
stomo, Basilio, cæterisque. Deinde cùm adolescentem sic in fi
tuam, vt eum duntaxat deducam ad annum ætatis quintum supra
vigesimum, post id autem suo eum arbitrio permittam: non ve
sum

sum mihi fuit conuenire, accuratiùs ad ætatem illam de Theologia verba facere: cùm hæc ars vna atque scientia senectuti maximè & sedatioribus annis apta sit. Et si præcepta suscipiendæ religionis necessaria etiam iuuentæ sunt, quemadmodum vtique sunt: satis illa à me in eo libro, quatenus quidem ad adolescentiam pertinet, sint tradita. Postremò, cùm in Hortensio distinctiùs de philosophia acturus sim, eamque in suas partes omneis distributurus, veluti de qua proprius ibi sermo habendus est: non duri eius dialogi ornamentum, quod in laudatione Theologiæ vel præcipuum futurum est, in hoc priùs libro delibari conuenire: cùm id iucundius tum futurum sit, si ad hominum aures nouum atque integrum accedat. Habes rationem eius prætermissionis meæ, quam tibi cupio probatam esse. Certè enim ego quod iudicaui esse congruentius, id secutus sum. Et nunc quidem perdifficilis foret commutatio. Plura enim mihi inuertenda in eo libro, vel totus potiùs liber alio ordine pertexendus esset. Verùm de his satis. Te amari à me mirificè, & coli, valde tibi persuasum esse volo: neque me magis appetere quicquam, quàm vt meæ erga te voluntati tua mutuò voluntas in me amando respondeat. Vale. III. Nonas Decembris, M. D. XXXII. Carpentoracti.

III.

IAC. SADOLETVS EPISC. CARP.
Reginaldo Polo S. P. D.

SERIVS respondi tuis literis, quàm volebam: quod accidit partim imbecillitate valetudinis, quæ etsi grauiter me non oppressit, fuit tamen mihi ad scribendum impedimento (destillationibus enim molestis diu sum tentatus) partim quòd itineribus necessariis aliquantum tempus consumpsi. Vt verò primùm opportunitas scribendi data est, nihil habui antiquius, quàm literis tuis respondere: præsertim tam modestè, & tam eleganter scriptis. Summus enim tuus in illis pudor, & summa ingenuitas apparet. Sed quod tu multis verbis in illis disputas, existimare te, eas laudes quas tibi tribuerim, vel ab amore profectas esse, quo meum iudicium fallatur: vel si aliquid in eis iudicio sit dandum, id eò intentum esse, vt non quia eiusmodi sis, sed vt talis sias, quo laudes illæ te dignæ esse videantur: iccirco illam à me prædicationem virtutis tuæ dicas esse susceptam. Facis hoc tu quidem quemadmodum cætera soles, vt omnibus in rebus quascunque agis, aut loqueris, mos tuus rectus & liberalis eluceat. Sed ego facilè me ab omni illiusmodi disputatione euoluo. Fateor enim

planè, quæcunque dixerim de te, omnia fuisse amoris: sed q[illegible] amor à vero & integro iudicio profectus fuerit. Non enim qu[illegible] te amaui, talem te esse existimaui: sed quia talis mihi es cog[illegible]tus, iccirco amor ille à me susceptus fuit. Atque vtinam mi Pol[illegible] tam facilè mihi esset omnia explicare verbis, quæ ego de te se[illegible]tio, quàm facile est ea quæ dixerim, prestare. Verùm hæc hac[illegible]nus: non enim postulat mutua nostra beneuolentia huius gen[illegible]ris longam orationem. Illud mihi iucundissimum ex tuis liter[illegible] accidit, quod cognoui tibi esse perspectum, te à me amari: [illegible] quidem facere mihi necesse est, aut omnis penitus abiicien[illegible] est humanitas. Quod enim tantum in amando esse potest ani[illegible] studium, vt non id virtus atq; amabilitas tua longè superet: tu[illegible] quidem animum aduersus me, & beneuolam plenam fidei & co[illegible]stantiæ voluntatem, ita contingant mihi ea quæ volo, vt omni[illegible] rerum habeo carissimam. Quare nil restat, nisi vt paribus vtrin[illegible] officiis amicitiam excolamus, quod ego & de me, & de te æq[illegible] polliceri possum. De iniuria quam à me videri vis Theologię fu[illegible]se factam, satis me tibi esse purgatum arbitrabar. Verùm quo[illegible] instas denuò, & vrges, dabo operam, vt tuum ad arbitrium per m[illegible] illi satisfiat. Tu modò, quod bonorum est & prudentium iud[illegible]cium, ita tabellam suspendito, vt in re non liquida nullum in[illegible]nocentiæ præiudicium afferatur. A Thoma tuo accepi literas [illegible] homine tua familiaritate dignissimo, & eis studiis in quib[illegible] quotidie versatur. Ei tu multam meis verbis salutem: itemq; ce[illegible]teris, quos nobis amicos esse scis. Paulus febri laborauit plus[illegible]los hos iam dies: ei tamen melius esse incipit. Itaque spe bon[illegible] de illius salute sumus. Is si valuisset, non defuisset officio scri[illegible]bendi ad te, tui certè memoriam (vt debet) summa cum fide beneuolentiaque conseruat. Vale mi Pole. Carpent. Pridie Id[illegible] Iulij M.D.XXXIII.

IV.

IAC. SADOLETVS EPISC. CARPENT. *Reginaldo Polo S. P. D.*

ACCEPI tuas plenas officij & humanitatis literas, omnemq; in illis probi ac prestantis ingenij tui, & pristini erga me amoris imaginem penitus recognoui. Quorum vtrumque quan[illegible] faciam, nihil attinet nunc me scribere. Vtroque quidem cert[illegible] ita delector, vt nihil mihi accidere possit optatius, quàm me abs te tali viro diligi. Sed quæ à te de pretermissione officij scri[illegible]pta sunt, quodque in eo videris vereri, ne aliqua abs te culpa suscepta fuerit, amabo te mi Pole, sint ea ex mutua nostra beneuolentia penitus sublata. Non enim recipit amicitia nostra suspi-

ſuſpiciones huiuſmodi: nec tu peccare prętermittẽdo officio potes, nec ego animum tuum aliter atq; eſt interpretari. Quem cum officioſiſſimum & amantiſſimum mei eſſe cognoſcam, non ex euentis tua mihi voluntas, ſed ipſa per ſe & ſua ſponte ſpectata eſt. Equidem deſideraui nonnunquam tuas literas: neque id mehercule iniuria: quid enim eſt illis quod me delectet magis? Verùm ita deſideraui, vt ego illa me voluptate carere moleſtè ferrem: non vt te officio aut amicitiæ deeſſe arbitrarer. Cui tamen meæ aliquando intermiſſæ voluptati ſentio nunc à te cumulatè ſatisfactum eſſe. Caue enim putes, quicquam mihi accidere potuiſſe tuis literis dulcius. Quæ cum totæ vndique, tum illa me ex parte præcipuè delectarunt, qua tu Socraticè nimirum & vrbanè excuſationem tibi non ſcribendi ab orationis inopia & exilitate reperebas: qui totus elegantis ironię locus, & vultum mihi & animum ſuauiſſima hilaritate aſperſit. Obſecro iſtósne tu riuulos ſqualentes & aridos, aut tenui aquula interdũ fluenteis vocas? qui mihi ita currere viſi ſunt abundanter & largiter, vt appareat, non tenuẽ, ſed vberrimum & eundem perennẽ fontem illa fundere. Quanquam hoc quidem de te mihi iamdudum perſuaſum habui: te, quę concupiuiſſes, omnia effecturum eſſe. Notũ mihi erat ingeniũ tuum, nota virtus. Ardor autem ille, qui animis præſtantibus ad appetendas res magnas comes adeſſe ſolet, nihil mihi non de te vel maximũ pollicebatur. Speraui itaq; fore, nec ſum deceptus, vt tu ad iſtam ipſam, in qua nunc inſiſtis, doctrinæ & eloquentiæ coniunctam laudem peruenires. Quapropter & gaudeo pro amicitia, & tibi gratulor. Illud aliquantũ ęgre fero, quòd videre quaſi videor, hęc à te ipſo ornamenta contemni: quæ meo quidem iudicio tanta ſunt, vt ſine his conſtare ne illa quidẽ rectè queant, quæ tu omnibus anteferenda iure optimo putas. Quo de genere quoniam bis iam à te ſum laceſſitus, tempus non alienum videtur meam tibi ſententiam breuiter exponendi. Sacrarum rerum ſtudium, & diſciplinam tibi placet rebus cęteris anteponi. Quod ego quoq; tecũ vna confiteor. Cur ergo in artib. reliquis, & maximè in philoſophia, tempus conterimus? Quia nequimus ad faſtigium ſine fundamento, & ſine parietib. peruenire. Quid? iſta quandiu curanda nobis ſunt, vt non in vno illo ipſo, quod optimum eſt, omnia noſtra ſtudia ponamus? Ad quod dicendum eſt, eſſe boni patrisfamilias totius domus tutelam & procurationem, non vnius duntaxat partis gerere: verùm ita totius, vt potiſſimę quęq; in ea diligentius curentur partes. Et quoniam de domo & de ædificatione mẽtionem fecimus: quis nõ videat, Theologiam, quatenus inſcientiæ ratione & genere reponatur, ſine philoſophia ſtare ipſam per ſe, & ſe ſuſtinere non poſſe: vtranque verò minùs aptè munus tueri ſuum, ſi à copia & facultate dicendi de-

di deseratur? At enim mundana ista sunt, & celebritatem ex ho-
minibus quærunt, vulgique rumusculos & laudatiunculas aucu-
pantur. Sunt enim nonnulli vsque adeò rudes, vt hoc quoque stu-
diosis bonarum artium hominibus conentur obijcere. Quasi ve-
rò merces externa ingenuos moueat animos, parumque in ex-
fructus voluptatisque sit, cùm quis quid facit, vt id aptè ac ven-
stè, & sine labe vlla maculaque efficiat. Nam laus quidem adue-
titia res est, & in aliorum potestate sita: ad quam qui primò
præcipuè contendunt, ij non verè, neque ex animo bonis ar-
bus, sed per simulationem dant operam. Omnis autem ingenij &
virtutis actio præmium ipsa sibi in se continet, si ad perfectam
speciem sui quæque generis perducatur: ipsaque rerum gerenda-
rum pulchritudine contenti simus. Quòd si decor ab oratione
remouendus sit, cur non idem etiam à moribus? non ijs dico qui-
bus inest virtus, quæ ipsa quoque non alio fructu & emolumen-
to, quam suo decore spectãda est: sed de eis loquor moribus, qui
in gestu & omni motu corporis, ipsaque vocis atque vultus con-
formatione liberali, bene institutos homines ab agrestibus di-
cernunt. An est quisquam qui reprehendere iure queat, quod
seruus coram domino suo non modò fidelis atque frugi, verùm
etiam sine sorde, cultu honestiore corporis studeat apparere? At
iam ista ad summi boni adeptionem minus necessaria sunt. Ne
sint: adiuuant certè, hocque sæpe efficiunt, vt multi ad illud ex-
petendum procedant comitatiores. Et sanè videndum est, si cir-
cumcidamus amputemusque cætera, & tantum quod summè est
necessarium relinquamus: ne dum diuini volumus planè fieri,
humanitatis partem nullam teneamus. Sit modò nobis hoc fi-
xum, quod vtique esse debet, vt omnia, in nobis si qua meliora
sunt, accepta Deo penitus referamus: eaque ad eiusdem vnius
gloriam conferamus. Hoc animo qui fuerint, cùm in ijs quas
suscipient actionibus, rebusque quas gerent, summam sibi digni-
tatem operis proponent, summamque pulchritudinem, inque
eam amore & studio incitati ferentur: tum non erit in his talibus
pertimescendum, quod inani laudis cupiditate deducti, à summo
bono deficiant. Itaque ego & liberalibus artibus, quoad in illis
nos, quantum proficiamus, non pœnitet, & imprimis philoso-
phiæ operam dandam puto, sine qua (vt dixi) nec Theologia
quidem constat. In qua quòd scribis te ita tempus omne consu-
mere, vt ad cæteras artes atque scientias nihil spatij tibi ne re-
spiciendas quidem relinquatur, non satis planè intelligo quid
dicas. Patieris autem me pro nostra familiaritate, & meæ ac tuæ
naturæ ingenuitate liberè agere tecum. Non intelligo, inquam,
quid hoc tantum tuum sibi velit studium. Nam si ea tantùm no-
bis percipienda sunt, quæ ad credulitatem nostram, & fidem faci-
endam

endam de Dei clementia & benignitate erga nos pertinent: ea sunt nobis, nec multis, nec obscuris, sed claris & illustribus literis ita compendiosè tradita. Liber enim Euangeliorum omnem viam & rationem nostræ salutis continet. Si verò explicanda illa vberius sunt, & enucleatius tractãda: an te plus in eo tibi ab infinitis voluminibus istorum, qui ætati nostræ propinquiores, omnia referserunt inconditis libris, & litigiosè scriptis, quàm à Paulo, & lege veteri, & à prophetis opis latum iri existimas? Pauci libri sunt, (nisi forte me fallit) in hoc à nobis genere perdiscẽdi sed quos magna cum cura & attentione animi legere debeamus, si ad diuinarum rerum cognitionem cupimus aspirare qui non modò spatium locumque dant lectitandis aliarum artium ingenuarum autoribus: sed ab ijs ipsi liberalibus studijs non exigua accipiunt suæ vtilitatis & dignitatis adiumenta. Nisi forte existimamus, summos illos viros, qui primi hæc Christiana literis illustrarunt, sine comitatu optimarum artium tantos progressus in diuinis facere potuisse. Quo in numero Basilium, Chrysostomum, Augustinum, Hieronymum fuisse cognouimus. Sed de his satis, vel fortasse nimis multa. Lazarum meum, tuum contubernalem factum esse, morior, nisi mihi pergratum est. Quanquam enim corpore à vobis absum, animo tamen vobiscũ esse bonvt videar mihi interdum quæstiunculas vobiscum vnà, & familiares sermones texere. Eum porrò ego ad philosophiæ studia animandum nunquam censui: quippe quorum ipse studio & amore imprimis teneatur. De Theologia quidem tibi assentior, nunquam illum ad summum peruectum iri, nisi ad reliquas facultates & disciplinas, quas multas magnasque possidet, hanc quoque primariæ artis, nobilissimæque scientiæ cognitionem adiunxerit. Cuius ego tibi in Hortensio attexam laudationem, vtque quoad patietur ratio operis, in quo ego nunc me assiduè vehementerque exerceo: speroque propediem copiam me vobis factum, qui meas ineptias irridere possitis. Io. Petri Carafæ Theatis episcopi, doctrinam, sanctitatem, virtutem, notam habeo iam diu, eamque in oculis fero. Gasparum Contarenum amo coloque, nec de facie mihi cognitum: sed de animi virtute, & de eximiæ eruditionis fama. Tu mihi gratissimum feceris, si vtrique salutem meis verbis plurimam dixeris. Contareno hoc amplius dictum mihi fuisse hoc anno, cùm essem Massiliæ, librum confectum ab eo, in quo de optimo ciuitatis statu grauiter docteque disseratur: eum librum cupere vehementer me legere. Quod Superantius, homo ingenio & nobilitate præstans, cùm discederemus Massilia, pollicitus fuit mihi se curaturum, vt exemplum ad me primo quoque tempore mitteretur: eum ego obtum arbitror. Tu qui autoritate & gratia plurimum polles, si

effeceris hoc mihi, vt quod sine onere aliquo tuo & sine incommodo fiat, cupiditati in hac re mos geratur meæ, magna mecunditate mediusfidius affeceris. Quod vt contendas & enitare magnopere à te peto. Vale. IX. Calend. Decemb. 1534.

V.

IACOB. SADOLET. EPISC. CARPENT. *Iacobo Simonetæ Episc. Pisauri S. P. D.*

SEMPER cognoui singularem in te prudentiam. Amorem verò erga me plurib. iam rebus etiam expertus sum. Sed crede mihi, posteriores literæ tuę vtriusq; rei certissimũ testimoniũ mihi attulerunt. Nam & cũ beneuolentia consilium, & in consilio beneuolentiam erga me tuam omnem ostendere. Itaq; ego, homõ minimè timidus, qui ea quæ scripseram, curauerã etiam vt viderent isti ipsi quos contra videbantur esse scripta, vt eorũ iniquissimi in miserorum fortunas impetus magis refringerentur, cùm me non periculi mei cogitatio, sed officium & pietas imprimis mouerent. Vt primùm literas tuas legi, statui esse nefas, non parere sapientissimi atque amicissimi hominis autoritati: vetusque sustuli procœmiũ, atque omne argumentum alia quadã ratione explicaui. Quod ipsum, librũque totũ vnà inscripsi, atq; misi homini summa virtute ac omni dignitate ornatissimo Federico Fregosio Archiepiscopo Salerni, quocũ magnus mihi vsus, & omnium officiorũ summa necessitudo intercedit, qui nũc in Italiam proficiscens, Venetijs imprimendum curaturus est. Quod si mihi librariorum copia fuisset, libenter tibi illũ antè legendum misissem, vsusq; essem tuo potissimum iudicio: cui plurimum profecto tribuo. Sed in summa inopia & difficultate eorũ qui describerẽt, feci quod necesse fuit: statuique esse cõmodius ad plurimorum manus eũ celeriter deuenire, quàm ad vnius serò. Quanquam vnus tu mihi pro plurib. sis semper futurus. Sed ignosces festinationi huic meæ, multis enim de causis properaui vt ille liber quàm primum in publicũ exiret. Tu tamen sic eum legito vt si res integra sit. Multa enim alia paro ac meditor, quibus accuratè perpendendis atque examinandis opportuna semper mihi futura est doctrina & admonitio tua. Sed hæc hactenus. De honore tuo quod ad me modestissimè atque humanissimè scribis, scito me hunc ipsum honorẽ quo præditus sum, multo grauiorẽ illustriremque putare, posteaq; tu ad eundẽ es vocatus. Facit n. tua eximia virtus, & præstans in omni iustitię laude integritas, vt nullus honor tantus sit, quem tu dignitate personæ tuæ ornare amplificareque non possis. Sed hęc quoque, quę longiorẽ desiderant orationẽ, in aliud tempus reijcienda sunt. Tu valebis, & nos dilig-

ges, tibiq; persuadebis, te à nobis verè fraterno animo amari & coli. Carp. XVI. Cal. Iunij, M.D.XXIX.

VI.

IAC. SADOLETVS EPISC. CARPENT. *Hieronymo Nigro, S. P. D.*

TVAS literas accepi XV. Calen. Aprilis ex Vrbe datas: quibus mirificè sum delectatus, sunt enim totæ rhetorum, nec solũ disertè atque eleganter, sed ab eo etiam scriptæ, cuius charissimam habeo erga me voluntatem. In quibus quæ de vrbis & rerũ vrbanarum statu ad me scribis, sunt illa quidem acerba & misera, nec possunt non dolore animum tantę rerũ commutationis misericordia commouere. Sed tamen debemus aliquando esse viri, & ea fortiter ferre, quæ mutare minimè possumus. Quamobrem alia agamus, & quæ magis ad nos pertinent. Est autem imprimis mi Niger tibi gratulandum, quòd eum ex rectissimis studiis tuis assecutus es tuorum laborum & vigiliarum fructum, vt spe iam certa ad immortalitatem niti posses. Cuius diuino illo cupiditatis ardore qui semel correpti sunt, quid mirum, illis si deinde sordent ista omnia quæ vulgò habentur amplissima? & ad aliud vitæ genus tendunt? Obscurum in populo illud quidem: sed cœlesti vitæ imprimis accommodatum. Quod ego summa cum voluptate animi possideo & colo. Neq; verò arbitror maius mihi munus à Deo immortali potuisse tribui, quàm hunc animi sensum vitęque statum, in quo illa tantum procurans, quæ huius officii & muneris, quod sustineo, propria sunt: quod reliquum est tẽporis, in eis studiis delectationibusq; consumo, quæ dignę sunt viro, qui quidem sit vir: hoc est, qui actionũ consiliorumq; suorũ non popularem iactationem & laudem, sed Deum veramq; sapientiam constituat sibi finem. Quocirca tibi facilè credo affirmanti, apperere te eandem vitam, mecumq; esse cupere. Noui enim omnes sensus animi tui cùm propensos ad quietis studium, tum moderatione concordiaq; placatos, vt verè beatæ vitæ desideriũ, ista in te cæterarum rerum non corrumpat cupiditas. Quod scribis autem quo minus ad nos, vt constitueras, accedere potueris, corporis morbum tibi prius, deinde itinerum pericula fuisse impedimento: sanè quàm mõlestè fero. Sunt quidem omnia (vt scribis) vbique ita perturbata, vt ignores planè quo in loco potissimum consistendũ sit. Sed si quod vspiam vestigium remanet etiam nunc quietis & ocij, in his certè est locis, in quibus homines natura magis quàm legib. ad sedatam & tranquillam vitã accommodati sunt. Vix audeo tibi exigua deferre, cuiusmodi sunt mea. Sed tamen qualiacunq; sunt, parata tibi semper non minus volui esse,

esse, quàm mihi: vt tibi habere hoc debeas persuasum, mansurum semper apud me & fidem, & constantiam semel susceptæ erga te beneuolentiæ. Ego hîc habeo cum Musis rationem, verùm diuinioribus: iamque commentarium scripsi in Psalmum nonagesimum tertium: quem cùm legeris, cognosces, posse res sacras etiam Latinè, ornatéque perscribi. Non quòd id à me perfectum sit: sed eius rei certè simulacrum quoddam est à nobis & imitatio adumbrata. Hunc iam misi homini omni virtute & dignitate amplissimo, mihique vetere amicitia coniuncto, Federico Fregoso Archiepiscopo Salerni: qui nunc in Italiam proficiscens librum Venetijs imprimendum est curaturus ab Ausulano nostro, cui hanc me debere confiteor gratiam, si modò hæc gratia, ac non onus potius & labor. Nam ipsius Federici nomini liber dicatus est. In his ego nunc versor cogitationibus. Literas colo præcipuè, ab his cùm relaxo animum, refero me ad agriculturæ oblectamenta. Habeo autem prædia quædam rustica, quæ vestrum quemuis, qui estis vrbani, delectare etiam possent. In his suburbanos hortos, viriditate, ornatu, copia tam aquarum quàm arborum lectissimarum imprimis nobiles. Hos ego inuiso frequens, capioque haustus amœnioris cœli. Hoc enim Sauonium est, sic didici ex eius schola. Quære ex eo, narrabit tibi quo id pacto fieri oporteat. Qui quòd viuit, quòd saluus est, quòd, sicut consueuit, Democritio more ridet & despicit omnia valde mihi hercule gratum est. Semper ille quidem amabilis. Sed nunc etiam magis, quod ex magna amicorum & iucundorum hominum turba nobis est penè solus relictus. Tu illi multam à me salutem itemque cæteris, qui ex illa vetere nostra iucundissima sodalitate sunt reliqui. Tu vale, Niger, & nos dilige. Paulus mihi & in moribus, & in literis apprimè satisfacit. In quibus tantos iam habet processus, vt mihi ipsi magistro sæpe fiat monitor, πολλοὶ μαθηταὶ κρείττονες διδασκάλων: hoc in eo optimè quadrat. Ita confido, magno eum & familiæ nostræ, & amicis omnibus fore ornamento. Is tibi reddit salutem plurimam. Vale. Carpent. XVI. Calend. Iunij, M.D.XXIX.

VII.

HIERONYMVS NIGER IACOBO SADOLETO Episc. Carpent. S.P.D.

SATIS non fuerat, me è naufragio illo emersum, ad patrium littus adnatasse, nisi ad spectandos deflagratæ vrbis cineres rediissem. Sed is est rerum status, atque ea totius Italiæ calamitas, vt nullus sit angulus, in quo non aut hostes sæuiant, aut Tyranni dominentur. Quare haud iniuria gratulandum tibi est, quòd in ta-

in tantis tempestatibus, fis propè vnus in portu: fructusque vitæ percipias eos, qui a sapientibus viris maximi, iucundissimique habentur. Quem sanè portum & exoptaui ipse semper, & tu, quæ tua est beniguitas, communem mihi esse voluisti. At nescio quo pacto me ad istum aciem, cursumque dirigentem, reflantes venti repulerunt. Quum enim recuperata valetudine ad te proficisci statuissem, cognoui, mare Ligusticum hostili classe, Cisalpinam omnem Galliam Hispanorum præsidiis teneri. Omnes denique aditus adeò armis occupatos, intercluso sque esse, vt ne Dedalus quidem (quod aiunt Poëtæ) tutò istuc aduolare potuisset. Itaque Romam veni ad V. Idus Febru. adductus potius patriæ tædio, quàm desiderio Vrbis: Multa enim erant illic, quæ me molestia adficerent, cùm priuata, tum publica. Nam etsi nostra illa regio & natale solum, loci natura, atque humana ope munitissima est: omnique seditione, & ciuili vacat discordia: ad hæc nihil desiderat, quod ad commoditatem victus, & ad vrbanæ vitæ splendorem pertineat: sustinet tamen diuturnũ & grauissimum bellum, quod exinanito ærario, vectigalibus que diuenditis, priuatis cuiusq; fortunis geritur: nec ordini quidem nostro parcitur, nouo more, & ne quicquam reclamante Pontifice Maximo. Quod sanè incommodum nota tibi exilitas mei sensus ferre non poterat: præsertim quum rata non fuerint beneficia, quæ Pontifex Maximus in me olim te fautore contulisset. Quamobrem diuerti huc, eo scilicet animo atq; consilio, vt cùm primùm per tumultus bellicos istuc liceat proficisci, vtar liberalitate tua: tecumque fruar isto otio, nisi tu fortè de repetenda vrbe cogites. Quod quidem consilium nec mihi facilè probatur, nec opinor prorsus prudentia tibi probatum iri. Quis est enim tam ignarus rerum æstimator, tam leuis, qui cùm quieti & honesto otio florentem vrbem & amplissimum locum posthabuerit, mox euersæ vrbi rebusque perditissimis, otium cum dignitate posthabeat? Nolo tibi ea commemorare, quæ vulgi animum mouent, amissæ nos hominum frequentiam, splendorem, patentem omnibus fortunæ campum: quibus omnibus (vt tute sapientissimè ad me scribis) vtilius est carere, quàm abundare. Illud vnum quod permagni ipse semper æstimasti, non præteribo: amisisse nos eruditorum virorum iucundissimam consuetudinem: qua sic caremus, vt vix vnum aut alterum inuenerim, qui cum Latinè in Latio loqui possem. Omnes enim ferè aut naufragio illo perierunt, aut tempestate compulsi sunt in longinquas oras, mentionemque ipsam vrbis haud immerito reformidant. Supereſt tamen ex sodalibus nostris Sauoinorum Princeps, illo eodem vultu, atque animo, quo iampridem fuit. Quem cùm fortè offendissem in via hilarem, & non minus curis dispoliatum, quàm fortunis:

tunis: continere risum non potui tanto in luctu & squalore ciuitatis. Vtinam, inquit, cum philosopho ambulassem. Hispanus miles tractauit me pessimè. Hæc habui, quæ ad te confestim scriberem. Nam pueri tui mihi denuntiarunt, proxima nocte certum hominem in prouinciam istam discessurum. Clemens Pontifex Max. è morbo tandem conualuit. Quotidie in ore habet diuinum consilium tuum, de profectione ad Cæsarem, & de pace publica: quo quidem consilio si integris rebus vsus fuisset, non laboraremus. Cura vt valeas: & Paulo fratris filio meis verbis plurimam dic salutem. Vale iterum, & me vt facis ama. Romæ XV. Calend. Aprilis, M. D. XXIX.

VIII.

IAC. SADOLETVS EPISC. CARP. *Hieronymo Nigro S. P. D.*

NON mediocriter delectauerunt me literæ tuæ Idibus Aprilis datæ, quas ego ad XI. Calend. Iunij accepi. Nam & amoris tui erga me, vsitatũ illud quidem, sed tamen semper optatum, & mihi iucundum testimonium attulerunt: & multa vt scirem effecerunt, de quibus audire anteà auebam. Imprimisque de statu tuo, de quo quòd animo pacato & parato ad amplectendum otium es, & tibi valdè gratulor, & agnosco moderationem tuam: qui in illis fluctibus sic iactaris, vt fortunæ quidem nunc cedas, vel obsecundes potius, quando in altum dudum prouectus es: idq; non tam iudicio tuo ab initio, quàm vi quadam & tempestate: veruntamen portum semper ex illis spectes, & tutam magis ac tenuem, quàm periculis copiisque coniunctam sedem iampridem expetas fortunarum tuarum: nihilque tantopere cupias, quàm toto animo vacare studiis honestissimis. Quæ voluntas docto & libero homine digna, si semper laudi fuit optimis etiam temporibus, quid censes perditis? neque eò dico, quòd eam in qua nunc versaris, vitæ rationem esse improbandam putem: sed vt hanc illi multò anteponam quatenus ea saluo officio possit suscipi. Sed vt liberæ virtutis deligere id quod est optimum, ita occupatæ atque constrictæ consolari se spe bona. Quod tu cùm facis, nõ paruam iam nunc obtines eius tranquillitatis partem, ad quam totus propensus es. A Bembo meo acceperam literas paulò ante quàm ad me essent allatæ tuæ. In his de illo senatusconsulto, & de suscepto onere conscribendi res Venetorum gestas multa mentio. Sed vt ipse rem arbitretur fore magni laboris, vt quæ delata inopinanti sit, neque vnquam anteà in illa meditatione curaq; versato: gaudeo factum esse iudicium sanè honorificum ipsius dignitatis eximiæq; virtutis. Nunquam enim

profe-

profectò ciuitas illa æternam suorum monumentorum memoriam illi commendasset, nisi summi viri ingenio, atq; eloquentia, suas quoq; laudes illustriores futuras iudicauisset. De Leonico malè factum. Optimũ virum & doctissimum amisimus: quem ego amabam merito illius plurimum: neq; vnquam videra hominem, nisi quòd virtus, eximia præsertim, nunquam non cuiuis nostrum conspecta est. Quamobrem doleamus nostra id quidem magis, quàm ipsius causa: qui, vt scribis ipse, ad certam & veram vitam immortalitate iam translatus est. Verùm nostro quoq; dolori ea res fuerit solatio, quòd expressam habemus imaginẽ præstantissimi viri in eis libris, quos ipse & plureis & scriptos egregiè reliquit. Hi illum nobis referent, neque eum lugeri patientur pro mortuo. Lazarum tradere Patauij optimarum artiũ doctrinam iuuentuti, nec sciui anteà, & nunc cognosce lætor. Dederam ego ad eum bis térue literas, neq; vllum ab eo responsum. Quod mirabar, & quidem vsque eò, vt de illo nescio quid timerem. Nunc video causam hanc aduersus me silentij, quòd cum discipulis illi plus satis colloquendũ est. Equidem hominis eruditissimi, & mihi coniunctissimi, omni honore & commodo plurimum lætor: sed tamen me illi totum effluere ex animo, etiam molestè fero. Tu illi à me plurimam salutem. Quòd Psalmum meum probas, gratũ mihi. Ego perfecto Hortensio, in quo quidem nunc elaboro, si tamẽ vt perficiam magnitudo rei patietur, totũ me daturus sum ad sacras literas. In quibus & animi nostri voluptas plenior multò est, & cæteris vtilitas paratior. Tu vt valeas, & nos perpetuò diligas, veteresque nostros necessarios salutes meis verbis, si qui in vrbe Roma reliqui iam sunt, imprimis à te peto. Vale. Carpentoracti, III. Nonas Iunij, M. D. XXXI.

IX.

IAC. SADOLETVS EPISC. CARPENT. *Hieronymo Nigro S. P. D.*

His diebus, cùm minus commoda valetudine vterer, dedi negotium Paulo, vt scriberet ad te de eis rebus quarum & mea & tua intererat, te fieri certiorem. Quod ab illo factum diligenter fuisse nõ dubito. Nunc noua re oblata, in qua tua opera mihi expetenda esset, statui has ad te rursus scribere: petereque pro mutua nostra beneuolentia, vt quod imprimis cupio optoq;, quod tamen ipsum non ad meum illum priuatum commodum, sed ad officij nostri duntaxat & muneris functionem pertinet: in eo assequendo & operam mihi tuam, & studium præbere velles. Rei porrò ipsa sic se habet. Quo tempore veni mi Niger in hanc prouinciam, non vt peregrinaturus in ea, sed vt domicilium

vitæ

vitæ constituturus: hominum quidem horum virtutem, mansuetudinem, comitatem, probaui statim ex initio, amareque occepi: animumque induxi, vt quod mihi necessariò per leges & religionem faciendum esset, id etiam à me prolixè libenterque fieret: hoc est, vt his essem quam maximè studio beneuolentiaque coniunctus. Sed inter multa quæ mihi erant voluptati & delectationi, illud vnum ægro animo ferebam, quòd nullam in his natalibus bonarum literarum cognitionem, nullum inesse studium optimarum artium videbam. Nec verò id facilè ego pati poteram: vt cùm à me mei ratio postularet officij, vt quacunque possem, populis meis commodarem: earum adeo rerum, quæ ad bene ac beatè viuendum pertinerent, hanc vnam rem sic abesse finerem, in qua (vt mihi quidem videtur) vel beata præcipuè vita continetur. Itaq; quoad potui, hortando, rogando, commonefaciendo, aliquos tandem induxi, vt suos cupiant liberos erudiri his literis, quas nos appellamus optimas. Nam anteà nullus erat hic arti neque scientiæ quicquam loci, nisi iuris ciuilis peritiæ: quæ expetebatur ab omnibus, non vt discerent homines viuere liberaliter, sed vt lucro & arcæ consulerent. Nunc videtur in animis aliquorum eiusmodi semina esse iacta, vt si fit doctoris copia & facultas, ingenuas illas artes & disciplinas, quas nos eo vehementiùs probare soliti sumus, quòd animos illæ docent ac instituunt non deseruire pecuniis, sed ab omni illiusmodi cupiditate, vel labe potius solutos esse, in honorem adduci posse confidamus. Quanquam rei euentus in nostra potestate non est. exemplum certè introducere, & ordiri principium aliquod, rebusque bonis nec opera, nec studio, nec autoritate deesse, hominis est non sibi vni, sed & patriæ, ciuibus, & communi cunctorum vtilitati seruientis: quam nos imprimis rationem vitæ voluntatemque instituimus sequi. Est autem in ciuitate hac conuentus quidam monachorum, quorum rector maximè cupiditate hac incensus est: Græcasq; & Latinas literas cupit in familia sua propagari. Idemq; vniuersæ prouinciæ Narbonensis præest religiosi ordinis sui conuentibus: vt videatur huius præclari amoris simulos in plures cœtus hominum esse disseminaturus. Sed (vt dixi) magister nobis deest & autor, & iuuentum quasi quidam moderator, huic idoneus muneri: quem si nanciscemur, spero fore, aspirante nostris conatibus Deo, aliqua hîc quoque ingeniatum iri ingenia, quæ ad nobilissimarum artium adipiscendam laudem egregiè apta existerent. Hunc nos magistrũ & doctorem à vobis quærimus. Habetis enim istic (vt ego arbitror) talium virorum copiam. Sed eum esse huiusmodi oporteret, qui medio cribus rebus posset esse cõtentus. Nam ne nos quidem in optando admodũ insanimus. Si Græcas nouerit probè literas, Latinas

aute

autem mediocriter: ita tamen, vt vitia orationis promptè discernat: habeatque docendi, & instituendi planam ac facilem rationem, poterimus eo nos esse contenti. Merces sanè illi à nobis persoluetur, aurei nummi quotannis sexaginta: victumque & tectum commodè vt habeat curabitur, ad eandem videlicet modestiam & mediocritatem. Nunc cùm videas mi Niger quantæ hæc mihi curæ res sit, & quàm sit recta & honesta ratio huius consilij mei: peto à te pro nostra summa coniunctione, vt curam & cogitationem aliquam suscipias, quo huic rectissimo studio nostro satisfiat: aliquemque nobis inuenire studeas, qui sustineat partes hac in re amoris & pietatis erga hosce populos nostræ, meamque optimam in meos voluntatem ipse re expleat. Quòd si vnquam videro fieri, vt hi quos charitate nimirum Christiana in filiorum loco diligo, sectentur eas artes, quæ liberales sunt, aocantque ab omni sordida & inquinata cupiditate habendi: ne ego illi (crede mihi) cuiuscunque opera hoc assequar, planè me obstrictum, & in perpetuum obligatum esse profitebor: omnique studio diligentiaque curabo, vt suum is huiusmodi officium non malè à se positum sit iudicaturus. Hac eadem de re vt Lazarum nostrum appelles, cùm eóque accuratè colloquare, rehementer à te peto: mihique vt primo quoque tempore rescribas. Vale mi Niger, & Bembo meo, summo viro, plurimam salutem verbis meis dic. Carpentoracti, IV. Nonas Maij. M. D.XXXIII.

X.

IAC. SADOLETVS EPISC. CARP. *Hieronymo Nigro S. P. D.*

Lecti literas tuas, ad Paulum quas misisti, in quibus amor tuus pristinus erga me se ostendit: nouus ille quidem mihi nunquam, sed tamen semper & optatus, & dulcis: quem & feci, & facio mi Niger plurimi. Salus ad me per te missa à veteribus amicis, mihi iucundissima fuit. Nec quicquam est omnium rerum quod libentiùs faciam quàm vsurpare crebro memoriam eorum, quos charissimè semper constantissimeque dilexi, Esini, Colotij, Petrasanctæ, Thebaldæi, Blosij nostri, etiam Sauoiæ martiris hominis, quem audio magnis de Republica occupationibus impeditum, quotidie minus se vobis fruendum præbere posse, te verò mi Niger amo vt debeo, abs teque peto, vt eos amicos à me resalutes, quos modò nominaui, & omnes præterea reliquos, quos antiquæ academiæ esse cognoueris. Contarenum patronum tuum non amo solùm, sed etiam veneror: & cùm hoc ei tribuo, vt neminem illi in optimarum artium cognitione præ-

ponam: tum verò Deum immortalem, diuosque omnes con-
stans, sic planè statuo, nec meliorem virum, nec sanctiorem ho-
minem, nec amantiorem veritatis, pietatis, synceritatis, repe-
quempiam posse. Itaque tanto & amore & cultu illum pro-
quor, quantum tantarum & tam præstantium virtutum exce-
lentia postulat. Me ad concilium affuturum esse, si id habebit
dubitaréne potes? Quanquam enim magno mihi ea res erit
commodo: tamen dare operam Deo, & illius honori ac nomi-
deseruire, quantum quidem in me erit, ita mihi constitutum e
vt etiam si sit vita mihi in illo opere profundenda, mecum pr
clarè iri actum putem. Tu vale, & nos ama, tibique persuade,
vicissim a me singulariter amari. Ex hortis nostris suburbanis
IV. Nonas Iunij, M.D.XXXVI.

XI.

HIERONYMVS NIGER IACOBO *Sadoleto Episc. Carpent. S. P. D.*

ETsi pudet me post diuturnam cessationem nunc ad te scri-
bere: tamen non dubito, quin pro tua in amore constantia
meæ (si qua fuit) negligentiæ benignus interpres sis futurus.
Præsertim cùm nihil esset priuati quod scriberem: publica ver-
omnia copiosè ab aliis ad te perscribi non ignoratem. Nunc au-
tem cùm decreuerim ex vrbe discedere: te, quem omnium con-
siliorum meorum, non modò conscium, sed autorem etiam sem-
per esse volui, fas est profectionis meæ causas, rationesq; cogno-
scere. Nec vereor, ne non consilium tibi probetur meum: qu
me semper non solùm monitis, verùm etiam exemplo ad qua-
tem & otium inuitaris: quiq; ex veteri meo instituto intelligas
me non opum, aut honorum cupiditate, sed officio ac beneuo-
lentia ad vrbem fuisse reuocatum. Cui quidem officio ac studio
cùm iam satis factũ à me fuerit, viderer planè desipere, nisi quod
reliquum est ætatis, mihi ipsi, hoc est meis studiis darem. Quam
obrem constitutum habeo ad Calendas Maias Parauium pro-
cisci, nactus opportunam occasionem, quòd eodem tempore
Cornelius meus Brixianorũ Pontifex exire in prouinciam suam
cõstituit. Erit autem otiolum illud meum, tui istius veri ac solid
otij simulacrũ quoddam: quòd tu in oris istis pacatissimis, omni
vacuus molestia, cœlestem penè in terris vitam agis: mihi mulu
maximo futura impedimento sunt. Mitto rei familiaris angu-
stias, quam etsi contempsi semper, tamen labores mei atque offi-
cia paulò æquiorem facere debuissent. In quo mihi temporũ in-
quitas est accusanda: ne quid in eos grauius dicam, qui ea se ra-
tione posse me perpetuis laboribus implicare, atque ab otio ac
ambi-

ambitionem transferre cogitarunt. Quod me vehementer vrges, imprimis est rei domesticæ cura. Viuit enim adhuc quidem pater, sed extrema iam ætate: sorores habeo domi nubiles: fratres extincti sunt omnes, præter eum quem iamdiu in Cypro insula degentem, nostri oblitum, rectè possumus inter mortuos connumerare. Itaq; mihi vni apprimè ad otium & tranquillitatẽ nato, quiq; ad hoc tempus in aliorũ sedulitate ac diligẽtia cõquieui, grauissimũ iam onus gubernandæ familię subeundum est: spesq; illa mea tecum viuendi, quod maximè optabam, in aliud tempus reiicienda. Sunt hæc quidem magna incommoda, & à meo valde aliena constituto. Sed ea omnia veræ laudis atq; virtutis amor faciet leuiora. Quin maior mihi proposita est gloria, si tot circumfusos molestiis, in eum locum peruenero, in quem multi abundantes otio, atq; fortunis, peruenire minimè potuerũt. Quod an aliquando assecuturus sim, haud satis compertum habeo. Enitar certè, Deo hominibusq; bene iuuantibus. Proficiscar enim eò, vbi licebit veterum amicorum, doctissimorumque virorum perfrui consuetudine. Quæ quanti in studiis nostris momenti sit, tu maximè omnium nosti. Habebimus illic Bembum, Lazarum, Lampidium, Pierium, bone Deus, quo iudicio, qua eruditione homines? Nec dubitamus, quin & alios in dies habituri simus, peritos rerum vrbanarum, atque huius vrbis miserrimi status. Tu verò velim, qua consuesti fide ac religione, nostram inter nos amicitiam tuearis. Et quemadmodum ego te semper absentem oculis atq; animo requiram, ita tu beneuolentiæ in te meæ memoriam apud te interire ne patiaris. Quod equidem adscribo, non vt timens, sed vt amans. Literas tuas ad Petrum Bembum, quas mihi dedit Antonius, rẽddam diligenter: multamque illi, ac ceteris amicis salutem dicam tuis verbis. Illic otiosus plura ad te, literasq; ad Antonium, aut Binum mittam. Idem ipse si facies, erit mihi quàm gratissimum, atque vt facias oro. Vale omnium qui sunt, qui fuerunt, qui futuri sunt beatissimè. Valere etiam volo Paulum à quo literas accipere opto. Romæ. IV. Calend. Maij. M.D.XXXII.

XII.

IACOB. SADOLET. EPISC. CARPENT. *Ludouico Pariseto iuniori S. P. D.*

LEGI tuum carmen: idque mirificè probaui: est enim quantum ego possum iudicare, cùm doctum & elegans, tum quo in genere esse vis, eius generis numeris omnibus absolutum. Sed eius ipsius argumentum carminis aliquandiu me suspensum, atque ancipitem animi tenuit: dum nequirem satis cõiectura per-

ſpicere, quid tu in illo tibi propoſitum habuiſſes. Nam ſi ornatum & cultum reprehendis orationis, eosque obiurgas, qui electis verbis, grauibusque ſententiis ſua ſenſa exprimunt, idque tuntur, vel quæ ab ipſis emittuntur, prodeant limatiora: tute bi laqueum tendis, tute ipſe te implicas: eos enim accuſantes qui ſtudium & operam poliendæ orationi dant, nõ decuit ipſos politè & diſertè loqui. Quòd ſi ego is eſſem, qui mihi hanc elegantiam adſciſcerem: reſponderem tibi id quod veriſſimum eſt, debere nos partus eos quos gignimus, optare naſci quam perfectiſſimos: nihil earum deſiderantes rerum, quæ ad vitam & ad decorem, corpore, animo, vita contineantur. Hoc non ſolùm in filiorum ſobole corporea, ſed multò etiam magis in fœtibus ingenij natura nobis eſſe dicerem inſitum: neque quam naturalem hanc in nobis cupiditatem iure fuiſſe accuſquam vt vitium obiectam, quæ non ad populatem famam primum & maximè, ſed ad expletionem naturæ ſpectet atque pertinet. Sed quoniam meum negotium non agitur, viderint alij. Ego illud pro ætate & conſuetudine mea non mutus admonebo, ne te ab illa ratione falli ſinas, quæ tibi forſaſſe bona viſa eſt, quidem exiſtimas ita eſſe, vt ſcribis, nitorem, & copiam accurati ſermonis, veritati fucum & falſum colorem obducere. Non enim ita ſe res habet. Nec qui in ſacris literis diſertius explanandis vigilant, eiuſmodi prouinciam ſuſcipiunt, vt patefaciant veritatem, quæ ex diuinæ legis oraculis apertè & perſpicuè ſuapte luce clara eſt, neque eget ad demonſtrandum ingenio aut interpretatione cuiuſquam. Sed refrigeratos iampridem mortalium animos, ad pietatis ſtudia rurſus capeſſenda monitis & cohortationibus ſuis conantur accendere: quod ſine vi aliqua dicendi verborum grandium, & aptè ſignificantium copia, commodè fieri non poteſt. Quare meum iudicium eſt, & ſemper fuit, non ſolum licere Chriſtiano homini, verumetiam conuenire, atque adeo opus eſſe, ſi ſuo is ritè officio fungi velit, excolere orationem quæ legentibus magis profutura ſit, & magnifica præpotentis Dei opera vberius explicatura: laudemque ab hominibus (quæ modò princeps ipſa ſpectata non ſit, eaque nobiſcum vna ad Deum referatur) tanquam acceſſionem quandam non penitus aſpernandam eſſe. Quod egò te quia facere mihi viſus es, vt te ad ſcribendum accuratè & ſubtiliter, & collaudo nunc quidem, & in poſterum quoque in eo vt perſeueres, vehementer hortor. Vale. Carpent. XVII. Calend. Decemb. M. D. XXXIV.

IAC.

IACOBI SADOLETI EPISC. CARPENTORACTI EPISTOLARUM Lib. IX. Epist. I.

IAC. SADOLETVS EPISC. CARPENT. *Paulo III. Pontifici Maximo S. P. D.*

PRIMVM, sicuti debeo, sanctitati tuæ gratulor, quod ad dignam sua virtute & prudentia rerum administrationem vocata, amplam habitura facultatem est, sese in maximis humani generis vtilitatibus & commodis exercendi. Quæ vna actio cum propria summi istius honoris, tum beatæ & iucundæ vitæ effectrix mihi videtur. Et cùm hoc gratulor, tum illud maximi facio, quod sine ambitione vlla, sine mora, contradicente nemine, omnibus suffragiis statim renunciata est: vt renunciatio indicium fecerit dignitatis: ipsa verò celetitas renuntiandi, apertè ostenderit, tantam tamque eximiam virtutem, quanta in te semper fuit, ad tantos motus rerum, quibus iactatur Respub. sedandos, & ad salutarem eorum consiliis sapientibus dirigendos, quam primùm & quàm maximè necessariam esse. Itaque & nomen, & virtus, & dignitas tua, tanta nunc apud omnes in opinione est: ita tua ad summam Pontificatum electio ab omnibus est accepta, vt non hominum consiliis, sed diuinitus facta esse videatur. Atque hæc quidem & populi huius in quo ego versor, & omnium Galliæ populorum ac principum est sententia. Audio enim multorum voces, & video vultus. Vt enim quisque hac habet iter, ita ferè congreditur & colloquitur mecum. Non equidem possum tantum, quantum res est, præscribere. Sed hoc certè scribo, quod intelligo, & sentio, nunquam animos hominũ lætiores, nunquam præcationes magis honorificas, nec crebriores laudes de vllo Rom. Pont. extitisse: vt iam non sanctitati tuæ me gratulari, sed Christiano nomini vniuerso magis conueniat. Et certè si res veritasque spectetur, boni & prudentis viri imperium procuratio est aliorum salutis: cuius fructus vtilitasque ad alios, ad ipsum vero qui imperat, voluptas & lætitia rerum benè gerendarum pertinet. Habent igitur Christianæ nationes quod expetebant: Pont. Maximum integra fama, summa virtute, singulari sapientia præditum. Roma verò ipsa orbis terrarum caput, summi domicilium Pontificatus, præter gaudium de principe, quod commune omnibus est, qua præcipuè affici voluptate est existimanda? quæ ciue suo, & nobilissimo quidem ciue, quæ tanto munere Dei immortalis, tantis honoribus, tot præmiis ornata, au-

cta, condecorataq; est? In quam tuæ sanctitatis liberalitas co-
tinuò se effudit: ipsoque statim Pontificatus initio ciuibus su-
ostendit, quam benevolo animo eos amplecteretur, quos hab-
ret patriæ charitate, qua nulla est sanctior, sibi coniunctos. E-
ego, qui te quàm plurimis ab hinc annis probè habeo cog-
tum, qui ad has populares tuas illustresque virtutes, illas ex-
domesticas scio adiunctas esse, humanitatem, affabilitatem, m-
mitatem: & quam ego plurimi semper feci, facioque bonar-
artium omnium, literarumque egregiam scientiam: is sum pr-
ter cæteros, qui omnibus debeo exultare lætitiis. Nam & m-
amantissimo Reipubl. optimi principis imperium maximo g-
dio esse debet: & virtutes veneranti, prudentissimi, & literis-
dito, doctissimi. Illud verò non minimum ad animi mei lætitiæ
iucunditatemque augendam pertinet, quod inter sanctitat-
tuam & me familiaritas aliquando aliqua intercesserit: quæ e-
minus fuit quotidianis à me officiis culta, propter diuersa qu-
dem vtriusque nostrum vitæ studia, dissimilesque occupation-
tamen neque ego vnquam tuam erga me benevolentiam defi-
raui, neq; sanctitas tua meam erga se obseruantiam nõ cognou-
Quam nunc quidem familiaritatem & amicitiam ad alia voc-
bula translatam esse vehementer gaudeo. Non enim mihi pl-
hac ad amicum, & ad patronum: sed ad principem, & domin-
cõfugiendum erit: ampliore eius potestate benignè mihi facie-
di, si vsus venerit: eadem, vt spero, voluntate. Quapropter a-
Deo omnipotenti maximas meritasque gratias, qui populo-
tam necessario tempore, talem Pontificem præficere est dign-
tus. Tibique vnà & cuncto Christiano nomini iterum ac sæpi-
gratulor. Fore enim confido, vt tua dignitas, atq; gloria, cum s-
lute & maxima vtilitate Christiani generis coniuncta sit futur-
Quod verò ad me propriè attinet, quoniam nõ habeo verba qu-
bus sensum animi mei planè exprimam, sanctitatem tuã precor
vt pro sua prudentia expendere ipsa & considerare velit, quo m-
gaudio repletum esse oporteat, ex honore summo amicissimi m-
ri, doctissimi hominis, præstantissimi ciuis (siquidem ego quo-
iampridem ciuitate Romana donatus sum) quodque imperm-
& super omnia lætandum mihi est, optimi Pontificis, & prude-
tissimi, & liberalissimi: vt in tot causis lætandi & gratulandi
cùm gaudium meum abundet, verba animi non suppetant, fr-
sanctitatis interiorem voluntatem meam, ardentem studio a-
que amore, non hæc externa voluntatis indicia, quæ in mea on-
tione frigidiora multò sunt, accipere & comprobare. Quod i-
lud quoque non me indignum est, nec tibi ingratum, petere m-
à meo Principe quæ mihi opus sint: cùm ego Pater sanctæ me-
diu me in hanc meam Ecclesiasticam prouinciã receperim, ne-
amb-

ambitionis studiis, neque opum aut diuitiarum deditus cupiditati, vitamque in ea mediocritate traducam, quæ tantùm ad propulsandas necessitates idonea sit: vnam illam habeo curam, assiduamq; in animo meo cogitationem, vt huic sanè tenui & pusillo gregi, qui tamen mihi pro mea paruitate nimis magnus videtur, mea industria & diligentia alicui emolumento ad Christianas virtutes agnoscendas, easdemque colendas esse possit. In quo sanctitas tua plurimum me adiuuerit, si iura quædam & facultates, quas mihi semper amabilis & commemorandus Pontifex Clemens septimus concesserat, ratas mihi & firmas esse iusserit. Quod vt faciat omni eum animi studio rogo atque deprecor. Deus sanctitatem tuam, Pater beatissime, incolumem nobis perpetuò conseruet. Pridie Idus Decemb. M.D.XXXIV. Carp.

II.

IAC. SADOLETVS EPISC. CARPENT. *Paulo III. Pontifici Maximo S. P. D.*

CVM ætas mea iam ingraueſcens, eademque parum firma viribus: & ratio studiorum ac consiliorum meorum me detineret, quo minus (id quod ego maximè cupiebam, atque imprimis mihi conuenire arbitrabar) ad salutandam, venerandamque sanctitatem tuam ipsemet me conferrem: statui ad officium meum pertinere, aliquem pro me mittere, qui meam vicem ipse hoc munere fungeretur, meamque ad te obseruantiam beneuolentiamque perferret: animumq; omnem meum exponeret, cùm virtutibus optimi Pontificis, tum gloriæ & laudi summi omnium principis vehementer deditum. Nec verò in conquirendo ac deligendo nuntio diutiùs dubitandum mihi fuit, quin hunc iuuenem potissimum mitterem Paulum Sadoletum filium fratris mei: quem ego maxima cum cura ac diligentia educaui: & in quo quicquid vnquam ex literarum studiis, quicquid ex vsu rerum multarū atq; magnarum consecutus sum (si modò quicquam consequi potui) ita imprimere totum sum conatus, vt quòd hoc laborarim & studuerim, satisfactū in eo à me naturæ, & patriæ meæ indulgentiæ erga ipsum susceptæ, fuerit: quòd verò mei labores speratum atque exoptatum exitum assecuti sint, maximam hoc nomine gratiam Deo immortali debeam. Certè cum si quid est quod ego præstare aut polliceri possim, audeo hoc palàm commemorare & proferre, neque in bonis literis, neque in optimis & modestissimis moribus, neque in ea quæ ad gerendas res apta sit, fide, diligentia, taciturnitate, quicquam me esse ausum optare, in quo non huius mihi iuuenis, & ingenium, & voluntas cumulatè respondeat. Quo quidem

etiam nomine, & ſpe maxima in eo virtutis adductus, meis etiam accedentibus precibus optimus Pontifex Clemens ſingulari beneficio adiutorem mihi cum in huius procuratione Eccleſiæ, tum ſucceſſorem dedit. Sed vt ad primam redeam, Cauſæ mittendi fuerunt, primùm vt frueretur ipſe aſpectu & vultu ſanctitatis tuæ oculisque preſens perciperet eam voluptatem, quam ego abſens cogitatione capere non deſino. Deinde, vt coram tibi gratas meis verbis ageret, quod tui initio Pontificatus, mihi multa petenti & poſtulanti, quæ ad meam & Eccleſiæ huius dignitatem commodumque pertinerent, nulla in re nec beneficentiam, nec liberalitatem tuã clauſam voluiſſe eſſe. Quam quidem ego ſanctitatis tuæ benignitatem erga me, ita inclusam in intimis meis ſenſibus habeo, vt ſim omnino aliquando, ſi non gratiam (abhorret enim mea tenuitas ab huiuſmodi verbo) at ſimilitudinem certè aliquam gratiæ relaturus. Poſtremò ob eam etiam cauſam à me miſſus eſt, vt ſanctitati tuæ, & meo, & ſuo, & Chriſtianæ Reipub. totius nomine, gratularetur. Quanquam hæc gratulatio, neq; mea magis eſſe debet quàm cæterorum omnium: ſi quod priuatum meum in gratulando officium quæritur, vt decor illi aliis meis ad ipſam literis feciſſe ſatis. Verùm, Pater ſancte, in illis tunc ſpei, expectationi, quam de te omnes habebamus, ſum gratulatus: nunc perſpectæ, ac cognitæ virtuti tuæ gratulamur, & felicitati. Non enim obſcurum eſt, nec latere iam quenquam poteſt, quo animo ſanctitas tua Pontificatum gerat: quæ illis primis ſui honoris diebus à liberalitate erga ciues, à curã placandæ & ordinandæ Vrbis profecta, ſtatim orbis terræ vniuerſam ſalutem animo complexa eſt, ſuamq; deconuocando conſilio voluntatem propoſuit, cuius vel nomine ipſo multorum antea animi terreri videbantur. Itaque ſeditioſos & impios, omnibusque iis qui diſſidium & confuſionem in Eccleſia Dei quærunt, videbatur hoc tutiſſimum eſſe impietatis ſuæ perfugium: vt cùm caſtigarentur, cùm monerentur, cùm vel ad pœnitentiam, vel ad pœnam vocarentur, ipſi ad concilij nomen confugerent, illudq; indici flagitarent, & poſcerent. Quaſi non minus terroris ex eo principibus Eccleſiæ Catholicæ allatum, quàm in ipſis formidinis atque vecordiæ ex malæ conſcientiæ ſtimulis inſideret. Atque hoc magnanimi Pontificis factum, ſi cuta illa eſt plena æquitatis & ſapientiæ in regendis hominum cœtibus ratio: quod pluribus iam rebus & exemplis cognitum eſt, placere ſanctitati tuæ, idque imprimis tibi curæ eſſe, vt non idem ſit pauperi, & diuiti: vt ne potentia imbecillitatem opprimat: vt qui opibus plus poſſunt, iis illi ad iniuriam faciendam ne abutantur. Quod inſtitutum conueniens præcipuè, & dignum optimis principibus, ſed iam deſuetudine penè in obliuionem ad-

adductum, tua sanctitas modò in consuetudinem & honorem retulit. Hæc & his similia multa cùm sanctitas tua ad summum Pontificatum euecta esset, sperantes tum gratulabamur, nunc gratulamur experti. Nec verò minùs iusta ad lætandum causa est, vidisse ea quæ pulcherrimè facta sint, quàm sperasse futura: cùm præsertim illud quoque accedat, vt hæc tempora, has actiones, hunc tuæ sanctitatis honorem atque statum, diuina liberalitas perspicuè comprobet. Quando enim tot iam seculis, tot conatibus, tot Pontificibus, maiorum nostrorum votis atque ætatibus datum est, id quod ætati nunc est tributum nostræ, vt hostes Christianæ fidei, nostrum iam nomen, nostra arma, nostras vires timere incipiant? qui antea liberè omnia depopulabantur, qui nos quotidianis damnis & cladibus affligebant, semperque finitima quæque sibi corripientes, nos angustis iam finibus retinebant inclusos: hi nunc summi atque clarissimi omnium principis Caroli Cæsaris virtute, sapientia, felicitate, tuæ sanctitatis copiis consiliisque iuuantibus, toto repente mari infero depulsi, parte Africæ primaria, & vrbe opulentissima Thunete spoliati, de sua reliqua salute pertimescere coguntur. Cùm Christiani generis antiqua virtus, quæ iam dudum hebes facta & debilitata languebat, hoc præstantissimo duce & imperatore Carolo, non audeat nunc solùm consistere aduersus impios hostes: sed pestem etiam illis exitiumque minetur. Quæ ego cuncta cum animo meo cogitans, summoque meo quodam perpetuoque amore in Christianam Remp. incitatus, cùm cuperem conferre cum sanctitate tua, & de his illi, & cum illa, Reipub. Christianæ gratulari, ipse verò in his locis iustissimis rationibus retinerer, misi iuuenem hunc, tanquam me alterum, imaginem animi sensusq; mei, qui eadem istuc perferret, coramque tuæ sanctitatis pedibus aduolutus, cùm reliquas officij mei tibi debiti præstaret partes, tum de hac fortuna, de felicitate temporum, deq; summis Dei omnipotentis erga nos beneficiis, quæ omnia cum laude sanctitatis tuæ coniuncta sunt, tibi & meo & suo nomine gratularetur. Quem ego natura penè filium, amore verò & iudicio verè vnicum mihi filium, rogo atque oro sanctitatem tuam, vt libenter atque humanè pro sua clementia excipiat atq; audiat. Nullum ipse onus sanctitati tuæ est allaturus: nec quicquam de illius fortuna ad suæ vtilitatis fructum est allaturus: sumus enim ambo mediocribus rebus sat contenti. Humanitatem tantùm, & benignitatem tuam nobis expetimus, in qua vna nobis sunt omnia: atq. vt faciles ipse aditus habeat, sitq; illi & visendi, & adeundi, & interdum etiam alloquendi sui principis potestas. Nam quod ad ipsum quidem attinet, eum ego volo, perfunctum officio suo & munere, ista vrbe perspecta, moribus curiæ

cognitis, veteribus amicis noſtris conuentis, & confirmatis, ad me protinus reuerti: quod eius pietate, & obſeruantia, & fidelissimis officiis ad meæ ſubſidium ſenectutis vehementer indiget. Quæ hoc mihi infeſtior impendere ſenectus videtur, quod ſtudiorum aſſiduitas, à quibus auelli non poſſum, quotidie aliquid magis de meæ ætatis ſucco, & viribus corporis detrahit. Itaque illum abeſſe à me non facilè eſſem paſſurus, niſi ſi qua occaſio incideret huiuſmodi, vt actione aliqua præclara ac laudabili, plenaq; dignitatis, illius mens operaq; occuparetur. In qua (quod confiderem eum egregiè facturum) explicare ipſe ingenium ſuum, declarare induſtriam, nauare ſuam virtutem & Chriſtianæ Reip. & ſanctitati tuæ poſſet. Sed hæc quæ meæ poteſtatis non ſunt, ad Dei conſilium nobis ſunt reiicienda. Illud quod mihi ſeruienti fuit propoſitum, rurſus deprecor ſanctitatem tuam, vt & animum meum erga ſe, ſummamque obſeruantiam agnoſcere, & huic iuueni de ſua humanitate impartire aliquid velit: nos ambos habere in numero eorum qui ſanctitatis tuæ ſaluti, amplitudini, laudi omni animi ſtudio ſunt dediti. Deus ſanctitatem tuam cuſtodiat, eiusq; rectiſſima conſilia ipſi & Chriſtianæ Reip. fortunet. VI. Idus Septemb. M. D. XXXV. Carpentoracti.

III.

IAC. SADOLETVS EPISC. CARPENT. Paulo III. Pontifici Max. S. P. D.

CVM Pauli reditu ad nos, magna per ſe lætitia me affecit, tum verò multò vberius gaudium meum factum eſt, humanitate earum literarum, quas ſanctitas tua reſcribere mihi dignata eſt. In illis enim non ſolùm benefici Principis erga fideles ſuos ſtudium, ſed optimi parentis indulgentia quædam planè mihi eſſe expreſſa videtur. Itaque ego quemadmodum gratias ſanctitati tuæ agam, non reperio. Nec enim ad magnitudinem illius beneficiorum par à me ingenij vis, aut verborum copia afferri vlla poteſt. Neque verò ipſa reſcripſit mihi ſolùm liberaliter: ſed liberaliùs etiam mecum egit, nullasque meas preces irritas accidere auribus ſuis paſſa eſt. In Paulo autem ipſo, quod maximè cupiebam, id mihi in omnem partem cumulatè præſtitit, & vt illum ex meo teſtimonio benignitate ſua libenter complecteretur, & illius mox ingenio probitateque perſpecta, aſſenſu ſuo grauiſſimo comprobaret in eo fidem teſtimonij mei. Ita ſi mihi liberalitas optimi principis quæſita eſt, nihil fieri potuit beneficentius erga me, quàm à ſanctitate tua factum eſt, ſi iudicium atque honor, nihil ego expectare poſſum hono-

honoratius. Atque hæc Pater sancte indicia tam perspicua voluntatis erga me tuæ, si mihi ita tributa essent, vt aliqua ex parte merito meo viderentur data: haberem aliquid fortasse, in quo mihi ipse iure gratularer. Sed eùm nihil sit in me huiusmodi, per quod sanctitas tua ad tantum benignitatis adducta esse videatur, quantum esse onus illius gratiæ debet, quam ego sustineo? & quam conceptam & inclusam intus in animo gerens, nullis eam verbis neque factis aptè queo expromere? Sed quoniam & summo Principi decorum est, superare operibus suis hominum prædicationem, & nobis infimis hominibus non inhonestum, illius amplitudini maiestatique concedere: ago quidem gratias sanctitati tuæ quantas possum maximas, agamque semper: nec quin eas studeam referre (quantum in me quidem erit situm) vllame vnquam rei difficultas deterrebit. Sed si illæ minores & leviores fuerint, quam aut merita tua, aut gratissima mea voluntas postulat, quæso obtestorq; , vt id non naturæ meę, sed magnitudini tuæ, & beneficiorum tuorum attribuatur. Cætera quę Paulus mecum tuæ sanctitatis verbis egit, accurateq; collocutus est: erit ea quoq; ab eodem fonte benignitatis profecta sunt, iniicit tamen mihi grauem curam respondendi, ne aut vendere operam meam iis, quibus debita iamdudum atq; obligata est: aut occultam aliquam in me ambitionem dissimulare velle videar. Sed opinor agam quod ingenuo & libero animo maximè dignũ est, ideque sine omni fuco purè respondebo. Ego pater sancte nullum grauius incommodum sentire possum, quam ex his locis abesse, in quib. sum & sanctissimo voto & perpetuo firmoq; animi iudicio non locatus solùm, verùm etiã affixus. Sed tamen vbi res & tempora postulabunt, gerenturq; ea & administrabuntur, quę ad cõmunem Christiani nominis concordiã cõsensionemq; spectãtia, magis ex bonitate & prudentia sanctitatis tuæ, quàm ex conditione temporum possunt expectari: non deero officio, nec diligentiæ meæ: nullamq; operam, nullum diligentiæ, obseruantiæ & pietatis studium, neq; à Christiana Repub. neq; à sanctitate tua frustra desiderari ex me sinam. Extra hanc occasionem, cui rei possim valdè vtilis esse, non video. Sed tamen si quid præterea fuerit ad sanctissima consilia de repub. Christiana pertinens, in quo mea opera & præsentia sanctitati tuæ necessaria esse videatur (quæ quomodo esse possit suspicari equidem non possum, eorum que grauissimo iudicio tuo permitto) sed si quid fuerit, ita ipsa de me merita est, vt & ad vocantem accedere, & imperanti parere prompto animo sim paratus. Confido enim eam pro tua æquitate & sapientia, sine magna, & maximè necessaria causa, me ex his locis non euocaturam. Vnum illud semper excipio mihi, & reseruo, vt nullam in partem commutato meę fortunæ

tunæ ſtatu, eis confectis rebus quæ mihi mandatæ fuerint, re-
ditus mihi liber ad eccleſiam meam, exoptataque ſtudia, & ea-
eam animi tranquillitatem pateat, quam ego omnibus opib-
atque honoribus longiſſimè antepono. His de rebus ipſis, scrip-
ad ampliſſimum virum Gaſparem Contarenum Cardinal. e-
ſanctitati tuæ omnem animi mei ſenſum copioſius exponet. V-
leat, agatque omnia feliciter ſanctitas tua: quam omnipote-
Deus ſua ſemper cura cuſtodiaque tueatur. III. Id. Mart.
M.D.XXXVI. Carpentoracti.

IV.

IACOB. SADOLET. EPISC. CARPENT. *Alexand. Farneſio S.R.E. Cardin. S.P.D.*

QVo tempore primùm de tuo honore ampliſſimaque digni-
tate nuntius ex vrbe ad nos huc peruenit, etſi ſtatim con-
tans exiſtimare cœpi, te, quanquam ætate adhuc eſſes adolesc-
indole tamen virtutis, & commendatione ingenij dignum hab-
tum eſſe, cui tantus honos in re committeretur: tamen quomin-
feſtinarem dare ad te literas, tuæque & præſenti, & ſperatæ a-
plitudini gratulari, illa res effecit: quod neque naturæ meæ, n-
inſtituti vnquam fuit, ita accurrere ad laudem & ad gratulan-
nem, vt fortunam magis, quam iudicium ſecutus viderer. Itaq-
etſi te probè noueram, quo ex genere ortus, & in qua familia-
ducatus eſſes, ſplendoremque & nobilitatem maiorum tuorum
in tuis iam nunc moribus & in tua indole ac natura lucere int-
ligebam: tum autem ſæpe videram quo ſtudio, quantaque cu-
ac diligentia optimus & maximus nunc Pontifex, tunc etiam
ſemper hoc principatu digniſſimus, erga omnes ſuos optimis
ſtudijs & moribus imbuendos vti ſolitus eſſet: vt te illius ſangu-
ne creatum, præceptisque eruditum, in eum virum quem ſper-
remus, euaſurum poſſemus iam confidere: tamen ne ſic quidem
properandum mihi duxi: ſed expectare volui, quoad certius a-
quid de te ipſo ad nos perferretur. Poſtquam verò plurimorum
literis ac nuntijs, vnaque & conſtanti voce omnium, de tuo ing-
nio, tuaque modeſtia, deque optimis & liberaliſſimis moribus
laque imprimis admirabili comitate verè nobilitatis ſocia, q-
tu probos & doctos præcipuè complecteris, fama ingens incr-
buit: egoque Auenione tuas quaſdam legi literas diligenter ſc-
ptas, quibus cura & ſolicitudo animi tui indicabatur: vt in eccl-
ſia, quæ ad Deum, & ad cultum religionis pertinent, ritè atq-
integrè adminiſtrarentur omnia, quam ego virtutem omnium
maximam eſſe iudico: tunc demum exiſtimaui maturum eſſe t-
bere aliquid ad te, & tibi de tuis ampliſſimis ornamentis gra-

hucusque iam non ad incertam amplius spem, sed ad firmam & fundatam de te opinionem, mea & lætitia & gratulatio dirigeretur. Gratulor igitur tibi, & ex animo gratulor: quòd tum honore in quo es affectus, tum etiam spe quam de te eximiam summæ virtutis præbes, magnum in te præsidium simul & ornamentum, cum etas nostra habitura esse videatur, tum Christiana vniuersa Respublica. Non enim tibi à tantis initijs, talibusque profecto, exiguum quicquam aut mediocre spectandum est: neque opes atque imperia eò pertinent, vt augustis finibus vel actionum vel temporum, magnorum virorum animus includatur. Sed tibi de te ipso sic meditandum iam & constituendum est, vt ita te instituas atque appares, quò tua præstans virtus ac nobilitas, & publicè omnibus, & priuatim possit esse emolumento. Hæc enim vera dignitas est, veraque amplitudo, sic se exhibere cæteris, ingeniiq; & auctoritatis opes ita expositas omnium temporibus habere, vt ad alios tuorum laborum fructus, ad te ipsum lætitia animi voluptasque perueniat. Quam rectè agendæ vitæ rationem qui secuti non sunt, ij non tam honore ipso, quàm vanis insignibus honoris habiti sunt ornati: sæpeque eos exitus habent, quos graue mihi est commemorare: tibi autem videre & intelligere in promptu est. Nihil enim stabile est in fortuna, neque perpetuum, quod prudentiæ, & æquitatis, imprimisque humanitatis & modestiæ quasi vinculis quibusdam constrictum non sit: & cui præpotens Deus fautor non accedat. Quo ab vno omnium bonorum & copia, & perpetuitas nobis est petenda. Atque hæc scire agere, atque sapere, videreque quibus consilijs quàm optimè & quàm rectissimè vita diligatur, non minimum quidem ab ætate atque à natura, sed plurimum ex literis philosophiaque acquiritur. Est enim ea sola ars rectè viuendi. Quæ è fontibus viuis, non ex riuis haurienda est, non ad instituendum duntaxat animum, sed ad ornandum quoque orationem adhibenda. Sed quid ago? aut quomodo à suscepto gratulandi officio, ad quandam præcipiendi rationem delabi me sum passus? qua tu non indiges. Aut si ea tibi quoquo modo opportuna est, habes domesticum exemplum præstantissimæ virtutis, vnde formare te, & fingere ad omnem excellentiam queas. Tuus enim Maximus est Pontifex, tuus iste honos, & domus tuæ gloria: ex qua qui virtute & sapientia primatum semper fuit, idem impræsentia orbis terrarum est princeps. Sed ignosces ætati meæ, eique amori quo in te mirificò sum incensus. Is enim me non sine vlla solicitudine esse sinit: nec de virtute tua quidem dubitantem, sed incredibilem de te hominũ expectationem pertimescentem. Fecitque vt te admonerem, cum tu in hoc veluti theatrum publicæ de te lætitiæ & celebritatis ingressus sis, tantis diuinis muneribus ornatus, quanta vix optari

optari debere videantur. Et cùm tibi natura excelleus ingeni-
um, fortuna insignem potentiam, maiorum virtus summam no-
bilitatem, domestica institutio morem honestum, consuetu-
nem splendidam, rudimenta artium ingenuarum perliberā-
lia tribuerit: vt intuerere & cogitares, quid expectari putes a te,
quid tu reddere maioribus tuis, quid omnium spei de te præ-
stare debeas. In quo tamen confido, Dei primum immortalis o-
pe & beneficio, tua deinde virtute cum annis vnà adolescente,
eis te instruentibus literis quarum tu optima & præclarissima
studia tibi delegisti, cunctorum te opinioni & votis planè satis
facturum. Quod vt ita eueniat, tibique iste honos sempiterna
laudi & felicitati sit, Deum eundem supplex omnibus precibus
rogo atque oro. Vale. VI. Calend. Decemb. M.D.XXXVI. Carpe-
toracti.

V.

ALEX. FARNESIVS CARDINALIS IA-cobo Sadoleto Episc Carpent. S.P.D.

CVM de summis ac præclaris nostræ ætatis ingeniis sermo-
pud nos sæpius haberetur: audieram, Sadolete, ita virtutem
laudari atque extolli tuam, vt te iam inde à pueritia mea incre-
dibili quodam modo diligerem. Postea verò quàm beneficio
Pontificis sanctissimi atque optimi, sacerdotium mihi Auenio-
nense est datum, eam intellexi amoris in te mei accessionem es-
factam, quam & ætas iam adultior mea, & vicinitas sacerdotio-
rum nobis attulisset. Cùm enim ad propinquas ac propè con-
iunctas administrationes electi essemus, videbam (id quod ma-
ximè vtrique nostrum conueniebat) fore, vt amicitia quoque
& amore singulari coniungeremur. Itaque dum in hac cogita-
tione versarer, atque instituissem scribere iam ad te, ecce mihi
afferuntur à Paulo Sadoleto iuuene tui simillimo meique amā-
tissimo literæ tuæ, prudentiæ, charitatis, humanitatisque ple-
nissimæ. Hic me, quòd idem facere meditantem anteuertisses,
officioque vicisses, pudor quidam suffudit. Sed tamen literis tu-
lectis, adeò grauitate ipsa, coniuncta cũ summa facultate dicen-
di, sum delectatus, & illis optimis monitionibus tuis, vt eam vi-
tæ cursum, quem tenendum mihi anteà statueram, addito tu
hortatu, multo sim alacrius persecuturus: ac summum Ponti-
cem, quemadmodum tu amicissimè & prudentissimè mones,
semper mihi ad imitandum propositum habiturus. Quòd qui-
dem consequi vt commodius possim, gratissimum mihi fece-
ris, si sæpe me ad eorum præceptorum memoriam reuocabis.
Excusationem tuam, quòd gratulatio dignitatis meæ non tam

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ficite properata, quàm re probata, facilè accipio: vel quia sic debeo tibi magis, vel quia literæ tuæ nunquam mihi non iucundissimæ esse possunt. Itaque de eo te amo plurimum, quod fecisti: non accuso, quod reliquisti. Honoris autem nostri, sic videbor fructum esse amplissimum atque optatissimum consecuturus, si multis prodero, si sæpè, si maximè: & si officii mei munera patiesq; tuebor. Qua quidem in re cùm omnibus in locis, tum verò illic, quòd ab ecclesia mea Auenionensi non longè abes, magno mihi adiumento esse potes. Nam & multa agi illic me absente, quæ necesse non esset, & multa omitti necessaria cùm putem: unum te esse video, qui partim monendis procuratoribus meis, partim (quod commodo tuo fiat) scribendo ad me, valde ipsis rebus mederi queas. Quod vt facias, pro tua humanitate, & pro mea in te beneuolentia, etiam atq; etiam rogo. De me verò illud tibi persuadeas velim, nemini me vnquam esse, neq; studio in reb. tuis, neq; sanctitate amicitiæ concessurum. Vale. XV. Cal. Februarii, M.D.XXXVI. Roma.

VI.

IOAN. PETRVS CRASSVS EPISC. VITERBII Iac. Sadoleto Episc. Carpent. S.P.D.

VT primum literas tuas ad Farnesium nostrum scriptas legi, tali me ipsum beneficio tuo affectum putaui, vt gratias tibi omnino agendas duxerim. In hac enim prouincia, quæ Pontificis voluntate humeris meis imposita, meas vires longè exuperat, res adhuc nulla plus adiumenti conatibus meis attulit. Gratulationem enim quam institueras, ea prudentia temperasti, vt gratulationi immixta exhortatio, sapientissimis consiliis & amicissimo ac dulcissimo genere orationis, quemuis alienissimum tapere atque inflammare ad summum virtutis amorem potuerit. Itaque nihil habui prius, quàm vt eas literas mecum assidue haberem, & ad omnem loci & temporis opportunitatem, auribus oculisque adolescentis offerrem. Quid enim regendæ custodiendæque adolescentiæ magis necessarium, quàm assidua virtutis commendatio? qua & illa boni honestique incognita oculis pulchritudo, menti atque animo proponatur: & exilia virtutum præmia, ingentia vitiorum damna, dedecora, exitia demonstrentur: præcipuè verò pietas ac religio sic altè inseratur, vt diuinum numen dictis, factis, cogitatis omnibus semper præsens esse intelligatur. Quid igitur talibus literis tuis opportunius? Ego quidem non magis tibi ob illas iam scriptas arbitror agendas esse a me gratias, quàm te iam etiam enixè rogandum, vt si tali es, quali ostendisti, erga maximè spei adolescen-

doleſcentem, erga Pontificem ipſum animo: ſi Christi eccle-
am, cuius vel præcipuo in præſidij loco hic adoleſcens poſitus
ita diligis, vt tua ſpectata virtus omnibus perſuadeat: vt ſubinde
liquid eiuſmodi vel breuiter ſcriptum mittere perſeueres. Eri-
nim elegantiſſimo ſuperioribus annis opuſculo edito mirifi-
ſtudiorum & vitæ rationem formaſti, multaque ac præclara
eo non modò ad docendos, verùm etiam ad impellendos anim
poſuiſti: magis tamen apud vnumquemque valent, quæ pri-
tim ipſi, quam quæ publicè omnibus traduntur. Optima q
dem adoleſcentis natura, & diligens adhuc educatio, & ian
guſtata ſtudia: præcipuè verò Pontificis voluntas & cura ſp
nobis vel optimam afferunt. Sed item magno vtin metu ſum
lubrica ætas, corrupti publicè mores, & magna hæc ipſa forma
facit: quæ præter cætera hoc quoque habet incommodi, quòd
optimam fortunam peſſimus quiſque auidiſſimè conuolat. Ita
nos quidem infauſtas aues, vndique quanta poſſumus vigilan
excludimus. Sed ne fruſtra id à nobis & parum diu fiat, mul
magis animi ipſius, quam ædium aditus obſeruandi ſunt. Ne
nim aut diu arceri, niſi diſpliceant: aut diſplicere vitioſi poſſ
ſi vitia placeant. In hanc curæ ac ſolicitudinis partem bono
mnes libentiſſimè aduocarim. Quoniam verò huc te potiſſ
vel amor tuus, vel publicæ cauſa vtilitatis adduxit: patere o
ero te precib. meis eodem nec fruſtra reuocari, quò tu ipſe g
vltro veniſti. Nemo vel ob doctrinam vel ob innocentiam, vel
nominis famam, plus hac in re autoritatis tevno habere po
Nec tu quicquam vel publicè vtilius, vel Pontifici gratius po
efficere. Ego certè quantuluſcunque ſum, quot ſimilis argumen
ti literas tuas videro, totidem me beneficiis maximis tibi dev
ctum putabo. Vale. Romæ, Pridie Idus Decembris, M.D.XXXV

VII.

IAC. SADOLETVS EPISC. CARPENT. *Ioan. Petro Craſſo Epiſc. Viterbii S.P.D.*

CVM ad Alexandrum Farneſium tuum dedi eas literas, q
rum tu in tuis mentionem facis, & ex quibus ſumptam
occaſionem ſcribendi ad me præ te fers: equidem eo volui
officio, quod non tam prudentia mihi, quam meus perpet
illam familiam amor, & quædam mihi ingenerata voluntas
mnia honeſta & recta cupiendi, præſcribebat. Sed verè dic
ſubuereri mihi interdum veniebat in mentem, ne parum
enter id negotij attigiſſem, quod minimè omnium mihi vi
tur conuenire. Quis enim ego ſum, qui has mihi partes aſſum
docendi, & commonefaciendi florentiſſimi adoleſcentis, q
pra

præsertim & domestica exempla, & optimi domi doctores ad omne studium virtutis quotidie erudiant? Ego autem & longè abiun, & nulla insigni facultate ad id agendum sim præditus? Sed (vt dixi) dedi illud magis ei beneuolentiæ, quæ mihi erga illum iam inde à maioribus ipsius suscepta est: quam aut euigilato consilio, aut vlli prudentiæ: satisque me honestè discessurum putaui, si in perfunctione amoris, temeritas tantùm mea non reprehenderetur. Tu & comprobas factum, & sæpius idem vt efficiam rogas. Fateor tuam apud me autoritatem esse plurimi, ac iure id quidem. Etsi enim nulla familiari notitia coniuncti inter nos sumus: tuum tamen ingenium, ac excellens virtus, cùm multorum sæpe testimonio ad me perlata est, tum in hac postrema epistola, quam ad me misisti, totam se mihi penitus patefecit. Non enim video quid potuerit scribi vel elegantius, vel grauius. Mouet igitur multum autoritas me tua: sed hactenus mouet, vt quod adhuc à me factum est, id (quando te ita sentis, teque & autore vtor, & approbatore) iam non imprudenter, neque temerè videatur factum: simque animo æquo ea de re, de qua antea nonnihil dubitabam. Quòd verò decrete me arbitrer sæpius ad idem reuerti, ne cadere quidem in cogitationem meam potest. Siue enim me vnum maximè statuo idoneum cui obtemperetur, fidesque habeatur: quid me arrogantius? Siue curationi vestræ ingero me, atque intrudo, qui ne optimo delecti ad id muneris estis: quid imprudentius dici aut cogitari potest? Ex quo mihi in mentem venit, mirari vim & grauitatem literarum tuarum, quæ me id videntur prudentissimè rogare, quod ego præstare salua prudentia non possim. Sed tamen mi optime Crasse, quando res magna agitur publica, vt tu disertissimè scribis, cuius partes vel præcipuè commissæ huic adolescenti sunt: demus operam omnes, quoad possumus, vt bonum illius ingenium, optimaque ad virtutem indoles, in regionibus officij contineantur. Quod summus Pontifex autoritate atque exemplo, tu opera, consilio, assiduitate, egregiè præter cæteros efficere potes. Nulla pars est earum, quas in eo inchoatas, & tanquam pubescentes perfici optamus, quæ non in re præclarè appareat, absolutaque sit: siue meram grauitatem quærimus, siue optimarum artium scientiam. Enitere ergo, & elabora, vt in vno homine ornando, atque expoliendo, maximum à te beneficium habeat cuncta Respub. Nos quod in nobis est, studium tuum ac laborem, precibus votisque ad Deum subsequemur. Nec, si occasio fuerit, in eo quoque deerimus, in quo tu operam nostram tibi aduocasti. Sed omnis spes in te est: quem ego cùm antea diligebam, opinione virtutis, & multorum testimonio doctorum, proborumque: nunc meo certo

exploratoque iudicio ita diligo vehementer, magnique fa-
nihil vt mihi neque tuis literis gratius, neque institutæ bene-
lentia optatius accidere potuisse videatur. Quam vt tuam
conserues, abs te ità peto, si tu me mutuum facturum esse ex-
mas. Vale.

VIII.

IAC. SADOLETVS EPISC. CARPEN.
Gasp. Contareno S. R. E. Card. S.P.D.

SI verbis multis, & illustribus tibi de recenti honore grat-
vellem: verendum mihi arbitrarer, ne in ea oratione nim-
insistens, & fortunæ munera aliquanto plus extollerem, q-
fortassis æquum sit: & pristinæ tuæ amplissimæ dignitatis, qu-
virtute maximè pendenda est, videret esse oblitus: dum g-
lationem meam ad fortunam potius, quam ad eam ipsam
tem adiungerem. Cum verò tu is vir sis, ea virtute, ea doct-
prudentia, integritateque præditus, vt omni honore long-
dicere superior: gratulor equidem tibi, quòd habituris
cum tui & ingenii & animi in Christianæ Reipub. vtilit-
commodis vberius explicandi. Et eo magis gratulor, q-
raro adhuc exemplo ad obeundum summum & gerendum
norem, nihil huiusmodi cogitans, alieno tantummodo in-
fueris vocatus. In quo sanè testimonium amplum est tui
stantissimis virtutibus redditum. De ipso autem honore
tulandum sit, honori mediusfidius magis gratulabor, q-
tibi: qui quamuis splendeat, illustrisque admodum sit, tu
men dignitate ipse effectus est ornatior. Sed vt quod sentio
nè expromam, ego omni tua amplitudine & dignitate, Ca-
rene optime, ita gaudeo & triumpho, vt nihil mihi sit opta-
quàm te videre autoritate & gratia prorsus florentissim-
Qui enim possum non incredibiliter lætari honore eius, q-
ex ipsius scriptis doctissimum, prudentissimum: ex eis officii-
in me ipsum ab illo collata sunt, quotidieque conferuntur
manissimum, liberalissimum, meique imprimis amantissi-
esse cognosco? Non essem dignus eis literis in quibus verso-
hac vita, non hoc spiritu, denique homo non essem, si aut p-
rissimas tuas virtutes non agnoscerem, aut quenquam om-
pluris facerem quam te: & nisi te omni amore, studio, obs-
riaque complecterer. Ego cùm tuam Rempub. a Superiori
cepi, cognoui tum primum quanti tu me faceres. Quare
tempore mea beneuolentia, quæ propter tuas eximias vir-
susceptâ mihi in te erat, fieri cœpit ardentior. Nam verò e-
Pauli mei literis intelligam, quanta tu illum humanitate

plan, quàm beneuolè tractes, quàm multa signa des summi tui cultum erga nos amoris, quem in suscipienda rerum & negotiorum meorum cura magis etiam declaras: quas me tibi agere gratias, aut quibus vti verbis in meo tibi animo penitus patefaciendo oporteat, ego planè ignoro. Tu subueni, quæso, huic hæsitationi meæ, & ea verba, quæ apta sunt ad gratiam meritam commemorandam, vicem meam excogita: quando egi tanti officii obtere oppressus, minus illa despicere, & inuestigare possum. Quę cùm tu pro tuo summo ingenio facilè & prudenter inueneris, omnibus me illis esse vsum putato. Certè nihil tam amplè, nec tam copiosè explicare poteris, quod gratam animi mei voluntatem superet. De tua Republ. quid sentiam, scripseram iam ad Paulum, ex quo iudicium meum potes cognouisse. Neque ab tamen faciendum tam breuiter puto. Erit mihi locus ad hanc rem paratus, vt non solùm tu, sed cæteri etiam intelligant, quantum tibi à me in omni genere virtutis sapientiæque tribuatur: ad quod tempus me reseruo. Interea hoc affirmo, nihil me videre, quod in ea vera prudentiæ laude, quæ cum studijs doctrinæ coniuncta sit, & inque eis actionibus, quæ sunt ab integro animo liberalique profectæ, quid vel ingenio tuo, vel in virtute, in institutis vitæ rectius aut splendidius requiri ac desiderari possit. Sed hæc hactenus. Ego & gratulor tibi, quemadmodum ante dixi: & maximas gratias ago: teque oro, vt tuum istum susceptum erga me amorem perpetuum mihi conserues: quo nil mihi charius neque iucundius accidere omnino potest. Vale. Carp. VII. Idus Nouemb. 1535.

IX.

IACOB. SADOLET. EPISC. CARPENT. *Gasp. Contareno S. R. E. Card. S. P. D.*

TVA in literis causarum commemoratio, quibus tu iampridem adductus ad me diligendum es, tantam mihi præ se ferre visa est & humanitatem simul, & erga me beneuolentiam, vt nil sit quod audeam optare prolixius. Quod eo magis gratum & optatum mihi accidit, quòd tua ista eximia erga me voluntas, non amoris solùm habet fructum, qui est in omni vita vnus suauissimus: sed iudicii quandam etiam dignitatem. Amari enim a tanto viro idem esse videtur prorsus, ac probari. Quanquàm id tu quidem separatim etiam facis, vt de me commodè existimare te scribas. Sed ego id ita interpretor, vt in beneuolentiæ prorsus parte ponendum esse videatur. Mihi verò, qui te iam diu non diligo solùm, (nam id quidem etiam mediocribus hominibus præstamus) sed propter excellentem tuam in omni genere

virtutis ac literarum laudem & scientiam mirabiliter colo,
que adeò veneror: quantopere esset elaborandum, si id ag
nunc vellem, vt meus animus erga te cuiusmodi ille est, pa
penitus, manifestusque fieret? Quod quoniam & longioris
poris negotium esset, & grauioris curæ, supersedebo quidem
scribendi onere, meque ad commodius aliquod tempus rese
bo. A te verò impræsentia petam, teque plurimum precabo
quod & ago maximè, & maximè impetrare à te cupio, vt
eo incensum erga te amoris studio esse existimes, quod ego
literis satis persequi, nec verbis commodè queam exponere
hactenus quod ad amorem attinet. Quod verò tuam ad
nitatem, quæ illi potest quæso oratio par inueniri? cùm po
tim tu ea me omnibus partibus epistolæ tuæ ita alliges vi
atque constringas, vt respirandi locus non sit. Qui te prim
nostrum ordinem adscitum esse dicis, eamque rem auxisse
uolentiam in me tuam asseueras. Quasi verò idem sit eiusdem
dinis esse, & multo superiore in loco atque honore esse pos
nisi tu cùm omni mihi dignitate plurimum antecellas, hum
tate parem te efficere vis. Immò ego istud gratulor & triu
quòd tibi tuisque clarissimis virtutibus meritus honor dat
Atque ille ita datus, vt plus tamẽ in te omnibus dignitatis,
in honore ipso situm esse videatur. At ego si mediocrem hu
tuo si conferatur honorem (qui tamen mihi nimiũ magn
non indignissimè gessero, præclarè mihi à Deo factum ar
bor. Nam quòd fungar, eo vti oportet conueniensque est, ne
neus quidem ad cogitandum sum. Sed & hoc, & omnia ad De
à nobis referenda sunt. Paulum meum quòd amas & comple
ris, mirabiliter gaudeo. Spero enim eum, quem optaui semp
optimum & rectissimis moribus ornatum esse, tua imprimis
suetudine, summæque tuæ prudentiæ & grauitatis exemplo
turum etiam meliorem. Quod labores non paruos mea
susceperis, ago equidem tibi gratias. Sed (vt dixi) non ma
pere audeo aggredi, quod me perficere posse diffido. In his
omnibus tua illa apparet extatque humanitas: quæ me ita
cludit, vt neque vnde incipiam, neque vbi desinam, statuere
possim. Quæ quidem in eo maximè clarissimeque se ostendit
que mihi præbet noscendum penitus & conspiciendum: qu
tam ingenuè, tam apertè, tam familiariter quæ in meis sc
desiderares exposuisti. Ex quo quidem ego vel maximum
moris erga me argumentum capio. Facit autem tua præstans
ctrina atque autoritas, vt maximam mihi curam suscipien
putem, quò tibi animi mei sensum penitus aperiam. Ego
cùm Epistolam illam Pauli mihi exponendam sumpsissem,
commentariis multorum interpretum diu essem volutatus

mihi videbar assequi id quod cupiebam, vt in Apostoli sensum penitus introirem. Sed cùm ingenium, & doctrinam, & pietatem illorum magnoperè approbarem: erat tamen nescio quid in Paulo occultius atque abstrusius, quò illi vix dum mihi penetrasse videbantur. Itaque alium studendi & inuestigandi modum secutus, in Paulo ipso legendo, atque omnibus modis pensitando atque explorando, quam maximè me, & quàm diutissimè exercui laboreque tamdiu & diligentia contendi, quoad ad eius intimum sensum peruenire mihi visus sum. Verè, an falsò, nihil nunc adrem: non enim aliud, quam quod visum est, loquor. Sed eum arcanas quasdam illius sententias, plurimum ad pietatem & cognitionem Christiani mysterij facientes, adeptum esse me arbitrarer: non putaui charitatis Christianæ esse, qualecunque id lumen esset, diutius illud inclusum continere. Itaq; cõmentarios illos scribere sum aggressus: in quibus quod maximè obscurum mihi, & antea fide quidem acceptum & creditum, ratione autem ignotum esse videbatur, mortis & crucis CHRISTI mysterium totum aperire atque illustrare sum conatus: causasque & rationes exponere, quamobrem salus nostra necessariò requisisset in mundum venire CHRISTVM: atque vti mortuus est, ità eum mori: quoque modo non exemplum solùm in eo sic a nobis agendæ vitæ, sed etiam mysterium nostræ & vitæ & salutis existeret. Atque hoc feci Pauli sententias constantes sibi semper in hoc argumento (vt mihi quidem videtur) & verba ipsa persecutus. Quòd autem parcior fui in præueniente Dei gratia explicanda, quàm par esset: agnosco eum errorem, cùm tibi ita videatur. Sed tamen & Græcorum & Latinorum veterum exponendi morem secutus, à proposito Pauli argumento non discessi. Scis enim ipse, quam rara de hac re mentio ac distinctio à Chrysostomo in hac Epistola quidem habeatur: quàm non multa à Theophylacto, & ab Euthymio, cui ego sententias Basilij, Chrysostomique referenti, in Epistolis Pauli enodandis tribuo permultum. Ambrosius quoque non admodum sæpè ad illam diuertitur. Credo, quòd satis illis videbatur, ad Dei gratiam omnia vniuersè referre, quod in eorum scriptis creberrimè inuenitur: præsertim cùm certamen nullum propositum haberent, quod eos cogeret tam tenuiter distinguere: quod fuit Augustino necesse bellum sanctum & salutare aduersus Pelagium gerenti. Verumtamen ego, quibus in locis Paulus ansam mihi dedit, ita sum de Spiritu sancto locutus, vt & principia & fines Christianorum virtutum illi omnium attribuerim. Sicut in illis verbis facio, quà Paulus dicit, quòd charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Quo in loco (quem te relegere & ponderare vehementer cupio) non solùm à Spiritu san-

do hæc omnia in nobis fieri: sed quemadmodum etiam fi
atque ve Spiritum illum verè sanctum in nobis habeamus, po
re ante oculos omnibus conatus sum. Quam quidem cuiden
simis rationibus (vt puto) penè demonstrationem factam p
que interpretum cùm ad eum locum venirent, collaudantes t
tummodò (idq; iure & meritò) benignitatem summi Dei, re
scopulum quendam refugiebant. Habes Chrysostomum, Th
phylactum, Ambrosium, quos legere potes. Sed & illo in lo
quòd Spiritum adoptionis habemus, in quo clamamus Abba
rem de hac Spiritus sancti item & vi in nobis, & gratia, je
non prætermisi. Non sum equidem iisdem verbis vsus, vt præ
nientem subsequentemq; gratiam appellarem. Sed sensus tu
(vt opinor) idem est. De naturæ autem nostræ imbecillitate,
in peccatum & mortem ab Adam inducta est, plura in col
verba facio, qua Paulus eandem rem de Adam & de peccati
in omne humanum genus traductione loquitur. Et tamen
tibi assentior, potuisse me opportunè aliquibus in locis de
ipso morbo naturæ nostræ, & de reparatione nostri arbitrii a
rito sancto facta disputare. Sed si id prætermissum est, alio
Deo iuuante (vt tu prudentissimè consulis) reponetur: vi
tius iam vt reponam, cogito. Scripsit enim ad me Lugduno C
phius, se librum meum iterum impressurum esse. Faciam q
interpositionem aliquam, per quam hæc res tota breuio
quidem, sed tamen aptè, & quod satis sit, declaretur. Quòd si
te liber Venetiis esset imprimendus, de quo scripsit ad me
lus nescio quid, cuperem magnoperè: idq; te etiam atque etiam
rogatu vellem, dares omnem operam, vt ne ante hanc se omn
Lugdunensem impressionem id fieret: quò exiret in manu
minum liber correctior & purior. Hanc rem tibi ita commend
vt veriore animi studio commendare eam non possim. Nam
hoc plus erit in Lugdunensi libro, & nonnulla quoque alia, q
(vt sit) à me vel mutata vel interposita sunt. De initiis bonar
voluntatum, & de ciusmodi genere toto, secutus equidem
Græcos autores libentius. Præsertim cùm Augustinus non
se explicare mihi videatur. Verùm & Latini veteres eâdem q
Græci sententiam tenuerunt. Nec putaui hoc fraudi religi
nostræ fore, si aliquid in nostra voluntate nobis reliquerim. V
que item nunc puto, tantis & tam magnis autoribus mo
dum illud modò ne sentiam, à quo animus abhorret, aliquid
operibus nostris promereri, quod à diuina gratia profectum
sit. Et hactenus quidem Catholica Ecclesia nobis præscri
quantum ego scire possum, ne meritum vllum ex nobis tan
ex nobis constituamus. De cætero Pelagianum esse non pu
in initiis aliquid retineamus, quod sit nostrum. Sed tamen

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

niam in his nõ humanam laudem quærimus, sed nostram & aliorum salutem, cedendum semper est maiorum autoritati: idq; ratum habẽdum, quod doctissimus vir dixerit, hoc est, Gaspar Contarenus. Nam reliqua quidem obiecta hominis illius, facillimam habent responsionem. Non enim me attingunt: neque ego in meo libro aliud dico, quam quod ipse disserit esse dicendum. Vnum graue erratum nuper commentarios meos relegens ipse deprehendi, quod nescio quo pacto mihi exciderit: est enim prorsus à mea mente alienum. De quo & Lugdunum statim dedi literas vt corrigeretur. Et ad Paulum scribo, tecum vt communicet, quando tu tanta benignitate, tantoq; studio eam de me curam suscipis, vt si frater tuus essem, maiorem suscipere non posses. Cui tuæ humanissimæ & naturæ & voluntati vtinam aliquando referam gratiam. Conabor quidem certè: nec tu me vnquam ingratum aut immemorem iudicabis. Vale amplissime & doctissime Contarene, nosque semper dilige tui obseruantissimos. VI. Calend. Decembris, M.D.XXXV. Carpentoracti.

X.

IAC. SADOLETVS EPISC. CARPENT.

Gasp. Contareno S. R. E. Cardinali S. P. D.

LONGVM iam interuallum est, ex quo accepi tuas humanissimas literas, quas tu ad quartum Calendas Ianuarij dedisti: quæ mihi in omni genere mirabiliter satisfecerunt. Nulla enim est res in illis prætermissa, quæ vel ad sapientissimum hominem, vel ad amicum officiosissimum, vel ad grauem & sanctum autorem Christianæ pietatis pertineat. Certè nunquam tuæ literæ ad me perueniunt, quin deferant secum effigiem eius viri, quem ego talem esse posse vix vnquam credidi: his præsertim moribus, & his temporibus. Itaque incredibili sum amore incensus, & nouo quodam inflammatus studio, tui colendi, amplectendi, in oculis ferendi. In quo habeo propositum mihi exemplar eius vitæ virtutisque imitandæ, qua maximè beata vita contineri mihi videtur. Sed cùm tu initio tuarum literarum tantùm labores in excusanda tarditate responsionis tuæ, quam ad meas superiores literas distuleras, qua in re quidem peccati nihil fuit: quid mihi nũc reo veri criminis agendum est? Faciam breue opinor, & ad tuam facilitatem clementiamq; confugiam: teq; orabo & deprecabor, vt mihi lapso in hunc errorem veniam des. Nec tamen velim existimes me aut negligentia, aut obliuione tui, aut quòd officij immemor sim factus, duobus iam mensibus rescribere ad te distulisse. Nihil horum est. Sed cum scripsisset Paulus ad me, quædam te secum de me locutum, quæ vehementer ad me pertine-

rent, eíque ipſe nonnihil in literis ſignificaſſet, vbetius antecoram ſe communicaturum diceret: expectare illius aduentum antè volui, quàm ad te ſcriberem: ne ſi nihil ad te reſcripſiſſem de illis rebus, aut tacere ingratè, aut diſſimulare callidè viderer. Omnia autem quæ opus eſſent, ſcribere planè tunc non poſſem. Eò factum eſt, vt ad hunc diem vſque fuerim retardatus. Quæ verum idonea ſit excuſatio, nécne ſit, ego ignoro: vera quidem certè abs te accipienda, ſi tuæ ſingulari humanitati, eximiæque æquitati conſtare voles. Quod te facturũ eſſe non dubito. Nec eis partibus Epiſtolæ tuæ omiſſis, quibus tu humaniſſimè & modeſtiſſimè meum de te iudicium imminuis atque eleuas, tuum de me amplificas, atque auges: cùm iam decretum ſit inter nos ſit, quòd ego abs te diligar, totum id eſſe humanitatis tuæ: quòd verò ipſe te colam atque admirer, tuis præclariſſimis virtutibus omne deberi: veniamus ad ea quæ rem ipſam continent. In quibus illud primum de commentariis meis: quòd miſsi aliquanto antè Lugdunum erant, quàm inter me hominem illum res conueniſſet, iccirco non fuerunt correcta omnia loca, quæ ab eo adducta in controuerſiam ſunt. Sed quæ tu me admoniſti, de eo miſſa eſt ad Gryphium additio. Etenim alia nonnulla, quæ ego ſponte mutaueram. Neque tamen video in his ipſis quæ notata ſunt, quid iure reprehenſum eſſe videatur cum verborum meorum ſenſus, id quòd patet Latinè intelligenti, in pleriſque locis fugerit reprehenſorem. Quod à me tibi dictaxat vni indicatum volo. Locum illum Eſaiæ correxi libello miſſo ad Gryphium, cum iam liber ad exitum fermè adductus eſſet: cætera ferè eodem modo ſe habent. Et quoniam nunc de hoc genere rerum inter nos ſermo eſt: cum ſcripſiſſem ad Paulum, me quadam in re leuiter à te diſſidere, idque mihi dixerit, cupere ſcire, vbi, & qua de re ſit diſſentio: primùm tibi prædico, me illa de libero arbitrio ſententia non omnino aſſentiri Auguſtino: qui libertatem noſtræ voluntatis perſpicuè aufert: dum Dei gloriam maximè complecti vult, videtur mihi illi derogare aliquid potius, quàm quod debeatur, tribuere. Hæc ſi eſſemus vnà, librosque in manibus haberemus, facilè me tibi probarum conſiderem. Sunt enim in eo ipſo, de quo loquimur, doctiſſimo nimirum ſanctiſſimoque doctore, prorſus manifeſta, quæ in illam extremam & remotiſſimam ſententiam ſe contulit, ea hæreticorum & contentione diſputandi (vt ego quidem arbitror) magis, quàm conſiderata, & quieta ratiocinatione adiectus. Nec tamen ſi non conſentio cum Auguſtino, iccirco ab Eccleſia Catholica diſſentio: quæ tribus tantum Pelagij capitibus improbatis, cætera libera ingeniis & diſputationibus reliquit. De quibus ego meam ſententiã in Commentariis protuli, ſi

mihi arrogans: (absit enim hoc à me) sed tantum ingenuè quid sentiam, exponens. Quod verò tu affers, moueri te verbis illis, quæ apud Paulum sunt, qua ille ait, Deum vt notas faceret diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparauerat in gloriam, & quæ sequuntur: hæc ego verba quemadmodum interpretar atq; explanem, ne longum sit epistola complecti, ad meam expositionem horum ipsorum verborum in Commentariis meis reiecito. Quæ quod abs te leguntur, gratum mihi est, sed tuis gratissimis studiis atque occupationibus parum arbitror accommodatum: cùm præsertim fontes à riuis non muruentur: legereq; te nostra magis mihi honorificum sit, quam tibi vtile. Sed tu vt voles. Ego quidem hoc labore & onere, quod propter tuam admirabilem humanitatem mea causa suscipis, prorsus te libero. Fratrem tuum mortuum, non nouera m: sed quia tuus erat frater, cùm præclarè de eius virtute ac natura sentio, tum illum nobis ereptum esse doleo, quem ego amo mediusfidius etiam vita functum. Deumque immortalem deprecor, vt illi ipse propitius & liberalis suæ cœlestis gratiæ sit. Tuam quidem animi firmitatem, sapientiam, religionem, & miror, & meritis laudibus in cœlum fero, qui tam mansuetè & patienter decreta Dei accipias. Verùm de his satis: responsum enim ferme est ad omne argumentum tuarum literarum. Nunc veniamus ad ea quæ pertinent ad me: pluribus mihi verbis exposita à Paulo, accurateque narrata. In quibus illud non nouum, quòd tua insignis erga me beneuolentia omnibus locis se ostendit: cui aliquando vtinam referam meritam gratiam: Hoc nouum, quòd tu de honore meo atq; ornamento cogitans, id agis ac moliris, quo nil meis rationibus inuenti potest inimicitius. Ego enim vitam beatam in libertate animi, & in tranquillitate, eisque agendis & suscipiendis rebus, quæ à libera nostra voluntate dependeant, positam esse duco. Cuius etiam generis facultatem quandam nactus, exerceo me in illa, quoad quidem possum quantulumque mihi tenuitas mea, Deiuuta ope, suppeditat & elargitur. Quæ ab hoc genere vitæ dissident alienaque sunt, tanquam aduersaria mihi & molesta multum, abiicio atque repudio: neque vllum eorum appetitum atq; sensum ad animum meum introire sino. Quod acriore etiam iudicio facere mihi videor, quod vtriusq; vitæ vim conditionemque expertus, statuere facile possum, quantum hæc illi in omni ratione beatitudinis antecellat. At interest Reipub. (cognoui enim ex eodem Paulo rationes omneis & disputationes tuas, plenissimas nempe & pietatis & doctrinæ) O doctissime, & optime Conatene: vtinam te ista spes nunquam deceptura sit. Tu eximia admirandam bonitate veraq; prudentia & integritate ad hoc spectandum adduceris: cùm quod optimum factu esse intelligis. &

illis ipsis salutare, quorum causa es solicitus, id iam factum in
confidis, & existimas. Quod secus longè est, atque vtinam ne es-
set. An tu arbitrare, si esset spes aliquid præclarè salutariterque
agendi, quin ego memetipsum essem expositurus atq; oblaturus,
non dico ad honores, (improbi enim illud hominis est & non
Deo, sed sibi fauentis & inseruientis) sed in mortem atque cru-
cem, vt caput Apostolorum dixit: cum quicquid meo incommo-
do & damno Reipubl. paretur, ego maximum meum lucrum ex-
stimaturus essem? Sed (crede mihi) temporum horum vitia, &
corrupta studia, istam probitatem sapientiamque non recipiunt.
Caput (vt spero) egregiè probum habemus: hoc est Pontificem
ipsum, cogitantem & cupientem ea quæ se digna sunt. Sed non
plus ille potest, quàm temporum peruersitas. Ægrotat enim cor-
pus Reipub. & eo morbi genere ægrotat, quod præsentem medi-
cinam respuit: magisq; esset longo circuitu ad partem aliquam
sanitatis reuocãdum: sicut ipsum paulatim curriculo temporum
in hanc tabem delapsum est. Multis (inquam) vigiliis, plurimis
remediis, dissimulatisq; sæpenumero cõsiliis, salus esset & digni-
tas Christianæ Reipub. restituenda. Ac quoquo modo res qui-
dem successura sit, si conuentus is agetur, de quo expectatio est:
adero vnà vobiscum, nec deserã partes meas, quantulæ illæ cunq;
sunt, meumq; officium pium & debitum, tum Deo atq; Reipub.
tum isti Sanctæ sedi Apostolicæ præstabo: teque & videbo, &
complectar ita libenter, vt nullam maiorẽ lætitiam animo meo
sim percepturus. Interea onus hoc feram, quod ab Deo mihi in-
iunctum atq; impositum est, si non aptè, & robustè, vt integrum
& fortem decet, at certè non contumaciter. In quo pro mea par-
te sanè inseruiam Reipub. cùm meum pensum curabo. Aliquan-
tumq; hic tamen proficiam: qui si istic essem, nec proficere quic-
quam possem, & proprium meum munus curationemque relin-
querem. Quamobrem si me amabis (quod profectò facies) con-
sules huic otio & tranquillitati meæ. Quæ si mihi salua perma-
nebit, vberius erga te potero esse gratus, quàm si in illos fluctus,
& turbidas rerum agitationes me coniicerem. Itaque rogo te at-
que obsecro, per fidem amicitiæ nostræ, quam sanctè inter pos
constitutam, ad extremum diem vsque inuiolatam perductam
sumus, vt suscipias otij & libertatis meæ patrocinium: atque ab
ea mente, de me quam suscepisti, desistas: meumque hunc fla-
tum, qui mihi maximè cordi est, & quo vitam ipsam non habeo
chariorem, saluum mihi præstes, atque incolumem: de quo plu-
rimum spei in tua autoritate, & prudentia, & amore aduersum
me, repositurum habeo. Ego de hac re ad summum Pontificem
scribens, ingenuè illi quidem animum meum expono. Sed vt
tu subsequare literarum mearum sententiam tuis amantissimis

verbis

verbis atque consiliis (sic enim te facturum Pontifici pollicitus sum) peto a te magnoperè etiam atque etiam. Paulus tuus iam magis quam meus, nonnulla ad te meis verbis perscribit, ad rationes horum temporum spectantia: quorum vel supprimendorum, vel proferendorum tua erit potestas. Vale. III. Idus Martij, M. D. XXXVI. Carpentoracti.

XI.

IAC. SADOLETVS EPISC. CARP. Nic. Archiepisc. Capuæ S. R. E. Card. S. P. D.

LITERÆ tuæ perbreues, sed amoris humanitatisque plenissimæ, hoc mihi etiam fuerunt iucundiores, quòd manu tua scriptæ, illud ipsum testimonium de quo scribis nostræ perpetuæ & constantis amicitiæ, grauius multò faciebant. Etsi illud in eis nimis liberaliter: quòd mihi ea honorum cognomina attribuis, quæ ego vobis summatibus libenter facileque concedo. Nam mihi sanè paruitas mea est voluptati, quæ in tranquillitate animi, otioque literario posita lætatur. Florere autem amplis titulis, & honorum ea insignia obtinere, quæ cum magnis curis & negotiis coniuncta sint, magis in te, cæterisque amicis meis, quam in memetipso gratum mihi est. Vestro enim patrocinio, vestro labore & opera, nos viuimus pacatiores. Quanquam nullus quidem mihi amicus est te antiquior, ac ne beneuolentior quidem. Ita enim & ad me scripsit, quoad in vrbe mansit, Paulus: & reuersus ad nos illud idem vehementius confirmauit, nullum fuisse a te studium, nullum indicium amoris, quod quidem optari posuerit aut debuerit, defuisse: cùm & in deferenda ope tua, insignem in se beneuolentiam & in communicandis maximis rebus, summam fidem: & in omni sermone vsúque familiari, egregiam tuam comitatem se expertum esse, plurimumque adamasse testificetur: Quæ mihi omnia iucunda auditu, ipsa re pergrata, non quidem præter spem, sed tamen supra spem mihi tributa sunt: vt tantum tibi pro illis gratiæ debeam, quantum nostra amicitia patitur. Ea porrò vult, vt animo magis quam verbis gratam memoriam officiorum comprehendamus: quod tibi quidem à me, & amplitudini tuæ nunquam deerit. Tu quando mihi omne tuum studium & autoritatem & operam amantissimis verbis polliceris atque defers, summo me omnium beneficio afficies, si amorem istum tuum erga me conseruaueris.

Vale. III. Id. Martij, M. D. XXXVI.
Carpentoracti.

IAC.

XII.

IAC. SADOLETVS EPISC. CARPENT. *Mario Maffæo Volaterrano, Episcopo Cauallicensi S. P. D.*

PAVLVS ad nos reuersus, tanta se abs te comitate, ac tam lautè & liberaliter acceptum esse narrat: eosque se lepôres in te perspexisse ingenij, vrbanitatis, elegantiæ, vt difficillimum omnium rerum sibi fuisse affirmet, istinc se auellere, & ad nos proficisci, cùm in explicabili penè glutino admirabilis cuiusdam suauitatis teneretur. Quod ego, Mari, vsu illi venisse non miror: est enim hoc propriè tuum, & semper fuit, vt Syrenarum modo, non Mutianarum illarum, quibus Sauoia noster illudebat (recordaris enim profectò & hominum illorum & temporum) sed earum, quarum ex ore Homerus mellitissimas narrationes rerum gestarum manare dicit, homines captos tibi vinctosque detineas. Nam si ego cùm Romæ ambo essemus, semper te appetebam, assidueque tecum esse cupiebam, cùm repellerer a te, & absterrerer, omnibusque modis congressus meos deuitares, quòd natiuam illam tuam suauitatem sumpta ad tempus vocis, vultusque asperitas obscurare non poterat: quid nunc debuit euenire Paulo, cui tu non solùm omneis venustates tuas, quæ & plurimæ sunt, & amabilissimæ: sed animum, domum, penum omnem patefecisti? Etsi est in eo quiddam quod me mordet. Quo enim fato mihi infortunato contigit, vt te ita facili & hospitali non sim vsus: cùm nemo vnquam fuerit alienis cœnis tantopere addictus, vt ego eram tuis: quarum vnum illud condimentum erat potissimum, quòd te frui ipso, ac vesci tum maximè licebat. Itaque putásne me tantam iacturam lepôrum, omnisque amœnitatis, æquo etiam nunc animo perferre posse, quibus tuarum sui paucitate cœnarum priuatus? Sed acta ne agamus. Quòd tantam humanitatem in Paulum ostenderis, valde mihi gratum: qui quidem tuus iam est magis, quàm meus: semperque in ore nomen tuum habet: neque loquendo, neque prędicando de te, satiari vnquam videtur. Ab eo etiam accepi tuas literas, amantes quidem scriptas, sed nimis festinanter. Video enim tibi propositum fuisse, vt citò te exolueres. Vtut est, gratia tamen est habenda, quòd abs te dignatus sim sonantibus illis vocabulis, in quibus me vsque eò reuereris, vt magnus esse homo videar: sed tantisper dum tuas lego. Nam vt à lectione earum digressus sum, statim irrideo ipse memet: nec tantam in me potentiam autoritatemque reperio, vt tu tam grauiter reuereri debeas. Sed omisso ioco. Ego mihi abs te familiarissimè scribi volo, atque ita, vt no-

ra rerus coniunctio plena iucundissimæ libertatis etiam nunc, quoad potest, in literis redoleat. Phædri inscriptionem, quem modò ad te misi, gratam tibi esse gaudeo vehementer. Gratiarum actionem respuo, meum enim fuit relinquere aliquod monumentum amicitiæ nostræ, meique summi & perpetui erga te amoris: idque nisi fecissem, magis agrestis, quam cùm id feci, officiosis debeo existimari. Sed tu agis mecum liberaliter, cùm de iis gratias agis, quæ à me prætermitti saluo officio non possunt. Illud magis expecto à te, vt quando ego tantum tuo iudicio tribuo, quantum certè paucissimorum, ita legas librum, atque expendas, vt quoad eius fieri poterit, nihil obtrectatione dignum in eo relinquaeur. Quod tuo imprimis acumine, & earum rerum præstanti scientia de quibus in libro agitur, me assequi posse confido. Quòd mihi extremis tuis literis gratularis, quòd dignum & benemeritum successorem mihi delegerim, id etsi ego feci bono (vt videbar) consilio adductus: tamen actiones meas tibi probari mirabiliter lętor. Etenim tunc maximè nostris operibus delectamur, cùm ea ab optimo quoque laudari intelligimus. Vtinam Deus nostra consilia fortunet. Nos certè id spectauimus, vt in ipso amore nostro & iudicio, maiores tamen virtutis partes, quàm consanguinitatis existerent. Sed hæc hactenus. Ego & sat rectè, vt nunc est, me habeo: & tibi semper rectissimè esse cupio: petoq; à te vt tibi certò persuadeas, te à me constanter & singulariter diligi. Vale. IV. Calend. Aprilis, M. D. XXXVI. Carpent.

XIII.

IAC. SADOL. EPISC. CARPENT. *Laurent. Granæ Signiæ, & Mario Aligero, Rheatis Episcopis, S. P. D.*

CVM digressus à vobis, Romam versus iter facerem: eoque itinere assiduè ob animum vestra mihi virtus atque humanitas esset versata: simul vt vrbem attigi, paululumque otij mihi datum est, nihil habui antiquius, quàm ad vos scribere, & facere vos de mea omni voluntate certiores. Verè enim dicam, cùm venissem Bononiam, ac multa antea ipse de beneuolentia in me vestra essem mihi pollicitus: re tamen ipsa expertus sum, superasse etiam opinionem meam vestris officiis: nihilque esse à vobis prętermissum, quod vel hospiti & peregrinanti officiosus homo, vel amicissimus amicissimo præstare posset. Itaque illo primo occursu congressuque vestro, omnis ea mœstitia quæ animum meum obsederat, probè depulsa est. Cùm enim subinuitus,

tus, & contra animi sententiam iter illud suscepissem, pietatem atque officium in eo, non vllum meum commodum secutus, eo constanter id faciebam, quòd recti consilij nequaquam me pœnitebat: tamen insidebat in animo quidam dolor, quòd studiis meis, atque ea tranquillitate vitæ, quam ego maximè expeto, omoque, vacare me aliquandiu necesse esse intelligebam. Incidi igitur in eos, qui & primi, & præcipuè illa me cura leuare potuerunt. In vestris enim vultibus, vestrisque sermonibus plenissimis officii, suauitatis, beneuolentiæ, tunc primum conquieui: vidique & perspexi, quod fidelis amicitiæ est proprium, mei nominis charitatem nequaquam apud vos ex diuturna absentia meâ imminutam fuisse. Quo quid mihi potuit accidere optatius? Enim enim alter vestrûm vetusta mihi familiaritate, alter recente est copulatus: tamen eandem propè vim habet naturæ bonitas in noua amicitia conglutinanda, quàm fides in vetere conseruanda. Fermè enim ad summum celeriter peruenit, quod firmis & validis radicibus est nixum. Quo in genere virtus magnas partes obtinet. Quæ cùm excellat in ambobus vobis, in me autem ipso non tam expressa illa quidem, quam quibusdam quasi lineamentis sit inchoata: quid mirum si & tu, optime ac doctissime Grana, perpetuò me constanterque dilexisti: & tu Mari suauissime vix dum de facie cognitum, amare tamen cœpisti? Quanquam huius quidem amoris erga me, omnisque officij quod mihi tribuistis, causa in vestra singulari humanitate posita est. De qua habeo vobis magnam gratiam: neque recuso, nisi pari vobis beneuolentia respondero, quin me ex hominum non esse numero iudicetis. Respondebo enim certè, neque patiar me vllo in amicitiæ officio à quoquam vinci: cùm id præsertim non tam in rebus atque factis, quæ plerunque fortunæ & occasionis sunt, quam in fideli & beneuola voluntate sit positum. Quæ nunquam vobis a me deerit, neque vlla vnquam efficiet dies, vt talium & virorum & amicorum memoria apud animũ meum obsolescat. Atque huius promissi animiq; mei quo beneuolentiam meam vobis dedo dicoq; has literas volui esse testes: vt intelligeretis, quæ studia in me contulistis, ea longè mihi gratissima accidisse. Reliquum est, vt vos rogem (id quod minimè videmini esse rogandi, sed tamen id more & consuetudine faciundum est) vt pristinum erga me amorem conseruetis, plurimamq; meis verbis Sfortiæ nostro legato amplissimo nuntietis salutem: gratiasque illi agatis, quòd ab eo & humanissimè acceptus, & hospitalibus illius donis, quibus me opiparè muneratus est, edoctus plane sum, meum illi aduentum & gratum & iucundum extitisse. Valete. VI. Nouembris, M. D. XXXVI. Ex Vrbe.

IAC.

XIV.

IAC. SADOLETVS EPISC. CARP. MARIO Maffeo Volaterrano Episcopo Cauallicensi, S.P.D.

CREDO iam ad te esse perlatum, me accitum a Pontifice maximo, statuisse suscipere hoc iter: accedereq; ad eam Vrbem, in quam à me olim certo consilio relictam, nulla alia ratio, præter eam quæ nobis proposita est, si fortè videlicet succurri per nos possit periculis communibus, me valuisset retrahere. Quanquam ad hoc quidem tanti ponderis negotium, mea & autoritas tenuis, & ingenij facultas admodum exigua est. Sed sit hoc illius fortasse error, qui hoc de me iudicium fecit: mihi quidem optima adest voluntas, cætera ab aliis meliora quærenda sunt. Nec tamen hoc mihi fuit propositum, vt de hisce rebus ad te scriberem. Illud meæ proprium argumentum est epistolæ, vt cum ego sine te, neque vrbem hanc, neque eam quam viuo vitam, aut vitam esse, aut vrbem existimem: quòd omnis mea suauitas, omne perfugium curarum molestiarumq; mearum, omnis denique animi mei lętitia in tuo mihi optatissimo complexu conspectuq; prorsus reposita est: te quidem orem atq; obsecrem, vt facias mihi tui præsentis copiam. Etsi quid eius amoris adhuc resider in te, quem erga me sæpe ostendisti, ne graueris capere breuisculum hoc iter, quod ego longissimum sum emensus, quantis meis incommodis & detrimentis non dico: illud tantum dico, in quo saris incommodi est, aduersus certè omnem animi mei sententiam: sed & officio seruiendum, & religioni fuit. Illud tibi confirmo, me toto hoc itinere incredibilique illa quam capiebam itineris molestia, te mihi vnum propositū semper habuisse, in cuius benevolentia & suauitate omnem essem angorem & solicitudinem animi depositurus. Itaque quoties reuocare me a tristioribus curis ad aliquam animi hilaritatem & lætitiam instituebam, ad te ipsum protinus cogitatione reuertebar meus; erat vnus in mente mihi & in sermone Marius. Ille consolator mœstitiæ meæ, ille animi confirmator: in hoc denique dulcissimo & mihi carissimo nomine acquiescebam. Postea verò quàm veni ad vrbem, neque te hîc offendi: quid dicam Mari? pudet me proferre, quàm perculsus animo & destitutus fuerim: vt mihi sordere & iacere omnia viderentur, cùm tu deesses vnus: qui tamen mihi es pro omnibus. Et si cæterorum quidem officia amicorum mihi non desunt: sed illa mihi sic grata & iucunda futura sunt, si sale condita fuerint venustatis tuæ. Itaque in maximo desiderio tui videndi & complectendi sum: neque aliam spem vllam habeo reliquam huius non longi temporis, quo Romę sum mansurus, cum aliqua leuatione molestiæ traducen-

ducendi, niſi tu dederis hoc vel amicitiæ noſtræ, vel humanitatis tuæ, vt nos tibi viſendos eſſe ſtatuas, conferasque te aliquantiſper in hanc vrbem: quæ priuata conſpectu tuo, cæteris quibus diligunt, ornamento ſuo ſpoliata, mihi vni deſerta & penitus derelicta viſa eſt. Nã ſi in itinere, inanis illa de te cogitatio tantum potuit, vt meos omneis labores faceret leuiores: quid fuisset viua vox, quid vultus, quid iſta ſignificatio amoris, ſi tuæ cauſa adductus huc te retuleris? Credas mihi velim, non poſſe tantum exprimere, quantum mihi in animo eſt, vel ſtudij, vel beneuolentiæ, vel ardoris, vt te tuaque & ſperata & experta ea ſuetudine aliquandiu perfruar. Quod quidem minimè longum futurum ſit: ſtatutum enim mihi eſt, ſecundum Martium meſſem vrbanas res relinquere, & vel proficiſci Mantuam, ſi agen conuentus is qui indictus eſt: vel in Galliam reuerti, vbi necdum habeo & ſtudiorum meorum, & omnis mei otij acta quillitatis domicilium. Quæ res cùm ita ſeſe habeat, & hac occaſione amiſſa, deinde facultas nulla futura ſit, quæ ſuſtenet nimos vtriuſque noſtrûm ſpe iterum congrediendi inter noſ amplectendi: quo me dolore affectum iri putas, ſi hæc me ex ſtatio, ac ſpes, quam nunc penè in manibus habeo, fruendi fuerit fruſtrata? qui te vnum omnium plurimum & dilexi per, & diligo: tecumque cùm ſum, quod crebrimè ſum ex tus, nulla omnino moleſtia, neque grauiore ſolicitudine ſol opprimi. Quamobrem Mari optime atque humaniſſime, non humanitatis ſolùm tuæ, ſed etiam eius virtutis & integr tis, quam in colenda amicitia ſemper adhibuiſti, rare hoc ſtris precibus, vt te hîc præſentem quamprimùm habeamus cilitateque tua efficere, vt quamuis mea animi incitatio long rem orationem deſideret, tua tamen natura propenſa ad mo gerandum, breuiore contenta fuiſſe videatur. In quo & cur ſimiliis eris, & vrbanis omnibus facies gratum: me quidem ip incredibili quadam lætitia & ſummo beneficio affeceris. V. Nonas Nouemb. M.D.XXXVI. Ex Vrbe.

XV.

IAC. SADOLETVS EPISC. CARPENT. *Anton. Suriano Patricio Veneto S. P. D.*

CVM veniſſem ad Vrbem, à Pontifice maximo (quod tu ignorare arbitror) accerſitus: atque ibidem de tua erga benenola voluntate complurium & grauium mihique amicorum hominum teſtimoniis cognouiſſem: faciendum putaui, id quod meæ & naturæ & inſtituti eſt, vt ſcriberem ad ageremque tibi pro tua præſtanti humanitate gratias. Verè

tibi confirmo, cùm multa eueniant in vita, quæ hominibus grata accidere solent, nihil tamen mihi contingere potuisse optatius, quàm à te tali viro, omnibus & virtutis ornamentis, & fortunæ ac nobilitatis prædito, mei absentis famam innocentiamque defensam esse, cùm essem iniustis criminibus appetitus. Quid enim à me alienius, quàm velle deflectere ab eis maiorum nostrorum sententiis, in quibus constanter & firmè retinendis salus & beata nostra vita consistit? Sed siue ille fuit quorundam error, siue religionis, vt videbatur, defendendæ studium: (non enim adducor, vt maleuolentiam fuisse credam) tu mihi ea officia præstitisti, quæ vel frater fratri, vel filio præstare indulgens pater solet. Nam & testimoniis tuis meam integritatem commendauisti, & illas falsis quorundam de me suspiciones ægerrimè ferre præ te tulisti. Quæ si aliquo meo erga te merito tributa mihi abs te essent, permagni tamen essent æstimanda. Cùm verò tu nullis meis prouocatus officiis, ita tamen parteis meas tutandas susceperis, vt si frater tuus fuissem: quo me studio gratiæ, quóue obligationis vinculo tibi esse obstrictum putas? Equidem gaudeo te cum virum esse, cui optimo iure omnis honos debeatur, etiam si nulla fortè deberetur gratia. Quid enim ingenio & doctrina tua, quid prudentiæ & virtutis laude illustrius? Cùm verò ad hæc tot tamque eximia in te ornamenta, illud etiam accedat, vt maximo tuo beneficio tibi deuinctus sim: crede mihi Antoni Suriane optime atque ornatissime, inter eos qui te amant & colunt, quorum, cùm tu talis, tamque benefica & liberali natura præditus sis, magnam profectò necesse est esse copiam: me ita primas appetiturum esse partes, vt nihil sis vnquam in me ipso quod in constanti & fideli amicitia requiratur desideraturus. Itaque & quantum virtuti debetur honoris, id tibi à me nunquam deerit. Et quantum beneficio gratiæ totum tibi à me ita paratum est, vt omnia mea officia & studia in te potissimùm semper sim collaturus. Quòd si aliqua mihi oblata fuerit occasio, qua me tibi gratum & memorem probare possim, agam id ipse per me: sin a te fuero admonitus, efficiam vt intelligas, neminem te habere, cui aut fidentius imperare quæ velis, aut de quo plura tibi & maiora polliceri queas. Quæ quidem non ab opibus fortunæ, quæ tenues mihi sunt, sed ab amore & fide constantis amicitiæ possint proficisci. Interea iucundam nominis tui memoriam summa cum fide beneuolentiaque conseruabo. Vale. IV. Non. Nouembris, M.D.XXXVI. Romæ.

XVI.

IAC. SADOLETVS EPISC. CARPENT. *Antonio Pulleoni Siculo S.P.D.*

IVCVNDISSIMAS accepi tuas literas XVIII. Calendas Octobris datas: quibus perspexi curam & solicitudinem an... cui, quam de salute mea suscepisses, cùm audiuisses (vt scili... totum fermè id bellum, quod in Gallia prouincia gestum est... nos esse translatum. Quòd autem adiungis in eisdem literis, g... dere te, quòd à summo Pontifice accersitus, honestissima ra... ne ex illis periculis essem emersurus: equidem recognosco a... rem tuum pristinum erga me, teq; in ea sententia esse plane... persuadeo. Sed profectò mi Pulleo alio ego modo metior p... ris & Episcopi officia, ac tu fortasse putas esse metienda. N... enim illi terrores aut pericula terrere me debuerunt, vt discc... illinc cuperem: sed magis gregis mei timor ac perturbatio, in... me custodia retinere, vt in vigilando & gubernando tali... tempore essem attentior. Quod & feci: omnemque rationem... periculi, & salutis meæ cum vicibus meis communicaui: nec... illis cepi separatim vllum consilium, quod mihi vni præsidio... posset. Itaque cùm in medio ipso tumultu belli ac periculo hæ... Pontificis ad me essent allatæ, quæ me huc accirent: eo am... fui, vt nisi priùs Ciues meos extra omne discrimen positos vi... rem, non fuerim venturus. Sed Dei immortalis beniguitat... clementia haud ita multò pòst pacatis rebus pace & illis regio... bus reddita, non duxi tergiuersandum, quin me conferem... hanc vrbem. Inuitus quidem & gemens, quòd nil mihi ma... contra animi sententiam potuit accidere, quam cogi relinq... studia & literulas meas in pace, in quibus antea bello fuissem... terpellatus. Verùm tamen ea causa afferebatur accersendi me... atque is mihi proponebatur optimorum consiliorum fructus... me impium aduersus Deum iudicaturus fuerim, si non parui... eius mandatis, qui me ad præclarissimas actiones vocandi... fuisset. Itaq; hoc animo è meis locis sedibusque egressus, Ro... nunc sum: expectoq; quam mox aliquid agatur, non modò... gnum Optimi Pontif. virtute ac prudentia, sed etiam leuan... horum temporum calamitatibus necessarium. Eo enim fl... (quod te non latet) Christiana est Respub. vt nisi aliquid nou... medij adhibeatur, omnia omnino ruitura sint. Sed hoc Deu... derit, cuius ego numini & voluntati totum me dedo perm... que. De me autem ipso, meoq; animo erga te, sic existimare d... Pulleo (quod tamen te facere tuæ indicant literæ) nihil te... esse in amore amicitiaq; coniunctius. Nam & iudiciũ quod...

per de te feci, cùm de tua integritate, virtute, prudentia, honorificentissimè iudicaui, permanet idem apud me: & in suscepta erga te beneuolentia constantissimè maneo: partim sponte, & consuetudine naturæ meæ: partim verò maximè tuo in me perpetuo atq; singulari amore prouocatus. Cognoui enim te in omni tempore mihi esse amicissimum. Itaque quàm me putas cupere, vt tu nobiscum vnà hic adesses? atq; his interesses negotiis (si modò vllum tractabitur negotium) cùm intelligam tuam præstantem prudentiam magno Reipubl. posse esse adiumento? Quòd si mea ponderis haberet autoritas, contenderem & eniterer, vt tu vocaretere, vnàque nobiscum consilia conferres. Nunc optare id licet, sperare haud ita licet. Quanquam te honore & administratione honestissimi muneris à summo Pontifice ornatum esse tua causa vehementer gaudeo, tibiq́ue eam rem laudi atque emolumento esse opto. Sancius tuus ægrotabat cùm ego ad Vrbem veni, neque adhuc morbo satis leuatus est: itaque eum nec videre potui, nec alloqui. Quod sanè mihi fuit incommodum: hominis enim & probi, & experientis, opera atq. opportunitate carendũ fuit: quem ego mediusfidius & tua & ipsius causa non mediocriter diligo. Paulus nobiscum est vnà, magnopereq́ue me in rebus omnibus adiuuat, particepsq́ue est curarum consiliorumq́ue mecum. Is tibi præstat beneuolentiam quam debet, nec mentionem tui ferè intermitti sinit. Nos ambo te singulariter amamus, saluumq́ue & florentem esse cupimus: petimusq; à te more tamen magis, quàm quod necesse sit, vt solitã tuam erga nos beneuolentiam tueare, atq; conserues. Vale. Idib. Nouemb. M. D. XXXVI. Ex Vrbe.

XVII.

IAC. SADOLETVS EPISC. CARP. *Benedicto Accolto Cardinali S. P. D.*

NOn potuit amantius neq; liberalius scribi, quàm scriptum est à te in eis literis, quas I III. Non. Nouembris, ad me dedisti. Planè enim refertæ illæ fuerunt humanitatis, suauitatis, beneuolentiæ: & (quod in eiusmodi re mihi propè admirabile visum est) singularis etiam prudentiæ. Video enim te, cùm fortiter & inuictè feras casus humanos, in commemoratione tamen nostræ necessitudinis, & in amicitiæ memoria remollescere animo, quod est bonitatis: molesteq́ue ferre, quòd me & videre, & alloqui prætereuntem non potuisses. Quo mihi quoque ipsi nihil accidere potuit durius. Cùm enim redirem ad eam vrbem sublimitus, vnde, bonis etiam rebus meis, certo consilio discesseram: vna illa consolatione sustentabar, quòd reuisurus eram

amicos veteres, & in eorum congressu ac colloquio mœror
omnem depositurus, quicunque mihi iucundissimum otium
linquenti, & in eosdem, quos priùs, fluctus è tutissimo ac tra
quillissimo portu me referenti, ad animum obrepsisset. Quod
mihi aliqua ex parte contigit (certè enim multorum sum &
tu & animo amicissimo exceptus) te tamen vnum abesse, cu
amicorum omnium, molestissimè ferebam. Itaque te tanto
teruallo videre amplectique incredibiliter cupio: quod appe
te vere faciundum mihi est. Cõstituí enim in Vrbe hyemem
manere. Qua confecta, aut ad Conuentum publicum profe
rus Mantuam sum, si modò vllus is agetur: aut in Galliam, me
ad propriam stationem reuersurus. Istac vtique iter factum
optatissimo conspectu & sermone tuo ad arbitrium meum
fruar. Quanquam non diffido summum hunc pontificem, v
singulari bonitate & clementia, honoris tui, ac dignitatis tu
nem quandoque habiturum. Quòd autem scribis ad me, ita
dum tibi esse, me in pristina erga te obseruantia voluntate
permanere. Ego mi amplissime Accolte, si is esse volo qua
beo, colam te atque amem summoperè necesse est. Cuius en
habeo plura erga me amoris & liberalitatis indicia ac mo
menta? Quid virtus tua? Quid humanitas? Quid illa & cre
& vehementer repetita amoris tui erga me significatio? Qu
doctrina? Quid literæ? per quas suauissimo vinculo coni
nium studiorum coniuncti inter nos sumus, parúmne illa v
lent ad animum meum tibi obligandum, totumque in di
nem & potestatem tuam tradendum? De tua autem in me
neuolentia hoc velim tibi persuadeas, neque me existimare h
norificentius quicquam me assequi posse, quàm abs te fic dil
nec aliquid animo meo accidere posse iucundius. Ludouicus m
dicus tuus, homo (vt mihi visus est) & peritus, & prudens, ide
que studiosissimus tui, offendit me in via, cum lectica vehe
quod nondum etiam eram ex recente morbo confirmatus. Cu
eo sermonem habui de te, quem illum ad te pertulisse arbitr
Iter item mecum ad Vrbem faciebat Molsa, summo ingenio
summa eloquentia vir, atque is quoque amantissimus teru
mnium tuarum. Sed est quod mihi ignoscí à Ludouico pe
lim. Egi enim cum eo parum sanè humaniter: qui cùm lem
nes inter nos conferremus, sisti lecticam non iusserim. Cu
me mei errati acriter postea pœnituit. Conderant enim p
mihi, nihil visum est agi potuisse magis rusticè. Sed siue tor
quidam mentis atque ingenij ex morbo (vt arbitror) contra
siue ipsa commemoratio de te, plena lætitiæ partim, partim
iam doloris, ita consilium mihi excussit, vt quid tum decer
nequierim perspicere. Huius meæ culpæ, cuius recordatio etia

nunc mihi molesta est, & abs te, & ab illo veniam peto dari, mihique ignosci peto. Reliqua mea officia in te, atq; in omneis tuos fidelissimè semper amantissimeque constabunt. Vale. XII. Calend. Decemb. M. D. XXXVI. Ex Vrbe.

XVIII.

IAC. SADOLETVS EPISC. CARP. *Cosmo Gereo Fani Epist. S. P. D.*

LVDOVICVS Beccadellus familiaris tuus conuenit me, multamq; tuis verbis salutem mihi nunciauit: adiunxitq; in sermone, te molestè ferre, quod cùm ego per ista loca ad Vrbem proficiscens iter facerem, tu istic non affuisses: cupereque te in meo reditu, si eadem via iter facerem, videre me, & alloqui, hospitioque excipere, quem iam antè in amorem & in beneuolentiam tuam recepisses. Quæ cuncta mi optime Geri mihi abs te iucunda & grata accidere. Nam cùm de te iam pridem in eam opinionem venerim, vt de virtute & humanitate tua mirificè sentiam, multorum honorum testimoniis in hunc sensum adductus: tum verò hæc significatio tuæ erga me voluntatis & meum pristinum de te iudicium confirmat: & facit, vt te etiam mihi magis præcipua quadam beneuolentia diligendum putem: quem antea communi illo studio, quod virtuti debetur, tantummodò diligebam. Siquidem nihil est, quod me vehementiùs impellat ad amandum, quàm cùm intelligo me amari. Quod quoniam mihi abs te contigit, sic velim tibi persuadeas, neque in fide amicitiæ, neque in beneuolentiæ studio, quicquam à viro bono desiderari conuenire, quod tibi à me non promptum & paratum futurum sit. Meque & tuam istam voluntatem, quam erga me eximiam ostendis, maximi facere: & tuis tantum tribuere virtutibus, vt existimem hanc modò inter nos initam amicitiam, mihi non solùm voluptati, sed honori etiam permagno fore. Quare ita sentias & constituas volo, me tibi prorsus esse amicissimum. De hospitio quòd mentionem facis: crede mihi, si te præsentem istic offendissem, perlibenter certè ad te diuertissem. Quid enim mihi tuo aspectu & familiaritate occurrisset dulcius? Neque recuso, si in reuersione mea in Galliam per eadem ista loca transiero, per quæ, vt nunc est, transiturum me arbitror: quin ad te rectè me conferam, tecumq; & apud te diem & noctem sim. Sed & pueri familiaresque tui, te absente eam mihi sedulitatem diligentiamq; præbuerunt, vt facilè appareret ex disciplina domestica, quàm, & quàm liberalis hospitum receptor esses. Nullum enim certè officium prætermiserunt, quod tam breui tempore, & peregrino, & hospiti potuerit præstari. In quo declararunt, cùm

me tam ſtudiosè inuitarent & colerent, quantoperè illud
gratum iudicarent fore. Quæ cùm omnia redeant eodem,
ſint amoris erga me tui indicia atque ſigna: ne viuam, mi Ge
conceſſurus tibi ſum, vt tu plùs me diligas, quàm ego te dil
Itaque & pro collegio & pro amicitia, paria tibi à me ſtudia
liceor ac defero, atque illa ſunt, quæ tu in me contuliſti: & ſi
poterit, etiam ampliora. Sed de his ſatis. Ego genus tuum
conſiliumq; in Eccleſia tua commorandi, vſque adeò probo
non deſinam id & laudare ſummè, & admirari. Deumque imm
talem quæſo, vt dignum tua iſta virtute animiq; conſtanti
ctum atque euentum conſilio tuo largiatur. Vale. III. Cal.
cembris, M. D. XXXVI. Ex Vrbe.

IACOBI SADOLETI EPISC
CARPENTORACTI EPISTOLARUM Lib. X. Epiſt. I.

*IAC. SADOLETVS S. R. E. CARDIN
lis Herculi II. Duci Ferrariæ, S. P. D.*

QVONIAM habeo te inter eos quos mihi exi
ſemper colendos, obſeruandosque propoſui: id
putaui mihi faciendum eſſe, vt ad te mea manu
berem, nuntiaremque id quod mihi contigit. Fi
enim nihil cogitans, ac ne cupiens quidem, ſed præter omn
opinionem meam creatus ſum Cardinalis. Cuius honoris
gnum onus & ſplendidum, meis tamen humeris perquam gr
eſt: non enim videtur meæ fortunæ tenuitas id poſſe perferre
tamen feram vt potero: & ſi copiis opibusque deficiar, in eo
borabo, vt fide, integritate, amoreque in Remp. munera
ſatisfaciam. Tibi verò præſtantiſſime Dux, cuius nomini cla
ſimæque familiæ iam pridem valde deditus ſum, ita mea ſtu
officiaq; polliceor ac defero, vt tibi cupiam perſuaſum eſſe, e
bi imprimis præſto ſemper fore: meq; eorum nemini qui te am
& colunt, quorum pro amplitudine & nobilitate tua, magna
pia eſt, vnquam conceſſurum: ſemperque ea libentiſſimè fa
rum, quæ honori tibi & ornamento eſſe poſſint. Sed hæc, cu
vſus venerit, re magis præſtabo, quàm verbis. Tu vt me di
gas, habeasque in numero tuorum, vehementer à te
peto. Vale. Ex Vrbe, X. Cal. Ianuarij,
M. D. XXXVI.

IAC

II.

IACOB. SADOL. S.R.E. CARD. PETRO BEMBO, S.P.D.

NEQVE hilariter possum, neq; tristib. etiam verbis ad te scribere: quod in altero mihi animus meus repugnat, in altero hominũ opinio atq; iudiciũ. Qualecunq; tamen id sit quod mihi accidit, scire te volo, me his proximis comitiis à Paulo III. Pont. Max. in amplissimũ ordinem S.R.E. Cardinaliũ esse cooptatum. Quod sit ne lætandum, nécne sit, equidem ignoro. Scio enim me alias huiusce modi occasiones vitasse: & nunc quidem certè quod factũ est, neq; ex voluntate mea, & præter omnem expectationẽ factum est. Ac singularis quidem Pont. Max. voluntas declarata est aduersum me, qui iudicauit eo honore me dignum, quo forsitan non sum dignus: vel potius planè non sum. quis enim est tam arrogans, qui audeat ipse de se facere iudicium dignitatis? Sed quod ego sine ambiguitate & sine vllo errore iudico, onera quæ honorem eum consequuntur, mihi ita grauia sunt, vt nõ videam quo pacto possim ea sustinere ac ferre. Te quidem rogo mi optatissime Bembe, vt me amare non desinas. Minor apud te sum factus, quàm fuerim anteà. Hoc enim & ego suspicor & re ipsa ita est. Sed noli hoc quæso, meæ culpę adscribere: potius fortunam accusa, quæ me compulit in eiusmodi vada & cautes, vt aut fama omnis prudentiæ abiicienda mihi fuerit, aut libertas confringenda. Egoverò pudore & timiditate ingenua quadam malui constingi, quàm stultus iudicari. Si lapsus iudicio sum, ignorantiæ id meæ tribuendum est. Si verò mea ratio habet aliquam rationem, eam tu si defendendam susceperis, potero sperare, me omnibus purgatum & probatum fore. Te quidem ego indies magis magisq; diligo, plurimiq; facio. Lazarum meum meis verbis salutare iubeas item q; cæteros: quos ferè habemus amicos communes. Me quo minus plura scribam, meæ molestæ graues q; solicitudines, & cura rerum necessariarum auocat. Vale. Romæ, Calen. Ianuarij, M.D.XXXVII.

III.

IAC. SADOL. S.R.E. CARD. RODVLPHO Pio Carpensi S.R.E. Card. S.P.D.

CVM me tecum vnà, Paulus Pontifex Maximus in amplissimum S.R.E. Cardinalium ordinem cooptauerit: non tã res ipsa mihi iucunda accidit, propter prioris vitæ meæ (vt ego arbitror) beatioris desiderium, quàm summi benignissimiq; Pontifi-

cis tale de me iudicium, & iucundum, & gratum extitit. In qua auxit permultum animi mei lætitiam, quòd te socium, vel potius ducem habiturus sum in omnibus præclaris actionibus quæ per nos ad Dei omnipotentis gloriam, & Christianæ Reip. salutem, & suscipiendæ fuerint, & tractandæ: vt etiam si virtute tibi impar, voluntate tamen proximus sim futurus. Sed de his aliis. Nunc tibi ex animo gratulabor, teque videre quà primum cœpit vt mutua nostra beneuolentia, quæ semper animo potius renuenta, quàm officiis inter nos vsurpata est, propter disiunctionem videlicet nostram & vitæ, & locorum, nunc assiduitate consuetudinis, & communicatione consiliorum, vberiorem multo amoris fructum nostrum vtiq; afferat. Tu vale, & ignosce breuitati meę: plura enim scribere meę occupationes non sinunt. Iterum vale. Romæ, V. Cal. Ianuarij, M.D.XXXVI.

IV.

IAC. SADOL. S.R.E. CARD. MARIO Aligerio Rheatis, & Laurentio Granæ Signiæ Episcopis S. P. D.

CVM me nihil tale cogitantem, ac præter omnem expectationem meam, optimus Maximus Pontifex in sacrum collegiũ S.R.E. Cardinalium cooptasset, non existimaui tantum mihi curarum & solicitudinis ab ipso honore, qui certè maximis occupationibus est impeditus, afferri oportere, vt officij obliuisceret, quo mihi videor ambobus vobis esse obstrictus. Tanta est humanitas earum literarum quas mihi rescripsistis: adeoque vestram propensam & beneuolam erga me voluntatem visus sum agnoscere. Quòd profectò gratissimum mihi accidit. Talibus enim viris, quales estis vos, probatum me esse, præcipuum præmium mihi videtur esse virtutis. Quæ quidem virtus si tanta in me existeret, quanta à vobis magis prædicatur, quàm à me ipso agnoscitur, gauderem maiorem in modum iudicio doctissimorum & amicissimorum. Nunc etsi opinionibus de me vestris imparem esse me sentio, amore tamen erga me vestro nihilominus lætor: facileque patior, videri vobis maiora quæ beneuolentia vobis depingit, quam quæ veritas ipsa fert. Sed de his satis. Ego hoc honore factus sum vobis non amicus melior, sed aliquanto ornatior. Qui quidem honor magis mihi erit & optatus & gratus, si ex eo facultas mihi affuerit, bene de vobis, & de vestri similibus promerendi. Non enim alium ex illo fructum aut specto, aut percipere cupio. Vos si pristinam vestram beneuolentiam erga me conseruabitis, & humanitati constabitis vestræ, & facietis mihi gratissimum. Valete. Scriptæ erant hæ literæ, cùm tuas eodem die Mari

doctis-

doctissime accepi literas, & simul alteras ad Paulum Granæ nostri, vtrasque honori nostro gratulanteis: quas nimirum libentissimè legi. Gratulatio vestra optimi animi index mihi pergrata est. Vtinam ego talem me præstare possim, qualem vos describitis. Conabor quidem certè: & si aliud nihil, egregiam vtique voluntatem ad Christianam Remp. afferam: cuius salus atque amplitudo semper erit mihi mea vita charior. Vobis autem duobus hoc nunc habeo quod pollicear ac spondeam, vos neque constantiam in beneuolentia erga vos mea, neque in amicitia fidem esse desideraturos. Sicuti quidem & virtus vestra, & meæ vitæ perpetua consuetudo à me postulat. Iterum ac sæpius valete. Romæ.

V.

IACOB. SADOLET. CARD. MARIO MAFFEO Caualliccnsi Episc. S. P. D.

ETsi nihil adhuc abs te ad meas priores literas erat responsum, quibus ita flagitabam aduētum tuum, vt nihil fieri posset ardentius: tamen cùm postea fato nescio quo, aut ne fato quidem, sed optimi ac præstantissimi Pontificis nimis beneuola erga me voluntate, ignarus, & incogitans, in sacrū ordinem S. R. E. Cardinalium cooptatus essem, non duxi prætermittendum, quin ad te literas hac ipsa de re darem: quanquam eram, quod te intelligere puto, maximis curis occupationibusque distentus. Sed tamen amor meus erga te, & officii ratio, eius quod nostræ amicitiæ debitum est, nullo impedimento teneri potuit, quin communicarem tecum hoc quicquid esset, siue gratulandum id sit, siue non gratulandum, vt ambo id vnā communiterq; faceremus. Non enim quicquam à te seiunctum mihi esse potest: nec tu aliena tibi ea, quæ mihi accidunt, debes existimare. Sed cum iam diu mutuus inter nos amor animos nostros in vnum quodam modo conflauerit, debet vterq; nostrum in altero semetipsum æstimare & pendere. Ergo si ornatior ego hoc honore factus sum, quam antea, horum mihi ornamentorum pars æqua tecum est: si minus ornatus, minorisq; faciendus, (nam certè liber minus, & minus beatus redditus sum) tu leuare debes onus nostrum, æqua oneris parte mecum subeunda. Sed quoniam res impræsentia ad iudicandum difficilis est, egetq; disceptatione maiore & tempore, illud vtique scire interim te volo, si te præsentem hic habuero, maximas partes lætitiæ & hilaritatis mihi fore restitutas. Nā & erit in cuius amore consiliisque requiescam: & nulla tam grauis cura solicitudineque opprimar, quam aspectus tuus, & familiaris sermo noster non continuò tollat, atque auferat. Tu vt va-

letudini tuæ seruias, mi suauissime Mari, & te huc aliquando conferre mea causa animum inducas, vehementer a te peto. Vale. V Non. Ian. M.D.XXXVII.

VI.

IAC. SADOL. S.R.E. CARD. ANDREÆ Gritto Duci Venetor. S.P.D.

CVM accepissem Amplitudinis tuæ literas, & Laurentii Badadeni, hominis virtute & sapientia ornati, legati vestri verba audissem, qui suo sermone egregiè subsecutus est grauitatem earundem literarum: equidem non mediocriter sum lætatus, vt le fieri iudicium de me abs te, & ab isto amplissi. senatu, in quo go vestigia antiquæ dignitatis atq; autoritatis residere intelligo, vt me quoque non inutilem ministrum ad subueniendum Christianæ Reipub. esse existimetis. Verùm ista lætitia affert profecti secum maiorem etiam solicitudinem. Magis enim video mihi laborandum esse, vt iudicio vestro respondeam, quàm lætādum, quòd sic de me vos iudicetis. Quòd si recta administratio huius honoris ac muneris, quod mihi nullo meo merito, sed quadam bonitate præpotentis Dei suscitantis de terra inopem, & de stercore pauperem erigentis, delatum est, à me ipso mihi sperandæ atque expectanda esset, diffiderem profectò, à vobisq; peterem, vt me talem de me opinionem haberetis. Quid enim ego sum, si per memetipsum æstimer, nisi plebis abiectio? Sed quoniam ad clementissimum Deum toto animo conuersus, illius vnius & benignitati confido, & opem expeto: cupioq; illi, quanquam peccatis oppressus, studio tamen bonę voluntatis inseruire: spe teneor posse me diuino auxilio fretum, aliquando & Reip. afflictæ, & bonorum de me expectationibus aliqua ex parte satisfacere. Præsertim cùm hæc noua atque inaudita multis iam penè seculis summi potificis Pauli tertii bonitas ac sapientia, & collegarum meorum præstantissimorum hominum, virtus ac religio, animum meum excitet atque erudiat: quorum ego vestigiis consectandis, virtutibusque imitandis, errare minimè potero. Quare in his mihi nouum vitæ genus hoc animo sum ingressus. Primum, vt Deo omnipotenti, eiusq; sanctæ fidei, omni studio, opera, labore, sanguineq; deseruiam. Deinde, vt sanctam sedem Apostolicam præsidemque illius Paulum ita meritum de me, vt omnes sciunt, quantum in me erit, in omni sua autoritate ac dignitate tuear atque conseruem. Tertio loco, vt ea agam & mediter, quæ probis, & doctis, & amantibus mei, possint & honestati esse & commodo. Quo in genere gratias amplitudini tuæ agens, quod ad me tam humanè & tam amanter scripseris, & tibi & isti amplis-

mo Se-

mo sentui ita mea studia pollliceor ac defero, vt quoad per me fieri poterit, paucos mihi pares in amore & cupiditate veritatis rerum secundarum sitis habituri. Vale. XV. Cal. Februarii, M.D.XXXVII.

VII.

IACOB. SADOLET. S.R.E. CARD. CLAVDIO Rangono Comiti, S.P.D.

QVAS ad me & ad Paulum meum misisti literas, gratæ mihi maiorem in modum fuerunt. Recognoui enim in illis pristinam illam tuam erga nos beneuolentiam, quam ego amare tantopere sum solitus. Præsertim adiunctis maximis virtutibus & animi & ingenii, quas ego in te ab ineunte tua adolescentia prospexi, easdemq; ad frugem bonam postea perductas cognoui. Quòd honore nostro lætatus sis, tam facilè tibi credo, quàm mihipsi. Quòd verò honos ipse magni æstimandus sit, disputas tu quidem & ornatè & subtiliter. Sed, crede mihi, alia erant potiora, quæ quidem ego magno animo eram persecutus. Nunc vero ne me ipso factus inferior sim. Sed si erit locus Deo inseruiendi, nauandæque Reip. fortiter atque constanter, maximo me honore affectum arbitrabor. Quod quidem aut hoc optimo prudentissimoque Pontifice gubernacula tenente sperandum est fore, aut nullo alio. Quotus enim quisq; in hunc altissimum honoris & dignitatis gradum iam dudum sublatus est, cui Resp. fuerit cordi? Sed hæc Deus viderit, cuius potestate & arbitrio reguntur omnia. Te ego amo, vt debeo, meq; à te amari vehementer opto. Imprimisque id cupio, vt de meo optimo animo & voluntate erga te persuasissimum tibi habeas. Vale. Romæ. XIII. Idus Ianuarii, M.D.XXXVII.

VIII.

IAC. SADOL. S.R.E. CARD. FRANCISCO Bellencino Mutinensi, S.P.D.

AVDIERAM sæpe ex Paulo meo, qualis tu vir, & quam mirifice deditus liberalioribus studiis esses, ad quæ ab iure Ciuili, in quo eras multis iam annis omni cum laude versatus, etiam curam omnẽ animumq; transtulisses. Quod quidem erat apud me animi ingenui & præstantis indicium. Sed crede mihi, tuæ literæ non modò confirmarunt opinionem de te meam, verùm etiam auxerunt. Ita enim perfectæ atq; elaboratæ in omnem partem sunt, vt statuere satis non possim, vtrum elegantius scriptas quẽ, an amantius: ita omnia in illis & ingenii luminibus & amo-

ris sunt lita. Ex quo gratulari mihi in mentem venit commu
patriæ, quæ tot ingenia ex sese, & talia effert in hoc tempore, v
artium eam optimarum tanquam officinam quandam esse v
deamus. Quare quod mihi eloquentiæ laudem tribuis, feci eq
dem quod in me fuit, vt digitum intenderem in eam viam, po
quam ad summum humanæ dignitatis gradum peruenirí pos
sum arbitratus, primus hanc ipse, aut certè cum paucis inter
Sed nunc tam multi tanto cum studio in eam se iniciunt, vt m
rabilis concursus sit. In quo ego æquissimus spectator aliorum
laudis, multos partim antecedentes iam me, partim etiam con
quentes, mira cum voluptate conspicio, faucoq; impensius bon
ingeniis. Quo in numero cùm te vel imprimis constituam, debe
existimare, gratum mihi accidisse istud studium quod præ te fer
& colendi (vt tu ais) & diligendi mei. Nam quòd honorem m
hi hunc nouum gratularis, agnosco beneuolentiam tuam: sti
magis iure mediusfidius illam pristinam meam vitam mihi esse
gratulatus: qua ego beatiorem aliam nunquam iudicaui repe
ri posse. Vt nunc res se habet, quàdo in hunc locum euectus sum
dabitur opera à me Deo bene iuuante, vt noster honos ne qu
inutilis Reip. nec bonis & doctis viris infructuosus sit. Quibu
quidem si non re & fortuna, at opera certè & voluntate non de
ero. Nullumq; maius præmium me assecutum esse putabo, quam
si facultatem ero nactus, bene de illis quacunque ratione pro
merendi. Tu vt valeas, nosq; diligere pergas magnopere à te p
to. Vale. XII. Cal. Aprilis, M.D.XXXVII. Romæ.

IX.

IAC. SADOLETVS EPISC. CARPENT. *Petro Bembo S.P.D.*

REDDITÆ à te breui tempore epistolæ mihi sunt duæ, quarum
in vna honori nostro amicissimè gratularis, altera habet de
fensionem facti nostri, ita accuratam & grauem, vt summus in n
amor tuus cum singulari prudentia certare videatur. Sic enim
occurris omnibus dubitationibus nostris, sic omnia quæ com
dici possunt, rationibus tuis diluis atq; refutas: vt animus nobi
ambiguus antea & vacillans, metuensq; ne quid admisisset ma
se, quod à reliqua via me videretur discrepare, tua nunc auct
tate firmior, & in suscepta ratione constantior multo factus s
Quanquam illa grauissima omnium ad consolandum est ratio
si mihi in hoc loco constituto, tribuerit fortuna facultatem be
de bonis & doctis promerendi: hoc si contigerit, cætera modes
tè feremus. Nam quod ad ipsum me attinet, noli existimare, m
Bembe, non me aliquantum animo commoueri, cùm consid
ro

rem qui fuerim, quàm beatè, & quàm meum ad arbitrium olim vixerim. Nunc autem ex illis ampliſſimis atque amœniſsimis libertatis ſpatiis, in breuem gyrum ſeruitutis ſim redactus: præſertim cùm hic etiam honos non maiorem modò virtutem & ſapientiam, quàm mea eſt: ſed longè opulentiorem fortunam requirat & poſtulet. Sed quoniam tuis præceptis conſtantia animi ſuſcipienda eſt, & mollicies abiicienda, ſimus ſanè in omni huiuſmodi perturbatione fortes. Noſtram perpetuam beneuolentiam inter nos, amoremq; incredibilem ac ſingularem quo coniuncti ſumus, equidem à mea parte tueor, tueboꝛque diligentiſſimè, citiuſq; à vita deſerar, quàm vt is vllum vnquam detrimentum apud me vel minimum patiatur. Tu vt eodem animo erga me ſis, quo ſemper fuiſti, non equidem te rogo: (non enim veteor vt ſecus facturus ſis) ſed tamen neſcio quo pacto, vt optem mihi in mentem venit. Vale mi chariſsime atque humaniſsime Bembe. XV. Calend. Febru. M. D. XXXVII. Ex Vrbe.

X.

IAC. SADOLETVS S. R. E. CARD. *Andreæ Alciato S. P. D.*

PLENAS amoris atq; officij tuas accepi literas: quæ & quòd profectæ à te, & quòd amicè atque eleganter erant ſcriptæ, plurimum mihi voluptatis attulerunt. Gaudebam enim Alciate tibi tali viro honorem noſtrum probari: quo cum iuncta quidem eſt repentina propemodum totius vitæ commutatio, & ea mihi moleſta, niſi interdum ſolicitudinem animi mei doctiſsimorum hominum atque amiciſsimorum, cuiuſmodi es tu, gratulano & lætitia leuaret. Erenim ſcis ipſe profectò, quam vitam antea vuerę eram ſolitus, quàm beatam, quàm liberam, quàm omnibus iis fluentem rebus, quæ iucundæ hominibus in vita acciderę ſolent. Quibus omnibus nunc carere eſt neceſſe, longeq; diuerſis & ſtudia & inſtituta ſequi. Sed ſi hoc mihi vni incommodum, cæteris fortaſſe vtile, ac Chriſtianæ imprimis Reipub. futurum eſt, & tu ſuauiſsimè atque amantiſsimè auguraris: ſubeatur omne onus, & cuiuis iugo ceruices ſubdantur. Quanquam nil video eſſe in me aptum publicis commodis, præter benè & rectè faciendi voluntatem: quæ mihi quidem nunquam aberit. Eſt enim non cura mea aliqua, ſed diuino in nobis beneficio innata, quæ ſi ſola, & eis nuda præſidiis quæ ab ingenio & prudentia ſuppeditantur, poteſt quicquam prodeſſe rebus communibus, opera quidem mea non deſiderabitur. Cætera in poteſtate Dei erunt, ad quem nos omnia ſumus relaturi. De te verò mi Alciate, nunquam dubitaui quin ſummam lætitiam eſſes capturus quacunque ex

que ex te, quam mihi honestam & vtilem fore arbitrareris. Nec enim animum tuum tum propensum erga me, tum suapte spon bonis omnibus fauentem. Neque id me primum literæ docu runt, sed hæ tamen iucundæ atque gratæ quòd testes extiterun non beneuolentiæ solùm, verùm etiam memoriæ mei tuæ. Qu ego legens videbar tecum loqui, tanta in illis suauitas, tanta declaratio amoris tui erga me inerat. Quare te etiam oro, vt terdum ad me, cùm otium tibi erit, scribere ne grauere. E quod meæ voluntatis in te proprium est, sic te statuere, & ti persuasum esse volo, qui te pluris quam ego faciat habere te minem. Quamobrem quicquid ego sum, aut esse vnquam po ro, totum tibi confidas & tuis commodis paratum. Vale. XI Calendarum Februarij, M. D. XXXVII. Ex Vrbe.

XI.

IAC. SADOLETVS CARD. S. R. E. *Romulo Amasæo S. P. D.*

NON erat opus mecum tot vti excusationibus: non eram vnquam dubitaui quin tu me diligeres. Sed tamen in quodammodo excusando cùm adhibuisti non mediocrem dil gentiam, simul & illud, quanti tu me faceres, ostendisti. Quo tuo vel de me iudicio, vel erga me animo mirificè delector. V tutem tuam, quam amabam & excellens ingenium, quo es pr ditus, totum expressum vidi in tuis literis: quibus mihi elegan tius nec eruditius legi à me potuit. Omnino egregiè sustines a men quod adeptus es. De quo tibi non minus gratulor, quam t honori meo es gratulatus. Cui ego honori vtinam par esse po sim, vt ne obruar expectatione eorum, qui magna à me polli lent, & maiora quidem, quàm queam præstare. Sed in hoc mih ricors Deus nos adiuuerit. Ego te diligo Romule, & de tuis virt tibus honestissimè sentio: meque vicissim cupio à te amari, p ratus, si quid fortè vti opera mea volueris, ea tibi præstare, qu ab amicissimo homine iure expectanda sunt. Pompilium tuu hîc sæpè video, eiusque probitate, & ingenio, ac in meipsum o seruantia summopere delector. Vale. Romæ.

XII.

IAC. SADOL. S. R. E. CARDINAL. *Achilli Bocchio Bononien. S. P. D.*

NVLLA fuit antehac mihi tecum familiaritas. Verùm litter tuæ, quas proximè ad me misisti, eam inter nos benevolen tiam conciliauerunt, quæ instar antiquæ necessitudinis habet pos

possim. Ita patuit mihi animus tuus, & vera visa est gratulatio, quæ ab optimo animo profecta est. Itaque te planè existimo hoc honore nostro vehementer esse lætatum. Qui quidem honos vtinam sit eiusmodi, vt ex eo ego, & Christianæ Reipub. (sicut tu sanctissimè atque amicissimè optas) prodesse possim, & doctis viris & probis viris, in quos mea semper fuit propensa & est voluntas. Sed vereor ne quod piè volo, id re præstare minus idoneus sim. Non enim ea virtus in me, neque ea est doctrina, quam tu fortasse arbitraris. Sed cùm ad præpotentem Deum & tu omnia referas, & ego ad eundem confugiam: spes est, si is nobis fauerit, fueritque adiumento, aliquid aliquando nos effecturos esse, quod ad illustrandam ipsius gloriam, & ad aliquod commodum Reip. pertineat. Verùm hoc, vt illi fuerit placitum. Ego & gratulationem tuam gratissimè accipio, & te in suscepta erga me benevolentia cupio permanere. Quod vt constantius facere debeas, pari ego te compensabo voluntate. Vale. Idib. Ianuarij, M. D.XXXVII. Roma.

XIII.

IAC. SADOLETVS CARDINALIS *Lazaro Bonamico S. P. D.*

Binis abs te acceptis commendatitiis literis, iis quos mihi commendaueras, & vultu & verbis ostendi, quantum valeres apud me tua commendatio. Atque illi cùm adiissent me primò, responsumque tulissent, tua me causa omnia quæ ex me vellent, libenter esse facturũ: cùm reuersi postea non sunt. Credo, quòd me vidissent, & sese noscendos mihi obtulissent, satis putasse impræsentia se esse consecutos: redituros, cum opus fuerit. Tu verò ita constitue de me, & tibi ita persuade, quicquid tua agere causa contigerit mihi, id gratius mihi semper futurum, quàm tibi ipsi. Secutæ sunt postea tuæ gratulatoriæ literæ, qua Deus bone eloquentia? qua copia, quibus ingenij, & amoris refertæ luminibus? quæ cùm mihi redderentur, casus interuenit mirificus. Eramus enim in senatu, & prope me amplissimi viri Contarenus & Polus: à quibus lectæ, laudatæque mirabiliter. Farnesio lectissimo adolescenti deinde sunt traditæ, qui postridie domum mihi eas remisit. Ad eas quemadmodum debeam respondere ego planè ignoro. Video enim te tantum permittere amori, vt ex iudicij tui, alioquin recti & boni, regionibus, non parum egrediaris. Tsne tanti me facis, & vsque eò de me bene existimas, vt speres magnum aliquod ex me commodum Christianæ posse euenire Reip. Vtinam hoc ita esset. Essem enim & fortunatior mihi ipse, & certè amicus tibi ornatior. Quid enim est quod magis

magis cupiam in vita, quàm huic tali tuo de me iudicio satisfa-
re? Quòd si tu de voluntate mea ita iudicas, nihil profectò fa-
ris. Sin autem de facultate: quid, quæso, tantùm est in me vir-
tis & sapientiæ, vt huic muneri obeundo egregiè aptus sim? M
tamen cùm voluntas sæpè si acriter sit incensa, inuenire sibi v
ad res gerendas possit, dabo equidem operam, vt si non omn
at aliqua ex parte opinioni tuæ industria mea respondeat. Qu
de Paulo Tertio optimo maximoque Pontifice & sentis præ
rè, & prædicas: certè mi Lazare nouum hoc exemplum a
stantissimo Pontifice in Remp. introductum est, vel renoca
potius ex ipso more maiorum, & longo interuallo repetitu
in mandandis honoribus non gratiæ, sed virtutis ratio habe
Quod in meis Collegis maximè patet. Quis enim est eorum
singularibus atque eximiis virtutibus ornatus & præditus
rum ego numero vtinam adscribi dignus essem: constaren
me summi Pontificis iudicium, sicut in aliis constitit, qui
ab eo sunt in hunc amplissimum ordinem adlecti. Sed (vt
paulò antè) hoc diligentia vtar maiore, quò ingenio imbecil
sum. Tibi porrò quid ego scribam? nisi & agere me tibi gra
qui tantoperè meo honore gauisus sis, pristinumque tuum a
rem erga me, omni mihi tempore probatum & perspectum,
etiam in re totum exposueris atque ostenderis: & tibi pollic
meam illam beneuolentiam, qua te semper mirificè sum co
plexus, non modò stabilem & saluam consistere apud me, sed
ctam etiam, quàm anteà, aliquantò auctiorem. Siquidem mag
ex parte spes lætius traducendæ vitæ in hoc ipso honore, qu
hi cæteroqui grauem seruitutem affert, in eo mihi posita e
amicis & familiaribus meis, in quibus tu principem pene locu
obtines, & lætitiæ potero esse & commoditati. Vale. XV. C
lend. Februarij, M.D.XXXVII. Romæ.

XIV.

IAC. SADOLETVS CARDINALIS
Augustino Beatiano S. P. D.

ELEGANS tuum carmen mira quadam suauitate me de
sit: vel propter lumina ingenij, quæ in eo multa extant
ob memoriam nostræ mutuæ beneuolentiæ dulcissimæque
suetudinis, quæ nunquam mihi quidem ex animo lapsa est,
nunc grata recordatione repetitur. Quòd gaudeas honore
non mihi nouum est, neque inopinatum: eodem enim tempo
tuo ipsius honore lætaris. Quid enim est amicitia, nisi comm
nio rerum & secundarum, & aduersarum? Vtinam modò ha
cundæ sint, per quas auulsum me à rebus mihi iucundissim
deo

deo. Sed si quid hîc boni erit, in eo inerit, si & Reip. & amicis ego vsui potero & ornamento esse. In quo dabo vtique operam, vt quæ didici in otio, in negotiis expromam. Potestas modò detur agendi aliquid, quod sit viro dignum, meam constantiam & studium non desiderabis. Ego tuæ gratulationi ago gratias: maximeque opto, vt eadem qua fuisti erga me voluntate, semper sis: de meque ita constituas neminem te habere, in amore tui superiorem me, paucos pares. Vale. Romæ.

XV.

IAC. SADOL. S. R. E. CARDINALIS Lilio Greg. Gyraldo, S.P.D.

GRATÆ mihi tuæ literæ, testes tui perpetui erga me amoris, qui semper mihi iucundus accidit. In quibus quòd honori meo gratularis, agnosco eandem beneuolentiam tuam: & in eo etiam magis, quòd me existimas alicui vsui fore Christianæ Reip. quod vtinam ita eueniat. Non enim tum me beatiorem vitam amisisse existimabo, quæ mihi in otio & tranquillitate posita erat: si aliqua via operis & negotij, eandem beatitudinem potero consequi. Non enim minus ad felicitatem labore honesto, quàm quiete animi peruenitur. Cuius facultatis si dederit mihi Deus occasionem, non committam, vt frustra quisquam meam operam, & officium boni viri videatur requisiuisse. Te cupio valere, & me à te diligi etiam opto, sicut ego quidem te diligo: quod re tibi declarabo, si acciderit, vt aliquando possim. Vale. ex Vrbe.

XVI.

IACOB. SADOLET. CARDINALIS Hieronymo Vidæ Albæ Episcopo, S.P.D.

GRATISSIMÆ mihi fuerunt literæ tuæ: quæ & veteris nostræ amicitiæ memoriam mihi renouarunt & declararunt, in te non parum adhuc amoris erga me ipsum residere: quo mihi nihil optatius, neque iucundius accidere potuit. Nam cùm te semper ingenij & virtutis tuæ causa plurimum dilexi: tum verò optatissimum diligi a te. Id rectè existimans, coniunctionem tecum meam mihi magno honori semper fore: quòd tuum de quoque homine iudicium in vtranque partem magnam vim haberet, neque solùm impræsentia honorificum existeret, sed illucesceret in omnem etiam posteritatem. Quanquam hæc quæ notissima sunt, nouæ commemoratione mea non indigent. Venio nunc ad gratulationem tuam, quæ mihi magis propter animum

tuum propensum & benevolum erga me, quàm propter
ipsam, de qua gratularis iucunda extitit. Gaudeo enim a
viro honorem meum comprobari: ipso autem honore non
topere delector. Qui etsi magnus, & expetendus omnibus
tur: mihi tamen boni multò plus abstulit, quam dedit. Abst
enim otium, quietem, libertatem. Alia quædam reddidit,
nequaquam cum illa felicitate prioris vitæ, meo quidem iu
erant comparanda. Sed quoniam oppressi subitò optimi P
beneficio, spatij ad consulendum ac deliberandum nihil h
mus: pareamus sanè Deo, qui nos huic subiectos onere
luit. Illud tamen curemus, in eoque elaboremus, vt quoad
nostræ ferre poterunt, hæc nostræ dignitatis accessio, Chri
næ Reipub. & huic sanctæ Apostolicæ sedi possit esse vtilis. Q
conabimur quidem certè. Quantum autem præstare efficia
possimus, id iam ad Deum ipsum referendum totum est: qu
ciat nos idoneos ministros suæ voluntatis. Sed de his satis.
te doctissime Vida & amaui semper, vt paulò antè dictum
tuo præstantissimo ingenio, eximiæque doctrinæ plurimum
bui. In qua etiam nunc & opinione eadem sum, & voluntat
bique hoc de me esse persuasum volo, si quem mihi aliqu
locum tibi gratificandi dederis, magno me abs te affectum b
ficio esse arbitraturum. Tu vt valeas, & me vt diligas, imag
rè à te peto. III. Februarij, Romæ.

XVII.

IAC. SADOLETVS CARDINAL. *Germano Brixio S. P. D.*

SEMPER hoc ferè euenit in tuas literas, mi humanissime
xi, vt longo interuallo postquam à te datæ sunt, ad me
perferantur. Velut has, quas recens acceptas, plenissimas
ris, humanitatis, officij, summa cum voluptate perlegi. Scr
enim à te XIII. Calend. Februarij, octauo Idus Martias
sunt redditæ. Credo, vt quò suauiores mihi & iucundiores
hoc me diuturniore expectatione torqueant. Sed nihil agi
tuna: cùm enim tuas literas non habeo, neque lego, tu
memoria cogitationeque delector: quæ ita mihi infixa
mis in medullis, vt auelli non possit. Neque verò ego fructu
vera amicitia, qualis profectò nostra est, esse vberiorem
puto, quam habere amicos animo suo præsentes, quos loco
longinquitas ab oculis distraxit. Hoc ego in te cùm facium
duè ac perdiligenter, quod te idem in me facere arbitror: ver
que videor mihi consequi, vt neque crucier tuarum literarum
fiderio: & cùm eas accipio, vehementissimè gaudeam. Ita
quo

quibus quæso, putas me elatum esse lætitiis, cùm eas legerẽ quas proximè accepi, copiosas, graueis, suauissimè atque ornatissimè scriptas: quodq; pluris est quàm cætera omnia, ea indicia amoris præ se ferentes, vt iam non beneuolentiam erga me tuam videar agnoscere, sed singularem quandam atq; eximiam charitatem? Quid enim prætermissum est in declarando amore tuo erga me, cùm vel tantùm de honoris nostri accepto nuntio lætatum esse scribis, quantũ vix alius quisquam? vel de me ita laboras, vt cùm extimescas (timidus enim solet esse amor, præsertim in viris prudentibus, & circumspicientibus omnia) ne meus hic mihi honos animũ commutet, aliamq; personam, tanquam in scena, induere me faciat hoc extremo iam vitæ meæ actu, atq; a principio indutus fuerim: non solùm monitis, sed precibus etiã agis mecum, vt me eundem præstare studeam in celebritate, qui fuerim in frequentia: & quem Romanã ambitio florentiore ætate nõ mouerit, eadem deflexa iam, & penè exacta, ne moueat. Fateor hoc tuũ consilium, prudens, & imprimis fraterni animi a me existimari. Sed tamen mi Brixi, res longè aliter se habet, ac tu suspicatus es. Non enim mihi adhuc videris perspicere, qui sit status causæ meæ, & quã mihi hac amplificatione dignitatis (sic enim populus fortasse existimat) nõ modò non lætandum, sed etiam dolendum esse putem: qui à verè beata & plena iucunditatum vita, me hac inani spe, graui ea quidem & molesta certè, distrahi sim passus. Quanquam non ego ita sum passus, vt me æquo animo duci permiserim. Sed cùm ignarus omniũ & nihil minus cogitans, nocte ea primum quæ antecessit comitia, certior Pontificis voluntatis ipsius nuntio factus essem, nec temporis haberem ad deliberandum satis: animo autẽ incredibiliter æstuarem, quòd neque res tota admodum mihi placebat: & tamen tantam voluntatem Pontificis optimi erga me, illudq; quod de me faciebat iudicium repudiare atq; aspernari superbum existimabam, detuli rem ad amicos, nõ tam quidem de re, vt sententias illorum exquirerẽ, (eram enim prorsus ad recusandum paratus) quàm vt recusandi modum honestiorem quærerem: quem ego animo perturbato videre satis non poteram. Maxima autẽ afficiebar cura, vt me ita gererem tractaremq; in recusando, vt & iustam penè iracundiam optimè meriti de me Pontificis ex repudiato illius beneficio, & famam stultitiæ ab omnibus hominibus vitare possem. Atq; hîc illi qui à me consulti sunt, cùm me grauiter increpuissent, quòd resistere conarer vocãti me Deo: cuius ego consiliũ & voluntatẽ sequi deberẽ, etiã si quò illa tenderet minus perspicerem: cumq; sanctissimum mihi Reipublicæ Christianæ nomen opponerent, neque cõcederent yllo modo, vt meas priuatas rationes anteponerẽ publicis: fecerũt, & ego è meis pristinis cõsiliis, depulsus, ex

tranquillissima vita, & iucundissima rerum omnium liberta
commoditateque, non in honorem amplitudinemque, cuius
nima cura mihi semper fuit: & si vlla fuisset, non difficile f
superioribus temporibus eadem hæc assequi, quæ ego tum f
te libens; fugi: sed in durissimam (vt ego intelligo) seruitu
prudens ac sciens conijci me sim passus. Quæ ego tecum
scribo, quòd tu, qui vtranque vitam nosse deberes, & quid
sit huic ab illa optimè callere, quippe qui vtranque es exper
addo etiam, cùm tantum ingenio valeas, tantum litera
ctrina: cumque probitate & religione erga Deum sis admo
præditus, eosque fructus ex te quotidie ingenij & studiorum
rum feras, quibus nihil dulcius neq; vberius sentiri possit: de
sti (vt mea opinio fert) potius ad me consolationẽ mittere, q
gratulationem: hortarique vt ferrem forti animo, quòd tot
uitatibus pristinæ vitæ, eiusdemq; multò beatioris, esse
tus. Nam vt tu scias, quod iuratus tibi confirmo, vixisse ego
videor, non iam amplius viuere. Non enim appellanda vita
quæ tota ad alienum arbitrium ita degenda est, vt nihil
ri, neque vacui temporis ad animo obsequendum tuo relin
tur. Quanquam potest ea quoq; habere suas partes voluptat
lætitiæ, alio tamen ex genere: si vsus fortè veniat, vt seruire
publicæ & satisfacere præpotenti Deo, & agere aliquid digne
viro possis: studiumq; tuum ac industriam, adde etiam aut
tem, si placet, in vtilitatib. publicis collocare, quo genere ac
num maiores nostri sanctissimi homines, maximâ sibi apud
mines laudem, apud Deum gratiam gloriamq; comparaue
Quorum ego vestigiis insistere, factaque imitari summopere
pio. Quanquam cæteris rebus omnibus longè impar, (agno
enim imbecillitatem ipse meam) sed nemini tamen studio d
luntate concedo. Itaq; hac mente nouam hanc viuendi viam
ingressus, vt me à libera, vera, honestaq; sententia, nihil vnq
omnino deflexurum sit. Sed studia interea nostra, mi Bruti,
abierunt? illa inquam studia, in quibus & tu iudicas, & ego
tiebam, beatam verè vitam esse repositam? In hac tu vita fel
fortuna, & misera propè dicam conditione rerum, etiam vet
ne quid arrogantiæ mihi aut durioris ambitionis obrepat:
sum quàm antè fui, multò abiectior, & mihi metipse vehem
tissimè displiceo: habeoque iam nihil in quo libenter acqu
scam. Sed etsi hæc omnia ita sese habent, amorem tamen tu
valde exosculor: tibique de prudentibus monitis tuis atque
filiis gratias ago, habeoque pignus animi erga me tui. Nihil
me summè diligeres, nunquam tantum de me curarum ac sol
tudinis susceperilles. In quo mihi præstitisti id quod frater d
fratri, tametsi in nostra coniunctissima voluntate & amicit
cùm

eim fraterna ipsa charitas, tum omnia sanctarum necessitudinum nomina inclusa sunt. Quam quidem ego amicitiã & meam perpetuam benevolentiam erga te, sanctè semper atque inviolatè conseruaturus sum. Tu vt idem aduersum me facias, etsi minimè rogandus es (quid enim te fieri potest constantius?) tamen consuetudinis causa, te mi doctissime Brixi enixè atque vehementer etiam atq; etiam rogo. Gratissimum quoque mihi feceris si eos omneis præstantes viros atque doctos, qui tibi de nostro honore gratulati sunt, meis verbis saluere plurimum iusseris. Vale, & scribe ad nos quam crebertimè. Ex Vrbe.

XVIII.

IAC. SADOLETVS CARDINALIS Frid. Nauseæ S. P. D.

CVm propter diuturnam absentiam meam ab hac Vrbe, minus mihi noti essent docti atq; insignes viri, qui in ista Germanica natione florerent: atque ego nuper Romam euocatus à summo Pontifice præter omnem etiam expectationem meam, in hunc sacrum ordinem S. R. E. Cardinalium adscitus essem: accepi tuas literas, plenissimas amoris, humanitatis, officij: quarum lectione mirificè delectatus (erant enim & piè & eleganter scriptæ) consului Antistitem Brundusinum, quòd is diu in istis locis versatus est, hominem, vt tute nosti, summi iudicij, optimi animi, excellentisque doctrinæ: atque eum de te accuratè percontatus sum, qui mihi ea de te narrauit, tuasque egregias virtutes tot apud me laudibus prosecutus est, vt non solùm tibi rescribere, sed gratias etiam agere, quòd prior ad me scripseris, debere me confitear. Quid enim mihi optatius, quàm adipisci bonorum benevolentiam, vel ipsorum humanitate, vel meis studiis atque officiis erga illos, conciliatam mihi atque paratam? Quod quoniam mihi in te, atque adeò per te contigit (non enim vlla merita antecesserant erga te mea) crede mihi, mi Nausea, ad te amandum non mediocriter sum accensus. Facit enim apud me hoc virtus, vt quod in cæteris vsus & longa effecit consuetudo, ea repentè me ad eos in quibus ipsa inest, diligendos alliciat. Atque ego, qui ad instituendas cum bonis amicitias promptus & facilis sum, idem in eis tuendis soleo esse constantissimus. Quare sic tibi volo esse persuasum, omnia officia, quæ ab amico vetere, & multis in rebus probato, iure expectari possunt, tibi & esse à me, & fore semper parata: quemadmodum re ipsa, si vsus venerit, cognosces. De cõcilio quod quæris, Pontifex stat in sententia. Et quanquam permulta sunt, quæ nos hîc retineant, imprimisq; discordiæ nostrorum principum, atque eius periculi suspicio, quod à

Turcis grauiter impendet: quoque omnia itinera omnibus
nè in locis infesta sunt, vt qui conueniant ad concilij diem fi
non sint, præter admodum paucos: sicut & vobis Germani
tere ac perspicuum esse non dubitamus: tamen & de profe
ne Pontifex loquitur, & iam ad iter aliqua parare incipit: no
sumus moniti, vt expediti ad tempus esse debeamus. Itaque
fore, vt exacto tempore ieiunij hinc proficiscamur. Vtinam
Nausea, auspiciis bonis, hoc est, fauente bonis cogitationi
Deo: quanquam ille quidem semper iis fauet. Sed tamen
mihi veniunt in mentem, quæ tibi item venire certò scio, q
ebrem de toto exitu rerũ timendum magis mihi, quam spe
dum esse videatur. Etenim partim mores hominum, partim
iam maiorum opiniones ita corruptę sunt, vt medicinam
salutarem inueniam, præsertim exasperatis animis & adm
verum contumacibus. Quod tũ malum, quoniam istic es, h
errorum fontibus propius abes, facilius potes & sentire, & m
re. In quo tua quidem præstans atque eximia laus elucet:
vir doctissimus, idemq; concionator eloquentissimus, rectã
per, firmaq; tenuisti summi Dei, & sanctæ ac Catholicæ reli
nis vexilla: quo etiam nomine ego tibi plurimum debeo. H
de concilio sententiam meam: quòd si tu mihi scripseris, qu
habitus animorum apud vos: & quid istic agant, & molian
qui nouitates, & dissidia in fide Catholica quærunt: & sint
æquitatem animi modestiamq; parati, néne sint: cum nos
æqui, & faciles ad obsequendum, & indulgendum, quoad
perscribet ratio, futuri sumus: dabis mihi materiem sæpiu
scribendi. Quod quidem & libenter, & studiosè faciam: m
que hanc societatem libentissimè inibo, vt ambo & coniu
pro sua parte vterq; huic tanto incendio, quantum nobis
fuerit, subuenire studeamus. Sed iam de his satis. Tua me ho
ris gratulatio gratissima mihi est, proficiscitur enim ab op
animo, & studiosa mei voluntate: quam ego potiorem
nore duco. Nam honor sæpenumero temere a fortuna dat
ha, utem studia talium virorum, qualis tu es, assequi solius
tis est: cuius ego fructum cæteris rebus omnibus anteponã
le. VIII. Calend. Martias M. D. XXXVII. Ex Vrbe.

XIX.

IAC. SADOLETVS CARDINALIS
Ioan. Bellaio S. R. E. Cardinali S. P. D.

LITERÆ tuæ non minus scriptæ sapienter, quàm elegan
dici non potest, quàm valde me delectauerint. Habe
enim nõ honoris huius, quo nuper affectus sum, gratulatio

nim vulgare admodum & quorumuis hominum est) sed quod & tua prudentia acutissimè perspexit: & causa maximè postulabat mea, consolatione potiùs mecum es vsus. Vidisti enim omnium hominum fere vnus, quid mihi extracto ex illo beatissimo otio, in quo cum omnibus artibus & studiis honestissimis dulcis mihi consuetudo, & commercium erat quotidianum: libertate præterea adempta, ad leuandam animi mei molestiam opus esset. Itaque tuum excellens ingenium, quod ego imprimis admirari sum solitus, eo potissimùm adhibuisti, vt lenires dolorem meum, non vt augeres lætitiam: quæ nulla à me sanè suscepta est. Et si intelligo diuinis consiliis esse nobis acquiescendum, eaque res vna ad æquitatem animi me reuocat. In quo vsque adeò mihi profuerunt literæ tuæ, vt quoniam non datur mihi tui præsentis copia, illæ tuam vicem me & consolaturæ semper sint, & quem admodum in hoc munere me gerere debeam, ad omne tempus eruditurae. Quanquam, quod tui in me amoris maximum argumentum est, videris mihi tu plus aliquantò tribuere, quàm ego agnoscam. Quòd me liberè atque integrè dicturum in senatu sententias putas, in eo minimè falleris. Quòd verò aut mea eloquentia (sic enim scribis) aut apud summum Pontificem autoritas multum sit profutura Reip. in neutra re video quid assentiri possim. Nam neque consilio & oratione tantum valeo, quantum fortasse esset opus: & si maximè valerem, tamen Pontifex optimus & sapientissimus non aliorum consilio in rebus agendis vtitur, sed suo. Sed tamen vtcunque est: ego certè, quod partium est mearum, neque studio vnquam, neque fide, neque opera, neque perpetua mea vt rectè omnia agantur voluntate, Christianæ Reipub. deero. Vtinam haberem te autorem, & moderatorem consiliorum meorum: præclarè profectò inter nos conueniret. Sumus enim ambo ab eisdem propè disciplinarum fontibus profecti: tua & dignitas & doctrina longè est illustrior: sed certè animis non dissimiles sumus. Verùm hæc viderit Deus, qui nos agit & versat, in quamcunque illi partem est placitum. Ego, mi præstantissime Bellai, de me tibi sic persuadeas volo: cùm te antea semper coluerim atque amauerim, vt quem maximè: nunc in hac noua status mei conditione, amori meo & obseruantiæ erga te, potiùs additum permultum, quàm quicquam detractum esse. Sicut tamen & tua eximia virtus, & ea qua me prosequeris beneuolentia postulat: à te peto, vt eadem sis voluntate erga me, qua esse consuesti. Vale. Romæ, M.D. XXXVII.

XX.

IAC. SADOLETVS CARDINALIS IOAN. *Saluiato S. R. E. Cardinali S. P. D.*

IAM diu nihil literarum ad te dedi: quòd cùm non habe- fermè quid scriberem (quæcunque enim hîc agerentur, perscribi à tuis sciebam) nolui te inanibus literis meis obtun- re, & me hercule etiam id causæ fuit, quòd hoc nouo mihi genere à studiis meis abstractus, ægrè ad scribendum referi poteram, & tamen quæ quotidie in senatu agerentur, admi- tu meo ad te Antonius tuus scribebat: neque ea sanè multa, fti enim ipse quàm pauca nobiscũ communicet Princeps. N prorogata Concilij die, & ea collata in Calend. Nouembris, ad te duxi dandas esse literas: vt tuas elicerem, atque ea re rem, quid constitutum haberes: rediturúsne esses ad nos, an vbi es, aliôue quopiam loco per ætatem mansurus. Alter meæ cupiditati tuæ videndi magis aptum est: alterum tuæ sitan valetudini, cui tamen potius inseruiendum est. Saluber igitur & amœnum locum aliquem tibi deligas censeo, in ætatis tempus transigas: cùm præsertim de nostro aduent istæc loca, animo iam possis esse ocioso. Ita enim prorogat concilij tempus est, vt certus locus nullus ad conuenien constitutus sit. Id accidit ex ea causa, quòd Dux Mantuæ cursum tot aduenarum in vrbem suam reformidans, hoc (vt bit ipse) turbulento & suspicioſissimo tempore, Mantuam conuentui sine firmo militum præsidio commissurum negat De hoc præsidio actum bis in senatu, omniumque senten decretum, nullum omnino militare præsidium esse dandum Lutherani, qui nos suspectos sibi esse nunc simulant, si intra ma & præsidia nostra venturi essent, verè atque ob rem id fac viderentur. Eius igitur loci spe adempta, alius erat nimirum in stituendus locus, quod fieri commodè inconsultis Christia principibus non poterat. Porrò cùm adesset iam concilij neque ad eam diem de voluntate principum constare nobis set, visum est necessariò concilium esse prorogandum. In hac sententiam discessere ferè omnes. Vna duntaxat Campani tentia, & mea, prorogationem dissuasit, cùm videremur plus multò vtilitatis in concilio habendo, quàm detrimenti loci mutatione existere. Eligebamus autem ego Placentiam Campanus Bononiam: ille commodiorem nobis locum fu tus, ego Germanis oportuniorem. Ita enim Placentia Cæsa nis est propinqua, qui armis atque exercitu in præsentia valet vt abstergere omnem metum eò aduenientibus Lutheranis

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

&c. Etsi illi quidem diserrè conuentu Smalcaldæ habito, negauerunt se venturos. Vterque autem nostrûm in eo consentiebat, vt quem nobis locum non voluntas nostra, sed necessitas offerret, eum nos non statam concilij sedem, sed diuersorum tantisper vocaremus: quoad ibidem de cunctorum consensu eorum qui adessent, certum agendi conuentus locum constitueremus. Altera non mediocris opinionum dissensio: quòd ego in vrbe Pontificem retinebam, legatosque mittendos esse censebam: ille eum ipsum quoq; Bononiam extrudebat. Sed, vt dicebam, nobis frustra dissuadentibus, decreta nihilominùs est prorogatio. Vtinam consilio bono, & prospero Christianæ Reip. euentu: vehementer enim extimesco, ne hæc procrastinatio nostra aliquod magnum malum sedi Apostolicæ pariat. Certè enim quos adhuc exilia propè aduersa & alienata natione in officio retinemus, vereor ne amittamus. Sed nos fortasse Deus benignius iuuerit. Paulum Sacratum sororis meæ filium, propediem istic affuturum esse confido: quem & fidei commendo & liberalitati tuæ: vt quoniam semel nos omneis tua beneuolentia complexus es, mihique recepisti te illius rationem, cùm affuisset occasio, esse habiturum: meminisse velis, nos tibi ita obstrictos esse, ob tua erga nos merita, vt tu humanitati ac liberalitati tuæ, nos tibi ipsi omnia debeamus. Antonius tuus funebrem Christi Domini nostri orationem in delubro (vt mos est) ædium Vaticanarum habuit, sanè luculentè. Ea nunc oratio versatur inter manus, & summa cum laude ab omnibus legitur: in quo tui quoque absentis honorem & memoriam non mediocriter intelligo versari. Vale, Romæ, M.D.XXXVII.

XXI.

IAC. SADOLETVS CARDINALIS REGINALDO Polo S. R. E. Cardinali S. P. D.

POST discessum tuum, nihil adhuc ad te dedi literarũ, quòd de publicis rebus acta omnia ad te mitti sciebam. De tuis autem nihil mihi nominatim mandaras proficiscens, quod me tua causa facere aut sentire oporteret. Quòd si fecisses, beneuolentiam tibi meam & præstitissem re ipsa, & literis sæpe declarassem: etsi ad meum tibi amorem testificandum, non opus puto esse literis. Hic nos in magno metu Turcarum assiduè sumus: præsidia tamen adhuc nulla, quæ quidem appareant, comparata habemus: nisi illud vnum maximum nobis est præsidium, quod positum est in Principis consilio & sapientia: qui iam sæpiùs nobis confirmauit, se in communi tuenda salute, animo excubare. Et tamen arbitror à rerum peritis dictum, nisi extremo Sextili men-

se liberum ad nos cursum classem habere hostium non pot
Tuos conatus non eum habuisse exitum quem cuperemus, d
leo equidem vehementer. Sed hoc æquiore ferо animo, quod
fore præuideram. Tu modò saluum te nobis exhibeas, atque
stituas: occasiones aliæ non deerunt, non enim eundem ten
statum diu possunt, quæ tantoperè sunt commota. Nos hic
fortuna tenui sustinemus tamen onus dignitatis, quoad pos
mus: rectam adhibemus voluntatem, reliqua Deo permittim
Te amamus & colimus, vt debemus, amarique item abs te co
mus. Tu si quid fortè mihi per literas mandaueris, efficiam, v
non frustra id feciſſe intelligas. Episcopum Veronensem noſt
plurimum meis verbis saluere iubeas velim. Vale. Romæ, 4. Nou
Iulij, M.D.XXXVII.

IACOBI SADOLETI EPISC. CARPENTORACTI EPISTOlarum Lib. XI. Epist. I.

IAC. SADOLETVS EPISC. CARPENT. Georgio Duci Saxoniæ S. P. D.

MIraberis fortasse, Dux præstantissime, quid m
hi ego nunc volens, literas ad te dederim: qui nec
vlla tibi familiaritate coniunctus, nec nomine p
penè sim notus. Faterer mirandum hoc esse, nihi
lud magis mirum futurum fuisset, cùm nihil ad alliciendum a
morem virtute præstantius sit, si tua virtus insignis & spectat
tuum excellens Christianæ pietatis studium, tua religio, non m
& iam pridem in amorem tui impulisset, & nunc animum in
meum, quando coram non possum, literis vt indicarem, hu
deret atque hortaretur. Non enim veritus sum, ne tibi ingra
tum officium hoc meum accideret: nec dubitaui, quin tu, q
virtutibus reliquis excellis, etiam humanitatis, quæ egregiam
decus lumenque virtutum est, maximas partes feras. Hac spe
te fretus, quod facere sæpe cogitaui, vt & meum amorem t
patefacerem, & tuum conciliarem mihi: id agere nunc aggr
dior, incensus cupiditate tecum ineundi sanctissimi illius fœd
ris, quod Amicitiam appellamus: cuius inter nos auspex & co
firmator Deus futurus sit, quandoquidem ambo illi puro cons
& religione integra seruire cupimus. Etsi in hac quidem coniu
ctione amicitiæ nostræ, tuam ego mihi duntaxat benevolen
tiam expeto: ea enim mihi maximi muneris loco futura est: a
me verò tibi nõ solùm benevolentiam deberi confiteor, sed sim

nam etiam obseruantiam & pietatem. Cur autem in hunc vsque diem dilata sit mea haec voluntatis erga te, & beneuolentiae significatio, patere, quaeso, rationem à me repeti aliquando longiusquo & ipse tibi notior fiam, & tu intelligas melius qua mente ad scribendum nunc sim adductus. Ego cum apud Leonem Decimum Pontificem Maximum (quod te meminisse aliqua ex parte arbitror) honestissimum locum tenerem: atque illo tempore exorta essent noua haec & turbulenta Lutheranorum dogmata: aliqua hinc quidem etiam culpa, sed tamen maiore temeritate eorum, qui ab odiis hominum ad inimicitias Dei sunt progressi, vt qui essem Christo & Christianae fidei vehementer addictus, sanctumque & inuiolatè seruandum morem maiorum esse ducerem, maximo ex illis rebus afficiebar dolore: neque quicquam vnquam vidi mea in vita tristius, quam illud factum est inter nos dissidium, quo non religionis solùm vnitas atque concordia, sed salus tota Christiani nominis in discrimen vocabatur. Augebat dolorem meum, quòd multa quoque ab hac parte eti videbam parum accommodata temporibus illis. Nam neque ea, quae huic malo apta poterant afferri remedia, nulla afferebantur: nec vox audiebatur bene monentium & suadentium: vt quae mansuetudine, & à quibusdam rebus abstinentia temperantiaque poterant vulnera sanari, ea ne ferro & asperioribus quasi medicamentis increscere cogerentur. Excessit è vita Leo, breuique interiecto Adriani tempore, successit Clemens: vir natura bonus, idemque colens recti atque honesti, si perpetuò constare sibi ipse, & in consiliis suis manere potuisset. Hoc ego Pontifice speraui modum repertum iri pacandis dissensionibus. Nam & ipse hoc maximè agebat, volebatq; : & ego assiduus hortator illi aderam. Tunc agi coeptum est de conuocandis Episcopis ex omni regione orbis terrarum, quorum & doctrina emineret & integritas, vt eorum quasi opera atque consilio, sacerdotum mores, qui vehementer videbantur esse labefactati, in veterem statum redintegrarentur. Tunc coepta iaci fundamenta sanctius colendae & seruandae religionis, sacerdotiique ex sordibus & maculis extrahendi. Res denique procedere coeperat: cùm bonus, & mitis & religiosus Pontifex, verum idem in suis consiliis retinendis aliquantulum imbecillior, quorundam artificiis, qui nimio plus apud eum, quàm Principi honestum sit, poterant: in bella & Principum inimicitias descendere, & a sanctis suis cogitationibus desciscere est coactus. Hic ego spe erepta, posse amplius per me Reipublicę consuli: priuatum autem meum commodum, neque in honore, neq; in fortuna admodum quaerens, potiusque eligens, & Deo, & mihi, & peculiaribus populis meis satisfacere, trans alpeis me meam ad Eccle-

siam

fiam Carpentoracte contuli, adiutus tum etiam singulari De-
neficio, quòd viginti diebus ipsis antè Roma sum egressus, e
clades illa horribilis ac direptio huic vrbi incideret. Iam e
admodum in Ecclesia mea per decem annos mansetim, quo
do populos mihi creditos gubernarim, si non religione e
plóque præstabili, at animo pio & beneuolo certè, quanto
optimis atque honestissimis cùm Philosophiæ tum sacrarum
terarum studiis fuerim deditus, nil me commemorare nunc
net, cùm nec tua interfit ista intelligere. Illud commemor
quod huic tempori magis est appositum: me, cum animo o
mato constitutum haberem, nunquam amplius abire ex eis lo
in quibus essem Deo quasi consecratus, nec stationem illam
linquere, in qua me volens ipse libensque collocassem: coac
tamen concilii nomine, & binis huius sapientissimi & op
Pontificis literis ad Vrbem me euocantibus, per causam e
rat ascripta, vt tractarentur antè & deliberarenturea, quæ
in Concilio agi expediret: & vt morum ecclesiasticorum hone
ti ac decori consuleretur, Romam reuertisse, mœrentem qui
& inuitum, si spectentur cætera hoc vno me consolantem, q
tantæ causæ Dei omnipotentis pro mea parte non adesse, alie
mihi ab officio & pietate Christiana esse videbatur. Veni ig
& imperio parui, atque ibi paucis illis diebus cùm essent co
augendo numero S.R.E. Cardinalium facta, ego quoque in
& nil tale cogitans, iudicio tacito Pontificis Max. in ampli
ordinem cooptatus sum. Habes seriem & rationem rerum m
rum gestarum. Nunc ad ea quæ principio mihi fuerunt propo
ra reuertar. Ego Georgi clarissime & optime, cùm semper tu
nomen, tuaque fidei Catholicæ propugnatio, iam inde ab hi
temporum & dissensionum illarum omnibus in ore & in sen
nibus esset, celebrarenturque aures quotidie meæ tuorum di
rum, factorum, consiliorumque ad vnitatem concordiamq; s
ctantium nuntiis & fama: cumq; & splendorem nobilitatis
intuerer, & reliqua in te cognoscerem nobilitati paria: illam
tem constantiam, & virtutem, & magnitudinem animi tu
imprimis semper essem admiratus, quod in tantis Germaniæ m
tibus, tantis defectionibus eorum qui excursum & licentiam
cupiditatib. quærentes, sobrium illum & abstinentem mor
iorum aspernabantur passim & reiiciebant, quorum etiam
nulli honoribus tibi & propinquitate erant coniuncti: tu tam
perpetuo in optima ratione constans, & in sanctis consili
tissimus extitisses: tantum iam tunc erga te amoris obserua
que suscepi, nihil vt vehementius cuperem, quàm aliquo tib
cto meo posse, aut dicto, incredibile animi mei studium decla
re. Fecit autem discessus meus, & longum absentiæ nostræ

allum, vt minus adhuc id agere, moremque in eo mihi ipsi gerere potuerim. Nunc autem non modo retractus in hanc Vrbem, quam sponte prius reliqueram, verùm etiam in eo honore hoc munereq; affixus cùm manendum mihi posthac in hac senatoria quasi vigilia esse intelligam, tempestiuum duxi, scribere ad te: meq; ipsum totum tradere tibi, atq; dedere. Itaq; omni studio animi mei te rogo, si amor, si officium, si obseruantia erga te mea, si par atq; idem in vtroque nostrum sensus, & religionis tuendæ sancta conspiratio, si denique amicissimi & beneuolentissimi hominis voluntas, in tua illa nobilissima mente, omnibus ornata, & virtutis & humanitatis laudibus, locum reperire sibi aliquem ad animum tuum mihi cõciliandum potest: Primùm, vt me in amicitiam tuam recipias. Deinde, quoniam nihil mihi magis est propositum, quàm fidem meam & operam Deo omnipotenti dicare, consiliis etiam tuis, & monitionibus iuues: mihiq; significes, quid tibi per me agi suscipiue posse, ad subueniendum his afflictis rebus, & perturbatis temporibus videatur. Polliceor enim tibi, si ad me interdum scribere, & tui consilii prudentiam mecum communicare volueris, me effecturum, vt appareat nullius vnquam hominis autoritatem apud quenquam plus valuisse, quam apud me tuam. Quod hoc fidentius tibi promitto, quòd cùm habeamus summum Pontificem nil aliud cogitantem dies & noctes, quàm quo pacto ista, quæ dissidiis & alienationibus animorum distracta sunt, in vnum rursus quasi corpus coalescant: eundemq; consilio & sapientia singulari: hoc tanto munere Dei immortalis, ad commune bonum Christiani nominis, omnibus vti nobis licebit. Extremum illud est: quod fidelis beneuolentiæ est proprium vt omnia mea tibi officia ac studia, omnemq; quantulacunq; est in me, autoritatem deferam atque pollicear. Proinde scito, nullo me abs te maiore affici beneficio posse, quam si occasionem mihi dederis in tuis & tuorum commodis atq; honestis operam, curam, laboremq; omnem meum in hac vrbe & curia ponendi atq; impendendi, si quid scilicet acciderit, in quo amici tibi hominis diligentia requiratur. Etsi enim qui maioribus opibus, ampliore q; gratia tibi affuturi sint, multos habiturus es: tamen qui pari amore ac studio id agat, habebis profectò neminem, sicut tamen eadem probitas tua præstans & admirabilis, meumq; perpetuum de tuis maximis virtutibus iudicium, requirit & postulat. Vale. Romæ, 14. Cal. Iulij, M.D.XXXVII.

II.

IAC. SADOLETVS CARD. GEORGIO *Duci Saxoniæ, S.P.D.*

Quòd

QVOD non tam cito tuis literis rescripserim, præsertim cùm accuratè, tamq; prudenter scriptis, ignosce (quæso) mihi: ea mea fuit culpa, sed cùm emergere cœpissem ex graui morbo quo quatuor penè mensib. oppressus, periculũ vitæ non semel iij, allatæ eę mihi sunt, meq; summa & incredibili quadam ptate affecerunt. In eis enim non solùm recognoui tuam pii virtutem, & sapientiam, quam semper antea sum admiratus singularem etiam & nouam quandam humanitatem cogn Sic enim benignè atq; amanter me in amicitiam tuam recipi mihi qui hoc summè semper concupiui, vt tibi aliquo amo vinculo coniunctus essem, nihil accidere potuerit optatius. N enim ego, Georgi præstantissime, diuitiarum aut pecuniæ tor sum, nec honores & potentiam magno studio requiro: sed mo viros animo & virtute excellentes, inque eorum amicitia mutua erga me beneuolentia incredibiliter acquiesco. Itaq; nunc erga me voluntatẽ perspecta, crede mihi tanto in te sum accensus, vt nemini vnquam concessurus sum, qui aut ar tius te diligat, aut maiore cultu atque honore tuas præclarissi virtutes prosequatur. Quòd si locis disiuncti, congredi vi colloqui coram inter nos non possumus, literis tamen & scriptionibus idem propemodum assequemur. Sed de rebus, in tua epistola graues, & magnæ, & grauiter sunt, tunc tibi debo, cùm summũ Pontificem fuero allocutus, atq; ipse quo factus ero firmior. Nunc cùm nec mente adhuc, nec corpo tis consistam, accipe (quæso) breuẽ hanc epistolam, testem & amoris erga te mei. Cũ primùm facultas dabitur, vberius scribam: nec te patiar officium in eo meũ desiderare. Tu vt tudini operam des, nosq; diligere pergas, magnopere a te Vale. Romæ IV. Cal. Ian. M.D.XXXVII.

III.

IAC. SADOLETVS CARDIN. GEORGIO *Duci Saxoniæ S.P.D.*

SVPERIORIBVS diebus, cùm accepissem tuas, non solùm eleg tissimè, verùm etiam prudentissimè scriptas literas: ipse graui morbo nondũ recreatus, etiam tum nonnihil labora vt domo pedem nequirem efferre: non potui ita cito illis re piebam respondere: quanquam me & officiũ stimularet, & a mihique eam curam iniiceret, vt sapientissimi Ducis, & op partam mihi beneuolentiam, qua munus nullum maius a quam expectare potui, studiosè ac diligenter mihi tuendam tarem. Sed, vt dictũ apud veteres est, necessitati ne Deos ipsos repugnare, sic me corporis imbecillitas differre torum

negotium coegit, maxima mea quidem cũ molestia. Quid enim mihi tam optatius, quam quo vno modo fieri potest, per literas videlicet colloqui tecũ? quem habeo propè vnum hoc tempore, de cuius virtute, sapientia, pietate, præstantissimũ iudiciũ faciam: & in eius humanitate & beneuolentia erga me, animus meus præcipuè requiescat? Sed, vt dixi, vis fuit quæ me impediit, quo minus quod summè cupiebam, facere id exequiq; possem. Quam tu vim, & quam meam tarditatẽ cunctationemq; in rescribendo, pro tua illa singulari naturæ clementia æqui boni consules. Etsi his paucis diebus dedi ad te literas: breues illas quidẽ, sed tamen testes huius eiusdem & animi mei, & voluntatis. Post illas autẽ datas, cùm factus essem aliquando firmior, nihil antiquius habui, quam adire ad summũ Pontificẽ, eiq; literas tuas ostendere. Quæ, vt erant, sic illi videbantur planè accuratè scriptæ, & persapienter. Neque verò ille tacitum habuit, neque de tuis virtutib. non amplissimè est locutus. Sed cũ maxima significatione sui erga te amoris, & commendatione laudum tuarum, totũ penè curriculum vitæ tuæ mihi exposuit: Quid tibi ipse, quid sancta apostolica sedes deberet, quibus tu non operibus solùm, sed etiam beneficiis cunctum Christianum nomen comprehendisses. Hęc ego etsi vel omnia, vel multò maxima ex parte per me intelligebam: tamen non mediocri afficiebar lætitia, cùm audiebam summum virum, summi etiam principis voce & testimonio laudari. Itaq; hoc tibi planè confirmo, si qua sit res, quæ tibi videatur ad commodũ, aut honorem tuũ pertinere, quam Pontifex ipse efficere possit facile te apud eum, & autoritate & gratia, vel me ipso interprete, vel alio quouis valiturum. Non enim ipse minus gratus est quam prudens. Et cùm per prudentiam optimè discernat, qui sint de Republica meriti: tum autem bonitate & beneficentia erga eos est propensus. Sed hæc hactenus. Nunc veniamus ad eas partes epistolæ tuæ, quæ maximam curam in respondendo requirunt. quarum omnium præclarè abs te positum illud fundamentum est, te semper existimasse, statum orbis terræ commodè regi non posse, si qui præsunt, & imperium obtinent, ij nõ singulari inter se consensu animorum sint coniuncti. Præesse autem Pontificem Maximum ecclesiæ, Imperatorem orbi, vt ambos necesse sit pia conspiratione ad salutem cunctorum esse copulatos. Hæc ratio conspirationis & concordiæ inter duos summos Principes, & mihi maximè probata est, & abs te verissimè afferetur. nec dubitare quin valitura esset, idq; efficeret, quod tu potissimùm optas, si talia semper essent Principũ ingenia, quale tuum est, Dux sapientissime, quale eorum qui Reipub. bono non sunt cupiditatib. addicti sunt, quorum minima semper, vt tute optime nosti, fuit multitudo. pauci enim omnibus exiterunt seculis,

culis, quibus potior esset publicæ, quàm priuatæ rei cura, qui si-
gulari quidem sua cum gloria, & in veterum monumentis, & a
nostris sermonibus adhuc viuunt. Sed tamen ille virtutis spl
dor, animis praua affectione corruptis, minimè notus est. Cu
ergò aut Pontifex sui officii immemor, posthabita ratione re
atque honesti, priuatas suas vtilitates persequitur: & vnde ma
mè eas se adepturum sperat, eò totus fertur cupiditate & stud
aut Imperator libidine dominandi, Pontificibus metum appe
tæ ecclesiasticæ ditionis iniicit: tum illa contingunt, quæ tu
piè & grauiter detestaris. Quæ quoniam vtraque sæpius fa
sunt, & vt Pontifex priuatum sequeretur commodum negle
publico, & Imperator nonnunquam Pontificium ius vendica
sibi contenderet: iccirco exorta est tacita quædam cunctorum
pinio, non posse ipsos inter se firma & fideli beneuolentia iu
Quo quidem ex dissidio maximas tibi assentior Christianis p
pulis inuectas esse calamitates. Sed quemadmodum vetera tra
acta sunt, ex antiquis Annalib. edocemur. Quid autem euen
rum sit, nobis incertum est, nisi quod illud non tam explan
dum nobis nunc quidem est, quàm quodammodo significand
fore aliquando vt reperiatur remedium, si hęc consilia tua in m
dium proferre licitum fuerit, quæ meis in hoc genere planè s
consentanea. Non enim si tu me, & cæteros prudentia vinc
quòd profectò facis: id tibi etiam concedo, vt religione & stud
bene agendi vincas. Si ergo promere tales rationes, & eos qui a
dierint velle illis obtemperare rationibus contigerit: non dub
fore locum sanctissimis optatis tuis vt & perpetua inter duos h
ce principes concordia constituatur, & è Repub. mala om
tollantur. Quanquam quod optamus, & de quo disputamus a
mirabili Dei beneficio hoc tempore videmur consecuti. Nam
Pontifex is est, qui nulla cupiditate extraordinaria se trãsuer
agi, neque ferri passus est: qui patrem se omnibus commune
præbet: qui nullas partes dissentientium est secutus. Et Impe
tor optima mente, summo consilio, ac studio in tuenda Chris
na Repub. propè singulari, quodque imprimis ad rem perti
ambo inter se coniuncti cùm amicitiæ fide, tum eisdem penè
diis ad communem salutem & voluntatibus. Quorum cons
sionem & beneuolentiam mutuam, qui labefactare & conue
re fictis suis sermonibus & iniquis delationibus conati sunt,
suspicione freti, de qua dixi paulò antè, per quam inter eos ex
re posse amicitia non putatur: ij non virtutem & voluntatem
ptimorum principum mutauerunt, sed magis improbitatem
stenderunt suam. Quorum talium vtinam aut minor copia,
ea minus idonea ad nocendum esset. Sed cùm tui desiderii eu
tum iam bona ex parte videamur nacti, duob. his principibus

ſtiticia iunctis, bello tetro atque exitioſo per inducias dilato, aut (quod ego malim) penitus ſublato: ſpe pacis iniecta, quam auidiſſimè cuncti & ardentiſſimè expectamus: reliqua eſt cura & cogitatio conuentus publici: qui in vrbe Vicentia, loco opportuno & libero, omnibus qui in Chriſtiana religione cenſentur, eſt indictus, poſt aliquas temporum prorogationes, quas neceſſitate fuiſſe expreſſas, qui ſine cupiditate iudicant, poſſunt facilè cognoſcere. Eo in conuentu ſi concurſus fuerit is, qui ad rem tantam requiritur, non diffido fore, quin ad iniuſtam cuiuſdam potentiam, ſed ad bonum commune conſilia conferantur. Præſertim ſi tu, & qui virtutum ac religionis tuæ imitatores ſunt, concilio intereſſe ſtuduerint. Nam Pontifex quidem noſter optimo animo & ſumma temperantia præditus, multa veſtro, & tuo imprimis conſilio, recta exiſtimaturus eſt, quæ nunc contrariis ex partibus diſputantur. In quib. tua imprimis & cæterorum bonorum autoritas plurimum valitura eſt. Neq; ego ſanctis & ſalutaribus Chriſtianæ Reipublicæ conſiliis vllo loco deero. Sed eſt hic quiddam quod mihi à te petendum ſit: ſcilicet conſilio vti me iuues: quando nil fugere tuam excellentem prudentiam poteſt. Peto autẽ, non quidẽ quo pacto in concilio me geram: ſcio enim debere hoc me Deo, & fidei meę, vt nihil in eo dicam, aut ſentiam, niſi quod mihi rectũ eſſe videatur: à quo ego propoſito nunquam ne digitum quidem ſum diſceſſurus. Noui n. quid hęc profeſſio noſtra, quid ſacerdotii munus, quid Dei omnipotentis timor à me poſtulet. Quæ ſi non eſſem literis & libris edoctus, in quibus omnem meam ætatem contriui, atq; conſumpſi: negotia tamen, & rerum tantarum longus vſus, in quantis ego verſatus ſum, facilè potuerunt me inſtruere & docere. Non igitur quæro, quo pacto in concilio me geram: ſed quemadmodũ erga aduerſarios Lutheranos mihi agendum ſit: qui primũ dubito interfuturi ſint concilio, necne. Quanquam ſi pax vobis diuino beneficio donata fuerit, Imperatore Carolo ſoluto à bellicis curis, facilè (vt arbitror) cogi poterunt, vt interſint. Sed ſiue id fiat, ſiue non, anceps animi ſum, quomodo cum eis agam: vtrum acriter ac vehementer, an manſuetè & comiter. Primum quàm malè proceſſerit iis, qui via illa ingreſſi ſunt, intelligo. Alterũ ego cùm experiri conatus ſim, literasq; ad eorum nonnullos dederim humanè, ac ſatis etiam honorificè ſcriptas: ſentio quàm malè ſim à multis in iſta Germanica natione acceptus, qui me aut ſcripſiſſe ad hęreticos homines, aut illo modo ſcripſiſſe arguũt, ac reprehendunt. In quo ego ſi conſilio lapſus ſum, ſtudio certè & pietate erga Deũ non ſum lapſus. Quid enim aliud ego quæſiui, quàm dum honorificè & comiter ad illos ſcribo, vt ipſi quoq; ad parem moderationem & quandam etiam beneuolentiam mei in-

flecterent se, atque adducerentur? Quod si essem adeptus, sp
ui maiora me multò & commodiora ad spem concordię & ta
nem publicæ vtilitatis esse facturum. Quę voluntas mea
reprehendenda non est. Nam de iudicio, & vtrum id sapien
me factum fuerit, an secus, tuum præcipuum iudicium Dux
stantissime requiro: quod apud me maximum semper & gra
mum futurum est. Tu enim mihi propositus es, qui & norma
siliorum meorum, & actionum omnium regula, quę ad istius
di res & negotia pertinebunt, futurus sis. Facit etiam amor
meus, & fides institutę iam inter nos amicitię: vt meas abs te
tissimum actiones aut probari velim, aut corrigi: cùm appro
tio summam mihi animi voluptatem, correctio autem maxim
vtilitatem sit allatura. Siquidem tuis castigationibus & mo
fiam melior. Summopere igitur te rogo, vt de hac rescribas
hi sententiam tuam. Nam si susceptum mihi hoc negotium
bendi ad Lutheranos, & cum eis humaniter agendi, ad quo
go accedere cœpi studio concordiæ & Christianæ consens
adductus, tu non improbaueris: pergam vt institui, & plures
genere officii comprehendere, ac mollire contendam. Sin
tem hæc tibi tota inanis actio & minus honesta esse visa fu
tuum ego consilium potissimum sequar: nec vnquam tam fir
vlla in opinione ero, (de his loquor opinionibus, quę ad qu
dianas rerum gerendarum deliberationes pertinent) quin tu
iudicium anteponam meo. Verùm de his satis. Ego in amic
hac nostra, cùm & officiosi animi tui, & optimæ erga me vol
tatis, ea indicia habeam, quæ habere semper concupiui, d
profecto operam, idque meo incredibili erga te amore per
tuaque & singulari obseruantia consequar, vt me tibi iunctum
micitia esse nunquam te pœniteat. Vale Dux præstantissime. I
mæ XVII. Cal. Februarii, M. D. XXXVIII.

IV.

IAC. SADOL. CARD. GEORGIO DVCI *Saxoniæ, S.P.D.*

NON possum sine aliquo dolore animi scribere ad te, & t
humanissimis ac prudentissimis literis respondere. Qu
redditæ mihi essent illo ipso tempore, quo mihi proficisci e
be necesse erat, & summũ Pontificẽ qui antecesserat sequi:
habui tum spatium quicquam rescribendi. Nec verò itinere
vsq; ad Nicęam, vbi principum congressus cum summo Pon
ce erat futurus, data est mihi facultas, non modò mandandi
ris cogitationes meas, sed ne cogitandi quidem quippiam: qu
& itineris molestia & difficultas, mihi ex superiore morbo

dem penitus recreato, & renouatus deinde Placentiæ morbus, qui me ad interitum penè perduxit, impedimento fuit, quò minus ad te, ad quē maximè cupiebam, & quem mihi assiduè ante oculos propositum habebam, literas darē. Cùm interim meus in te amor perpetuus atq; constans animū meum requiescere non sineret, neq; eo mihi videretur peccare, in quo non peccabam. Ita n. cogitabam tacitus, atque hæc menti meę subiiciebam: quid ille nunc talis vir, & Princeps, cuius tu amicitiam præstantissimis illius virtutibus permotus tam cupidè appetiisti: si literas flagitat tuas, per teque potissimum de rebus quę aguntur cupit fieri certior, tuumque repentinum admiratur silentium literarum: quam tu eius suspicionem de tua negligentia & tarditate excitabis? crede mihi Georgi clarissime atque optime, hæc animi mei solicitudo ad morbum adiuncta, ipso mihi morbo aliquantum erat grauior. Etenim si quisquam est qui officium colat diligenter, & indulgeat amori, vbi eum semel erga quenquam susceperit: ego me illum esse existimo: erga omnes quidem, in quibus aliquæ insunt causæ cur debeant amari: (nihil enim est mea natura ad amandum, & ad fauendum bonis propensius) in te ipsum verò hoc acrius ac vehementius, quòd nec dignior quisquam ab vllo vnquam hominū qui amerur delectus est: nec eis virtutib. ornatior, quæ non solùm officia beneuolentię requirunt, sed obseruantię etiā summęq; venerationis. Quæ cùm ita sint, cumq; ego tibi iamdudum meū omnem amorem, studiū, honorem, obseruantiamque detulerim: te rogo atque oro, vt hanc meam prętermissionem officii in eam partem accipias, quasi hæc culpa non mea sit, vt certè non est, sed fortunæ: quæ fecit, vt nec ego meę cupiditati ad te scribendi obsequi possem, & tu diutius, quam par erat, literis meis careres. Habes causam meæ taciturnitatis, quam tibi pro tua singulari bonitate & sapientia planè probatam iri confido. Nunc audi reliqua. Niceam veni quomodo quidem potui, delatus lectica, omni ratione adnitens, vt interessem consiliis, in quibus de summa Republica agebatur: cùm tamen quotidie aliquot horas leui febricula laborarem, essemq; inualidus: qua inualetudine adductus non sum vt desisterem a muneribus publicis. Non enim mihi corpus esse magnificiendū duxi, dum aliquam operā nauarem tum ipsi immortali & omnipotenti Deo, tum puræ illi sanctæq; Christianæ fidei, quam nos erga eundē Deum cōstanter retinemus. Cuius tu quidem fidei Georgi hoc tēpore præcipuus es, & propugnator, & signifer. Itaque in senatu, cùm his haberetur, semper interfui: dixiq; de pace, de cōcordia, de statu Christianę Reip. sententias. Collaudaui summum Pontificem, bene instituram ab eo, susceptamq; pacificandi prouinciam vehementer comprobaui: precatus sum vt pergeret, instaret, rē vrgeret. No-

ſti iam cętera, quę in hanc rationem dici poſſunt. Id quoque
priuato officio, vt cum vtroq; principum colloqueret, deb
dem rebus cum illis agerem ſuaderemq; vt ciuilibus extinctis
cordiis, Chriſtiano nomini ob eorũ diſſenſiones pręcipuè la
ranti, & ab hoſtib. Turcis in extremũ penè iam diſcrimen a
cto, coniunctis animis ferrent opẽ, hoſtésq; comprimerent
linquerent hanc tanti nominis tantęq; gloriæ hæreditatẽ lib
ſuis. Quæ quidẽ hæreditas neq; iis qui illam reliquiſſent, neq
qui accepiſſent, vnquam eſſet interitura. Nam cętera quæ ſu
fortuna, opes, diuitias, honores, imperia, omnia fluxa & ca
exiſtere: neq; quenquam ea ſcire quandiu ſibi aut ſuis ma
ſint. Hoc pietatis erga Deũ ſpecimen, hoc officiũ verè Chri
norũ Principũ, ſine vlla controuerſia fore ſempiternũ. In his
monib. cùm vterque Princeps aptè admodum mihi, atq; hum
reſponderet, perſpexi optimũ animum Chriſtianiſſimi Regis
ſaris autem virtutẽ & animi magnitudinem vehementer prob
Poſt conſecuta ea ſunt, quæ tibi nota eſſe certò ſcio. Primũ, q
ad inducias decem annorum attinet. Deinde quod ad colloq
ipſorum Principum, eorumq; inter ſe complexus, congrat
tiones, lacrymas: vt omnia optatæ à nobis & deſideratæ pa
non ſolùm ſigna atque indicia, ſed certiſſima etiam pignora
beamus. Quæ mihi cùm ſua ſponte iucundiſſima ſant, (nihil
nim vidi in vita quod lętius mihi, aut optatius acciderit) tem
rò cumulatur gaudiũ meum cogitatione illa, qua te quoq; fu
mo ob eaſdem res frui gaudio non dubito. Itaq; & ſæpius rele
epiſtolam tuam hanc, quæ poſtrema ad me miſſa eſt, in qua im
go vera optimi Principis expreſſa cernitur: & ea memoria rep
tens, quæ ſæpius à me tibi ſignificata ſunt, & mente & volun
te ſummi Pontificis à diſſidiis aliena, de coniunctione ciuſ
cum Cæſare, de rebus cæteris: valde ſanè delector, & mean
dem apud te conſtitiſſe, & ea quæ optando in literis tuis ſanct
ſimè prudentiſſimeque deſignas, ex ſententia tibi atque ea
etiã mihi Dei immortalis incredibili beneficio feliciter euen
Sed de his ſatis: etenim vereor ne hæc ipſa epiſtola modũ iã tr
ierit. Ego à Nicæa Carpentoracte ad meam eccleſiam diuer
locorum vicinitatem, & ſpem commodiorem ex morbo con
leſcẽdi ſecutus. Vbi nunc ſum, nec me hac hyeme in Italiam tr
iturum arbitror, vt poſtea melius confirmatus ad vrbẽ profic
poſſim, atq; ibi Reip. atq; amicis operas meas impendere. Nu
tibi mitto oratiunculam quandam meam, quam ego Romę co
feceram ante diſceſſum, modò Carpentoracti relecta ea à me e
& aliquot locis commutata. Ea continet ſanè modeſtam (mihi
videtur) & cuilibet rectè iudicanti probabilem ſanctæ Roma
Eccleſiæ & totius ſacerdotii defenſionem, aduerſus probroſis &

pen

penè quotidianas Lutheranorum vituperationes. De qua oratione aut continenda aut inuulganda tuũ iudicium potissimum expecto, si eam vtilem, si profuturam existimas. Namque ego irritare neminem prorsus volo, nec serere contentiones: hortator enim sum pacis & autor: id scribere opto, quod nec Lutherani iniquo omnino animo ferant, & Catholici accipiant æquissimo. Hoc tu Dux optime diligenter animaduertes, mihique sensum animi tui significabis, & suadebis quid agendum sit. Te, & item Cochlæum, & Iulium, tuos viros optimos, & optimè de Christiana religione meritos, quos ego quoque valde diligo, rogatos volo, vt antequam ad me quid sentiatis, rescripseritis, egoque vobis responderim, in alienas manus orationem meam ne exire patiamini. Vale. Carpent. XI. Calendas Octobris, M. D. XXXVIII.

V.

IAC. SADOL. S. R. E. CARDINALIS *Iulio Pflugo decano Misnensi, S. P. D.*

NOli mirari, si tuis sanè iucundis mihi & suauibus literis seriis respondeo, quàm æquum fuit. Cùm enim in illo ipso nostro ex vrbe Roma discessu, quo Nicæam omnes contendebamus, eas accepissem: neque tum spatium habui rescribendi, & toto illo itinere incertis febribus doloribusq; intestinorum grauissimè vexatus, vix vitam potui retinere: quæ certè fuisset amissa, nisi Dei summi bonitas & clemẽtia opem mihi tulisset. Quanquam vtrum mihi magis expediat vtiliusque sit, viuere, an mori, ego nescio: neque horum alterutrum mea multum interest, idque ad Dei voluntatem totum reiicio. Literis quidem tuis, vt primum commodè licuit, respondere non prætermisi: quas mihi scito fuisse gratissimas. Nam & ingenij tui specimen mihi detulerant, & indicium erga me non mediocris amoris. Quorum alterum facit, te dignum omnium beneuolentia iudicem: alterum, vt ipse quoque te diligam. Quod quidem ita necesse est, si is volo esse, quem tu tibi alias cognitum ita humanum & comem esse scribis. In quo profecto non aberrat à natura mea prædicatio tua: sum enim ad fauendum bonis mirificè propensus. Itaque quod meam in fidem & patrocinium contulisse te scribis, ego verò te Iuli charissime in ius & in amicitiæ fidem libenter recipio, vel tuæ virtutis, vel cognati tui hominis amplissimi collegæ mei causa, quem ego & viuum dilexi semper, & mortuum eadem beneuolentia prosequor, nec vnquam illius eximias virtutes officiaque erga me è memoria deponam. Est & illa causa, cur te debeam amplecti, quòd videre mihi videor in literis tuis pietatem eam qua erga Christianam Remp. es affectus. Sic enim quereris, sic

luges rerum præsentium statum, vt appareat te meliora valde o
pere. Cui cupiditati tuæ, meæque vna earundem rerum volun
e, vtinam præpotens Deus secundo aliquando exitus concedat
Sed hæc hactenus. Ego impræsentia Carpentoracti sum, à Nica
huc digressus, quiescendi aliquandiu & valetudinem cura
gratia. Tu si quid opera mea indigueris, dum in his sum locis s
literas, cùm Romæ fuero, vbi me vere proximo futurum esse
bitror, præsens ipse ita te & res tuas tuebor, vt quoad eius
poterit, te aliquod in me præsidium tuis & rebus & fortunis
stituisse nunquam pœniteat. Vale. Carpentoracti, XI. Calen
Octobris, M.D.XXXVIII.

VI.

IACOB. SADOLET. CARDINALIS *Ioanni Cochlæo, S. P. D.*

TVAS literas XVII. Calend. Augusti Missæ datas, ego Car
pentoracti VIII. Calen. Decem. accepi. Eas tu me Romæ
aut in itinere sperasti accepturum. Quæ opinio non solùm t
sed me ipsum etiam fefellit. Nam summum Pontificem ad con
ciliandos Principes Nicæam proficiscêtem, ego ex vrbe profec
tus, toto illo itinere Placentiæ præsertim, grauiter ægrotaui. Ne
tamen destiti quin peruenirem Nicæam, illisque sanctis & sal
taribus negotiis interessem. Post conuentu soluto, locorum vo
nitatem, & cœli salubritatem secutus, Carpentoracte meam a
Ecclesiam me recepi, vbi etiam nunc commoror, nec ante pro
mum ver in Italiam rediturus sum. De his omnibus, deque ind
ciis & compositione inter dissidentes antea inter se Principes fa
cta, scripsi superioribus diebus ad clarissimũ virum Ducem tum
quas ad eum literas hoc tempore arbitror esse perlatas, & cum
eis vnà oratiunculam quandam meam, quam ego Romæ con
scripseram antequam inde proficiscerer, ad hæc ipsa negotia p
delicet, & Germaniæ & Lutheranorũ pertinentem. De qua ora
tione tum Georgij ipsius optimi, doctissimi, religiosissimi prin
cipis, tum tuum etiam iudicium exquirebam: edendâne esse v
deretur, an potius domi continenda: quod vt magis putem tua
literæ faciũt. Scriptæ enim sunt & accuratè, & prudenter. Videri
enim (quemadmodum tute scribis) disceptatio ad vos, ad nos
autem iudicatio magis pertinere. Itaque ego, qui de tua & doc
trina, & probitate, semper optimè sensi: nunc ex his literis tuis,
& ex eo libello, quem ad Sturmium misisti, qui à me lectus sum
ma cum voluptate est, addidi etiam aliquid ad opinionem prio
nam. Non enim solùm mihi doctè, verum etiam moderatè, &
leniter scribere videris: quam ego scribendi rationem & viam
imi-

inprimis probare soleo. Dederam sanè ego quoq; ad Sturmium literas, cum leniter obiurgans: quarum exemplum misi ad te, vt tibi etiam viderentur inuulgandæ, tuo arbitratu statueres. Decet enim nos istorum insolentiam non exasperare conuitiis, quo in genere maximè exultant ipsi: sed mansuetudine retundere, quod proprium officium Christiani hominis est. De concilio spem non amisi, bene enim sentio de Pontifice maximo. Hæc certè postrema eius prorogatio, rogantibus & contendentibus amborus principibus, facta est. Quare ego quoq; ad id temporis quo auspicandum concilium est, in Italia esse cogito. Albertum Pighium, hominem meo quoq; iudicio doctissimum, audio ex te libros edidisse de Ecclesiæ Principatu: quos equidem habere cuperem, libenter enim lego eius hominis scripta. Quòd verò in quibusdam tibi videatur nimis ille exaggerare summi Pontificis autoritatẽ, idq; tametsi verè fiat, tamen in hoc tempore nonnihil periculosum esse, noli ægrè ferre. Vtinam tam mores nostri probati essent hominibus, quàm est Pontificis potestas sine vlla dubitatione maxima. Neq; hoc nocere publicæ causæ (vt ego arbitror) potest. Reliquum est, vt à te petam, vt ad me frequenter scribas, faciasq; me de istis rebus Germaniæ quã sæpissimè certiorẽ: quò nihil gratius expectare à te possum. Mea & beneuolentia & opera semper est tibi, & erit parata. Vale, & Georgium ducem præstantissimum omnium, meis verbis iube saluere quàm plurimum. Carpent. Pridie Calend. Decembris, M. D. XXXVIII.

VII.

IAC. SADOLETVS CARDINALIS *Iulio Pflugo, & Ioanni Cochlæo, S. P. D.*

COMMVNES ad vos dedi literas, quòd eram multis occupationibus impeditus: vestras autem amborum & diligenter, & non sine aliquo animi dolore legi. Quæ statum mihi Germaniæ ante oculos posuerunt & infelicem, & miserum: & cui (vt perspicio) non à nobis, sed à summo Deo auxilia sunt petenda. Quanquam ego quidem pro mea parte nõ deero. Sed quid possum vnus, aut certè cum paucis? video enim omnino paucos quibus ista negotia sint cordi. Concilium futurum sit, nécne, non possum affirmare certò. Spe tamen teneor, Pontifici Maximo hanc rem fore curæ: optimè enim ipse & loquitur & sentit. Quo autem tempore aut quo Christiani populi commodo sit futurũ, nõ habeo quid dicam. Primum pendet nõ è Pontifice solùm, sed Christianis etiã ex principibus, qui maioribus curis districti mihi videntur: præsertim tanto conflato aduersus Turcas bello. Alterum, quidnam euenturũ ex cõcilio sit, nec satis scio, nec si sciam

ausim dicere. Maxima mihi videtur ratio fore cõstituendæ Ch-
stianæ Reipub. si Pontifex vnus ad corrigendos mores Eccle-
incubuerit. Quod ipse tamen prædicat & promittit se facturu-
In vestris porrò literis tua pietas in Christi rem & fidem mihi
probata est, & beneuolentia erga me iucunda, neque ego
propter virtutem tuam propterq; eum Principem, cuius tu
tubernalis, ego amantissimus & studiosissimus sum, vllo vnq-
loco sum defuturus. Tu verò Cochlæe, nihil mihi gratius fe-
potuisti, quàm me de illis in oratione mea partim meis, par-
etiam librarij erratis admonere, quæ ego corrigi iussi. Hoc
me amabis, semper vt me admoneas facies. De oratione ea
scripsi ad Clarissimum Ducem Georgium quid mei consili
Tu illas leges literas, & ages quod vtile tibi videbitur. Christ-
esse Reipub. Librum tuum in illas vesanas Lutheri declam-
nes, legi summa cum voluptate, vehementerque probaui. A
tror posse me affirmare, rarò adhuc vidisse in eo genere
quam editum, quod distinctius mihi, & accommodatius
ptum videretur: atq; ex ea quidem doctrina, quam ego ma
probo: non spinosa & cauillosa: sed plana, atque illustri, e
sacrarum literarum fontibus deprompta. Quamobrem mire
lum hominem impurissimum, ita ferreum os ad contentio
studia afferre, vt eum neque vitæ neque impietatis suæ pœni
Sed illum vlciscetur improbitas sua. Ego quodam alio in op
quod nunc cudo, habeoque in manibus, nonnulla infector
therani dogmata, eorum quæ maximè ad refellendam Chri
religionem intenta sunt. Recténe an perperam, tuum & alio
erit iudicium. Mihi quidem voluntas bona est, & ad tuend
autoritatem Ecclesiæ animus paratus: sed vires interdum me
ficiunt. Quicquam tamen erit à me, ad Dei gloriam & fideli
puli salutem totum erit. Tu vt scribas ad me crebro Coch
atque adeo ambo vt scribatis, vobisque persuadeatis me om
cupere & velle vestra causa, à vobis peto. Valete. Carp.

VIII.

IACOB. SADOLET. CARDINALIS Ioanni Cochlæo, S. P. D.

BINAS à te vno ferè tempore accepi literas, quæ vtinam
me nunquam fuissent allatæ. Tristissimum enim mihi
tium attulerunt, de Georgij morte optimi & sapientissimi
cipis. Quem ego propter præclarissimas illius virtutes, æquita-
tem, religionem, integritatem, prudentiam, summo in hono
habebam: eumque ita amabam, vt si fuissemus eodem ex
geniti, neque maior meus erga illum, neque iustior poterit
amor

amor. Itaque tanto dolore sum affectus, vt moderari mihi ipse non queam. Quid enim est quod me amantissimum & talium virorum, & rei Christianæ publicæ, maiore vulnere conficere potuerit, quàm tanti Principis mors? quæ, vt ipsi forsitan matura, rei quidem publicæ extitit peracerba. Mihi verò tantum mœroris, tantumque luctus attulit, vt penè mihi solus in hac calamitosa conditione temporum videar esse relictus. Qui cùm die noctuq; de Repub. cogitans, in eo curas consumerem omnes meas, vt aliquando reconciliata Ecclesiæ vnitate, in pace & otio debitum cultum Deo tribueremus: maximam eius rei spem in illo sapientissimo Principe repositam habebam. Quo nunc sublato, quid est quod sperare amplius, aut quod nostris conatibus & cõsiliis confidere debeamus? Quanquam solet Deus, cùm ad desperationem penè res ipsa nos deduxerit, subitas interdum spes & impensa auxilia fidelib. suis ostendere. Quem equidem supplex omnibus precibus obtestor primùm, vt animæ illius præstantissimi viri clementiam & misericordiam suam tribuat. Deinde, nobiscum ita agi permittat, vt ne cogamur eum nimis sæpe, nimisque acriter & dolenter desiderare. Etenim video pericula quæ impendent: tuque satis planè ad me omnia perscribis. Sed tibimi Cochlæe, quantum in me est, quodq; meæ exiguæ fortunæ mihi concedunt, ita beneuolentiam meam polliceor, vt nulla sim vnquam in re tibi defuturus. Cum hæc ad te scriberem, aberam ab vrbe, deque meo illhuc reditu nondum quippiam certi cõstitueram: vt te non possem Pontifici Max. præsens commendare. Sed quod absens efficere possum, scribam ad amplissimum virum Gasparem Contarenum, vt is & suam & meam vicem in te commendando suscipiat: addatque ad amorem eum quo te ipse diligit, aliquid præterea mei honoris, & mea erga te voluntatis causa. Quod facturum illum nõ dubito, tanta est virtus hominis, & in omneis bonos beneficentia. Ego, quæ meæ erunt partes, nomen & memoriam sanctissimi Principis mortui, charissimè semper diligentissimeq; custodiam. Tibi autem & Iulio ita ero affectus, vt plus quidem vos in me facultatis ad vos ornandos, amoris autem & studij nequaquam plus sitis desideraturi. Tu cura vt valeas, & in omni fortuna eam patientiam præsta, quam Christiana virtus postulat. Carpen. VII. Idus Iulij, M.D.XXXIX.

IX.

IAC. SADOLETVS CARDINALIS, *Ioan. Cochlæo, S. P. D.*

DOLORE non paruo affectus ex tuis literis, quas abs te mense Augusto datas, ego VI. Idus Nouembris accepi, statim

has ad te scripsi: non sine aliqua aduersus fortunam querim
Quòd cùm iam antea tibi, & illi præstantissimo Ducti Georg
de mea ad Germanos oratione nõ vulganda rescripsissem: d
de ex binis literis tuis, primùm de obitu filij, deinde de ipsius
iam morte certior factus, tibi quoq; tum respondissem, illum
ligiosissimi Principis obitum, & simul Reipub. Christianæ cal
mitatem deplorans: intelligo nihil mearum ad te literarum
latum fuisse: cum tamẽ absens adhuc & in Ecclesia mea mate
Carpentoracti, meis qui in vrbe sunt, præcepissem, vt omnes
meas ad te literas per Ambrosium Theutonem, quem tum
nominas in literis, ad te mittendas curarent, quod ita factum
se ab illis non dubito. Sed fortuna profectò mihi mœrorem
nouare voluit, quem ex Georgij optimi & sanctissimi Princip
morte acceperam, cuius mihi mentio & nomen ita hæret in
mis sensibus, vt nunquam Deo pro mortuis supplicem, quin
lum nominatim & imprimis diuinæ misericordiæ commenden
Sed hæc quæ ad priuatum officium pertinent, non tam nobis
cõmemoranda, quàm præstanda sunt. De te mi Cochlæe vel
hoc tibi maximè persuadeas, eam me suscipere cogitationem
quã frater de fratre suscipere solitus est. Amo enim te, tum pro
tatis, religionis, doctrinæq; tuæ causa, quã ego magnifacio: tum
etiam quòd intelligo me abs te amari. Itaque facultates mea
quantulæcunq; eæ sunt, omnes tibi libenter defero. Si cæteræ
deficiant, quæ aliunde maiora & vberiora expectare potes, dig
virtute & laboribus tuis, apud me quidem receptus tibi est,
communicatio fortunarum mearum: quæ etsi pertenues sunt
animis tamen à cupiditatibus liberis, & maioribus virtutis ac
terarum subsidiis præditis, exiguæ opes ad bene viuendum
ciunt. Si Romæ essem, plura polliceri tibi possem: nunc cum
in his locis, neque illhuc (vt nunc est) me cõferre cogitem, cau
& multis & necessariis adductus, vt Euangelij verbis vtar, quo
habeo, mi Cochlæe, hoc tibi do. Tu certè nunquam in me
fidem, nec officium, nec amicitiæ memoriam, nec beneuoli
minis animum desiderabis. Iulium tuum quem singulariter
go, cupio tecum omnia habere prospera. Faueo certè vtrique
strum & vestro proprio, & communis religionis nomine. Qu
scribis ad me de Ecclesiis istic desertis à cultu Dei, deque conci
nibus aduersariorum nostrorum, periculisque omnibus quæ
& probis hominibus impendent: ita mihi acerba & luctuosa
sunt, vt non audeam ea, tanquam vulnera animi mei, verbis
fricare. Deum supplex oro, vt aliquando ipse benigniorib
lis nos respiciat, non enim iam vllis nostris in consiliis, sed in
vno sunt omnia, ad quem spes nostras penitus habere conc
debemus. Valc. Carp Pridie Idus Nouemb. 1539.

IAC

X.

IAC. SADOLETVS CARDINALIS GVIielmo Duci Bauariæ S. P. D.

CVM ab Carpentoractensi Ecclesia mea Romam rediissem Pontificis maximi iussu non modò euocatus, verùm etiam compulsus, nihil habui antiquius, quàm vt ad te literas darem: per quas testarer, illum ipsum amorem, illam insignem beneuolentiam simul & obseruantiam, qua te & fratrem tuum clarissimum virum, vniuersamque domum & familiam vestram semel sum, non casu, nec fortuitò, sed propter maximas virtutes, vestraq; in Christianam Rempub. egregia merita complexus: manere & perseuerare eandem, nec ob meæ absentiæ diuturnitatem quicquam ibi detrimenti, aut diminutionis accidisse: meq; eo esse animo, quo semper fui: vt vestro honori, commodo, dignitati, ornamentisque omnibus, incredibili animi studio sim addictus. Sic enim & summa virtus vestra nobilitasque meretur, & meæ constantiæ ratio postulat, & tempora ipsa præcipuè requirunt: in quibus turbato statu orbis terrarum, diuinis humanisque legibus penitus contemptis atque reiectis, vestra imprimis pietas, & sapientia, tanquam in tenebris lumen elucet. Itaque ego, qui ob propinqua pericula quæ instant nomini Christiano atq; imminent, dies noctesque assiduè solicitor, nec vllam partem capio quietis: vehementissimè quidem optarim habere Stocamerum nostrum, aut alium quempiam tuorum, qui cùm ea quæ me angunt & solicitant, communicare tutò possem. Profectò enim si cæteris auxiliis, opibusque deficior, quas si haberem, libentissimè tibi deferrem: non omnino monita, consiliaque mea tibi aut ingrata essent interdum, aut inutilia. Sed tamen ita Stocamerum habere velim, si id quoque reliquis tuis rationibus conducat. Etenim scito, me grauiter angi, quòd video nos omnes in extremum iam ruere discrimen. Quando ista auxilia apparatusque Germaniæ, qui feruntur, me quidem non consolentur, sed perterreant. Quamobrem & quibus de causis, non est epistolæ committendum. Sed hæc hactenus. Et quando iam Romæ, & apud Summum Pontificem sum, ita hîc tibi operam, fidem, studium, beneuolentiamque meam defero atque polliceor: vt tibi hoc esse persuasissimũ velim, neminem te vnquam repertarum esse, aut amantiorem tui, aut qui maiore studio & diligentia tuis rebus deseruiat. Vale. Romæ, VI. Idus Maij, M.D.XLII.

IAC.

XI.

IAC. SADOLETVS CARDINALIS G
lielmo Duci Bauariæ S. P. D.

ACCEPI tuas Dux præstantissime literas, ex quibus di
lætitia affectus sum. Nam & de tua, fratrisque tui cle
mi viri salute & incolumitate nuncium mihi optatissimum n
lerunt, & vestram mei erga vos amoris memoriam declara
runt apud vos vigere. Quorum vtrum mihi iucundius accid
iudicare difficile est. Sed quod pertinet ad eas curas, & solic
dines, quibus cùm ad te scribebam, vehementer eram distrin
& ob quas Stocamerum hic adesse cupiebam: vt satisfacian
fiderio tuo, qui te cupidum cognoscendi esse scribis, quæ me
tantoperè solicitum tunc habuerit scio me, cùm dolerem vi
mentissimè & angerer, regnum Vngariæ ab immanissimo h
nominis nostri Turca Christianæ Reipublicæ esse ereptum h
iore quoque metu præterea fuisse, ne expeditio ista Germ
niæ, & conatus vester regni illius recuperandi cumulatet
tiùs clades & ruinas nostras, quàm leuaret. Cur autem
pertimescendum putarem, has habebam causas. Primùm
debam exercitum conflatum ex variis nationibus, non facil
vnum posse consensum conspirare: vt omnium prorsus cons
esset, & vis & voluntas. Deinde, intelligebam nullum esse ex
nostri exercitus ducem eiusmodi, qui scientia rei militaris re
re, autoritate & fama rerum antè gestarum, milites ad prom
alacriterq; parendum cogere & compellere posset. Tum autem
territis altero iam, aut tertio aduerso prælio nostrorum anim
non magnoperè confidendum putabam. Postremò, vt esset to
lerabilia cætera, videbam tamen in vno prelio periclitari tot
nam totius Christianæ Reipubl. quæ, si fusi, fugatique essem
(quod quidem Deus omen in suos hostes conuertat) nullum m
hi videbatur præterea habitura præsidium, quo aut se sustine
diutiùs, aut vnde niti ad se vindicandam posset. Etenim quis
intelligat, si victus sit noster exercitus, Austriam continuò in
stium ditionem concessuram? Germanos Principes vt qui
proximus Austriæ sit, differendi supremi exitij causa, pacis
& fœdera cum Turcis quæsituros? Maximum subitò equitat
hostium in Italiam irrupturum: omnia denique terrore &
multu completum iri? Atque hæc cùm timerem, grauius eram
illa re exterrebar, quòd contrà apud hostes omnia se habeba
Vnus Dux summa potentia, & autoritate, exercitus numero
finitus, concors inter se atque consentiens, idem consuetu
vincendi ad pericula audax: equitatus præterea propè inu
rabilis: quem quidem equitatum quomodo nostri sustinere

sem, non facilè rationem inueniebam. Hæc cùm cogitarem, Dux optime, & perhorrescerem casum propinqui certaminis, non immeritò (vt arbitror) quietem animo non percipiebam. Nunc pars mihi aliqua timoris adempta est, si Rex hostium (vt aiunt) ad exercitum non est venturus. Quanquam his paucis diebus cõtrarij venere nuncij: qui pertulerunt illum ad iter sese, & ad bellum accingere. Habes rationem angorum & solicitudinum mearum. Sed de his satis. Ego tibi & fratri tuo, totique familiæ vestræ ita sum animo beneuolentiaq; addictus, vt nihil sit quod vehementiùs optem, quàm & diligi à vobis, & meum vobis amorem omnibus in rebus præstare atque ostendere. Romæ. X. Calendas Augusti, M. D. XLII.

XII.

IAC. SADOLETVS CARDINALIS GVLIELMO Duci Bauariæ S. P. D.

QVOD post reditum meum ad Vrbem, non continuò dedenim ad te literas: nec veteris meæ erga te obseruantiæ beneuolentiæque memoriam renouarim: non mea negligentia, neq; adeò obliuione mutui nostri amoris: sed potiùs pudore quodam accidit. Cùm enim sæpiùs iam conatus essem, exoluere me his vrbanis curis atque negotiis, & in Ecclesia mea Carpentoractensi Deo, & mihi, & populis meis duntaxat viuere, studiaque ea persequi, quorum & liberalissima est cognitio, & fructus iucundissimus, nescio quo meo fato siue iniquà potiùs conditione fortunæ (namque ego meas partes sedulò & accuratè egi) contingere tamen mihi non potuit, vt animo meo morem gererem: coleremque eam vitam, in qua qui doctiores & sapientiores semper existimati sunt, munia beatæ vitæ maximè posita esse censuerunt. Sum enim quotiescunque illuc me contuli, toties huius Pontificis Maximi, à quo etiam præsertim mihi assentiente, commeatum obtinueram, iussu atq; imperio in hanc vrbem reuocatus. Quæ si meæ, ac non alienæ voluntatis commutatio varietasque exitisset, puderet me vehementer inconstantiæ meæ, neque auderem quicquam hoc ad te tempore scribere. Quid enim esset quod polliceri alteri de me possem, si mihi ipse & consiliis meis non constarem? Sed cùm, si qua in hac re culpa inest, ea certè mea non sit, potiusque tempori & rebus quotidie nouis, quàm consilio cuiusquam aut voluntati illa sit attribuenda: peto à te Dux humanissime atque optime, vt quòd ego toties domicilium commutasse visus sim, id Pontificis voluntati tribuas: quòd suam ille voluntatem, id assignes tempori. Proxima enim causa illinc me extrahendi & Romam euocandi, concilij habendi necessitas

fuit

fuit & cogitatio. Quod vtinam consilium bonum ac profe
Christianæ sit &religioni & Reip. Etsi Deum quidem consu
debemus tandem aliquando populis suis esse consulturum
tamen, vt se nunc res habent, quid spei certæ sequamur, no
demus. Illud quidem in hac tanta perturbatione temporum, i
gulari tamen nobis est lætitiæ & voluptati, quòd apud om
bonos tuum nomen in summa est gloria. Nihil enim tam cl
bre, neque tam commemoratum est, quàm tuæ virtutis, consi
tiæ, pietatisque prædicatio: quæ vna & consentienti omn
voce in cœlum meritò fertur. Itaque ego qui tuam ampli
nem iam diu omnibus meis studiis officiisque sum comple
quotidie non beneuolentia quidem (nam ea ad summum
peruenerat) sed meis dictis, testimoniis, scriptis, ad te colo
dum honestandumque sum propensior. Gaudeoque vehem
ter, & tibi gratulor, quòd in reddenda tuis clarissimis virtut
debita laude, ego qui tantùm cæteris studio erga te amore
anteeo, prædicatione tamen tuorum meritorum superior
non possum; tantus est consensus omnium, de te omnia pra
ra egregiaque memorantium. In quo non magis homines, qua
Deus ipse, cuius tu integram & veram religionem sustines a
defendis, de tua fide & sapientia illustre testimonium fer
hæc quæ theatrum maius & grauiorem operam desiderant
tempus magis idoneum differenda sunt. Ego sicut tibi sæpe a
scripsi, quicquid in me est, quantulum id quidem est, ingen
diligentiæ, studij, autoritatis, totum tuis commodis & vo
tatibus ita polliceor ac defero, vt si quid vsu venerit, in quo
causa mihi sit elaborandum, id sim alacrius multò, libentiq
que facturus, quàm si mea ipsius causa idem mihi conandum
suscipiendum esset. Quod cùm acciderit vt agam, cura quide
& amore satisfaciam tibi: studium autem & cupiditatem mea
satisfaciendi nunquam assequar. Nunciatum est nobis frater
tibi decessisse ornatissimum, atque nobilissimum: quod m
auditu sanè quàm molestum fuit. Amaui enim illum semper
cum vnà, dignissimumque illo loco & honore iudicaui. Qui
si de tua virtute & sapientia non eam haberem opinionem, qua
certè habeo, aggrederer fortasse aliquid ad te consolandum
exponendisque rationibus, quare tu hunc casum animo æ
ferre deberes, leuare dolorem tuum adniterer. Sed cùm tu
liorum consiliis non indigeas, magisque ipse ad consilium
dandum sis paratus, supersedebo hoc genere orationis. Tantu
te hortabor, vt animum illum, illamque prudentiam, quam
cæteris rebus eximiam præstas, eandem in hac quoque re adh
bere meditere: vt omnes homines intelligant, nihil tibi deesse
quò minùs & in secundis rebus & in aduersis, par & perfecta
dig

dique & virtus sit, & constantia tua. Iterum & sæpius vale. Romæ, XVII. Calend. Augusti, M. D. XLV.

XIII.

IAC. SADOLETVS CARDINALIS *Gulielmo Bauariæ Duci S. P. D.*

CVM et literis tuis multiplici sum ac varia animi lætitia & voluptate affectus, tum quod in extremis illis à te est positum, grauissimisque & ornatissimis verbis explicatum, id mihi maximè iucundum, & de tua singulari eximiaque virtute etiam admirabile accidit. Sic enim scribis, te hanc piam & sanctam Catholicæ fidei, & Christianæ religionis causam, quæ omnium bonorum Principum communis, & quorundam etiam magis propria esse deberet: nulla iacturæ & periculorum, quæ plurima iam adisti, habita ratione, & amplexatum esse adhuc constanter ac fortiter, & ad vltimum vsque spiritum amplexaturum esse. Quibus tuis verbis quam expressiorem habere desideraréue possimus Principis optimi & præstantissimi imaginem, non video. Faxit ille ipse omnipotens Deus, quem tu in literis tuis omni cum fide & pietate inuocas: vt talem animum, dignamque omni ipsius gratia & beneficentia mentem, ea præmia consequantur, quæ & in cœlo & in terra debeant iudicare maxima. Quanquam cui in hac vita pacatus cum Deo animus, & secum ipse concors, in altera domicilium beatæ immortalitatis est propositum, is semper maximis & verissimis præmiis à Deo affectus esse videatur. Sed tamen ne hæc quidem quæ in his locis expeti solent, tibi defutura confido. In tanta enim rerum omnium confusione, quantam alia ætas nulla vnquam vidit, aberrantibus ferè cæteris omnibus, & propè mente dimoto, quibus harum rerum gubernandarum & regendarum potestas erat data: consiliaque sua non ad salutem publicam, sed ad propriam ipsorum (vt illi putant) vtilitatem, vt autem res indicat, & magis etiam quotidie indicatura est, perniciem conferentibus, stare & eminere vnum, in cuius animum atque virtutem, cùm hæc temporum mala damnaque incurrunt, tanquam fluctus saxo, sic illa eius consilio sapientiaque frangantur: non solùm his temporibus nouum quodammodo & penè inauditum est: sed apud bonorum iudicia imprimis admirabile. Itaque necesse est, posteaquam satis fuerint debacchati, qui ex incommodis publicis sua priuata commoda venari & captare soliti sunt: posteaquam edormierint sui erroris crapulam, & nihil inuenerint verarum diuinarum in manibus suis: vt experrecti tandem aliquando & resipiscentes, cum stupore quodam maximaque admiratione iuue-

intueantur eos, qui in tanta iactatione tempestatis publicæ, d
tenere portum & voluerunt, & valuerunt. Quorum vtinam n
dem magnam copiam haberemus. Sed tua insignis virtus a
constantia, Gulielme præstantissime, multorum in eo nobis
cipum vicem præbet. Es enim tu & castæ integræque religi
illustre exemplum populis Christianis omnibus, & in omn
steritate consequentium temporum, futurus es veræ sapie
veræque virtutis egregium documentum. Quam cunctorum
te summam existimationem, non video posse fieri, quin al
terrena etiam, non modò quæ è cœlo sint, præmia comitet
Hac igitur ego tua laude & Christianæ pietatis summa glori
initio epistolæ scribere fueram orsus) præcipuè sanè delectat
sum. Cætera quæ scribis de tuo animo erga me amico ac be
uolo, deque ea cupiditate, quam præ te fers, factis mihi probe
di qua voluntate in me sis: sunt mihi quidem gratissima h
cundissima omnia: sed vno (vt mihi videtur) amicitiæ nom
cuncta continentur. Sic enim ego memetipsum donaui dicen
que tibi: sic tu me tua humanitate & beneuolentia es amplex
vt quod iam bonorum virorum, & fidelis amicitiæ proprium
certare officiis inter nos debeamus. In quo ego quæ ad tu
amplitudinem colendam & obseruandam pertinebunt, om
summa cum fide beneuolentiaque præstabo. Tu si me dilexe
charumque habueris, maximum hunc me adeptum ex tua am
tia fructum semper sum existimaturus. Vale. Romæ, VI. Idus D
cembris, M. D. XLV.

XIV.

IAC. SADOLETVS CARDIN. FRANciſco Fregepani Vngaro, Epiſc. Agrienſi S. P. D.

ACCEPI tuas literas mihi gratissimas: in quibus illud p
humanum, quòd mea erga te officia plurimi facere vide
Quasi verò non ego ita agere debeam: aut sit quicquam, quo
me tuæ eximiæ virtuti & amori erga me non debeatur. Imò ve
quæcunque mihi dabitur tibi commodandi, & rem gratam
ciendi occasio, sic ea vtar, vt eodem tempore beneficium me
te accipere sim arbitraturus. Quid enim est, quod potius op
mus, quam vt faueamus bonis, & virorum insignium virtut
cuiusmodi tu profectò es, iustis honoribus afficiamus? præsert
tanto amicitiæ fundamento inter nos iacto, quod non solu
beneuolentia mutua, sed iure etiam hospitij sancitum sit. N
enim putare me obliuisci posse illius humanitatis, qua tu ad
ctus, Carpentoractæ vt me inuiseres diuertere voluisti. Quo
dem tempore cepi fructum permagnum è conspectu & sermo
nis

nibus tuis. De quibus scripsi ad Pontificem ea quæ mihi videbantur: illud præcipuè spectans, vt si quid anteà ille fortè in tua natura fuisset offensus, animaduerteret & sciret, inter elationem animi & libertatem plurimum interesse. Quod de Ecclesiarum dilatione confirmationis scribis, cùm mihi tuæ literæ sunt redditæ, vnà item Roma scriptum à Ioanne Marsupino tuo est, omnia esse iam transacta: præsertimq; quod ad te attinet, fuisse perfectum. Quo equidem nuntio valde gauisus sum. Illud tantùm dolui, me non fuisse in senatu, cùm mentio de te facta est: iustis enim & debitis laudib. dignitas & virtus nõ caruisset. Quanquam illa quidem sine cuiusquã nostrùm testimonio per sese splendida ipsa est. Ego illa verba in literis tuis maximoperè probo: tibiq; imprimis conuenientia esse duco: quib. te confirmas nullis vnquã iniuriis ab honore & cultu sanctæ sedis Apostolicæ esse discessurum. Certè sic facere decet eos, qui Deum, non qui homines intuentur: quique, vt tu grauissimè & sanctissimè scribis, spectant ea quæ non videntur, non ea quæ oculis & sensib. subiecta sunt: in quibus homines falli & errare iam quotidianum est: Sed de his satis. Tuæ epistolæ longissimæ mihi forent suauissimæ. Nam quas accepi, perbreues visæ mihi sunt, tanta à me cum voluptate sunt lectæ. Qui si Romæ essem, lacesserem te crebrò meis scriptis. Nũc longè gentium absum, neq; sanè mihi constat quod ad tempus sim in Vrbem reuersurus: nam neq; quicquam adhuc video quod me illuc attrahat: & multa sunt hic quæ me detineant. Proinde scito, labare meum illud primum consilium Romam redeundi. Quicquid tamen egero, faciam te certiorem. Tu me vti diligas, Regi; tuo meam & fidem offeras & obseruantiam, Brodericumque plurimum meis verbis salutes, valde te rogo. Carp. VII. Idus Iulij, M.D.XXXIX.

XV.

IAC. SADOLETVS CARD. FRANCISCO Fregep. Vngaro, Episc. Agrienſi S.P.D.

ACCEPI tuas literas datas Viennæ extremo mense Iunio, ad me Septembri ineunte perlatas. Ex quibus cognoui, quod mihi fuit iucundissimum, te rectè valere, & apud Regem Romanorum esse Reipubl. causa: accepisseq; optatum nuntium de confirmatione vestrarum Ecclesiarum. Quæ diu antè debita, aliquot de causis dilata, postremò tandem à summo Pontifice facta est. Quæ etiam ego de re dederam ad te literas, quas te accepisse postea arbitror, & meam de omnibus tuis commodis lætitiam, ex eis cognouisse. Etenim noli existimare optime Franciſce, quicquam mihi posse euenire optatius, quam audire taleis viros ad guber-

nacula Ecclesiarum deligi, & vocari: qui tantum onus & co-
lio regere, & virtute tueri, & religione ac pietate illustrare e-
possint. Cuius quidem generis hominum quæ sit penur-
afflictis temporibus, vtinam potiùs priuatis incommodi-
stris, quàm publicis calamitatibus sentiremus. Sed de his
rit Deus, quem tantum orare atque obsecrare reliquum e-
factum est. Quid autem geratur, quid paretur, quò tantis da-
eatur obuiam, nihil dum cernimus. Sed vt ad propositũ redea-
ego honorem tibi delatum vel comprobatum potiùs, & tib-
estum, & Reip. Christianæ vtilem esse foreq; non dubito. M-
quidem certè, qui te vehementer diligo proboq; iucundissi-
Qua eadem in causa Broderico etiam nostro gratulor: a qu-
beo literas, quibus ille à me quiddam petit, nimirum Roma-
nunc esse suspicans. At ego nondum de Ecclesia mea decess-
multas habeo commorandi causas, nullam adhuc aliò me-
ferendi. Quòd si Romæ fuissem, & vobis id significassem, &
sum meum officium, quod ad vos quidem pertineret, desid-
essem passus. Nunc absens, id quod queo, vos absenteis ame-
proficiscar ad Vrbem, omnes meæ & operæ, & diligentiæ fru-
vobis imprimis prompros atque expositos esse intelligetis. I-
nes Marsupinus tuus planè mihi satisfacit: est enim in sen-
dis ad me rebus vrbanis admodum diligens. Idem tibi aput
maximas sæpe agit gratias, tuæq; erga se beneuolentiæ & libe-
litatis complura iam indicia non desinit prædicare. Qua-
quoque ipsi grata sunt, eaq; vt persequare à te vehementer p-
De rebus Turcicis nihil habeo quod placeat mihi ad te nũc
bere. Tu quò propior illi es, hoc melius nosse omnia potes. N-
illud timemus (in quo vtinam fallamur) ne iam de nobis ac Ch-
stiano nomine actum penè sit: ita laboramus intestinis exerc-
que malis, nec quicquam firmi auxilij paratum nobis esse vl-
parte cernimus: nisi quòd in Deo vno sunt omnia. Sed hęc hab-
nus. Vina Gallicana te interdum optare, suaue admodum m-
est intelligere ex tuis literis. Quod longè esset suauius, si te-
rum possem facere participem. Non enim mihi bibere illa-
foret iucundum, quàm tecum bibere. Quod forsitan Roma-
quando licebit vtrique nostrũm. Regi tuo optimo & clarissi-
Principi, plurimam meis verbis salutem dic. Vale. Carpen-
cti, IIII. Idus Octobris.

XVI.

IAC. SADOLETVS CARD. FRANCISCO
Fregep. Episcopo Agriensi S. P. D.

ET si literæ tuæ tardissimè ad me fuerant perlatæ, tamen cùm esset occasio Romam scribendi, nolui præterire, quin ad eas responderem. Quanquam mutata temporum conditione, te iam extra periculum & timorem huius anni esse suspicarer. Nihil enim hostes adhuc mouerant, quod quidem fama ad nos peruulisset. Neque dum tamen pax inter vos dicebatur esse constituta. Cùm autem præcipitante æstate, hyems antè videatur afutura, quàm administrari bellum possit: spes est, aut discussum iri, aut in longius tempus collatum id malum, quod te pro tua pietate curaque Reip. solicitat. Equidem video res Principum Christianorum ita contractas, vt nihil neque sperari boni possit, neque non metui mali. Sed erit ingenij, & virtutis, & prouidentiæ tuæ, primum agere omnia, quantum in te sit, quò imminentibus isti regno è Turca periculis occurratur. Id si autem nō poteris, neq; erit tuæ facultatis prouidere: tum tibi ipsi parare aliquod subsidium, quo, si ita res cadat, sustentare fugam atq; exilium tuum possis. Quanquam quod ad nostram amicitiam & amorem mutuum attinet, ego memet tibi, & mea defero omnia, quantulacunque ea sunt. Sed tamen te tuis fortunis frui malo, quàm alienis egere. Si tamen alienæ dicendæ sunt, quæ ab amicissimis hominibus libenter deferūtur. Id autem cùm in potestate nobis non sit, videanturq; casu magis & temeritate, quàm aut hominum consiliis, aut prudentia Principum regi, & pendere omnia: ego qui tutiores & ab omni periculo remotiores oras incolo, perfugium habeo paratum eis omnib. quos & propter necessitudinem, & propter virtutem dignissimos statuo, qui à bonis diligantur. Quo in numero tu mihi inter primos propositus es. Sed de his satis. Diplomata vestrarum Ecclesiarum nondū vobis esse reddita demiror videoq; vbi resideat culpa. Est enim genus quoddam in nonnullis hominib. sapientiæ, quod quibus modis res geri tractariq; conueniat, penitus nescit. Itaq; etiam quæ bene facta sunt, sæpe ingrata accidunt illis, in quorum gratiam & vtilitatem sunt facta. Sed tamen habebam ex vrbe à Marsupinis literas, Ius tibi, consecrationem, & Pontificatus (vt mos est) insignia accipiendi, esse datum. Quod idem valere debet, ac si ipsum diploma commendatæ tibi Agrensi Ecclesiæ testimonium habuisses. Quòd libertatem tuam homines perperam interpretentur: eamque magis velint superbiam existimare quàm libertatem: noli mirari, Francisce optime, in tam corrupto seculo, tamque seruilibus moribus. Vtinam verò semper apud nostros Principes libera vox valeret: cuius inopia & egestate est factum, vt aut nulla aut rara consilia ineantur, per quæ decus atque splendor, salus etiam & incolumitas Christianæ Reipublicæ restitui possit. Sed hæc quæ ab hominibus aut prodita, aut deserta sunt, diuinis

consiliis gubernabuntur. Te quidem sensisse hominum pe-
diam, neque suis promissis stetisse eos, qui te in spem illam
xerant, iccircò non ægerrimè fero, quoniam nihil video quo
expetendum in eo præmio, quod fuerat tibi ostentatum. Q
lætor magis, quòd magnitudinem animi tui agnosco: quam
hementer probo: magisque virtuti & constantiæ tuæ grat
dum à me esse arbitror, quàm consolationem vllam adhiben
Sed hæc hactenus. Ego etiam nunc Carpentoracti maneo: nec
gitationem vllam habeo digrediendi ex his locis. Literæ
quanquam tristioribus curis refertæ, me quoque tecum in
dem penè solicitudinem & societatem mœroris attraxerun
men in eo mihi fuerunt perjucundæ, quòd magnum mihi
runt testimonium tui erga me amoris: qui me potissimùm
gisti, cum quo omnia quæ te angebant, communicares. De
re velim sic constituas, te neq; fideliorem deligere potuisse
quam, neque amantiorem tui. Vale. Brodericum nostrum
suum obiisse molestum mihi fuit: amicum certè hominem
eundem virum bonum prudentemque amisimus. Iterum
Carpentoracti, X. August. M.D.XL.

XVII.

IAC. SADOLETVS S.R.E. CARDINALIS Friderico Nauseæ S.P.D.

TITVBANS, infirma manu, contra valetudinis comm
dum, hæc ad te mi Nausea scribo, vt succensere mihi d
nas. Etenim scito, biduo post, aut triduo, quàm accepi tuas
ras, & illam eruditissimam orationem, qua me nihil vnquam
lectare potuit magis, me in grauem morbum incidisse: febribu
que vexatum & adductum fuisse, vt aliquando de mea vita des
ratum sit. Quo tamen periculo Dei clementia liberatus, in
remissione morbi nondum nec mente nec corpore satis consti
Quòd si tu humanos casus considerare voluisses, omnia prius
gitare debebas, quàm me neglecti officij accusare: etsi gratu
id quidem mihi accidit. Video enim & beneuolentiam erga
tuam & desiderium literarum mearum. Ad hominem illum
psi, bono, vt mihi visus sum, consilio: sancto quidem, & pio cer
Neq; enim aliud quæsiui, nisi conciliare mihi eius voluntate
Quod si ex sententia mihi successisset, crede mihi, aliquo præcla
ro munere Christianam Rempub. affecissemus. Cur autem ea l
teræ tantoperè reprehendantur, causa certè non est: nihil enim
est in illis, nisi priuata familiaritate præscriptum. Fortasse al
quando humilius, quàm nostra dignitas ferat: sed ego inter ho
mines grauitatem meam conseruo, in causa Dei depono. Sum
dem

dem & Dauid ante arcam Dei pietatis memor fuit, non dignitatis. Nam quòd ego ad Lutheranos desciscam, quis suspicari ex illa epistola potest? cùm testificer in ea, me opinionibus ab eo dissentire? Amo ingenium hominis, doctrinam laudo, sententias certè non probo. Ex quo mirum mihi valde accidit, id quod tu scribis: videri me iis literis & summum virum Symonetam, & totum collegium nostrum quasi perstringere. Hoc tu, quæso, quibus ex verbis epistolæ meæ colligere potuisti? Ego collegis meis omnem vbique honorem defero, & in Catholica veritate constantissimus sum, eroq; quoad viuam: potiusq; de vita, quàm de sententia decedam. Cupiebam plura, sed languor animi corporisq; prohibet. Cùm valetudinem recuperâro, crebritate literarum tibi satisfaciam. Interea quando in imprimenda epistola mea id agere cœpisti, de quo ago tibi gratias, famam & existimationem meam tibi commendo. Vale mi Nausea. Vale, & perpetuò dilige. Romæ. X. Calend. Decembris, M. D. XXXVII.

XVIII.

IAC. SADOLETVS CARDIN. IOAN. *Archiepisc. Vsalienſi Gotto, S. P. D.*

AD XV. Calend. Ianuarij cùm essem in mea Ecclesia Carpentoracti, quò post discessum à Nicæa summi Pontificis me contuleram, accepi tuas literas tertiodecimo Calend. Nouembris Venetiis datas. Ex quibus cognoui iustissimam querelam tuam, & dolorem eum, quem ex publicis incommodis, tuisq; priuatis, non sine magna ratione susciperes. Itaque tuis literis ad dolendum tecum vehementer permotus, optaui equidem esse Romæ, quò tibi præstarem eadē officia quæ apud summū Pontificem antea præstitissem. Sed cùm id fieri non possit, absum enim ab Vrbe passuum sexcentis amplius milib. nullum habens remedium quo à me posses iuuari, cùm sim ego quoque in angustiis positus: has constitui scribere ad te literas, quibus de mea erga te voluntate certior fieres: & quoniam operam meam non posses, animum saltem meum in te propensum beneuolumq; recognosceres. Quod scribis perniciosum fore fidei Catholicæ concilium habitum non esse, nostrosque aduersarios ea de causa iam insolentiores esse factos: nihil sanè mihi significas noui. Ego enim & hoc prouidi ita futurum: & posteaquam contigit, vt concilij habendi spes omnis extingueretur, auctos animos eorum, qui contra Romanam inuehuntur Ecclesiam, multorum nunciis literisq; cognoui. Quin quotidie aliqua ad aures meas perueniūt de opinionibus illorum hominū aduersus Deum impia, ob multitudinem cum illis consentientium periculosa: neque adhuc

video quid nobis iam reliquum ad ſpem rerum meliorum
poſſit. Etſi Pontifex Maximus (quod ego ſcire tum potui) ad
tendum concilium non ſua ſponte, ſed duorum ſummorū
cipum conſilio fuit adductus, qui negabant tempus idoneu
eſſe tantæ agendæ rei, quæ & tranquilliorem Chriſtianæ R
ſtatum & otium à Turcis ac fidei hoſtibus requirebat. Itaque
eodem conſilio vſus quo tu, pariq; dolore affectus de Chriſti
Reipub. incommodis: optimum factu mihi conſtitui manen
hoc portu, & in hoc meo exiguo gubernando grege Deo ac h
meæ ſatisfacere. Cùm præſertim in optimarum & ſanctiſſi
rum literarum ſtudiis aſſiduus ſim: Chriſtiq́ue fidem, quam au
ritate & opibus non poſſum, meis quoad licitum eſt ſcrip
meisque vigiliis in veterem dignitatem reſtituere coner. Alia
cauſa eſt, qui non portum tenes, ſed tempeſtate iactaris, & fu
bus. Quod mihi quidem dolori eſt: eoq́ue magis, quòd quem
modum tibi opituler non habeo. Sed ſi diligentius tecum
ſcripturæ ſanctæ documenta recolere volueris, intelliges, ta
bus potiſſimùm qui propter defenſionem veritatis & iuſtit
hominum impiorum odia inſectationesq́ue perpetiuntur,
gnum cœlorum & promiſſum eſſe & paratum: in quod per a
mnas & huius vitæ calamitates oportet nos ingredi. Nō affer
ſcripturarum teſtimonia: quæ tibi nota ſunt: illud dicam, N
lum mihi malum in iſta tua miſera afflictaq́ue fortuna vi
ineſſe, ſi modò tu is es, quem te mihi Romæ oſtendiſti. C
ego & ſcientiam tuam bonarum literarum artiumq́ue adam
rem, & conſtantiam animi in rebus aduerſis laude proſequ
Nec verò vllum cuiquā malum dominari poteſt, cui Deus pro
ſus, & ſuum in Deo ſummum bonum ſit poſitum. Sed hac
ctenus: non enim arbitror te egere noſtris admonitionibus. E
quoniam Romæ non ſum: tibiq́ue in ea vrbe operam nauare
queo, ſcribo ad Contarenum talem virum, qualem tu noſti, ſ
entia, religione, integritate, omnibus præſtantem: vt is cau
tuam, & ſuo & meo nomine apud Pontificem agat. Ad quem ſi
quoque dederis literas, measque haſce ante tuam profectio
in Germaniam acceperis: non dubito, quin aliquo gene
re ſubſidij à ſummo Pontifice tibi ſubueniatur.

Vale. Carpentoracti.

IAC.

IACOBI SADOLETI S. R. E. CARD. EPISTOLARVM LIber XII. Epist. I.

IAC. SADOLETVS CARDIN. ALEXANDRO Farnesio S.R.E.Card.S.P.D.

AVENIONE cùm essem, adierũt ad me consules cum multitudine honestissimorum ciuium: sacerdotum etiam ordine adiuncto: vehementerque à me petierunt, vt cùm ipsi scripturi ad te essent, & cùm vir amplissimus legatus idem esset facturus, ego item scriberem, vt omnes vno consensu te rogaremus, quo velles tam nobilẽ & tam illustrem ciuitatem ornatam esse abs te Episcopo, qui vicem tuam sacris præesset, assidueque in ea commoraretur, quãdo quem tuhuic curæ & muneri præfecisti, is & abest multo maximam partem temporis, & rarò Auenionem commeat. Accidunt autem fere quotidie multa in tanta vrbe, quæ egeant Episcopo: præterquam quòd non mediocre sibi ornamẽtum deesse ciuitas putat, si Episcopus præsens non adsit. Hac de re cùm ipsi ad te accuratè dant literas, tum ego quoq; optime Farnesi summo animi studio te rogo, vt satisfacias florentissimæ ciuitati: præsertim quæ in te vnos spes suas omnes collocatas habet. Facies enim eis gratissimũ: meq; qui pro illis rogo, magno ornamento affeceris, si passus fueris preces meas, illorumq; vnà autoritatem, quæ certè parui non faciendа est, apud animum tuum, ad impetrandum quod petimus, valere. Ego cùm te semper optimo ingenio, egregiaq; natura præditũ esse cognoui: tũ illud tibi imprimis curę esse debere arbitratus sum, vt istam felicitatẽ atq; fortunam, quæ te complexa est, in iis præcipuè actionibus adhibeas, atq; exponas, quæ ad beneuolentiam hominum virtute ac beneficiis tibi conciliandam sint accommodatæ, ne tibi postea vlla rerum temporumq; commutatio nocere possit: tuq; iudicio & prudentia tua magnus semper sis, non casu. Sed ego fortasse ineptus, qui hæc ad te scribam: cùm tu domesticis & admonitionibus & exemplis quotidie fias doctior. Verũ ignosces mihi, maiorẽ amoris mei erga te, quam eius officii quod mihi conueniat, rationem nunc ducenti. Quem maximè apud se cupiant esse Episcopum, Auenionenses ipsi ad te scribunt. Hortor & oro, vt eorum voluntati morem geras: & tamen præscribas, quibus eum finibus vti velis potestate, quem sacris rebus tuo nomine tractãdis agendisq; præficies. Quo maximè modo sine vllo honoris & famæ tuę periculo, tuis p te populis & ciuitati nobilissimę erit consultum. Sed hęc hactenus: non

enim vereor ne iustissimæ preces locum apud te non habe
Summus Pontifex mihi mandârat, cùm me in hæc loca ex Ni
essem recepturus, vt curam & vigilantiam adhiberem, quæ
hosce populos in recta religione continendos pertinet: quòd
diebat Lutheranos in his regionibus valde increbrescere: quo
dem ego quoque multorum literis cognoueram. Itaq; huc p
quam veni, quid egerim & Carpentoracti & Auenione, quon
do insidias omneis eiusmodi rerum, suspicionesque compes
rim, quàm nunc omnia composita sint & sedata, malo eum e
teris aliorum cognoscere quàm ex meis. Certè eam & volun
tem, & obedientiam, quam illius sanctitati debeo, perpetú pr
stabo. Et quoniam vt hic maneam vsque ad proximum ver
multas & necessarias causas video me coacturas: rogo te amp
sime Farnesi, mihique meritò charissime, vt in tuis cum Pont
ce Max. sermonibus, interdum mei mentionem facias, neque m
moriam mei apud eum intermori totam sinas, habeasque tib
fortunas & dignitatem meam apprimè commendatam, si tim
tua officia apud hominem gratum positurum te intelligis. Va
Carpent. IV. Cal. Octob. 1538.

II.

IAC. SADOLETVS CARD. ALEXANDRO *Farnesio S. R. E. Card. S. P. D.*

GRATÆ mihi tuæ literæ tantúmne: imò verò & peropratæ
dulces: quæ aliquam mei memoriam residere apud te mi
indicarunt. Quod ego quanti faciam, non nunc scribo: aliud er
tempus ista commemorandi. Hoc dico, in tuis iucundissimis li
teris illud tamen offensionis fuisse, quòd hæ tardissimè ad m
periatæ sunt, scriptæ enim à te VII. Idus Septembris, tertio Id
Octobris mihi sunt redditæ: sexto & trigesimo die videlicet po
quam tu eas dederas. Sed quod ad rem pertinet, vtinam Farne
amplissime vobis vocantibus, quemadmodum quidem cupere
subitò parere possem: neminem profectò promptiorem ad ob
temperandum vobis inueniretis. Sed quæ me impediant cau
quominus statim accedam, scribo ad Pontificem Max. scribo qu
non tam sapienter, quàm ingenuè & liberè. Quod Pontifex pi
pro sua perpetua præstantique humanitate in bonam partem ac
cipiet. Earum ego literarum exemplum ad te misissem, nisi illa
communes tecum fore existimassem: quod certè ita futurum es
In iis ego peto atque oro, vt tempus meæ absentiæ mihi proro
getur vsque ad proximum mensem Aprilem: quo tempore in I
taliam reuerti mihi in animo est. Hac in re Farnesi optime, te m
hi aduocatum esse cupio, vt facilius impetrem, quod æquissimè a

me

me petitur. Neque tamen recuso, si vos omnino ita statueritis, quin primo quoque tempore istuc veniam. Sed cùm neque magnum fructum ex me istic percipere possitis, quòd in tot sapientissimorum patrum consiliis, & prudentia, parum eminere opera mea potest: & ego magni mea interesse sentiam, aliquandiu hîc manere: erit humanitatis & liberalitatis vestræ, faciles vos præbere in eo, quod vobis parum admodum, mihi autem plurimum profuturum sit. Sed de his reiicio me ad eas literas, quas Pontifici scribo, futuras (vt dixi) tibi etiam communes. Te quidem ipsum rogo, vt mei absentis famam atque fortunas in tua fide & patrocinio esse patiare: talemq; te mihi præstes, qualem ego animum erga te in omni tuo honore dignitateque tuenda, si res ita ferret, plenum amoris & diligentiæ afferrem. Vale. Idibus Octobris, M.D.XXXVIII. Carpent.

III.

IACOB. SADOLET. CARD. ALEXANDRO Farnesio S. R. E. Card. S. P. D.

SVPERIORIBVS his diebus tuis literis, quibus me Romam euocabas, respondi: reddidique rationem meæ hic non modò iustæ, verùm etiam necessariæ vsque ad certum tempus commorationis. Quod item aduersus summum Pontificem feci, cui mea acta atque consilia imprimis cupio esse probata. An verò mea excusatio in bonam accepta partem à vobis fuerit, nondum equidem sciebam: nullas enim ea de re acceperam literas. Sed tamen confidebam, vestræ naturæ clementia & bonitate fretus, non frustra vobis oblatas fuisse preces & obtestationes meas. Itaque sedato etiam animo, totus ad literas & studia conuersus, nescio quid excudebam, quod in hac perturbatione temporum alicui fortassis vsui esse posset. Postea venerunt ad me ex vrbe literæ, omnia de vobis læta nunciantes, quà de nuptiis & affinitate Cæsaris: quà de vestræ familiæ aucta & amplificata dignitate: quod vtrunque mihi iucundissimum auditu fuit. Cùm enim habeam summum Pontificem auum tuum omnis mei honoris & dignitatis autorem, omnia ego vobis debeam necesse est. Itaque ex hac vestræ amplificatione fortunæ tantum lætitiæ capio ac voluptatis, quantum ex mea aut meorum, si isto ego loco essem, profectò non caperem, Deumque supplex oro, vt ista vobis rata & perpetua esse statuat. Et tamen, vt timidus est amor cogitanti mihi rerum vicissitudines, & temporum, atque in secundis & prosperis varia & dubia semper pertimescenti, videbantur vestra hæc, siue fortunæ, siue etiam humanæ prudentiæ præmia, clauo vt dicitur trabali firmiter ad diuturnitatem temporum figi posse, si quam sapientiam

hoc tempore in amplificanda generis ac familiæ suę dignitate summus Pontifex adhibuit, eandem ad religionem Dei recuperandam, sanctosque mores in sacerdotum ordine reuocandos quemadmodũ quidem initio agere aggressus est, vsq; ad præclarissimi operis affectum adhibuerit. Quod mihi sanè videtur non diuturnæ consultationis, sed magni animi & parati fore consilium. Vt enim nauis aduersus vim & metum impendentis tempestatis duabus anchoris religari solet, quarum maior altera dicitur, altera minor: sic vos maiore anchora fortunarum vestrarum in ipso Deo iacta atque firmata, ab omnibus tempestatibus tuti atque muniti, secundos semper cursus tenebitis. Sed ego inepte qui ad ista progrediar, quasi verò aut virtus vobis desit, aut consilium: quod vtrunq; in vobis cernitur abundare. Illud meum Farnesi amplissime, vt & vobis gratuler, quod equidem libentissimè facio, & optem vestris secundis rebus perpetuitatem: quod semper animo amicissimo sum facturus. Vale. Carpentoracti, pridie Cal. Decemb. M. D. XXXVIII.

IV.

IAC. SADOL. CARD. ALEXAND. FARNESIO S. R. E. Cardinali S. P. D.

ETsi aliquanto antè idem cognoueram ex literis meorum quod tu ad amplissimum nostrum collegam Polũ de amplissima Bembi summi viri dignitate & præstantissimo erga eũ Pontificis Maximi beneficio scripsisti: tamen omnia illa tuę literę multo vberiora, lætioraque fecerunt, cùm essent abs te ipso scriptæ qui autor etiam tam præclari operis extitisses. Scito enim me certiores esse factos, maximè insignem atq; egregiam in illo ornando, operam tuã, autoritatemq; fuisse. Quod etsi tu liberalitati, nobilitati virtutiq; tuę præcipuè tribuisti: quo his initiis, & veluti fundamentis tua in posterum præcellens dignitas in immensum quasi creseceret, tamen quoniam eius beneficii magna quoque pars ad me ipsum peruenit, qui pro homine amicissimo, & familiaria mihi necessitudine coniuncto, amplius etiam quàm pro me ipso egissem, & vehementius laborauit: sic habeto, maximas me tibi pro eo & agere & debere gratias, neque ex multis officiis, quæ tua mihi insita in animo & in memoria sunt, vllum me habere cui iustius & libentius me obligatum esse confitear, quàm ipsum, per quod, in Bembi mei honore me non mediocriter auctum esse ornatũ intelligo. Verum in his tua tibi virtus & liberale ingenium, etiam si minus gratiam nos referre poterimus, qui animo quidem sumus alacres, sed parum valemus opibus, maximum fructum & verissimę animi voluptatis, & singularis laudis affert

nos certè id agemus, quod est gratorum hominum, vt beneficia vestra memoria & prædicatione nostra, pioq; animo semper prosequamur. In quo cùm ego neque erga te, neque erga summum Pontificem facere satis animo & cupiditati meæ possim, rogo te amplissime atque ornatissime Farnesi, atq; omnibus precib. vehementer oro, vt tu meam vicem Pontifici agas gratias: quantumque me ille sibi hoc nouo munere deuinxerit, quem tot iam vinculis habuerat antè obstrictum, explices & exponas facundia tua: quando ad magnitudinem rei mea vox satis virium non habet. Quod abs te gratissimum mihi, & simile futurum est tuorum omnium. Polus tuus, vir fortissimi animi, virtutisque non eximiæ solùm, verùm etiam admirabilis, (quod ipse & aliàs sæpe, & nunc cùm maximè, in hac iniquitate fortunæ, acerbisque suorum euentibus declarauit) summa mea cum voluptate nunc est Carpentoracti. Itaque ab omnibus colitur, & in honore habetur, vt non hominem nostri temporis, sed quasi è cœlo demissum, aut ab antiquitate nobis redditum, videantur intueri. Tanta est is sapientia, modestia, humanitate, religione: quod quidem etiam in gloriam vestri nominis cedit: cùm videant hę nationes, cuiusmodi viros viros ad sedis Apostolicæ gubernacula accipiendos esse putauerint. Sed hæc notiora sunt, quàm vt noua commemoratione indigeant. Tu valebis Farnesi optime, & nos gratia ac præsidio tuo tuebere. Vale. Carpentoracti, Calend. Maij, M.D.XXXIX.

V.

IAC. SADOLETVS CARD. ALEXANDRO *Farnesio S. R. E. Card. S. P. D.*

TVvs subitus discessus, & festinatio Romam perueniendi fecit, vt quod maximè cupiebam, atq; optabam videre te & alloqui, id mihi fuerit ereptum: tamen iudico te quicquam nisi bona adductum ratione feciſſe: quòd vel pietas tua erga tuos, vel desiderium rerum vrbanarum, quòd sæpe ætate iam prouectis, nedum adolescentibus, magnum calcar affert: vel forte Pontificis imperium & voluntas approperare te coegit. Tamen in expectatione maxima tui videndi & complectendi cùm essem, quòd mea me spes frustrata est, non possum non colere. Qui si tuo inductus nuntio non fuissem, quo me Carpentoracti subsistere, & tibi hospitiũ parare iussisti: obuiam certè tibi Auenionem processissem: & si non omnem, at aliquam tamen partem cepissem speratæ voluptatis. Nam & conspectus tuus mihi iucundissimus, & mea tibi obseruantia (vt arbitror) non ingrata exitisset. Nunc cùm neq; hic, neque alibi conspicere te potuerim, measq; tecum rationes

rationes familiariter conferre, cumque ejues mei, penè popu-
niter, summa cum alacritate & lætitia obuiam tibi prodire
ramque diem agere aduentus tui constituissent: potes pro
ingenio existimare, fuisse nobis molestum, quod tu in alium
peutè sensum, & aliud iter te conuerteris. Sed si hoc quod no
cecidit perincommodè, tibi idem commodum atque oppor
num accidit: & si iter totum sic ex sententia confecisti, vt ad tu
saluus incolumisque redieris (quod ego & spero, & Deum ex
so vt ita sit) vincat sanè vtilitas tua cupiditates nostras: istique
bis potior tua salus & voluntas, quàm omnes eæ rationes, qui
nos sperauimus ex congressu tuo gaudium nobis & lætitiam p
se comparari. Nam quæ ego coram tecum eram acturus, parū
sanè interest, vtrum ea voce, an per literas exponam. Quod ve
summæ voluptatis & lætitiæ ex tuo aduentu ad nos percipere
tui, id amissum, sic animo æquo fero, si tibi id fuit gratius, atq
optatius. Dabitur enim mihi (opinor) aliud tempus, meam
obseruantiam, & gratam in omneis tuos voluntatem declara
Nunc vt veniam ad id quod egi tecum, cùm fuisti Auenione,
diuturniore mea mansione in his locis: id te oro atque rogo
nesi amplissime, vt in memoria habeas excusesque me apud san
mum Pontificem, totumque me denique & tuendum tibi, & d
fendendum suscipias. Ego nec vllo patrono possum esse mun
or, quàm te, si modò dignus à te fuero iudicatus, qui in fide &
enela tua sim: nec tu opinor, dedecus vllum ex tua erga me
manitate susciptes. Ita enim me geram, & eam operam dabo,
te mihi præsidio adiumentoque fuisse ne vnquam pœniteat. C
autem istuc venire non possim, causæ partim necessariæ sunt, pa
tim habent in se honestatem & laudem. Necessitas in confite
nonnihil pudoris affert, ingenuis præsertim animis: quam tam
necessitatem vos intelligere, etiam tacente me, potestis. Ne
men propterea ambio à vobis quicquam, aut flagito. Sed si ego
ea natura præditus sum, vt nemini velim sumptui esse, & op
decet vos quoque ea esse benignitate, vt me commodum meum
sequi, & vestræ liberalitatis insignibus ornatum, vbicunque
duplicem vobis habere gratiam patiamini, & maximi hono
ac beneficii, quod in me contulistis, & summæ benignitatis, q
me morem mihi gerere, & meo obsequi animo indulgentissi
permittitis. Sed (vt dixi) necessitas vereeundiam quandam
bet: honestas est prædicabilior. Dico igitur, me hic manere no
inuitum: quod & inter amantissimos mei versor, & multa quo
die ex me commoda atque adiumenta his populis prouenia
quòd diurnis nocturnisque meis cogitationibus hoc consequa
vt & pace atque concordia eos contineam: & propulsem hinc m
pios, qui veritatem catholicæ religionis conantur euertere, q
tua

rum, nisi ego huc venissem, magna iam copia in his locis existeret. Nunc meis vigiliis atque curis sit, vt illi non modò ad nos, sed ne ad vicinos quidem nostros se audeant conferre. Contingit enim peropportunè, vt cùm apud populos etiam alieniores fides mihi non parua sit: tum verò senatoria consilia quæ Gallicanis præsint prouinciis, vt Aquense, vt Tholosanum, vt Gratianopolitanum, meo non minimum testimonio moueantur. Itaq; cùm his paucis diebus diploma ad me Pontificium esset allatum, quo datur mihi in Lutheranos inquirendi atque animaduertendi potestas: accepi equidem illud venerabundus, & gratulans: gratiasq; de eo summo Pontifici egi, qui tantum mihi honoris suo iudicio detulerit: quas etiam à te Farnesi optime meis illi verbis agi, cupio, idque vt facias rogo. Sed quod ad vsum istius potestatis pertinet, equidem si necesse erit, vtar: dabo operam tamen ne sit necesse. Nam quibus ego armis libentius vtor, ea vt leniora sunt ad opinionem atque aspectum, ita ad conuincendos improborum animos longè sunt validiora: eum non terror ab illis, neque supplicium, sed veritas ipsa, sed & Christiana imprimis mansuetudo, confessionem erroris, corde magis quàm ore prolatam exprimit. Est autem hoc loco quod vobis à me apertè indicandum sit: de quo tecum habui si recordaris, mentionem cùm tu in Hispaniam iter haberes: deque eadem re tecum postea, me absente amplissimus Polus collocutus est: cui tu, & mihi benignissimè es pollicitus, de Iudæorum negotio videlicet: quibus aliquando frænum aliquod imponi profectò est necesse, si non illorum auaritiæ infamiam, qua gens illa præter cæteras laborat, transferre ad nos totam volumus. Agam fortiter, vtarque libertate, quam tribuit mihi Deus: neque eum Principem, cui omnia debeo, cuius eximiam laudem virtutis, probitatis, sapientiæ, vllis hominum sermonibus infringi aut imminui iniquissimo animo patior: fallis assentationibus in errorem inducam. Sed dicam apertè vt se res habet. Qui potest videri amore religionis in suis prouinciis Lutheranos persequi, qui in eisdem prouinciis tantopere sustinet Iudæos? Sustinet autem? Imò verò auget, condecorat, honestat? Nulli enim vnquam vllo à Pontifice Christiani tot gratiis, priuilegiis, concessionibusque donati sunt, quot per hosce annos Paulo Tertio Pont. honoribus, prærogatiuis, beneficiis, non auctis solùm, sed armati sunt Iudæi. Ac cæteris quidem fidelibus & optimè meritis, noua iuris beneficia, ad propulsandam, si qua illata sit, iniuriam conceduntur: Iudæis solùm ad infrendam. Quanquam non est ista Pontificis optimi culpa, sed eorum qui ad suum ex Iudæis quæstum, Pontificis nomine abuuntur, de quibus honestius est vos existimare, quam me scribere. Iudæi quidem opibus referti, fautoribus insolentes, inter has plebes,

plebes, tanquam inter pecudes lupi graſſantur. Oppida tam
dum pleraque vaſtata ſunt, familiæ plurimæ exturbatæ lar
ſuis & extorres factæ, diſperſæ inter finitimas nationes, quæ
tur horum conditionem temporum, & miſeras fortunas
cùm tamen quotidie Iudæi iſtinc ex vrbe à præfectis ærarii
ad nos priuilegia deferant. Et in his nuper duo, quæ maxime
lentia ſunt ad euertendos Chriſtianos, ſcilicet nutui ibi quo
lunt conſequuntur, nec eſt quicquam iam ſanctius, & ad recon
liandam eccleſiaſticam dignitatem, quæ propè omnis iam
dem amiſſa eſt, vtilius, quã fouere Iudæos: quibus (quod em
bus ſeculis inauditum eſt) licitum ſit ſolis tanta frui apud me
ſtratus autoritate & gratia, vt ad impetrandum omnia quæ
ſcunt, eorum accuſatio audiatur ſine reo, cauſa cognoſcatur
teſte, ſententia feratur ſine iudicio. Et hæc vos tandem quæ
do ab his trans alpes nationibus accipi exiſtimatis, quarum
oculis & in conſpectu poſita ſunt? Quæ rationes carent omn
hac Iudæorum peſte, nec abominantur peius quicquam, quã
Iudæorum nomen, quos tantopere vident iſtic in delicijs eſſe
tantáne defectione animorũ omnium iam à nobis gentiũ (v
nè enim dico omnium, quod ego ita eſſe intelligo: vos haud
ſentitis, propterea quòd aurib. veſtris vulgò homines blandi
tur) in tantáne inquam defectione omnium, & propè execra
ne autoritatis eccleſiaſticæ, magno Reip. præſidio futurum pu
tis, ſi ſic alueritis, ſic extuleritis Iudæos? fideles autem, & pa
res populos veſtros ſic lacerari ab illis, & diripi neglexeritis?
rò in hæc loca, quod tu tranſiens noſſe potuiſti, prouinciæ ma
mè concurrunt, Italia, Hiſpania, Gallia, atque Anglia: è qui
qui hàc iter faciunt homines, conſcios eos eſſe huiuſmodi
relarum, easq; domum ad ſuos referre, ſanè exiſtimationi ve
& communi ſaluti non expedit. Sed ego hæc ad te verè quidem
liberè, forſitan autè dolentius, quàm neceſſe erat, ſcripſi. In q
ignoſce mihi optime Farneſi. Paſtor ſum populorum horum
mercenarius. Moueor, ſi quiſquam alius, in improbos ſtomachi
erga pauperes miſericordia. Fungor officio meo, & fungar. Si
tero opem ferre & conſulere meis, habebo Deo omnipotenti
optimo maximoq; Pontifici gratiam: ſin minus, totũ hoc
reiiciam in vos, qui principes paſtorum eſtis. Vos & meam vo
& veſtram, eidem ſummo Deo rationem reddetis, quando ve
non mea, omnium rerum eſt poteſtas. Vnum, quod ad te ip
propriè pertinet, (dat enim mihi ætas mea, non autoritat
dem, neq; prudentia, apud te loquendi veniam) vnum in
te admonebo: cùm tu iſtis initiis nobilitatis, fortunæ, bona
ingenij, ad ſummam omnium hominum commendationem
ſpem præſtantiſsimæ virtutis productus ſis: ſi tales cauſas

iusmodi patrocinia fusceperis, ostenderisque tibi curæ esse (id quod tamen facis, in quo nos admodum lætamur) æquitatem, iustitiam, pacem populorũ, & erga Deum religionem: quæ quidem res sanctissimæ, ac præclarissimæ, nulla re alia magis quàm cupiditate lucri, auaritiaq; fœdantur, quàm isti palam præ se ferunt, qui ludæis tantopere studere se nõ dissimulant, stabile (mihi crede) & firmum fundamentum in omnem posteritatem tibi subieceris ad dignitatem & gloriam nominis tui quotidie magis augendam, altiusque exstruendam. Quam nunc & magnam admodum, amplamq; esse vehementer lætor, & maiorem indies futuram esse confido. Vale. Carp. IV. Cal. Augusti, M.D.XXXIX.

VI.

IAC. SADOLETVS CARDINAL. *Alexan. Farnesio S. R. E. Cardinali S. P. D.*

ACCEPERAM ex Vrbe literas, te à summo Pontifice è Belgis Romam esse reuocatum: futurumque in via ad medium mensem Maij. Quod simul atque cognoui, statim misi Paulum meum obuiam tibi Lugdunum, & simul cum eo ad te literas, vt quoniam præsens ipse nõ possem, illo modo te salutarem, & obirem absens meæ in te obseruantiæ munia, quæ, coram cùm sum, libentissimè tibi præstare soleo. Accidit autem celeritate tua, & studio properandi, vt Paulo non fuerit necesse Lugdunum peruenire. Cum enim abesset ab ea ciuitate diei vnius iter, certior factus est amicorum literis, quibus negotium hoc fuerat datum, te repente ante omnium expectationem eò venisse, statimq; profectum: nec punctum ferè temporis Lugduni commoratum esse. Quocirca ille meis Lugdunum missis literis, quæ te, quod fieri posset, cõsequerentur, ad nos reuersus, hunc mihi nuntium retulit. Accepi dolorem scilicet, quòd cupiditas mea mei officij atque amoris tibi declarandi, bis iam conãdi mihi, irrita cecidisset. Sed tamen me consolatus sum quòd existimaui studium tuum perueniendi ad Vrbem, meo tui videndi studio anteponendum esse. Nunc rursus cùm ad me scriptum sit, te saluum atq; incolumem ad tuos rediisse: magnamq; esse lætitiam ex tuo aduentu Romæ concitatã, volui tibi his literis nõ gratulari solum, quod fastum & fortunatũ iter habuisses, multaq; ex sententia & tua & aui tui Principis sapientissimi cum Cæsare cõfecisses, sicut amantissimo & deditissimo animo tibi gratulor: sed etiam gratias quàm maximas possem agere, quòd tua commendatiõ rerum causarumq; nostrarũ, hoc est prouinciæ huius, quam ex vrbe discedens apud animum Pontificis reliquisti, vsque eò nobis profuit, vt simus omnia quæ voluimus, quæ ad horũ fidelium populorũ fortunas ac salu-

ac salutem potius, aduersus Iudæorum improbitatem ac frau-
tuendam, pertinebant, ipsius non solùm æquitate & iustitia,
summa etiam clementia & benignitate consecuti. Quain re-
consanguineus Ascanius Sforția, singulari virtute & supra
tem prudentia præditus adolescens, dignissimus eis honori-
quibus tecum simul fruitur, nobis amicissimè & constantis-
suffragatus est. Quapropter cùm quoquo me verto, habeam
stigia ante oculos vestrorum plurimorum erga me meritor-
nihilque iam sit, quod non vobis debeam, vel in honoribus
in vita, vel in fortuna: potestis existimare, si me institutum
mis artibus esse cognoscitis, neminem vos habere, qui ma-
studio, beneuolentiore animo, sanctiore obseruantia, vobis
nomini, honorique vestro inseruire paratus sit. Sed hæc ha-
nus. Ego cùm tecum postremò Auenione locutus sum, visus
videre imaginem in te quasi floreſcentem in ætate viridi, egre-
grauitatis, eius videlicet, quæ maximè solet decere nobilitat-
quæ sit cum humanitate comitateque coniuncta. Itaque tun-
te gaudij plenus discessi, nec destiti postea hoc de te & sentire
prædicare. Nunc Cæsar Triuultius Episcopus Comensis, vir
ctus & prudens, reuersus è Gallia, idem ait & sibi & complur-
eorum, qui iudicare sciunt, in aula Regis, cùm illàc iter fec-
fuisse visum: magnamque opinionem & spem de tua futura
tutis amplitudine, in qua vera inest dignitas, in animis mul-
rum conceptam esse. Cuius hæc oratio, & de te testimonium,
stinam illam animi mei lætitiam renouauit. Quid enim est,
auribus meis accidere possit iucundius? Tu verò macte virt-
qui tam diligenter exprimas domestica exempla & prudentia
grauitatis. Et nimirum nulla est species vsquam præstabil-
quàm humanitatem cum grauitate ita habere temperatam,
altera alteri non modò impedimento nulli, sed decori etiam
ornamento potius sit. Difficilis omnino res, sed in quo ea inc-
is diuino quodam spectaculo oculos, atque animos homin-
cunctorum commoueat, necesse est. Cuius te ab ingenio, a
natura præclarissimi doni, compotem iam factum esse, vehem-
tissimè lætor. Sed de his etiam satis. Illud amabo te, mi Farn-
suscipe, & supple quod mihi deest, vt quas ego dignè non p
sum, tu Pontifici Maximo non meis solùm verbis, sed tuo e
nomine agas gratias. Nam quæ ad nos ab illo beneficia profe-
sunt, ea tibi ab eo primum data, per te verò deinde ad nos tra-
missa sunt. Quare tu quidem illi; ego ambobus vobis maxim
gratiam debeo, quam equidem sanctam & inuiolatam per-
petuò sum seruaturus. Vale, & nos dilige. Carp.

Pridie Non. Iulij, M.D.XL.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

VII.

IAC. SADOLETVS CARDINALIS Paulo III. Pont. Max. S. P. D.

COGIT me ratio temporum, & sanctitatis tuæ bona existimatio, quæ iam in animis omnium gentium & nationum insita est, eademque mihi omni alia re longè est charior: vt quoniam colloquendi facultas commoda nondum fuit, scribam ad te id quod animum meum stimulat: & quod ad tuam summam laudem, publicamque vtilitatem valde iudico pertinere: satis fidens, te pro tua singulari humanitate & sapiẽtia, libertatem hanc meam in optimam partem esse accepturum. Cùm enim Pater sancte appetere iam incipiat agendi concilij dies, idque intelligam ab vniuerso terrarum orbe tantopere expeti, atque omni ratione flagitari, vt nullo pacto differri sine pernitie, aut graui saltem periculo posse videatur: nondum tamen benè parata aspicio ea arma, quibus muniti contra aduersarios esse possimus. Ac video id quoque, multa etiam forsitan impendere quæ hîc nos retineant: sed aduersus ea, difficile illud quidem, veruntamen aliquod inuenietur remedium: propria enim hæc sapientiæ tuæ futura est consultatio. Ego tantum nunc de eo, quod ad concilij rationem attinet, munere atque officio loquor: in quo etsi spe bona sum Deum omnipotentem nobis & veræ atq; honestæ causæ non defuturum: idque ego pro mea parte vt ita fiat contendam & elaborabo, cæterosque item pro sua spero esse facturos: tamen angit me, & solicitum vehementer habet, quòd vnum opportunissimum & imprimis vtile membrum nostri corporis video languere. Non vtar circuitionibus, neque obscurè aut obliquè tecum agam: sed aperte, atq; vt veritas ipsa & fides mea fert. Incredibile est, Pater sancte, quantum dolorem acceperim, quòd summus & doctissimus vir Hieronymus Alexander Brundusinus Archiepiscopus ab eo honore exciderit, ad quẽ ego vocatus sum: quo adiutore & socio, ambobusq; nobis, vt etiam apud Homerum est, studio locoq; coniunctis, alacris animo eram, planeque Deo fretus, confidebam, nos nõ modò apertos impetus hostium, sed absconditas etiam insidias facilè propulsaturos. Multa enim collecta sunt in eo homine magna atq; præstantia, quæ in cæteris singula vix insunt, eaque omnia maximè & huic tempori, & huic causæ necessaria. Linguarum summa cognitio: conciliorum, rerumq; quæ ad eam rationem pertineant omnium memoria, scientiaq; admirabilis: vsus & consuetudo cum exteris nationibus, ac cum Germanica natione præsertim, in qua diu, & acriter, addo etiam feliciter, negotia Catholicæ fidei tractauit. Quò

ergo tantum bonum à nobis reiectum est? Nollem de
cuiquam, nõ enim id naturæ, nec consuetudinis est meæ:
men sedis apostolicæ amor, qui mihi penitus insitus est,
in hoc loco naturam. Etenim si cõfidit sanctitas tua res bene
cessuras horum Theologorũ ope, qui in doctorib. istis rec
ribus tantũ exercitati sunt: credat mihi ipsa, in quo men
pio, acerbiore dissidio, & multiplicatis hæresibus nos ex co
esse discessuros. Quamobrem & quomodo hoc futurum p
aut aliàs dicam, aut res ipsa indicabit. Doleo igitur, & vehe
ter doleo, quòd Alexandrum comitem mihi fortuna in
Nam cùm in me aliquid fortasse insit, quanquam exigu
tenue, at tamen publicæ causæ non inopportunum, id illo
te & adiutore amplius & valentius certè erat futurum. O
semper consilium tuum sapiens, nihilque nisi summa ratio
te agi solet: mihi tamen & dolere, & timere necesse est, qu
reor, ne sit non leuis plaga publicæ causæ iniecta. Atq; hic D
testor inspectorem cordium, me hoc testimonium de illo
neque gratiæ dare, neque vlli cupiditati meæ: sed vnam mi
ritatem, vnam vtilitatem publicam, vnam rationem hono
& nominis quod tibi eximium & memorabile partum e
propositam. Neque tamen audeo à sanctitate tua postula
quod postulandum est, neque rogare quod rogandum: p
bet enim pudor meus, præsertim ab eo Principe, cui omn
beo: ne temerarius à sapientissimo existimer, impudens ab
mè de me merito. Hoc solùm affirmare non dubito: si sanc
tua suam prudentissimam atque optimam mentem ad hun
nestandum hominem deflexerit, præter rei Christianæ com
dum & tuam suam laudem, omnes & res & homines tale
iudicium atque factum summopere esse comprobaturos. Ro
M.D.XXXVII.

VIII.

IAC. SADOLETVS CARDINALIS Paulo III. Pont. Max. S. P. D.

ACCEPI ab optimo atque amplissimo Cardinale Far
literas, datas VII. Idus Septembris, mihi autem tard
nè quàm vellem, hoc est tertio Idus Octobris redditas: qu
ille me hortatur & admonet, ac sanctitatis tuæ verbis etiam m
dat, vt iam exacto ferè eo tempore, quod meæ absentiæ ab
præstitum fuerat ad Vrbem quam primum me recipiam: quo
teresse eis consiliis possim, quæ iamdudum à sanctitate tua
ta, Christianæ religioni commoda & salutaria, promere nunc
mum atq; exequi tempestiuum ipsa indicat: dignamque mol

virtute & sapientia sua, cùm correctionem emendationemque praesentium meorum, tum veteris innocentiæ & integritatis in sacerdotibus, hoc est in Christiano populo vniuerso, restitutionem. Ego verò his acceptis literis, cum insigni quadam lætitia animi ac voluptate, tum non minore solicitudine & molestia affectus sum. Nam cùm lætarer magnopere, & gauderem, quòd intelligebam meum absentis nomen hærere etiam nunc in memoria sanctitatis tuæ, quo nihil mihi euenire optatius potest: illud tamen grauiter molesteque ferebam, quòd non videbam hoc tempore, quo pacto possem, id quod semper maximè cupio, mandatis tuis voluntatique parere. Itaque cùm pararem ipse me ad scribendum sanctitati tuæ, vt appropinquante iam exitu mei commeatus, longiorem mihi a te diem prorogari peterem: allatæ ad me interim sunt Farnesij literæ, quæ me sanè admonent, vt id quod facere decreueram, faciam etiã accuratius: ne qua aliena a mea erga sanctitatem tuam obedientia & voluntate animum tuum forte subeat opinio. Ego enim Pater sanctissime, cùm semper apud sanctitatem tuam esse cupio, quam habeo autorem meæ omnis dignitatis: tum huic etiam honori & muneri, quod mihi ab eadem commissum est, deesse profectò non debeo. Vt enim solum amore, qui certè meo in animo erga te flagrans & perpetuus est, sed ipso etiam viri boni officio appetere cogar, tum tui optato & desiderato conspectu tuo: tum senatoria opera muneraque obire: ea videlicet, quæ ad bonum, & diligentem, & amantem Reipub. Cardinalem pertinent, quemadmodum certè mihi agere semper propositum est. Quocirca non ego hîc quidem maneo inuitus, in tanta horum populorum omnium erga me beneuolentia & voluntate, tam salubri cœlo, tot etiam ex me actionibus ad fructum meorum populorum, & ad seruandam in his rectam religionem, quæ oppugnabatur, prodeuntibus. Sed tamen sanctitatem tuam, vrbemque Romanam assiduè ante animum mihi propositam habeo: non quòd meum priuatum aliquod commodum, aut maior istuc iucunditas me vocet: sed quia ratio officij, quæ apud me semper plurimùm valet, desiderare me cogit, vt eo sim in loco, in quo & fidem ac pietatem meam sanctitati tuæ, & Reip. studium atq; operam nauare commodius possim. Verùm mea hæc voluntas, aliquot domesticis difficultatibus implicita, valdeque impedita est. quas quidem cõmemorare difficultates tenue est, & in tantis tuis curis occupationibusq; ineptum. Tacere autem non licet, si me excusare verè, & is volo esse qui semper cupij, vt veritate & recta conscientia fretus, nihil subticeam eorum, quæres & causa postulat: quòd ingenuo animo ac liberaliter instituto dignum semper duxi, vt nec falsa confingeret eius rei, quamcumque agere statuisset, causas:

nec veras reticeret. Ergo quo minus ſanctitatis tuæ impera-
mandatis vt ad ipſam me conferam, obtemperare ſtatim pol-
non iam valetudo prohibet, (ſatis enim planè mihi videor
confirmatus) ſed illa res magis, quod prouidendum mihi v
menter eſt, nè dum Reip. animo optimo deſeruio, primu
aliquod dedecus incidam: quod fidei meæ, quam habeo ve
gè chariorem, maculæ & detrimento eſſe poſſit. Hæc me n
huc hic detinet, quod facilius hic videor poſſe neceſſitatib
ſubuenire, & obuiam ire meæ famæ periculis, quàm in Ve
cere poſſem: tanto tibi ſumptu in omneis ferè res necc
tamque exiguis meis vectigalibus: quibus præſertim tem
pars in Veronenſi penſione detracta ſit. Quæ tametſi me il
quidem in optimos vſus conſumitur: hoc tamen efficit, v
vrbem Romam incolere nõ liceat: hac præſertim duriſſima
ditione temporum, de qua multorum ad me literis nuntia
perfertur. Nec verò hæc proferens, fortunam meam accuſo
mihi ſi locuples fieri vellem, maximas ſæpè temporum oppo
nitates obtulit: in quibus ego magis officium & abſtinentia
in omneis homines comitatem ac liberalitatem, quàm ſtu
lucri aut pecuniæ ſum ſecutus. Et ſanctitati tuæ maximas gr
habeo, atque ago: quæ totiens iam mihi ferre ſubſidium e
cunia ſua largè ac liberaliter, annua etiam conſtituta mih
cede voluit. Quod ego beneficium tuum erga me, ita ampla
que magnũ, vt ei nunquam à me referri poſſit gratia, cum a
gratiſſimè accepiſſem, re ipſa tamen accipere recuſaui. Ne
eam cauſam quidem vt minus tibi obligatus, ſed vt mei magi
ſem ſimilis: qui ita natus, ita inſtitutus ſum, vt neque pecu
admodum concupiſcam, & parum decorum eſſe arbitrer a
ingenuis & dignitatis veræ notionem aliquam habentibus, e
modi mercedibus & pecuniis quaſi obſtringi, niſi quibus a
cipe onus aliquod imponitur, & eiuſmodi mandatur admini
tio, quæ maiorem fortè ſumptum, apparatumq; requirat. I
enim legitima quædam ſunt conſtituta præmia, quæ accep
non fas ſolùm, ſed perquàm etiam honeſtum eſt. Neq; ego
cium animi mei exponens, eos reprehendo, ſi qui fortè ſum
annuas & menſtruas mercedes ex ærario accipiãt: fieri enim
teſt, vt illi multò ſapientius hac de re conſtituant, quàm ego
dicem: ſed tantùm eam opinionem & ſententiam, quæ mih
ſita penitus & planè innata eſt, apud ſanctitatem tuam fide
profero. Sola ea cupio vectigalia nanciſci, quæ cùm eccleſia
ſint, poſita ſunt in medio ſacerdotibus diſpertienda, habean
adminiſtrationẽ & procurationem ſacerdotiorum coniunct
ad quæ meo iure nonnihil aſpirare mihi poſſe videor: non
curſem huc illuc, eorum adipiſcendorum cauſa: neque vt ab

Inte

Principibus ea obtinere contendam: sed meam spem duntaxat in tua optima aduersus me voluntate, quam mihi sæpe benignissimis verbis ostendisti, & quam nulla adhuc occasio cõsecuta est, repositam habeam. Tranquillum equidem semper habens animum, & nulla solicita expectatione suspensum, quòd constantiam animi malo & modestiam retinere, quàm plurimos fructus vectigalium ecclesiasticorum acquirere: vt in omnibus pudor meus mihi, non flagitandi importunitas prosit. Verùm hæc ego fortasse verbosius: cùm sanctitate tamen tua, tanquam cum parente egi. Reliqua nunc agam, vt cum domino meo, vt cum Principe egi. Si iudicarem, Pater sancte, meam istic aut operam, aut præsentiam valde opportunam esse vtilitatibus publicis: nullo expectato tuo imperio, nulla ratione incommodi vllius habita, ad Vrbem statim aduolassem: neque me aut valetudinis meæ, aut etiam periculi cogitatio vsquam retinuisset. Cùm verò in tanto consilio tuo, tantaque sapientia, adstantibus etiam tibi tot prudentissimis doctissimisque patribus, quorum tanquam orbis terræ luminum abs te habitus delectus est, mei consilij autoritas parum, aut nihil elucere inter cæteros possit: sanctitatē tuam summèrogatam à me volo, vt cum bona ipsius venia commorari hìc vsque ad ver proximum, quo tempore in Italiam & ad concilium omnino cogito: colligereque tantisper mearum fortunarum reliquias mihi liceat: in quo magnum in me collatum abs te beneficium sim arbitraturus. Sin aliter sanctitatis tuæ sententia est, eaque me vult ad Vrbem omnino accedere, si leui modò significatione hanc eius voluntatem cognouero, accurram, & approperabo: neque me causa, neque difficultas vlla detinebit, quo minus & tibi & cæteris ostendam, nihil omnium rerum mihi magis esse cordi, quàm vt præsto sim, & paream iussis omnibus, ac mandatis tuis. Quodque hic manere aliquandiu cupiam, totum necessitatis cuiusdam esse: quòd verò in Vrbem & ad sanctitatem tuam accedere, ipsa iubente paratus sim, id esse propriæ & perpetuæ meæ voluntatis. Vale. Carpentoracti, Idibus. Octo. M. D. XXXVIII.

IX.

IAC. SADOLETVS CARDINALIS *Paulo III. Pont. Max. S. P. D.*

CVM huc esset allatus nuntius de creatione Cardinalium, quos sanctitas tua proximè in Amplissimum collegiũ cooptauit: equidem de cæteris nihil mihi ad iudicandum assumens, quorum vitam moresq; ignoro: satisq; confidens abs te omnia & sapienter, & optima ratione fuisse acta: de Scoto illo vche-

menter probaui consilium tuum. Perspexi enim penitus ci-
titudinem animi tui, tum vim singularis prudentiæ, per-
pati non vis, impium Regem vacantem domesticis finitim-
periculosum suspicionibus, impunè ac licenter in depop-
Dei Ecclesia debacchari, quod consilium simul & factum
tatis tuæ Deum immortalem fortunaturum esse non dubi-
que vti ita eueniat, Deum eundem precor. Quòd verò inte-
teros vnum adhuc Venetum in ordinem legendum nostr-
reseruasti, en Pater sancte occasio & locus, quo sanctitas tu-
test clarissimo viro, & omni virtute, doctrina, eloquentiaq-
natissimo, hunc honorem si detulerit, non tam quidem i-
uam comparare gloriam præclari sui in hominibus dilig-
iudicij, quàm veterem & iam partam confirmare: vt non
ab his, qui abs te honestantur, sed præterea ab omnibus qui-
to orbe terrarum coniectos habent in te oculos, cùm lau-
feratur in cœlum tua virtus, animi magnitudo, sapientia
maxima tibi & perennis gratia habeatur. Est enim omnium
mune beneficium, quod confertur in hominem, & bene de
tis antea meritum, & parátum ad bene merendum. Qualis
Petrus Bembus est, qui hoc etiam magis beneficentiæ tuæ
tur amplectendus, quòd complures annos diligenter atque
norificè Romanæ curiæ inseruiuit. Quam vnam in me ipso re-
nem sanctitas tua secuta est: cùm me nō aliis meis meritis, s-
incredibili benignitate ac liberalitate adsciuit in eum ord-
vnde mihi celebritas & bona fama magis etiam ex iudicio
quàm ex honore ipso acquisita est. Pro quo amplo insigni
me beneficio, si me perpetuò adstrictum tibi, tuoq; cuncto
ri & nomini esse sentio: cupio etiam à sanctitate tua intel
Bembum summum virum pari quodammodo eiusdem bene
collegam fuero nactus, non me vno & simplici vinculo,
quam eo firmissimo & arctissimo: sed pluribus, & nunquam
tricabilibus laqueis tibi obligatū fore. Deus omnipotens
& cœpta &, consulta sanctitatis tuæ ad optatum finem, &
dem sibi gratum, acceptumque perducat. Carp. Nou. Ian.

X.

IAC. SADOLETVS CARDINALIS
Paulo III. Pont. Max. S. P. D.

PRIMVM deprecor sanctitatem tuam vt mihi liberius
se quàm humilitatem meam deceat, meum apud ipsam
derium expromenti, ignoscere ne grauetur: deinde vt quæ
cturus sum, pro sua sapientia examinet, & perpendat. In
enim singularis tuę sanctitatis humanitas, in qua ipsa quoq;

quàm in honoribus fortunæ esse excelsior, dat mihi fiduciam: alterum, quia cum vtilitate Reip. & cum tua laude coniunctum est, æquum mihi videtur, quod & à me proferri, & abs te debeat diligenter considerari. Etenim Pater sancte ego mecum sæpenumero recordans illa præclara initia gerendi Pontificatus, tum cùm sanctitas tua correctione morum sacerdotibus indicta, multisque viris clarissimis & omni virtutis laude præstantibus, ad summos honores Ecclesiasticos vocatis, vniuersum terrarum orbem in spem meliorum rerum erexit (Deum immortalem testor) cupiui ex eo tempore semper vt illa propria & perennis tua esset gloria: neue eam vnquam in deligendis optimè meritis hominibus, aliqua adiuncta obscurior electio infuscaret. Memini enim quanta celebritate famæ, quibus hominum sermonibus, qua admiratione virtutis, prudentiæ, magnitudinis animi tui, illud egregium & commemorabile facinus fuerit acceptum. Itaque ego, quin colenda, amanda, venerandaque sanctitate tua, arctiore multo beneficij vinculo, quàm cæteri omnes, astringor: propterea quòd alij multum quidem habuerunt in se omnes & virtutis & meritorum, quamobrem beneficium tuum illis quodammodo debitum videretur: ego autem nihil: sed omnis meus honos, meæque dignitatis amplificatio, liberum fuit iudicium & propria liberalitas sanctitatis tuæ: sicut plus quàm cæteros tibi debere me intelligebam, ita maiore etiam quam illi, in tanta tua gloria & prædicatione amplissimæ laudis, animi lætitia & voluptate perfruebar: qua assiduè quoque in posterum frui cupio. Nec mihi quicquam magis est in optatis, quàm audire, sanctitatem tuam, non cupiditatibus huius, aut illius, sed suæ potissimùm sapientiæ, & Christiani nominis vtilitati inseruientem: si supplendus ordo noster sit, quem suppletum in famæ nunciat, habere hominum dignissimorum, vt solita est, delectum: & optimos ac doctissimos in amplissimum collegium adsciscere. Namque Pater sancte præter communis Reipub. commodum quæ inclinata iam & propemodum corruens, talibus columnis maximè sulcienda est: hi præterea soli omnino sunt, qui fidem præstant suam honoris sui autoribus: quique eos & in ipsis, & in posteritate eorum, semper saluos, honestos, florentesque esse cupiunt: cæteris (vt sanctitas tua animaduertere sepe potuit) qui non ex virtute, sed ex ambitione lecti sint, studia & actiones suas, non officio aut honestatis decore, sed emolumenti compendio ferè dirigentibus. Atque hæc quidem euæ sanctitatis erit consideratio. Illud meum desiderium, de quo agere eam exorsus, vt in habenda Cardinalium cooptandorum ratione vnum tibi hominem nominarem, tua vt dixi, benignitate fretus, quem certè dignum omni honore arbitror, & in

quo ornando iudicium tuæ sanctitatis summam consecutu[illegible] laudem esse non dubito. Is autem est Gregorius Cortesius, Abb[illegible] de quo nemo est profectò qui nesciat, quæcunque in magn[illegible] bono sacerdote postulanda sint, omnia in eo excellenter in[illegible] ingenium, consilium, eloquentiam, doctrinam, & quæ his [illegible] que laudabiliora sunt, quoniam Christianis moribus sunt [illegible] piora, pietatem præterea, continentiam, religionem. Neque [illegible] aliter de eo sanctitas tua iudicauit, tum cùm eum vocandu[illegible] consilium maximarum rerum putauit. Hunc igitur ego in [illegible] plendo Cardinalium collegio sanctitati tuæ vehementer co[illegible] esse commendatum. Et eò magis, quòd Federico Fregosio [illegible] & tam præstante Cardinali nuper amisso, dolorem quem [illegible] lius morte incredibilem accepimus, huius honore, si tua in[illegible] luntas fieret, consolabimur. Atque ipse quidem nihil omn[illegible] huiusmodi rerum cogitat: ego autem laboro, qui & illum [illegible] go, virtutis quidem causa, & imprimis tamen decus sanctit[illegible] tuæ habeo mihi ante oculos propositum. Ad cuius insignem [illegible] dem si hoc factum redundaturum est: si consueuit ipsa nihilo[illegible] nùs honores ecclesiasticos talibus viris libenter mandare: [illegible] aspernetur quæso preces & obsecrationes meas: meque dign[illegible] efficiat, cuius voluntati suam rectissimam & benignissimam [illegible] commodet voluntatem. Equidem Pater sancte si hoc me ben[illegible] cio, & Christianam mecum vna Remp. affectam esse videro, [illegible] sum plurimis iam tuis erga me meritis deuinctus, maximo [illegible] hoc munere cumulatum arbitrabor: tibique perpetuas & agu[illegible] & referam, quoad licebit, habebo quidem certè & prædica[illegible] gratias. Deum omnipotentem oro, vt sanctitatem tuam salu[illegible] & florentem diu nobis conseruet. Carpentoracti, VII. Cale[illegible] Decembris, M.D.XLI.

XI.

IAC. SADOLETVS CARDINALIS PAVL[illegible] III. *Pontifici Maximo S. P. D.*

FACERE non possum, vbi virtuti & dignitati, multisque pr[illegible] terea & magnis erga Sanctam sedem Apostolicam meritis, [illegible] stimonium mei iudicij tribuendum est, quin id tribuam: parti[illegible] natura in hanc erga bonos voluntatem adductus, maiore aute[illegible] ex parte sanctitatis tuæ clementia & benignitate prouocat[illegible] Quæ cùm potestate & amplitudine cæteris hominibus omn[illegible] bus antecellat: maiorem tamen vult suæ humanitatis esse, quàm potestatis gloriam. Ea igitur fretus, non possum tibi non com[illegible] mendare homines eos qui mihi tuo digni iudicio, digni etiam honore, qui fructus est iudicij, esse videantur. Cùm ergo pro[illegible]

mis Cardinalium comitiis, quæ instare iam iamque & propè adesse sermonibus hominum circumfertur, sit sanctitati tuæ locus, suam, quemadmodum consueuit, liberalitatem & beneficentiam in benemeritos exercendi: putaui ad meam fidem atque officium pertinere, duos tibi commendare, quos tibi ipsi non dubito esse probatissimos. Quod equidem facio, non illorum precibus efflagitatus, absunt enim ambo à me longè gentium, neque huius cogitationis penitus ignari sunt: sed hoc officium atque operam, virtuti, & veritati, & amicitiæ sponte tribuens. Sunt igitur quos ego digniſſimos omni honore existimo, Hieronymus Capoferreus designatus Nicensium Episcopus, & Thomas Campegius Episcopus Feltren. Neque ego hos duos ita laudo, vt cæterorum laudibus, si qui sunt, qui virtutibus ornati, Cuiam istam sequantur, esse detractum velim: sed quia in his præter eximia animi, & ingenij ornamenta, quibus vterque eorum præditus est, illa quoque insunt, quæ maximè mouere animum tuum & solent & debent, vt magnam tibi horum honoris & commodorum habendam esse rationem putes. Alter propè simulatque natus est, in fidem abs te & clientelam receptus, vbi accessit ætas, qua declarare animum atque ingenium illius posset, nihil aliud vnquam sibi propositum habuit quàm vt suas omnes curas, omneis voluptates, studia omnia in sanctitatis tuæ cultu, atque obsequiis figeret, & locaret. Multis in vrbe & magnis muneribus ac negotiis abs te præpositus, extra vrbem etiam maximos ad Principes sæpe, maximisque de rebus missus, nec fidem suam nec consilium, nec diligentiam vsquam passus est desiderari: omniaque præstitit, quanquam penè etiam adolescens, quæ à viro prudentissimo, & ætatis vsu eruditissimo requiri atq; expectari solita sunt. Quodque in eo mihi peregregium & commemorabile imprimis visum est, non ille suos labores, suas vigilias, sua & corporis & fortunarum dispendia, cùm tibi inseruiebat, ad spem honoris & commodorum suorum direxit, aut retulit. Sed tantum illud spectauit, vt Domino, & Principi suo satisfaceret: fidemque & pietatem, non spem vllam propriam sibi habuit propositam. Quæ si rara sunt, & omnibus propè seculis in paucis animaduerla, singularem quoque ea promerentur à tua benefica voluntate ac natura, & honorem & beneuolentiam. Quid cætera commemorem, quæ in eo præclara insunt? ingenium, literas, humanitatem, comitatem, liberalitatem, illamq; venustatem & elegantiam moris atque sermonis, qua in rebus gerendis ita aptè vtitur, vt non minus gratiosum se reddat in Principibus, ad quos missus est, quàm illis a quibus missus? Omnia sunt in hoc homine eiusmodi Pater sancte, vt ipsa per se, sine illius commendatione & testimonio, vincire animum tamen

etiam durioris alieniorisq; Pontificis posse videantur. Quid mi-
tissimi facient? quid liberalissimi? quid beneuolentissimi? Non
enim dubito virtutes Capoferrei sanctitati tuæ non notissimas
modò esse, verùm etiam charissimas. Quare cùm de honore eius
certus esse debeam, qui & de gratissima ac beneficentissima tua
mente atq; natura certus sum, hoc officio perfunctus, ad alterum
conuertar. Atq; hîc ego intelligo, obiici mihi posse nimiã quan-
dam imprimis audaciam, vel temeritatem potiùs, qui tantis de
rebus cum maximo & meo & omnium Principe, tam familiari-
ter & tam liberè agam. Sed in hoc me tamen illa summa & prope
incredibilis humanitas tua consolatur. Illud est difficilius, quod
ego quorundam hominum virtutes & merita sanctitati tuæ de-
monstrans, videor non satis intelligere, quo cum Principe mihi
agendum sit, quàm sapiente, quàm sagaci: cuius acre ingenii
summum acumen, admirabilem perspicaciam, nihil est omni-
no quod fugiat aut lateat. Verùm hic mihi ignoscat quæso san-
ctitas tua, & patiatur me meo animo, & illi beneuolentiæ qua
optimos viros prosequor, morem gerere. Si enim de quoquam
commodè sentio, si quenquam videor propter eius virtutes, &
propter singularia partim erga me ipsum, partim verò maxi-
mam erga sedem Apostolicam studia atque officia diligere debe-
re, Thomas profectò Feltrensis Episcopus, mei & amoris & iudi-
cij, in his rebus omnibus primas partes obtinet. Quòd si ego
solus ita sentirem, mea tamen apud te commendatio aliquid
habere deberet, si non autoritatis, at certè excusationis. Sed
ego mihi sic persuadeo, eadem in talem virum & mente & opi-
nione, cùm reliquos, tum te ipsum imprimis existere. Atque ego
mitto in eo splendorem nobilitatemq; familiæ, quæ summo ho-
nore nuper in Laurentio Campegio eius fratre ornata atque flo-
rens, postquam ipso illo honore fortunæ & mortis iniuria spo-
liata est, videtur ea ab æquissimo clementissimoq; Pontifice in
pristinum decus restitui debere. Quæ tua tamen plena bonitatis
& prudentiæ consideratio in pluribus iam perspecta est. Mitto et-
iam literas, Iuris ciuilis Pontificiique scientiam, bonarum artium
cultum, in Theologicis rebus vsum, intelligentiamque penè sin-
gularem. Illud est quod ego sanctitati tuæ potissimùm in hoc ho-
mine cogitandum propono: quòd nullus eo in Rom. curia publi-
cisq; negotiis laboriosius, fidelius, diuturnius, iustius, his quam
plurimis annis versatus est: cùm interea in tanta varietate re-
rum gerendarum, nemo vnquam illius superbiam, nemo auari-
tiam, nemo negotiorum quæ is suscepisset neglectum, nemo vl-
lam vel minimam suspicionem criminis in eo annotauit. Varia
laboriosisq; munerib. diutissimè exercitatus, libellis postulatisq;
supplicũ aut subscribendis, aut referendis: causis litigantiũ com-
mitten-

mittendis, iudicibusq; dandis: regendo quoque & in officio continendo scribarum ordine: in quo horum munerum non egregiam fidem, prudentiam, abstinentiamq; præstitit? Tanta in audiẽdis hominib. mansuetudine, in expediendis negotiis diligẽtia, in rebus omnibus integritate & innocentia, vt præclarum in eo exemplum verissimi & optimi magistratus, ac sedis apostolicæ ministri, fuerit constitutum. Quod quidem exemplum Pater sancte abs te pro tua gratissima mente, admirabilique sapientia, merito honore afficiendum est. Etsi enim caput ipse es totius orbis, tamen propius atque coniunctius vrbis Romanæ es caput: in quo tuo præcipuè corpore, membra quæ præstantiora sunt, beneficiis tuis ornare debes: vt inde animi voluptas ad nos, ad te bene iudicandi laus perueniat. Quanquam non his solùm de causis Thomas Campegius sanctitati tuæ debet esse commendatus: sed ex eis quoque laboribus & operis, quas is peculiares tibi præstitit. Toties abs te in legationes missus non solùm difficiles & asperas, verùm etiam periculosas: tam multis negotiis, curationibusque præfectus: quem laborem vnquam periculúmue refugit, quo sanctitati tuæ tanquam illi addictus toto & corpore & animo deseruiret? cuius quidem ad mandata omnia peragenda, solitam suam secum ipse semper & diligentiam & integritatem: voluntatem autem vnius tuæ sanctitatis, non suam, extulit. Sed non omnia commemorabo, (nota enim tibi sunt.) Tantum ego alumnus amatorq́ue Romanæ curiæ, illius honestatem atque decus cordi habens, orabo atque obtestabor ipsius curiæ Principem, & Principem quidem, non solùm potestate, sed magis etiam omni illa quæ isthic plurimum potest, polletq́ue, acio ingenii, electissimaq́ue sapientia, vt in Feltren. Episcopo, doctissimo, iustissimo, laboriosissimo, & nos omnes qui virtutibus fauemus, & ipsas virtutes, & Romanam imprimis curiam, proprium ac præcipuum corpus tuum, quæ illius honore ornari se arbitrabitur, hocque impensè ipsa poscit atque desiderat, tibi habeas commendatam. Dominus Deus sanctitati tuæ omnia semper prospera & fœlicia largiatur. Ex Feliciano Carpentor. diœc. VI. Idus Augusti, M.D.XLIII.

XII.

IAC. SADOLETVS CARDINALIS PAVLO III. *Pontifici Maximo S. P. D.*

ACCEPI sanctitatis tuę literas, per quas illa dignum me duxit, quanquam nullius admodum pretii hominem, perinde tamen ac si momẽti alicuius futura sit pręsentia isthic mea, ob hæc Reip. tempora, ad vrbem Romam accersere. In quo quantũ mihi offi-

hi officii onus impositum sit, sanè intelligo. Sed ego paucis au
diebus scripseram Amplissimo Cardinali Farnesio, rogans eum
obsecrans vt si quid tale accideret, vt vocarer: mihi ipse apud in
ctitatem tuam testis esset, cupidum me quidem esse parendi
obtemperandi: sed ob domesticas multas magnasque difficul
tes, hoc tempore nullo modo venire posse. Quem quidem, e
diligentia atque humanitate est, officio functum esse non dix
to. Etsi non videtur egere hæc causa apud sanctitatem tuam reb
bus. Sed tamen quoniam sæpe hoc iam contigit, vt vocarer: eg
que maiorem in eo voluntatis tuæ quàm incommodorum & di
ficultatum mearum rationem habui, iisque propterea etiam m
gis nunc oppressus teneor: cogor nunc necessariò omnem mea
causam eidem sanctitati tuæ breuiter exponere: audaciùs fortè
se, quàm aut humilitati meæ, aut summæ illius amplitudini co
ueniat. Sed opinor illa admirabilis humanitas, quæ tuam mag
mè ornat augetque dignitatem, faciet, vt quod audacter age
videor, id nec temerè, nec inopportunè agam. Dico igitur no
latuisse sanctitatem tuam meorum præteritorum cursum omni
temporum. Nemo enim te neque ad intelligendum acutior, ne
que ad iudicandum sapientior vnquam fuit. Non latuit ergo te
cùm fungerer negotioso & sat honorifico munere apud duo
summos Pontifices, magnamque ex eo pecuniam magnasque di
mitias honestè comparare possem: neglexisse tamen multoqu
maximam illius temporis partem gratis me Reipublicæ & vrbi
nis, aduenisque omnibus seruiuisse, quòd in me nullam cupidi
tatem quæstus atque lucri natura ingenuerat. Pronuntiatus fu
à Leone Episcopus cum essem absens. Hoc quoque meminit pro
fectò sanctitas tua recusasse me illud onus quoad potuerim, d
quietam ac priuatam vitam honoribus semper præferre cupiss
Honores enim ego tum, non honores, sed tanquam compedes
liberioris vitæ esse existimabam. Non multis pòst annis ventu
Ecclesiam meam, cupidissimus in ea perpetuò manendi. Factu
est Clemens Pontifex, is statim vehementer à me contendit, vt
me ad eum conferrem. Itaque Romam reuersus sum. Non pote
enim Pontifici optimè de me merito operam & obsequium meu
denegare. Anno illius quarto in ecclesiam meam redii. Sic enim
fueram cum illo pactus, in quo ille mihi egregiè fidem suam pr
stitit. Vrbs non multo pòst capta & direpta est: meę fortunæ, q
antea naufragio, & tum quoque iterum in vrbis calamitate o
mnes disperierunt. Adhuc quis fuit locus, vbi aliquod meum op
paruerit studium, rem meam familiarem augendi & amplifican
di? At ego dico, neque tunc me, neque vnquam antea, neque ad
eò etiam pòst, aut pecunia, aut veste, aut argento, aut lautiore a
liqua supellectili ornatum instructumque fuisse, sed nec desi
de

ipse me ista confirmo. Stultè fortasse, sed tamen solutum animum ab his cupiditatib. habere valde me iuuabat. Tantum annis illis decem, quib. in mea ecclesia commoratus sum, reditus annuos meos quotannis integros expendebam: ita, vt vertente anno, nec deesset mihi quippiam, nec superesset. Non enim vllum vnquam omnino coacernandæ pecuniæ studium me tenuit. Interim sanctitate tua ad summum Pontificatus honorem meritissimum sublata, secundo opinor anno ab ea accitus sum: ad quam, vt debui, statim veni, continuoque sum ab ea in amplissimum ordinem S.R.E. Cardinalium cooptatus. cuius sui iudicii rationem ipsa nouit. Equidem quod ad me attinet, nec meritis vllis, nec virtutib. meis dignum me tam honorifico eius iudicio, & tam eximio honore vnquam arbitratus sum. Quo etiam maior tibi à me gratia debetur: ac prorsus tanta, vt si vitam pro tuo honore dignatæque profundam, ne minimam quidem partem eius beneficij consecuturus. Accessit cùm ego ægrotarem, cognosserque sanctitas tua multis rebus me egere, vt suo illo excelso & liberali animo commota, magnificentissimum donum mihi mitterer, præsentem pecuniam satis grandem, & præterea subsidium centenûm aureûm nummûm in menses singulos ex fisco suo cõstitueret. Qua ego tam singulari & eximia benignitate ac liberalitate penè attonitus permansi. Atque hic est locus, Pater sancte, in quo ego aliquantum hæreo: qui tam duro & agresti animo tũ fui, vt potuerim illud honestissimum, mihi quidem certè opportunissimum & necessarium donum recusare. De quo etiam nunc rogo & deprecor sanctitatem tuam mihi vt ignoscat. Non enim profectò aut peruersitate ingenii, aut moris naturæue contumacia in id rusticitatis sum lapsus: sed quòd diu antè statuerã, meorum sacerdotiorum fructib. duntaxat viuere, nihil pecuniæ extraordinariæ capere, quodcunque, aut vndecunque vnquam mihi obueniret. Itaque constantiam illius meę sententiæ retinere volui. Quod siue rectè egi, siue perperam, certè nihil vnquam postea sum assecutus, quod ad sustinendam molem huius tanti honoris, mihi auxilio esse posset. In hoc ergo statu meo, consulo ipsam sanctitatem tuã quid me agere par sit. Si habuissem à principio subsidia huic tuendo honori necessaria, nunquam ego ab eius latere discessissem. Non inficiabor equidem, si meum sit iudicium liberum, me hanc ociosam & literis deditam vitam, omnibus honorib. & diuitiis antelaturum esse: sed amor, officium, ipsaque cupiditas referendæ gratiæ, affixum me tibi semper tenuisset. Nunc tenuibus fortunis, perexiguis facultatibus, re idonea nulla satis instructus, quomodo isthuc veniam, ne cogitare quidem possum. Quòd si tanti ipse me facerem, vt meam isthic operam, præsentemq; autoritatem vel mediocrter vtilẽ fore arbitrarer,

trarer, venirem vtique quoquo modo possem: nec indigniter si esset perferenda: nec famem, si esset patienda: nec mortem si esset obeunda, pro sedis apostolicæ & tuæ sanctitatis dignitate refugerem. Sed cùm in tanto cœtu prudentissimorum, & sanctissimorum patrum, mea opera potius superuacanea futura ego autem impotens omnino ad veniendum isthuc sim: rogo oro, obtestorque sanctitatem tuam, velit aliquando meæ difficultatum grauiumque detrimentorum aliquam rationem ducere. Si occasio dederit, vt aliqua eius liberalitate, aliquibus fidiis ecclesiasticis subleuer, non expectabo donec accersar. Ego met enim adero, meque tuæ sanctitati ita adiungam, vt nulla inde ab eius conspectu & comitatu fortuna me vnquam separatura sit. Nunc si non venero, cùm iter mihi iam toties perlustram faciendum sit, inter tot notos & propinquos, & ad eam urbem accedendum, in qua apparatus, impensæ, domestica omnia meis pusillis facultatibus planè intolerabilia sunt: spero æquissimum animum tuum iustissimam excusationem meam boni consulturum, mihique hic manendi veniam daturum. Quòd si Consilium, si modò id futurum est, accedere me oporteret, de re ad eundem Farnesium scripsi, nulla harum rerum & difficultatum me impediret. Nam & per ignotos liberum ac finitimos iter, & in Consilio frugalitas laudi potius esset. Quod sanctitati tuæ puto accuratè esse considerandum. Nam si in Germania futurum est Consilium, verumque est id, quod à multis mihi nuntiatur, meum nomen apud illas gentes non omnino esse contemptui, cùm suspicer magnos in sanctitatis tuæ, & sedis apostolicæ dignitatem, seditiosorum hominum fore impetum possem fortasse illhic esse, Deo iuuante, idoneus ad prohibendum aliquid & moderandum, si eò sponte mea venirem, quòniam alii Cardinales, Galli præsertim, priuato suo nomine mittendicuntur. Sed de hoc, vt dixi, sanctitas tua, si videbitur, cogitabit, cuius voluntati omnes meas rationes cogitationesque permitto. Ego quicquid sum, quantulumque possum & valeo, Deo optimùm omnipotenti, eiusque sanctissimæ Christianæ fidei, deinde sedis apostolicæ & tuæ sanctitatis nomini, honori, dignitatique deuoueo totum ac dedico. Quo in eodem officio multi doctiores, grauiores, prudentiores habitura est sanctitas tua: deliorem quidem certè, & officiosiorem quam me, neminem. Deus sanctitati tuæ omnia sua vota optataq; secundet. Carpent. XII. Cal. Febr.

M.D.XLV.

XIII.

IACOB. SADOLET. CARD. PAVLO III. Pont. Max. S.P.D.

HOnꝰ cupienti mihi accedere ad ſanctitatem tuam, coramq; illi dolorem meum declarare, quem ex eius domeſtico mœrore & incõmodo accepiſſem, qui præſertim etiam ad me ipſum mœror, propter eximias præſtantiſſimę illius fœminæ virtutes, meamq; in illam & eius liberos obſeruantiam, beneuolentiamque pertineret: cùm hoc ita eſſet reſponſum, nolle ſanctitatem tuam ſilentium & cogitationes ſuas interpellari: viſum tamen non abenum eſt, hoc quicquid eſſet mei ſenſus & animi, ad ipſam ſcribere, & quod præſens non potui, id per literas efficere: vt homiuis amantiſſimi, & tuæ ſanctitati deditiſſimi officio aliquo fungerer. Quanquam hoc ipſum imprimis mihi dubitandum eſſe video: vtrum mœſtitiam tuam lenire verbis, an conſtantiæ eiuſdem, animiq; virtuti gratulari debeam. Cùm enim amiſſa tali filia, qualem tot & tam eximiis ornamentis præditam, virtutis, ingenii, humanitatis, prudentiæ, noſtra nos alteram extuliſſet ętas, nos heſterno die ſanctitatem tuam maximo dolore affectam, & penè afflictam eſſe arbitraremur, eſſetque ei tunc diuina res faciendam nihil ipſa tanto vulnere retardata, in conſpectũ omnibus ſeſe dedit, obiuitque ea, quæ ad religionem & ſummum Deum pertinebant: neque eorum colloquia, qui ab ea aliquid petebant, deiutat it. Talem deniq; ſe omnibus in rebus præſtitit, voce, vultu, ſermonis animiq; firmitate, vt miraremur cuncti, mutuòq; inter nos quæreremus, quónam telum illud abiiſſet, quod tam validè immiſſum in tuum pectus à fortuna videbatur. Sed profectò res ita ſe habet, vt nullum ſit munimentũ nec animi, nec corporis, ſapientia præſtantius: qua ſanctitas tua complures iam annos ſocia, & adiutrice conſiliorum actionumque ſuarum omnium cùm ſit vſa, non eſt quòd vereamur, ne huic nouo vulneri & dolori cariſſima amiſſę filiæ cedat illa atque ſuccumbat. Quòd tamen, quæ eſt & naturæ noſtræ infirmitas, & humanarum rerũ varietas, altius fortaſſe in animo tuo iſte inſedit dolor, quam vt facilè poſſit vel ratione comprimi, vel ea, quam adhibere in omnibus rebus ſoles, ſapientia tolli: putaui mihi eſſe faciendum, non vt te quidem docerem ea, quæ melius multò ipſe noſti, quam quiſquam noſtrum, nos omnes homines eſſe: ea conditione natos, vt nullo habito delectu vel ętatis, vel generis, vel fortunæ, in quemuis noſtrum liberam habeat mors ipſa poteſtatem: neque in re quæ certa ſit, de incerti temporis euentu quæri oporteat: ſi fortè maturius quã expectaremus, accidit nobis id

id quod casurum omnino sciebamus. Cum in hoc præcipuè
prudentiæ maxima insit, vt ad ea quæ incerta sunt, munitè
præparet, in rebus autem certis, natura, non prudentia, habe
dominatum. Non, inquam, vt hæc & his similia multa comm
morem: quæ sanctitati tuæ & longo vsu, & doctrina notiss
sunt: sed vt tibi redigerem in memoriam, quæ nunc maxime
stant, quæ aguntur, quæ premunt, hæc à me opera, coniunctis
ficio, meæque in sanctitatem tuam pietati est susceptæ: si forte
nimus tuus luctu impeditus, minus hæc nunc animaduerte
Quod tamen in tanta tua sapientia, tantaque animi virtute, a
nimè est credibile. Sed tamen in hac orbis terræ perturbatio
cùm alienatis tot gentibus, infensis multis regibus, dissentio
de rebus diuinis & humanis vbique ferè gentium excitata, atq
commota, spes tota rerum meliorum in vnius sanctitatis tuæ a
toritate, prudentia, consilioque reposita sit: non decet profect
talem animum, qui maximis vulneribus Christianæ Reipub. m
dendis atque sanandis, Dei hominumque consensu idoneus q
præficeretur iudicatus sit, paruis ipsum ictibus fortunæ commo
ueri: & in quo Pontifice grauitas, & temperantia, & rerum om
um moderatio, sedem ac domicilium constituisse visa est: in e
dem vulgares hasce & quotidianas animi imbecillitates, non
esse quidem (non enim nec veritas, nec mea vnquam opinio hu
verbo assensura est) sed tamen tanquam insint, ab ignaris a
rum commemorari. Quæ quidem commemoratio mihi in
quàm molesta est. Siue enim magno dolore (vt nonnulli præ
cant) afficiare, non possum non propemodum æquè atque
pro mea in te propensissima voluntate, & in illam mortuam b
neuolentia dolere. Siue hoc vt cætera, moderatè agas, & per
ras: molestum tamen mihi est, summi Pontificis virtutem long
laremque animi magnitudinem in aliam ac debeat partem
imperitis accipi. Sed ego, si rectè noui, (vt mihi quidem vide
quæ sit mens tua, quæ totius vitæ ratio, quæ cura tuendæ seruan
dæque grauitatis: & cùm considero te optimè nosse, quid a
expectetur, qui sit in te oculorum animorumque nostrorum c
iectus, quàm omnia à nutu tuo & arbitrio pendeant: nullo mo
dubito, quin posteaquam naturæ & amori exiguum quid de
ris, tantum videlicet, quantum & humanitas postulat, & ipsa s
nè sapientia nequit recusare, ad pristinam tuam animi magnit
dinem reuersurus: & omissis his omnibus, quæ populi duce &
quorumlibet hominum communia, ad id quod in te est singul
re & proprium nempe orbis terræ, & Christiani generis tutelam
regimen, procurationem, celeriter rediturus sis. Cùm præsertim
illi, quam lugemus omnes, nihil enenerit triste nec acerbum. Se
qua virtute illa inter nos versata est, cùm & gratiam qua plurimu
valebu

uebat, & ingenium quo admirabili erat prædita, & opes quibus egregiè florebat, ad subsidium impotentium, ad tutelam viduarum & pupillorum, ad gratificationem omnium qui ad eius opem auxiliumque confugissent, semper omnes conuerterit atque adhibuerit: eadem virtute sibi ad æternam fruendam beatitudinem muniuerit viam: & velut de domo in meliorem domum, sic è terris in cœlum, Dei illam elementia excipiente, migrauerit: eiusmodi sobole filiorum relicta, quam nostrum omnium spes atque opinio, ipsorum autem nota iam atque perspecta in primisque excellens atque eximia virtus, tali dignos matre, tibi auo suo iucundos, nobis omnibus gratos & venerabiles reddit. Quæ omnia Pater sancte tibi debent esse solatia doloris, firmamenta animi, monumenta diuinæ erga te indulgentiæ & bonitatis, vt cum hæc sanctitas tua meminerit, suisq; cogitationib. proposuerit, referat se ad suam veterem atq; perpetuam firmitatem animi, & constantiam, quemadmodum & nos precamur, & reipublicæ tempora imprimis requirunt & postulant. Vale. Romæ, VII. Calend. Iunij, M.D.XLV.

XIV.

IACOB. SADOL. S.R.E. CARD. PAVLO III. Pont. Maximo S.P.D.

CVm multa sint indicia diuinæ erga sanctitatem tuam beneficentiæ, summæque liberalitatis: tum nullum est præstantius, quam quòd eodem dono nunc Deus propagationem familiæ tuæ, & publicam pacem ac tranquillitatem est complexus. Gemma enim pronepotibus ex summi Imperatoris filia, & nepote tuo in lucem nobis editis: addidit ille quidem decus generi, ornamentum familiæ, subsidium nomini, cuius recens hic partus perpetuitatem quandam denuntiat: sed in tanto priuato sanctitatis tuæ commodo, illa etiam maior in ipsius animo lætitia insidet, quòd omnibus iam suspicionibus penitus elisis, quæ nos solicitos aliquandiu habuerunt, communi Italiæ paci & ocio a Deo est consultum. Duorum enim maximorum principum sanguine in vnum genus, vnamque prolem deriuato, atq; confiato, animos quoq; eorundem in vnum sensum confluere necesse est. Qui sensus, si tuæ sanctitatis consilia valebunt, sicut certe valebunt, ad tranquillitatem publicam, ad quietè Italiæ, ad constitutionem pacis, cuius ipsa tutrix semper fuit, sine dubio spectabit. Quare agimus quidem gratias præpotenti Deo, qui te hoc munere, & tam eximio dono est prosecutus. Facit enim mea in tuam sanctitatem tuam obseruantia, vt nihil tibi prosperum & fortunatum accidat, cuius non sim ego particeps. Sed agimus etiam ob

eam rem maiores, quòd cum tanto in te beneficio, publici q
que boni beneficium coniunxit. Nec verò dubium nobis
quin sanctitatis tuæ lætitia, quæ in illius animo ex hoc expe
to atque exoptato partu iure meritoque exorta est, hac re
sit cumulatior: quòd, quo ipsa ingenio, & qua prudentia pr
est, videt planè & prospicit, suum hoc priuatum gaudium
publicis vtilitatibus esse coniunctum. Etenim habet obs
iam Respublica duos duorum præstantissimorum Principum
beros, qui vtranque nobilitatem in vnum genus iungunt,
spondent pollicenturque nobis omnibus immotam pacem
curum otium, animorum concordiam Romæ & in Italia
quibus quidem muneribus nullum nobis à Deo, in hoc præ
tim tempore, accidere potest optatius. Quapropter gratulor
quidem sanctitati tuæ, quòd eius res, rationes, commoda
immortali curæ esse intelligo. Sed in hac felicitate magis
illi gratulor, quòd non est ipsius commodum à publica vtili
seiunctum. Quòd si beneficia Dei immortalis erga te tanta
sunt, vt videatur mens hominis nihil amplius posse desiderare
rit quoque tuæ curæ & prouidentiæ, ea quæ bene cœpisti, de
lendis hæresibus, de sedandis discordiis, de bonis moribus,
staque religione in Christianum nomen, ordinesque præscr
ecclesiasticos reuocanda: ita gubernare, regere, ad exitum de
cere: vt quoad homini fas est, par tot diuinis & singularibus
nis abs te gratia relata esse videatur. Deus in sanctitate tua
benignitatem perpetuam conseruet, Romæ, IV. Calendas Se
M.D.XLV.

XV.

IAC. SADOLETVS CARD. GVIDO ASCAnio Sfortiæ Cardinali, S.P.D.

CVM tantum in te habeam fidei, quantum & tua præs
probitas, & ad omnem egregiam ac præstantem magni
minis facultatem expectata virtus habere me hortatur: ego
pro amore & obseruantia qua te prosequor, non me indign
ducam, cuius tu aliquam habeas & honoris & voluntatis ra
nem: his de causis adductus, suscipio onus populos hosce me
tuæ amplitudini commendandi. Quos ego quidem verè pater
beneuolentia complector: proq; eorum salute & commodis
boro, etiam aliquanto acrius, quam pro meis. Sed sine vobis, hoc
est, sine auo tuo optimo & sapientissimo Principe, & sine tua
pud eum autoritate & gratia, parum ipse per me prodesse illis
possum. Ita confugiam ad vos necesse est: quos tamen non du
bito fore ad omnia quæ æqua postulabuntur paratissimos. Atque
hi qui

Ibi quidem populi legatos ad Vrbem mittunt, qui aduocatis sibi patribus isthic rerum, Pontificem edoceant, quibus maximè rebus nunc egeat prouincia. Quæ quidem nullum grauius incommodum patitur, quam ex Iudæis: qui maximis priuilegiis, concessionibus, beneficiisque muniti, grauiter hic vexant & populantur Christianos. Neque solùm cladem & miseriam his populis afferunt, sed apud transalpinas etiam nationes ordini nostro & nomini infamiam non mediocrem: quod te ipsum ignorare certo scio. Non enim ingenua tua mens, & voluntas bonitate prædita, hanc tantam iniquitatem vllo pacto ferret. Sed tamen quoniam tuum nomen in diplomatis præscribitur, tuq; videris esse indicem huius rei autor: non putaui alienum à fide mea, eoq; officio quod tibi debere me intelligo, facere te de his rebus certiorem: atque vel monere pro ætate, vel rogare pro summa mea in te obseruantia, vt hæc animaduerteres, haberesque existimationis, & famæ, dignitatis tuæ rationem: nec tuum nomen in re tam inhonesta interponi sineres. Nam quid est turpius, quàm tantopere suffragari Iudæis, idque contra Christianos: & eorum causa ius, æquitatem, vinculum religionis, pauperum iniurias, calamitatesque negligere? Cùm præsertim pateat omnibus, & perspicuum sit, quid sit, quod Iudæos efficiat tam valde gratiosos. Ego, qui tuæ laudi tantum fauco, vt non plus certè meę, quique de te ipse, & cæteris sum autor eadem sperandi, nos te in proximo collegio, & amplissimo ordine, magnum & grauem virum & omni præstantem autoritate visuros esse: cupio: ea abs te iacta dignitatis tuæ fundamenta, super quibus postea ampla dignitatis moles extrui possit. Quapropter hoc animo fretus, & liberiùs hæc ad te scripsi, & tamen non dubito, te in optimam partem omnia accepturum esse. Extremum est, vt te orem, vt horum meorum populorum commodis & saluti tua benignitate & gratia faueas, & suffragere: quod mihi à te futurum est rerum omnium grauissimum. Præstantissimæ omnium fœminarum matri tuæ, quam ego in summo honore habeo, ac mirificè colo, plurimam quælo de meis verbis salutem. Vale. Carpen. Pridie Non. Octob. M.D.XXIX.

XVI.

IACOB. SADOL. CARD. GVIDO ASCANIO Sforiæ S. R. E. Cardinali, S. P. D.

Vt es literis, quas proximè à te accepi, quib. mihi de re & negotiis tuis diligenter respondes: sic imago tota virtutis, ingenij, & probitatis tuę expressa est, vt ego, qui te mirabiliter diligo, eoq; sepius in eam intuens, mihiq; de eo quod iamdudum

feci de te iudicio gratulans, tuas etiam atque etiam litera
in illis te absentem, animo & beneuolentia sim exosculatus.
deo enim atque perspicio, quod mihi maximè in optatis es
genus, eamque familiam, cui ego omnia mea honoris atque
ornamenta refero acepta, non solùm florere virtute & pru
tia maiorum natu, eorum videlicet, qui res summas admini
sed habere etiam in liberis & adolescentibus paratam cer
mam spem, nihil eos à parentum grauitate & sapientia el
flexuros. Quod mihi, qui vobis non minus faueo, quam si e
sanguine esseris geniti: quique omnia mea officia atque fu
vobis & laudi ac dignitati vestræ penitus addicta esse volu
sperare solùm de vobis, sed experiri iam, & reipsa nosse, iucu
simum est. Facilè enim indicant literæ tuæ, verissimumque
cunt testimonium, cuiusmodi tu ingenio, & qua naturæ bon
te præditus sis. Sed hæc & aliàs dicta sunt, & sæpius, vt vide
centur. Quod ad rem ipsam & ad Iudæos pertinet, noli quæso
stimare, humanissime Sfortia, me quicquam illiusmodi ter
t: ipso vnquam profectum putasse: noui enim integritatem, h
genuitatem tuam: nec sum tam iniquus, vt cuiquam vitio v
tam id, quod ab illius abesse iudicem culpa. Alios quosdam ho
catus sum, neque nunc secus suspicor, ad suos, & fidi non in
tos quæstus tuo nomine fuisse abusos. Quod cùm in aliquam
tam recideret tui honoratissimi, & mihi charissimi nomini
meo amore erga te, proque ea qua tuam amplitudinē profec
obseruantia, existimaui liberè tibi à me hanc suspicionem &
relam deferri oportere. Quare quem tu in meis literis stomac
aut quam tecum grauiorem dicas expostulationem, non in
ligo. Scripsi equidem commotiore animo: verùm non irāti
dia adductus, quæ mihi nec ad modum vsitata aut familiarē
& in te certè semper exisseret non iniusta solùm, verùm cer
inepta: quo vtroq; à vitio plurimum me abesse cupio. Sed me
animum misericordia mouerat eorum, quibus non in pecuni
bonis, (nam id esset aliquo modo tolerabile) sed in libertate
corpore, ab hoc improbissimo hominum genere quotidianas
ferri iniurias videbā. Porrò quorum salus mihi ab Deo tanquā
parenti & pastori est concredita, eorum me incōmodis & calā
tatibus permoueri, mirúmne cuiquam videri debet? Et quidē
scio obsoleuisse iam magna ex parte hæc Episcoporum munia
atque officia: plebium enim passim & gregis cura negligitur: s
liarum rerum maior ratio ducitur. Verùm ego clara voce pro
nuntio atq; testificor, me nunquam fuisse, neq; adeò fore de nu
mero eorum, qui hanc animi labē propè inexpiabilem, in altera
illam vitam ante conspectum Dei secum deductam velim. Sum
multis aliorum generum criminibus & delictis premor: ab hoc

equi-

equidem crimine cauebo, quantum Deo adiuuante potero consequi, vt qui meæ tutelæ & fidei erunt crediti, non eorum salutis & commodorum maiorem suscipiam curam, quam meorum. Nec vero huius me animi & sententiæ esse pœnitet: tantam experior in bene agendo, & in virtutis, atque officij ratione ducenda, inesse voluptatem: quam nosse nō possunt, (crede mihi optime Sfortia, qui & ætate longè iam prouectus, & multarum ac magnarum rerum vsu diu edoctus sum) non inquam nosse possunt hanc animi lætitiam, voluptatem, pacem, qui spirituali imperio populis præfecti, omissa cura & diligentia consulendi commendatis suis, ad suas potius priuatas opes, & ad hunc externum splendorem atque fastum studia omnia conuertunt. Quorum quidem cunctorum exitus atque casus, si commemorare nunc vellem, id quod & verè, & copiosè possem facere: equidem vereor, ne ex epistola tragœdiam viderer efficere. Quare ab hoc toto genere sermonis abstinebo: tantùm te rogabo atque hortabor, vt quam spem & expectationem tuæ præstantis eximiæque virtutis, tuæque futuræ summæ amplitudinis nobis excitasti: eam ea spem in nobis, & in cæteris omnibus, præclarè semper agendo, & virtuti ac veræ dignitati seruiendo, tueri, augere, confirmareque non desinas. Quod tibi futurum est (vt alias etiam dixi) in omni & fortuna, & varietate temporum, maximum, tutissimum, iucundissimumque perfugium. Sed vt reuertar ad Iudæos, quod illi ferri & sustineri apud nos debeant, fateor Christianæ hoc esse humanitatis: estque ita nobis à sactis patrum decretis præscriptum. Qui si priuilegiis etiam muniendi sunt, ne afficiantur ipsi iniuria: muniantur sanè: nihil ego in hac re magnopere repugno. Non enim hominibus infensus sum, sed hominum illorum vitiis. Vt verò ad inferendas vltrò iniurias, ad circumueniendos, euertendosque Christianos, tot quotidie decretis concessionibusque instruantur, atque armentur: potestne hoc vllius hominis recta, & pretio ac pecunia non contaminata ratio, aquum esse arbitrari? Liberius tecum loquor, quòd te expertem omnis omnino in hoc genere suspicionis esse non dubito. Quidenim mihi tua probitate, moderationeque perspectius? Sed habeo quos timeam, quos etiam facilius animo designare, quam exprimere oratione possum. At mos hic iam inueteratus est, talibus Iudæos priuilegiis ornandi & fulciendi. Scio, & noui: verumtamen idem ego & video, & scio, propter huiusmodi morem, alios que multos similes, orbis terræ populos, & prouincias iam permultas, ab istius sanctæ sedis nomine & fide defecisse, quas vtinam cæteræ non sequantur, quod ne accidat, paruula modo aliqua mutatione Principum facta vehementer cogor permouere. Sed ne plura de his. Ego si in meis literis, aut prioribus,

bus, aut in his quas nunc scribo, aliquid insit dictum incons
ratius, quoque animo tuo minus accidat gratum: peto a te, u
hi vt ignoscas. Non enim animo lædendi quempiã, teq; omnia
minimè, quem incredibili quodam amore & planè optima
nione prosequor: sed studio subueniendi meis, quibus sum
ctissimæ necessitudinis vinculo obstrictus, liberius interdum
gor scribere. Quæ libertas si imprudentia appellanda est, n
obstabo quin ita appelletur: dum ea cum pietate, & cum pe
ris boni officio intelligatur esse coniuncta. Etsi tuæ quidem
turæ bonitas vt confidam facit meas preces & postulationes
in meliorem partem acceptas fuisse: qui mihi liberalissimè
scribis, te & daturum per te operam, & apud Pont. Max. cum
rum, vt restrixius posthac & cautius cum Iudæis agatur, quam
huc actum sit. Quam ego tuam promissionem in earum rer
numero repono, quæ mihi charissimæ & iucundissimæ sunt. N
enim ea solùm mihi spem facit, forte tua ope & autoritate po
lis meis melius consultum: sed eadem id confirmat, quod ego
te & sentire & prædicare libenter soleo, magnum in te nostro
dini ornamentum, magnos ex te fructus aliquando ad Christ
nam Remp. esse venturos. Quorum vtrunque nobis vt ex sente
tia eueniat, & tu operam dabis, & ego Deum assiduè obsecra
Sed hæc hactenus. Meum erga amplitudinem tuam studium
meaque grata in omneis tuos voluntas, honosque præipuus
lectissimam omnium fœminarum matrem tuam, perpetuò
bis constabit. Vale. Carp. Pridie Id. Ianuarij, M.D.XL.

XVII.

IACOB. SADOLET. CARDINALIS Guido Ascanio Sforciæ S.R.E. Cardinali S.P.D.

ETsi acceperam iampridem à te literas, quibus mihi signi
eabas negotia huius prouinciæ, quà pertinet ad Iudæos, a
per te confecta, easque Iudæis esse viuendi leges impositas, vt
hil iam nos posthac, quod hoc nomine possemus iure conquer
habituri essemus: tamen in maxima mea, quam ex eius literis
pi, lætitia, assiduaque cogitatione tuæ virtutis, quæ mihi in a
mo semper infixa est, ad eas adhuc nihil rescripsi: non negligen
tia, sed valetudine retardatus. Nam cùm tuæ essent eo tempo
mihi allatæ literæ, quo contigit vt minus belle me haberé: pa
ea verò quàm melius mihi esse cœpit, esset iam in expectatio
legatorum reditus, qui harum rerum agendarum causa Roma
missi, de suo iam ex Vrbe discessu literis significarant, commodi
simum duxi eos antè audire, quam ad te scriberem. Qui vtrum
dem aduenerunt, ad VII. Calendi Iulij, omnibus rebus expos
q

cuisin Vrbe gesserant, diplomatisque prolatis, quæ ibidem obtinuerant: maximas apud suos ciues gratias egerunt: Primùm Pontifici Maximo, cuius iustitiam, clementiam, sapientiam, firmnis in cœlum laudibus extulerunt. Deinde tibi, quo vno autore adiutoreque potissimo perfectum esse dixerunt, multis contra nitentibus, & pro Iudæorum causa acriter pugnantibus, vt nobiscum æquum atque bonum, contraque commoda & salutem Christianorum, nihil Iudæorum astutia, nihil importunitas, nihil pecunia, nihil promissio donorum largitionumque valeret. Quam ego laudem tuæ innocentiæ, rarissimæque virtutis, ista præsertim ætate tua, hisque hodiernis moribus omnium honoribus atque fortunis longè anteponendam iudico. Itaque mihi credas velim cùm magna voluptate afficerer, legatis talia commemorantibus, ex lætitia & gratulatione meorum ciuium, quos, vere dicam, pattio animo & Christiana charitate amantissimè complector: tum illud mihi etiam magis ad nouam quandam & singularem animi iucunditatem valuit: quòd te in cuius amore & beneuolentia ardens sum, quem colo atque obseruo, habeoque semper in intimis meis mihi propositum sensibus, iustissimam videbam gloriam consecutum, non solum æquitatis & integritatis, sed singularis etiam constantiæ, eximiæque animi virtutis. Etenim quid vel in bona ratione firmius ea mente & voluntate dici aut cogitari potest, quæ honestate sibi dignitateq; proposita nullis hominum artibus & machinis a recto sensu se dimoueri passa est? vel ea iracundia & permotione animi generosus, qua tu iure optimo incensus, eorum interpretationes & additamenta, qui diplomatis sententiam ad commodum Iudæorum detorqueri valebant, calamo sumpto obliterasti, omniaque ad splendidam & veram rationem rediri voluisti: cùm tu homo adhuc adolescens, fortunæ quidem muneribus insigniter ornatus, sed naturæ bonitate ingenioque ornatior: senum morbos & vitia, tua prudentia corrigeres: nec virtutis tuæ lumen aliorum tenebris commaculari sineres. Ac, vt de ipsa ratione iuris aliquid loquamur, si maioribus nostris, sanctis illis & diuinis viris, non solum verum pietatis & religionis testimonium, sed etiam doctrinæ & summæ sapientiæ tribuimus: viuatur legibus illis, quas de Iudæis illis constituerunt. Quòd si quæ sunt præterea amplius Iudæis data, concessa, permissa, facilè ipsa se ostendunt quibus radicibus nata sint: cùm perspicuum sit apud omnes, non fuisse illa æquitate impetrata: sed nescio quo pacto, occultis certè meatibus, & tanquam cuniculis obtenta. Quid est, quòd isti tam diligenter exquirunt mala iura Iudæis, qui in Christianis optima, perdita, & profligata iacere patiuntur? Neque tamen is ego sum, qui antiquam illam continentiam seueritissimamque

rationem redigi omnia contendam oportere, planè enim im-
go hoc contrarium esse temporibus, nec facilè mores no-
posse pati id quod plus diuini in se quam humani cõtineat:
que Dei misericordiæ amplior apud nos est locus, quòd de
seculi etiam crebriora existunt. Sed tamen modus omnibu-
rebus, & modestia quædam seruanda est. Si sit dandum ali-
Iudæis, semper ita detur, vt ne apertè Christianorum comm-
oppugnemus; vt pupillos, vt viduas, vt homines rusticos &
plices, cæterosque item, qui cum labore corporis victum
liberis, suis manibus quærunt, vel egestate vel insciti
decipi, ab eorum insidiis & circumscriptionibus custodia-
Etsi hoc meum quidem optatum serum iam est: sic enim
hæc genera hominum oppressa hîc atque obruta ære Iudæo
sunt, vt nisi subsidio fuerit tua virtus, & Pontificis optimi
ria, pecuniarum Iudæis debitarum exactio sine maxima cl
vastitate totius prouinciæ, fieri nullo modo possit. Quanquam
tu bona ex parte his malis prouidisti: & nos ad eundem Do
num & patrem, non modò nostrum, sed totius nominis Chris
ni confugiemus, vbi res postularit: cuius tantam benignitat
atque iustitiam in his ipsis curandis de quibus agimus prou
vulneribus paulò antè experti sumus. Nunc cùm res hoc tem
re in optimum locum Pontificis Maximi beneficio, & tuo
adducta sit: populisq; hisce, dignis certè multas ob causas
rum magna habeatur ratio, vel ad remunerandum eorum fi
tatem, vel ad vestræ benignitatis exemplum, quo quidem
cumiectas vndique huic regioni maximas nationes commo
necesse est, oprimè ac liberalissimè à vobis sit consultum:
quum est amplissime, & mihi omni ratione charissime Sfortia
quæ bene acta & constituta sunt, nulla apud vos cuiusquam
chinatione labefactarentur. Scio fore non paucos, qui Iud
rum pecunia conducti (nulla enim alia potest subesse tam
quo patrocinio causa) hæc ipsa, quæ per vos nobis concessa
conabuntur euertere: non solùm obliquis viis, sed interdum
iam recta, & palam: onera & tributa Iudæorum exponentes,
que verbis & querimoniis adaugentes, quæ ærario Princip
illis inferuntur: quæ dependere, nisi habeant ipsi creditarum
cuniarum suo arbitratu exigendi facultatem, Iudæi nequaqu
possint: vt animos vestros nõ splendore honestatis, qui apud
præcipuè semper debet valere, sed vtilitatis & lucri mentio
commoueant. Quos contra dicendum est, Iudæos in his reg
nibus abundare non pecuniis solùm, sed & agri etiam, & præd
rum, & horum bonorum quæ loco moueri non possunt, esse
tissimos, quæ bona ad publicum principis tributum perfolen
dum abundè sufficiant. Ad priuata fortasse tributa nõnullorum,

nec-

neceſſaria illiuſmodi eſt actio, quæ vt cum iniquitate & iniuria impunè fiat, iccirco illæ clàm aliquibus ſuppeditantur pecuniæ. Sed nebæc impræſentia verbis pluribus diſputemus: illud à vobis petimus, quod æquiſſimum eſt, ſi quid fortè aliquando venerit in controuerſiam, resque aliquas reſcindi aut commutari pertinuit fuerit: vt vos meis ciuibus vocatis, locum illis quoque fuæ tutandæ cauſæ præbeatis. Quanquam non hæc nunc admodum nobis pertimeſcenda ſunt, te patrono & defenſore rectiſſimi iuris, qui & in præteritis rebus tuæ optimæ mentis dediſti documentum, & de futuris facis vt eadem confidamus. Nam per Deum immortalem, ſi nos excellens aliquod conſilium, & magnam quandam ſapientiam quærere ſtuduiſſemus, quæ his populis rationem ſuæ expediendæ ſalutis oſtenderet, qui potuimus maiorem, quam in te ipſo reperire? Si fidem, virtutem, abſtinentiam, integritatem tanta ea in te eluxit, tamque illuſtri in cauſa declarata eſt, vt laudis tuæ ſplendor, non contentus iam Italiæ terminis, ad nationes exteras progrediatur. Quorum quidem alterum in tua iſta ætate admirabile valde eſt, alterum in his moribus. Sed vt hæc miſſa faciamus, aut in aliud tempus ea reſeruemus: ego de meo erga te officio pauca tibi exponam. Iamdudum enim eſt optime Sforti, cùm de indole tua & ſpe præſtantiſſimæ virtutis præclarum iudicium feci: porrò ea mihi de te quotidie magis duplicatur opinio. Non enim iam initia in te virtutis, ſed virtutem ipſam intueor, & quidem expreſſam atque perfectam omnium bonarum artium & partium lineamentis, quæ verum tibi honorem & veram dignitatem ſemper allatura eſt. Nam opes hæ, & diuitiæ quæ extra nos ſunt, ſi animus intus à bonis artibus vacuus ſit, nihil omnino ad nos pertinent. Vna, & ſola eſt virtutis integritatisque poſſeſsio, quæ nos faciat beatos. Quam te iam adeptum eſſe, in eiusque poſſeſsione conſiſtere, & gaudeo tibi, & pro tantis erga populos meos meritis debitas gratias ago: quas vt aliqua ex parte aliquando referam, iam nunc multa magnopere videndum & cogitandum eſt. Nos hic confecta nuper conſilium totius prouinciæ conuocaturi ſumus, veſtraque beneficia in medium coram omnibus prolaturi: quo tempore dabitur à me opera, vt quam ad rem hæ gentes ſuapte natura & ponte propenſæ ſunt, meis etiam monitis hortationibusque excitentur, vt non obſcuro videlicet aliquo indicio eorum grata erga vos voluntas, & memoria accepti beneficij appareat. Vale. Carpentoracti, Pridie Non. Iulij. M. D. XL.

XVIII.

IAC. SADOL. CARD. MARCEL. Ceruino Episcop. Neocastrensi, S. P. D.

SCRIPTVM mihi à meis est, te Pontificis Max. benefic
Omnium bonorum consentiente lætitia, collegis meis amic
simis patribus libenter prompteq; sententias dicentibus, in eu
ordinem cooptatum esse, qui maximè istam virtutem, prude
tiam, integritatem, quæ in te est, requirit & postulat. Quo
nuntio ita gauisus sum, vt si germanum fratrem meum co
honore esse affectum cognouissem, non maius ad me gaudium
peruenire potuerit. Faueo enim virtuti: & si quisquam est, q
probos & doctos viros ad honores & publica munera prou
lætetur, eum ego me esse confiteor. habeo enim arctam, & ha
bui semper, cum bonis necessitudinem: nec plus valere apud m
sentio sanguinis coniunctionem, quàm virtutis. Qua cùm te u
mei animi iudicio egregiè sis præditus: cumque tui mores, pu
dor, ingenium, grauitas, semper mihi summè placuerint, quæ ho
etiam illustriora sunt, quòd artium liberalissimarum cognitio
& scientia sunt ornata, non potui non magnopere, & episcop
rum ordini gratulari, & Pontifici Maximo, Farnesioque nostr
clarissimo & spectatissimo iuueni agere gratias, qui talem virum
ad Christianæ religionis gubernacula induxerint: cuius simil
quàm multos si haberet nostra ætas, non tam grauì infamiâ a
que odio apud omneis ferè nationes sacerdotum nomen labora
ret. Vides ipse profectò (potuisti enim iter faciens multa cogno
scere) quanta in inuidia simus apud omnes, quàm malè quisq
de nostris moribus sentiat. Cui quidem incommodo remedium
est opportunissimum, si præficiantur hi ecclesiarum adminis
tioni, qui ad eas gerendas non cupiditatem quæstus, nec popul
rem pompam & iactationem: sed fidem, sed iustitiam, sed reli
gionem afferant. Quod quidem Paulus tertius Pontifex max
mè omnium, quos ego nouerim, Pontificum effecit. Est enim
semper in cœlum tollenda iustissimis laudibus præstantissim
Pontificis virtus & voluntas. Tantum cuperem, vt quod ipse pe
sese facit, cæteros quoque, qui habent nominandi facultatem,
agere idem, atque obseruare cogeret. Sed ego in hæc paulisper
digressus sum, vt intelligas Marcelle mihi charissime, quod t
negotium, & quam in curam sis vocatus: quàm splendidum,
quam amplam, quàm difficilem (hoc quidem tempore) & pen
inusitatam: etsi non eges tu quidem cuiusquam admonitione.
Veruntamen amor in te meus suscipere me partes benuoli ce
re, si minus necessarij monitoris coëgit. Sed quod extremum est,
ego

go & tibi quoq; isti honori, quem iam pridem meritus nunc demum adeptus es, & Ecclesiæ tuæ Neocastrensi, quæ tam spectatum præsidem sit nacta, valde ex animo gratulor. Deumque oro, vt tibi res vobis bene feliciterq; eueniat: tuq; maioribus quotidie honoribus dignus existimere. Quod quidem facto tu perfacile tibi erit, qui & probitate, & prudentia instructus es: nosq; qui te amamus, tuæ nunquam laudi dignitatiq; decrimus. Quandoquidem sanctis honestisq; consiliis, cuiusmodi tua consideratus semper fuerit, Deus, & fortuna, & bonorum amor assiduè suffragatur. Vale. Carp. X. Calend. Octobris, M. D. XXXIX.

XIX.

IAC. SADOL. CARDINALIS HIPPOLYTO Estensi S. R. E. Cardinali, S. P. D.

POSTEAQVAM nuntium accepi de amplificatione dignitatis tuæ, teq; in ordinem amplissimum S. R. E. Cardinalium magno omnium consensu cooptatum esse cognoui, tantum cepi ex tuo honore tuo voluptatis, quantũ & virtus tua, & mea perennis, ac meorum omnium, ab vltimis vsque maioribus penè nostris in familiam tuam obseruantia, & fratris tui clarissimi Principis aduersus me beneuolentia postulat: cuius ego ita multa signa amoris erga me habeo, vt ei me deuinctum non mediocriter putem. Maximum porrò illud meæ in te obseruantiæ & voluntatis vinculum, quòd sub ditione familiæ vestræ omnes mei fere & nati, & educati: neque solùm hi qui nunc sunt, verùm etiam antea qui fuerunt, & sitam ipsi fidem constanter atque integrè vobis præstiterunt, & à vobis ciuilibus sæpe honoribus & præmiis, vtutis causa sunt honestati. Quam ego necessitudinis memoriam & vetustatem sanctissimè mihi conseruandam esse iudico. Atque huius mei animi cùm Alfonsus pater tuus optimus esset testis, si viueret, cuius ego temporibus, quantum salua fide mea mihi licuit, omni in varietate rerum nunquam defui: tum fratrem tuum arbitror non leuia mea huiusce voluntatis signa indiciaque perspexisse. Sed hactenus præterita. Nunc quod huius est temporis, cùm tua virtus & nobilitas aditum tibi præstantissimo in honore, ad tuam declarandam animi magnitudinem, eamq; voluntatem, quam erga Christianam Rempub. habes, aperuerit: quæ quidem Respub. si aliàs vnquam, hoc cùm maximè tempore talibus & viris, & subsidiis eget: primum gaudeo, tibi oblatam occasionem, omnibus ostendendi, quo è genere, quaque ex disciplina, hoc est, quibus ex fontibus honoris, virtutis, nobilitatis, ad commendationem hominũ, famãq; processeris: deq; eo tibi, & generi tuo, nostræq; cõmuni patriæ

tuæ vehementer gratulor. Deinde, polliceor tibi atque confirmo me in tua colenda amplitudine, ea semper officia tibi præstitu-
rum, vt nunquam me non tui cupidissimum atque obsequentis-
simum sis iudicaturus. Et quoniam diuino quodam consilio in
eandem Reip. gerendæ societatem ambo vocati sumus, si nu-
capessendam Rempub. senatoriaq; munera obeunda date
lucris, quod tamen imprimis à virtute tua expectatur, esique
nostri ordinis hominibus ab Deo omnipotente præcipue
positum, vt sententiis in senatu dicendis rectè & fortiter
salsati consulamus: promitto me tibi in ea ratione gerendi
ris ita assiduum comitem futurum, vt præeunte semper
tia & virtute tua, te meæ quoque societatis, & optimæ
voluntatis nunquam pœniteat. Vale. Carp. M.D.XXXIX.

XX.

IAC. SADOL. CARDINALIS PETRO *Bembo Cardinali, S.P.D.*

PVTO esse iam maturum aliquid me ad te scribere: non gra-
tulandi quidem causa, nam etsi tuæ dignitatis amplificatio
mihi atquè grata & iucunda accidit, atque acciderit tibi, quo
iam nomine optimo Pontifici Paulo III. me obligatiorem fe-
ctum esse confiteor: tamen quoniam multa insunt in ea, qua
puram & liquidam lætitiam ad nos peruenire non sinant, ego
mei animi sententia de tuo sensu iudicans, statui illo gratula-
uis munere mihi supersedendum esse. Idque etiam fuit cau
cur nullas adhuc ad te literas dederim, quòd nesciebam quo m
potissimùm vti argumento conueniret. Nunc dimissa mentione
tui honoris atque status (quem tamen honorem Deum tibi
diuos omneis fortunare volo) fraterno nostro more atque in
turo hæc pauca ad te exarare constitui. Ex quibus nosse poss
valere me, hæreréque mihi in animo perpetuam memoriam
absentis. Nihilque mihi magis in optatis esse quàm vt te flore
tem beneque valentem in omneis partes audiam saltem, si n
nus tam maturè quàm ego cupiissem congredi, & de rebus no
stris coràm alloqui contigerit. Nam ego quidem partim cau
& penuria earum rerum omnium, quæ ad victum pertinent,
quo incommodo audio Italiam, & ipsam præcipuè Vrbem pre
mi: partim domesticis meis difficultatibus impeditus (vt ea tan
tùm commemorem impræsentia, quæ necessitatem mihi in his
locis consistendi afferunt) in Italiam hoc anno transire non co
gito. Quod hactenus quidem mihi molestum est, quòd multo
rum amicissimorum & suauissimorum hominum familiaritate
atque conuictu, mihi carendum erit, atque imprimis tuo. Nam
tiarum

tuum enim mihi est, te primo quoque tempore ad Vrbem profecturum esse, atque ibi aliquandiu mansurum. Qui certè si adessem, & tua dulcissima consuetudine ipse fruerer, & tibi quoque ex me aliquas voluptates darem. Nunc hanc ægritudinem animi eis leniam commodis, quæ mihi hîc multa nec iniucunda suppetunt: præsertim his quæ capio ex optimarum artium studiis, quæ me sola adhuc detinent: delectationibus cæteris aut consenescentibus omnibus, vt penitus iam extinctis. Quanquam quod ad suauitatem amicitiæ & familiaritatis attinet, multorum mihi amicorum vicem præstat vir clarissimus Polus, qui apud nos complures iam est menses: quo homine caue mi Bembe quenquam eruditiorem aut dulciorem in congressibus, aut fideliorem in consiliis, aut sanctiorem in omni parte vitæ optimisque moribus existere: præterea summæ ipsum doctrinæ, summique iudicij. Sed quid ago? tibine ego eum laudo, qui tibi ipsi melius notus est, quàm mihi? illud affirmare possum, hòc illius sermones mihi etiam grauiores esse & iucundiores, quòd in magna copia & varietate rerum, de quibus colloquimur, sæpe nobis de te in loquendo incidit mentio, in qua diutius commorari solemus, Priuulo præsertim tuo materiam & copiam sermonibus suppeditante. Florebelium meum tam humanè à te, tamque liberaliter tractari, gratissimum mihi est. Ego illum iuuenem non mediocriter diligo: summaque in spe sum, fore eum huic seculo & suis temporibus ornamento. In quo tua quoque laus non minima futura est, quòd ex domo tua atque ex disciplina, tale ingenium prodeat. Is maximas tibi sæpenumero apud me per literas agit gratias. Quare eum tibi ne commendo quidem, video enim minimè esse id necesse. Hoc te scire volo: quicquid in cuius comitatu & benuolentiæ tuæ contuleris, id me existimaturum in me ab te collatum esse. Vale mi charissime Bembe. Carp. VI. Idus Septemb. M.D.XXXIX.

XXI.

IAC. SADOLETVS S.R.E. CARDIN. *Federico Fregosio Cardinali S.P.D.*

PRIMO illo nuntio, quo te, quanquam absentem & totius negotij ignarum, præclaro tamen Pontificis Maximi de tua virtute & dignitate iudicio, magnoque consensu bonorum omnium, in amplissimum ordinem S.R.E. Cardinalium cooptatum cognoui, cepi equidem eam voluptatem, quam vetus nostra coniunctio, & insignis ac mutuus inter nos amor postulabat. Sed verè dicam, in ea animi mei lætitia & gratulatione, maiorem diuti rationem meæ commoditatis, quam aut vtilitatis, aut digni-

dignitatis etiam tuæ. Nam tibi quidem ipsi pro tui nomin
ma, & multarum ac magnarum celebritate virtutum, quæ
elucent, non multum mihi afferre atq; addere videbatur ill
noris accessio. Ego verò qui talem collegam essem nactus,
in consiliis, coniunctum olim quidem in vita & in amicitia,
etiam in Repub. omni laude virtutis prudentiæque præstan
charissimis mecum constrictum summæ beneuolentiæ vinc
non potui non efferri maximo gaudio: reputans identidem
mecum, spem fruendæ tuæ optatissimæ consuetudinis, qua
quondam neq; dulcius quicquam fuit, neq; honorificentius
restitutam mihi denuò, aut certè ostentatam esse. Video eam
ita res tulerit, vt mihi ad Vrbem omnino sit redeundum,
turum me tecum familiaritatem quidem eandem quam
vtilitatem autem in eo genere maiorem, quòd te optimo
in Repub. consiliorum non tam comitem, quam ducem hab
rus sum. Quod vtrique nostrum hoc etiam arbitror futurum
iucundius, quòd habebimus magnos viros, omniq; præst
virtutis & religionis studio, integerrimos ornatissimosq; Ca
nales, Contarenum, Polum, Bembum, aliosque satis multos,
de Republica optimè sentientes, & animorum concordia &
uitate conuictus nobiscum coniuncti erunt. Hæc igitur era
quæ primo illo tui honoris nuntio ego cum animo meo tacit
agitabam, non tam de te, quàm de me ipso cogitans: qua quid
cogitatione non mediocriter oblectabar. Tibi autem ipsi v
tum subitò gratularer, illa res effecit: quòd statuebam mihi p
expectandum & factum esse, & iudicium tuum. Anceps enim
mi eram, neque certum habebam, quid esses facturus. Memo
ram enim superioribus comitiis, quibus nos adlecti in senatu
fuimus, te vel recusasse quodammodo honorem eundem illu
qui ad adipiscendum facilis tibi fuisset: vel certè non curas
Qua ex re etiam magnam te laudem consecutum intelligeba
Sic enim tum omnes iudicarunt, te magnitudine quadam ani
præditum propè singulari, plus in te ipso & virtutibus quàm
noris, quam in externis istis insignibus repositum putasse. Nu
mutata tota ratio est. Vt enim magni tum animi fuit, negle
honores: sic nunc oblatos vltrò repellere & Pontificis opti
liberalitatem aspernari, superbum certè extitisset. Quam te
tasse offensionem, & Dei vocationi, ac Principis voluntati
restitisse, & mea, & tua, & Christianæ Reipublicæ causa vehe
menter gaudeo. At nunc tibi gratulor, idque ago & animo
micissimo, & incredibili cum lætitia serò fortasse, si dierum
temporis ratio sola putetur. Sed huius tarditatis culpam infirm
tas meæ valetudinis sustineat, quæ me perdiu detinuit, vt hu
ipsemet officio scribendi non possem. Nec tamen in gratulan

ro longior, quando nec tibi id magis, quàm Reipub. est tribuendum: & tu etiam me tacente animum probè nosse & perspecte meum potes. Illud, quod ad priuatum meum erga te officium pertinet, libentiùs commemorabo. Ego cùm te amaui semper, omniquè honore & obseruantia dignissimum duxi: tum tuis plurimis beneficiis affectus atque ornatus, cui plus debere me confiterer, quàm tibi, habui vnquam neminem. Non enim obliuiscor perpetuæ tuæ erga me liberalitatis, & contubernij olim nostri: quo tempore domus & familiaritas tua maiori etiam honori mihi fuit, quàm commoditati. Quarum ego rerum memoriam conseruo, & gratissima mente prosequor. Tulit autem posteriorum temporum fortuna, vt diuersis locis occupationibusque distracti, frui suauitate nostræ consuetudinis non possimus: cuius nunc repetendæ ac recuperandæ spes mihi est oblata. Quæ si mihi, vt cupio atque opto, sic ex sententia processerit, perficiam profectò, vt meæ in te obseruantiæ, summiquè amoris, tu fructus eos percipias, qui maximè vestra amicitia & tua amplitudine digni, tibique præcipuè à me debiti sunt. Vale. Carpent. IX. Calend. Maij, M.D.XL.

XXII.

IAC. SADOLETVS CARDINALIS *Gregorio Cortesio Abbati S.P.D.*

FRVCTVS nostræ amicitiæ, qui ex vsu & congressu quotidiano, communicationeq; sermonum & cogitationum omniũ, percipi vbertimus solet, fuit ille quidem nobis multa & rerum varietate & temporum interruptus: quòd in simili & voluntate, & natura, dissimilitudine quadam curarum atque actionum, & longinquitate regionum fuimus ferè disiuncti. Sed tamen & tua eximia virtus, præstansque optimarum artium scientia, te animo meo præsentem semper constituit: & amicitiæ fides, (sicut ego mihi persuadeo) item me tuo: vt si abfuimus corporibus, animis tamen proximi, copulatiq; fuerimus. At nunc tanto intercullo literarum inter nos facto, quòd propter consuetudinem ad te scribam, ne forsitan mireris, ratio tibi a me mei facti reddenda est. Ego te, Cortesi optime, & doctissime, cùm talem iamdiu virum esse cognouissem, qualem omnes existimant, omnibus ingenij, humanitatis, doctrinæ ornamentis præditum, amare cœpi ab initio non mediocriter: nec communi illo, quo omneis bonos diligimus: sed præcipuè quodam, & singulari amore. Quam animi mei propensionem erga te, secuta aliquot locis inter nos, breuis quidè illa, sed iucunda congressio, confirmauit. Neq; verò postea memoriã vnquam tui, quanquã absens, inter-

intermiſi. Sed quod vſu venire interdum ſolet, vt accidant tem-
caſionesque nonnullæ, quibus ad acriorem amicorum absen-
recordationem animus commoueatur: id mihi nunc contig-
aduentu ad nos, vel reuerſione potiùs, Anto. Florebelli fili-
Quem & ipſum doctiſſimum iuuenem, mihique cariſſim-
cùm per ſe libentiſſimè vidiſſem: tum acceſſio ad eam vol-
tem, quam ex eius aduentu cepi, non exigua fuit, quòd is d-
ſentibus amicis ac neceſſariis meis, ea quæ ſcire cupiebam, ex-
ſuit mihi omnia: in quibus multus de te nobis ſermo, iſqu-
cundiſſimus. Faciebat autem & conditio temporum & nec-
tas rerum communium: quas hodie videmus in graue diſcrim-
adductas, vt in percontando de te diutiùs commorarer: pa-
id mihi ſumens ad animi ſolatium & oblectationem: partim
eam ſolicitudinem atque curam, quam pro Repub. cupio, e-
uertens & referens. Ac mihi quidem in magno meo ac pen-
tolerabili dolore, quem ex Federici Fregoſij, vtriuſq; noſtri
vt tute ſcis, amiciſſimi, ſummi præterea & ſingularis viri ac C-
dinalis, morte acceperam: non mediocris leuatio erat mæ-
inſignium virtutum, & mutuæ inter nos beneuolentiæ com-
moratio. De Repub. autem ita cogitabam, cùm ea tali ſuo tem-
pore, ex tanti viri interitu grauiſſimè eſſet affecta, debere om-
mnes, qui eam ſaluam & incolumem eſſe cupimus, dare opera
& elaborare pro ſua quenque parte, vt ad ipſius gubernacu-
admoueantur, qui ferre illi opem, & ſubuenire periclitanti
ſint. Quo quidem è numero tu cùm ſemper aptus, tum hoc te-
pore præcipuè præſtans eximiuſque iudicaris: cùm reliqua
ſam luminibus extinctis, eluceat virtus, & doctrina, & integ-
tua. His ego curis & cogitationibus excitatus, præter & meam
tuam expectationem, vt ad te ſcriberem, adductus ſum: non o-
moriam tui & beneuolentiam, tanquam obſoletam renouar
quæ ſemper apud animum meum incolumis ſeruata eſſe ſol
recens tibi conſilium meum ſcribens, qui decreui, & ſtatui
habeo, curare atque eniti quantum in me eſt, vt ab iis quæ
nes eſt poteſtas, tui honoris ratio, & vtilitatis ſimul Reip.
tur. Hoc ſi in vrbe & curia preſens adeſſem, agerem fortaſſe
ratiùs & vigilantiùs. Nunc quando abſum longè gentium,
ipſe perſpicis, ita contendam tamen, vt mea mihi ceſſe
conſcientia, quam ego omnium rerum facio longè plurimi,
lum à me officium, quod ſit vel amicitiæ vel Reip. debitum,
termittatur. Tu interim, vt valetudini ſeruias, ſaluumque
bis conſerues, & Iſidorum Clarium tuum, hominem doctiſ-
ſimum, virumq; optimum meis vt ſaluere verbis iubeas,
abs te pero. Carp. M.D.XLI.

IAC.

IACOBI SADOLETI S.R.E. CARDINALIS EPISTOLARUM Lib. XIII. Epist. I.

IAC. SADOLETVS S.R.E. CARDINALIS Gaspari Contareno S.R.E. Cardinali, S.P.D.

PAVLVS collega noster, optimus atque amplissimus vir, dignissimus illa fortuna in qua erat natus, non hac quæ nunc illi obstat, grauiterque infesta est, iter faciens in Hispaniam, Carpentoracte ad me diuertit: cuique mihi aduentu cùm non mediocrem dolorem, tum magnam etiã attulit voluptatem. Videre enim & aspicere hominem eum, quem summè diligo, & affari præsentem, quem absentem desiderare sum solitus, insigni quadam lætitia me afficit. Audire autem et eodem acerbos familiæ suæ casus, & nobilissimam immanitate tetrimi tyranni penè extinctam domum intelligere, sanè vsque eo mihi miserum & crudele visum est, vt nisi eiusdem Poli, cui erat illa calamitas inflicta, virtute & sapientia lenitus esset, modum meo dolori facturus non fuerim. Verum ille, qua fuit in rebus omnibus animi constantia & moderatione est, cum Deo semper se subiiciens, atque illius voluntati obtemperare paratus, de suis acerbissimis rebus, tanquam de alienis loqueretur: suum domesticum quidem incommodum fortiter ferebat: de publico verò Christiani nominis incommodo grauius commouebatur. Cui certè communi Christiano nomini ab impio Rege (si Rex est appellandus is, qui feritate animi & magnitudine crudelitatis iam ne hominis quidem appellationem retinet) nota atq; inaudita omnibus seculis iniuria allata est. Quod tamen ego diuina prouidentia fretus non diu illi inultum futurum esse confido. Sed cum Polo nostro reliqui sermones habiti, qui sunt partim de Rep. rebusq; vrbanis, partim de amicorum & familiarium nostrorũ statu, gratia, autoritate, periucundi nobis fuerunt. In quibus nimirũ de te plurima mentio. Nam nec mihi percontandi, neq; illi commemorandi de tuis dictis factisq; omnibus satietas erat vlla: tanta est vtriusque nostrũm virtutis tuæ opinio, iure illa quidem à nobis susceptа. Quid enim tua prudentia, integritate, sanctitate est illustrius? Sed quò ista in te maiora prædicatioraque sunt, hoc noster amor in eundem te ardentior, disiunctionem à te meam (de me enim præcipuè loquar) molestiorem mihi facit videri. Itaq; quanquam hic multa sunt, quæ me non inuitum detineant: locorum amœnitas, cœli salubritas,

earum rerum omnium, & quidem optimarum [illegible]
tam victumque pertinent: tum [illegible]
populo[illegible]
[illegible]um, qui vt a me diliguntur, ita me viciſſim diligunt
omnesque in meo vultu atque in excubiis quodammodo
acquieſcunt. Tamen vt Romam interdum deſiderem, vos,
mici mei facitis: & imprimis tu optime Contarene, cui
mei ſenſus ita valde ſunt conſentientes, vt nulla noſtram
tuna, ſed iudicio contractam familiaritatem, atq; amicitiam
befactura ætas ſit. Sed nimis longè progredior in his rebus,
nec modum vllum, nec finem habent. Quæ enim meæ erga
neuolentiæ ſimul & obſeruantiæ par inueniri poſſit oratio
re, vt in pauciora conferam, ſcito, me tui abſentis memoria
ma cum fide & beneuolentia retinere. Heri veſperi accepi
be literas, in quibus mihi illud iucundiſſimum, quòd me
rem me faciunt, te libenter meo rogatu recepiſſe cauſas
Bauariæ ſummo Pontifici commendandas: quo nil mihi
efficere potuiſti: neq; item (vt arbitror) tuæ virtuti, auto
conuenientius. Illi enim fortiſſimi ac nobiliſſimi Princ
in cauſa Dei religionisque firmiſſimi, digniſſimi profecto
quorum ab omnibus nobis, quibus Chriſtiana Reipub. eſt
honoris ac dignitatis ratio vel maxima habeatur. Quapro
abs te peto, vt & pro amicitia noſtra, & pro conſtantiſſima
tua, quod iam ſuſceptum abs te eſt, in eo nauiter perſiſtas
que ita geras, vt Duces illi intelligant, me etiam abſen
non deeſſe in vrbe Roma optimorum & diligentiſſimorum
dinalium patrocinium. Iiſdem de rebus ſcripſi ad Ambroſ
Gupembergum, hominem vſu multarum rerum præditum
te vti adiret, communicaretq; tecum cogitationes quaſdam
& conſilia, quibus commodiſſimè rationibus obuiam iri
ranis, & cõſuli eius nationis populis ac principibus poſſit. Q
tu pro tua ſingulari humanitate diligenter audies: relig
ages apud Pontificem maximum, quæ tibi Reipub. vtilia
debuntur: imprimisque ipſum Ambroſium in fidem tuam
cipias, & quoad honeſtè facere poteris, faucas illi tua auto
& gratia in eis rebus conſequendis quas ipſe oprat, te amp
Contarene rogo atque oro. Vale. Calend. Febr. M. D. XX
Carpentoracti.

II.

IAC. SADOLETVS CARDINALIS
Gaſparo Contareno Cardinali, S. P. D.

TE & amici, & optimi atque integerrimi hominis offic
pud ſummum Pontificem, & reliquos noſtros collega

ctum esse gaudeo. Id certè egisti, quod ab vno te potissimùm, & à tua prestantissima virtute potuit expectari: cùm idem tu & gravissimus testis, & verus amicus, & maximè peritus earum rerum, de quibus agebatur, existeres. Quare hoc quoque sit in magno numero tuorum erga me meritorum. In epistola mea ad Genevrees, ea quæ notas legi perdiligenter, totamque rem cum erudirissimo Polo communicaui. Quod in ea scripsi, visum esse Spiritui sancto & mihi, in eo nihil sum equidem elatum neque arrogans meditatus: quinetiam me deprimere volui, ne si tantummodo mihi visum id fuisse dicerem, plus mihi ipse tribuerem, quàm ferri posse videretur. Atque illud dictum tamen dupliciter sum interpretatus: nam & scripturæ sacræ morem loquendi imitari me dixi, & re vera ita esse, vt quæcunque recto & pio erga Deum aguntur animo, ex Spiritu sancto cuncta sint. De iustificatione & iustitia, placet mihi vehementer tuarum rationum contextus & distinctio ex Aristotele sumpta. Sequitur enim certè charitas cursum illum antecedentem, quo ad iustitiam peruenitur: non tamen sequitur eadem charitas (meo quidem animo opinioneque) iustitiam, sed eam ipsa constituit: vel potiùs charitas ipsa est iustitia. Habet enim formæ vim charitas: forma autem est id quod ipsa res. Cùm ergo accediuntur præeunte illa præparatione ad iustitiam, acceditur vna & ad charitatem: ad quam cùm est peruentum, tum iustitia per ipsam charitatem constituitur. Iustitiam voco, non vulgari, neque Aristotelico nomine, sed Christiano more & modo, eam quæ omneis virtutes complexa continet: neque id humanitus, sed instinctu influxuque diuino. Quam ipsam iustitiam quòd talis ea & huiusmodi sit, hoc est Christiana atq; diuina, charitas sola efficit. Hæc orationem fortasse longiorem requirerent, nec mihi fuit in aliis scriptis occasio ista explicandi. Sed quod ad rem nunc pertinet, scito me sentire tecum: ita tamen vt charitas non iam partam iustitiam subsequatur, sed formet ipsa & constituat iustitiam. Qua tamen in sententia tu quoque videris esse. Sed (vt dixi) pluribus hæc fortasse verbis essent exponenda, nec facilè committi epistolæ possent: præsertim his qui iam flagrare incipiunt caloribus. In quibus mei suburbani horti hoc mihi amœniores iucundioresque sunt, quòd eos interdum amplissimus vir Polus noster visere humanissimè, & mihi cupientissimo suauitatis suæ copiam facere non grauatur. Vtinam, iterum dico vtinam, te nobiscum vnà optime Contarene haberemus, disceremus profectò simul viuendo & lætando quibus in rebus beata verè consistat vita. Sed hæc alias. Vale. XIII. Calend. Iunij, M.D.XXXIX.

III.

IAC. SADOLETVS CARDINALIS *Caspari Contareno Cardinali S. P. D.*

POLVS noster, qui à nobis hinc discessit, ita magnum sui
hi reliquit desiderium, vt à cogitatione & dolore anoc
nimum non possim. Non solùm enim beneuolentia erga il
moueor, verùm etiam indignissimæ illius fortunæ miseric
quæ talem virum tam acerbè opprimit, vt omnino virtuti
cam se offerre videatur. Sed certè hos non illius tantùm
tos, sed publicos Christianæ Reipub. casus, quos principes
stri tam lentè ferunt, Deus sibi sumet & prouidendos, & vi
dicandos: atque vtinam non iam cœpisset vlcisci. Ego enim
tum humana ratione assequi possum, non video quem e
Principum consilia sint habitura: à quibus vtinam aliqu
optimus Pontifex noster se emergat. Pro cuius honore & sa
excubo animo, gratiamque me illi maiorem habere iudico,
de me optimè meritus est, si timeam ea quæ accidere multa
sunt, quàm si præsenti illius fortunæ sim gratulatus. Sed quo
de his aliud erit loquendi tempus, id quod mihi fuit in scrib
do propositum, nunc potiùs exequar: vt tibi optime & me
mantissime Contarene, meos hosce populos omni studio co
mendem: in quos ego sum tanta beneuolentia affectus, vt pa
tum charitati erga filios non cedam. Ipsi legatos mittunt ad
bem, qui de incommodis prouinciæ summum Pontificem e
ceant: petantq; remedia suis rebus necessaria. Præcipuè con
Iudæos, quorum est dominatus in his locis nõ ferendus. Nam
priuilegiis istinc muniti sunt, vt planè domini Christianorũ
effecti, cum maxima quidem pernitie & tanquam strage hor
populorum: è quibus quotidie aliquos cedere bonis, & suis la
bus familiaribus emigrare cogunt. Quod nationibus finitim
omnibus, quæ carent prorsus hac Iudæorum peste, & mira
videtur in sedis Apostolicæ imperio, & non sine graui infam
nostra est diuulgatum. Sed ego singula non colligam. Statum
salutem huius prouinciæ tuæ fidei, integritati, iustitiæque co
mendo: vt faueas, vt suffragere, vt te apud summum Pontifice
interponas, quo ea quæ honestè petierint, facilè etiam con
quantur. In quo quàm gratum mihi sis facturus, ne conab
quidem tibi exponere: cùm tu id per te satis cognosse que
Tuum equidem amorem, studium, diligentiam, si alia vlla in te,
in hac permaximè flagito. Verùm pluribus apud te vti verbis, ne
stræ fortassis coniunctissimæ necessitudini non conuenit. Quare
hîc finem faciam: de te id semper optans atque sperans, quod
mihi

mihi ipſiſſimo quantum poſſum: vt repoſita omni in Deo noſtra-
rum rerum ſpe, læto & iucundo animo vitam traducamus. Vale
amplissime, & mihi chariſſime Contarene, etiam atq; etiam vale.
Carpentoract. Prid. Nonas Octobris, M.D.XXXIX.

IIII.

IAC. SADOLETVS CARDINALIS *Gaſparo Contareno Cardinali, S.P.D.*

SVPERIORE anno confeceram quidem ſecundum meum de Auctificatione Eccleſiæ librum: ſed non retractaueram, quod deinde aſtate proximè exacta feci: eumque deſcribendum curaui: quem nunc ad te mitto, tuæ & prudentiæ & doctrinæ totum ſue permittens: teque enixiùs rogans, vt ea qua ſoles humanitate & benevolentia, me & corrigere, & admonere ne graueris. Forſitan ſicio interdum temerè, qui ſententias meas aduerſus tuas argumentationes defendam. Sed debet hoc eſſe (vt ego iudico) in noſtra familiaritate liberum: ne aſſentari inter nos, ſed amicorum vti officio videamur: præſertim cùm editio libri in longum tempus ſit conferenda: & quoad is excuditur ac perpolitur, liceat ſit nobis diſputare & ambigere: nec refellere ſolùm, verùm etiam refelli. Nam cùm edendi quidem dies aduenerit, nihil omnino ſine tuo conſilio faciam. Nec verò habeo in præſentia aut doctiorem quenquam, cuique magis confidam, quàm ipſum te: aut amantiorem etiam mei. Atq; ego quidem obtundere te non deſino, & in tua grauiora ſtudia importunus irrumpere. Sed ignoſce mihi, facere aliter non poſſum: ea eſt opinio mea de te, ea ſpes & expectatio amoris erga me tui, vt quicquid ego agam, quoquòue modo me geram, nihil omnino aſſequi mihi videar, niſi id & communicatum tecum, & abs te potiſſimùm approbatum fuerit: Facit autem naturæ tuæ bonitas, humanitas, liberalitas, vt non liberiùs ſolùm ad te adeam, verùm etiam audaciùs. Sed vt ne de his plura (etenim vereor, ne hæc quæ dicta ſunt, in tanta noſtra coniunctione amoris & animorum, etiam primis multa eſſe videantur) habes librum, quem vt perlegas totum, & accuratè excutias rogo. Multa ſunt in eo de ſacramentis Eccleſiæ conſcripta contra Lutheranos: in quibus ſi non doctrinam & ingenium, mea tamen voluntas in veræ pietatis ſtudio egregiè conſtans apparebit. De quibus rebus omnibus exquiro iudicium tuum: itq; preterea te precor, vt cum ampliſſimis collegis noſtris, & concordiſſimis fratribus, Fregoſio, Bembo, Polo, mea lucubrationem communices. Neque vrgeas tamen, niſi tantum, quantum eos videris in legendo oneris atq; curæ libenter velle ſuſcipere. Ne fortè dum ego meam vtilitatem quæro, aliis moleſtus

stus sim: & præsertim iis, quorum ipse omnes solicitudines
lestias meo labore atq; ærumna redimere paratus esset
rum numerum addes Rodulphum Pium collegam nostrum
gnissimum (meo iudicio) qui in summorum & optimorum
dinalium numero censeatur: eundemq; præterea amantis
mei. Sed ne tibi præscribam omnia, ages in meorum scripto
lectione & correctione, quod tibi ex fide tua & amicitia
æquum rectumque videbitur. Nos hîc optimè valemus: in
ris assidui sumus, nec in suauitate huius vitæ quæ mihi in
cis proximè accedere ad cœlestem illam vitam alteram vid
quicquam habemus quod nos angat atque turbet: nisi
dum Reipubl. statum, quam video quotidie in deterius
Quòd si priuatim quoque aliquid aliquando sentimus
stiæ, id omne nascitur ex eo desiderio, quo tecum & cum
ris similibus tui nonnunquam esse, & viuere cuperemus.
hæc Deus viderit. Tu vt valeas tibique vt persuadeas, me
mni mente, & ex omnibus sensib. penitus esse tuum, a te
atq; amplissime Contarene peto. Carpent. III. Calend. Feb.

V.

IAC. SADOLETVS S.R.E. CARDIN. *Reginaldo Polo S.R.E. Card. S.P.D.*

QVANQVAM literæ tuæ, quas Idibus Nouembris
dedisti, seriùs ad me allatæ sunt: easque ego ineunte
tio accepi: tamen quoniam in illis tuum nomen, & tua mi
spectâ, eademq; semper dulcis, insignis erga me benenol
ostendebat: non illæ semel à me, sed sæpiùs etiam atq; etiam
lectæ sunt, cùm te mecum quasi loquentem in illis videre
re: tuamque illam mihi non ignoram virtutem, humanita
comitatem, in eisdem recognoscerem. Qua dum frui mihi
licitum, quamdiu videlicet mecum in his locis commor
nihil meæ felicitati deesse existimabam. Nunc absentem
mo requiro, vt in magno dolore diremptæ suauissimæ co
diuis nostræ, tui tamen nominis memoria & recordatio
nostri amoris, magnoperè me sustêtet. Atq; ego quidem
cessum tuum cùm solicito diutiùs animo nuntiũ de te exp
tandem aliquando literis tuorum, quas Paulus acceperat,
factus essem, te in eum locũ, quò maximè optâras, hoc
nam, & ad vtriusq; nostrum hominem amantissimum,
dignissimum qui ab omnibus nobis ametur, Episcopum
nensem, tutò peruenisse; statim exhilaratus animo, lite
te dedi, quas tardiùs suspicor ad te fuisse perlatas: aut ne
quidem. Siquidem habeo Roma sat recentes, in quibus

culinostri mentio nulla fit, cùm tamen dierum ratio apertè indicet, literarum reddendarum tempus iam præteriisse. Sed quicquid acciderit de literis, non est in chartis, neq; in atramento positum nostri amor: sed in cordibus vtriusq; nostrum, non tam inscriptus ille quidem, quàm inustus, vt deleri non possit. Quod quoniam neutri nostrum de altero potest esse dubium, huius facti commemoratione omissa, ad ea quę sunt huius temporis veniamus. Quanquā quòd Simonetę nostri mortē in tuis literis desides, nihil facis alienum humanitate tua: planeq; ego agnosco quantū mihi in eo tribuas. Scio enim te mea imprimis causa, illius summi viri casum ægrè ferre: quem mihi amicissimum, & tu esse intellexeras, & ego re ipsa quotidie experiebar. Sed etsi rationes affers, quare minus dolendum nobis sit: ego quę & sapientiæ, & autoritati tuæ assentior: tamen illud efficere non possum, vt meo arbitratu dolori moderer. Non sum equidem ita institutus, sed ita sum natus, vt quos amare semel cœpi, quod multis de causis sæpe accidit: præcipuè autem eam ob causam, cùm me amari intelligo mutuò) eorum amissionem molestius feram, quàm videatur hominis in rebus fortuitis multum exercitata ratio postulare. Quamobrem facere non possum, quin desiderem illum mortuum: multisq; & magnis illius officiis virtutisq; priuatus, non incōmodum meum lugeo (est n. id degenerosanimi) sed familiaritatem hominis, sed integritatem, sed fidem, constantiamq; amicitiæ, quam ille mihi cumulatissimè præstabat, vehementius requiro: quod absque dolore animi fieri non potest. Vt enim illi nihil euenerit mali, quod quidem ita esse pietatis sum, cùm audio eum cùm sua pietate, tum Dei fretum bonitate & clementia, non solùm alacriter, verùm etiam libenter è vita excessisse: habet tamen amor aculeos quosdam, quos difficillimè vitare viri boni possunt: qui me pungunt & stimulant, & in recordatione faciunt dolorem. Sed opinor his nos modum constituemus. Simonetę memoriam & nobis ipsi seruabimus, & in precationibus eam Deo subiicemus: quod vnicum iam est fidelis nostræ amicitiæ officiū. De te ipso mi Pole, quòd Romā salius pemeneris, quòd ipso primo in introitu in duo lumina nostri ordinis inciderís, Contarenum & Bembum, quod fueris ab optimis, amicissimis, præstantissimisque hominibus summa cum lætitia & hilaritate acceptus, & gratulor tibi, & mihi plurimum gaudeo. Videor enim mihi quasi vobiscum vnà adfuisse. Etenim quid tādem interest, vtrum gaudeas ipse an lętantibus amicis simul gaudeas? quin maior etiam (meo iudicio) voluptas est, gaudere gaudiū amicorū, quàm suum. Siquidem vbi plus officii in, ibi maior esse animi lætitia solet. Vos ergo inter vos complexu quę vestro, ego absens auditu vestræ iucundissi-

mæ congressionis lætatus sum. Si tamen ego absens, qui d
per me suspicor, & ex tuorum literis intelligo, plurimùm
inter vos sermonem de me fuisse: cum in ore trium optimo
atque omnis penè memoriæ, honore, ingenio, innocentiæ
ctrina ornatissimorum hominũ, meum nomen versaretur, (
ego iure iamdudum treis elegi, in quibus mea studia omnia
ficia collocarem: quos haberem in amore & in obseruantia
eximios. Hîc est tibi Pole videndum, ne, quod in literis tuis
vt mea erga te officia verbis magis augeas, quàm illa merita
facias idem apud alios: ne ea in te, quæ cæteris in rebus abun
in hac re vna duntaxat prudentia requiratur. Quid enim ego
quod sit vel minima laude dignum, aut quod non tibi multo
ius à me officiosiusque deberetur: Si communia quædam o
quæ in mediocreis etiam homines conferri solita sunt, in
omnium præstantissimum virtute, nobilitate, dignitate, con
iccircóne videbor magnum quid egisse, quodque tu tam g
& amantibus verbis prosequaris? Imò ego, qui te certè amo
loque mirabiliter, rusticitatis tamen meipsum condemno,
nesciui quemadmodum voluissem, & quemadmodum tuæ
lens dignitas postulabat, beneuolentiam in te meam tibi d
rare. Quare cùm tua commemoratio meorum erga te offic
ruborem mihi potius incutiat, quàm vllam afferat causa
hoc genere quidem, bene de me ipso existimandi: quæso
storque, vt conseruato inter nos necessitudinis vinculo, qu
æternam (vt ego statuo) amicitiam & beneuolentiam co
sumus, reliqua alter alterius officia, non tam efferamus ve
nos quidem, quam cùm opus erit, mutuo requiramus. In quo
semper partes ampliores futuræ sunt, & gratificandi, & bene
afficiendi: cùm non ego solùm, sed mei hi populi omnes, in
ope, autoritate, patrocinio, magnam spei suæ partem repo
habeant. Quicquid porrò meis commodatur, mihi certè co
datur, qui illorum causa nunc cùm maximè laboro. Etenim
scias, dilatio data debitoribus Iudæorum, cuius tu vel impe
extitisti auctor, ad exitum iam adducta est: neque quicquam
iam in expectatione est, nisi vt secundum hoc biduum, comp
tur carcer hominum miserorum, & ad soluendum impotenti
durissimo tempore anni, annona carissima, pauperibus pes
affectis. In quo magnus quamplurimis luctus, mihi animi do
paratus est: cùm tamen interea actorem Prouinciæ satis pr
in vrbe habentes, nihil adhuc humanitatis, & misericordiæ pot
mus consequi. Id credo fit summi Pontificis occupationibus, p
pter quas fortasse aditus ad eum non fuit. Nam illud quidem
hi persuadere non possum, tam sapientem Principem, si cogn
uerit incommoda suorum populorum, non opem illis & re

dum allaturum. Nos interim patiemur acerba, & (vt ego iudico) minimè æqua: sed sunt qui contra putent. Verùm suus cuique sensus, suaq; existimatio est. Apud nos minimum vtilitas, plurimum semper valebit officium atque fides. Nullaque erunt bona veritate & virtute nobis potiora. Sed hæc hactenus. Habeo à Bembo suauissimè scriptas literas: quibus impræsentia valetudine impeditus, accuratè respondere non possum. Epiphora enim tentor, eaque mihi in dentes & gingiuas dolorem iniicit: qua etiam molestia coactus sum aliquot hosce dies studia intermittere, hasceque ad te literas negligentius scribere, quàm voluntas mea ferret. Quin Paulus quoque leniter egrotat: verùm id periereue futurum est, omniaq; iam illi sunt ad salutem explorata. Ille verò & Paulus alter vnà, vel tota potius nostra domus, quæ tua eadem est, eiusmodi & tui & tuorum memoriam conseruat, nihil vt fieri possit, neq; in amore, neq; in desiderio vehementius. Tu Contareno, & Bembo, Ludouico item, & Priulo tuis, plurimam à nobis omnibus salutem. Legi sanctissimæ & prudentissimæ fœminæ Victoriæ Columnæ ad te literas, in quibus illa mei mentionem facit, videturque hic nostram stationem approbare, quod ego incredibiliter gaudeo, mea consilia tantæ esse & virtuti, & sapientiæ probata. Te quidem rogo vti operam des, quò hæc illa ex te, meamque præterea in se obseruantiam beneuolentiamque quam primum intelligat. Nos hîc audiuimus quę comitia habita sunt, ad quæ tu tempore ipso aduenisti: nil dum tamen earum rerum quas cupimus, cognouimus: quæ vbi singula ad nos certiùs & distinctiùs fuerint allata, tum constituemus, qui nobis etiam agendum sit, & quibus, quatenusque gratulandum. Tu valebis, & nos diliges, etiam atq; etiam. Vale. Carpent. XVI. Cal. Febr. M. D. XL.

VI.

IAC. SADOLET. CARD. REGINALDO Polo S. R. E. Cardinali S. P. D.

TVis literis mense Februario ex Vrbe datis, quòd adhuc non responderim, iusta mea hæc apud te erit excusatio, quòd minus commodè valui. Multa enim pituita & alui fluxionib. diu cõflictatus, laboraui morbo, nõ tam periculoso illo quidem, quàm molesto: abfuit enim febris. Sed tamen & meę vires debilitatæ, & corpus vsque eo fuit extenuatum, vt non esset certa, neque explorata mihi ratio salutis. Nunc cum Dei benignitate melius mihi sit, iamque ad literas & studia mea pristina reuerti cœperim: non putaui mihi prætereundum esse, quin ad te primo quoque tempore literas darem. Scito igitur tuas mihi fuisse iucundiss-

mas. Etsi enim constituta amicitia, & amore mutuo perfecto studium scribēdi videtur esse superuacaneum, nisi si quid sit eiusmodi, quod absentiū amicorum scire atq; intelligere interfit: tamen omnis semper cōmemoratio beneuolentiæ iucunda est, etiam si non sit necessaria. Priulum quidē meum concertasse pro causamq; meam tueri & defendere conatū esse, quemadmodum mihi scribis, ita credo. Sed tamen vereor ne magis suum ipse ostentare ingenium, quàm ius meum tutari voluisse videatur. Solent enim magnī isti patroni, qui suæ eloquentię plurimum confidunt, suscipere interdū non bonas causas, vt cū iudicio vicerint non iuris veritas illis suffragata, sed ipsi ius sibi fecisse, & veritatem causæ appinxisse videantur. Qui si in disputatione quam habuit tecum, me amantissimum tui esse dixisset, nec sine aliqua licitudine animi fuisse, quoad tuis de rebus certior fierem: vera egisset, eaque dixisset, quæ mihi vsu certè euenerunt. At hoc fuit satis ingenioso homini, sitamq; dicendi copiam vbiq; stendenti. Iam enim illa non vera, te culpam admisisse, mea multa & magna erga te officia extitisse. Quorum primum in nam naturam virtutemque non cadit, alterum ego non agnosco. Quicquid enim egi tua causa, si quid modò egi, inferius id multò est, quàm tuæ præclaræ virtutes postularint. Nec verò video me egisse quicquam, nisi quod prętermitti sine scelere non potuit. Quin interdum memetipse rusticitatis arguo. Tali enim me viro, qualis es tu, non animus, neque domus, quæ cōmunes sunt, sed salus ipsa & vita debuit esse exposita. At tu, quantum quæso, honoris mihi habuisti? quantum etiam fidei? qui te mihi potissimum & meis tectis commisisti? quod tuum testimonium meæ integritatis, atque officii, cùm mihi vehementer honorificum fuerit, si id cogitasset, & sibi proposuisset Priulus, non ita te in me negligentem, sed me in te potius minus gratum diffiduisset. Sed tamen, quando amore mei adductus, fauere mihi voluit, & quodammodo assentari: diligam hoc nomine etiam hominem necesse est, & amantius complectar, quòd meas absentis partes defendendas susceperit. Quare tu illi plurimam à me et atq; etiam dices salutem. Dialogos de me cum summo Pontifice habitos libentissimè legi, tuamq; pristinam erga me beneuolentiam recognoui: cui nunquam parem gratiam referre potero. Hæc enim ea sunt officia, quæ me vehementissimè obligant. Illud mihi accidit optatissimum, quòd de me reuocatum verbum ab eo nullum. Ad quod, quæso incumbe mi Pole, vt mihi viuere in honesto ocio liceat: quando ista negotia placere mihi non possunt. Qui si nosses quæ nunc sint rumoribus hominū peruulgata, etsi ea fortasse scis, (non n. obscura sunt, sed passim in circulis angulisq; omnibus iactantur) dolore animi mecum vna tabe-

referetes. Erumpunt porrò omnia in illius caput & nomen, quem nos & veneramur, & diligimus, & cuius beneficiis maximè obstricti sumus. Quę ego non commemorabo, ne & augeam dolorem meum, & tibi molestiam afferam. Illud certè patet & perspicuum est, quicquid eueniat in Repub. Christiana aduersi atq; mali, de eo statim homines culpam in nos, & crimen conferre parati esse, vt occultari dissimulariq; non possit, quæ sit omniũ mortaliũm de nobis & de moribus nostris planè iam existimatio. Sed adeamus ab his, quæ præter modum molesta sunt. Contareno meo valdè humanè egit mecum, qui me voluit absentẽ nihilominus participem esse earũ pecuniarum, quę nostro ordini Argentorati, distribui solitæ sunt duntaxat inter præsentes: quod ego profectò nec cogitaui vnquam, nec postulaui: quò etiam illius benignitas erga me eminentior. Nam quod à Casulano mentio facta facta, ille sponte sua hoc egit, nullo admonitu meo. Nõ enim meum est aucupari lucra, nec ea quæ mihi non debeantur flagitare. Sed & Casulanus vir optimus, qui me admodum diligit, mei commodi curam, me etiam inscio, sibi habendam putauit: apud illam præstantem atque eximiam Contareni nostri virtutem, humanitatem, integritatem, video monitore nihil fuisse opus, per se enim ille propensus ad me iuuandum, & omnibus benefaciendum assiduè est. Cui vtinam aliquando referam meritam gratiam: habebo quidem semper. Nam etsi mihi nullum emolumentum, nullaque vtilitas ita est cordi, vt vel minimum velim de mea dignitate propter eam deperdere: tamen habebitæ indicia amoris à summis viris, maximam ego arbitror esse dignitatem. Quapropter abs te peto, vt illi & meis, & tuis etiam (vbi vbi videbitur) verbis agas gratias. Prouinciales hìc nostri tenuissimum in modum diligunt, atque colunt: suamque tibi salutem referunt acceptam. De meis studiis nihil possum tibi impræsentia polliceri: instat enim æstas, quod ego tempus consumere in amœnioribus literis soleo. Librum tuum magna ex parte legi animumque in eo tuum magnum atque præstantem, eopiamque vnà & eruditionem, imprimis verò studium pietatis ac religionis vehementer probaui. Da operam vt valeas. Carpent. IX. Cal. Maij, M.D.XL.

VII

IACOB. SADOLET. CARDINAL. GVILIelmo Poieto Cancellario Galliæ, S.P.D.

ACcepi literas tuas tertio Idus Nouemb. Lutetiæ datas, plenissimas amoris, humanitatis, prudẽtiæ, quę meũ, quod ego tuam de tua præstanti virtute & dignitate feceram iudicium, non

non modò confirmarunt, verùm etiam auxerunt. Ita enim scripta sunt, vt nullum omnino in illis officium, quod vel à sapiente homine expectandum sit, vel benignitati & amicitiæ debitum esse videatur, abs te sit prætermissum. Quodque me mirificè imprimis delectauit, omnia in tuis literis sic aptè, ornatè, grauiterque explicata, tum verbis, tum sentẽtiis, vt mihi videaris, id quod magnorum quidem virorum est, sed tamen non tam valde occupatorum sicut tu, cùm rerum gerendarum prudentiæ, elegantiam quoque orationis vt coniungeres, non mediocriter laboresse. In quo genere laudis (dicam enim quod verum est) expectationem meam longè superasti. Cognoram equidem antea excellens ingenium tuum, & in arduis rebus agendis atque administrandis consilium, diligentiam, industriamq; perspexeram. Non enim mihi tuus animi sensus, & ad laudem impetus fuerat ignotus. Sed re vera in tanto cumulo pondereq; negotiorum, quę tibi maximis curis occupationibusq; districto, quotidie affluant, & superfluant necesse est: quòd aliquam quoq; partem cogitationũ tuarum & temporis liberalib. studiis impertires, non mihi venerat in mentẽ de te existimare. Quod quoniam nunc habeo ex tuis literis exploratum & cognitum, si quid ad eam addi beneuolentiam potest, qua ego te iam pridem singulari sum complexus, erit hæc etiam causa vna cũ reliquis & sancta & grauis, quamobrem tu à me plurimi videare esse faciendus. Sed hæc quæ longiorem desiderant orationem, in aliud tempus differenda sunt. Venio nunc ad ipsas literas, in quibus mirari mihi visus es, quod ego in graui meę dignitatis & libertatis dispẽdio, tantula de re (ita enim scribis) tantopere laborarem. In quo si pecuniariæ iacturæ causa id laboris & molestiæ suscepisse me existimes, obsecro te Poiete charissime vt me hac tam graui infamia desinas onerare. Nihil ego turpius esse iudico, quàm moueri pecunia: & quidem moueri in vtranq; partem, vt vel addaucta nobis magnam lætitiam afferat, vel ablata molestiam. Et tamen recordor scripsisse me tibi, pecuniam mihi leuissimam, honestatem autẽ grauissimam semper esse. Quare desiste, si me amas, hoc tam iniustum de me facere iudicium, quod alienum certè & mea natura, & nostra necessitudine est. Si verò, quod meam læsam dignitatem apud te sum conquestus, id leuius à me factum arbitraris: quæso, quid apud te futurũ graue est, si leuis fuerit dignitas? Sed ego hæc quæ nunc loquor, non ita accipi volo, quasi doleam hæc à te mihi fuisse scripta, non enim ita est: sed quia cupio doctis & sapientibus viris, cuiusmodi tu es, meam & cognitam, & probatam naturam esse, ac voluntatem, quæ ab hisce vitiis illiberalitatis & sordium longè profectò aliena & abhorrens est. Ac ne ad ea quidem respondebo, quæ à te scripta sunt de potestate eorum iudicum,

qui-

gibus vos ecclesiasticas causas & iudicia commisistis. Satis enim in literis prioribus sum testatus, existimare me, nihil neque à te, neque ab isto præstantissimo Rege, sine magna ratione & consilio factum esse. Ad id potius me conuertam, quòd & huic tempori est aptius, & meæ naturæ certè conuenientius: vt & tibi, & nostro optimo maximoq; Regi agam gratias, quòd meæ & quietis, & dignitatis, pro vestra singulari bonitate rationem habueritis. Tametsi intelligo, eas nequaquam à me satis dignè agi posse: vincit enim & Regis beneficentia, & tuum erga me officium, facultatem in hoc genere meam. Ago tamen quantas possum maximas, meq; huius vestri erga me beneficij memoriam perpetuo seruaturum polliceor. Quanquam nec ad meam in summum Regem obseruantiam quicquam videtur posse accedere: nec ad eam quam erga te iamdudum suscepi voluntatem. Sed tamen, siue in hoc portu, in quo me locatum per literas gratularis, & quidem iure, (in eo enim diurnis nocturnisque commentationibus rerum, vt ego arbitror, altissimarum simul & sanctissimarum sum deditus) siue in negotiis & fluctibus actionum, in quos me redire fortasse erit necesse, (non enim ego illam conditionem vitæ asperner, si mihi ea offeratur, quæ in rebus cum virtute & cum prudentia religioneque tractandis, futura sit occupata) siue ergo hic, siue illic, ego meam omnem operam, studium, fidem, amorem, diligentiam, autoritatemque, quæcunque ea in me fuerit, & nostro Christianissimo Regi, & tibi optime Poiete defero atque dico. Cui quidem Regi quòd meum interdum te nomen in memoriam redacturum polliceris, est hæc tua mihi gratissima voluntas: idque vti facias, te vehementer rogo. Quid est enim quod malim, quàm me illi Regi in memoria esse, cui propter altitudinem, nec tam fortunæ quidem, quàm ipsius virtutis & humanitatis, vel notum duntaxat esse, summus honos tribuendus est? Et quidem imprimis ac maximè illius erga me benevolentiam quæro: hac mihi nihil potest euenire optatius. Cætera quæ ab illius liberalitate possunt proficisci, quæ à me vt fluxa, & caduca negligi scribis, non eo quidem sum animo vt mihi negligenda esse videantur: sunt enim bene institutis mentibus egregia instrumenta bonitatis & liberalitatis: non tamen per, eandem & cupiditatem iudico esse petenda. Itaque ego, qui hæc quæ obtineo, quantula ea cumq; sunt, aliena sponte omnia, non mea cura & contentione sum consecutus, si quid mihi quandoque eo modo deferatur, magis iudicio Principis, quàm meo commodo lætor: ob eamq; etiam causam bene de me merentib. maiorè gratiam habeo. Sed de his etiam satis: Tu mi doctissime Poiete me amabis, & totum tuũ duces: dabisq; operam, vt valeas: hoc mihi facere gratius nihil potes. Vale. Carp. X V. Cal. Ian. 1540.

IAC.

VIII.

IAC. SADOLET. S. R. E. CARDIN. Gulielmo Poieto S. P. D.

CVM neminem habeo ad quem libentius scribam, quam te: tum verò id libentissimè facio, cùm quis & tua erga beneuolentia & mea meis tibi literis commendandus est. Qui si aliàs vnquam mihi accidit facere vt deberem, nunc profo maximè debeo: quòd eum tibi cõmendo, cui aut nemnem, paucos certè, in omni laude doctrinæ & literarum iudico esse res. Nec tamen dubito, quin tibi Alberti Pighij nomen sit rum: tanta id & celebritate est omnibus penè in gentibus, & ditionis fama. Nos quidem qui complura eius ingenij mo menta legimus, non solùm probamus scientiam hominis, & ctrinam, quæ multiplex in eo, & varia, & referta est: sed e propositum animi, & insignem Christianæ pietatis cultum. credibile est enim quantum hic vir de fide Catholica, & Chri na religione sit meritus. Is ergo istuc veniens, vt saluter ac ve retur nostrum Regem, agatque cum eo quibusdam de rebus tum sponte sua (est enim tui nominis amantissimus) tum etiam meo: magnam spem habet in te suorum negotiorum ne expediendorum positam. Quæ ne cum spes fallat vehemen simè te rogo. Multa sunt mi Poiete, quæ præclara & egregia cere potes: dedit enim tibi summum ingenium natura, form etiam facultatem. Sed certè nihil videris facere posse præclar quam tales viros in fidem & patrocinium recipere: eisque ad vbicunq; sit opus, opera, gratia, beneuolentia, auctoritate. Q nisi tua præstans humanitas mihi esset perspecta planè & co ta, vterer verbis pluribus. Nunc tantum dico, quicquid in ghium contuleris officij & studij, id à bonis omnibus in eam p tem acceptum iri, vt si tu id, non in hominem, sed in virtu ipsam & doctrinam contulisses: tantum nos & ipsius eruditio tribuimus, & tuæ laudi gloriæq; fauemus. Illud extremum e te velim id quoque existimare, si eum amanter, comiterque n etiam causa exceperis, mihi in ea re gratissimum te factur Ie. Carpentoracti, Idibus Nouembris. M.D.XLI.

IX.

IACOB. SADOLETVS S. R. E. CARD. Gulielmo Poieto S. P. D.

PVTO te audisse, nos omneis qui de Cardinalium colleg sumus, summi Pontificis literis ad Vrbem esse accitos. Is qu

que, etsi ægrè ab ecclesia mea diuellor, mihique cùm hoc iter, tum verò in Vrbe mansio in omnem partem incommoda futura est, tamen quando excusatio, qua vsus fueram, accepta non est: ea quæ huic itineri necessaria sunt, comparo: meque his viginti circiter diebus, profecturum hinc arbitror. Memor autem nostræ mutuæ insignisque beneuolentiæ, statui meum ad officium pertinere, scribere hæc ad te, & tibi, si vnquam aliàs, nunc quidem quàm maximè, meam operam, studium, beneuolentiamque deferre. Futurus enim sum in eis locis, in quibus, quo sim in te animo, multo illustriùs tibi declaraturus sum, quàm declarare potuerim in his, in quibus ad hoc tempus fui. Itaque quæ de laude, de honore, de virtutibus tuis mihi agenda, & commemoranda erunt vel in nostro senatu, vel ad Pontificem, vel apud reliquos ordines, agam ipse per me: nec expectabo de ea re literas & admonitiones tuas. Si quid præterea erit, quod tu meam operam diligentiamque requiras, si me feceris literis tuis certiorem, dabo operam vt intelligas, te id non frustra fecisse. Vnum est, quod ego multo vsu rerum & obseruatione præteritorum euentuum edoctus, animaduerti à vobis, & in memoria haberi cupio: id porrò est, vt sedis apostolicæ honorem & autoritatem, coniunctionemque cum ea, vobis cordi esse omnibus signis ostendatis: hoc enim si fiet, omnia vobis profectò erũt faciliora. Sed sapienti pauca, vt dicitur. Illud etiam à te mi humanissime Poiete postulo, vt omne quicquid ego sum, aut esse possum, regi nostro meis verbis polliceare & deferas. Parum latè fortasse & prudentia mea & autoritas patet. Sed certè quæ ab integerrima fide, & summo amore postulanda sunt, ea illi à me non deerunt, si quid vsu venerit, in quo gloriæ illius & maiestati inseruire possim. Extremum est, vt meas absentis, & meæ ecclesiæ res, negotia, iura, itemque huius patriæ mihi charissimæ salutem & tranquillitatem, tuæ humanitati, fidei, virtutique commendem: abs teque petam, quod tibi pro tua præstanti autoritate agere facillimum est, vt ne quid aut mihi absenti aut meis hic præsentibus oneris, molestiæ, iniuriæque à vestris inferatur. Vale, & nos mutuò dilige. Carpent. XIII. Calend. Martij, M. D. XLII.

X.

IACOB. SADOL. S. R. E. CARD. *Gulielmo Poieto S. P. D.*

ET ijs quæ tibi dudum aduersa euenerunt, pro nostra amicitia vehementer dolui: & nunc, quod audio te tibi esse atque tuis restitutum, pro eadem nostra coniunctione gratulor: etsi videntur fortunæ tuæ aliquid fortasse detrimenti accepisse. Sed in tanta

in tanta tempestate, & maximorum periculorum procella, quod tibi inimici & inuidi tui concitarant, cùm & caput, & fama & fortunæ tuæ essent in discrimen adductæ, saluo capite quomodo euadere, magnum profectò fuisset visum: nisi illud etiam maius multò esset, quòd in tantis inimicitiis potentissimorum hominum, tot insidiis, tam multorum contra te concordi & consentiente calumnia, ad extremum tamē innocentia ipsa tua, rectum sibi ac viam ad salutem inuenerit. Quam ego tibi maximorum eorum incommodorum, quæ cepisti, consolationem esse non dubito. Quid enim nobis est interius, magisque coniunctum, in quo lætari magis iure debeamus, quàm conscientia cuiquisque bene actæ vitæ? quæ in quocunq; inest, is & in aduersis rebus ueritus, & in periculis fidens, & contra omnem calumniam fortissimo animo est: quemadmodum quidem te fuisse ipsa res et indicio. Equidem nunquam ipse de tua virtute ac fide dubitau. Sed vt vulgus est hominum, apud quos Principum longè pollens & grauis est autoritas, vt quisq; in crimen, & in iudicium vocatus est, ita statim non Regi, sed reo criminis culpa infertur: quasi ipsi Reges errare non possint. Quam nunc de te hominum suspicionem, si quæ fuerat suscepta, hæc rebus omnibus diligentissimè excussis, post longam & grauem disquisitionem, tui liberatio penitus extinxit. Itaq; qui antea virtutis tuæ lumen non bene perspexerant, postquam illa prodire in publicum, & certare palam cum iniuria & cum iniquitate coacta est, vicitque tandem ipsa fraudem & improbitatem, non solùm videant illud, sed laudent etiam, & admirentur necesse est: vt maior nunc quidem apud omnes vir appareas, quàm paulò antè fuisti, tum cum in illa occupata & negotiosa vita, tamen eras maximus. Sed illic inuidia, & æmulatio, & iniquorum fraudes plus potuerunt, quàm integritas tua. In hoc autem otio ad quod es compulsus, fœlici (vt ego quidem iudico) & optanda calamitate, cùm tantum valeas ingenio, quantum mihi optimè notum est, tuq; non iuris ciuilis scientia duntaxat, sed optimis etiam & liberalissimis artium ingenuarum studiis instructus, quæ tibi maximè iucunda atq; grata in tali tuo tempore esse possunt: teque (vt antè dixi) & calamitui, & ipsorum inimicorum tuorum de te iudicium, ab omni iam indigna suspicione vindicet: debes (opinione quidem mea) non solum placato ferre animo ea quæ acciderunt: sed gaudere etiam & lætari, quòd ex turbulento & agitato tot ambitionum ac inuidiarum fluctibus mari, in tutum & tranquillum portum aliquando sis peruectus. Quòd si (vt decet virum fortem magnumque) & senseris ita & egeris, cùm meam pristinam de tua virtute opinionem confirmaris, tum istius tuæ firmitatis atque constantiæ uberem apud omnes fructum laudis feres. Ego, sicut fides mea, & nostra

nostra mutua beneuolentia postulat, cùm tibi defero quicquid in me est, aut opis ad leuandum, aut ingenij ad consolandum incommodum tuum, tum tibi imprimis hoc esse persuasum volo, neminem te habere fortasse, qui tui amantior, quam ego sim, esse possit. Qui verò fidelius aut constantius amicitiæ memoriam colamus, habere te quidem certè neminem. Vale. Romæ, V. Idus Nouembris, M.D.XLVI.

XI.

IACOB. SADOLETVS S. R. E. CARD. Ioan. Petro Carafæ, S. R. E. Cardinali S. P. D.

MAXIMA cum animi mei lætitia legissem tuas literas (significabant enim humanitatem & beneuolentiam erga me tuam, quam in alleuando fidei meæ onere adhibuisses: quod ego tum imprimis erga me officiũ à tua virtute & prudentia postulaueram) aiis eædem ad me literæ detulissent querelam quandam multarum molestiarum, quas sustines, & non obscurum iudicium doloris tui, quê video tibi in animo exortum propter temporum calamitates, quibus & intus & extra sic premimur & vrgemur, vt consolationem vllam vix possit quisquam, quamuis sapiens, inuenire. Sed ego qui ad dandum tibi consilium aptus non sum, tamen confido te, cùm temetipsum respexeris, nec extijs quæ extra te, sed quæ in te ipso sunt, expenderis, multas reperturum ad te cõsolandum vias. Omnino cuncta & ab impetu hostium infesta, & festinomb. ac fectis, quæ inter nos ipsos ardent, grauiter vexata sunt: animis præsertim hominum, qui vbiq; sunt his temporibus ac moribus vehementer infensis. Sed tamen in quo culpa nostra non est, id animo æquo omnes ferre debemus. Sed nõ ingrediar ad disputandum, neq; tibi meam sapientiam ostentabo, quæ prorsus nulla, magisq; ea mihi abs te est mutuanda. Quod partiũ est mearum & mei muneris, id facere conabor: vt tibi agam pro tuo erga me singulari merito gratias, quas equidem habeo agoq; maximas: teq; obsecro: vt quę restant ad res illius monachorum ordinis, qui meæ fidei crediti sunt, constituendas, eodem quo infinisti consilio prudentiaque gubernes: quo quidem nihil mihi accidere potest gratius. Vale. Carpent. II. Nonas Septemb. 1539.

XII.

IAC. SADOL. S. R. E. CARD. FRANcisco Quignonio Cardinali sanctæ Crucis S. P. D.

QVAS postremas accepi à te literas, eis non respondi, quoniam tu ex Vrbe per æstatem in alia loca salubriora secessi-

seras. quod mihi idem facere fuit necesse. Et sanè ipsis in cæ-
bus difficilis esse solet scribendi, & quippiam accuratius age-
ratio. Nunc æstate exacta, cùm frigidiora tempora etiam ma-
rius aliquanto aduenerint, quàm soleant, egoque ad intermi-
mea studia reuerti cogitem, nihil mihi prius faciendum pu-
quàm vt ad te darem literas: primumq; gratias agerem de en-
significatione tuæ erga me voluntatis, quam ego mihi bea-
Iam pluribus in rebus iam expertus sum: quas quidem tibi d-
beo & ago maximas. Deinde etiam tibi amantissimè suaden-
aliquando ad Vrbem me referrem, eas dicerem causas, quæ
hîc retineant: vt neque tuo prudentissimo consilio, neque
tibi obtemperandi voluntati satisfacere tam citò possim. Ne
cùm mea istic præsentia aut nullius omnino, aut parui certè
menti in rebus publicis sit: eadem hic his populis non sol-
commoda est, verùm etiam salutaris. Quod enim vel ad vera
religionis normam, vel ad pacem concordiamq; inter ipsos
tinet, non leue habet pondus mea apud eos hortatio & auc-
tas. Deinde multa alia sunt pastoris boni officia, quæ hic prae-
melius quàm absens exequi possum: imprimisque hac ex-
annonæ, cùm impendere fames videatur, compluribus egen-
ferre opem potero. quod, Romæ si essem, facere certè non p-
sem. Vectigalia enim ecclesiæ meæ, quæ per sese magna non
dabunt tamen hic mihi aliquid ad aliis subueniendum facul-
tis: quæ si in Vrbe domicilium haberem, ne meæ quidem ips-
familiæ necessitati sufficerent. Quod etiam ipsum per se cog-
randum est, quomodo Romæ in hoc tanto honore, sine idon-
vitæ adiumentis, quæ in re familiari & vectigalibus annuis po-
sunt, retineri dignitas possit: præsertim cùm alienis opibus v-
re prorsus indignum ducam. Hæc me Pater amplissime, &
me, adhuc hic detinent. Nec tamen hæc cùm ego narro, ama-
aut flagito à quopiam quicquam: non enim meus hic mos, n-
mea vnquam flagitatrix fuit natura: sed eius fortunis quæ-
que ad manũ sint, bene & liberaliter vti, semper magis propr-
viri esse existimaui. Pontificem porrò maximum, cui me tot-
debeo & iamdudum tradidi, video ipsum carere hac distribu-
ecclesiastica vectigalia facultate, principibus omnia ad sum-
bitrium trahentibus: quibus me subiicere, & ad eorum acce-
fores, consilium non est. Nec tamen ita vrgeor cupiditate
bendi, vt non hoc statu, in quo sum, possim esse contentus. V-
enim inter hos populos & diligens eos patria charitate: & (v-
dere mihi videor) ab eisdem etiam dilectus. Quæ amoris mu-
consensio vitam beatam facit: præsertim cùm est ad Deum, &
summum bonum relata. Quos ego nunc populos tuæ comm-
dem fidei, iustitiæ, integritati, est necesse. Illi enim ad Vrb-
nostr-

nium mittunt, quò doceant ſummum Pontificem de incommodis prouinciæ, quibus illa premitur. Eos igitur tuæ æquitati & ſapientiæ ita trado atque commendo, vt maiore animi ſtudio commendare non poſſim. Quicquid certè in illos beneficij, patrocinij, auxilij, contuleris: id mihi ſic futurum eſt gratum, vt ex tuis plurimis erga me meritis, hoc vel maximũ ſemper omnium ſim iudicaturus. Vale. Carpentor. pridie Nonas Octob. 1539.

XIII.

IACOB. SADOLETVS S. R. E. CARD. *Dionyſio Cardin. Sancti Marcelli, S. P. D.*

AD eam voluptatem, quam acceperam ex amplificatione tuæ dignitatis, (quòd iſte honos cùm ſimilibus tui, hoc eſt doctis viris prudentibuſque defertur, gaudere ſemper ſoleo) acceſſit ſuauitas literarum tuarum, quæ me ita affecit, cùm commemoratione tui priſtini erga me animi, tum declaratione præſentis voluntatis: vt ego, qui te antea tacito potius quodam de tua virtute iudicio, quã aperta amoris ſignificatione diligebam, quod nulla admodum inter nos interceſſerat conſuetudo: nunc exiſtens tuis, tam amanter, tamque honorificè de me ſcriptis, non amem ſolùm, ſed tanquã amiciſſimum, & familiariſſimum, omni animi mei ſtudio & beneuolentia te amplectar. Equidem ſentiebam optimè de te, nec tam mea ſponte, (non enim fuerat noſtra inter nos, egoque multis & magnis meis difficultatibus abſtrictus, diutius in Vrbe eſſe non potui) ſed eorum teſtimonio, quos ego vehementer cùm probarem, intelligebam ab illis te quoq; probari. E quibus vir clariſsimus, & mihi quoad vixit amiciſsimus Symoneta, multa mihi narrare de te ſolitus erat. Sed iam nullum amplius quæro de te teſtimoniũ: tuæ enim virtutis, tui ingenij, tuæ humanitatis, ſatis mihi graues & certas literas tuas miſiſti teſtes. Quæ ita ſcriptæ ſunt, vt neq; ornatus in verbis, neq; in ſententiis prudentia deſit. Quanquã in eis mihi tu quidem plus tribuis, quã ego intelligo me poſſe ſuſtinere. Sed hoc amori in me tuo aſsignandum eſt, & illi, de qua modò locutus ſum, humanitati. Quod autem ad amicitiæ fidem pertinet, quæ iam inter nos & pro collegio, & pro ſimilitudine ſtudiorũ debet eſſe inſtituta, atq; cõiuncta, primũ de iſto honore, qui in te iure ac meritò collatus eſt, tibi gratulor, deq; eodẽ mihi gaudeo: ſi quidẽ omniũ rerũ inter amicos cõmunicatio eſſe debet. Deinde memetipſum tibi, & mea omnia ſtudia, omnemque beneuolentiam ita defero ac trado, vt ſim gratiſsimũ habiturus, ſi tu in eis, à quib. te diligi putas, me Principẽ locũ velle obtinere duxeris. Quẽ ego animũ cum cæteris tuis virtutib. & ornamentis debeo, tum ei præcipuè,

quam singulariter præ te fers, beneuolentiæ tuæ erga me, & v-
luntati. Vale. Carpentoracti, Idibus Februarij, M.D.XL.

XIV.

IACOB. SADOLETVS S. R. E. CARD.
Dionysio Cardin. Sancti Marcelli, S. P. D.

ALTERAS habeo iam à te literas, similes prioribus & h-
manitate & beneuolentia: quæ mihi fidem prorsus faci-
me abs te diligi. Quod cùm ita sentiam, certoque opinor: de-
existimare, si me arbitrare dignum eis studiis, quæ ambobus
bis communia, & ad integritatem morum ingenuitatemq; na-
ræ animos informant, in quibus ego & ætatem meam cõsum-
& tu excellente, vt video, ingenio versaris: non tibi me conce-
rum, vt in amore, aut vllis in officiis me vincas. Nam si quo-
mihi datur occasio, fauere soleo doctis viris, idque mea spon-
nulla intercedente nec re, nec familiaritate, quòd vno tan-
doctrinæ nomine ad eos amandum & complectendum adduc-
quid facere debeo erga te, à quo sum prouocatus? præsertim cu-
& tua præstans doctrina, compluribus aliis virtutibus, & vi-
summo honore præclaroque omnium hominum, Pontificio-
primis maximi, & totius nostri ordinis de tua dignitate indic-
non comprobata modò, verùm etiã ornata, illustrata, & in alt-
edita sit? Quæ res etiam effecit, vt ad cæteras mutui inter n-
amoris causas, Collegij coniunctio, & sanctissimæ necessitudi-
vinculum accederet. Sumus enim vterque nostrum diuino q-
dam nutu, in societate bene gerendæ Reipub. nõ solùm eius-
munere officij, sed animorum etiam, & studiorum consensu-
copulati. Quæ cùm se res ita habeat: nec iacta solùm inter n-
amicitiæ fundamenta, sed ipsa super extructa, & planè iam ex-
firmata amicitia sit: dabimus operam vterq; vt in amore om-
busq; officiis, alter alteri satisfacere cõtendamus: in quo erim-
semper fide & beneuolentia pares. Cætera vt fors feret, aut ego
factis ipsis atq; officiis vincam, aut æquissimo animo à te vinc-
Illud quidem prior faciam, in quo tuæ partes iam apparebunt
periores, te vti rogem, vt meam absentis dignitatem, vbi op-
erit, defendas & tueare. Vale. Carpent. IX. Cal. Maij. M.D.XL.

XV.

IACOB. SADOLETVS S. R. E. CARD.
Dionysio Card. Sancti Marcelli S. P. D.

NON mihi opus esse arbitror longo tecum proœmio vti, &
laborare in ipso scribendi principio, quò tua mihi bene-
leuo-

satis concilietur. Satis enim ea mihi, non meo quidem merito, sed tua humanitate parta & quæsita est. Cum enim ad me binas literas misisti, obsides tuæ erga me beneuolentiæ & voluntatis: tum te ipse mihi dedidisti: tum te obligasti, quasi ex pacto & conuento, nihil quod amicitiæ & officio deinde deberetur, te mihi negaturum. Itaq; fidenter accedo ad te, non minus te mihi obligatum ex literis illis, & fide viri boni esse existimans, quàm si te omnib. sponsionũ verbis obstrinxisses. Sed grauius ne aliquid expedes aut vereare: scito id me petere à te, quod & mihi ad petendum honestissimum sit, & tibi ad tribuendum largiendumq; facillimum. Id porrò huiusmodi est. Annus hic agitur tertius, ex quo ego, cùm me Carpentoracte retulissem, aggressus sum opus laboriosum sanè, atque magnum, vt de ædificatione Catholicæ Ecclesiæ conscriberem: illud mihi præcipuè propositum habens, vt quoniam hæc quæ nunc est, & nominatur Ecclesia, vehementer labefactata est, nec potest (vt ego ex omnium gentium aduersus nos odiis, & graui apud cunctos inuidia nominis nostri, magnum in timorem venio) ab extremo suo periculo longè abesse: ego pro loco, & pro pietate, qua Deo conseruatori meo sum obstrictus, exemplum eius incolumis atque integræ, quoad per me posset, absolutum & perfectum in literis expressum relinquerem. Quo liceret vti, si quis attendere animum vellet vel ad hanc sulciendam reparandamq; Ecclesiam, quæ iam ad procumbendum vehementer prona est, & inclinata: vel ad nouam & firmiorem illam, super idem tamen fundamentum, constituendam. Hoc ego animo erga Christianam Remp. affectus, sumpsi onus huius laboris atque officij, maximè id conuenire honori & professioni meæ reputans: iamq; instituti operis duos libros absolui, & tunc in tertio lucubrando versor: neque laboribus in eo, neq; vigiliis parco. Contendo denique, atque nitor, vt habeat hoc à me Resp. cum boni & amantis ciuis sacerdotisque officium, tum testimonium meæ perpetuæ sententiæ & in se voluntatis. Sed horũ duorum qui confecti sunt librorum, prior anno superiore à me ad Virbem missus, in manus tuas (vt opinor) non incidit, neque habeo impræsentia idoneum eius exemplum quod ad te mittam: idq; cum habebo, certè summissurus. Nunc cùm secundum mittere ad amplissimos viros, mihique & Reip. imprimis amicissimos, Contarenum, Fregosium, Polum, Bembum: mandaui isthic meis, vt post quàm ij legissent, meum ipsi librum continuò ad te deferrent: quem, te oro atq; rogo Dionysi doctissime, vt attentissimo perlegas: meq; tibi monendum, & vbicunque opus sit (fore autem opinor in multis) etiam reprehendendum & corrigendum suscipias. Nam ego quidem hoc corrigendi reprehendendique officio, modò id ingenuè & beneuolo animo fiat, nul-

lum ab amico homine nec gratius possum expectare, nec op-
tius. Quid enim est reprehendi, nisi alieno labore fieri melior
Et sanè is ego sum, qui in meis scriptis, præsertimq; recentib.
nimum mihi confidam. Itaq; audio libenter cunctorum opi-
nes: iactariq; in manibus doctorum hominum mea scripta, a
excuti cupio: quo deinde ex omniũ iudiciis atq; dictis, quod
lius sit, & verius mihi eligatur. Interea quidem (id quod me
petrare æquissimũ est, petere & precari ab omnibus soleo) vt
quis ex meis scriptis, quoad illa sunt sub alienum iudicium sub-
cta, quicquã decerpat, in quo se putet quasi consignatam ratam
habere meæ sententiæ autoritatẽ. Etenim qui se submisit alie
iudiciis, nihil adhuc ipse habet decreti & iudicati. Qui verò
expectato idoneo tempore, res etiam nunc dubias, tanquã cer
accusant, & in earũ autores inuehuntur (quo à genere homin
& mihi est nonnunquam, & multis sæpe probis negotium facess
tum) hi profectò magis maleuolentiam suam iudicant, quam
terius innocentiæ labem & detrimentum afferũt. Sed hæc adu
sus aliquos fortasse necessaria: tecum quidem, mi Dionysi, ne
oportuna, neq; apta est oratio: nisi quatenus querelam & dolo-
rem horum temporum conferre cum amico, & communicare
cundum est: quod ego sanè tecum & amanter, & liberè facio.
quo verò & mei optati ac postulati ratio, & tuæ virtutis atq; h
manitatis vis tota consistit: te obtestor atq; oro, vt legere acc
ratè meum librum, meq; admonere & docere audacter omnib
de rebus velis: vt quoniam ego & in doctrina, & in beneuolen
tua maximam spem repono, id per tuam fidem ac diligentia
consequar, vt ex fontibus scientiæ & eruditionis tuæ, mei tem
riui vberius irrigentur, tuaq; opera & ope fluant pleniores. C
ego tuo officio, magnam profectò gratiã, & eam perpetuam d
biturum me confiteor. Vale. Carpent. XVIII. Cal. Aprilis 1542.

XVI.

IACOB. SADOLETVS S. R. E. CARD. *Dionysio Card. Sancti Marcelli S. P. D.*

CONTIGIT mihi in te, quod haud scio an nemini, vt cu
te luxisse mortuum, repentè nec opinato nuncio tuæ sal
& incolumitatis, ex summo dolore ad summam lætitiam tra
cerer. Sic enim fuerat ad me scriptum, te contracto in Hetru
morbo, in oppido Luca opinor, grauiter ægrotum, delatum Flo
rentiam, post aliquantum temporis diem extremũ tuum obtis
quæ res animum meum valde perturbarat. Nam cum propter
signem beneuolentiã, qua te sum complexus, & quę est cùm am
citiæ nostræ, tum tuis virtutib. debita: tum verò etiã, quòd bre
tes p

tempore post meam à vobis digressum, multis ex nostro ordine clarissimis viris, eisdéq; mihi amicissimis & me & Remp. fortuna spoliarat: mihi tua mors cumulum maximum attulisset doloris, nisi meliora Deus de vtroq; nostrum constituens, & tibi salutem, nobis quidem peroptatam, reddidisset: & mihi molestiam, ac moerorem absterfisset. Cui quidem Deo omnipotenti & immortali maximas (vti debeo) & meritas gratias ago. Nunc mi Dionysi, quoniam saluus & sospes nobis es restitutus, tuæ erit posthac virtutis & diligentiæ, dare operam, eniti, efficere denique vt valetudinem bonam tuearis & custodias: nosque qui te diligimus, certis de te nunciis quotidie afficias: quod erit nobis absque omnium rerum gratissimum. Illud quidem arbitror à me peti non oportere, vt conserues memoriam nostri: non enim dubito, quin par mihi in officio & in omni fide beneuolentiæ esse velis. Tantùm te rogo, tibi vt persuadeas, me & percupidum & perquam esse tui. Vale.

XVII.

IAC. SADOLETVS S. R. E. CARDIN. *Marcello Ceruino Cardinali S. P. D.*

CREDO amorem nostrum mutuum non egere testib. Etsi enim non admodum magno inter nos vsu & familiaritate coniuncti fuimus, propter occupationes quidem vtriusque nostrum, quæ impedimento fuerunt: tamen neq; ego vnquam de tua erga me beneuolentia dubitaui, neq; tu potuisti dubitare de mea. Itaq; & cùm de te, tuaq; virtute, modestissimisq; moribus, optimum semper iudiciũ fecissem, lętatus sum maiorem in modum incremento & amplificatione tuę dignitatis: & posteaquam in istum locum atq; honorem sublatus es, quo esses erga me animo liquidius etiã cognoui: optimo videlicet atq; amantissimo: quemadmodum & Ludouici Beccadeli, hominis officiosi & prudentis, sepeliterę, & tua in meis meorumq; negotiis opera ac benignitas aliquoties iam declarauit. Quare cùm constitutam habeamus inter nos eam amicitiæ necessitudinem, quæ ex morum, & studiorum, & (vt opinor) etiam sententiarum similitudine maximè stabilis & sancta existere solet, mutuaque illam & pari inter nos voluntate tueamur: æquum est, vtrumq; nostrũm alterius ope atq; consilio, in his quæ vsũ quotidie veniunt, ita vti, vt eiusdem amicitiæ officia non verbis tantùm, sed factis etiam & rebus ipsis vsurpemus. Ac vt breue faciam, quod abs te postulo, id huiusmodi est. Cùm esses anno superiore in Gallia, legisti primũ meum de Aedificatione Catholicæ Ecclesiæ librum. Sic enim ad me scripsit Triuultius noster: id fuit mihi nõ mediocriter gratũ,

verùm gratius etiam fuisset, si idem fecisses quod ille, vt me his, quæ tibi visa essent minùs commodè in eo libro à me scrip admonuisses. Soleo enim ego hoc maximè à doctissimis exp re, vt eorum labore & annotationibus lucubrationes meæ melliores: neq; arbitror alia in re magis elucere officium id, amicitiæ debeatur, quàm in hac solicitudine atque cura, quis susscipit, quò alterius famæ & existimationi bene sit co tum. Hoc ego à te & tunc desideraui, & nunc expeto: vt tu nuo quidem & beneuolo animo, sed tamen audacter liber reprehendas, quicquid tibi videbitur in meis scripsis esse rep fiendendum. Ego enim cùm aliorum opiniones & sententiæ dio, cum mea in manibus iactata scripta, & multorum obiec nibus veluti excussa sunt: tum colligo memetipse, habeoq; de ctum, & quod probabile mihi ac verum visum sit, id sine vlla uata cupiditate in meas lucubrationes libenter transfero: toq; facilè sententiam, si rectius esse videatur. Veruntamen quàm hoc fiat, diuq; mea scripta sub alienum iudicium subie sunt: non arbitror esse rectum, ex meis dictis, si qui forte in error aut non bona ratio sit deprehensa, de me ipso iudicare enim aliorum iudicium expectat, nondum vtitur suo. Quare qua est eorũ ratio, qui scriptorem accusant de iis rebus, quæ illi qui scripsit, nondum sunt probatæ nec ratæ. Sed tu non co numero es, qui natura ingenua, & liberali doctrina, & singu temperantia ac bonitate es præditus. Cùm igitur mitterem ad bem secundum mei illius operis librum ad Amplissimos colleg nostros, Contarenum, Polum, Fregosium, Bembum: mandau meis, vt posteaquam ij legissent, illum ad te deferrent. In quo te atq; rogo mi optime Marcelle, vt hanc eius perlegendi oper sine etiam molestiam, non grauatè recipias meæ vtilitatis cau tribuasq; hoc cùm amicitiæ nostræ, tum humanitati etiam tu vt tuo labore, cura, diligentia, meus liber efficiatur correctio primùm in his, quæ ad integritatem religionis pertinent: quam ego sanctè, atq; piè semper per me esse cultam volo. Deinde, si mea fortè in scribendo libertas cuipiam molesta esse possit: præsertim eorũ, quibus omnia me debere & nunc confiteor, & sem per professus sum. Nam quod ego Christiano animo cupiam o dere emendatiorem Ecclesiam, quàm ea nunc sit, nunquã cess inficiabor. Quòd verò huius præclari operis gloriam atq; fruct ad eos optarem potissimùm peruenire, qui à me summo honore & obseruantia coluntur, Deum immortalem testor, nihil me to quam cupiisse ardentiùs. Et fuerat quidem ab initio egregiam susceptum iter, sed postea nescio quo pacto aliquantum de via declinatum est. Nec tamen video, quid ad illam præclaram & sempiternam laudem, firmamentum non nominis solùm atque fam-

fama, sed posteritatis etiam & generis, horum mortalium & terrenorum bonorum possit comparari. Sed de his satis. Fac mi Marcelle humanissime vt valeas, nosq; tui amantissimos vt diligas. Vale. Carp. 17. Calend. April. M.D.XLI.

IACOBI SADOLETI S. R. E. CARD. EPISTOLARVM LIber XIIII. Epist. I.

IAC. SADOLETVS S. R. E. CARDIN. Ioanni Mariæ Monttio S. R. E. Cardinali, S. P. D.

ADVENTVS huc Poli amplissimi collegæ nostri, & magnum mihi dolorem attulit, vt tu quoq; futurum videras, & non minorem etiam voluptatem. videre enim hominem amicissimum vtriq; nostrûm, summa ipsum virtute, summa temperantia, modestia, sanctitate vitæ præditum, sanè iucundissimum mihi fuit. Eundem autem videre tot appetitum iniuriis, atq; alienæ impietatis & crudelitatis scelere, in tantas, & tam graues coniectum calamitates, certè nõ mediocriter mihi molestum accidit: cùm præsertim non amici solùm in eo incommoda, sed Christianæ etiam Reip. vulnera, vno & eodem tempore, dolere & miserari cogerer. Atq; ipse quidem, quo animi robore, & qua erga Deum pietate munitus est, ferebat res aduersas fortiter atq; constanter. Ego verò qui nequaquam simili virtute præditus sum, cùm me afflictarem in eius acerbis casibus, illo ipso consolatore subleuatus sum, cui me afferre solatiũ magis oportebat. Atq; is vnum diem apud me cùm fuisset, ita à me discessit, vt præter pristinam meam de illo opinionem, nouam etiam admirationem suæ spectatissimæ virtutis in animo meo relinqueret. Sed quo mea tamen in eius aduentu lætitia foret vbenior, tuæ suauissimæ & mihi iucundissimæ literæ fecerunt: quas cùm audè legerem sic familiariter scriptas, ita mihi Deum propitium esse opto, vt omnes meos sensus intimos incredibilis quædam voluptas pertentabat. Videbar enim mihi tecum tunc esse, & in tuo illo familiari vultu requiescere: cuius si mihi præsentis facultatem fortuna tribuerit, crede mihi eos exigam fructus, qui nescio quo pacto olim à me prætermissi sunt, cùm tua ista dulcis amabilisq; natura nondum se mihi totam patefecisset. Illud nollem, quòd in Epistola tua mihi nimis magnum imponis onus iudicij & testimonij tui. Et si verum audire vis, is mihi visus est in tua simplici, & aperta scribendi comitate, quasi quidam næuus inuenire: quod à nostris familiaribus epistolis abesse debet. Nam si de eo, in quo me laudas, respondendum à me tibi sit,

nihil ego video esse in me, quod non idem in te multò fr
stantius. Alia præterea multa tibi egregia adsunt, quæ ego co
memoraturus impræsentia non sum nec commissurus, vt a
te genere scribendi abstinere cupio, in id ipse genus incid
Quare agamus inter nos, vt cœpimus, cùm liberè, tum am
ter: ad quod (vt mihi intelligere videor) vterque nostrùm na
ra propensus est, quanquam aguntur à te omnia venustè. E
meum in Italiam reditum, nisi Pontifex isthuc, aut ad concil
venerit, vsque in mensem Septembrem differre cogito. Dequ
re dedi ad summum Pontificem literas. Hic non desino & l
& scribere: quid effecturus operis sim, nescio: meditor certe
clara. Sed non vt volumus (inquiunt) verùm vt quimus. Qu
quid egero, vtar tuo quoque iudicio. Tu vt valeas mi M
suauissime atque amplissime, totumque me tibi addictum
persuasum tibi habeas, amoremque istum tuum erga me
perpetuum conserues, te etiam atque etiam rogo. X. Calend
prilis, M. D. XXXIX. Carpent.

II.

IACOB. SADOLET. CARDINALIS Nicolao Rodulpho Cardinali, S.P.D.

NOLI putare, me, quòd ad te adhuc nil scripserim, qui
memorem factum esse: non sic virtus tua nec mea natu
postulat. Nostra autem inter nos vetus necessitudo cum sum
mea erga te obseruantia coniuncta, etiam illud exigit, vt colo
te cùm presens, tum absens, præcipuo quodam officio & indu
beneuolentia: quod facturus semper sum, abs teque vicissim p
to, vt quem mihi amorem tuum multis in rebus præstitisti, e
dem pro tua præstanti humanitate conserues: meque absentem
omnibus rebus, quibus fuerit opus, defendas & tueare. Ego
quid vsu venerit, quo tuum patrocinium mihi sit expetendum
confugiam ad te, nisi tibi id molestum futurum sit: non propt
naturam quidem, sed propter occupationes tuas. Nam illa se
per in te plenissima humanitatis fuit. Occupationes verò ef
ciunt interdum, vt non sit nouis curis & cogitationibus locu
Sed tamen in tuis assiduis studiis, procurationeque Reip. nonn
hil mihi loci vacare in tuo animo vehementissimè cupio: quòd
mihi receptus vbi ad tuam fidem confugiendum erit: quod p
test in dies singulos contingere. Non sum oblitus, nec verò q
quam obliuiscar, quibus me officiis & beneuolentiæ significa
nibus prosecutus fueris, cùm proximè Romam veni: quo quidem
tempore non prius penè pedem in Vrbe, quàm in tuis benefici
posui. Cura enim potissimùm ac diligentia tua domũ egregiè in

ctum atque ornatam ipso meo ingressu statim sum nactus. Quæ tua bonitas ac liberalitas altius mihi tum hæsit, quàm vt facile sit verbis explicare. Non enim ego is sum qui meum commodum magis, quàm ipsius commodi autorem amem. Fontem enim beneficiorum magis specto, quàm ipsa beneficia: qui quidem bonis amor est. Eundem igitur in me animum tuum si conseruaueris, Rodulphe humanissime, gratissimo omnium & optatissimo beneficio me affeceris. Sed ne multis, totum me tibi & tuæ fidei benevolentiæque dedo, atque commendo. Vale Idib. Ianuar. 1519. Carpent.

III.

IAC. SADOLET. S.R.E. CARDIN. NICOLAO Rodulpho Cardinali, S.P.D.

NOx obliuione mutuæ benevolentiæ nostræ, rarius ad te do literas, quam forsitan vsus veteris nostrę coniunctionis postulet: sed pudore quodam id fit potius: quòd vereor, ne tuis gravioribus curis intempestiuus obstrepam. Nam mihi quidē otiū est (vt rate scis) ablenti à negotiis publicis: si tamen in tantis calamitatibus Reip. otium cuiquam aliquod esse potest. Sed tamen ex alterius voluntate non dependent actiones meę, quas ipse mihi ad meum arbitrium comparo. Itaq; mihi ad scribendum tempus suppeditat, & soleo ego amicos libenter salutare literis. Sed ea (vt dixi) ratione deterreor, quod metuo, ne occupationibus illorum molestus interueniam: tuisq; præsertim, qui publicis negotiis priuata etiam tua & domestica addidisti. Non n. tu, vbi à senatu dimissus es, refers te continuò in otium, aut vllam partem temporis desidiæ & cessationi das: sed Reipub. curas, illa domi præclara artium optimarum studia excipiunt, in quibus ætatem tuam recte collocandam putasti. Est autem hoc tempore non modò prudens hoc consilium, verùm etiam vnicum propemodum & solum salutare: parare sibi quenq; domi ad bene beateq; viuendum copias. Cum enim videamus quantò labantur in deterius quotidie rationes publicæ, cur non domesticis bonis nos ipsos muniamus? quorū bonorum (vt tu optimè nosti) caput omnium est, cū cęterarum quidem liberaliū artium, tum Christianę imprimis Theologiæ scientia. Quanquam vos quoq; arbitror, sub sapientissimo Pontifice aliquid isthic opis atq; auxilii cadenti Reip. esse reperturos. Equidem qui lætis rebus, & ex sententia fluentib. à strepitu isto Vrbis & curiæ ab honoribus & pompis æquo animo absum: idem si quid durius increpuerit (quod quidem Deus omen in barbaros hostes cōuertat) promptissimè accurram: nec tam vt parū consilio vos iuuem, (istud enim in me exiguum sanè, &

parui

parui admodum momenti est) quàm vt pietati meæ erga Rem[illegible] satisfaciam. Sed vt ad id quod primo proposueram reuertar, [illegible] pio maiorem in modum, doctissime humanissimeque Rodulphi vt me, siue loquentem tecum per literas, siue etiam tacentem manere tamen semper in eodem amore & obseruantia erga tibi planè persuasum habeas. Vale. Carpent. VII. Calend. Decem. M.D.XLI.

IV.

IAC. SADOLETVS CARDIN. IOANNI SAL-uiato, Cardin. S.P.D.

NE me fortè putes tui oblitum esse, & quoniam de gloria [illegible] brum, quem tuo nomine scribendum susceperam, non [illegible] persequutus, in alias me curas & cogitationes remotas à nostra amicitię memoria aduersum esse: accipe argumentum multò gra-uius, (vt ego arbitror) & vtriusque nostrum personæ accommo-datius: quod ego de Extructione catholicæ ecclesiæ exorsus [illegible] tuoque id nomini dicaui, vt quoquo modo possem, tuis erga me meritis gratiam aliquam referrem. Huius ego operis duos iam [illegible] bros confeci: sed cum prior liber aliquanto videretur esse limi-or, non duxi procrastinandum, quin mitterem eum ad te, vt per-spicere primò quoq; tempore posses Saluiate amplissime, quam in intimis meis sensibus fortiter inhæreres. Videbantur duo ad huc restare libri, quos vt absoluam atque perficiam, maximę qui-dem mihi curæ est. Sed omnino magnitudine rerum impediebo-tur vis ingenii nostra: etsi animo quidem sumus alacres, sed co-piis haud ita firmi. Est autem quòd Deo habeatur à nobis gratia, quod hoc otium, quod oblatum fuit nobis quasi fortuitò, ita fuit expetendum, vt nobis diuina quadam sorte donatum fuisse vi-deatur: quo in hisce curis, & splẽdidissimis (vt ego iudico) animi mentisque agitationibus, traducere tempus possemus. Quan-quam non desunt in hac quoque licet exigua meæ ecclesiasticæ diœcesis procuratione, occasiones honestissimæ, quæ virtutem prudentiamque requirant: quam vtinam nos præstare sic posse-mus, vt ea & sæpe à nobis, & vehementer exquiritur. Sed tamen cùm illam animi iucunditatem, quę ex rectè factis suauissime percipitur, præcipuè nobis propositam habeamus, Deo bonis (vt scribitur) mentibus occurrente: nihil est quod non illius ope & auxilio freti, in nostro munere obeundo, & suscipere posse, & age-re confidamus. Quod ad studia bonarum artium pertinet, quan-do quidem nec mihi in otio consenescendi consilium est, & nihil nunc præstantius propositum est quod agamus, potes existimare, Saluiate, me & diurnis & nocturnis lucubrationibus ac vigiliis,

assiduam operam daturum esse, quo laboranti Christianæ Reip. si non subsidium per me repugnantibus temporibus, ac subueniendi tamen cupiditas, & boni sacerdotis officium præsto esse videatur. In quo duplicem assequar fructum. Nam & religioni prestabo pietatem quam debeo, & multorum à me insignium præstantiamque virorum, quorum mihi & virtus & dignitas est cordi, nomen ac memoria literis mandabitur. Verùm hæc posterius. Illud te rogo, vt cùm liber satis apud te fuisse videbitur, Romam postea illum ad Contarenum nostrum remittas: ad quem ego hac de re scribo, vt ibi quoque tanti viri grauitate & scientia, & eorum quos ille adhibuerit iudicio, diutius perpendi & omni ex parte excuti diligenter possit. Quando quidem quæ de religione scripta sunt, non erratis solùm, sed etiam omni vel minima errorum suspicione carere debent. In quo nos libenter doctorum hominum iudicia reprehensionesque subire semper parati sumus. Tu valebis optime Saluiate, & nos quod facis diliges. Carpent. V. Idus Decemb. M.D.XXXIX.

V.

IAC. SADOLETVS CARDINALIS *ALEXANDRO Cæsarino Card. S.P.D.*

NON sum ausus dare ad te antehac quicquam literarũ, quòd cùm res non esset vlla digna quę scriberetur, inanem sermonem literarum tibi iniucũdu fore putaui. Etsi me quidem ad scribendum sępius stimulabat cùm mea insignis erga te obseruantia, simul & beneuolentia: tum illud iudicium quod ego de tuis eximiis virtutib. præclarum iampridem feci: posteaquam cognoscere cœpi in senatu tuis audiendis notandisque sententiis, quę tua esset in Christiana Rep. mens, quam rectus sensus: vt prudens, & apta consiliis explicandis, ex tuo ore manaret oratio. Verum, vt dixi, retinuis occupationem & grauitatem tuam, nihil adhuc ad te scripsi. Nunc cum & magna res mea agatur, (siquidem nihil mihi ab his populis qui in fide mea sunt, esse disiunctum potest) & in tua non solùm autoritate & gratia, quam ego permagni facio, verùm humanitate etiam & bonitate, magnam mihi spem habeam propositam, ea consequendi, quæ huic prouinciæ salutaria esse possint: constitui scribere ad te, & tibi vel imprimis causam populorum meorum commendare: omni te animi studio deprecans, vt quanquam mea erga te merita nulla admodum sint, quæ cuperem equidem permulta esse, quo meum erga te studium atque animum cognoscere potuisses: tu tamen nobilitate & liberalitate naturæ tuæ adductus, suscipias horum patrocinium populorum: atque in eis rebus obtinendis, quas ipsi iustas honestasque

que petierint, fautorem illis & patronum apud summum Pontificem præbeas. In quo non mihi solùm rem gratissimam feceris, hancque tibi gentem in perpetuum obligaris: sed consulis etiam officio & dignitati tuæ. Nam & nobilitatis est, plurimos homines beneficiis comprehendere: & horum populorum in erga sanctam apostolicam sedem ea est fides, tam insignis constantiaque obedientia, vt non videam qui illis in hoc genere virtutis fidelitatis pares habendi sint. Itaque quicquid illis datur, illi di apostolicæ & ecclesiasticæ autoritati datur. Quapropter et tuæ etiam atque etiam fidei, benignitati sapientiæque commendo. Quid postulent, & quas querimonias deferant, ipsi te per legatum & suarum rerum actorem edocebunt. Nec tamen grauiore malo premuntur, quàm Iudæorum, qui, incredibile est quantis & quam variis hanc totam prouinciam damnis iniuriisque afficiant. Quos ita ferre, vel ita fouere potius, non solùm plebibus pernitiosum est: sed nomini etiam nostro apud transalpinas nationes turpe. Verùm tu hæc melius pro tua summa prudentia considerabis. Ego pro officio meo, & quòd hos populos verè paterna charitate complector, tantum capio de commodis & rebus eorum omnibus curam, vt maiorem certè de meis capere non possim. Quo etiam maius tuum erga me hoc beneficium futurum est, quàm si pro meo ipso aliquid laborasses: cùm horum hominum susceperis defensionem, quorũ mihi salus & tranquillitas in intimo corde penitus infixa est. De hac eadem re dedi & sacrum collegium nostrum literas: quas tecum iussi antea communicari, vt cum iudicasses reddendas, tum redderentur. Vale amplissime Cæsarine, & mei absentis tibiq; deditissimi, res (vt principuè decet nobilitatem) tibi habe commendatas. Iterum & iterus Vale. Carpent. Pridie Non. Octob. M.D.XXXIX.

VI.

IACOB. SADOLET. CARDIN. ALEXANdro Cæsarino Card. S.P.D.

QVA virtute, qua autoritate & constantia, causam horum populorum in Vrbe tutatus esses, fuerat mihi quidem à me scriptum, inprimisq; a Carolo Gualteruccio, qui & mihi amicissimus est, & tuæ amplitudinis (vt multis ex rebus cognoui) studiosissimus. Sed nouissimè legatus prouinciæ huc reuersus, apertius omnia & certius explanauit: idemque demonstrauit Cæsar suis, quòd vetera iura & beneficia Romanorum Pontificum, quæ huic nationi, pro singulari eius erga istam sanctam sedem pietate & obedientia sæpius concessa, tributaque sunt, noua Pontificis approbatione firmata fuerint: tua id potissimum autoritate

te de gratia fuisse effectum. Quam legati orationem commemorationemque maximi abs te accepti beneficii, summa ab his populis laus & summa beneuolentia consecuta est. Itaque nomen tuum in magna nunc gratia & gloria est. Nos autem cogitabamus, vt primum esset messis facta, conuocare totius prouinciæ consilium, facereque omnes, earum rerum, quæ in Vrbe essent gestæ, participes. Quod cùm fiet, si bene ego horum hominum animos perspectos habeo, non commissuros puto, vt in ingratos tantum tuum donum collatum esse videatur. Nec tamen vltra progredientur, quàm vt de fructibus prouinciæ aliquid in istam Vrbem mittant, quò patronis & defensoribus suis optimum suum animum possint declarare. Sed hæc quæ alienæ potestatis sunt, parcius a me sunt prædicanda. Quod autem propius ad me ipsum pertinet, cùm intelligam, te in hoc patrocinio populis meis præstando, magnam honoris mei habuisse rationem, & ad tuam præstantem beneficamque naturam aliquid momenti & ponderis addidisse eam beneuolentiam qua me prosequeris vellem equidem; sed non inuenio apta verba, quibus tibi agam meritas gratias. Sed tamen quas oratione exponere non possum, vt tibi aliquando rebus ipsis referam, omni amore, fide, studio, diligentiaque curabo. Quapropter hoc officium in tempus aliud magis commodum reiiciamus. Ego, quod semper maximo opere optaui, postea quam sum tua bonitate consecutus, vt in tuam clientelam atque recipierer: te rogo atque oro Cæsarine præstantissime, vt eodem erga me animo esse perseueres. Principia mei absentis tuendi, atque fouendi, à tua nunc libera voluntate profecta sunt: fuerunt enim tota humanitatis & liberalitatis tuæ. Nunc legem tibi ipse benignitatis constantiæque nullisque quidem lege summi viri, & nobiles, & magnitudine animi præcellentes, libenter astringi solent. Quorum tu similis & par, etiam hoc genere virtutis atque officii nemini futurus es secundus: vt qui se tibi semel addixerunt, eos tu semper tua gratia autoritateque protegas. Ego quæ meę erunt partes, operam assiduè dabo, vt neque de tua erga me beneuolentia, neque de mea in te obseruantia rubore vnquam vllo afficiare. Vale. Carpentor. Prid. Non. Iulij, 1540.

VII.

IAC. SADOLETVS S.R.E. CARD. IACOBO Symonetæ Cardinali, S. P. D.

ACEPI literas tuas, datas XVIII. Calen. Septemb. cùm tu Vincentiæ id tęporis esses: quibus summa cũ mea voluptate, non semel, neque bis, sed sępius lectis, in mentem mihi venit cogitare,

gitare, quid tu tibi tandem appetens, cùm multarum iam sa-
tiarum gloria laudeque floreres, nostras etiam artes nobis e-
ptum veneris: in quibus nos, qui ætatem in illis cõsumpsimus, e-
damus iam necesse est tuorum scriptorum vbertati & elegan-
Ita enim scriptæ literæ tuæ grauiter, ita ornatè, ita copiose fu-
vt non quæ in iurisconsulto, sed quæ in summo requiritur ora-
re copia facultasque dicendi, ea in te omnis insit. Sed profe-
verum est quod dicitur, qui egregio ingenio sit præditus, cum
omnes artes, omnia disciplinarum genera, facilem aditũ intro-
tumque habere. Quod tibi doctissime Symoneta contigit: qui
inter iureconsultos nostræ ætatis habeare omnium iudicio con-
sultissimus: non contentus vna laude, vt cæteris quoque in lite-
ingenuis & liberalibus emineres, studio tibi omni esse elabora-
dum putasti. Verum mittamus hæc quæ satis sibi ipsa perhibe-
testimonium, meo vt testimonio nihil indigeant. Ad illam tuam
eximiam præstantemque humanitatem conuertor. Tantum te
quæso, amori tuo erga me indulgere potuisti, vt eis me laudibus
afficeres, quæ longè iustius conueniunt in te, quàm in ipsum me.
Etsi ego quidem illa legens, quæ tu mihi in tuis literis tribu-
gaudio quodam afficiebar penè singulari. Non ea quidem in me
cognoscens, sed de tua in me tam insigni beneuolentia mihi pro-
gratulans. Quanquam eo quidem me esse animo non iudicio
erga Remp: quo tu prædicas. Sed multa nimirum me deficiunt, vt
illi possim & vtilitati esse, & ornamento, quæ ego à te petam, ei
vsus fuerit: teque ducem mihi & autorem rectorum consiliorum
tam in ipso senatu, quàm in cæteris rebus propositum habebo.
De oratione mea sic volo te existimare monita mihi omnia vel-
de tua placuisse. sed accidit casus sanè mihi molestus: vt in ipso
motu rerum, cùm Roma migrandum nobis esset, iterque Nicæ-
versus ingrediendum, schedula illa deperierit, in qua annotatio-
nes tuæ perscriptæ erant, cùm saluas tamen literas tuas mecum
extulissem. Quare postea orationem meam relegens, quantum
consequi memoria potui, correxi ea omnia quæ tu minus proba-
ras. Si quid fortè à me tum obliuione prætermissum est, si quan-
do edenda erit oratio, iterum ad te meam lucubratiũculam mit-
tam, vt de integro abs te corrigatur. Eius ego orationis vnum
tum exemplum adhuc in Germaniam misi, ad Georgium Ducem
Saxoniæ: sapientem & pium Principem: nullo meo inscripto no-
mine, magno opere rogans, vt ea contineatur domi, quoad ipse
suo ad me omni iudicio perscripserit. Alterum cogitabam Pata-
uium mittere ad meos familiares doctissimos homines: sine ti-
lo tamen, & sine inscriptione: vt (qui meus est mos) amicorum
iudiciis mea scripta submitterem. Sed de his quoque satis. Te Ro-
mam incolumem peruenisse, nondum quidem mihi erat audi-
tum

rumsed tamen confidebam, te iam veniſſe: itineris tui rationem
dierum mecum ipſe ſuppurans, quomodo ea à te in literis tuis
ſcripta eſt. Sum tamen in aliqua animi ſolicitudine, & cura: quo-
ad certò cognouero, vbi ſis, & num rectè valeas: quod mihi pro-
fectò maximè (vt debet) curæ eſt. Ego in his locis hyemem hanc
commorabor, cùm ſponte mea, tum tuo etiam amantiſſimo con-
ſilio adductus. Sed cùm Farneſius ſummi Pontificis verbis atque
iuſſu, me per literas euocarit, ad quas ego me excuſans reſpondi:
te vehementer rogo, vt cauſam meam apud Pontificem agas, me-
amque hoc manſionem tranquillam & liberam, ad diem vſque
concilii, tuis mihi autoritate præſtes & tueare. Vale. Carpentora-
ti, VI. Cal. Nouemb. M.D.XXXVIII.

VIII.

IACOB. SADOLET. S.R.E. CARD. IACOBO Simonetæ Card. S.P.D.

IVcundissimæ mihi literæ tuę. Iucundiſſimę ſolùm? immò et-
iam ſalutares. Quòd enim te ſaluum mihi & ſoſpitem nuntiá-
runt, per eas mihi quoque incolumitas eſt reſtituta: de qua re, &
tibi gratulor, & mihi gaudeo! Deumque ſupplex oro, vt te in o-
timo ſtatu diutiſſimè valere iubeat. In iis quòd tuam mihi opem
& beneuolentiam paratam ſemper oſtendis, iamdiu eſt cùm
ego ita iudico, neminem me habere neque amicum nec patro-
num, ad quem fidentius omni meo in negotio, quàm ad te ip-
ſum confugere poſſim. Quanquam facis tu quidem ſecus, quàm
cæteri omnes. Alii enim prius pollicentur, quàm quicquam præ-
ſtantia beneficia liberalisq; natura bene mereri antè incipit,
deinde iam verbis benignitatis officia proſequitur. Sed hæc &
mihi dicta ſunt, & ſuis dicentur locis. Curam quam adhi-
bes in conualeſcendo, laudo atque probo, teq; vehementer hor-
tor, vt nullum tibi ſtudium ſit ſalute tua potius: quæ ipſa quo-
que nobis tui amantiſſimis communis tecum eſt: & in ea tamen
eſt tuus ſtudiorum officiorumque omnium. Signandorum libel-
lorum ius, dandorumq; iudiciorum, quòd vltro tibi à Pontifice
Maximo delatum ſit, non ego miror in hoc factum optimi Pon-
tificis cumita facere, ſi ſuæ ſapientiæ conſtare voluit, fuit neceſ-
ſe. Quis enim te peritior in eo munere ſuſtinendo? quis iuſtior?
quis iuriſconſultior? Nec tuo commodo gaudeo, res enim plena
eſt ſolicitudinis & laboris: ſed communi hominum vtilitati &
commoditati gratulor. Ad eum enim hominem ea collata eſt
poteſtas, qui & ſciat, & velit ius vnicuique ſuum tribuere. Quare
ea quidem eadem & integritate, & prudentia hoc munus tracta-
bit, quæ cætera ſolitus es. Sed mihi accidit peroportunè, vt quod

facturus fueram omnino, nunc propensius faciam: quando & vetus amicitia, & pro æquitatis patrocinio, quod tibi cùm semper antea, tum nunc maximè susceptum est, (siquidem factus es magister æquitatis, qui eras antea fautor) confido fore, vt me hi ab populi facilius & melius, quæcunque æqua postularint, consequantur. Quos notum tibi esse arbitror, quanta beneuolentia quo amoris studio, iam inde ab initio, cum Dei voluntate mihi fidei & curæ concrediti fuerunt, amplexus sim: verè vt parentem in liberos charitati mea in illos beneuolentia non cedat. Hi ego nonnullis incommodis publicè oppressi, maximeq; iniquitate & perfidia vexati Iudæorum: quos nimium multis istinc bonorib. priuilegiisq; insolentes, eorum calida crudelisq; auaritia hominum generi pernicioſos reddit: mittunt legatum ad vos à summoque Pontifice, & à sede apostolica remedia suis grauidis vulnerib. quærunt. Quos ego tibi quibus verbis commendem nescio: cum illud te scire velim, multò plus, in eos si beneficia tua contuleris & si eorum causas vt cognoscas & defendas horis adductus, quàm si in me ipsum eadem contulisses, me tibi deuinctum, obligatumq; futurum: quanquam fortasse non est nouæ iam in me obligationi locus. Sed tamen sic habeto. Ex omnibus tuis in me meritis, quæ plurima sunt, hoc me vel imprimis magnum existimaturum. De rebus suis ipsi te edocebunt, nec ita manente, tua imprimis ope auxilioque nitentur. Eos cum tuæ iustitiæ fideique commendo. Dedi etiam ad sacrum collegium nostrum super hac re literas: quas tu leges & perpendes. Sit tuo omnia arbitrio sapientiaque moderabere. Polus amplissimus vir, certe incredibili quadam virtute animi & sanctitate vitæ præstans, totus tibi deditus est, plurimamque tibi reddit salutem. Is in viam se daturus est hodie, aut cras, vt proficiscatur ad vos, cuius ego abeuntis desiderium non sine magna molestia perferam. Vale, & me, quod facis, dilige. Carpentoracti, V. Calend. Octob. M. D. XXXIX.

IX.

IACOB. SADOLET. S. R. E. CARDINAL. Francisco Turnonio Cardinali, S. P. D.

PRIMVM tibi ago maximas (vti debeo) gratias, quòd ea opera & autoritate est factum, vt nos hîc qui hybernis militi grauissimè pressi eramus, Regis clementia & benignitate leuaremur. Quod tuum in meos hosce populos beneficium hoc mihi accidit gratius, quam si in me ipsum propriè collatũ fuisset, quòd plus apud me ratio officii valet, quam commodi. Certè enim nihil est homini optandum, quod ego malim meum esse, quàm eorũ qui mec-

tiæ fidei & custodiæ ab ipso Deo crediti & commendati sunt. Sed grati animi nostri erga te declarandi alius dabitur locus. Nunc instat occasio vt eandem tuam humanitatem requiram, quam erga me propensam sæpe iam expertus sum. Albertus Pighius, cuius tibi quoque nomen propter virtutis & doctrinæ excellentiam, auditum esse arbitror, istuc venit, aditurus Regem aliquot de causis. Hunc ego tuę fidei humanitatiq; diligentissimè commendo. Amo enim hominem, idq; maiorem in modũ. Nec solùm amo, verùm etiam admiror. Facilè enim intelligo, idque audacter non dubito confirmare, eorum qui ex cæteris nationibus doctrinæ & literarum nomine ad cognitionem meam peruenerint, neminem neq; doctiorem, neq; variis scientiis instructiorem atque ornatiorem, quàm hunc, mihi notum fuisse. Accedit, quòd Theologiæ scientiam, qua mirabiliter est præditus, ad eius vsus conuertit, qui maximè sancti & salutares populo Christiano sint. Semper enim fidem catholicam, & ecclesiam Romanam nostram acri & inuicta propugnatione, plurib. egregiis voluminibus editis est tutatus: vt hoc quidem nomine noster illi ordo plurimum debeat. Quocirca cùm ita se habeat res, tuaque in huiusmodi homines propensa semper & benefica extiterit voluntas: oro te amplissime Turnoni, & omnibus precibus rogo, vt hominem in fidem & patrocinium tuum receptum, tua apud Regem gratia, quæ maxima est, foueas & tueare: atq; ad eam benignitatem, quam tua sponte illi esses præstiturus, aliquid quoque præterea mea causa addas, quo mihi facere nihil gratius potes. Illud tibi confirmo, si hominem hunc humanitate tua & liberalitate fueris complexus: maximam gratiam ab omnibus iis, qui vtique terrarum optimis artibus dediti sunt, initurum te esse. Vale. Carpentoracti, Idib. Nouemb. M.D.XLI.

X.

IAC. SADOLETVS S.R.E. CARDIN. AMbrosio Catharino Polito, S.P.D.

NON potui perferre diutius desiderium tui, quin sciscitarer ex te per literas, quid ageres rerum, quomodóue valeres: quod tamen æquius fuerat me cognoscere ex tuis literis: tuæque in illis erga me beneuolentiæ habere testimonium: nec tamen pisco me totum tibi ex animo affluxisse. Etsi enim habes patronũ eiusmodi, præ cuius ingenio, virtute, elegantia, nos tibi fortè videre videamur: tamen vt ille præstantia & grauitate dignitatis suæ superbum te aduersum nos reddere potuit: sic humanitatis idem & comitate, qua singulari est præditus, docere te debuit, tua esse absentium amicorum memoriam deponendam. Sed

iam serio, mi Catharine: cupio vehementer audire quid agas. In studiis te esse arbitror: quod enim iam aliud tibi est negotium? Veruntamen si mihi aliquando indicasses, quæ tibi opera nunc sint in manibus, valde mihi rem gratam mediusfidius fecisses. Ego hîc quanquam familiaribus curis grauiter implicatus, quid multa necesse habeo extricare, quæ anteà contraxi: tamen scribendi & elucubrandi curam non desero: volumenque contexo, quod si Deo bene iuuante ex sententia processerit, nonnihil certè arbitrabor esse actum. Habeo autem propositum argumentum, vt tu scias, de ordinib. & constructione catholicæ ecclesiæ: reliqua iam tu nosti. Magna res est, meisque viribus longe superior: sed tamen quoniam semel suscepta est, non est per ignauiam abiicienda. In tanta re vtar ope & consilio tuo cum opus fuerit. Nunc volui te fieri participem consilii mei, vt videres & animaduerteres, me ne in otio quidem otiosum esse posse. Otium porrò est vbi Roma non est. Sed hæc hactenus. Tu vt me diligas, quemadmodum quidem soles, valetudinemque tuam diligenter tueare, à te etiam atque etiam peto. Vale. Carpent. V. Idib. Decembris, M.D.XXXVIII.

XI.

IACOB. SADOLET. S.R.E. CARDIN. Ambrosio Catharino Polito, S.P.D.

MAXIMA mea cum voluptate eum accepi librum, quem ad me de peccato originis misisti: in quo vt inscriptiones titulique indicant, sunt & alia præclara multa. Sed huius loci planè cognoscendi summa quidem cupiditate sum affectus. Itaque quanquam solennibus occupatisque diebus (hodie enim dominicæ mortis memoria recolitur) tamen cùm hæc pauca scriberem ad te ante lucem, iam bonam partem disputationis tuæ, non tam legeram quidem, quàm eram helluatus. Tantam titulus ipse in me legendi cupiditatem excitarat, cum tuam præsertim lucubrationem scriptoris autoritas & doctrina mihi magnopere cōmendaret: & sanè omnia mirabiliter placebant. Sed ego ad aliam accuratiorem & attentiorem lectionem me reseruo. Quod tamen hactenus perlectum mihi est, & subtiliter & perdoctè mihi videtur scriptum. Tu quod facis, vt perpetuò facere possis, Deum immortalem quæso, vt te diu nobis incolumem conseruet: multa enim profectò tuo isto singulari ingenio, quæ in obscuritate diu iacuerunt, poterunt illustrari. Vale. & nos dilige. Carp. XXV. Apr. 1541.

IAC.

XII.

IAC. SADOLET. S. R. E. CARDIN. *Ambrosio Catharino Polito. S. P. D.*

ACCEPI literas tuas plenissimas amoris: quibus à me petis, vt de tuo libro, quem de originali peccato edidisti, & quem penè totum maxima mea cum voluptate, impeditissimis diebus illis, me quasi deuorasse ad te scripseram, proferam tandem quid sentiam & sensum meum tibi explicem. Addisque humanissimè, si quid inest, quod minus mihi placeat, te mihi aut ratione, aut emendatione satisfacturum. In quo agnosco equidem æquitatem & facilitatem tuam. Sed non est de hoc controuersia, quid mihi in tuis scriptis placeat, aut secus: cùm omnia mihi tua perplacerent, siue ingenium in illis, siue in dicendo lepos & copia, siue rerum, quas tractas, enodatio subtilitasque pendatur. Illud ab te, quod tibi à me indicandum esse puto, cùm perlegissem librum tuum, visum quidem mihi esse, tuam opinionem, & sententiam nihili, reiiciique non posse: tanta est vis in argumentis, tanto & tum inter se aptus rationum contextus, tantum acuminis & probabilitatis in dicendo. Sed vt solent qui vincti sunt, habere eadem constrictum corpus, & ad eius nutum necessariò paratum motos constrinxerit: quosdam tamen motus inchoatos & imperfectos eiusdem corporis sibi retinere, quibus frustra & inaniter nitantur: sic mihi, cùm mea mens & cogitatio tuis argumentis capta & colligata esset, restabat tamen adhuc in animo meo quid dubitationis & scrupuli. Itaque cum tuum librum iterum legissem, ad tertiam eiusdem lectionem me parabam: quando postea liquidius totum animi mei sensum cogitatumque proferrem. Sed scito hac mutatione rerum, quæ incidit in nostros, lecto superiore vita functo, nouoque suffecto, tantum mihi laboris & negotij contractum esse, vt non modò legendi, aut scribendi, sed ne consistendi quidem vllo certo in loco fuerit potestas. Cogor enim homo omnium quietissimus, meorum interdum popiorum causa, hoc est, eorum qui meæ fidei & curæ credita sunt, non mediocreis ærumnas & solicitudines capere. Quòd si aut mihi dabitur otium, aut tu fortè aliquando in has regiones te conferes, aut scriptis inter nos, aut coràm communicabimus ea quæ de hoc ipso originali peccato, vel dubitanda nobis, vel comprobanda videbuntur. Nunc tibi hoc significo & scripto: nec tuo mihi libello doctius aut ingeniosius quicquam, nec argumento quod tractas difficilius videri posse: & superfluum fortasse adhuc quiddam, quod mihi à te cupiam diligentius explicari. Nam speculo illo tuo hæretico (tertium enim li-

brum de vera iustificatione nondum legi, eisdem, de quibus dixi angoribus animi impeditus) possum tibi confirmare, nihil me vnquam nec eruditius legisse, nec quod cum singulari eximiaque doctrina, plus etiam prudentiæ & veræ religionis coniunctum habeat. Vale, & nos dilige. XIII. Calend. Iunij, M.D.XII. Carpentoracti.

XIII.

IAC. SADOL. S. R. E. CARD. AMbrosio Catharino Polito, S. P. D.

VT primùm otium & tempus scribendi nactus sum, duxi esse rescribendum eis literis, quas ego abs te superioribus diebus mihi iucundissimas accepi. Atque eo magis duxi, quò cùm legissem iterum tuum de perfecta iustificatione librum: atque eodem fermè tempore binæ ad me ab Vrbe essent allatæ schedæ, in quibus erant perscripta capita, de quibus in conuentu Ratisbonensi inter Theologos nostros & aduersarios conuenisse dicebatur: facilè intellexi tuam sententiam, ab illiusmodi concordia discrepare. Qua in re mea semper opinio tuæ rationi, quæ in scriptis tuis sese ostendit, suffragata est. Nunquam enim mihi persuaderi potuit, fidem solam per se sine operibus bonis ad adipiscendum regnum Dei idoneam censeri debere. Tu videlicet & doctius & explicatius ista disceptas. Sed mihi tecum eadem rei summa est, vt iudicem, ad veram iustificationem fidem cum operibus coniunctam esse oportere. Et scripseram quidem ipse quoque ad Vrbem quid mihi sentiendum in hac causa esse videbatur: cuius meæ pagellæ misissem ad te exemplum, ni omnia in tuo libro multò diligentius enodata declarataq; reperissem: qui liber mihi mirificè probatus est. Misi autem earum exempla pagellarum, quæ ad me ex Vrbe perlatæ sunt: vt videres, & animaduerteres, ecquid ea concordia Christianæ rei vtilis & salutaris haberi deberet. Verùm tu hæc considerabis diligentius. Ego tuam de prouidentia & prædestinatione lucubrationē summopere expecto: spero enim hausturum me inde nitidissimas aquas, quibus mea diuturna sitis, & illarum rerum auiditas cognoscendi, summa mea cum voluptate aliquando expleatur. Tu, quæso, da operam, vt illam primo quoq; tempore accipiamus: quod facilè tibi erit factu, propterea quòd inter bibliopolas Lugdunenses & Parisienses frequens est harum rerum commercium. Ego vt scripsi ad te antea, à literis aliquandiu feriatus fui, & nunc æstiuis caloribus impedior, quo minus (quemadmodum vellem) ad earum consuetudinē me referam: quod tamē paulò pòst videor esse facturus. Tu quòd Lugduni commorari annū hunc statueris, mihi valde gratum

nes: spei enim nõnihil habeo fore vt interdum nos (quod com-
modo tuo facere possis) inuisas. Illud me pupugit in extrema tua
epistola, quòd optimum & coniunctissimum collegam meum
Nicolaum Gaddum, laborare febricula scripsisti: quo nihil mihi
potuit accidere molestius. Incredibile est, quãti ego illum, quan-
ti summam illius humanitatem, mitissimos mores, imprimisque
aetatem mihi & perspectam erga me beneuolentiam faciam. Qua-
propter si me amas, vise eum quamprimùm meo nomine, meis-
que verbis amantissimè saluta: & hortare etiam atque etiam vt
omnem curam & diligentiam ad conualescendum adhibeat. Abs
te autem peto, quæsoque vt primo quoque tempore facias cer-
tiorem. Vale. Ex suburbano nostro Carpentoractensi.

XIV.

IAC. SADOLET. S. R. E. CARDIN.
Hermanno Archiepisc. Coloniensi, S. P. D.

CVm legissem commentarios, quos tu de concilio episcopo-
rum prouinciæ tuæ, more maiorum per te habito actoque,
de contingendis moribus sacerdotum, deque ecclesiæ sacramentis
eruditissimè scriptos, in lucem edidisti: equidem commotus ad-
mirationis tui præstantissimi consilij, eiusque actionis, qua nulla
maior hoc tempore, nec Christianæ Reip. vtilior suscipi potuit:
auxi maiorem in modum beneuolentiam erga te meam, quam
aliquot de causis conceptam anteà habebam: teque & magnum
virum & optimũ antistitem, omniq; honore ab omnibus dignis-
simum iudicaui. Non enim solùm tu primus aliquot iam seculo-
rum spatio eam ad ritè & sanctè gerendum sacerdotium tuum,
vnum tibi aperuisti, quæ anteà ob diuturnam desuetudinem, tan-
quam impeditissimis stirpibus penitus erat obsepta: sed etiam
ceteris exemplum illustre præbuisti, vt te imitarentur, si qui vel-
lent, & si quorum in cordibus pietas & religio Christiana locum
aliquem haberet. Nec tamen omnibus hoc liberum fortasse, nec
par atque eadem cunctorum conditio est. Vidi enim ego, cùm in
Vrbe essem, & cùm in senatu nostro hæc de communi omnium
Episcoporum concilio habendo, causa ageretur: multa reuera
ostendi impedimenta, quæ Pontificis Maximi studium retarda-
rent. Sed tamen ego & tunc ita sensi, & nunc sentio, aut vna hac
ratione concilij ritè congregandi, subueniri posse his tot incom-
modis quotidianisq; detrimentis, quib. vrgetur & ad interitũ agi-
tur Christiana Respub. aut si hoc remedium non sit profuturum,
nullo alio hominũ consilio à peste summi exitij Remp. posse pro-
hiberi. Non enim si conciliũ castè legitimeq; habitũ non prode-
ri, alia erit expectãda medicina quæ opẽ ferat. Sed illud certè ab

omnibus nobis existimandum, Deum infensum delictis nobis, reposcentemq; a nobis scelerum & peccatorum pœnas, quæ iam ad summum intelligat esse perducta, supremum iam decretum de interitu nostro fecisse. Quapropter occurrere illius iracundiæ nos oportet, & precibus atque operibus quæ à vera humilitate nobis, vera religione, vera pœnitentia veterum malefactorum, nouaque insequentis vitæ integritate & iustitia proficiscantur, antecertere vindicantis seueritatem, cuius lenitatem tolerauimus tamdiu despeximus. Hoc enim si egerimus, & confugerimus ad ipsius misericordiam, gemitusque eos ediderimus, quos acerbi peccati dolor à nobis expresserit: flectetur ipse, & vt bonus est benignè, ac misericors, conuertetur ab ira sua, simulac nos conuersos à peccato senserit. Quo nobis reconciliato atque placato, cessabunt continuò ista quæ nos domi forisque perturbant, non solùm hostilis arma crudelitatis, sed etiam venena domesticæ perfidiæ. Verùm hæc reconciliatio nullo alio prorsus pacto vniuersa & integra commodè fieri potest, nisi generalis concilij quodam quasi feriendo fœdere sanciatur. Nam si vniuscuiusque arbitrio (id quod ferè nunc fit) suæ vitæ correctio permittatur: primùm, haud ita multi sunt, qui sua sponte moueantur ad piè religioseque viuendum. Deinde, quàm multos esse existimamus, qui recte nesciant: quam multos, qui in hoc vitiorum regno, quæ nostra hac ætate plurimum pollent vigentque multa sibi arbitrentur licere, quæ tamen improbanda & reprehendenda sint. De quibus etsi possunt à sacris literis, & earum gnaris ac peritis doctoribus admoneri: tamen in hoc penè communi generis humani ad vitia consensu, obstrepit bonis & veris admonitionibus mala consuetudo, magisq; plerique mores suos ex prauis eorum qui præsunt moribus, quam ex eorundem proba oratione effingunt: cùm præsertim seuera lex nulla sit, quæ homines à delinquendo coërceat. Quanquam non desunt quidem leges seuerę, & graues: sed earum fidi custodes profectò desunt, defueruntque iamdiu: ita vt non prauis solùm, & vitia ipsa consultò sectantibus: sed etiam cæteris, quos bona disciplina fortasse, si esset adhibita, efficere bonos potuisset, ampla præbita sit occasio, vel illecebra potius, corruptè, inquinateque viuendi. Quibus omnibus damnis & detrimentis, diuinæque vnà aduersum nos iræ mederetur sine vlla dubitatione Concilium, quod & ritè indictum esset, & ex fide bona ageretur, si in id non solum à Rom. Pontifice, & a nobis, verùm etiam à reliquis Christianis principibus conueniretur. Quod enim publicæ vtilitatis causa comparatum est, omnium debet assensu & comprobatione firmari, præsertimque eorum, qui opibus & potentia antecellunt, quorum cæteros possit autoritas permouere. Tale igitur si haberetur, celebrare-

turque

nisque concilium, non dubium est, quin aspirante bene cœptis
rebus Deo, hominum studiis consentientibus, misera & infelici
præsentis nostri status conditione demonstrata, facilis esset &
parata in Christiano nomine malorũ morum emendatio: quòd
& veteres leges sanctæ & salutares de integro sancirentur, &
noua promulgarentur: maliq; pœnarum & ignominiarum me-
tu, cæteri exemplis doctrinaque sacerdotum ad veræ pietatis &
religionis erga Deum officia redigerentur: totaq; consentiente
in laudem Dei, & in correctionem Christiani populi catholica
ecclesia, ex multis personis, vt est ab Apostolo Paulo dictum, mul-
tiplices preces & gratiæ referrentur ad summum Deum. Quòd si
hoc modo coire fortasse Concilium non possit (video enim tem-
pora, video difficultates) multum sit omnino de spe nostra de-
tractum. Sed tamen si qua reliqua ratio iniri queat, non tam con-
firmandæ nostræ quidem nec stabiliendæ, quàm ad tempus ali-
quod sustentandæ salutis: ea mihi in isto potissimùm concilio
videtur esse posita, cuius tu initium in tua prouincia fecisti, rem-
que omnium pulcherrimam & Deo acceptissimam es auspicatus.
Sic enim statuo, post Christi Dei nostri aduentum ad nos, missio-
nemq; ab eo Apostolorum ad exteras gentes, nulla magis re cre-
uisse, amplificatamq; esse Christianam & religionem & Remp.
quam his prouincialibus Episcoporum conuentibus, qui per na-
tionem & prouincias anniuersarij fiebant. Qui mos iampridem
vna cum plurimis aliis optimis & probatissimis, penitus extin-
ctus, magis desiderare nos cogit vetusta tempora, quàm hodier-
nos confidere. Hunc igitur sanctissimum omnium & præclarissi-
mum morẽ, quòd tu in lucem & vsum reuocare conatus es, tuæq;
virtutis & religionis exemplo, tanquam quodam altè sublato lu-
mine, aut ostendisti, aut certè in singulos dies es ostensurus, qui
sine Christiano sacerdotio Archiepiscopi aut primates illo ho-
nore & loco digni, & qui secus: verè tibi dicam, Hermanne opti-
me, & sapientissime nulla mihi laus videtur cum tuo isto facto
posse comparari. Et si non his quidem rebus & actionibus laus
hominum quæritur, sed ad Deum sunt directa huiusmodi consi-
lia: qui vnus nostra merces, nostrum præmium est: & cuius in
sancto nomine quæ geruntur, ea sola & recta & gloriosa sunt.
Cuius quidem Dei immortalis & omnipotentis remunerationi
atq; iudicio quoniã sunt bona hominũ opera reseruata, æquum
est, vt nos hic de illis parcius commemoremus. Venio nunc ad sa-
cramentorum librum, quod tu Enchiridion appellas, cuius sum
lectione incredibiliter delectatus. omnia enim quæ pro Dei cau-
sa, & catholicæ fidei ac religionis propugnatione, aduersus illius
inimicos & obtrectatores afferri possunt, sunt à te in eo libro ac-
curatissimè collecta: talibusque explicata cùm verbis, tum sen-

tentijs, vt cum summa rerum in illis diuinarum cognitione, solutus planè animus, & in docendo redarguendoque singularis modestia coniuncta appareat. Quæ scribendi ratio vere Christiana est. Non enim tantum in verbis pietas, sed etiam in moribus multò magis requiritur: in quibus verior quoque Christi est imitatio: cui cùm malediceretur, ipse nemini contrà maledicebat. Proinde sit hæc aliorum propria insolentia clamare, maledicere, conuitia iacere, & inuehi petulanter: atq; vtinam ne sit quidem à cunctisq; potius & animi æquitas, & studium amplectendæ veritatis adhibeatur. Nos sanè mansuetudinẽ & Christianam charitatem teneamus, quæ à te mirificè in tuo libro retenta est. Iuque mihi non solùm admirari & laudare doctrinam tuam, sed etiam morem diligere necesse est. Es enim tu, quod hoc tempore rarum est, non solùm scientia, sed etiam vita Christianus: quam nobis imaginem præstantis & virtutis & eruditionis tuæ, tua scripta repræsentant. Atque hæc hactenus. Vnum tantùm in tuo libro est, quod ego desiderarim, quodque mihi peroentatione dignum visum sit. Sum enim tacitus mecum nonnihil admiratus, quòd tu capite eo libri tui, in quo de sacramento pœnitentiæ verba facis: vbi ad tertium illius membrum, quod satisfactio est, venitur, nullam prorsus in eo mentionem purgatorij facias, cùm & hoc maximè locus ille requirere videatur, & nos cum Catholica Ecclesia vnà teneamus, illa satisfactionis opera non tam ad declinandas temporarias pœnas, quas in hac vita à nobis pro peccatis nostris Dei seueritas reposcit, quàm ad leuandas illas & mitigandas, quæ in altera vita nobis purgandis proponũtur, vim habere. Nisi hoc fortasse tu eodem modo intelligis, in pœnasq; temporarias etiam eas includis, quæ subeuntur in purgatorio igne. Et enim temporarium, quicquid non est æternum. Veruntamen (vt mihi videtur) oportuit in eo loco aliquam purgatorij fieri mentionem: ne aduersariis in hac re fidem Catholicæ Ecclesiæ impugnantibus, quasi quodam silentio victoria traderetur: qui iniustè certè & sine ratione insimulant Ecclesiam. Nam si remissa nobis culpa à misericorde Deo, pœna tamen aliqua restat, quæ soluenda sit, vt tu quoq; piè religioseq; confirmas: non potest huiusmodi pœna ex his tantum huius vitæ temporalibus incõmodis censeri. Primùm quia hæc incommoda Christianis hominibus non semper mala sunt, sed habent plerunq; virtutis in se & patientiæ exercitationem: vt sæpe à Paulo repetitum legimus, sæpiusque bonis inferuntur à Deo, quàm malis. Siquidem oportet Christi sectatores multa in hoc pati seculo, vt confirment erga se promissiones Dei, quemadmodum scripturæ sacræ multis in locis testatur. Deinde multi, qui grauia & improba multa admiserunt, postquam redierunt ad cor, & ex pœnitentia in gratiam sunt restituti,

pœnas

rentes tamen hasce in hac vita effugerunt: in quo esset quædam quasi iniustitia summi iudicis, si nullas vsquam hi soluerent peccatorum pœnas, & nimirum nisi pœnæ in purgatorio abeuntibus his ex hac vita, quanquam à culpa absolutis, sint propositæ, (si tamen pœnæ appellandæ sunt, quæ non puniunt, sed purgant) vacillaret vacillare Dei sueritas, & iustitia: cuius ratio reddi idonea nulla potest, quamobrem ex eodem scelere hic in hac vita à Deo puniatur, ille impunitus euadat: nisi, quod & impium est vita de Deo cogitare, & in purgatorio æqua fit omnium compensatio. Deinde, cuius esset erroris accersere sibi quempiam præsentia corporis incommoda, vt futura in hac eadem vita deuitare: æstuare, algere, sudare, bona sua elargiri: vt paupertatem in posterum effugeret, vt ærumnam, vt vigiliam, vt famem, præsertim quæ forsitan non essent euentura, sicut non omnibus euenerunt, eueniunt? Non cohærerent ista, si effugiendarum horum tantùm vitæ temporalium pœnarum causa pœnas eiusdem nobis in satisfactione, voluntarias adsciscceremus. Sed hæc opera satisfactionis suscipiuntur omnia, primùm obedientiæ & humilitatis causa: Deo enim & sacerdoti sic præcipienti obtemperamus: deinde, vt aliquo nostri hîc corporis incommodo aut tollamus omnino, si fortè datum sit, aut certè minuamus alterius vitæ purgatorias pœnas: earumque aut magnitudinem, aut longinquitatem contrahamus. Quæ potior mihi tua ex sententia Ecclesiæ semper visa est, quare nobis sacerdos confessis peccata nostra, opera illa satisfactoria post absolutionem imperet: quæ etsi valent, aptaque sunt ad nos in bono more atque pieque agendi, magis confirmandos, quod & confitor, & tecum vna, cumque Ecclesiasticis cæteris doctoribus sentio: tamen id potissimùm in illis spectatum est, vt quoad possumus, post extremum diem, semper abundante erga nos Dei misericordia, aut nulla aut leuia purgatorij ignis cruciamenta perferamus, cùm eorum iam nonnullam in hac vita eiusmodi operibus subierimus partem. Hæc habui Antistes optime & præstantissime, quæ tibi à me putarem literis esse declaranda: qui & eximiis tuis virtutibus mirabiliter faueo, omnique tibi cultu & benevolentia sum deditus, & in qua re aliquid à te prætermissum putem, ingenuè de eo tecum & liberè loquendum arbitror. Tu à nostra erga dignitatem tuam studium amoremque singularem pari tua in me voluntate exceperis: efficiam profectò, occasione data, vt neminem tui amantiorem quam me facilè reperias. Vale. Carpentoracti, III. Calend. Decembris, M. D. XLI.

IAC.

XV.

IAC. SADOLETVS CARDINALIS Ioanni Hurtado Mendozæ S.P.D.

IACOBVS, & Martinus Monachi Hiſpani, duo (quantum ego ex breui cum illis ſermone perſpicere potui) religioſi homines, & egregiè prudentes, cùm à ſuperiore vſque India in hoſtras regiones, adeundi conuentus cauſa, qui ipſorum ordinis in Italia indictus eſt, ſe conferrent: mandatum ſibi abs te eſſe dixerunt, vt hac haberent iter, mihique ſalutem tuis verbis dicerent, & de tua erga me inſigni beneuolentia narrarent: quam quidem non ſolùm ex eorum ſermonibus teſtimonioq; cognoui, ſed ex tuo erudito & pereleganti carmine, quod ad me miſiſti, aliquantò etiam luculentiùs. Vidi enim & perſpexi ex ipſo pomate tuo, & quàm ingenio valeas, quamq; ſis liberalibus artibus inſtructus, & quantum me, quanquam tibi de facie minimè cognitum, diligas. Quorum alterum facit, vt tu & mea, & omnium beneuolentia digniſſimus meritò iudicere: de altero ago tibi amplè habeo magnas gratias. Non enim mediocrem animi voluptatem capio, cùm ſentio, me à tali viro, qualis es tu, & probari, & diligi. Quòd ſi me non indignum his ſtudiis, quibus vterque noſtrum deditus eſt, exiſtimas: debes hoc tibi perſuaſiſſimum habere, me non conceſſurum tibi eſſe, vt in amando ſis ſuperior: ſed quod & communis humanitas, & mea natura imprimis poſtulat, omnia me facturũ, ſi oblata fuerit occaſio, quamobrem tu de mea erga te voluntate nõ minora indicia habere poſſis, quàm ego habeo de tua. Quare, quod iidem Monachi mihi expoſuerunt, cupere te quandam tuam lucubrationem à me perlegi, & meum de ea iudicium tibi indicari: vtinam quidem aptus ſim ad id præſtandum quod tu requiris. Sed certè quicquid in me eſt vel ingenii, vel facultatis: etſi eſt exiguum, tamen ita tibi totum promptum & paratum eſt, vt eius ad tuum omne arbitrium reuocandi, & quocunque libuerit tibi, conuertendi, ſummam habeas potſtatem. Hunc ego animum cùm nobilitati debeo & præſtanti virtuti tuæ, tum ipſi præcipuè amori, quo iam tibi in perpetuum ſum deuinctus. Vale. Carpentoracti, XVII. Calend. Aprilis, M.D.XLI.

IACO-

IACOBI SADOLETI S.R.E. CARDINALIS EPISTOLArum Lib. XV. Epist. I.

IAC. SADOLET. S.R.E. CARDINALIS *Herculi Gonzagæ S.R.E. Cardin. S.P.D.*

CVm esset nuntius ad nos allatus de morte præstantissimi viri, atq; omnibus nobis charissimi, Federici fratris tui, equidem eum cepi animo dolorem, quem & meus perpetuus erga vos amor, & ratio ipsa temporum, conditioque afflictæ Italiæ postulabat: quæ aliis complurimis incommodis detrimentisque affecta, hoc quoque nunc amisit præsidium, quo videbatur in aduersis rebus nonnihil posse subleuari. Itaque luxi non propriam tantùm familiæ vestræ, sed communem Italiæ calamitatem, à qua si noster hic dolor distinctus esset, cætera sanè ferenda nobis modicè essent. Non enim mihi conueniret, neque tibi, qui spes in Deo nostras collocatas habemus, quique optimè nouimus, non esse hanc nobis valde expetendam vitam, quæ mortalitate fragilis, & semper infesta est: sed illam alteram potiùs optandam beatam & immortalem, ad quam nos pietas & Christiana religio deducit, vnius hominis morte tantoperè commoueri: de quo præsertim spe bona nixi essemus, aditum illi in cœlum, atque iter diuina clementia esse patefactum. Non igitur, inquam, id me maximè permouit: quod esset fratris tui, non extincta illa quidem, sed translata in melius commutata vita. Cogitabam enim primùm, nihil illi ipsi omnino mali accidisse. Deinde videbam, domui vestræ paratum in tua virtute, sapientia, amplitudineq; subsidium, populosque eos, qui vestra ditione imperioque reguntur, sine vllo penè rerum commutatarum sensu, in eadem erga vos fide officioq; mansuros. Atq; in omnibus his rationibus & argumentis appositis ad consolandum, amor tamen ipse tanquam stimulos quosdam doloris admouebat: quos tibi tecum statuo fuisse communes, quanquam tu vnius hominis morte mœres: ego & eadem morte, & tuo insuper dolore non mediocriter moueor. Non enim mea erga te vulgaris est beneuolentia: sed & magna, & multis de causis, iustissimisque suscepta. Etenim patiere nunc tu quidem me meum de te liberè proferre iudicium: non enim blandiendi causa loquar, sed verè de te dicam quod sentio. Ego paucos homines mihi vidisse videor: quanquam quid dixi paucos? vtinam alter mihi facilè veniret in mentem, qui tecum videretur esse comparandus. Sed tamen paucissimos esse iudico,

qui

qui tanta in nobilitate, tantam manſuetudinem: in tam ampla domeſticis copiis, tam modeſtum earum vſum: in tam corrupto horum temporum moribus, tantam æquitatem, temperantiam moderationem animi præſtent atq; exhibeant: quanta in te mihi cognita iam pridem, atq; perſpecta eſt. Sunt alij inſignes virtutis atq; in Collegio præcipuè noſtro, omnium virtutum laudibus excellentes, quibus ſuus honor, & ſua debita laus tribuenda eſt. Sed tua iſta præſtans eximiaque nobilitas, conſociata pari actionis ætaque virtuti, omnia facit maiora atque illuſtriora. Accedit quod maximum eſt, & quod ego pluris facio quam reliqua omnia, quòd timorem illum Domini, quem initium ſapientiæ vocant ſacræ literæ, qui autem eas literas ſubtiliter & pie interpretati ſunt, ex illo non inchoari modò, verùm etiam perfici ſapientiam diſſeruerunt (non enim eum ex eo genere timorem eſſe quem eijciat foras atque expellat, ſed quem augeat magis & confirmet ipſa charitas) hunc timorem inquam, qui eſt robur animi noſtri, & fortitudo, per quem Deum nobis ante oculos ponimus, arbitrumq; eum, & iudicem omnium noſtrarum actionum conſtituimus: in tuo verſari animo atq; hærere ſemper ſenſi. Quo non maius mihi, neque certius argumentum confirmatæ in tepſo virtutis, egregiæq; in Chriſtianam Remp. voluntatis, vllum offerri poteſt. Sed quorſum hæc? Non enim ſine cauſa hæc ſuſcepta eſt impræſentia tuarum à me virtutum commemoratio. Dabit porrò mihi vel ætas mea, vel tua potiùs humanitas, fiduciam & libertatem, quæ viſa fuerint, loquendi. Non enim aut non vera, aut non cum maxima tui charitate loquar. Iſta in te peregregia quæ dixi, faciant vt veniam in rerum pulcherrimarum ſpem abs teque requirere & poſtulare audeam: vt omnium oculos hoc tempore in te putes eſſe coniectos. Certè enim impoſitum tibi eſt regere Mantuæ ciuitatem, illosque vnà populos, qui familiæ veſtræ fidei, curæ, vigilantiæque commiſi ſunt. Sic enim fraterna neceſſitudo, & tutoris nomen tuaque imprimis dignitas poſtulat. In quo videndum tibi eſt, Hercules optime & præſtantiſſime, in quem & rerum ſtatum, & temporum, tuum hoc munus incurrat. Habemus patriam omnes Italiam, quam vt chariſſimam parentem diligere debemus. Ea porrò hac ætate quemadmodum perdita afflictaque ſit, nec ſolùm domeſticis malis, ſed externis etiam periculis terroribuſque concutiatur, obſcurum nemini eſt. Patet enim, neque oculos ſolùm ea res noſtros, ſed animos etiam ſenſus, & cor ipſum vulnerat. Quid ergo eſt? omnes qui illius ſumus alumni, officio fungi ac pietate debemus: & cuiquam parenti optimè meritæ opem pro ſe quiſq; & auxilium afferre. Nec tamen imminentibus aliunde & extrinſecus malis obuiam verè vnquam ibitur, niſi priùs domeſtica fuerint emenda-

ta, ac-

ta, atque correcta. Quibus vtinam mederi vtriusq; nostrûm posse, vigeret summa inter nos profectò salutis & dignitatis publicæ constituendæ concordia. Quod etiam non leuiter tentatum quandoque est, vt videremus quid proficere possemus. Nunc quando ego penitus exclusus sum, tuq; in eum locum adductus, vt si non re tota, neque vniuersa potestate, at præclaro tamen rectè imperandi beneque regendi exemplo, plurimum opis ferre laboranti patriæ possis: ego tibi exponam breuiter, quæ in hac re dicenda meo animo concurrunt, & tu plura etiam, & meliora pro tua sapientia cogitabis. Omnium malorum, exitiorum, calamitatum, quibus per hosce annos vexata Italia est, & nunc cùm maximè ad interitum prolabitur, fons & origo (mea quidem sententia) ex praua ratione gubernandi populos manauit: quibus ad eum modum principes imperant (de iis loquor qui in culpa sunt) vt illos non in numero hominum, sed in gregibus videantur habere mancipiorum. Ad semetipsos enim in gubernando omnia referunt: non (quæ vera est principatus ratio & via) salutem suorum & commodum spectant populorum. Ita fit, vt nec ipsi iam qui imperant, dignos imperio vlla ex parte gerant animos: & quibus imperatur, hi assiduitate onerum & acerbitate exactionum exhausti, oppressi, lacerati, tanquam omnia iam desperantes, lucem quodammodo fugiant, omnemque virilem animi motum atque sensum abijcere cogantur. Nam dum omnibus rebus, & fructibus, & operis, & aduectionibus, atque euectionibus ipsis etiam itineribus, & viis, passim vectigalia imponuntur, nominaque conquiruntur tributorum indicendorum, nihilque tam tenue, neque tam vulgare, neque tam sordidum est, quod suo onere portorij permittatur vacare: fitque ita quotidie, nec in cogendis quacunq; ratione pecuniis tempora discernuntur: seruitq; ista exactio deliciis, non necessitati: primùm illi qui sic imperant, mergunt ipsi sese in curas ignobiles & contemptas: fractiunq; minutis illis & quotidianis solicitudinibus animum, nullam ad rem splendidam, & principibus dignam viris queunt attollere. Non enim idem laudis & sordium domicilium esse potest: neq; in qua mente pecuniarum summulæ, subductiones, ratiunculæ, omnibus penè versantur horis, in ea mente licitum est consiliis præstantibus, non modò sedem suam, sed ne vestigium quidem ponere. Nemo igitur, huiusmodi iam populorum rectores amplum aliquid de Repub. & de sua dignitate cogitare existimat: & vnde lumen aliquod possit miseræ Italiæ, atq; extrema metuenti, melioris spei salutisque illucessere. Quid? qui seruiunt his, & subiecti sunt, sic tractati, exinaniti, & vexati, afferunt vnquam animos ad laudis spem & ad cupiditatem gloriæ mitos? vt eorum aut in pace consiliis, aut fortitudini in bello

possit

possit acquiescí? Minimè istud quidem. Itaque quod accidere sequi talia in gubernando consilia necesse est, omnia & in mobus hominum nostrorum, & in voluntatibus, hac quidem ætavsq; eò sunt inquinata, peruersa, corrupta, conturbata, nullum antiquæ illius virtutis & præstantis disciplinæ, in genere homnum suapte natura nobilissimo eodemq; fortissimo, vestigiappareat, quod totum ex praua & imperandi consuetudine, & prendi vsu, euenire cernitur. Et sunt qui merentur, cur generosillos spiritus, & magnificos animos, quorum apud maiores nstros tanta redundauit copia, iam diu parere & procreare Italdestiterit? Quasi verò non videamus, etiamsi indoles & naturseminis bona sit, praua tamen cultura, & præpostera educatione eam corrumpi. Esset eadem nimirum Italia, quæ iam fuit, eadem qua quondam, disciplina, eisdem item consiliis institisque regeretur. Cuius ineundæ rectè gubernandi rationis & viæ, cùm Principum virorum sit potestas: iccirco paulò antè dixi, licere nunc tibi diuo quodam (vt arbitror) consilio, præclarum imperij & populorum gubernationis exemplum, tuaipsa virtute atque prudentia, ante oculos omnium ponere & constituere, quod imitentur, si qui fortè erunt, qui semetipsi, & anipitem ac dubium suarum fortunarum statum, exitiumque impendens parenti nostræ Italiæ respicere velint. Quæ tibi profectò facilis (si bene vim ingenij & altitudinem animi tui habeo cognitam) imperandi, & moderandi populos ratio futura est. Nam & laxare eos angustis tot illis & concisis exactionibus portebit, locumque illis & spatium respirandi concedere: neque tantùm vectigalia retinere, quæ non ad domesticas delicias, superuacaneosque apparatus, sed ad continendam & vincendam communem vtilitatem pertineant. Homines autem eos qui tibi sunt subiecti, pro cuiusque genere, institutis, & vita, appellare liberaliter, excipere, adhibere: à plebe propulsare famem, atque iniurias: lautioribus ciuibus communem te affabilemque præbere: aduocare tibi interdum in consilium eos, qui ingenio & rerum vsu politiores cæteris esse videantur: castigare verbis errantes: honestis studiis & actionibus deditos laudare, atque extollere: & si incidat vt commodè fieri possit, beneficiis etiam ornatuis munerari: quòd his maximè modis & rationibus in hominum animis inseritur, & quasi ingeneratur, amor ille virtutis, & cupiditas actior quædam comparandæ sibi laudis & gloriæ. Quæ quorum insedit in mentibus, & accensa est: hos illa fortes, & fideles, & ad omnia adeunda pro suo Principe pericula paratos facit. Quo maximè hominum genere & nostra ætas, & communis patria Italia indiget. Atque hi qui sic reguntur & instituuntur, qui temporibus tranquillitatis & otij liberè agere ita vita-

vbinas suas, & soluto animo rusticari possunt: neque illis semper exactor, semper tributum, semper crux aliqua ante oculos est proposita: iidem vbi tempestas & periculi terror intonuit, nō ipsos solùm, sed studiis etiam suis, & animis, ad propulsandum eorum commune incendium alacres concurrunt. Sed ego istis labor, præsertimque tecum, qui abundas ipse per te consilio: nec mea aut cuiusquam admonitione indiges. Quod mihi iniosas sanè velim, non enim te docendi, sed & benevolentiæ meæ erga te declarandæ, & mei sensus atque animi, quem in Rempublicam habeo, testificandi causa, vlteriùs fortasse quàm decuit, aliquantum sum provectus. Et tamen arbitror omnì hac mea scriptione esse patefactum, quid de tua eximia excellenteque natura ego sentiam: & quàm ea abs te expectem, quæ nisi à viro fortissimo, & ab homine sapientissimo non queunt expectari. Ego, cùm viderim (quod sanè sum non leviter admiratus) honorem hunc quo vterque nostrûm sacra collegij necessitatisque conjunctus est, maximum illum quidem, & in Ecclesia Dei amplissimum (quem cæteri ferè omnes tanto sibi ambitu expetere consueverunt, non spiritualium ornamentorum, ad quæ infirmus est, sed terrenæ, & mundanæ dignitatis consequendæ causa atque vt oculos hominum fulgore purpuræ, non animorum religione & continentia vitę permoueant) cùm inquam, videtim hunc honorem ipsum, in quo tibi præcipuè tanta in familia sua, concedi posse videbatur, vt altior ex eo atque honestior inter homines incederes: tamen à te intra suos fines ita est reiectum, vt tibi, quemadmodum quidem debet, pietati ergà Deum monumentum assiduum sit, non instrumentum ambitionis: idem ego verebor expectare à te, aut petere, vt erroribus alterum seculi nostri, in re quidem dispari, ex ipsa tamen ignorantiæ cæcitate patem: quo terrena ista dignitas, non exercitatæ prudentiæ, nec consiliis consequendæ laudis, sed voluptatibus & deliciis, & exquisito corporis ac cubiculorum cultu, unicuique beneplenis ac refertis nummariis thecis penditur, corrigas, atque tollas? cùm rei huius aut perficiendæ, aut certè imitandæ, & ad imitandum cæteris proponendæ, magna tibi facultas oblata sit: tuque in ea opinione apud nos omnes sis, vt copia ampla atq; egregia à tua virtute requiri debere videantur? Certè si te hanc curam, Hercules Gonzaga, actionemque contulerit: tum tu præclaras, perpetuoq; commemorabiles in Dei hominumq; conspectu, exequias fratri tuo duces: nosq; tui amantissimos maximo gaudio cumulabis: ipse verò vberrimū tuarum virtutum fructum, sempiterno beatitudinis in cœlo: in terris, & famæ, & celebritatis præmio diuinitus consequere. Vale. Carpentoracte, VIII. Calend. Octob. M. D. XL.

II.

IAC. SADOLET. S.R.E. CARDINALIS Tho. Campegio Epiſc. Peltrenſi, S.P.D.

VELLEM poſſe ad te hilariore animo ſcribere, cuius tui amor hæſit in intimis ſenſibus: longo ille quidem tempore antè iam conceptus, ſed ex eo amplificatus & auctus, cùm tu hi à ſummo Pontifice Romam accerſito, diſciplinæ publicæ corrigendæ, & meorum imprimis vrbanorum cauſa, amiciſſimo fideliſſimo animo præſtò fuiſti: & qui in vrbe aſſiduus fuiſſes, poſt annos decem tanquam poſtliminio in eam redeuntem, diligenter & ſtudiosè, pro tua in Chriſtianam Rempub. voluntate, docuiſti: quæ tibi vel ſoluta à vetere diſciplina, vel à bonis moribus detorta, vel mala conſuetudine deprauata, contaminata, corrupta, egere nouis remediis, aut reſtitutis antiquis legibus videbantur. Qua ego tua tum admonitione factus ſum ad dicendas illis de rebus ſententias paratior. Noli enim exiſtimare, mi optime Campegi, tuum id ſtudium atque officium non mihi in animo hærere: cuius quidem officij, quoad ego viuam, nulla vnquam obliuio me capiet. Sed quò minùs ad te familiariter & iucundè (vt cuperem) ſcribam, mors Laurentij fratris tui viri clariſſimi facit. Quæ me quidem ita conturbauit, vt vobis, qui illi ſanguine eratis coniuncti, in deplorando tanto communi incommodo non cedam. Etſi nulla quidem maior poterat eſſe coniunctio, quàm ea, quæ inter me atque illum fuit: cui amicitia primùm, poſt collegio, deinde conſenſione animorum & voluntatum, in capiendis de Republica conſiliis, ſic copulati eramus, vt videremur ad ſalutem & vtilitatem Reipub. vno prope ſenſu & eodem ſpiritu duci. Quare pro me quidem ego tum illo nuntio ita ſum affectus, vt conſolari ipſe me non queam. Quo etiam minùs ſum ad vos conſolandum accommodatus. Difficile enim eſt, eum qui ſibi mœreat, aliorum opitulari mœroribus: & qui animo ipſe perturbato ſit, ex aliorum animis turbidos motus eijcere. Sed cùm meo ipſo in dolore, amor item ille meus emineret, quo te, quo Alexandrum Epiſcopum Bononienſem, quo reliquam omnem Campegiorum familiam ſemper complexus ſum: non duxi alienum neceſſitudine nulla, pauca ad vos verba facere: quæ ſi non ſolatium vobis, at miſeriæ aliquam à dolore aberrationem: etſi non prudentiæ meæ iudicium ad vos, at ſignificationem optimæ voluntatis afferrent. Dico ergo, vos qui non minùs ſimilitudine virtutum, quam cognationis vinculo, ſummo illi viro adiuncti eratis, debere illum quoque fortitudinem & patientiam imitari: qui in tanta im-

cili-

dilitate corporis, tam graui morbo, tam asperis omnium ar-
num doloribus, nihil vnquam egit, neq; dixit, quod indignum
esset illa gloria, quam ex multis & maximis virtutibus sibi com-
parauerat. Qui si est à vobis ereptus, magnumque in eo orna-
mentum vestræ familiæ ablatum: tamen id amisistis, quod per-
petuum vobis esse non potuit. quod verò neq; ipsi illi mors, neq;
etiam vobis potuit adimere, id semper retinebitis: vt illius hono-
res, magistratus, publica munera, legationes, summam in iure
ciuili & Pontificio scientiam, summam integritatem, summam
amoritatem, præterea animum in Christiana religione præstan-
tem & integrum, nulla ex animis hominum deletura sit obliuio.
Et quoniam quæ voluntate & numine præpotentis Dei fiunt,
commutabilia non sunt, estque hic euentus omnibus proposi-
tus, qui in hanc lucem nascimur, & ad vitam non stabilem, sed
caducam producti sumus: non est grauiter dolendum de eo,
quod omnibus communiter accidit. In quo verò singularis atq;
eximia vestræ familiæ laus posita est, quòd talis vir potissimùm
in vestro genere sit natus: id cùm vobis, tum mihi, qui mirabili-
ter fateo vestris ornamentis & laudibus, etiam cum aliqua ani-
mi lætitia sæpiùs recolendum & commemoratione vsurpandum
est. Et nunc is quidem sublatus in eas cœli regiones, quæ piis &
probis mentibus propositæ sunt, fruitur præmiis pietatis & inte-
gritatis suæ, quibus, per Dei præcipuè clementiam & benignita-
tem, dignus effectus est. Ego verò, qui hoc animo sum erga colle-
gas meos, vt quoniam in eadem tempora incidimus, & in eodem
orbe Christianæ Reipub. versando, & moderando, sub optimo &
prudentissimo Pontifice vnà exercemur, arcto me omnibus illis
vinculo amoris atq; obseruantiæ esse obstrictũ sentiam: non pos-
sum non affici dolore & desiderio, quòd talem atq; tantum, non
collegam solùm, verùm etiam amicum, & defensorem veterem
amiserim. Cuius interitu, nõ orbus quidem senatus, multis sum-
mis viris ordinem eum ornantibus: sed res certè publica nõ me-
diocre detrimentum passa est. At nobis priuata forsitan res vestra
nunc quidem curæ est: quod ego non reprehendo: est enim hu-
manitatis domesticis suis incommodis angi. Sed tamen ex eo cõ-
solari vos potestis, quòd tibi in fratre, cæteris qui ex familia ve-
stra sunt, in suo cuiusq; aut patre, aut patruo humanis rebus ex-
empto, quicquid contigit damni, id commune omnibus etiam
alienioribus contigit: tanti autem viri famæ laudisq; perpetuitas,
propria ac perennis vestra futura est. Sed ego longiùs prouehor,
amore videlicet impulsus: nec satis animaduerto, me ad viros
fortes, & artibus optimis, disciplinisque instructos, nec conso-
lationis a quopiã egentes, orationem habere. Quare finẽ faciam.
Tamen te admonebo mi Thoma, id quod meæ erga te beneuolẽ-

tiæ est proprium, amisisse te quidem in fratre tuo, quod mat... in eo fuit, & quò nos aspirare non possumus, summam virtut... nimirum summamque autoritatem, quæ in illo vtraque pa... gregia fuerunt. Amorem autem & charitatem erga te nos... quam amisisse, quandoquidem ego illi in te amando par, h... reliquos omneis tuos, qui genere ex eodem sunt, simili an... atque erat ille, & eadem voluntate affectus sum. Quod tu... & denunciabis à me omnibus, & mea fide pollicebere. Stud... tuum, & cura quam suscepisti, quo pars illa ædium Vatic... rum, quam frater obtinebat tuus, mihi assignaretur, grauis... mihi fuit: sicuti cætera omnia, quæ pro me facis, aut dicis. S... ego habita ratione temporum, non duxi esse tentandum, qu... non confidebam posse obtinere. Quem tamen morem omn... bus in rebus teneo. Si enim mihi mea dignitas, & pudor non... non prodest, extorquere & eripere Principis beneficia non p... stulo. Quæ si minùs crebra ad me perueniunt, idque mihi à pu... nullis tribuitur inertiæ, quam mitiore vocabulo, nimiam m... molestiam appellant: scio ego quid agam. Nam & extra com... titorum certamina, atque contentiones, quæ molestiarum pl... næ, & grauium offensionum sunt: extraque periculum repos... qua ingenuis & liberis animis nihil accidere potest acerbius: p... catus interim, atq; tranquillus vitam ago. Quiq; meæ fidei & g... bernationi populi commissi sunt, & quarum mihi rerum adm... nistratio est tradita, in ea ita me gero: studiisq; præterea in tal... bus artium optimarum & præstantissimarum versor, vt alia q... dam via, & quidem certiore ea multò, ac magnificentiore, in ho... minum beneuolentiam & bonam existimationem me vindicem. Vale. IIII. Calend. Septemb. M. D. XXXIX. Carpentoracti.

III.

IAC. SADOLETVS S. R. E. CARDIN. Ioan. Morono Card. Legato Bononiæ S. P. D.

TE honorifico Pontificis maximi, totiusq; Apostolici sen... tus consensu atq; decreto electum esse, qui Bononiensi ci... tati præesses, partem Italiæ vel florentissimam regeres, & legatu... ne illa nobili fungerere, summoperè & tibi gratulor, & mihi ip... gaudeo. Quòd enim video honorem esse habitum virtuti ... prudentiæ, quam ego in te semper eximiam esse iudicaui, lætor duplici de causa: & quòd homini amicissimo præmium meri... tum persolutum est, & quòd ego memet in illo simili pene ho... nore affectum arbitror. Etsi enim impari laude, neque eodem fructu, ego easdem arteis semper secutus sum, in quibus tu ex... cellis: tamen quicquid virtuti datur, quoniam ego eius perquam studio-

Adiosus sum, id mihi quoque ipsi dari & tribui puto. Sed meus quidem à me iam penè ætatis cursus confectus est: tu viridi etiam nunc ætate, cùm tam maturè in tantas laudes ingressus sis, quò te spetare debemus esse peruenturum, & existimationis, & amplitudinis? Equidem pro mea summa erga te beneuolentia hunc legationis honorem, & hanc summam hominum de tuis clarissimis virtutibus opinionem, Deum tibi fortunare, & quotidie magis augere cupio. Hoc doleo, me tibi non potuisse præsentem gratulari: cognosces enim apertiùs quo in te animo affectus sim. Atq; vtinam suauissimam tuam consuetudinem diu antea mihi expetitam, deinde breuiter, & quasi in transitu ostentatam, tum cùm ego Roma in Galliam legatus proficiscerer, continuare diu inter nos potuissemus. Neque ego humanitatem tuam, nec tu meam erga te obseruantiam desiderasses: tum autem de nostris inter nos rebus ambo familiariter & liberè collocuti fuissemus. Sed posteaquam id non contigit, sumusque non regionibus locisque solùm, sed dissimilitudine etiam actionum consiliorumque distracti: erit tuæ integritatis & fidei, idem facere erga me, quod ego me tibi præstaturum esse polliceor: vt nunquam nomen tuum, neque ea beneuolentia qua te iam dudum sum complexus, ex animo & ex sensibus egrediatur meis. Atque hæc hactenus. Nunc aptum atque opportunum mihi visum est, parefacere fores benignitatis tuæ, vt per eas homini omni virtute doctrinaq; ornatissimo mihi charissimo, ad tuam ipsius amicitiam & beneuolentiam sit aditus. Is est Hieronymus Gratus ex ista ipsa ciuitate cui tu præfectus es, & ex nobili in ea genere familiaq; procreatus: qui primo ætatis suæ tempore, cùm ad iuris ciuilis disciplinam se contulisset, media fermè in adolescentia, omnium consensu promeruit, vt ad id docendum, quod licet præmature, tamen præclarè videbatur didicisse, se dederet. Itaque conductus honestissima mercede, ius ciuile aliquot annos in patria sua docuit. Pòst quærendum sibi nomen atque famam in exterioribus nationibus existimans, sanè forti animo patriam suam domesticosque penates liquit, & huc in transalpinam Galliam peruectus est: vbi celeriter cognitus, habitusque in honore & admiratione, Valentiæ diu magno stipendio, & maiore sui nominis fama, iuri ciuili docendo, & consulentibus respondendo qui vadique ad eum penè certatim confluebant, insignem operam dedit. Itaque charus his gentibus, egregieque probatus, cùm de eis augendis commodis mercedeque amplificanda quotidie ab eis cogitaretur: repentè decreto ciuium suorum & seuero & vehementi in patriam reuocatus, istuc parat proficisci, reuisens quidem patrios lares libenter, sed tamen magnum desiderium sui his nationibus relinquens, quo ipsius quoque animus non

poteſt non commoueri. Eum ego aduenientem, vt tu humaniſſime Morone omni tua comitate & beneuolentia amplectere quanto animi poſſum ſtudio te vehementer etiam atque etiam rogo. Quanquam de iſto quidem fortaſſe non es rogandus: Quid enim tibi familiarius, quàm tales complecti viros, & amore beneficiis tuis? præſertim qui ſint ex eo genere hominum, vt tuæ fidei & curæ commiſſi ſunt. Sed ego ad illam tuam ſolitam erga bonos humanitatem, liberalitatemque accedere alios te inſignius mea cauſa opto: vt Hieronymus ipſe cognoſcere ipſa & experiatur, valde ſibi profuiſſe commendationem apud te meam: ſeq; propterea ampliùs quiddam & maius aſſecutus quàm communis tua bonitas & natura cæteris largiatur. Ego à te ita expecto, vt nihil ſit quod poſſim expectare grauius aut optatius. Vale. Carp. IX. Calend. Iulij, M.D.XLIIII.

IIII.

IAC. SADOLETVS S.R.E. CARDIN. Greg. Corteſio Cardin. S. P. D.

MVTVA noſtra vetuſque beneuolentia, quam ſanctè & deliter ab vtroq; noſtrum cultam eſſe intelligo, facit, vt meis maximis rebus, quæ nunc quidem in ſacrarum literarum ſtudio omnes mihi conſtitutæ ſunt, tuum imprimis amorem tuamque eximiam excellentemque doctrinam, mihi requirendam eſſe putem. Cùm enim (vt tute ſcis) commentarium quendam de peccato originis iam pridem confeciſſem, hacq; maxime re & ratione, facultatem in has regiones reuertendi a ſummo Pontifice eſſem conſecutus: quod me (quoad poſſem) otium & tranquillitatem nactum, literis & ſcriptis ſanctam fidem Catholicam, decuſq; & autoritatem Apoſtolicæ Eccleſiæ defenſurum pollicitus eſſem: ſtatui mihi, vt primùm huc me retuli eundem eſſe librum accuratiùs retractandum. Quod cùm diligentiſſime feciſſem addidiſſemque non pauca, quæ mihi ad rem vberius explicandam idonea viſa ſunt: illum tanquam meæ diligentiæ teſtem, Pontifici ipſi maximo autori mei otij mittendum putaui ſcripſiq; ad ampliſſimum Cardinalem Farneſium vt eum quibuſdam ex collegio noſtro, tibiq; imprimis legendum & conſiderandum traderet. Quod factum fuiſſe, etſi certi nihil dum ſcio, vt confidam tamē adducor. Nunc alterum ὑπόμνημα iam elucubratum, in manibus habeo: nondum illud quidem expoſitū, quemadmodum & res ipſa, & mea diligentia poſtulat: ſed tamen eiuſmodi, vt ex eo, quanquam imperfecto, intelligi poſſit, quid ego habeam de purgatorio perſuaſi atq; certi: quæ res vna omnium maxime, hoc perturbatiſſimo tempore, ab Eccleſiæ (vt ſcis) hoſtis

opti-

oppugnatur. In quo ego catholicæ suffragor ecclesiæ: quod sanè mihi in omnibus meis & curis & actionibus semper est propositum. Eum ego librum statui mittendum ad te esse, vt tu mi optime doctissimeque Cortesi, pro tua in me beneuolentia, proque ea fide quam ego tibi habeo summam, laborum meorum multarumque vigiliarum partem aliquam mecum subeas: meque adiutum velis opera & sapientia tua. Primùm, vt quæ scribuntur à me, ea sanctè, & rectè, & ex integra veraque religione scripta sint: deinde, quæ pertinent ad politiores literas, quando vtriusque facultatis summum tuum est iudicium, de his etiam me admoneas: neque patiaris quę aptè & ornatè imprimis oportet scribi, ea me barbarè & inconditè scribere. Quanquam hoc leuius fortasse est. Illud grauissimum, vt ne quid prorsus à nobis effluat, quod cuiquam bene intelligenti, queat vel minimum aliquem spiritum peruersæ religionis afflare. Etsi enim ego in hoc quidem affirmantissimo sum animo, ita vt corpus & vitam potius, quam studium veræ pietatis amittere paratus sim: idemque cum Catholica Ecclesia arctissimè sum coniunctus: propter tamē imbecillitatem ingenii mei, tenuitatemque doctrinæ, diffidere mihi cogor, & doctiorum, ac sapientiorum quàm ego sim, hominumque præsertim nostri ordinis iudicia implorare. Quo è numero cùm mihi præcipuè occurras qui consulendus sis: mihique iamdiu persuasum sit, te & velle mea causa, & pro singulari doctrina, qui es præditus, posse plurimum mihi opis & subsidii afferre: omni animi studio te obtestor, vt quicquid futurum est negotii & laboris in legendis duabus hisce nostris lucubrationibus, eisque acriter expendendis, id ne te pigeat summo tuo in me beneficio suscipere ac perferre, cùm honoris mei, tum aliorum etiam vtilitatis causa: cum omnes qui in hoc gradu tanti honoris locati sumus, hæc aut agere ipsi, aut agentibus adesse fauereque debeamus. Vides tempora, vides hominum mores: vt quisque nostrum aliquid edit in publicum, quod aut contra falsas religiones, aut pro veris scriptum sit: non modò qui palam aduersantur nobis & repugnant, (nam hi fortasse minus pertimescendi sunt) verū etiam qui nostrarum ipsarum sunt partium, quasi ex insidiis repentè egressi, circumsistunt, accusant, inuehuntur: veluti proditionis insimulant: nec quicquam hoc tempore periculosius est, quàm de rebus bonis sanctisque disserere. A quo genere scribendi si abstinere velimus, cautiores forsitan sapientioresq; iudicabimur: iustiores certè, & meliores non erimus. Non enim qui talentum condidit sub terra, sed qui id exercuit, fructumque ex eo quęsiuit, in Domino in Euangelio laudatus est. Quem quidē ego negotiatorem bonū studeo imitari: ita animo paratus, vt omnibus iis qui me redarguunt, meaque mihi errata indicant, modò vt ii si

sine contumelia id agant, non solùm non succenseam, sed no-
gnarum etiam illis gratiarum debitorem me confitear, neque-
nim quicquam facere erga me possunt, quod mihi accidere qu-
at vel vtilius, vel gratius. Quamobrem mi optime Corte-
ego & iudicio tuo plurimum, & voluntati erga me omnia tri-
am: simque ipse (vt tute nosti) semperque fuerim tui cupidi-
mus & amantissimus: da mihi hanc operam quæso, & in hac
officio veræ amicitiæ inserui: vt meæ lucubratiunculæ tua se
doctrinâ & lima emendatiores. Vale, & nos dilige. Ex Felician
Carpentoractensis diœcesis, V. Idus Iunii. M.D.XLIV.

V.

GEOR. CORTESIVS CARDIN. IACOBO Sadoleto Cardin. S.P.D.

ETsi ratio officii postulabat, vt post tuum à nobis discessum
crebras ad te literas darem, quibus & de rebus publicis, & de
priuato rerum mearum statu fieres certior: (hoc enim & consti-
tutæ inter nos amicitiæ, & maximis beneficiis in me tuis fuisset
consentaneum) nescio tamen quo pacto factum esse dicam, vt
cùm dies nullus esset, quo non id facere cogitarem, omnes tami-
re (vt ita dicam) infecta elaberentur. Cùm verò tandem me ci-
turni silentii suppuderet, constituissemque omnino in posterum
eiusmodi negligentiæ maculam epistolarum frequentia delere:
repente redditus est mihi à te fasciculus, in quo nõ solùm adne,
& ad complures amicos literæ fuerunt: sed elegans etiam de Pur-
gatorio loco libellus: cuius (vt facilè intellexi) maxima apud o-
mnes expectatio iam anteà concitata erat: quod dum tu Bono-
niæ esses, nescio quid de ea re & doctis, & tui amantissimis fuisse
pollicitus: visum est nobis nihil opportunius accidere potuisse.
Quod enim prius, cùm nihil haberem quod scriptione magno-
re dignum esset, facere cogitaram, vt ad te scriberem: nunc nil
proposito argumento longè facilius mihi videor esse facturus: si
si adhuc quidem accidit incommodissimè: tanta enim fuit flag-
tantium molestia, vt vix semel libelli legendi, & id ipsum cursim,
facultas nobis data fuerit. Qui enim literas tuas reddidit, nesci
qua ratione intellexerat, librum in eundem fasciculum fuisse di-
iectum: cumque id ex eo cognitum fuisset: non potuit à me, ami-
cis postulantibus, diutius denegari. Ex eo tamen quod primis, vt
aiunt, labris gustare licuit, intellexi maximè obscurum locum,
& à nullo anteà satis diligenter tractatum, & nescio an omnium
qui nunc præcipuè in controuersiam venêre, longè difficillimũ,
à te & tractari commodè, & luculentissimè explicari. Qua de re
tamen, non solùm quid ego sentiam, cùm ex amicorum manibus
librum

Deum recuperauero, sed & quid ipsi iudicauerint, summa fide & diligentia te faciam certiorem. Nunc ea tantum de causa ad te scripsi, ne fortasse, vt nunc sunt tempora, suspicareris, literas tuas ad nos non peruenisse. Quod ad publicas res attinet, scito, omnium animos de rerũ euentu hìc magnopere esse solicitos: nec quicquam prius quàm ad huius miserrimi belli exitum peruentum fuerit. Etsi enim non magnopere adhuc Romæ tumultuatum est, summi Pontificis consilio singulari & prouidentia: cùm tamen omnia armis vndique circunsonent, vix fieri potest, vt ex aliorum calamitatibus, non cogamur de propriis periculis cogitare. Tu, quando honestissimum otium nactus es, & in eo potissimum oppido, in quo & tui sacerdotii munera præsens obire poteris, quod cœli clementia, & amœnitate locorum, maxima te potest afficere iucunditate: partem velim credas magnam felicitatis esse assecutum, præsertim cùm propè omne tempus insumas opprimendæ extinguendaque perditorum hominum impetus: qui non iam, vt anteà, occultis cuniculis: sed apertè arcem ipsam caputque totius religionis inuasere. Vale. Et recuperato ab amicis libello, longiores à me literas expecta. Romæ, Calend. Iulij.

VI.

IAC. SADOLETVS S.R.E. CARDINAL. Iacobo Sabello Cardin. S.P.D.

ANTONIVS Florebellus, maximus laudator & obseruator tui, Italia reuersus ad nos, cùm multis aliis de rebus me docuit, quæ in istis locis publicè gerantur: tum ea de meis priuatis amicis ac necessitudinib, mihi nuntiauit, quæ ego maximè audire expetebam. In quibus id mihi fuit gratissimum, quòd eorum quos ego diuturno iam amore & fideli beneuolentia prosequor, animum mutuum erga me, & parem voluntatem esse declaraui. Quo quidem nuntio nihil vnquam possum audire optatius. Nã cum natura mea eiusmodi semper fuerit, vt omnem propemodum meam delectationem vitæ in bonorum & doctorum amicitia haberim constitutam: nunc cùm vna hæc mihi, cæteris aut iam planè amissis, aut certè extenuatis exolescentibusque voluptatibus, remaneat iucunditas, quòd in amicorum cogitatione & memoria suauiter acquiesco: cùm de eorum officio ad me perferatur, nihil est ex quo lætitia affici maiore possim. Ac ille mihi in aliis quidem multa, de te verò Sabelle optime atque humanissime ea mecum locutus est, quæ ego cùm in te etiam tum adolescente multis primo mihi nuntiantibus, deinde breui illa consuetudine nostra, tanquam florescentia perspicere cœpissem,

gaudeo ferre illa nunc eos maturitatis fructus, vt iam non ferre, sed admirari tuas eximias & singulares virtutes debeamus. Amabam equidem nobilitatem & animi & generis tui, elegantiam morum, in congressibus humanitatem, in dictis factisq; constantiam. Sed illa me res præter cæteras delectabat, quòd videbã, qua voluntate in publicam rem Christianam esses, quo studio ergà optimas artes, qua mente ad cupiendum vt rectè omnia fierent mouerere. Quæ tibi egregia & summa animi bona, primùm a natura insita, deinde educatione disciplinaq; firmata, Dei primum omnipotentis, deinde etiam bonarum artiũ literarumq; auxilio, ad eam nunc frugem perducta sunt, vt habeamus in viridi etiam nunc tua ætate, quam cum grauissimis & probatissimis ordinis nostri patribus conferamus. Atq; hæc ornamenta animi ingenique tui, etiamsi mihi tecum nihil vnquam fuisset, si non te amore eo prosequerer, quo iam pridẽ mirifico sum cõplexus: tamen me ad te amandum non inuitarent solùm, verùm etiam inflammarent. Cùm verò de homine mihi & virtutibus suis, & amicitię nomine charissimo, tales ad me nuntii perferantur, statuere ipse potes, quanta ex eo lætitia & animi iucunditate afficiar. Sed me cogitantem de te, & penè ante oculos imaginem tuam habentem, etsi vt persistam diutius quasi in colloquendo tecum, beneuolentia hortatur: retinet tamen modestia, aptius enim & libentius de tuis laudibus cum aliis (vt soleo) loquar, quàm cum ipso. Quare finem faciam, si duo hæc prius precatus fuero: vnum, vt tibi ea fortuna sit, quam ista virtus probitasque meretur. Alterum, vt in nostra amicitia coniunctioneque tuenda, quo ego in te animo sum, tu similem mihi in me diligendo voluntatem præstet. Quo quidem munere nullum à te præstantius accidere mihi potest. Patri tuo clarissimo viro, quem ego omnibus de causis iure facio plurimi, cupio salutem per te plurimam meis verbis nunciari. Vale Carpent. V. Idus Iunij, M. D. XLIV.

VII.

IAC. SADOLETVS S.R.E. CARD. ANTONIO Perrenoto Episc. Atrebatensi, S.P.D.

CVM scriberem ad patrem tuum clarissimũ virum, non putaui mihi prætereundum esse, quin ad te quoque aliquid interarum darem: cùm & te non mediocriter diligam, multis quidem de causis, ingenii, doctrinæ, humanitatis tuæ adductus, & de tua in me vicissim beneuolentia persuasus sim. Scribendi autem causa hæc fuit. Ego post pacem factam, qua nullum maius neque præstantius hoc tempore beneficiũ à summo Imperatore Carolo in Christianam Remp. potuit proficisci, secutus maiorum exemplo, qui

eius testimonium laudis & iudicii sui, optimè meritis principibus libenter dabant: exaraui oratiunculam, qua gratias Cæsari communi Christianorum populorum nomine agens, illum præterea eas res gerendas suscipiendasque adhortor, quas maximè illius amplitudo & dignitas, reique publicæ salus videtur ab eo postulare. Quo genere scribendi veteres summi & doctissimi viri egregios Principes decorare soliti sunt: sicut multorum declarant orationes, ad Philippum, ad Alexandrum, ad C. Cæsarem, ad Traianum, ad Constantinum, ad plures alios scriptæ. Idem igitur ego, his quidem omnibus ingenio & facultate impar, sed dignitate certe aliquanto superior, instituo suadere Cæsari, vt in eas se conferat curas & cogitationes, quæ illius admirabili prudentia & maxima autoritate præcipuè sunt dignæ. Quod tute nosse ex mea oratione, si eam modò duxeris legendam, facilè poteris. Cũ ergo hanc ipsam orationem ad fortissimum virum Ferrandum Gonzagam per eum tradendam Imperatori misérim, amicitiam seruas, quæ mihi cum illius omni nobilissima familia permanet: rogaui patrem tuum per literas, vt adesse in tradendo, nisi Ferrandum fortè aliqua res impedierit, ipse eam per se reddere Imperatori velit. In quo mi charissime Perenote, tuam quoque operam & beneuolentiam mihi aduoco. Si erit non indigna facultatio mea quæ agatur, maximum me existimabo laboris meritum esse adeptum: quòd laudem optimi Principis, conatum eum ea spe, quam de illius virtute, animiq; magnitudine, Christianæ Reip. futura salutari, iam concepimus, meis literis ornatam illustratamq; videbo. Sin ea sordebit, ego tamen hoc assequar, vt meo exemplo, doctiores alii in eandem curam & studiũ scribendi se dedant. Sed de his rebus mãdaui tabellario huic meo, vt meis verbis tecum accuratius loqueretur. Ego quod ad me attinet, amorem eum conseruo, quem iam ab eo congressu quo ad Nicæam primum vnà fuimus, erga te suscepi: in quo meæ in te amandi constantiæ plurimum tuarum virtutum recordatio suffragatur. Tu si pari erga me voluntate fueris, non solùm meæ expectationi satisfacies, sed humanitati etiam constabis tuæ. Valete. Cupunt. V. Idus Nouemb. M.D.XLV.

VIII.

IAC. SADOLETVS S.R.E. CARDINAL. IOan. Toletano Episc. Burgensi. S. R. E. Card. S. P. D.

LONGVM interuallum est, cùm literas ad te dedi nullas. Quod accidit, non remissione obseruãtiæ in te meæ, nec obliuione tuarum, & humanitatis, & beneuolentię erga me tuæ: sed quia multis & molestissimis occupationibus impeditus, fratris etiam mei

mei mihi chariſſimi morte, qua grauiter affectus ſum, omnes meas curas ad luctum mœroremque reuocante, alia quoque officia permulta deſerere coactus ſum. Nunc cùm tempus veneri quo tempore, ſi aliàs vnquam, tua mihi & beneuolentia & auctoritate maximè ſit opus: fretus tua virtute & bonitate, cauſam mnem meam tibi imprimis exponendam commendandamque putaui. Pontifex Maximus me per literas ad Vrbem vocat: quod ego facturus ſim libenter, vocantique obtemperaturus, ſi mihi per meas rei familiaris anguſtias, & maximas difficultates facere liceat: eaque habeam facultatum ſubſidia, quibus & itineris ſumptum, & vrbanas illas impenſas ſuſtinere poſſim. Video enim quid mei officii ſit: quid poſtulent ſedis apoſtolicæ tempora: ſi non ingenium atque prudentiam, quæ in me aut nulla, aut ſanè quàm exigua eſt: at animum certè bonum, & fidelem operam præſtare debeo. Sed ita omnium ad iter ſumptumque neceſſarium rerum inops atque egens ſum, vt ab omni iſtuc veniendi & voluntate, & conatu, deſiſtere cogar. Et quoniam te æquum iudicem & ſapientem nactus ſum, ſi hoc non alienum tua grauitate exiſtimas, audi quæſo breuè meorum præteritorum temporum rationem, & ſermoni meo benignitatem tuam accommoda. Ego olim honeſtiſſimum locum apud ſummos Pontifices Leonem, & Clementem obtinens (vt te ſcire arbitror) cum magnos exilius autoritate loci, bona & vſitata ratione, quæſtus facere poſſem, & ad opes facilè diuitiasque peruenire, abſtinui tamen: neque me ſtudium coaceruandæ pecuniæ vllum vnquam tenuit: ſed gratitam omnibus tam vrbanis, quàm aduenis, operam meam ac diligentiam aſſiduè præbui. Poſteà voti cauſa ad Lauretanum Diuæ virginis templum profectus, cùm abſens à Leone Epiſcopus pronuntiatus eſſem, vt primùm in vrbem redii, onus illud à me quod potui, exercere conatus ſum. Non enim huiuſmodi honores mens mea vnquam appetierat: liberamque ego vitam magiſque quebar. Atque harum rerum grauiſſimos ampliſſimosque collegas noſtros, Saluiatum, Rodulphum, Gaddum, teſtes tibi exhibeo: & ſi qui alii ſunt, quibus illorum temporum res acta cura fuerit cognoſcere. Poſtea Leone mortuo, in meam hanc Carpentoractenſem eccleſiam aduenien ſ, cupidiſſimus in ea perpetuò manendi, facto Pontifice Clemente, ſtatim ab illo euocatus ſum. Cui optimè anteà de me merito, fidem operamque meam negare non potui. Hoc cum eo tamen pactus, vt operam illi meam triennium nauarem: quòd reliquum vitæ meæ tempus, non iam hominibus, ſed vni Deo in eccleſiæ meæ cuſtodia tribuere ſtatuiſſem. Quod ille, vt erat natura bonus, & mihi pollicitus eſt: & præſtitit. Roma igitur profectus, viginti diebus ipſis antequam Vrbs caperetur, eo animo Carpentoracte redii, vt hîc domicilio

non solùm corporis & fortunarum, sed omnium rationum consiliorumque meorum: totius denique meæ vitæ perpetuum collocarem. Itaque & literis iis quæ huius maximè loci sunt & muneris, tum me penitus dedidi: & quod solent hi qui frugalitate & rebus exiguis delectantur, nec veste, nec argento, nec supellectili lauta, domum meam ornare atq; instruere vnquam curaui: tantum meos reditus annuos in eos sumptus qui obtingebant integros erogabam, vt vertente anno nec deesset mihi quicquam, nec superaret. In hac mihi iucundissima & verè beatissima conditione vitæ, cùm decem annos ferè exegissem: repentè ab hoc summo Pontifice Romam accersitus, in sacrum vestrum istud Collegium, nihil tale suspicans, cooptatus sum. Cuius quidem tanti beneficij gratia à me huic Pontifici maximo debetur sempiterna. Sed magnus honor, & meis longè superior viribus, infirmis admodum & imbecillis ad sustinendum humeris meis impositus est. Ego enim qui nec pecuniam vnquam numeratam possederam, & instrumento omni honestiore carebam, meosque fructus annuos, qui mille ferme & sexcentos aureos efficiunt, (tot enim adhuc omnibus deductis possunt peruenire) vniuersos expendere etiam solitus: nouis subitò & magnis oneribus sumptibusque oppressus, magnum æs alienum conflare necesse habui: nec mihi postea rem familiarem meam explicare licitum vnquam fuit. Accesserunt tot itinera, tum multæ & crebræ vltrò citroque prætermissiones, ex Vrbe in Galliam, & ex Gallia rursus ad Vrbem: vt nunc planè omnibus consumptis atq; detritis, non solùm equis, mulis, veste, instrumento ad hoc iter idoneo nullo munitus sim: sed ne spem quidem videam aut rationem vllam reliquam instruendi mei, cum nihil omnino sub cœlo habeam quod meum propriumq; sit, quodque si sumendæ mutuæ pecuniæ sint, (quod tamen ipsum in hac iam ætate est miserum) creditoribus pignori & laboriæ esse possit, præter vnam tantummodo vineam, quæ mihi in Vrbe est, quæ ne ipsa quidem à creditoribus est libera. Has omnes difficultates ipse summus Pontifex non ignorat: qui mihi etiam sæpe ostendit, se meis commodis consulturum, idque aliquo ecclesiastico reditu: nam alio genere subsidij non delector. Quod cum ille adhuc non fecerit: non voluntate quidem, quæ optima certè illius erga me est: sed difficultate temporum impeditus: æquum erit mihi ignosci, si necessitate cogente, cui diuina etiam cedere veteres Philosophi dixerunt, ad Vrbem me conferre non potero. Etenim voluntas quidem mea prompta ad parendum est, sed facultas penitus mihi erepta. Quamobrem peto à te precorque Ioannes amplissime, vt pro tua autoritate, quæ meis maxima apud omnes est, tueare, vbi opus esse videris, & causam & famam clientis tui: neq; meum factum in aliam partem,

quàm

quàm vt à me tibi res est exposita, accipi, impetrariue patiare: tamen iure & rectè te id facere posse existimas. Namque ego omnium rerum satis mihi conscius sum, eum, qui magis etiam est conscius, Deum omnipotentem testor, & inuoco, me non vitare, quemadmodum possim ita in Vrbe domicilium constituere, vt illas impensas vrbanas sustineam: præsertim qui nec petitor vnquam, nec flagitator, nec sacerdotiorum auceps esse animum induxi. Sed semper his fui contentus, quæ aliena sponte, non meo flagitatu delata mihi fuerunt. Summa hæc est: cum omnes meæ facultates & fortunæ, tenues ipsæ per sese, æri etiam alieno multisque aliis oneribus hoc quidem tempore impeditæ sint: egoque præterea & à pecunia, & ab omni itineris instrumento imparatus sim, atque nudus: nullo modo honestè me posse de meo aduentu ad Vrbem cogitare. Quòd si aliqua in hoc motu rerum & expectatione propinqui (vt homines fuerunt) concilij, opera mea requiritur, (quanquam ego in tanto cœtu sapientissimorum & doctissimorum patrum infimus sum omnium) tamen & per amplissimum Cardinalem Farnesium antea Pontifici maximo, & denuo per meas literas paratum me esse ostendi, ad concilium ipsum (si ei videatur) ire: etiam priuato meo nomine, si ita magis placuerit. Eaque tibi, quantum mea infirma & tenuis auctoritas patietur, officia & studia sanctæ Apostolicæ sedi, & summo ipsi Pontifici præstiturum: vt mea & integra & grata in eius sanctitatem maximè extet voluntas. Etenim potero commodius illò, quàm ad vrbem accedere. Propterea quòd quæ in vrbe Roma ordini nostro indecora sunt, illic arbitror fore honorificentiora tenuitatem, frugalitatem, comitum paucitatem, & omnium rerum humilem summissamque modestiam. Habes causam meam, quam totam tuæ fidei, virtuti, humanitatique commendo. Tu quicquid in me studij, officij, beneuolentiæque conferis: persuadeas tibi velim, te in hominem gratissimum, & tui obseruantissimum esse collaturum. Vale. Carpentoracti, XIV. Calend. Februarij, M. D. XLV.

IX.

IACOB. SADOL. CARDINALIS Ranutio Farnesio Card. S. P. D.

QVÆ in hanc Vrbem de tui ingenij, summiq; ad omnem liberalem percipiendam doctrinam studij, fama & laude pollata sunt, eademq; vno & constanti omnium sermone confirmata: tantum mihi ea voluptatis attulerunt, vt id literis satis explicare non possim. Fuerunt enim & eximia, & noua, atque etiam edi, vt non modò lætitiam omnibus qui te diligunt, verùm etiam ignoti

ignotis & alienis, amorem erga te, & admirationem potuerint excitare. Sic enim dictum, & percelebratum est, te ista ætate, quæ nec dum matura ad cognoscendam percipiendamque vim scientiæ & virtutis esse solet: & ista fortuna, quæ cum amplior atque opulentior facta est, præsertim in pueris & adolescentibus, sæpissime ad optimas artes capessendas est impedimento: tantos tamen facile in virtute doctrinaque progressus, vt nihil eruditius, nihil à quoquam viro ingeniosius, ne in moribus quidem totius vitæ modestia, compositius possit expectari. Quod magno in conuentu amplissimorum hominum, magnis de omni literarum genere disputationibus, cum omnium admiratione declaratum in te aiunt esse atque perspectum. Quam ego tuam non iam spem, neque indolem, sed præsentem laudem vberemq; fructum eximiæ virtutis, cùm te pro mea in vniuersam domum & familiam tuam perpetua singularique & voluntate & obseruantia in filio diligam, ad magnum quoque animi mei fructum duco pertinere. Siquidem non minus fruimur aliorum bonis, cùm ex eis gaudemus: quam illi fruantur ipsi, qui ea bona obtinent. Quod hoc etiam mihi in te cumulatius contigit: quod non vllis tuis, neque communibus bonis: sed summis & singularibus gaudeo atque lætor. Atque in ista tua admirabili progressione ad virtutem, in qua longè ætatem tuam ipsa industria superat, agnosco quidem vim generis, virtutem sanguinis, fortunam familiæ tuæ, quæ semper istiusmodi viris atq; ingeniis fuit referta. Nemo enim quis hominum vnquam tuo auo sapientior, quem ad summum in orbe terrarum sanctissimi honoris principatum, ipsa sapientia prouexit? Quis fratre tuo Alexandro probior, liberalior, moderatior: qui cùm & fortuna, & dignitate, summis antecellat: humanitate tamen omnibus vult esse par? Non commemorabo cæteros: sunt enim omnes ex eadem stirpe & sanguine procreati. Ad te ipsum reuertar, in quo virtus & nobilitas generis tui relata planè, & præclarè expressa est: teq; quod mei tam in te amoris est propemodum paterni, hortabor & rogabo, vt hoc cursu quo cœpisti, ad summam laudem sic contendas & enitare, vt statuas, tibi hominum expectationem, quæ magna & incredibilis de te excitata est, non modò explendam, sed omnibus partibus & numeris absolutissimæ virtutis etiam superandam esse. Quod etsi perquam difficile videtur esse, tuis tamen ingenij neruis, & tuæ naturæ præstantia dignum est: eumque id & commodissimè fiet, si bonorum morum vetere firmo fundamento substrato, studia deinde & genera doctrinarum ita super extrues, vt in eligendis, quæ opportunissima sint, & in addiscendis quatenus possunt esse vtiles, non tam cura atque consilio, sed diuina etiam sorte quadam adiuuere.

iuuere. Qua de re dabitur aliquando nobis tempus inter nos tol-
loquendi. Nunc quod à me breuiter significatum est, non ad de-
cendi tui causa à me est susceptum (non enim tu ingenio neque
optimis monitoribus indiges) sed volui mei etiam beneuolenti
erga te, & voluntatis, aliquod ad te testimonium peruenire. Va-
le. Romæ, V. Calend. Octobris, M.D.XLV.

X.

IACOB. SADOL. CARDINALIS *Ranutio Farnesio Card. S. P. D.*

CAPIO non mediocrem curam debitam illam quidem egregiæ indoli tuæ, & ei opinioni quam ego de te iamdudum maximam concepi: vt quæ commota est hominum expectatio (cùm ferè omnes in te & oculis, & mentibus conuersi sint) ex cùm ingenij tui laude, tum virtutis & probitatis gloria explectur. Quod etsi difficile videtur esse, quòd nihil à te expectatur aut visitatum aut mediocre, tamen proprium est generis & præstantis animi tui, eò velle conniti, quò nemo alius non modò peruenire, sed ne aspirare quidem posse videatur. Mihi quidem prouenit summa erga te beneuolentia, sæpe desideranti congressum atque conspectum tuum, & ob hanc causam te in Vrbe videre cupienti, illa leuatio desiderij semper proposita est, quòd intelligo, te diu abes à nobis, id agere tamen, & ei rei operam dare, vt cum Romam tibi fuerit reuertendum, maior multò ad nos atque ornatior redeas. Sic enim nobis de te pollicentur eximiæ illæ artes & præclara studia, in quibus tu, consentiente omnium fama, noctes & dies assiduè versaris. Etsi (quòd mihi magnæ fuit admirationi) nouus quidam hominum sermo pererebuit, auum tuum, & dignitate & sapientia omnium principem, tibi iam autorem esse, magnopereque suadere, vt omissis his liberalioribus studiis, ad ius ciuile perdiscendum te dedas. Noua res, & mihi inexpectata: sed tamen, si ille ita vult, & si hoc illi statutum est ac deliberatum, nil contradico: parendum est summæ autoritati, summaque potestati: præsertim cùm nihil ille sine maximo consilio, maximaq; ratione facere existimandus sit. Sin autem, quod magis puto, magisque credibile est, non ille imperantis modo, sed veluti tentantis, & quasi communicantis, hac de re tecum locutus est: videlicet, vt eliceret sensum animi tui: existimaui meum officij esse, quid in hac re mei sit iudicij, breuiter ad te perscribere. Nam si tu natus in fortuna tenui, exiguis ad magnam dignitatem assequendam præsidiis munitus esses, laudarem ipse tuum huiusmodi consilium, tibique vt ad ius ciuile te conferres, auctor existerem. Est enim apta & omnibus patens via, ijs qui homili-

tate ge-

tes generis, & rei familiaris anguſtiis laborant, ab ſtudio iuris ciuilis atq; ſcientia ad magnos ſæpe honores opesq; peruenientes? neque aliam ob cauſam ius ciuile diſcitur, niſi vt per illud ad aliquam cognitionem hominũ, & meliorem fortunæ conditionem perueniatur. Tu verò qui illuſtriore multò ratione, nempe Dei immortalis beneficio, & virtute maiorum tuorum, in excelſo & fortunæ & honoris gradu iam conſtitutus es: eaque adeptus ſine vllo labore, ad quæ iuriſconſulti tantis contentionibus aſpirant: quid tibi nunc conſtes, ſi ineas iſtam viam, quæ te eò deducat, quò ſufficiente quadam iamdudũ es peruectus? Non ergo tibi eſt ius ciuile percipiendum eorum adipiſcendorum præmiorum cauſa, quæ illi ſtudio præmia propoſita ſunt. Habes enim illa & poſſis deo, neque tibi, vt ea quæ extra te bona ſunt, conſequare, iam eſt laborandum. Quod ergo tuum ſtudium? quæ debet eſſe animi tui contentio? Nempe mi Ranuti, vt ea addiſcas, concipias, mediteris, quæ ipſum maiorem, quàm tua fortuna eſt, efficiant. Alioquin tu neq; diuinis de te ipſo iudiciis, neque hominum expectationi ſatisfacere potis es. Conſiſtit porrò vera hæc & propria hominis magnitudo duabus potiſſimum in rebus: quarũ vna eſt, vt te ipſum iuſtitia temperantiaque exornes: altera, vt cæteros conſilio & prudentia tua regas. Atque harum rerum neutram ius ciuile, vtramque tradere & largiri philoſophia poteſt: modo ea benignè ac liberaliter, nõ inchoata ſolùm, ſed ad faſtigium vſque ſuæ Theologiæ, & veræ Dei cognitionis perducta. Etenim verum eſt, quod ſæpe dictum eſt, & quotidie dicitur, talem euenire ferè hominum, quales ſunt res, & qualia ſtudia, quibus ſe delectant & ducitur: quid poteſt à iuris ſcientia magnum præterunque exiſtere? in qua primum tenues ſunt res & minutæ quibus tractandis animus occupatus, frangitur ipſe quoq; & imminuitur, ita vt vix amplum quippiam aut magnificum edere poſtea poſſit. Deinde, id quod magis etiam animaduertendum eſt, ciuile ius totum ad eam vnam rem præcipuè intentum eſt, vt de pecuniariis controuerſiis, quibus maximè tumultuatur atque agitatur hominum genus, iudicia reddantur, quo in genere qui verſantur, vel iudicando, vel cauſas agendo, cum viderint tantum hominũ pecuniæ vel quærendæ, vel retinendæ ſtudium ipſi quoq; vehementiore aliqua pecuniæ cupiditate ſæpenumero tanguntur. Quod vnum ad adipiſcendam animi virtutem maximè homini infeſtum atque aduerſum eſt. Et ſunt tamen numero iuriſconſultorum clari aliqui & præſtantes viri, quales ſenatu noſtro non paucos cernimus, aptos ad populos ciuitatesque regendas: verùm illi bonitate ingenij, & naturæ præſtantia, non iuris ciuilis ſtudio tales effecti ſunt: præſertim ſi ad ipſam ſcientiam, id quod plerique eorum fecerunt, optimarum

quoque artium cognitionem addidere. Illud quidem certi
est inficiandum: probi iurisconsulti munus humano genere
perutile: quòd legum imperio & prouidentia, cohibita vi
que, hominum inter ipsos societas conseruatur. Sed tamen
gum tota vis in re familiari sua cuiq; conseruanda, non in
ne ipso ornando magnificandoque consumitur. At philoso
relictis eis solicitudinibus atque curis, quæ ad compendia
quæstum pertinent, atque illis prorsus pro nihilo habitis: ip
met suscipit hominem formandum sibi atq; expoliendum
hac extractum communi infirmitate, quoad eius fieri posit
milem Deo constituat, nihil sibi quod externû & fragile sit,
appetentem: consulentem libenter cæteris, omnia sua bon
virtute posita docentem. Quæ quidem virtus gratuita sit, nih
foris quærat, quodque omnium summum & præstantissim
est, omnibus in rebus, quid deceat, intelligentem: quæ
omnium difficillima generi humano scientia. Ille enim
splendor, quo ad Dei proximè imitationem accedimus, vi
eò hoc tempore oppressus & perturbatus est, auaritia, ambi
ne, cupiditatibus cæteris, quæ tenebris & caligine animos
num infuscant, vt ne minimam quidem partè luminis sui vi
tur obtinere: qui tamen è philosophia bonis ingenijs inferen
atque insinuandus est: si qui videlicet sunt, qui verè magni
in seipsis perfecti homines cupiant euadere. Nam quod ad re
dos & moderandos alios pertinet, nulla est scientia, nulla
omnino, ad hanc docendam prudentiam, quàm philosophia
præstantior. Illa enim cùm in consiliis præpotentis Dei ver
dis atque indagandis quotidie versetur, quibus ille hunc
complexum, tamq; immensam molem, & constituit ab
uina quadam sapientia & assiduè continet, vegetat, moder
verendum erit credo, ne nos parum doceat, quæ sit ratio
gubernandi: & quemadmodum hominum cœtus, quas ciuit
appellamus, regendi à nobis sint: cùm præsertim in eo genere
melius agere possimus, quàm vt omne nostrum consilium ad
præcelsa & sempiterna Dei consilia referamus: qui ex illis
quæ nobis suppeditat, nullû sibi ipse appetit: sed suis quibu
maioribus multò, longeque eximiis contentus est. Quam
clarissimam rationem nostræ virtutis, ac prudentiæ in gu
tione populorum exercendæ, sola philosophia tradere
docere potest. Quemadmodum est de Pericle Atheniensi
qui cùm illam Remp. quadraginta annos continuos rexisset,
rarenturque homines quî potuisset populum illum, sæpe
ra admodum insolentem, & fastidientem crebrò rectores
tam longo tempore gubernare: intellectum est, ea id ratione
tidisse, quòd Pericles Anaxagoræ in Physicis auditor, &
rum

tum naturalium scientia, percipiendis naturæ consiliis exercitatis & doctus, animum quem summis rationibus erudierat, prudentiamque quam maximam inde compararat, ab illis altissimis rebus, ad hæc inferiora tractanda agendaque transtulisset. Sed quid ago? epistolam institueram scribere, ea autem crescit in volumen. Finem igitur faciam: teq; & orabo & hortabor, vt (quod tua voluntate fiat) ita ad philosophiam animum tuum applices, vt statuas, ex illa, nec aliunde vsquam, veram tibi laudem, veramque dignitatem acquiri oportere. Vale. Romæ, XII. Calend. Octob. M.D.XLVI.

XI.

IAC. SADOLET. S. R. E. CARD. CHRISTOPH. Madrucio Episc. Tridentino S. R. E. Card. S. P. D.

AD eam amorem, quem antea erga te susceperam, & ad eam observantiam quæ tuis plurimis magnisq; virtutibus à me tributabatur, incredibile est, quantum accesserit ex eis literis, quibus proximè ad meas respondisti: plenissimis amoris, officij, humanitatis, elegantiæ: denique talibus, quales à doctissimo, & liberalissimo, omnique dignitate & prudentia ornatissimo homine debuerunt proficisci. Quibus ego certè ita sum delectatus, vt nulla te vnquam magis. Nam si diligi & probari à summis viris, homini non inhumano solet esse iucundissimum, quid est in tuis literis, hoc quidem in genere, quod abs te mihi tributum non sit? Proinde aut amantius scribi, quàm scriptũ est, aut honorificentius sentiri de me, quàm abs te est factum? Quanquam ego de iudicio ipso, quod tu de me facis, multum tibi remitto: de amore quidem nihil. Nam amari à te cupio, & volo: idque quàm maximè: nec est quicquam quod mihi euenire possit optatius. In quo etiam enimirus sum, vt merito id meo à te fiat. Non enim neque in amore, neque vllo in officio tibi sum concessurus. Tanti verò fieri ate, quantum tuæ literæ declarant, neque postulo, neq; me admodum esse dignũ arbitror. Sunt in me fortasse vmbræ aliquæ virtutum magis, quàm virtutes. Sed hæ tenues, & subobscuræ, nec illustribus satis ductæ lineamentis: quas cùm tantopere ipse auges atq; ornas, facis tu quidem quod natura tua, & candor animi eximius postulat. Sed in eo bonitatem, & liberalitatem, & virtutem tuã magis ostendis, quàm illustras meam. Quòd enim me cum Polo meo, tua opinione sententiaq; cõiungis, homine summa eruditione, summa pietate, summa prudẽtia prædito: optasq; denos vtriusq; nostrum similes, si fieri possit, existere: quorũ fide, vigilantia, consiliis afflictæ Christianæ Reip. subueniatur: est quidem hoc & tuæ probitatis, ac religionis argumentum maximũ: &

eius opinionis, quàm de me habes conceptam, indicium
Veruntamen scito, cum iamdiu sit, quòd ego virum illum &
& admirer, nunquam me optare esse ausum, vt cum eo
rer: tantum sat mihi duxisse, si illius modò persequi vest
procul obseruando atque imitando possem. Itaque habeo
& in vita, & in disciplina, & in omnibus forensibus, senatoriis
actionibus, ducem ac magistrum. Quem quòd tu quoq; tan
diosè laudas & probas, periucundum id mihi est: proprium
eiusdem præstantis animi tui, de quo iamdudum loquor.
enim cum paribus (vt est in prouerbio) facilè coniungeuntur
mihi sæpe in mentem venit optare, qualem vos ambo Chris
nam Rempub. esse cupitis, talis vt ea, si non hominum oper
diuino tandem aliquando beneficio constituatur. In quo tua
toritas, & erga Deum religio, allæque complures animi ingen
que virtutes, plurimum eidem Reip. profuturæ sunt. Sed de
satis. Ego quod mei iam priuati erga te officij est, & maximas
gratias ago, habeoque, quòd tantam, & tam beneuolam volu
tatem erga me susceperis: & tibi vicissim spondeo atque po
ceor, qui maiore cum fide, ardentiore studio, fideliore obser
tia colat te & diligat, te non alium facilè esse reperturum, quòd
venerit vsus vt re ipsa declarandum sit, me tui cupidissimum
per esse cognosces. Vale. Romæ, XIII. Calend. Februar.
D. XLVI.

XII.

IAC. SADOLET. S. R. E. CARDIN. Christoph. Madrucio S. R. E. Card. S. P. D.

CVM huc allatum esset, fratrem tuum Aliprandum, virum clarissimum, diem suum obiisse: etsi ego quoque hoc nuntio grauiter eram perturbatus, quòd & illius mortui virtus, & mea in te beneuolentia communem mihi eam calamitatem faciebat: tamen non alienum duxi amicitia esse & coniunctione nostra, quæ mihi venirent in mentem ad tuum dolorem leuandum, aliqua ad te perscribere. Non quòd dubitarem, quin a ipso commodè & sapienter id fieri posset: sed quia fortitan dolore impræsentia impeditus, minus illa perspiceres. Atque ego, cùm te ipsum absens intueor animo & contemplor, cumque virtute tua, de vsu rerum maximarum, de optimis artibus, quibus es egregiè & liberaliter instructus, cogito: vix videor posse credere, te cedentem fortunæ oppugnationibus de statu discedere grauitatis tuæ. Rursus, cùm mecum reputo quem virum amiserit, cuiusmodi tibi frater sit ereptus, quo & quam insigni lumine atq; ornamento orbata sit domus & familia tua: cogor ignoscere hu-

mani-

nuitati; & veniam dare, si mollius fortasse aliquanto fers, quàm
tuistans & firma ratio magni hominis postulet. Sed tamen si
quid tibi rei nouæ accidisset, quod apud cæteros esset inusitatum
& insolens, posses iure tu quidem propriam aduersus te fortunæ
iniuriam accusare. Sed si hoc omnibus planè est propositum, vt
motiuum sit: neque vllum in eo inter claros & obscuros, senes
& adolescentes, bonos & malos, omnino discrimen est: cur mœ-
remus illius obitu, qui expleuit suæ ætatis cursum, si non anno-
rum numero, at certè rebus gestis, & magnitudine honorũ, quos
summa cum laude est adeptus? At non vides & cogitas, non mo-
dò in longa, sed mediocri etiam in ætate, omnibus propè morta-
libus vsu hoc venire, vt circumfusi strage amicorum & beneuolo-
rum, quos variis casibus amiserint, desertam propè à prioribus
necessitudinibus, quæ maximè solent esse iucundæ, reliquam vi-
tam degant? Quod mihi quidem hoc tempore præcipuè & præ-
ter cæteros accidit: qui & multis antea partim cognatis, partim
hominib. amicissimis & iucundissimis, & proximè duobus pro-
pè animi mei pignoribus, Bembo meo, & Victoria Columna,
sanctissima, atque omni tum animi, tum ingenij laude præstan-
tissima fœmina, priuatus sum. Sed quis finis lugendi sit, si cunctos
quos amauimus, velimus amissos mœrore diutius & lacrymis ꝓ-
sequi? Nos verò tollamus potius animos ad immortalitatis spẽ:
& illud cœleste regnum quod nobis Deum in CHRISTO ritè
colentibus, ab eodem Deo oblatum propositumq; est omnibus
nostris viribus studeamus adipisci: intelligamusque, nos ad agen-
dum res præclaras, non ad plorandum esse natos. Sicut & ipse
frater tuus optimè intellexit: qui in omnibus vitæ suæ consiliis &
actionibus, non vt diutissimè viuere posset, sed vt fortem & illu-
strem vitam ageret, semper est meditatus. Quem nunc ablatum
nobis, & in eam vitam quæ multò melior est multoque præstan-
tior, cum suarum virtutum merito, tum diuina imprimis beni-
gnitate translatum, laude quidem debemus & pia commemora-
tione, non autem lamentis & complorationibus prosequi. Qui
si vixisset, teque, quod potuit accidere, ante se vita functum luge-
re necesse habuisset: nónne vides, qua ille in te fuit pietate & be-
neuolentia, quàm duram & asperam fati conditionem subiisset?
qui nunc ab omni eiusmodi cura periculoque solutus, in summa
gloria fœlicitateque versatur. Atqui si illum amabas, vt profectò
amasti, patere quæso meliorẽ hoc esse illius conditionem, quàm
tuam, quòd ille in vera perpetuaque lætitia, tu inani nunc in do-
lore positus. Quem tamen dolorem dies tibi ablatura est, etiam
fructus & virtus tua cessauerit. Quapropter vide quid tibi sit ne-
cesse: omnes de te ita opinamur, & sentimus, vt de fortissimo &
constantissimo homine sentiendum est. Qui si tuis tot aliis egre-

gijs ornamentis, hanc vnam deesse virtutem senserimus, prudentiam in rebus aduersis, & in retinenda animi firmitate constantiam: non nos quidem mirabimur, humanum enim hoc, & commune est peccatum: veruntamen non magni illius est viri, qualem & tu præstare te debes, & nos optare vt talis ab omnibus esse cognoscaris. Ego beneuolentia erga te inductus, hæc ad te scribenda mihi duxi: quibus multò plura & meliora, & ingenium tuum, & quibus semper operam dedisti, doctrinæ studia suppeditabunt. Quòd si aliquid erit à me his literis effectū, quod valeat vel ad mitigandum dolorem tuum, vel ad virtutem animum excitandam: habebo amicitiæ nostræ magnam gratiam, quæ me hoc vt facerem non solùm suasit, sed etiam impulit. Sin autem tua prudentia ista non requirente, ego minus necessario officio fuero functus: tu tamen pro tua humanitate & bonitate, hanc nostra ab optimo animo & propensissima erga te voluntate profecta accipies. Reliquum est, vt tibi redigam in memoriam, me à eo tempore quo te amare cœpi, tuis humanissimis literis provocatus, mansisse semper in amore, & mansurum esse: atque vtinam dies potius allatura semper aliquid incrementi sit, quàm quicquam de mea in te singulari beneuolentia detractura. Vale. Romæ, III. Idus Martij, M.D.XLVII.

XIII.

IAC. SADOLETVS S. R. E. CARD. AD Amo ab epistolis Ferdinando Regi Rom. S. P. D.

IOANNES Marsupinus, homo ea comitate, eoque ingenio, quod tibi quoq; video esse notum, atque idem in rebus gestis summa fide, diligentia, assiduitate præditus, sæpius olim ad me cùm Roma abessem, de tuis virtutib. permulta scripserat: talesq; tibi testimonium apud me dederat, vt ego te cùm virum doctum atque grauem, tum verò etiam imprimis prudentem, & mire isti clarissimo Regi gratum atque probatum esse iudicarem. Posteaquam autem & idem ascripsit, & ego ad Vrbem paulò ante reuersus, ex eis quas ad eum dedisti literis ipse perspexi, te non solùm mei amantissimum, sed scriptorum etiam meorum peridiosum esse, quæ abs te vndiq; conquirentur, vt quàm plurimum mecum quasi colloqui posses. Dicam id quod res est, in tantum tui studium & amorem adductus sum, vt continere me non potuerim, quin has statim ad te exararem literas: tibiq; & animum meum totum, & sensum patefacerem. Nam si quisquam est, opto me & suauissime Adame, qui aliqua significatione alterius ergà se beneuolentiæ capiatur, ego me eum esse cōfiteor: cui nil accidere possit optatius, quā à bonis viris, & tui similibus diligi. Nec

vero

verò fructum vllum in agenda vita maiorem aut vberiorem per-
cipi posse arbitror, quamprimùm quidem mereri: deinde etiamsi
non ita planè mereamur: tamen adipisci aliquo casu, vt chara sit
prudentibus viris atque bonis, non modò salus nostra, sed etiam
memoria. Quod quando non tam meo quidem vllo merito,
quam tua præstanti humanitate consecutus sum, vt abs te tanto-
pere diligar, tantiq; fiam: nisi par tibi in omnibus officiis bene-
uolentiæ extitero, hominem ipse me non putabo. Quamobrem
velim sic tibi persuadeas: habeasq; certissimum, neminem esse
qui tui amantior, quàm ego sum, esse posthac possit: omniaq; &
fructus & officia amicitiæ, in quibus ego seruandis ac retinendis
admodum sum diligens, tibi ita à me prompta esse & parata, vt
gratissimum sim habiturus, si mihi occasionem aliquam obtule-
ris, per quam mea erga te voluntas, & animus amicissimus per-
spici quidò possit. De meis scriptis nihil sanè erat quod tibi pol-
licerer. Habebam equidē inchoata nonnulla, sed nihil erat per-
fectis: nisi fortè orationem libenter lecturus es, qua ego Cæsari
pro pace Christiano nomini concessa superioribus mensibus
gratias egi. Eius ego orationis describendæ, si id voluerit, faciam
Marsupino nostro potestatem. Atq; ipsum Ioannem Marsupinū
prorsus amantissimum & studiosissimum tui, etsi minimè opus
esse arbitror, tamen ita tibi commendo, vt maiore studio, ma-
gisque ex animo, neminem cuiquam commendare possim. Amo
enim iuuenem hunc mirabiliter: cùm ingenio ipsius, & singulari
probitate, tum plurimis erga me eiusdem officiis adductus. Qua-
re sic existimes volo, quicquid in illum studij & beneuolentiæ
tuæ conculeris, totum id abs te in me collatum me esse iudicatu-
rum. Vale. Romæ, V. Idus Iulij, M.D.XLV.

XIV.

IAC. SADOLETVS S. R. E. CARDIN. *Didaco Mendozæ S. P. D.*

AB eo tempore, quo tu me primùm Carpentoracti vidisti, &
cùm illac iter in Italiam haberes, apud me inuitatus fami-
liarissimè diuersatus es: ego iam tum cognita & virtute & huma-
nitate tua suscepi eum amorem erga te, quem etiam nunc summa
cum fide tueor: neq; mihi longinquitas temporis quod postea
intercessit, neq; locorū distantia, quibus seiuncti fuimus, de meo
iudicio quicquā beneuolentiaq; imminuit. In qua te eadē puto &
amoris constātia erga me mansisse, & voluntate. Secuta sunt tem-
pora quibus vterq; nostrûm ad varias deinde & curas, & actio-

nes vitæ distractus est. Ego in hanc vrbem bis, tertue accessi, quanquam ægerrimè à studiis artium optimarum diuellerer, tamque illam pristinam plenam suauitatis & otij commutatam nollem: tamen Pontificis maximi imperio subire senatorij huius muneris onus, & publicis negotiis me dedere compulsus sum. Imperatorem Cæsarem secutus, cuius magnitudo plurimas orbis terræ & Christianæ Reipub. partes complexa est: probata fide, industria, & vigilantia tua, magnis ab eo sæpe rebus & negotiis præpositus es. Itaque ego vt proximè rediij in hanc vrbem, a qua aliquot abfueram annos, cùm cognouissem te ibi tum esse apud Venetos Cæsaris, munusque illud egregia quadam cum dignitate & gratia sustinere: cogitaui ilico scribere aliquid ad te, & renouare illius primæ congressionis nostræ per literas memoriam: vt si tu vinculum illud initæ tunc inter nos amicitiæ firmum retineres, ipse quoque tibi ostenderem, me non esse immemorem neque nostræ coniunctionis oblitum. Sin te forte graues & occupationes atque curæ ab hac de me cogitatione abduxissent, vt insinuarem rursus me tibi, antequã totus planè ex animo tuo effluerem: Scito igitur me nunc Romæ esse, implicitum quidem his solicitudinibus atque curis, quas & rerum omnium perturbatio, & durissima tempora Reip. ferunt. Quanquam in hac occupatione animi, atq; molestia nitor eum tenere cursum, vt non in sermonibus solùm communibus qui quotidie incidunt: sed etiam sententiis in senatu dicendis meus in Repub. sensus, meumq; iudicium appareat. Non enim desino hortari & monere, recte iam agi necesse esse omnia, si saluam Christianam Rempublicam stare velimus, & veterem illam sanctitatem Christianæ religionis in mores & studia hominum reuocari oportere: in qua imprimis sententia Pontifex ipse Maximus est. Itaque datum ab eo est & legatis qui præsident, & concilio patrum qui conuenerunt, negotium, vt consulant ipsi & considerent, quæ videantur esse commenda, quod eorum monitis atque consiliis ipsius diligentia & autoritas minimè defutura est. Quamobrem venio magnam in spem, bene actum iri cum rationibus publicis, si & Cæsar eum vnà cum Pontifice in hoc incubuerit studium, vt in reparanda religione Christiana & Repub. communis quoque pacis, & omnis dignitatis ratio habeatur: quod sublatis odiis dissidiisque, illaque æquitate animi moderatione que susceptæ, quæ Christianos principibus maximè digna est, ipso iuuante imprimis & opem ferente Deo, si eum nos piè deprecati fuerimus, non difficulter poterit obtineri. Verùm hæc ad eiusdem Dei præpotentis arbitrium summumque concilium reicienda sunt. Quod autem ad priuatum nostrum officium pertinet, ego te mi Didace, non solùm diligo, quod iam pridem facere instituisti, sed etiam in oculis

ſtro, quòd meis optatis de te tua virtus atq; induſtria mirificè re-
ſpondit. Petoque à te, vt quoniam propiores iam ſumus, quàm
fuimus, facilisq; eſt inter nos miſſio literarum, ne me tuarum re-
ram inſcium atque expertem eſſe ſinas: ſcribasque interdum ad
me, fructumque hunc vel amoris, vel humanitatis tuæ mihi tri-
buas, vt ex literis tuis intelligam me tibi eſſe cordi. Quanquam,
(quod mihi fuit moleſtiſſimum) audiui te laborare quartana fe-
bri. Sed fretus prudentia tua, & verni temporis auxilio, quod iam
appetit, confido tibi celeriter futurum quemadmodum cupi-
mus: nempe vt valeas, firmusq; ſis. Quod ex ſententia tibi &
tua & noſtra vt contingat, Deum rogo ſupplex atq; oro. Vale mi
Dilaſe. Romæ, M.D.XLVI.

XV.

IAC. SADOLETVS S.R.E. CARDIN. *Henrico Luſitano S.R.E. Cardinali, S.P.D.*

ACCEPI literas tuas, plenas humanitatis atque officij: in
quibus quòd mihi gratias agis, quòd te mea ſententia in ſa-
crum collegium noſtrum cooptandum duxerim, eiuſmodique
cooptationem non differendam in aliud tempus: quæ antequam
locus mihi dicendi datus eſt, in ſenatu ſententia valere videba-
tur: ſed ſtatim & in præſentia declarandam cenſuerim: facis tu
quidem grato animo, agnoſcoque in eo humanitatem tuam. Sed
ego in ea opinione ſum, quæ claris & præſtantibus viris officia
tribuantur, ea non tam gratia ab iis qua tributa ſunt, quàm gra-
tulatione ab omnibus celebrari conuenire. Ego cùm de tuis plu-
rimis magnisque virtutibus, quæ & ad doctrinam, & ad religio-
nem pertinent, multa ſæpe audiſſem, quæ mihi penitus inſede-
rant in animo: eſſesque tu præterea eius regis frater, quem nos
pene vnam verè Chriſtianum Regem hac noſtra ætate poſſumus
appellare: purum atque integrum ab omni Chriſtiani ſangui-
nis macula, fidem Chriſti ſanctiſſimam longè lateque propagan-
tem: quid mirum, ſi omneis meas curas, omneis contentiones,
omnia ſtudia ad augendum honorem & amplitudinem tuam
conculi? præſertim cùm is ſim, qui erga tales animos incredibi-
li quodam ſtudio beneuolentiaque afficiar. Quamobrem quod
ego feci, id ſummo veſtro merito à me factum eſt. Quod tu au-
tem agis, vt mihi ex eo gratiam te debere agnoſcas, magis id bo-
nitati tuæ, quàm vlli meo merito æquum eſt aſſignare. Sed de his
ſatis. Illud quod eſt in literis tuis ſcriptum, quodque ego plurimi
facio, imprimisque expecto à te vti præſtes. Scribis enim te & fi-
dei Catholicæ, & ſedis Apoſtolicæ autoritati, quarum vtraque
magnis in hoc tempore procellis tempeſtatibusq; iactatur, para-

tum esse vel tuo sanguine subuenire, si ita res ferat: conaturumq; id facere omnibus tuis opibus, hoc maiore animo, quò iste bonos, atq; istius amplissimi sacerdotij dignitas maiorem tibi facultatem eius rei agendæ videtur allatura. iste animus tuus, Hemine optime, tuaq; præstans atq; eximia in Christianam Remp. voluntas, ea est profectò, quæ te superiorem omni honore facit. Tu verò subuenies (mihi crede) tuaq; opera plurimum & autoritate Remp. adiuuabis. Quid enim est quod tanta virtus non queat efficere, præsertim tot ornamentis fortunæ & nobilitatis adiuta? Sed initium tam præclari operis, nisi ego fallor, tibi inde ducendum est, vt frater tuus, clarissimus Rex, veterem suam & suorum maiorum omnium in hanc sanctam Apostolicam sedem obseruantiam: quæ vestræ regiæ familiæ & nomini vestro maximam semper laudem attulit, nullis hominum insidiis, nullisq; machinationibus patiatur interrumpi. Quod non scriberem, nisi mihi quædam intuenti, nonnulla extimescenti, tu opportunissimo tempore visus esses vocatus ad eum honorem diuino propè consilio, in quo tuæ partes præcipuè futuræ essent pacis & amicitiæ stabilis retinendæ. Quod quidé à tua virtute atq; prudentia maximè expectatum est. Sed de his quoq; plus etiam satis. Extremum est, vt tibi omnia tua studia mihi pollicenti, non solùm agam, vti debeo, gratias: sed pari voluntate & beneuolentia ita respondeã, vt amicitiæ fides, & bonorum virorum mos & natura ipsa postulat. Quare sic habeto, me & permagni facere amorem erga me tuum, & in omnibus rebus quę ad dignitatem tuam pertinebunt, ea semper acturum esse, eaque sensurum, ex quibus meus vicissim amor in te summus, & singularis obseruantia appareat. Vale. Romæ, XII. Calend. Septemb. M. D. XLVI.

XVI.

IAC. SADOLET. S.R.E. CARDINALIS *Georgio Cælio Lusitano S. P. D.*

LITERAE tuæ, quas mense Septembri Vlixipone datas, ego ad tertium Idus Aprilis accepi, summam quandam mihi atque incredibilem voluptatem attulerunt. Vidi enim in illis & perspexi, non solùm qui tu vir esses, quo ingenio, qua doctrina, qua etiam eloquentia præditus: sed etiam quantoperè me diligeres: quo munere atq; honore, à tali viro præsertim, nihil habeo quod vel optare possim præstantius: quanquam tu in me laudando aliquantò es effusior. Sed vt ego eas in me laudes non agnosco, sic beneuolentiam tuam erga me amicissimè complector, parq; in me amoris & voluntatis studium refero tibi, atq; redde. Poema tuũ (quod patere omnibus necesse est) omni ex parte elabor-

beratum & elegans, magnopere me delectauit: nihil enim video te subterfugisse in eo, quod ad mundiciem Latinæ linguæ, omnesque in ea lepores & venustates pertineat, quas apud nos propè iam intermissas, & quasi obsolescentes, tu homo non in Latio natus, tam diligenter consectaris & exprimis, vt aut mutata hominum locorumque conditio, aut Latium hinc ad vos videatur esse translatum. Sed vt cætera in tuo carmine digna approbatione, sic illud maximè laudandum extollendumque est, quod veræ atque incorruptæ religionis patrocinium præstas: quę religio in hoc tempore calamitoso, oppugnata vndique, atq; vexata, quò pauciores habet à quibus & legitimè & fortiter defendatur: hoc magis ipsa suorum defensorum & nomen & memoriam tueri debet: & cùm illis præmia apud Deum immortalia parata sint, humanos quoque honores impartire. Quorum quidem in numero te egregias tenere partes, præclara illa Christiana patientia, quam carmine tuo tam accuratè illustras, vel in primis ostendit. Sed hæc hactenus. Ego & beneuolentiam erga me tuam magni facio, & meam tibi non minorem polliceor: tibique hoc sic persuasum esse volo, me in omnibus officiis, quæ fidelis amicitia requirat, nec studio, nec voluntate tibi vnquam defuturum. Vale. Carpent. V. Non. Maij. M.D.XL.

IACOBI SADOLETI S.R.E. CARDINALIS, EPISTOLArum Lib. XVI. Epist. I.

IAC. SADOLETVS S.R.E. CARDINAL. *Alberto Pighio Campensi, S.P.D.*

Vos libros de Hierarchiæ ecclesiasticæ principatu cùm legerem, plurimaque in illis inuenirem, quæ tua cura & diligentia in lucem è tenebris, quasi vetustatis prolata sunt: scatereq; ibidem omnia optimis & sententiis & autoritatibus cernerem: equidem ingenium, & doctrinam, & notitiam tuam rerum antiquarum sum admiratus. Probitatem autem & religionem illa mihi res etiam in te ostendit, quòd vidi & cognoui, te opimo animo & consilio adductum, quò Christianæ Reipublicæ tot malis detrimentisq; affectæ, opem pro tua parte ferres, tantum negotii & laboris suscepisse. Quæ res, & mea simul propensa in doctos probasq; homines voluntas, effecit, vt has ad te instituerē dare literas, quibus tibi indicarem, cùm mihi vehementer tua scripta probentur, pietatem tamen, & voluntatem tuam, multo etiam magis probari,

bari. Itaque quod solet sequi necessariò, vt cùm de quopiam bene existimamus, illum etiam diligamus: scito, me tantum suscepisse beneuolentiæ erga te, vt si quid exiterit, quod tibi ex me commodum aut honorificum possit accidere, neminem qui me vincat in amore & studio tibi gratificandi sis habiturus. Ego Romæ non eram cùm has scribebam literas: sed in ecclesia mea Carpentoracti, quò Nicæa veneram, vt ex longo & difficili morbo pristinam propè valetudinem recrearem: quibus in locis hyems me oppressit. Nunc in Italiam & ad Vrbem cogitabam: quò cùm his paucis mensibus, vt spero, peruenero, (si mihi id Dei beneficio saluo facere licuerit) ita memoriam tui, & meritorum tuorum apud summum Pontificem Collegas quo meos sanctæ Rom. Ecclesiæ Cardinales excitabo, & calefaciam: vt & ipsi, & cæteri omnes intelligant, doctis & excellentibus viris, quanquam alienigenis & absentibus, magnos tamen fautores in vrbe Roma non deesse. Nec tamen prætermittam, quin interea dem ad Pōtificem Max. literas, debitúmque imperriam tibi & virtuti tuæ apud illum testimonium: quòd hoc triduo omnino sum facturus. Sed quod ad priuatas meas cogitationes attinet: scito Alberte doctissime, me ex tuis libris in maximas angustias & solicitudines animi coniectum esse. Versabar enim in eisdem planè studiis, & in eodem argumento elaborabam: iamque conficeram bonam partem lucubrationis meæ, cùm tui ecce libri mihi inopinanti aduenerunt. Nunc quo me vertam nescio: si pergo atque insisto, videbor omnia abs te esse mutuatus. quid enim tu cuiquam reliquisti, quod is tanquam nouum aut inexpectatum possit dicere? Si desino, diutum erit frustra à me susceptos fuisse tot labores. Quid igitur agam? quid? opinor id, quod veteres etiam philosophi & fureconsulti faciebant, eisdem de rebus, alio modo. In quo hauriam de fontibus quoque tuis: nec me tantum scriptorum tuorum excellentia deterrebit (quanquam deterret illa quidē, & vt quiescam suadet) quantum adiuuabit copia: quæ facit, vt maiore etiam animo quam antea, & minore meo cum labore, confidam, spatiúm me curriculi mei, in quod ingressus sum, bene & celeriter esse confecturum. Vale, & nos tui amantissimos dilige. Carpentoracti, III. Calend. Martij, M.D.XXXIX.

II.

IACOB. SADOLET. S.R.E. CARDIN. Lazaro Bonamico S.P.D.

ADVENTVS ad nos Florebelli nostri, cùm mihi per semignæ voluptati fuit: tum eò etiam gratior, & iucúdior, quòd & tuas is mihi attulit literas, & percon: ationibus meis quas hui

hui de te, peritissimè respondendo, omnia tua diligenter est persecutus. Quo quidem sermonis genere, in quo videlicet Lazarus meus, is & amicus, & vir, quem ego & iudicio animi, & studio, & beneuolentia complector propè singulari, vltro citroque versatur, nullum facile possum reperire suauius. Illud cupiissem, vt te tuæ occupationes non detinuissent, quo minus ad me longiorē epistolam mitteres. Non enim dici potest, quàm libenter tuas epistolas legam, & quidem longissimam quanque libentissimè: vt illas legens, tecum mihi videar loqui. Quòd si olim in collocutionibus nostris, illud inerat & vsitatum, & dulce, quòd liberè, & sine cura vlla, sine cautione inter nos efficiebamus quæcunque in buccam venerant, quam nobis licentiam familiaritas dabat: quî nunc conuenit restrictos esse in scribendo, cùm liceat eadem fiducia & libertate loquendi literas conficere, qua sermones confectebamus? Sed tu vereris fortasse, ne tibi in epistolis tuas facundiæ opes explicanti, postea cùm è suggestu iuuentutem doces, contra causidicos desit oratio: quorum tu, quanquam optimus dialecticus es, captiones tamen vitare nequiuisti. Quid vis fieri? sua etiamque hominum generi sophismata sunt, quibus captent aduersarios, & in laqueum inducant: quanquam capitaliora fortasse quæ aurum, quàm ea quæ mentem ex suis educant locis. Sed quid ago? cum ad iocandum minimè idoneum tempus sit: & ego id non cogitans, ad veterem inter nos consuetudinem sic garriendi reluptus sim. Nam si verum scire vis, mi Lazare, ego cùm has scriberem literas, & in maxima eram solicitudine de Repub. quā vides ipse profectò quo in statu, vel potius quo in motu posita sit: omnia quidem vt aduersa in ea, & aspera horrere debeamus. Et tantum doloris acceperam ex morte summi viri, mihi collegæ, omnibus & amoris, & officii vinculis coniunctissimi, Federici Fregosi, vt adhuc animus illo vulnere æger, ex mœrore & tristitia nunquam non posset: cui tamen vulneri paulum quid medicamēti leuioris induxit tui absentis recordatio. Nunc reuiuisceret dolor, nisi eam ego ab huius argumento epistolæ penitus exclusum vellem, præsertim cùm alia quadam mea lucubratiuncula tanti viri obitum satis sim lamentis prosecutus. Eam schedam ad te perferet Paulus Sacratus meus, quem ego cupientem iamdiu vestrum illud gymnasium Patauinum inuisere, & in eo dare operam non studii solùm artium optimarum, sed studiorum etiam in disputando & cum æqualibus disserendo exercitationibus, libenter ad vos dimisi: tua fretus imprimis humanitate, & in nos beneuolentia: non enim dubito, quin eum tu sis eodem loco habiturus, quo ego habere soleo. Itaque illum ne commendo quidem: satis eum tibi nostra amicitia commendat. Tuam ad Donatum Rullū epistolam legi perlibenter, non solum quia disertè & eruditè scri-

pta

pta est, ita vt accedat ad antiquitatis laudem: sed etiam, quàm hominem eum missa est, quem ego mirabiliter diligo, tum virtutibus eius, tum etiam officiis erga me, vel beneficiis potius prouocatus: cui ipsi, quæso meis verbis dicito, si nos dignos statueri quos aliquando in hæc loca veniens inuisat, permagnum mei aduentu eius, & ex conspectu lætitiam esse capturum. Vale. Lazare. XII. Cal. Octob. Carpent.

III.

IAC. SADOLETVS S.R.E. CARDIN. ROmulo Amaseo, S.P.D.

VENIENTI isthuc Iacobo Bordingo, qui Scholæ Carpentoracensi triennium præfuit, optimo viro, & Græcis Latinisque literis eruditissimo, non potui nihil ad te literarum dare: tum commendarem tibi hominem, quem mediusfidius ego singulari beneuolentia complector: tum etiam, tu vt agnoscere, memoriæ me tui cum summa item beneuolentia retinere. Is ea de causa Bononiam proficiscitur, vt quoniam dedit aliquot annos medicinæ operam, id studii & laboris in ista vrbe perficiat, doctorumq; iudicio statuatur dignus, qui ipse quoque possit eam ciuibus suis artem & scientiam profiteri: quod illud magna cum ingenii & doctrinæ laude adepturum esse confido. Nunc, etsi non dubito mi Romule, quin quem à me, & diligi & probari intelligis, eũ iustis studiis atq; officiis omnibus prosecuturus: tamen sic volo tecum æstimare, vix quenquam inueniri posse, in quo tua mihi officia accidere possint gratiora, quàm in Bordingo, cui omnibus de causis meritò amicissimus sum: cupioq; eum quàm maximè & celebrari & ornari. Quod tu præter cæteros egregiè mihi præstare potes, qui præes Bononiensi iuuentuti, & elegantib. ingenijs dominaris, in ea vrbe natis, è qua eruditio, & optimarum artium disciplina, in has transalpinas nationes dimanasse creditur. Porrò autem hæc sunt quæ ego te posco: Primùm vt diligas hominem ipse, & charum habeas: deinde, vt eidem doctos isthic viros conciles, reddasque eum, & meo, & tuo testimonio omnibus notum. Postremò, vt cùm publicè iudicium de dignitate Bordingi per doctorum collegium fiet: tu cum tuis omnib. vestro cum comitatu frequentia atque honestetis. Quanquam summa postulatorum meorum hæc est: te vti ita geras aduersus Bordingum, amore, studio, diligentia: vt intelligat ipse, meam hanc sibi commendationem apud te plurimum profuisse: egoque in hoc homine experiar, id quod tamen iampridem scio, me abs te non solùm diligi, sed etiam vehementer amari. Vale mi Romule. Carpent. IV. Cal. Octob. M.D.XL.

IAC.

IV.

IAC. SADOLETVS S.R.E. CARDIN. *Scipioni Blanchino, S. P. D.*

BORDINGVS meus suis literis, quę tamē ad me tardissimè sunt perlatę, de eis rebus scribens, quæ isthic ipsi honoris sui comitia obeunti, valde fœliciter & ex sententia processere: cùm multa in illorum erga se officia commemorat plena amicissimi in me, qui illum absens meis literis commendaram, studii & beneuolæ voluntatis: tum tibi dat præcipuè, summæ erga se humanitatis, & præstantis cuiusdam liberalitatis testimonium: coactuq; tuo diuersarum se esse apud te, & domo tua, tanquam sua comiter ac iucundè vsum esse perscribit. Quod ego mi Blanchine in eam partē accipio, vt quanquam tu omnium doctorum virorum & fautor, & obseruator sis: tamen hoc mihi in ipso Bordingo honoris abs te neque officii tributum esse non dubitem. Non n. sum oblitus, cùm ego olim isthac iter facerem, Bononiamq; venissem: te mihi ad hospitium publicum præsto fuisse: inuitasseq; domum tuam studiosè, & omnia signa egregii cuiusdam amoris mihi ostendisse. Quæ ego tua tum humanitate cùm non essem vsus, quòd mihi tam instabat præproperum ac necessarium: recordor tamen, perinde me habuisse, ac si & tecto, & opibus tuis ex labore viæ planè recreatus fuissem. Neque verò postea (vt sum natura factus) ex animo tanquam excessit meo, illius tui facti officiiq; memoria, nūc in Bordingo ipso renouatum per te, factumq́ue est excitatius: quod non obsoleuerat quidem in mente mea, sed se ad occasionem aliquam tempusq; reseruabat, studium meæ quoq; tibi vicissim beneuolentię aliquibus tibi signis indiciisq; declarandæ. Quod quoniam propter diuturnam absentiam meam re ipsa efficere difficilius videtur esse, & spissius: iccirco has ad te interim dare ad tuas literas, quib. tibi significarem, animum tuū istum erga me, & mihi perspectum iampridem, & nuper in Bordingo apertiorem etiam factum fuisse: quem tu honoris mei gratia tam honoratè amanterq; tractaris. Quòd si locum mihi fortuna præbuerit, vt possim, quanti te faciam, & quid tua causa velim, quemadmodum quidem cupio atq; opto declarare: perficiam vt intelligas, te homini gratissimo, & similiū tui amantissimo, præstitisse ea officia, quæ non ideò solùm permagni æstimanda sunt, quòd à beneuolentia & amore proficiscuntur: sed etiam quòd gignunt ipsa & procreant summam beneuolentiam: quam iam inter nos mutuam conflatam esse, & à mea parte conscius mihi sum, & è tua cōsido. Tu mihi Blanchine da operam vt valeas: nosq; fac abstineris vt diligas. Matthęum Curtium medicum apud nos insignem,

signem, & doctissimum hominem, Romulum, totamque simul Campegiorum domum, qui omnes in Bordingo suum mihi animum & amorem patefecerunt, meis diligentissimè vt salutes vobis, gratiasque cunctis hoc nomine agas, etiam atque etiam impeto. Carpentoracti.

V.

IACOB. SADOLET. S.R.E. CARD. PROSPERO Sanctacrucio S.P.D.

MAGNA me voluptate affecerunt literæ tuæ: ex quibus perspexi, vigere apud te, & memoriam amicitiæ nostræ, & studium propensæ erga me voluntatis: quam ego habui semper carissimam, ab eo tempore vsque, quo tu Patauii optimis artibus operam impendens, nonnulla iam illhinc ad me tui amoris iudicia misisti. Quo quidem tempore memoria teneo, me duplicater ex te lætari esse solitum: cùm ab eisdem testibus cognoscerem, & quantum tu mihi tribueres, & quantum cæteris ipse æqualibus tuis, qui tunc in eodem versarentur cursu, industria & omni laude ingenii antecelleres. Secutũ est tempus, cùm fuimus Romæ: omniaque ea quæ inter nos intercesserant tanquam elementa & semina futuræ familiaritatis, congressu nostro mutuisque sermonibus alta, educta, confirmataque sunt: nostraque coniunctio in eum statum adducta, vt & tua mihi obseruantia, & meus tibi animus amorque patuerit. Sed quorsum hæc? Vt intelligas, mi carissime Prosper, ea quæ tu scribis in literis tuis, de tuo studio & beneuolentia erga me, deque ea fide ac diligentia quam in causis meorum sis præstaturus, etsi iucundissima mihi fuerint legenti literas, tamen etiam sine literis, animo mihi præcepta, ac minimè dubia fuisse. Carolum quidem meum optimo iudicio vsum esse video, qui te & Aragonium nostrum patronos populis meis asciuerit. Quid enim mihi vtriusque vestrum fide, doctrina, beneuolentiaque exploratius? Equidem laboro meorum ciuium causa: idque me & iustè & piè facere iudico. Agitur enim illorum res meum autem officium: quod ego ita sanctè diligenterque tueor, vt nihil sit omnino quod habeam antiquius. Quod si in humanis actionibus & negotiis, valuit semper apud me ratio officii plurimum, quid facere debeo in diuinis? Ex Deo enim est hæc, non ex hominibus, quæ mihi cum his populis necessitudo contracta est, quam ego dum integrè castèque custodio, si minus seruio commodis & vtilitatib. meis: illos tamen fructus multò vberiores consequor, quòd pacatus intus, & totus mihi concors, optima cum spe viuo. Cum igitur mei huius laboris atque officii bona pars ad vos delata vel potius mihi communicata sit vobiscum: peto ambobus

lebris à vobis, vt eiusdem etiam mecum & studii & curæ participes esse velitis. Quanquam non tam hoc petere, quàm me vobis gratias agere oportet: tanta mihi satisfaciendi voluntas in literis est declarata. Cuius ego certè memoriam perpetuò conseruabo. Vale mi Prosper, & tibi ita persuade, me si facultas & occasio affuerit, fautorem semper fore & amplificatorem tuæ dignitatis. Avignone plurimam die meis verbis salutem. Carpentoracti, Pridie Iduum Ianuarii, M.D.XL.

VI.

IAC. SADOLET. S.R.E. CARDIN. IOAN. Baptistæ Speciano S.P.D.

Clemens mea & natura & consuetudo erga amicos postulat, facile hoc & sæpe & libenter, vt absens te absentem meis cogitationibus proponam: gratamque recordationem vsurpem, cùm veteris tuæ, tum mutuæ beneuolentiæ nostræ. Quin illum quoque diem, quo posterò fuimus vnà, sermonemque totũ, quem coniunximus inter nos, in memoria semper habeo: cùm tu mihi Carpentoracte redeunti ad portam Mediolani in diuersorio præfatus mecumque primo amicissimè conquestus, quod non in tuam in vrbem: quòd nec tuo, nec summi viri fortissimiq; ducis Alfonsi Dauali hospitio essem vsus: cùm tibi mei facti atque consilii rationem attulissem, consuluisti boni: ad eaq; officia mihi tuis ipse conuersus, quæ maximè tempus illud meum, & itinerationis periculorum quæ impendebant, ratio requirebat: nihil prætermisti, quod vel in me adiuuando, studium tuum atque animum vel in docendo & commonefaciendo, prudentiam desiderare. Quo quidem tempore illud mihi fuit iucũdissimũ, quòd vir ille quoque quem ego alieniorem ab huiusmodi sententia fore arbitrabar, meum relinquendi res propemodum perditas, & tranquillitatem abeundi consilium, probari. Habebat autem nõnihil controuersiæ & disceptationis res: vtrum liceret homini hoc honore dito, partesque eas in Republica obtinenti & auctoritatis & sententiæ, quas longa iam ætas, & vsus rerum plurimarum attribuerat, discedere a consiliis publicis, & ad priuatas cogitationes se referre. Quanquam, hoc quidem modo re proposita nullus videretur esse excusatio, quæ me vindicare à culpa & peccato posset. Quo quid homini, ea quæ gerat, rectè atque ordine fore cupienti, posset accidere grauius? Exponamus igitur cautiore alio modo, & ita quæramus: vtrum licitum sit homini in alio munere publico & honore posito, cùm aduersis omnium votis rebus videat nihil se proficere posse, quod ad Reip. pertineat dignitatem: habeat autem idem domi & priuatim præclaras genere

actiones, in quibus versari & se exercere commodo eiusdem Rei-
pub. queat: dimittere curas publicas, & ad priuata studia se con-
ferre quæ præsertim nihilominus in publicam vtilitatem nos-
tura esse videantur. Sic enim proposito statu causæ, facilior est
explicatio veræ rationis, & mei facti defensio. Nam si ego ope-
ram meam vtilem esse Reipub. existimans, subtraherem me à ne-
gotiis publicis, & otii fruendi ac desidiæ causa Vrbem curiamq;
relinquerem, ne me ipso quidem iudice, à maximi criminis cul-
pa essem absoluendus. Etenim quid cogitari potest iniustius
quàm si quæ habeas animi aut ingenii bona, quæ in commu-
hominum vtilitate elucere possint, ad eaq; exhibenda, tui hono-
ris munere atq; officiosis obstrictus: non illa ad publica emolu-
menta conuertere, sed quęrere tibi ipsi priuatim otium, cùm tu-
us labor proficere ad plurimorum hominum fructũ & commodi-
tatẽ possit? Vera hæc est ratio, neq; excusationem habet huiusmo-
di voluntas. Sed si, quò res collapsæ in suum ordinem & locũ re-
stituerentur, veraq́ue regendi & gubernandi ratio à principibus
nostris iniretur: neq; temeritati, & fortunæ, cupiditatibusq; in-
consultis permitterentur omnia, multa sæpe à me & dicta & tes-
tata sunt: nihilq́; prætermissum, quod vel ad docendum, vel ad
cohortandũ vel ad rogandum etiam valeret: portò autem nullæ
meæ sint in Republica præterquam sententiæ dicendæ, & con-
silii explicandi partes: quid facere debui, postquam omnia cona-
tus, niti me frustra, & laborare intellexi? An contra fluctum fla-
tumq́ue (quod aiunt) nauigio tenui, remis velisq́; contendere?
Quòd si spes aliqua tamen extitisset melius fore aliquando: & si-
sti, quorũ imperium summum est & potestas, non præcipitantes
prorsus & præruptè, sed cum timiditate tamen & cautione aliqua
in ea consilia se coniicerent, quæ sunt & ipsis perniciosa, & Rei-
publicæ potuissem aliquandiu forsitan dolorẽ pati, potuissem oc-
casionem expectans dissimulare, quoad veniret tẽpus, in quo ex
mei animi sententia, quę certè in hoc genere rectissima & san-
ctissima est, possem opem ferre auxiliumq; Reip. cũ conatus me-
os, & labores omneis, quos pro illa susciperem, fore illi subsidio,
nec casuros irritos existimarẽ. Cũ verò nostri principes, qui ma-
ximè tueri & regere Christianam Remp. deberent, nihil videãtur
sibi habere propositũ, nisi exitiũ & euersionem earũ ipsarum na-
tionũ, quarũ præcipuè salus à præpotente Deo illorum est fidei
commendata, & credita: cumq́; ea illi sola consilia exquirant, &
appetant, quæ sibiipsis, omissa consideratione Reip. arbitrantur
vtilia: (in quo falluntur quidem sed doctorem monitoremq; nõ
recipiunt) seseq́; ita gerant, vt quasi mercede à Barbaris hostibus
Christiani nominis conducti, operam illis ipsis in profligandam re
Christiana strenuam studeant nauare: quid me tandem agere cõ-
sul-

sibi leue oportuit? Spectatorémne me communium miseriarum constituere? Et essem tam ferreo animo præditus, vt atrocitatem illius spectaculi perferre possem? Qui enim mœror meus in calamitate tot populorum, qui animi dolor esset? qui non mihi corporis vel asperrimus cruciatus, leuior tamen illa acerbitate accideret? An cùm in hoc communi tanquam nominis & generis nostri incendio, omnes ferè non ad auxilium, sed ad direptionem conueniant, ego quoque particeps aliqua ex parte illius prędę esse debui? At mihi prius millies mors acerba eueniat, quam vt illius modi culpam labémue vllam suscipiam: de qua ne cogitari quidem posse sine scelere & parricidio ab homine vllo puto. Ergo id, quod fuit reliquum, atque solum, sumpsi mihi, & constitui: concedendum mihi esse in ea loca, quò nec Pelopidarum nomẽ, neque facta meas ad aures perlaberentur. Quod etsi non omnino assequor, multas habeo tamen & iucundas à molestissimis hisce curis & solicitudinibus animi auersiones, quas mihi potissimum præclara artium optimarum studia suppeditant. Et si verum scire vis: ego cùm viderem multis & variis modis ac impugnationibus labefactari rem religionemque Christianam: habereque eam hostes & externos & domesticos, qui hoc etiam deteriores perniciosioresque existunt, quòd illi externi, bona hęc terrena sua sponte caduca per seque interitura, nobis eripiunt: hi certum, & patriam illam beatam atque sempiternam conantur eripere: quæ ad vim hostilem reprimendam idonea sunt arma atque consilia, ea principib. terrenis à Deo permissa sunt, si illi nutum & voluntatem summi Dei voluerint attendere, quibus verò prauæ huiusmodi opiniones, quæ in CHRISTI fidem veramque & puram Dei religionem, magno cum omnium salutis beateque viuæ amittendæ periculo, non diu antè irruperunt, coerceantur & retundantur: illa ego mihi sumo, & ad hoc opus saluberrimum atque sanctissimum studium, operam, laborem, curam, diligentiamque meam omnem polliceor atque profiteor. Itaq; si meis operis Dei benignitas affuerit, opera ea sum effecturus, quæ si nõ magnitudine & numero, ac perspicuitate & intelligentia, certè multis fidei in CHRISTVM nostrę mysteria ita apertam in lucem proferent, vt velut magno illato lumine, facile sit futurum vnicuique, qui animũ modò æquum attulerit, ad cognoscendũ, inter verum atque falsum discernere & iudicare. Quod meum consilium cum maximè ad commodum & summam Christianæ Reipub. spectet vtilitatem, eiusque ad partem illam tuendam fouendamque pertineat, quæ præcipuè ægra, eademq; nomini Christiano maximè salutaris sit: ego qui ex illis fluctibus in hunc portum me recepi, & in eis commoror nunc locis, vbi plurimum illi quitari & prodesse queam, non deseruisse curam cogitatio-

nemq́ue de Repub. sed illam nũc demum verè & vtiliter suscepisse sum existimandus. Sed, vt ad prima redeam: cùm antea te dilexissem, & virtutibus tuis multis, & etiam officiis erga me protecatus: tum verò extremus iste congressus noster, prudentiam maximè mihi tuam & æquitatem animi probitatemq́; aperuit. Vt enim, vidi, te & lugere eosdem Reip. casus, quibus ego afflictor, & eodem animo appetere honestum otium, quo ego id sum consecutus. Quod etsi fœlicius mihi obuenit, quàm adhuc fortasse tibi: magnum tamen præ se fert probi & sapientis animi indicium illa eiusmodi mens, quæ tædio malè rerum contractarum, & ea tum sibi, & facultatem fruendæ libertatis quærit. Quod solet accidere fermè iis, qui optimo ingenio & natura ingenua in lucem editi, postquam diu versati in principum negotiis, aliquando perspexerunt, quàm illa aliena à tranquillitate animorum, vel potius inimica beatæ & iucundæ vitæ sit viuendi ratio: quippe quæ tota angoribus assiduis, maximisq́ue solicitudinibus, tanquam sentibus & spinis, intestinos sensus nostros lacerat atque cruentat: aut è vestigio si possunt, aut saltem pedetentim & cautè, illis sese laqueis & compedibus conantur exoluere. Quæ cùm in vtroque nostrum similis volũtas sit, eodemq́ue ambo studio, optimis & artibus & literis dediti simus, ad multas & graues nostræ coniunctionis mutuęq́; beneuolentiæ causas, hæc quoq; similis sensus & communium studiorum ratio, tam magni momenti pondus affert: vt ego amorem quem erga te suscepi, quoad vixero perpetuum sim seruaturus. Quod vt de me tibi polliceor, sic mihi vicissim de te persuadeo. Tu, si eiusdem tibi erga me animi cõscius es, id mihi literis tuis si declaraueris, faciès rem mihi vehementer optatam atq; gratam. Alfonsum Daualum, cuius ego virtutẽ, nobilitatem, magnitudinem animi, mirificè & cultu & beneuolentia mea prosequor, vt saluere iubeas meis verbis, summeq́; me ab eo cupere diligi illi vt confirmes, magnopere à te peto. Vale. Carpentoracti, Idib. Septemb. M.D.XLIII.

VII.

IAC. SADOLET. S.R.E. CARDIN. IOAN. Bernardo Feliciano S.P.D.

ETsi in summa expectatione eram, post Rulli mei literas, quibus ad me de Appiano Alexandrino scripserat, illius libri habendi, meęq́; in eo legendo explendę cupiditatis, qua diu fueram huius egregii (vt ego sentio) scriptoris ipsius lingua cognoscendi, non mediocriter accensus: tamen non exiguum fructum eius moræ, quæ mihi afferebatur, tuas accepi literas: quæ, & qui tu vir esses, & quam beneuolentiam erga me suscepisses, planè mihi indica-

dicarunt. Sunt enim amanter prorsus, & perdisertè scriptæ. In his quòd tarditatem negotij tantopere excusas, tua quidem diligentia mihi vehementer grata: sed excusatio non ita necessaria fuit. Facilè enim intelligo, ea quæ aliena fide operaque gerantur, non admodum sæpe respondere votis eorum, qui suum in iis rebus officium agi putant. Quod tamen officium magis à te ex humanitate tua susceptum est, quàm quòd ego de te vlla in re bene sim meritus. Sed tamen quicquid est, quod abs te actum est mei honoris causa, id mihi prorsus non modò accidit gratissimum: sed magnam etiam curam attulit, vt si fuerit occasio, coner te compensare non impari munere, præsertim cum videam quanta cum diligentia & literarum elegantia scriptus liber, idemque à glutinatoribus quam aptè & compositè concinnatus sit: in quo amoris & liberalitatis primas Rullo partes, tibi secundas sine dubitatione defero. Agoque propterea ambobus vobis magnas gratias. Tibi autem, qui me in tuis literis eis laudibus exornas, quas ego non agnosco: totumque id refero amorem ad eundem, qui tuus erga me mihi iam perspectus est: his meis Feliciane literis hoc respondeo: te, etsi nequaquam antea mihi fueris notus, tamen hoc recente officio ita animo insedisse meo, vt quidem te posthac in meorum amicissimorum numero habiturus sim. Neque id solùm, verùm etiam optaturus, locum & tempus aliquod mihi dari, quo tu me item tui amantissimum esse intelligas. Vale. Carpentoracti, Idibus Iunij, M.D.XLI.

VIII.

IAC. SADOLET. S. R. E. CARDIN. *Donato Rullo S. P. D.*

SAt longum interuallum factum est, ex quo ego tuas literas accepi. XII. Cal. Aprilis Venetijs datas: Quæ etsi summam significationem tui erga me amoris habebant, erantque ita scriptæ, vt nihil illis suauius, nihil ingenui animi liberalisque naturæ significantius fieri posse videretur: tamen quoniam habebant Appiani Alexandrini mentionem, teque adhibuisse diligentiam, vt is liber Græcè describeretur, mihique mitteretur, indicabant: non putaui mihi quicquam rescribendum, quod certum scirem, quò allatus ille liber, & cuius fidei ac diligentiæ mihi reddendus commendatus fuisset. Nihil enim erat de hac re in tuis literis scriptum: neque valebam coniectura assequi, vnde illum mihi, aut qui pacto accersendum putarem. Quò cùm longius duceretur, eoque in maxima expectatione tui mihi optatissimi muneris esset: recordor scripsisse ad Priulum, talem virum, qualem tu quoque existimas: hoc est, omnibus ingenij, officij, virtutisque

ornamentis præditum: vt is re explorata, quamprimùm hanc expectatione liberaret. Qui cùm ad me ipse scripsit, tum mihi iam Ioannis Bernardi Feliciani (hominis docti, &, vt perspicue videor, mei quoque studiosi & amantis) literas: ex quibus egre citer lætatus sum, quòd in eis luculentum inerat testimonium tuæ singularis beneuolentiæ erga me, & item suæ. Neque tamen statim liber tunc vnà cum literis, sed post aliquot dies, mihi idem redditus est. Quem ego, mi suauissime Rulle, ea cum animi lætitia accepi, qua solent, qui magnum honorem aliquem amplum concupiuerunt, ad sui desiderij exitum peruenire. Nam mihi quidem regnum atque honos literæ sunt: in quibus tractandis, vt non ex illis lucem aut gloriam, sed moderationem animi & regulam quandam vitæ pacatius traducendæ, mihi sumendam putem. Porrò autem hunc autorem semper imprimis admiratus sum, prudentiamq; in eo penè singularem cognoui: etsi cùm Latinum legerem, neque verba satis in eo, neque sententiæ constabant: perspiciebam tamen in eius scriptis nescio quid, quod mihi extollere super communem vsum cæterorum scriptorum præsertimque Græcorum videretur: quod nunc tuo iudicio & Rulle beneficio melius & liquidius diiudicare potero. Totum enim scriptorem hunc planè penitusque comprehendam, & perscrutabor: ad quod me adiuuabit, quòd ita & scriptus, & ordinatus liber est, iisque & literarum intus, & extra pegmatis illustratus: vt nō solùm vtilitas, verùm etiam voluptas me ad legendum vehementer sit allectura. In quo video tuam summam diligentiam, cum summo amore, quem in me habes, certasse. Quare gratias tibi equidem ago pro tua erga me liberalitate, & habeo maximas. Sed in quo etiam gratius mihi es facturus, si me diliges & si hominem esse me existimas non indignum eis studiis, in quibus ambo educati sumus, persuasissimum tibi habebis, nunquam tui huius officij elapsuram mihi memoriam ex animo: nec modo me adductū beneficio, verùm etiam imprimis beneuolentia erga me tua, curaturum omni studio, vt aliquod aliquando mei in te amoris & gratissimæ voluntatis indicium appareat. Vale. Ex Feliciano Carpentoractensis diœceseos, Idibus Iunij, M.D.XLI.

IX.

IAC. SADOLETVS S. R. E. CARDINAL. Donato Rullo S. P. D.

QVINTVS hic agitur mensis, ex quo tempore ego in hanc vrbem me retuli: non mea sponte quidem neque voluntate huc adductus, sed inuitus, ac dolens Pontificis Max. imperio territusq; compulsus, cùm mihi in otio studiisq; meis honestissimis

sinal ac libentissimè commoranti, hoc sanè iter perincommo-
dum, & valde contra animi sententiam accidisset. Sed vt primum
Romam attigi, fuitq; cum quo de meis rebus loqui familiariter,
& libetè possem: id quod & tua erga me officia meritaq; postula-
bant, & mei animi grata fidelisq; memoria mihi suggerebat: sta-
tim de te & de tuo omni statu percontatus sum. Noli enim puta-
re mi Rulle non mihi insidere in animo perpetuam memoriam
illius liberalitatis tuæ, cùm misso ad me transalpis vsque optatis-
simo libro, non solùm consuluisti studiis meis: sed quo tu esses
erga me animo, qua beneuolentia ostendisti. Neq; hoc tantum:
verùm illud etiam perspicuè declarasti, singulare quoddam tibi
esse ingenium, summumq; iudicium in perspiciendis hominum
voluntatibus & desideriis: tuaq; liberalitate ad illorũ vsum tem-
pusq; accommodanda. Cum id mihi, homini etiã tum tibi igno-
to, muneris destinasti, quo nullum nec tibi in dando conuenien-
tiũ, nec mihi in capiendo honestius esse potuit. Quæ res fuit ea
quidem mutuæ initiũ beneuolentiæ nostræ. Sed ego longius, pro
mea natura, progressus sum. Ex eo enim tempore ita te amare
cœpi, vt nullum vnquam studium erga te amicissimi hominis in-
termiserim. Itaq; Romæ vt primum mihi consistere datum est, tu
mihi fere occurristi primus, de cuius statu & incolumitate ami-
cos sciscitarer. A quibus cùm id quod maximè optabam mihi es-
set responsum, te scilicet valere in omnem partem, pauloq; antè
videndæ tei pulcherrimæ, hoc est publici Christianorum conuen-
tus spectãdi causa Tridentum accessisse: laudaui equidem & ani-
mum & ingenium tuum, qui nunquam ab ingenuitate tua, & so-
lita tibi probitate discedas. Etenim videre mihi videor, quàm tu
his cupidus rerum bene restituendarũ: quàm in eiusmodi studio
& voluntate flagrans: vt te angat & solicitum habeant ea, quæ
quotidie afferũtur impedimenta. Sed de rebus illis Deus viderit.
Nos quidem optamus, & assiduè vota facimus, vt quàm rectissi-
mè omnia agantur: veruntamen quid sperare debeamus, incer-
tum est. De te ipso autem, id quod ad me nunc pertinet, estq; mei
in te summi amoris proprium, nonnulla mihi, Donate, incidit
suspicio, & metus quidem, ne ex animo tuo penitus elapsus sim.
Quid enim est? quinquéne iam menses sunt, fluxitque tantum
temporis, neq; dum mihi abs te quicquam, ne salus quidem, alio-
rum saltem literis, tuis verbis nunciata? tantóne tibi labor scri-
bendi aut monendi molestior, quàm mei absentis fuit appellatio
iucunda? Quomodo ergo hoc lues? opinor si & literas mihi mi-
seris, & doctissimorum hominum contubernalium tuorum, A-
lisij, Priuli, & M. Antonij Flaminij acta aliqua ad me perscri-
bes. Nisi fortè omnem tuam mentem, cogitationemque rerum
omnium, illa propè immensa suauissimi huius tui comitatus

voluptas sic obruit, vt despicere in partem aliam non queas: præsertim, omnium hominum longè & virtute, & comitate, & prudentia præstantissimo, Polo, tuos oculos animumque compleat. Quod si est ita, ignosco tibi equidem, neque te amplius eo crimine accerso. Sed in magno meo desiderio retinendi tui, illa me res tamen plurimum consolatur, quòd intelligo, plus semper apud me officij ac diligentiæ in tuenda amicitiæ memoria residere. Quare si me amabis, & ipse ad me scribes, & hæc præterea efficies, vt te internuntio, sodales tui & me sui amantissimum esse cognoscant: & ego illos memores intelligam mei. Quod profecto eueniet, si illi mihi salutem extuis literis dixerint. Quam ego illis plurimam à me nunties, vehementer abs te etiam atque etiam peto. Vale. Romæ, IX. Calend. Octob. M. D. XLV.

X.

IACOB. SADOLETVS S. R. E. CARD. *Isidoro Clario Abbati S. P. D.*

COMMODVM emerseram ex tertiana febri, cùm tuæ mihi allatæ sunt literæ, datæ XVI. Calend. Augusti Tridenti: aliquanto autem serius, quàm dierum & itinerum ratio postulabat, tabellariorum negligentia nobis redditæ: quibus in literis fidè & amorem tuum erga me, & memoriam veteris nostræ consuetudinis recognoui. Sed quominus ad eas tum celeriter respiderim, partim imbecillitas corporis, partim etiam publicæ res negotia, quæ nos hîc anxios & solicitos admodum habent, aliquandiu retardarunt. Video enim Isidore, id quod tu quoque literis tuis significas, rem communem nostram, hoc est, causam Christianæ religionis (quid enim est quod magis nostrũ esse possit:) eò deductam esse, vt grauissimorũ concursum periculorum metuere debeamus? spe præsertim concordiæ penitus sublata, qua anteà sustentabamur. Nam qui anteà, cùm à nobis & ab Ecclesia Catholica grauiter dissentirent, omnia sua tamen concilio se esse permissuros pollicebantur: nunc posteaquam indictum conuocatumque concilium est, cùm retractent promissionem suam, plurimaq; dent indicia, non solum non commutati priùs animi sui, verùm etiam in prauis opinionibus vehementius pertinacis: qua spe possumus niti, vt turbæ hæ, quæ omnia diuina humanaq; permiscuerunt, aliquando pace consensioneq; tollantur? Atq; vtinam, quod tu videris cõfidere, mea opera arq; industria aliquid prodesse posset Christianæ Reip. nos hoc dameum violatæ perturbatæq; religionis, vel nostro ipsorum sanguine libenter redimeremus. Sed cùm neq; ingenio multum, & auctoritate nihil possim: quòd tantum mihi tu tribuis, id ego amori tuo

erg;

ega me, nō illi quo cæteris in rebus plurimum vales, iudicio esse adiungendum puto. Verùm quoquo se modo habeant Christianæ res, illa est spes nobis in Deum coniicienda firmior, quòd is pro sua summa perpetuaque benignitate & clementia populos suos seruet ab interitu: neq; gentem delectam ab sese nonnullorum scelere atq; perfidia dari in exitium volet. Quam ego vnam consolationem, nec aliam præterea vllam, his tot malis reperio. Sed de iucundis. Quòd scribis, iucunda isthic multorum cōsuetudine, tum etiam quæ eorum qui legationis munere apud vos funguntur, amplissimorū, sapientissimorumq; hominum, comitate erga te, summaque liberalitate leuari molestias tuas: facile adducor in eam sententiam, vt tibi ista peregrinatio non defugienda fuisse videatur. Nihil enim potest esse dulcius, quam cum doctis, cum probis, cum tui amantibus versari. Quibus quidem legatis, quos ego omnes summo cum honore colo obseruoque, plurimam vt salutem verbis meis nunties, nō rogo te solum, verùm etiam flagito. Lucianum, sodalem & contubernalem tuum, vidi Ferrariæ, simulque cum eo bis collocutus, & quantum illo breui tempore videre potui, eius excellens ingenium, singularemque doctrinam summopere probaui. Eum tu, & item contubernalem tuum Christophorum, quem testimonio tuo, & amare cœpi, & virum egregium esse arbitror, meis verbis saluere iubeas velim. Fac valeas, noq; mutuò diligas. Romæ, Calen. Septembris, M.D.XLV.

XI.

IACOB. SADOLETVS S. R. E. CARD. *Isidoro Clario Abbati, S. P. D.*

ACCEPERAM tuas vnà & Luciani nostri literas, gratas mihi vtrasque: sed cùm illi tum aliquas rescripsissem, distuli scribere ad te, quoad haberem absolutum meum de peccato originis librum. Quem nunc tibi mitto, correctum aliquot in locis: non quæ mihi viderentur ab integra in Deum fide esse aliena: sed vt offensiones fugerem quas studio omni semper debito, si tamen id ullo aliqua ratione concedatur: est enim seculum hoc, si quod vspiam aliud, vt tu quoq; scribis, ita paratū ad insidias omnium scriptis lucubrationibusque tendendas, vt transiri nusquam sine periculo possit. Sed si virilis animi nō est, deterreri metu ab actionibus honestis: ne meum quidem erit, si quid sit in quo prodesse possim fidei Catholicæ, quam ego sanctissimè & constantissimè colo, desistere à conando hominum contentiosorum causa. Ego pro mei captu ingenij (quod sanè quam exiguum est, sed cupiditate incensum indagandæ veritatis) conatus sum, quoad potui, aperire rem obscurissimam: & hoc originis peccatū, quod sem-

per adhuc mihi latuisse visum est, in conspectum hominum lucem q; proferre: si id tamen sum assecutus. Quod iam nō meum, sed aliorum erit iudicium: & imprimis tuum, Isidore charissime comitumque tuorum vna Luciani & Chrysostomi: quos ego non certandi studio, sed animo cognoscendi, amicè & ingenua mea scripta lecturos. Habes igitur librum, in quo legendo quidam a te peto: primùm, vt attento animo eum perlegas, deque tota materia nō antè quicquam statuas, quàm illa tibi bene perceptа & cognita fuerit: habet enim (vt opinor) subtiliores nonnullas considerationes. Deinde, vt cùm legeris, remque cum familiaribus tuis communicaueris, si qua offendes in eo, quæ aperte videatur à Catholica fide discrepare, mihi antè nunties, quàm cuique notum facias: vt possim, id quod maximè opto, non solùm probus esse ecclesiæ filius: sed etiam videri. Equidem laboraui, & adnixus sum: omniaque circumspexi, ne imprudens inderem in sententias reprehensione dignas. Nam de industria in eas incurrere perquam impium est: neque id vnquam sinat nos Deus. Insciũm autem & oscitantem labi aliquando, & errare, est humanum. Sed tamen, vt admonitu benevolorum error istum tollatur: quo ego mediusfidius sum animo, vt & auditurus sim libenter errores meos, & illos studiosè emendaturus ac correcturus. In quo mi Isidore tuam imprimis operam benevolentiamque requiro. Si ergo erit quippiam eiusmodi, me quàm primùm certiorem facies: reliquos celabis: donec tibi à me fuerit responsum. Cùm reliquos dico, tuos comites excipio: quorum ego permultum, & confido probitati, & tribuo doctrinæ. Sin autem nihil fuerit quod Christianæ pietati sit aduersarium: erunt autem aliqua, quæ disputationibus trahi in diuersam partem posse videantur: ijs posthabitis atque neglectis, librum communicabis quibus cum voles. Nam certè res ipsa & veritas se ipsam tutabitur. Aut si quid erit fortasse, quod nequeat defendi: tarditas mei ingenij accusabitur, non in Deum fides: quorum primum tolerabilius est, alterum ferri nullo modo potest. In conferendo autem & communicando, rogo te vti habeas potissimum Ambrosium Catharinum: omniaque ita agas & tractes, vt tua in me benevolentia, & mea erga te mutua postulat. Quanti momenti sit, & quantopere conducat hominibus Christianis, cognoscere hoc originis peccatum, qua in re consistat, & ad fidei nostræ mysteria intelligenda quam habeat vim, differerem plurибus, nisi te optimè id nosse scirem: quamobrem supersedebo hac parte orationis. Tantum te orabo atq; obsecrabo, vt suscipias hunc laborem non inuitus, mei honoris causa: tuamque solitam humanitatem & benevolentiam sæpe mihi perspectam, in hac re potissimum exhibeas mihi & præstes: quod ego summum à te officium, &

in-

iudicium animi amicissimi sum habiturus. De prædestinatione quid sentiam, & quàm cum Luciano mea mens consentiat, ex hoc meo quoque libro poteris habere compertum. Vale. Romæ, XIII. Calend. Febr. M. D. XLVI.

XII.

IACOB. SADOLET. S.R.E. CARD. NIcolao Peitellio, S. P. D.

PAVLVS ad me scribit, in eo obeundo munere, quod rogatu meo suscepisti: te & Carpentoractensibus ciuibus vsq; eò satisfacere, vt in sacris illis concionibus, quas ad populum habes, nec religionis studium ardentius, nec rerum copia vberior, nec orationis subtilitas maior desiderari posse videatur. Itaq; admirabilem ad te audiendum hominum cuiusq; generis, ætatis, ordinis, concursum fieri, vt prorsus nunquam istic quisquam maiore hominum vel frequentia, vel admiratione, eius generis conciones habuerit. Quod mihi quidem, qui præstantissimum ingenium tuum, pari vitæ integritate ac pietate coniunctum, istic essem, facilè perspexi, minimè mirum visum est. Non possim tamen facilè verbis consequi, quàm id gratum mihi & iucundum acciderit. Nihil enim vehementiùs studeo atque opto, quàm illos homines, quos fidei meæ commissos, paterno planè amore prosequor, his tam turbulentis temporibus, quibus multorum studia à vera religione abducuntur, in recta erga Deum fide atque officio manere. Itaque cùm tu ad eos continendos, tam fidem, tamque egregiam operam mihi absenti naues, incredibili quadam voluptate afficiar necesse est. Tibi verò eo nomine tantum debere me intelligo, quantum equidem vix posse vnquam videor persoluere. Sed tamen, & is primùm, qui pias hominum actiones cœlestibus præmiis remuneratur Deus, cui tu in primis deseruis, tam præclari officij tui amplissimam tibi mercedem reddet: & ipse non desistam, quin tibi pro tantis tuis in me, meosque ciues meritis, aliquam aliquando gratiam referam. Tuæ ciuitati isti pergas rectam, quemadmodum facis, salutis & immortalitatis viam ostendere: meque apud Deum precationibus tuis iuues, vti mihi ad Ecclesiam meam regendam redire illius benignitate contingat, abs te vehementer peto. Vale mi Peitelli. Romæ, M. D. XLVI.

IAC.

XIII.

IAC. SADOLETVS CARDINALIS *Florentio Voluseno Scoto, S.P.D.*

EVM, qui superioribus diebus tuas ad me attulit literas, testimonio tuo adductus, libenter vidi: opemque illi & studium meum detuli, vt multum apud me valuisse commendationem tuam facilè intelligere potuerit. Nec te tua sanè, quam de me habes, opinio fefellit. Sumus enim, semperque fuimus, ad bene de doctis & probis hominibus merendum, si minùs opibus facultatibus instructi, at certè natura studioque propensi ac parati. Te quidem, quem & optimis artibus eruditum, & in his de religione dissensionibus optimè sentientem semper iudicauimus, eo quo debemus studio & amore prosequimur. Itaq; quòd sententiam exquitis nostram, quam viam cùm in patria tua constiteris, in qua maximas de religione contentiones esse scribis, insistere debeas: nos id tibi consilij dabimus, quod & amore nostro erga te, & virtute ac pietate tua dignum sit: quod tamen à te iam pridem captum esse minimè dubitamus. Nam cùm & sacræ nos literæ, & rerum euentus ipse docuerit, Ecclesiam Dei turbolentis hominum seditiosorum consiliis perpetuò infestam esse, & obnoxiam nimirum permittente Deo, quò hic bonorum exploretur fides atque constantia: profectò dubium esse non potest, quin quod sanctissimi viri huiusmodi dissidiis & contentionibus exortis, semper fecerunt: vt Ecclesiæ partes sequerentur, eique tanquam firmamento veritatis inniterentur: id hoc quoq; tempore optimus & grauissimus quisque facere debeat, & sanctissimam parentem omni pietate & studio constantissimè tuen atq; defendere. Etenim summæ sit non dicam imprudentiæ, sed amentiæ, Catholica relicta ac deserta Ecclesia, eiusque perpetuo consensu, & tot sanctissimorum patrum autoritate contempta, eorum sectam sequi, qui impulsi odio, & furore quodam rapti, tam temerè ac nefariè ab Ecclesia desciscere, eamque vexare atque oppugnare ausi sunt. Quos vt corrupti sacerdotum mores grauissimè offenderint, nequaquam ea tamen, aut alia omnino vlla, turbandæ pacis & commouendæ seditionis causa iusta esse potuit. Quamobrem te quidem nec consilio, nec cohortatione mea egere arbitror. Sed tamen quando me, quomodo gererem in patria tua debeas, consulendum putasti, credo quo autoritate mea consilium tuum confirmaretur: suadeo, hortor, & moneo, vt maiorum nostrorum vestigiis insistas, atque ea quæ statuit, decreuit, & tot iam seculis obseruauit Ecclesia: tanquam Spiritus sancti, qui illi custos & veritatis omnis doctor perpetuò adest,

dere

decreta & instituta sanctissimè seruanda esse censeas: vtque hæc quæ tibi a Deo data sunt, ingenij, doctrinæque munera, ad eos quibuscum viues, in fide & vera religione (quantum in te erit) continendos, sedulo vt Christiano homine dignum est conferas. Hæc profectò vna rectissima ad æternam salutem via est: hanc qui insistunt, Deique & Ecclesiæ præceptis ac legibus obtemperant, ad illam quæ Christianis hominibus proposita est felicitatem sine vllo errore perueniunt. Sed hæc vt voluntati tuæ obsequeret, non quò te putarem de his rebus non optimè & sentire, & recum statuisse, iam attigi. Tu velim beneuolentiam erga me tuam conserues: tantumque de animo & voluntate mea tibi pollicere ac spondeas, quantum virtus & probitas, & vetus tuum erga me studium postulat. Vale. Romæ, M. D. XLVI.

XIV.

IAC. SADOLETVS S. R. E. CARDIN. *Gabrieli Paleoto Bononiensi, S. P. D.*

ACCEPI literas tuas, testes cùm eius ingenij quod ego in te summum esse audio: tum etiam officij atque amoris, quem erga optimum & clarissimum virum mortuum, quemque in me ipsum habere te ostendis: quorum vtrumque nequaquam mihi quidem præter opinionem accidit. Cognoui enim semper vestram familiam cùm ingenij & literarum laudibus, tum probitate & in amicos obseruantia, in ista ciuitate facilè excellere. Quæ pene propria & domestica ornamenta tui generis in te ipso non solum solùm, sed etiam cumulatum iri confido atque opto. Quod autem scribis in literis tuis, te arbitrari, collegæ mei, vel fratris charissimi potiùs Petri Bembi Cardinalis, importuna morte me grauiter afflictum, & prostratum iacere: non fallit in eo te opinio tua. Nihil enim mihi potuit euenire acerbius, quàm dicesti ab eo, cuius ego amicitiam fraternamq; coniunctionem quatuor & quinquaginta annos inuiolatam tenueram: quem propter ipsius præstantissimas virtutes, summamque humanitatem, probitatem, suauitatem, singulari quodam & penè inaudito amore prosequebar: quo cum eram omnibus & studiorum eorundem, & voluntatum, tam in familiaritate & consuetudine nostra, quàm in ipsa Repub. vinculis & necessitudinibus astrictus: vt eo mihi nunc erepto, solus planè, & ab omnibus mihi desertus esse videar. Ex quo non possum non dolere casum meũ. Nam illum quidem lugere non esset fas. Caue enim putes quenquam vnquam vlla in gente, vllo tempore, vixisse tam beatè, quam Petrus Bembus est mortuus, siue diuinæ in eum beneuolentiæ indicia spectentur, siue humanæ. Quæ magna quidem mihi

mihi est consolatio: sed nequaquam adhuc mœrori meo pa[r]. Verùm dabimus operam, quoad Deo adiutore poterimus, vt dol[or]em minuamus, qui est imbecillitatis: memoriam autem tui viri, id quod ad fidem amicitiæ, & ad illius virtutum grati[am] commemorationem pertinet, assiduam retineamus. Tu mi Paleotte perge, vt cœpisti, atque ita te confirma, vt ei expectationi, quæ magna de te concitata est, speique tuorum cumulatè satisfacias. Fratribus tuis humanissimis ac suauissimis, Galeatio, Camillo, & Astori, plurimam à me dic salutem. Vale. Romæ, V. Nonas Februarij, M. D. XLVII.

XV.

IAC. SADOLETVS S.R.E. CARDIN. Francisco Mario Molsæ suo S.P.D.

COGITANTI mihi ad te rescribere, commodùm allatæ sunt ex Vrbe literæ, quibus certior factus sum, summum Pontificem in Vrbem ingressum esse, teque cum Farnesio tuo optimo ac liberalissimo iuuene esse assiduum: eos quoque, de quibus nonnullam ad me deteleras querelam, quasi illis absim, quibus minimè debebas, esses contemptui, tecum nunc adesse, teque illos planè habere in potestate. Quæ res breuiorem me inscribendo facit: res enim tuas in tuto positas, teque iam meæ nec consolatione egere, nec consilio, nec cuiusquam ope ampliùs arbitror: cùm sitiens, ab ipsis fontibus restinguere sitim tuam nunc facilè possis. Ego sanè cùm essemus etiam tum Neceæ, de tuis difficultatibus exponens, commoram Pontificis animum: optimumque principem sua sponte fauentem tui similibus, hoc est, doctis, & bonis viris, etiam magis vt tibi consuleret atque opitularetur, mihi vt visum fuit, accenderam. Secuta est postea (vt tute scis) distractio omnium nostrûm: cùm me huc vt conferrem, valetudinis ratio non modò me hortata est, verùm etiam coegit. Nec tamen dubito, quin mea illa opera, aut tibi attulerit iam fructum, aut certè allatura sit: cùm præsertim tua virtus, excellensque ingenium, omnibus sit amabile. Id si factum est, aut certè cùm fiet, vt mihi literis tuis significes, planè tibi mando. Epistolas omneis tuas, quas & ad me, & ad Paulum misisti, legi summa cum voluptate, vehementerque probaui. Nec vnquam sanè dubium mihi fuit, quin quascunque res ad ingenium tuum applicuisses, dummodò in vna ratione vnoque genere scribendi commorarere, futurus fueris omnium longè primus. Sed hæc tu meliùs. Nos hic conualescere iam cœpimus: omnino sumus adhuc imbecilli, sed spe nitimur bona. Nostrum ad Vrbem reditum aliquot menses necessariò differemus. Vale mi Mol-

mi Molsa, & cùm erit otium, nos tuis literis sæpiculè appella. Carpentoracti, VIII. Calend. Septemb. M.D.XXXVIII.

XVI.

FRANCISCVS MARIVS MOLSA, *Iacobo Sadoleto S.R.E. Card. S.P.D.*

QVIBVS me absentem officiis complexus sis, Pater amplissime, ex Pauli Sadoleti tui epistola, accuratè admodum ac peramanter scripta, certior factus sum. In quibus cùm iucunda multa acciderunt: tum illud iucundissimum fuit, quòd à nemine nec leuiter quidem admonitus, me tamen Pontifici Max. his verbis commendaueris, vt mihi singularis cuiusdam beneuolentiæ iudicium, ac indicij testimonium, quo nihil grauius esse potuit, impertieris. Quanquam subuereri venit mihi in mentem interdum, ne maiorem tua prædicatione de me expectationem (quæ tua scilicet in amicis tuendis est diligētia) excitaris, quàm ego sustinere possim. Vtrunque certè eo studio es persecutus, vt amoris erga me tui, rationibus meis consulendo: iudicij verò de ingenio bene sentiendo, egregiam significationem dederis. Amori certè quoad eius fieri poterit, respondebo, tuorumq́ue erga me meritorum memoriam studiosissimè diligentissimeq́ue seruabo. Iudicij verò si minùs satisfecero, mihi ignosces, imò etiam tibi, qui me ad eam laudem vocaueris, eaq́; de me fortasse receperis, ad quæ consequenda, cùm vires omnes animiq́; cogitationes, operam, diligentiam, cæteraq́ue omnia quæ in mea sunt potestate, attulero, si minùs fidem tuam liberabo, omni tamen culpa prorsus sim vacaturus. Quod ad Pont. pertinet, vix dici potest, in eius liberalitate quàm nihil propemodum spei mihi potendum iudicem: qui eo ingenio est, vt si etiam velit, ita tamen fugidè ac cunctanter velit, vt ei qui illius arcæ confidat, priùs sit conturbandum, quàm subsidio aliquo subleuetur, necessitatiue eius subueniatur. Itaque statuo ipsius liberalitatem afferendo arcaeno multò aptiorem esse, quàm dissoluendo. Quicquid tamen inde commodi ad nos peruenerit, id totum à te profectum iudicabo. Meas interim angustias (quod nunquam futurum putassem) amare incipiam: quæ mihi causam harum literarum dederunt. Optabam siquidem iam pridem Sadolete vir omnium sanctissime, atque doctissime, te meis literis compellare: idq́ ob eam vnam causam vt tuas elicerem literas. Cur enim ego cupiditate non ardeam, vt aliquo in loco scriptorum tuorum nomen intexi possit meū? cùm ea eloquentia præditus sis, vt si in veteres illos Crassos, Antonios, addo etiā Cicerones, ętas tua incidisset, cùm multis tamē nunquā numeratus fuisses. Ea verò do-

ctrina,

ctrina, vt nemo illorum temporum neque vberioribus florum artibus, neque eloquentiam grauiorum disciplinarum instrumento ditauerit. Huius ego rei cùm nullum exitum reperirem propterea quòd te ista dignitate, grauitate, doctrina, interpellare me posse non videbam sine maximo scelere: præstò tamen fuit, adiuuitque hunc animi mei ardorem, egregia tua ac singularis erga me pietas: qua factum est, vt eam iuuandi mei atque ornandi actionem cogitationemque susceperis, quæ silentio præteriri non possint. Itaque sum consecutus, vt non modo omnes nihil mihi tam paratum esse intelligant, quàm operam & autoritatem tuam. Sed etiam scribendi ad te occasionem (quam maximè cupiebam) nactus sum: quam mihi oblatam nullo pacto dimittendam censui. Huc accessit, quòd is qui me in scribendo impediebat, tui interpellandi metus, eò minùs nos commouit, quòd te laboribus senatoriis muneribus liberatum, Carpentracti vestro illo familiari in loco oblectari iam puto. Quod etsi nobis perincommodè cecidit, qui aduentum tuum auidissimè expectabamus: non tam mœrendum tamen nostra causa, quam lætandum tua arbitratus sum: quòd te in domesticam illam sedem receperis, vbi & valetudini tuæ commodè inseruias, & honesto otio ac optato perfruare. Dum id fic tibi sumas, vt tantisper ibidem manendum putes, dum efferuescat calor, tuque cùm maliusculè tibi erit, id est, cùm planè confirmatus fueris, dare te viæ velis, ac Romam redire, quæ virtutis tuæ semper aptissimum domicilium fuit. Hæc scripsi paulò verbosiùs, timens, ne ad eam vitæ cursum relatus, à quo Reipub. causa inuitus aliquantum deflexisti: veterem viuendi libertatem tibi sequendam statuas, qua te adeò delectari solere non sum nescius, vt ab ea vix digredi posse mihi persuadeam. Neque verò est, quòd me in his literis facilitate tua abusum existimes. Non enim eius generis sunt officia tua, quæ gratiarum actionem non desiderent: neque ego is sum, qui nisi aliquem mihi splendorem aliunde arcessam, eo non sim penitus cariturus. Vale. Romæ, Pridie Non. Iulij, M.D. XXXVIII.

XVII.

FRANCISCVS MOLSA, PAVLO Sadoleto, S. P. D.

PVTABAM ego post tuum & Sadoleti patrui tui ab Vrbe discessum, maximam mihi Quirinales vestros hortos obeundi facultatem datum iri: quorum amœnitate cùm tui desiderium, loco ipso admonente, lenirem: tum me ipsum maximis solicitudinibus penè confectum colligerem, ac interdum aliquid etiam com-

mmentarer, quò tibi cùm redieris, otij mei fructus extaret a-
mœnitas: cuius rationem diligentiùs, cùm discederes, exacturum
fuisse te memini. At quàm me frustra spes ea consolata sit,
uemque. Non modò ego ad illos nullus accessi, sed P. Paulus etiam
ostiae, qui edicto prætoris prohibeatur, ne vidit quidem. Obse-
cro te, quid est hoc? Tantàne illum, quem vos præfecistis, parsi-
monia in rebus alienis vti, vt eos etiam quos vobis sciat esse cha-
rissimos, non admittat? Vinitorem, nauum ac industrium homi-
nem, quem à vobis sibi commendatum in finem receperit, vexet?
nam quem à vobis sibi commendatum in finem receperit, vexet?
nam quòd eius superbiam ferre non possit, illum discessisse mi-
ramur quòd eius superbiam ferre non possit, illum discessisse mi-
ramur? Vbique crassiuscule. At fructuosas res sibi habeat: Gallina abun-
det, abundet olea, malo, fama, & rerum rusticarum gloria se du-
cat, se ferat: horum nihil impedio. Nobis qui animi, vitandi-
huius calumnia causa, illuc conuenire consueuimus, vmbram, apri-
cationem, aciem deliciis omnibus bellum indixisse putes, ro-
gationem inuideat. Liceat Curtio, liceat Bino, Sauoiæque etiam
nobis, mihique ex condicto oluscula cœnare, ac tui nominis
memoriam nostris collocutionibus tueri, donec tu cùm aduene-
ris nos apparatioribus (vt soles) epulis accipias: draconemque
illum, qui tuos hortos circumplicatus, nobis omnibus aditum
claudat, exurbes, expellas, extermines. Extra iocum mi Sado-
lete? Paulum gallica illa simplicitate ac libertate imbutum, val-
de oportunum vidi, quod eius puer, hortorum aditu esset prohi-
bitus: cùm nihil tamen aliud petitum iret, quàm λευκοῖα, qui-
bus herbam mensam ac puluinum inspergeret. Verùm custodes
illi diligentes sanè ac fideles, λευκῶν ὦπα timuerunt, de quo illi
non necnisi, me per literas te facturum certiorem paulisper
tardare est visus. De meo negotio, nihil est quod ad te scri-
bam amplius, in quo Deos omnes mihi iratos planè video. Nam
quominus ferendum, quàm me Mortam etiam ipsum deseruis-
se? Nonne mihi cùm multis officiis, tum amicitiæ vetustate
omnibus? Quod etiam eo indignius videri debet, quod
Idus Calend. Maias datis, nos in spem summam adduxerat, bi-
duum summum triduo, se perfecturum, vt tandem hac solici-
tudine liberaremur. Hoc non modò non effecit, sed neq; vllam
literam ad me: cùm Romam quotidie epistolas mittat, easq; etia
mnes, nugarum plenas. At qua tandem in re tantoperè labo-
rat? num vt principem locum, aut honorem aliquem publicũ
sibi? num vt abacos complures auro argentoque cælato exor-
nandum vt exquisitioribus epulis mihi quotidie mensæ extruã-
tur? nihil nobis alienius. Tantùm illud laboro, vt ea quæ vsui
mihi ad vitam, non omnino incommodè agendam suppetant:
his qui me malè oderunt, despicatui sim, ac ludibrio. Nolo
commemorare quibus angustiis premar: hoc tantùm affirmo,

nullum genus incommodi reperiri posse, quo ego non vrge
Quod si in eam me expectationem Morta literis suis nõ vocas
aliquid certè noui consilij capere potui. Nunc eò res est deduc
vt nec Roma exeundi, nec (quod peius est) remanendi ratio
iam proponatur. Adesses tu saltem, minus multum profecti
boraremus. Hæc nõ eò scribo, quòd te his meis angustiis alle
pacto mederi posse confidam: (nam si id per te fieri potuisset, e
iam planè factum) sed ne hoc quoq; ad summum mœrorem
datur, mihi deesse, qui cùm liberè omnia communicem, ac q
mecum colloquar. In quo tuam aliquot iam dierum cessation
ægrè ferrem, ni Sadoleti patrui tui valetudo, cui tamen mel
esse intelleximus, eius omnem causam sustineret. Nam literas n
stras ad te non proferri quî putem, cùm eas semper in fasciculo
eum consiciam, qui à tuis Cardinali ipsi inscriptus, tabellario
vos perferendus datur? Quòd si olim referibendi aliqua tibi
occasio obtulerit: scito, te nobis satis non esse facturum, ni
epistolas quodam quasi cumulo addito, ponderosiores effece
quò nos scilicet de Regum congressu, deque pacis conditio
bus (modò inter eos conueniat) certiores facias, idque
ne nos omnino abfuisse videamur. Hæc ego scribam nono Ca
lend. Iunij maximo imbri, ac Ioue tonante: vtinam etiam appro
bante: quo quidem tempore si rectè itineris illorum tempora
disposuimus, rem satis calere arbitrabamur. Nonnihil tamen
vobis adhuc suspenso animo eramus: nec dum satis constitue
poteramus, vtrum vos profectos pro certo haberemus, an pote
alicubi istorum locorum concedisse, ob patrui imbecillitatem
arbitraremur. Quapropter cùm primum poteris, hic quoq; sc
pulus nobis tuis literis eximendus erit. Vale, & me ama. Roma

XVIII.

IAC. SADOLETVS S. R. E. CARDIN. *Antonio Florebello suo, S. P. D.*

ET priùs epistolam tuam libenter legeram, & pòst oratione
tua huc ad nos allata mirificè eius sum lectione delectatus.
Est enim ornatè atque amplè scripta, teque ipsum mihi ante oc
los constituit: cuius ego ingenium & copiam admodum semper
probaui. Pauca sanè quædam adnotaui in ea, quæ haud magni
momenti sunt. De quibus mandaui Paulo, vt certiorem te face
ret. Nunc mi Antoni, quando eos cursus cepisti, qui ad summam
laudem deducere te possunt: perge porrò atque enitere, vt spes
nostra de te indies fiat erectior, magnumque ex te accedat nostræ
communi patriæ ornamentum. Non eges tu quidem hortatio
ne: sed tamen amor meus non patitur à me prætermitti, ne hoc
officium

rectum quidem: vt te horter & admoneam, vt instare atque vrgere tantam gloriam ne cesses. Ego ita faueo tibi, vt filio: ita in tuis laudibus acquiesco, vt illis me quoque existimem ornari. Quare hoc animo fueris, vt & meam & tuam vicem tibi conandum atque elaborandum esse putes: non dubito, quin ad summũ honorem huius facultatis sis peruenturus. Vale. Ex hortis nostris, IIII. Non. Iunij, M. D. XXXVI.

XIX.

IAC. SADOLET. S.R.E. CARDINALIS *Antonio Florebello suo, S.P.D.*

SVPERIORIBVS proximis diebus dedi ad optimum virum Ioannem Nicolaum patrem tuum mea manu scriptas literas, quibus cupiditatem illi meam tui reditus ad nos, nõ mediocrem significabam: magnopereq; eum hortabar, vt is quamprimùm te ex nostra huiusmodi voluntate faceret certiorem. Quæ literæ facile fidelicet perlatæ sint, ignoro: nullum enim à te ad eas adhuc accepi responsum. Cùm autem res ipsa, & tempus meum postulare, vt nostrarem & vrgerem, quòd tua, aut alicuius tui similis, (si tamen alij similes) opera, fide, industriaq; vehementer egeo: tum mihi ipsi scribendum esse ad te, cùm neque haberem quenquam, quem pro meo iure fidentiùs atq; amãtiùs, quàm te ipsum possem accersere: & si multi essent ad nutũ nobis parati, quem potiremur tibi, neminem tamen inueniremus. Ac ne mirere, vnde hæc nostra tui euocatio tam incitata & vehemens nata sit: scito Paulum tuum, qui mihi in meis omnibus curis, studiis, assiduis, vigiliis, summa cùm fidelitate & diligentia præstò semper fuit: huoq; labore, & in omni genere excellenti virtute quæque effecit, vt te tantisper abesse à nobis æquiore animo ferremus: nouo nunc magistratu impeditum (huius enim Prouincie rector constitutus est) non ita multum esse iam nobiscũ: nec, eam, quam solitus est, operam posthac nauare nobis posse. Cum ego etiã honore laudeque virtutis vehementer lætor, & quòd in eo munere tractando, ad quod est vocatus, ita se gerit, vt cum maxima laude omnium summaq; & prudentiæ, & æquitatis tuæ, & suam & nostræ familiæ dignitatem reddat illustriorem: tamen non queo meatum rerum priuatarum non sentire incommodum & pristinam illius consuetudinem vtilitatemque non desiderare. Quapropter cogor alium quempiam sufficere in tuo locum: qui & mearum cogitationum particeps, & fortunarum socius existat. Eum ego te esse opto, mi Antoni, & præterea eos expeto. Tu enim solus, aut certè optimè omnium, & desiderium nostrum hoc lenire, & sarcire incommodum tua

præsentia potes. Nam cùm de tuo ingenio, doctrina, prouisione singulare iudicium semper feci: tum te habui proximum, quæ æquè penè atque illum ipsum diligerem. Præterea te mihi strictum fide & promisso esse arbitror: Discessisti enim a me concedente & permittente, cùm Parauium es profectus lege & conditione, vt simul atq; inclamassem, opusq; esse diesem, reuolaturum te reciperes. Quare cùm tui accersendi tem venerit: egoque te non vocem solùm, verùm flagitem etiam que expetam: tuarum nunc partium est, tuique etiam pudoris eius ingenij, quod optimum in te cognitum & perspectum m est: non solùm operam dare, vt restituas te nobis: sed vt consul & sine vlla mora restituas. In quo ipse volo tibi persuadeas, me non modò in consuetudinis & familiaritatis consortium, in omnis fortunæ, tum dubiæ, tum secundæ, societatem voc. Has ego cùm scriberem literas, cupiebam vehementer tibi citò reddi: vt tu primo quoq. tempore, quid de hac re statum haberes, facere me posses certiorem. Si enim tua consilia (quod opto & spero) cum expectatione mea consenserint, ad statim te parabis. Sin autem fortè (quod vix fas esse arbitror) lieno fueris à nostra voluntate animo, nosse aueo tamen, id quamprimùm, consilium omne tuum: vt si mihi præcisa spes aduentus fuerit, alium alicubi quæram, qui mihi & ad manum ad curarum communicationem præsto sit: quem tamen nec alium, quàm te esse velim: & potissimum omnium te fore confido atq; auguror. Vale, & rescribe. Ex Feliciano nostræ diœceseos, XVI. Calend. Septemb. M. D. XLI.

FINIS LIBRI DECIMISEXTI.

IACOBI SADOLETI EPIST. AD PAVLVM SADOLETVM Lib. Epist. I.

IAC. SADOLETVS EPISC. CARP. Paulo Sadoleto S. P. D.

CAPITERAS has ad te scribo literas, prouocatus mi quas Viglania proficiscens dedisti. Nam cùm primas meas scriptas 11. Cal. Octob. ad 8. item Cal. Aueno ne misissem; vt celerius illinc ad te perferrentur: postridie vesperi redditæ mihi sunt tuæ: in quibus mihi illud pertundum, quod te asperiorem itineris tui partem sine detrimento vllo emensum esse cognoui. Et quidem cùm hæc scriberem, ta illam opinionem coniectura ducebat, vt te puta rem iam venisse

Mu-

Mutinam: erat enim sextus hic dies & decimus tui discessus: vt etiam si diem vnum Mediolani, alterum Parmę ponere instituisses, commodum tibi tamen fuerit eò peruenire. Ego verò non solùm prosperum & fortunatum tibi iter, sed facile etiam & expeditum impetrare cupio: si rediturus es ad nos, mea etiam causa: sin id minus, vtique tua, quod tamen ipsum mea maximè interest. Nihil enim est tuum, quod pro paterna mea erga te indulgentia, mihi non meis omnibus aliquantò coniunctius sit. Sed quoniam Mutinarum mentio facta est, tametsi ego in accuratione diligentiaque tua magnam spem habeo rectè à te omnia & circumspectè gestum iri: nihilq; te prętermissurũ eius officij, quod ad nos pertineat: tamen vellem tibi ἐμφατικώτερον mandasse, quod ad Ferrariensis ducem attinet. Quem cùm tantùm & colamus & diligamus, quantum illius dignitas, & erga nos beneuolentia postulat: tum etiam non mediocrem illi profectò debemus gratiam, quòd is amorem suũ erga nos, signis & rebus iam multis patefecit. Quem ego ipsum nunc abs te, nec conueniri tuo commodo, nec prætermissio officio posse video. Quare etsi hæc in me non iam suo tempore incidit cogitatio, me tamen illa solicitum vehementer habet. Quòd nisi (vt dixi) in tua prudentia huius quoque rectè obeundi muneris spem maximam ponerem, penderem animi multo magis: sed me ipse consolor, quòd tibi consuesse hæc venire in mentem certò scio. Negotia Mutinensia quòd tibi cæteris difficiliora ob animum versari scribis, non video causam cur ita esse debeat. Facilis enim est negotiorum gerendorum ratio, in qua fideliter illa atq; integrè tractant. Quòd si aliqui sunt aliquando, qui rationi bonæ recusent assentiri, in ipsis culpa residet: τὸ δὲ καλὸν μετά σου, cuius tibi potissima semper sit cogitatio. De rebus nostris hîc nihil est sanè noui, quod cupias scire: res in eodem statu sunt, quo reliquisti. Nos victus totam rationem domi commutauimus: compulsi enim grauibus periculosisque dissolutionibus, cœna abstinemus, cui solebamus libentiùs indulgere: ad prandia sumus conuersi: idq; facimus palam, triclinumq; sterni in maiore aula iubemus. Quod sentimus familiæ tuæ esse gratum: celebratur enim domus, & simul absentiæ tuæ merore hac ratione etiam magis lenitur. Conuiuæ assidui Verona, & Augustinus, alijq; præterea quos interdum sors obtulit. Quos habemus materiem sat bellam hilariùs nos habendi. Medius est quidam subrufus, breuis statura, oculis disiectis, quem tu hic fortassis potes, haud enim ita diu est quòd se contulit in hanc vrbem: de eo mihi cùm esset dictum, acutum hominem esse, & Philosophum, iussi ad prandium vocari. Aderat Stephanus Iosius, & cum eo cæteri ordinis illius nostri (vt tute scis) in disputationibus concertatores: Isnardus nobiscum vnà. Lacessiui ho-

minem, cùm se excitasset: Ruffus noster suscipit negotium. Di-
tiùs ducta contētio est. Ego spectator attentus: quid enim dicam
auditor, cùm omnis nō audiendi, sed spectandi fuerit voluptas?
Quanquam ille quidem in disserendo & argumentando nō im-
peritè se habuit: sed corporis vultus, oculorū eiusmodi agitatio,
vt nihil videatur ridiculosius posse reperiri. Itaq; hominem sepius
vocaturus sum. Nam quod ad valetudinem attinet, videor iam
nonnihil hoc nouo more, mihiq; insolito, esse cōsecutus. Vrgent
enim minùs, & caput non tam infestum habeo quàm anteà. Ve-
rùm de his dies ipsa exploratiùs iudicatura est. Nunc ades ad pa-
rendum. Recordor enim in mandatis hoc tibi à me vel præcipue
fuisse datum, vt magistrum huic Iuuentuti erudiendæ quæreres.
In qua te obtestor Paule, vt laboris & diligentiæ reliquum mi-
facias, quo nostri optati compotes nos efficiamur. Nihil est hac
curatione neque honestius nobis, nec ciuibus nostris vtilius.
Quorum quidem causa cùm cupiamus omnia, cur non in hoc
potissimùm officij honestissimo genere, omnibus neruis con-
tendamus, vt & illis, & nobis ipsis satisfiat? Anteà castigare
los solebamus, quòd ad suum tantum bonum minùs essent at-
tenti: nunc vicissim illi me appellant, atque vrgent: neque dies
ferè vllus est, quin ad me accedant eorum aliqui rogatum. Qui-
bus respondeo, tibi susceptam esse hanc prouinciam: neque te
quieturum, quoad idoneum repereris: cum hac spe dimitto ilos.
Et si quæris, maximo eos studio in hac re ferri video. Proin-
de enitere atque elabora, vt talem aliquem inuenias, qualem
nos cupere nosti: hoc mihi gratius facere nil potes. Plana he-
die à legato reuersus, multam mihi salutem illius verbis nuntia-
uit: eaque mihi de eo retulit, quæ certè mihi iucunda sunt: per-
bellè illum valere, gratissimumque habuisse, quod ego illi iussis-
sem nuntiari: si qua in re tua in Vrbe opera vti vellet, te ei & stu-
dio omni & beneuolentia præstò futurum. Egit gratias: nil se de
nostro animo dubitare dixit: vsurum cùm res posceret, affirma-
uit, & quod intelligere facilè queas, habuit certè gratum. Atque
ego hoc egeram dedita opera, vt suspicionibus nonnullis occur-
rerem, de quibus ad te scripsi Crucianum mecum locutū fuisse, &
tamen simplici animo ac syncero omnia à me geruntur. Quid e-
nim minus homine ingenuo dignum, quàm aliud in corde gere-
re, aliud habere promptum in lingua? Sequamur igitur vera re-
ctaque consilia, à quibus deflectere nullam in partem possumus.
De rebus vrbanis (vt antè ad te scripsi) tunc & quærendum mi-
hi abs te, & ibi præcipiendum putabo, cùm te Romam perue-
nisse cognoro. Nunc, vt se res habet, illa cogitatione superseden-
dum est. Mutinensia acta expectabo interim, quæ in manibus
sunt: cætera vt dies afferet, & fortuna dispensabit, sic mihi dein-
ceps

ego literis facias nota. Nos hîc fructibus annuis condendis, non eorum laboris molestiæque susc ipimus, è quibus decumæ vini vsquequaque ita fuere vberes, vt eas nullæ neque cellæ neque apothecæ capere potuerint. Itaque necesse est, lacus eos ipsos, in quibus musta fervuerunt, doliorum instar adhibere: quibus à summo munitis compactis asseribus, & ad omnem introitum externi aeris penitùs obstructis, confidunt ista qui norunt, vinum incolume non seruaturos. Ego hæc non tam quidem intelligo, quàm quæ peritioris mea curatio est. Hortos suburbanos ita pulchrè habeo instructos omni huiusmodi copia, vt optimè prospectum in ætatem proximam sit: ad quod tempus te expectabimus: &, nisi erit maior ithic manendi causa, etiam accersemus. Vale mi Paule. Nos diligis, valetudinem tuam cura diligenter. Florebello nostro & cæteris salutem. VI. Cal. Octob. M. D. XXXV. Carpentoracti.

II.

AD EVNDEM.

LATINVS Iuuenalis, homo & ingenio & rerum vsu præstans, mihi iam inde ab adolescentia notus, hàc iter faciés Auenionem versus, rerũ illarũ quæ ad ecclesiam Auenionensem spectãt confirmendarum gratia legatus à Pontifice: mecũ erat plurib. de rebus collocurus, de quibus aliis literis scriptum est à me tibi perlatum. Verùm cùm is tum à me discessisset, tanquam alio itinere rediturus ad vrbem, neq; me amplius visurus: nihilominus mutata sententia, heri vesperi huc se retulit, amanterq; est à me hospitio acceptus. Sumus enim perdiu iam familiares. Cogitabat autem ipse hodie cum prima luce proficisci, (nam hæc ego scribebam ante lucem) & cum eo aderat Raymũdus Vitalis noster. Has etenim daturus sum ad te perferendas, quas cùm acceperis, fac vt cognoscas hominem, eumq; tibi in amicitia adiungas: probũ enim virum, & integrum, & magni animi, & bonorum amantem, sanctumq; cognosces. Plura ad te scribam cùm tuas aliquando accepero quas auidè expecto: neque enim citeriores iis habebam, quas ad Tarum dedisti. Vale.

III.

AD EVNDEM.

LITERAS tuas pridie Nonas Nouembr. vesperi, & ipsis Nonis postridie manè, cùm in prandio iam discubuissem, essentque mecum vnà Cæsarista, Cusanus, Oppeda, Vellarenus, multijuges socij, & Florentiæ, & Viterbij, & in ipsa vrbe iam bis datas:

quarum ſum mirifica cura & copia delectatus. Ac primùm illa gaudeo, te itinere toto acto ex ſententia, incolumem ipſum & cæteros Romam peruenisſe: ibique fuiſſe acceptum vt maxime volebamus. Sed quoniam mihi ad omnia reſcribendum eſt, ſequabo ordinem, vt priorib. prius reſpondeam. Quod ergo ad negotia Mutinenſia pertinet, matrem & fratres mihi commodè vale re, peroptatum mihi eſt: teque ab illis amanter fuiſſe acceptum. De ære alieno matris fratriſque demortui, habeo iam rationem atque conſilium quo illos expedire ab omni difficultate poſſim: quare audacter promitto, eam rem vt rectè agatur fore tibi cum annuo enim ab vtroque noſtrum ſpatio ſumpto, quod in tempus facultas ſoluendi cadere nobis poſſit, aureos trecentos numerabimus. Puerum quidem ipſum penes me habere cupio, ſi eſt vllus vt ſpes de eo nobis eſſe poſſit, in eum virum euaſurum, quem quærimus, & quod de fratre tuo iam confidere cœpimus, facilè ne ducta futurum, vt fingamus in eo formam illam, quæ ſit maxime ad decus & ad dignitatem idonea. Doctorem huic iuuentuti magiſtrum ab te quæri non puto fore amplius opus. Narrabo enim tibi, ſimulque tu agnoſces, quanto plus ſæpe fortuna poſſit, quàm hominis conſilium. Receperam me forte in bibliothecam nudius quartus, cùm eſſet iam nox: ibique attentius librum quoſdam voluebam: cum cubicularius nuntiat, eſſe qui me conuentum velit. Rogo quis homo? Togatus inquit. Iubeo introduci. Accedit. Interrogo quid ſibi velit, quia illa hora adeat me. (cupiebam enim abſoluere ocyus hominem, & ad ſtudia me referre.) Tū ille repetito altius principio, ita aptè mecum, ita accuratè & modeſtè locutus eſt, vt mihi curam iniecerit cognoſcendi interius, & percunctandi. Itaque clauſo libro, ad eum totus conuerſus, ſciſcitari incipio, cuius ſit, quam diſciplinam profiteatur, quid ſibi quærens in has regiones venerit. At ille: Scotus ſum, inquit. Ex vltimáne, inquam, orbis terræ natione? Etiam. Vbi ergo diſciplinis liberalibus operam dediſti? (quod ideo interrogo, quia eius ſermo & Latinitatem, & ingenium redolebat.) In patria primùm inquit, complureis annos philoſophiæ operam dedi: deinde Lutetiæ ſum eruditus, ibique Eboracenſis Card. fratris filii in diſciplina mea habui. Pòſt cùm patrui mors à puero illo me diſtraxiſſet, ad Bellaium Pariſienſem Epiſc. me contuli, eramque cum illo Romam profecturus, niſi morbus me grauis in itinere ab eo diſiunxiſſet. Quid ergo tibi hîc expetis? inquam. Cupiditas, inquit primùm tui viſendi, quod maximè optabam, huc me compulit. Deinde cùm Auenione eſſet mihi dictum, te alicuius hominis indigere, qui iuuentutem tuam hanc erudiret, ſi fortè ego eſſem iſti negotio aptus, offerendum tibi ego me duxi: non tam emolumentum illud appetens quidem, quàm tibi gratum facere ſtudens: de ſimul

simul intelligens, fore mihi laudi quodcunque munus apud te, & rem iussit, hortatuque suscepissem. Quid quæris? vsque eò mihi placuit, vt primo mane Glocerium consulem, atque Heliam accersierim: exposui de homine quid sperarem, & quæ mihi in eo egregiè complacita essent, omnia narraui. Certè enim eiusmodi modestiam, prudentiam, compositionem oris atque vultus, vix in Italo homine talem expectare potueramus. Neque hoc contentus, ad prandium inuito, cùm Florentium ipsum, (hoc enim illi est nomen) tum medicum nostrum, de quo scripseram ad te antea: itemque Heliam vnà cum consulibus. Post prandium, statim disputationes me cohortante inductæ sunt: argumenta physices assumpta: certatum à medico nostro acriter, obtorto vultu, magnisque anhelitibus. Ille alter, modestus, placidus, nihil non ad rem, nihil non accuratè & sobriè, sanè quam peritè omnia, & intelligenter. Quin cum ego conclusissem argumentum quoddam adversus medicum tortuosum ac difficile, in quo erat enodando magnus illi labor: iste petita venia, solutionem protulit quàm maximè fieri potuit doctè, atque accommodatè. Quid quæris? accessi omnes desiderio sunt retinendi hominis, consulesque eũ sollicitarunt. Res pacta est aureis nummis centenis: tanta cum voluptate ciuium, sicuti ego audio, vt omnes nouam quandam felicitatem huic vrbi esse exortam putent. Quin circunferuntur sermones, quos cum consulibus habuit, ita liberales atque ingenui, vt nil possit supra. Quamobrem spero huic negotio & muneri optimè prouisum fore: & spero adhuc, tamen nondum comperiam habeo. Sed videbimus reliqua. Habet autem iste, quod mihi maximè voluptati est, Græcarum etiam literarum quod poterit imbuendis sis satis. Quocirca tu de eo sine cura esse potes. Mentiuntur ciues nostros rectè habere se, tibique officia præstitisse quæ in vtrunque nostrum beneuolentiam significarent, maximè licet. Quæ ad Quirinales hortos pertinent, à me tibi missa, hæc me scribente tibi iam accepta esse confido. Erat enim hic vndecimus dies, quo tabellarius qui attulit, discesserat. Respondi literis Florentinis, nunc venio ad Romanos: in quibus hoc primum lætor, binas iam te ibidem meas accepisse. De Capisucco gratissimum mihi est, & Romæ eum commorari, & habere locũ quem virtus eius meretur, quanquam non vt meretur quidem, est enim vir summis honoribus dignus: qui quod tui amantissimũ se ostenderit, non est aliena illius naturæ & humanitati, hæc cogitatis exercitatio. Eum ego maiorem in modum diligo, & diligam semper: summasque eius virtutes, atq; imprimis humanitatem illam qua singulari est præditus, omnibus meis officiis complectar. Eum tu meis verbis & salutes centies, & amplexere etiam velim. Quòd Iudæorum mentionem intulisti: in causa illa omnes

nunc laboramus: itaq; rogatus sum à Delectis huius præfecturæ, quorum de numero sunt qui heri mecum in prandio fuerunt, vt cum ijs vnà ad legatum accedam: quod libenter annui. Dies dictus est accedendi ab hoc die tertius, quò etiam propero magis vt ad te antea scribam: ne negotio illo hęc opera distrahatur. Propter quam causam etiam habiturus es literas inaccuratas, atq; illepidè scriptas: non enim est otium describendi. Sed vt de rescindendis essent conditiones Iudæis latæ à Delectis, quibus noua illorum iura restringebantur: easq; illi recusassent: interuenit Latinus Iuuenalis, ad quem est aditum à nostris, idq; meo consilio: petitumque vt æquitatem concessionũ Iudaicarum inspiceret, ad Pontificemq; referret. Nõ recusauit laborẽ, vocauit Auenionẽ Iudęos parteis ambas audiuit. Correxit ipse nonnulla, quę nos heri proposuimus Iudęis, interrogauimusq;, nũ illis stare animum indicaturi essent. Tempus postularunt ad respondendum. Biduum datum est, vt perendie, qui dies erat futurus VI. Idus, mane responderent: decretumq; inter nos, vt responso quocunq; habito, ad legatũ statim proficisceremur. Atq; hoc à nobis de industria factum est, vt si repudiassent illas conditiones, Latinum inimicum sibi redderent, cuius autoritatem tam parui fecissent: quanquam intempestiuum nunc quidem est de Iudæis scribere. Amicum illum nostrum nondum inuenisse exitum reb. suis magnopere miror. eiusque actiones minimè probo, in quo tu quoque potes animaduertere Paule, quàm popularis hæc quæ videtur sapientia, à vera viuendi ratione, verisque prudentiæ consilijs aliena sit. Sed hæc missa. Ego versor in studijs languidius, & de gloria quidem aliquantum processi: sed nescio quo pacto piger magis etiam sum ad scribendum, quàm solebam: legendi voluptate ducor: sumque reuersus ad Aristotelis scripta, quæ quotidie mihi maiora, præclariora que videntur. Procœmium de gloria miseram tibi, quod postea mutaui aliquot locis, neque nunc vellem Saluiato lectum. Sed ego hoc confecto de gloria libro, optimum illum principem omnino sum explicaturus, si impedimento nullo fuero tardatus. Cùm huc à me peruentum esset, sustinui scripturam, si quid forte mihi in mentem venire posset, quod præterea esset scribendum. Interim conuertam animum ad literas Contareno scribendas, si & tempus & ingenium mihi suppeditaturum sit: quod sanè diffido. Ad Contarenum non succedit quod scribo, quare in aliud tempus differamus: & sanè sum aliquantum μετεωρος, sentio autem ad talem virum ab animo vacuo & soluto petenda est. Tandem confeci ad Contarenum literas, quas quoniam examinare, vt soleo, non possum, neque ingenium ad iudicandum attendere, tibi Florebello q; permitto, vt nisi duxeritis idoneas, ne reddatis. Vale, & salue mi Paule: imprimisq; animaduerte, neque frequens

tua

tia ad primores accessio aliquam indignam nobis ambitionis suspicionem excitet. Gallicis sanè quidem illa moribus, quam Romanis est congruentior. Quocirca temperato tibi ab ea, & lõgiora spatia intermittito. Iterum vale. 8. & 7. Id. Nouembr.

IV.

AD EVNDEM.

CVm venissem Auenionem ad XV. Calen. Decemb. ob causam publicam aduersus Iudæos illuc euocatus, protinus mihi ex eorum descendenti, literas tuas Vitalis obtulit, 3. Non. Nou. scriptas, quas non mediocri cum voluptate legi. Delectabat autem me in illis cùm summi Pontificis de te opinio, tot iam signis iudiciisque declarata, quam tibi & honori & ornamento fore confidentium veterum amicorum nostrorum, summorum hominum, erga me voluntas non solum non extincta diuturnitate nostræ consuetudinis, vt mihi ex literis tuis conspexisse videor: verum etiam beneuolentior facta, postquam tu tuis officiis, tuaque diligentia acriores quodammodo faces illorum animis adhibuisti. Sed præter omnia maximè mihi iucunditati fuit Contarenus: cuius ex epistola dici non potest quale de eo iudicium fecerim. Et ut vera exemplum mihi illa attulit humanitatis eius, probitatis, benignitatis, prudentiæ. Primum, quod ad me prior ipse scripsit. Obsecro, hoc quãti? Deinde, quòd illo modo, quòd tam ingenuè, tã fraternè, tam amanter scripsit: & cũ pro me omnia summa fecisset, non tacuit etiã in literis: in quo me sibi visum ieiuniorẽ arbitratur. Crede mihi, amo hominem, & tanquam alterum me esse iudico, quando ita sumus consentientib. sensibus, vt simplicitatem illam, quam ego tãtopere amplector, & quam tibi amplectendam semper magnopere prædico, ambo eodem quasi inducti spiritu, tenemus. Ac de magistro quidem lætor, & eum illũ nõ esse quem fueramus suspicati, & de omnibus controuersiis inter nos conuentum esse: quem iam diligere incipio, tuo imprimis testimonio adductus. Proinde, etsi stigmata adhuc in fronte gerimus eius dedecoris, quod mihi ab illo vel per illũ inustum est: facile tamen & libenter obliuiscimur pristini doloris, atque ad fraternam beneuolentiam animum nostrum conuertimus. Ad Cõtarenũ rescribo, cui cũ reddas meas literas, de meo in ipsum animo, deq; maximis obligationib. quib. illi sum obstrictus, tu quoque ea loquere, quæ ex mea fide & natura esse scis. Bellaio etiã ages meis verbis gratias: ipsiusq; erga nos voluntatẽ neq; vnquam mihi incognitam, & semper optatam atq; gratam ostendes esse. Nam quod hortatur vt in Epist. ad Gal. commenter, satis tibi exponere non possum, quàm à scribendo nunc abhorreat animus,

etsi

etsi hoc fortasse breuis desidiæ sit. Verùm si scribendum maximè sit, num tu ad sacrarum rerum commentationes me hortare, quarum scriptio tot insidiis & calumniis est infesta? Illud me mordet, Pontifici te esse pollicitum: quanquam hoc fuerit bonitatis. Te autem existimare, breui à me tempore elucubrari quicquam posse, quod lectione dignum sit, id sanè in te vehementer sum admiratus: qui nosse tarditatem, & cunctationem meam maximè omnium debeas: qui crebro me desperatione suscepta opera penè abiicientem videris. Tibi ne venisse in mentē, menstruo spatio posse aliquid à me confici? Ne tu in hanc opinionē de me discesseris vnquam: néue tibi persuaseris, cum esse me semper, quem tu interdum expertus es, hoc est in potestate & arbitrio: vel (vt nonnulli dicere solent) in numerato semper orationis copiam habentem. Sed quoniam promisso satisfaciendum est, tuaq; fides exoluenda, quam Pontifici adstrinxisti: magnopere velim te expiscari & indagare, quo ille argumento potissimum lætaturus sit: atque vtinam ipsemet mihi præscriberet: fierem enim attentior illo mihi admoto veluti stimulo. Quid autem? quicquid dummodo ne de conciliis: quòd in eo genere & permulta scripta sunt: & volo fidei meæ testimonio derogari, si fortè in concilio quid sentirem de his rebus, esset mihi expromendum. Poteris igitur, si cum eo familiarius loquendi tibi potestas fuerit, sciscitari de eo met, quid sibi maximè placeat. Ad Farnesiū composui gratulatorias literas: serius fortasse, q̄ expectarit: sed ita accuratè, vt nihil mihi in ea re videatur potuisse scribi grauius. Florebellum summopere diligo, & quanquam mihi illius absentia incommodo est, atq; vt prisco vtar verbo, diuidiæ: tamen florere eum in celebritate magis opto, quàm mecū in silentio, & quasi in solitudine viuere: idq; adeo illius causa, quem ego dignum omni honore statuo. Gratum ergo erit mihi intelligere, esse eū eo loci positum, vbi spem magnam capere suæ liberaliter fortunę cōstituendę possit. Nos hic sat belle habemus: asperiorem aliquanto sentimus hyemem, quàm in his regionib. solita sit: annona & reliquis fructib. abundamus. Frater tuus quotidiè magis & morib. honestis, quod videmus: & literis, quod speramus, proficit. Sacratus in officio est, commodamq; mihi præbet operam. Amici & familiares valent. Reliqua si qua sunt, a domesticis ad te scribi copiosè puto. Carpent. VI. Cal. Decemb. M.D.XXXXV.

Nigrum meum saluere plurimum iubeas velim: quem ego amo mediusfidius, & in medullis habeo: eius literis non rescripsi, satis spatii non habens: & tamen nullam ei epistolam arbitror te internuncio futuram gratiorem.

AD

V.

AD EVNDEM.

SCRIPSI literas ad te speciosas, quas Pontifici ostendere posses: in quibus de tua istic mansione, reditúue ad nos, cõsilium illud do, quod vnũ in huiusmodi re visum mihi est dari tibi oportere. Nunc scribo has familiariores alteras, vt etiam hoc addam, quod mihi maximæ curæ est. Nam cum ego prius quietiore animo essem, in reditum tuum expectans ad eam diem, quæ fuerat dicta: hoc est, circiter mensem Aprilem, postquam tu non semel, sed bis iam scripsisti ad me, cupere te anticipare illam diem, & primo quoque tempore ad nos reuerti, magna sum incensus cupiditate videndi tui. Sed tamen, quod est mei paterni animi erga te propium, semper commodum & vtilitatem tuam meæ voluntati præuerti volo: vt si habiturus sis splendidam occasionẽ istic commorandi, agas quod animo tuo lubuerit, quemadmodum tamen in alteris literis, quæ ad speciem factæ sunt, consilium meum tibi de hac tota re explicatum est. Illud tantum te admoneo familiarius & propius, vt ita statuas, idque habeas exploratum, si semel in illam nassam te inieceris, liberum tibi posthac inde tutum non futurum. Nos enim ipsi, id quod tu scis, nisi diuino potius quàm humano certè consilio, emissi ex illis vinculis, tanquam è custodia fuissemus, adhuc impediti & constricti hæremus. Neque ego te impedio, nec deterrere te volo, quo minus istic maneas, si commodum tibi sit. Sed vtrumque putaui meum esse, & quod faceres approbare, & quod sentirem id verè exprobare. Confeci etiam ad Pontificem epistolam, quam omnino omnino tibi reddi: est enim scitè (opinor) satis & grauiter scripta. Quam quidem vt conscriberem, illa me res præcipuè impulit: quod nosci ab eo, & à cæteris omnibus volo, firmum animi mei propositum, huius qua nunc fruor, retinendæ tranquillitatis, & libertatis meæ, vsque ad extremum spiritum conseruandæ. Amico nostros quidem omnes, sed imprimis, ac præcipuè Blosium omni omni à me salute & charitate complectere. Vale.

VI.

AD EVNDEM.

BINAS à te acceperamus literas, datas mense Nouembri: nũc accepimus trinas ipso natali Dei & domini nostri die. Respõdeo igitur ad omnes. De tua cupiditate, vt sis mecum, & mihi adire gratum est, & te video postremis tuis cognouisse iam de eo sententiam meam: nempe te non minus auidè expectari à me, quam

quam desiderari me tibi: quamobrem ages quod quandoque tibi videbitur. Illud tantum te admonitum volo, vt cautè intercias. cùm propter anni tempus, est enim hyems: tùm quòd cum non maximè comitatus sis, sisque per ea loca, eosque homines transiturus, quorum mos & natura mihi valde est suspecta: non sine animi solicitudine esse possum: neq; soluto animo de te cogitare. Quare fac vt omnem adhibeas cautionem & diligentiam quò te nobis saluum atque incolumem sistas: fidosq; habeas & comites, & viarum duces: in quo neq; operæ, neq; pecuniæ parcas te volo. Et quoniam vno aliquo egemus qui à pedibus sit, Fabritium eram desideraturus. Sed is retinetur à Florebello, cui commodum facilè antepono meo, alium adduces quemliber, quem tu idoneum & fidelem esse iudicaris. Cæsum Cardinalem & amaui, coluiq; semper, (quemadmodum tute scis) & valdè bene de eius ingenio, prudentiaque iudicaui: meque ab eo diligi etiam sensi: quod est caput meæ in eum obseruantiæ, eximiique amoris. Qui quòd tibi se comiter amiceque dedat, habeatque nonnunquam de me mentionem: gratissimum mihi est: teq; illi meis verbis & agere gratias, & mea in illum perpetua officia polliceri, planè volo. Lapidem autè illum quin ferat causa nulla est quare nisi iam fecisti, facias illi primo quoque tempore eius auferendi, & sibi habendi potestatem. Marium nostrum aueo scire quid agat, & quo animo prooemium nostrum acceperit: tu fab eo aliquid, continuò facies me certiorem. Gambarum conuentum à te, & meis saluere verbis iussum, admodum lætor: illudque magis, quòd tibi visum scribis fuisse, me ab eo diligi. Quod ego non parui facio: eius enim de ingenio, & de nobilitate animi, summaq; humanitate, semper existimaui bene: quapropter item meis verbis ages illi de hac eius voluntate erga me gratias. Petrum Lambertum meum, optimum sanctissimumq; virum, eademque omni virtute atque humanitate prædium, sic non amo solùm, verùm etiam colo ac veneror, vt nullius hominis amplitudini & dignitati plus tribuam, quàm eius vnius integritati ac virtuti. Qui quòd me, teque diligit, suamq; omnibus in rebus ostendit aduersus nos beneuolentiam, tam gratè accipio, vt nihil supra. Sed quando tot eius erga nos meritis referetur à nobis gratia? vtinam veniret mihi in mentem, qua re possem me illi etiam habere, agereq; aliquid, quod tali viro accideret optatum, testimonium meæ ardentis erga illum voluntatis. Sed, si omnia ad gratiam ostendendam nobis reliqua sunt clausa, testimonium certè tantæ virtutis ac benignitatis pro virili nostra in posteritatem propagauimus: est enim mihi ille semper in intimis medullis infixus. Tu ei à me millies salutem, vel centies millies potius: nemo est cui me magis charum & cõmendatum esse cupiam. Quòd autem

ille tibi

Ille tibi suadet, vt munus consecrationis, vel facultatem potius cum muneris accipias, idem ego & probo, & te hortor. Moroni Episcopi Murinensis nostri virtute & dignitate plurimum lætor: teq; iniisse cum eo amicitiam valde laudo. Caluum habeo in memoria, fuit enim semper mei amicissimus: ipse certè (quod nosse de illo potui) ingenio animoq; erectior quã videretur illius fortuna postulare: quem salutes velim à me: eiq́ue dicas, gratum illum mihi facere, quòd memoriam mei non intermittit: petereq́; ab eo me, vt hoc assiduè faciat. Capisuccum meum, talem tibi beneuolentiam ostendere, tantumq́ue impartire amoris, quantum scribis, incredibile est quantopere gaudeam, & certè nihil fieri potest illius virtute præstantius, humanitate lenius, familiaritate dulcius. Et tamen hæc in eo antea etiam cognoram: nunc verò, quod tantam fidem præstet amicitiæ, quod ita memor sit eorum a quibus ipse mirificè diligitur, quanquam longè absentium, hoc prope singulare est & summũ in hac ætate optimi viri indicium: cui ego toto corde & animo penitus sum addictus. Illud doleo, quod cum ipse facultatẽ amplam habeat crebro nobis amorem suum ostendendi, nos nihil simile aduersus eum agere possimus. Sed aliquando poterimus: aut ipse eadem virtute, animiq́; ingenuitate, qua nos officiis omnib. prosequitur, nostram voluntatẽ erga se pro relata gratia accipiet. Quòd eius omnib. in rebus ope & consilio vteris, facis rectissimè, idq́; vt semper facias tibi potissimum mando. Ad Gonzagam amplissimum virum suades vt scribam. Enimuerò quid? præsertim cum ascribas occupatissimum illum esse. Videtur tibi ne rectum, vt obtundamus eum inanibus epistolis? Ac delectatur stylo & genere meo dicendi. Primùm, nõ video cur delectari debeat, quid enim est in meis scriptis egregiũ, quodq́; non imprimis humile & serpens humi sit? Deinde, si maxime delectetur, iuuenile est summos viros literis lacessere, quæ nil afferant aliud, præter animi delectationem. Imò verò habeat ille hoc pignus nostræ summæ erga eum obseruantiæ, maximiq́; quo illum prosequimur honoris, quod vacuas rebus & negotijs literas ad eum dare erubescimus. Quẽ quod scribis omnia summa officia Accolto nostro in illius grauissimis incõmodis præstitisse, lætor virtute & laude amplissimi ac nobilissimi hominis: multumq́; ego quoq; hoc nomine illi debere me intelligo. Gratum & id mihi, quod de Vbaldino nũtias, esse eum cum Accolto in amore & gratia, hominemq́; sese in illius aduersis reb. præstitisse. Laudo virtutẽ, officiumq́; diligo. Sed de eo ipso est quod expostulem. Tandiune, cùm in Vrbe assiduus fuerit, nihil ad me literarum, ac te per alios salutẽ quidem? at tu illi à me plurimã. Cui indicabis, etiam si ipse me minus diligat, summè tamẽ eum à me & amari & semper amatũ iri. Hortos nostros Quirinales scripsi vt redimeres:

nunc

nunc si tibi videtur commodius sinere eos vti sunt, ea ratione, ne si ab vno auellantur in aliquem potentiorem incidant, à quo tam facilè postea possint auelli: facies quod iudicaris rectum, totum enim hoc negotium tibi permitto. Latinum Iuuenalem ante maiorem in modum, meque ab eo amari opto: tu me illi & mea omnia, & res prouinciæ huius commendabis. Æmilius quod me petit, neque facile id factu est, & certè alienissimum nostra integritatis. Nos officia amicitiæ illi præstitimus, quoad licitum fuit: sinat nos nunc officij nostri habere rationem. Nam vt ista cogitationibus vrgendis, & aduersarij persona suscipienda, lites prosequamur, neque honestum, neque decorum nobis est: longeque remotum à more & professione nostra. Libellum hic retinebimus, quoad ipse inueniat qui rem exequendam curet: quem ex prouincia ipsa esse oportet: & tamen magnus numerus eorum hominum solet in Vrbe esse: vt futura sit ei alicuius copia, qui id agat sedulò & diligenter: quando quidem ad talia genus illud hominum est aptissimum. Si qua re honesta Æmilius meam beneuolentiam erga se expectet, experietur semper me amantissimum sui. Ain tu Romæ esse Hieronymum Alexandrum? quem ego abesse longè putabam: audieram autem esse eum Venetijs: gaudeo mediusfidius, datam tibi facultatem, hominis omnium doctissimi & noscendi, & visendi: quem quòd scribis mei esse peramantem, moriar ni eo nuntio mirabiliter sum delectatus. Hic de illis Paule est, quos ego imprimis mirari soleo. Incredibile propè est, quæ sit hominis scientia, memoria, cognitio rerum plurimarum, de quo sæpe equidem tecum locutus sum. Sed nunc cùm nactus occasionem es, complectere hominem omnibus officiis, & te illi insinua: abibis enim semper ab illius latere & colloquio doctior: quem salutari à te meis verbis studiosissimè volo. Tantum vtrumque nostrum ab amplissimo viro Contareno amari, quantum tu scribis, summæ mihi voluptati est: vtinam ille modò habeat iustas causas id agendi. Ipse quidem illi omni obseruantia iure optimo sum addictus: cuius legi adnotationes, & tamen est quiddam, in quo leuiter dissentimus: in quo tamen meis rationibus allatis illius sententia potissimum staturus sum. Sed oporteret nos colloqui: quod aut faciemus coacti concilio, si modò vnquam cogetur: nam ego quoq; Christiano illi negotio pro mea parte non deero. Aut si facultas ea non dabitur, & desperaro posse nos congredi, per literas accuratius & sciscitabor sententiam eius, & explicabo meam: quamobrem tota ista res in id tempus differatur. Mendum illud in libro meo, quòd ipse quoque corrigi debere dicat: probetque in eo opinionem meam, quæ tamen eadem semper fuit, neque quo pacto in verbis illis fuerit immutata scio, nec miror, & tantò magis

dari

dē ita operam volo, vt in omnibus libris, quotquot fieri pote-
rit, error ille tollatur. Ad postremas venio literas: Saluiatum &
Cinegium, & Symonetam, quantum colam tu optimus testis
es: qua autem illi in rebus nostris beneuolentia vtantur, cognoui
ex eis literis. Agito igitur illis maximas à me gratias, o-
mnemque meam obseruantiam, officium, amorem, eisdem defe-
ro: quod commodissimè facies, cùm commeatum petes ad nos
reuertendi gratia. Hortensium lætor bonis ingeniis probari
Octauio Pantagatho optimo atque eruditissimo viro, cuius offi-
cium gratissimum habui, meam item gratam esse & memoriam
eius officij, & erga ipsum voluntatem gaudeo. A Steuco accepi li-
teras humanissimè scriptas, quæ me maiorem in modum delecta-
runt. Quod ad Fregosium scripsisti, laudo. De pensione illa tua
primo ita rege vt eam autoritate sua comprobet, indignū est. No-
strates illam officia eiusmodi sunt, vt si fortunam sequeremur,
nunca ab illo expectare deberemus. Nunc cum è fortuna non
pendeamus, infringere in re parua magnitudinem animi nostri,
ne vtere quidem in cogitationem nostram debet. Si pensio per
Pontifex potest roborari, honesta est actio, & petere non inde-
cens. Sed Regem confugiendum est, non est tanti pensio, cui
hanc demissionem animi alienā à moribus & natura nostra sub-
eamus. Nihil est quod te pigeat reddidisse primò Farnesio literas,
deinde gratiam & gratiam imploraſſe: non enim dubito, quin ne-
gotium sit recepturus ex animo, idque quod volumus à Pontifice
impetraturus sit. Quod si etiam fiat serius, semper tamē futurum
erit non minus gratum. Non te oblitum arbitror, quod tibi disce-
denti de Alfonso fratre in mandatis dederim. Id tamen, quoniā
res est magnæ mihi curæ est, repetendum his literis duxi, vt
is commendatus apud Pontificem Maximum, quò magistratus
cuiusvis illius virtute dignus mandetur, in quo possit & doctri-
nam, & integritatem exercere. Non enim diffido optimum
Principem, pro sua clementia & erga nos voluntate, habiturum
rationem rogationis nostræ: nobisq; ea præbiturum, quæ com-
moda esse sint: cùm nos, qui nihil magnum neq; insigne quæri-
mus, nec optamus quidem, neque ob eas res aures Principis no-
stro pulsamus, hòc simus qui parua & vulgaria impetremus di-
cuntur. Ages igitur cum illo nostris verbis, & diligenter, & auda-
cter: vt habere velit fratris mei rationem, & docti, & prudentis
viri: cuius iam probitas, iustitia, & integritas, in aliis magistrati-
bus, quos alias perhonorificos gesserit, magna cum ipsius laude
perspecta est. Causas celerioris reditus tui, vel quod iustæ sunt, vel
quia ego rei ipsi faueo, habeo sanè quàm probatas. Tantùm te
admoneo iterum atq; iterum, vt cautissimè iter facias. Iulium pue-
rum hoc tempore viæ committi nō placet: primo vere curabitur

vt tutò & commodè veniat. quod etiam eius deducendi onus Nicolaus Capellus sibi ait impositum à mulieribus fuisse: quæ illhuc cupiat redire, comitum penuria etiam nunc detinetur. Literas meas ad Pontificem maximũ, quas poscebas, cùm hæc scribam ad te, perlatas esse arbitrabar, teque illis iam vsum eo vtendum putasses. Accoltũ doleo excedere ex ea vrbe, in qua maximè eum morari vellem: vt enim nobis est amicissimus, pluribus rebus nauare nobis posset beneuolentiam suam. Sed rerenda humana. Quas quidem ad eum scripsi literas, non minu motu animi à me scriptæ sunt, quàm ab illo fuerint lectæ. Cladium opto mecum esse, tametsi ego in scribendo & lucubran factus sum segnior: itaque scito, nihil à me hac hyeme compe tum fuisse, quod momenti alicuius sit. De gloria inchoaueram sed citò intermisi: habeo tamen in animo opus illud persequi, quo Saluiato, cui tantum debemus, referatur aliqua ex parte me gratia: quod etiã per te illi volo exponi, & declarari. Tuleras per de Blosij Palladij nostri humanitate, comitate, beneuolen erga nos aliquid ad me scribis: tibi autem quid ego rescribam nisi illud, quod solenne & fixum est, eum à me scilicet incredibiliter amari. Quod cùm summè faciam, non tamen tantum mu videor posse facere, quantũ illius erga nos officia postulant. Vellem scripsisses ad me, ecquid habeat gratum, quod ego illum à meo Hortensio intexui: & certè habere debet: non tam, quod magnum aliquid propterea sit assecutus, quàm quòd ego illi in conspectu propemodum pono vniuersam imaginem illorũ temporum, in quibus nostræ vtriusq; iuuentæ desideria illa ardentia ferbuerunt, quorum est recordatio vtriq; nostrum iucunda. Eum tu meo nomine amplectere, & salutem illi plurimam dices. Florentium magistrum huius iuuentutis quotidie magis probo: nil quod videtur mihi factus taciturnior, & solitudinis amantior: in quo mihi est admonendus, (quod facere cogito) vt caueat, ne hoc sit μελαγχολίας vitium non animi iudicium: omnique modo ad hilaritatem est prouocandus. Ei stipendium publicè constitutum est satis amplum. Cuius tertia pars illi à nobis soluetur, quæ admodum cùm tu etiam adesses, eramus ciuibus pollicit. Frater tuus mihi admodum satisfacit, seque exhibet & facilem & cupidum obtemperandi mihi: & certè (vt ætas illa est) nihil, aut admodum rarò delinquit. Spero de eo optimè. Sacratus in suis studijs est assiduus: cæteri familiares bene habent. Nos hic in suauissimo otio viuimus: copia rerum abundamus (præterquam pecuniæ) penè omnium. Multum mihi tuæ ad Bembum placuerũt literæ: vt, si homo es, magno animo dedere te debeas ad hoc Latinè scribendarum epistolarum genus. Ad postremas tuas literas nihil est quod rescribam amplius. Satis enim ad omnia arbitror esse re-

esse sponsum. Tantum Iaccobaccio humanissimo viro vt gratias agas meis verbis mando, atque vt eidem omnia nostra commendes: meq; confirmes memorem semper & ipsius officiorum erga nos, & patruorũ eius futurum, quos ego vehementer amauidum viuerẽt, neq; desisto diligere etiam mortuos. Adscribam hoc quoque: nisi ex tuis literis fecero coniecturam, diutius te isthic, quam nũc facturũ te ostendis, commoraturũ esse, nullas amplius literas me ad te scripturum: sed tempus & curam omnem positurum in sacrarum literarũ studijs: quæ narrare tibi nequeo quantopere me delectent. Tu vt eo animo ad nos venias, tanquam te in eadem studia totũ immersurus sis, omnino facito. Vale etiam atque etiam. Durando cubiculario summi Pontificis multum intelligo me debere: suis enim in te officiis egregiè promeruit, vt ego quoque illi deuinctus essem: quamobrem ages meis etiam verbis ei gratias: meque totum suum vt existimet, admonebis. Iterum vale. V. Cal. Ianuarij, M. D. XXXV. Carpent.

VII.

PAVL. SADOL. PETRO BEMBO.

EX eis literis, quas ad Lazarum nostrum Papia proficiscens dedi, me in Italiam venisse, Romamq; iter habere, & quæ profectionis nostræ causæ, quæve consilia essent, cognouisse te arbitror. Illud quidem certè cognosse te non dubito, quòd ei nominatim vt te edoceret mandaueram, deferre mecũ me patrui mei de studijs philosophiæ librum, quem is paulò ante absoluerat: atque ab illo mandatum habere, vt simul ac constitissem, statim tuis describendum, & fideliter ad te perferendum curarem: mitissè enim eum cupere, vt tu illum primo quoq; tempore, atque tuorũ princeps haberes: cùm eius amicitiæ, quæ inter vos intercessit, causa, (præsertim cùm tu illum ab eo librũ tantopere efflagitasses) tum verò vt lucubrationem suam ad iudicium tuum deferret, tuique imprimis opera, cura, diligentia, fide, in illa exponenda vteretur. quod ipsum etiam, posteaquam ad Vrbem veni, diligentius mihi per literas mandare, meque vt approperarem vrgere nunquam destitit: facilè vt appareat, quanquam magna quædam in eo libro se esse conatum existimet, non tamen eum illi librum antè probatum iri, quam is grauissimo atque acutissimo iudicio tuo fuerit comprobatus. Quamobrẽ Matthæo Dandulo eiui tuo, eidemque tui nominis (vt mihi perspicere visus sum) studiosissimo, mihi ex Contareni Card. familiaritate cognito, & propter eius virtutem atque humanitatem vehementer probato: cùm in isthæc loca proficisceretur, ipsum descriptum ad te librum dedi, eiq; quàm maximè potui commendaui: quem effecturum non dubito, vt is fidelissimè ad te celerrimeque

perferatur. Nunc te Bembe optime ac præstantissime, patrui me
verbis etiam atq; etiam rogo, fidemq; a te amicitiæ, quam me
omnibus in rebus diligentissimè præstare consueisti, in hac
potissimum imploro, vt ad eum legendum eo animo accedas
vt si quid laudandum in illo, sed vt quidquid reprehensione
gnum sit, tibi id notandum atque animaduertendum putes:
que ita statuas, nos à te non tam voluptatem vllam ex laudat
ne tua, quàm maximam ex correctione vtilitatem expectare
porrò optimè fiet, si in legendo iudicis partes susceperis, a
deposuetis. Subuereor enim interdum, ne te nimius amor
in fraudem inducat, tibiq; omnia quæcunque a nobis pro
scantur, arridere faciat. Quare eum tu Bembe amorem in
ne adhibueris, sanctiusque apud te sit religionis atque offici
men, quàm vlla amoris ac familiaritatis ratio. Quanquam
certius ac proprium magis esse censendum est amici minus
quis ex amicitia capi vberior fructus potest? quàm vt quisq;
ctrina, ingenio, magnarum rerum vsu quam maximè excelle
ea illum omnia ad amici voluntatem atq; arbitrium summo
tempore, quàm libentissimè conferre? iis præsertim de reb
quæ & iam in manus hominum venturæ sint, & ad poster
etiam ipsam forsitan peruenturæ? vt opera ac fides tua à te
ita debeatur, vt eadem etiam pertineat ad vniuersos. Illud te
monitum volo, posse legi librum, itemq; ab amicis nostris
ctissimis viris describi, Polo, Lazaro, Lampridio, quorum
quod de eo iudicium sit, valde auemus scire, imprimi verò
edi nequaquam posse: vult enim patruus ampliore tempor
tio facultatem sibi esse, mutandi & corrigendi, si quid extuo
sertim iudicio, emendatione dignum videbitur. Verum eade
hæc patruum per literas tecum egisse confido. is enim ad me
ximis literis scripsit, se literas à te, Iulio (vt arbitror) mens
tas, tunc demum accepisse, atque vt ad eas responderet, se
Tu cùm scribere ad nos voles, censeo huc ad Nigrum, qui vtr
que nostrum amantissimus est, ipsas literas mittas, qui eas
quamdiu hîc ero, cuestigio reddet: postquam autem discess
Carpentoracti etiã nobis eas curabit reddendas: sic enim
tissimæ tuæ literæ, quanquam paulò longiore erratione, er
tamen, ac plerunq; etiam celerius ad nos perenient. Quod
tem ad me ipsum attinet, ego cùm in Italiam venire
sem, ita peregrinationis meæ partes distribueram, vt statu
te isthic in reditu meo inuisere, quem ad mensem Aprilem
ciebam fore. Te autem iccirco videre omnibus votis cupie
primùm, vt summum meum erga te studium, singularem
seruantiam qua te iampridem sum complexus, coram tibi
rare conarer: fruererque exoptata voluptate videndi atque
quendi

endi eius viri, cuius virtute ac monumentis nostra hæc ætas illustrior, & ad posteritatem commendatior futura est. Deinde, vt cum ex tua aliquorum dierum consuetudine, aliquid ipse ad eum meum transferrem, quod ad optimum atq; honestissimum vitæ cursum mihi constituendum valeret. Nam cùm hæc sola fere causa sit, quamobrem hanc à me vrbem, quæ semper domicilium virtutis atque prudentiæ optimo iure habita est, visendam atque inspiciendam putarim, vt scilicet in meis vitæ rationibus prudentior ex eo, atque moderatior fierem: meque ad præstantium virorum, qui in ea sunt, exemplum atque imitationem conformarem, quantopere mihi tuus Bembe aspectus exoptandus est, qui mihi vnus totius vrbis esse instar potes? Quare statuebam (vt ita dicam) te videre antequam in Galliam me referrem: maneoq; eam nunc in sententia: modò stet illud quod diximus, de tempore, ad quod cogitabamus reuerti. Nam si expectabimus Aprilem mensem, te omnino videbimus. At si quis interuenerit casus, quo breue cogar reuerti, id quod potius formido, aliud erit mihi commodius atque expeditius iter suscipiendum: atque ita, ad mensem sanè itineris, atque hyemis laborem, illud etiam mihi grauis accedet incommodum, quòd tuo mihi optatissimo congressu carendum erit. Quicquid autem ceperimus consilij, te de eo memorem faciemus. Vale. decimo Calend. Decembris M. D. XXXV. Roma.

VIII.

PAVLVS SADOLETVS RVDOLPHO Pio S. R. E. Cardinali, S. P. D.

DECIMVS circiter mensis agitur, cùm ego & F. Molsa nobiscum, ac liberaliter institutum, amplitudini tuæ diligenter commendauimus: à teq; omni studio ac precibus contendimus, vt eum mirificè cupidum ac sitientem familiaritatis tuæ, velles in fidem ac familiam tuam recipere: multaque addidimus, quamobrem & ille tantopere id cuperet, & tu nolle nō deberes. Atque hoc nobis (quod te meminisse non dubito) quodam die factū est, cum ad prandium apud te, certo consilio, ego atq; Molsa venissemus: cumq; à te lautè ac peramanter accepti, loquendo (vt fit) ac deambulando, in angustam quandam ac penitissimam bibliothecæ tuæ partē soli tecum vnà peruenissemus, opportunum sanè locum, vt non inde tu facilè, nisi ea quàm à te petebamus, vera nobis data elabi posse videretur. In quo illud mihi sanè gratum non imprimis iucundum accidit, quod præclarū eo die specimen visi eximiæ cuiusdam liberalitatis atque humanitatis tuæ.

Nam cùm à nobis vehementius premerere: ac tibi quoniam cupiditati noſtræ, quemadmodum voluiſſes, obſequi ſtatim no ſes, rei familiaris tuæ non paucæ (vt tute affirmabas, id quod etiam agnoſcebamus ipſi) difficultates obſtarent: vidi te tam mente ſæpius hæſitantem, vtrum maior tibi cõmodi tui ratio benda eſſet, an ſtudij ac voluntatis noſtræ: quaſi tibi durius e nobis quippiam abs te petentibus non ſatisfacere, quàm cou rei familiaris tuæ rationes atq; coinmoda facere. Itaq; ea tuæ amplitudine tua inita eſt ratio, quæ & rebus tuis commodæ, æquè nobis futura eſſet grata. Petiiſti enim à nobis, vt certo quot, 4. opinor menſes, Fallopium ipſum ſuſtinere ſe, ac comm dum tuũ expectare iuberemus: quo tempore domeſticas tuas ficultates explicari poſſe ſperabas, auctis per eos dies ex Gall ſacerdotio vectigalibus tuis. Tum enim demum teilli, nobisq tantopere pro eo laborantibus morem eſſe geſturum. Quod co Fallopio renuntiauiſſemus, magnũ ſe quiddam per nos adep eſſe arbitratus eſt: ac cum magnas nobis, tum amplitudini maximas apud nos gratias egit. Sibi enim facile æbat fore, q diu tu velles expectare: vt qui nulla neceſſitate, nullaue inopi tuã exoptandam familiaritatem adduceretur: ſed ſola ea fam hominũ prędicatione, quæ de tua virtute, & animi magnitud ſummaq; humanitate incredibilis pene eſt, ſtudio atq; amor accenſus & inflammatus, cuperet ei viro cultum atq; operam dicare, cuius ipſe ex nomine & familiaritate fieret ornatior. dit, vt tu breui interiecto tempore, à ſummo Pont. ad Gallã gem legatus de pace mitterere. Et paulò pòſt ſecuta eſt ipſius tif. noſtraq; cum ea vnà ab Vrbe profectio: tantæq; deinceps te imprimis interprete ac adminiſtro, inter maximos pontif actæ tractatæque fuerunt, vt nihil de eiuſmodi priuatis rebus, cogitandi quidem daretur loci. Nunc autem cum ſedatis illo banatum rerum agitationibus, & publica re bene conſtitu vnumquemque ad priuatas ſuas rationes, atque ad inſtituta cõſilia reuerti liceat: admonet nos perpetui ſui optati Fallopii ſibiq; nunc demum poſt decimum menſem, patere aditum familiaritatem tuam petit: meque & Molſam ſponſores ſum pellat. Nos verò, præſtantiſſime Rodulphe, fidem illi præſtare non poſſumus, niſi benignitate ac liberalitate tua uemur. Itaque Molſa quidem qui iſthic adeſt, communem cauſam noſtrã apud te aget pluribus. Quem etſi ſciebam, ipſius ſuauitatem excellentemque doctrinam, apud te gratioſum eſſe, nec verò minus eum valere eloquentia que verborum, quàm gratia: vt vbi ille præſens eſſet, mea commendatio nõ magnopere deſideranda eſſe videretur, tam vt ego quoque meam fidem ac diligentiam homini amiciſſ

probatem, has ad amplitudinem tuam dedi literas: te etiam atq; tuam rogans & obsecrans, vt æquum te ac facilem postulatis nostris præbere, hominemq; imprimis honestum & probũ, necnon singulari quadam industria atque artificio præditum, qua de re tecum alias sum locutus, benignitate tua amplecti atq; in tuis esse velis: præsertim cùm ille non casu, vt pleriq; faciunt, ad familiaritatem tuam appetendam delatus sit: sed vnum te ex vniuerso amplissimorum isthic virorum numero, sibi iudicio certo delegerit, quem patronum totius fortunæ constitueret suæ. Hunc si ad te admiseris, atq; in familiam tuam receperis: equidem tibi audeo polliceri, magnam te ex illius fide ac solertia voluptatem esse capturũ. Mihi sanè cùm illud gratissimum erit, propter amici mei commodum, cuius ego causa vehementer cupio: tum etiã intelligo, quàm honorificum apud municipes meos Mutinenses mihi futurum sit ac gratiosum, tanti videri esse apud summos viros commendationem meam, vt illorum beneuolentiam ac gratiam ciuibus meis conciliare, eosq; opera ac diligentia mea iuuare possim. Quod si vides mihi amplum esse, ac penè gloriosum: existimare debes, me tibi, cuius bonitate ac beneficentia eã apud meos fuero laudem assecutus, quàm maximam ac perpetuã gratiam pro tali tuo beneficio habiturum: & ad multas eas & graues, quas cum Patruo meo communes habeo, tui amandi ac omnibus studiis colendi causas, maximam etiam ex hoc tuo in me priuatim ac propriè collato beneficio cumulum accessurum esse. Vale. VIII. Calend. Nouemb. M.D.XXXVIII. Carpent.

IX.

IAC. SADOL. PAVLO SADOL. S.P.D.

DECIMOOCTAVO die postquam à te discesseram, Mutinã veni, Idib. ipsis Maiis: ibi Alfonsum fratrem offendi valentem, & salua cætera quæ quidem domesticas ad res pertinent. Sed illi penè inopinatus fuit aduentus meus. Etsi enim imperium nouerat, quo ego accersebar, de mea tamẽ voluntate fuerat dubius: itaq; affui quasi improuiso. Nostri quidem ciues officiosè atque amanter vsum ad me & salutatum frequentes adierunt. Ego illo triduo Florebellum Bononiam misi, & ad Farnesium literas, nihil dissimulans de mœstitia mea, & simul exponens, quàm mihi graue extitisset venire in Italiam, & alienissimo meo tempore iter illud suscipere. Petebam autem vt transacto cum Cæsare colloquio, liceret mihi Carpentoracte reuerti, quod iam vnum atq; solum à summo Pontifice expeterem beneficium. Erat & illa excusatio in literis, me non continuò Bononiam profectum esse, quod de via fessus, aliquot dierum quiete, reficiendi mei causa

indigerem: me tamen quod ipsi imperassent esse facturum. Re-
sponderunt, posse me Mutinæ ipsorum voluntate residere, de-
nec vocandi abesset opportunitas. Quo ego nuntio accepto, a
Corlianum nostrum me contuli, vbi sextum diem iam ago, animo
quoad possum, reficere animum: eumq; reuocare ab iis solici-
dinibus, quæ me præter consuetudinem vehementer agitau-
runt, quod literarū imprimis beneficio bona ex parte contecum
rum me arbitror: tametsi libris careo, neq; habeo præter duos au
treis. Sed tamen & perfeci librum illum de peccato originis, et
iam exire in manus hominum me concedente possit: & alia com-
mentor, quæ si res mihi facultatem dederit, in lucem edimus
sum. Illud quidem mihi sentio vsu venire, vt nunquam ex studio
literarum tantum voluptatis ceperim, quantum hoc tempore:
vel quòd nullam aliam habeo suauitatem, in qua acquiescam: vel
quòd maior in morbo medicinæ vis apparet. Hic rumor erat or-
tus (vt dicebat) Bononiæ mihi legationem illam à Pontifice es-
decretā. Sed sine capite hic rumor: nihil enim habebat certi ne
constituti: tantummodo sermonibus hominum res iactabatur.
Quod quoniam mea neutram in partem interest, vtrum mage
velim planè nescio. Ego, si mihi detur optio quid expetam, domū
cupio, & reuerti ad vos, & agere vitā cum meis amātissimis. Quo
si procul à meis tanquam in exilio vitam ducere necesse est, tol-
qua est deliberatio, mihine expediat habere legationem: Sed de
his satis. Aduentus Cæsaris adhuc in expectatione est, nihilq; de
eo certi ad nos allatum. Dicebatur tempestatibus retentus cons-
cere cursum non potuisse: & tamen sunt qui nuntient, peruen-
eum ad Insulas quæ supra Massiliam sunt. Quod si est ita, citò Ge-
nuæ illum habituri sumus. Nostrum quidem illud inuentum ad
concordiam pertinens, quod tu quoq; tantoperè probabas, fe-
to non suppressum modò fuisse, sed sicubi fuit illius enuntiandi
necessitas, alio atq; erat modo interpretatum: verūm ista videri
Deus. Ego post discessum isthinc meum, nec literas à te nec nu-
tium vllum accepi, quod mihi molestum est: nihil enim vehe-
mentiùs opto, quam de te audire ea, quæ mihi iucundissima sint,
vt rectè valeas: vt in magistratu te geras: quid cives mei, quid re-
liqui omnes agant, quorum nobis & salus & memoria est iucun-
da. Tectum Felicianum absolui volo. Viaticum huius itineris, pro
ratione dierum qui in itinere consumpti sunt, misi ad Camil-
nostrum Gualterruccium vti peteret: res æqua & legitima nihil
habuit difficultatis: trecenti statim numerati sunt, in quo opera
Ardinghelli eximia & amor erga me singularis. Illud ex hac mea
postulatione mihi accidisse gaudeo, quòd desierunt mirari ac
reprehendere, quòd ducentos illos reddidissem, posteaquam
viderunt me trecentos poscere. Non enim iam illa moroſitas
mea

mea, sed religio iudicatur. Adhuc hæc erant quæ tibi ex me nota esse vellem. Si quid ampliùs euenerit, curabo vti scias: & vel ipse ad te mea manu scribam, vel delegabo Florebello. Catherinum, Glocerium, Verotum, & reliquos familiares nostros saluetos iubeas meis verbis. Curabisq; præ cæteris rebus omnibus, vt mihi à te literæ crebrò longissimæque reddantur. Vale mi Paule, & Deum precare vt redeamus. Iterum & sæpiùs vale. Ex Corliano, VI. Calend. Iunias, M.D.XLIII.

X.

IAC. SADOL. PAVLO SADOL. S.P.D.

DATIS ad te literis illis, quas in Corliano scripseram, hæc secuta postea sunt. Ego cùm angerer animo, diremptum me ab eis optimarum artium studiis, in quibus beata mihi vita erat posita: & reliquisse tamen cum illis vnà, cùm eos homines, qui mihi cæteris charissimi, tum eas regiones, in quibus mihi summa cum libertate animique iucunditate, meo arbitratu, viuere erat concessum: tentandum & conandum esse duxi, si quo pacto possem me hinc explicare, & ad vos, quibus cum esse maximè cupio, primo quoq; tempore me referre. Itaq; cepi consilium opinione meâ felicis plenumq; summæ rationis, si tamen ratio omnibus in rebus locum haberet. Scripsi enim literas, quarum exemplum tibi misi: & ad eum scripsi, qui maximè mihi suffragari meæ voluntati posse videbatur: idq; ipse non nolle, quando eodem his studio meum, eodemq; erga literas animo est coniunctus. Qui mihi post modum rescripsit, omnia se summa egisse: longum habuisse cum Leone sermonem, visumq; sibi illum animo erga me propenso & benevolo certum tamen responsum meis postulatis in propinquum colloquium reseruatum esse. Et simul eisdem literis me admonuit, vt cùm primùm commodo meo possem, Bononiam me conferrem. Erectus eram in spem, vt nõ diffiderem aliquid posse fieri eorum quæ cupiebam: nec tamen planè confidebam. Resipiscit & pulsatorũ æquitas me vt sperarem, hortabatur. Cur enim difficilis deberet esse Pontifex in ea re mihi concedenda, quæ sine vllo onere ipsius proprio, & laudem illi & genus quoddam honestissimæ vtilitatis esset allatura? Rursus conditio temporũ, & impendentes quotidiani penè vndiq; metus, ab ea spe me abduebant: nonnihil enim in persona mea ad subueniendum tantis perturbationibus Reip. fluctibus hominum iudicio videbatur esse positum. Anceps igitur animi, & dubius, quid casurum esset, Bononiam perrexi. Nonis ipsis Iuniis, diuerti ad Paleotos, quorum vetus hospitium nobiscum, hac noua familiaritate renouatum est. Postridie mane Pontificem summum conueni. Acceptus sum

ab eo perbenignè: laudauit operas nostras legationis Gallicæ, aduentum nostrum ad sese sibi imprimis gratũ esse affirmauit: ostẽdit sibi curæ fore commoda nostra, idq; breui nos re ipsa intellecturos pollicitus est. Egi gratias, commemoratisq; causis, quibus ad veniendum effectus fueram difficilior, institi repetere eadem quæ in literis scripserã: nihil me malle in hac iam mea præcipitãte ętate, quàm in otio viuere, & quib. me donis Deus ornare (si tamen vllis ornauit) voluisset, ea ipsa dona ad illius laudẽ gloriamq; conuertere: esse mihi in animo laboranti fidei Catholicæ ferre opem, si quam possem: pręsertim quæ tam multis oppugnatoribus labefactata atq; vexata, paucos qui se defenderent, iam haberet. Hoc autem dicebam, quòd de duorum doctissimorũ hominum morte, Alberti Pighij, & Ioan. Ecchij nuntij huc peruenerãt. Proinde rogauit vt mihi reditũ concederet in ea loca, in quibus hoc optimè fieri à me & commodissimè posset. Respondit in præsentia nihil se de hac re constituere posse: videre me statũ periclitantis Christianę Reip. in ea regenda egere se ope multorum atq; cõsilio: in eoq; nõnihil mihi subblanditus est. Hoc sermone habito, dabatur enim eo die senatus Episc. Geneuati nuper in Card. collegium allecto, tum primum ad Põtificem venienti, sessum omnes concessimus. Postridie, qui fuit dies 6. Id. Iunij, senatus iterum vocatus est: causa conueniendi fuit, quod cum superioribus diebus fuisset de consilij sententia decretum, si Cęsar Bononiam ventre recusaret (properare enim dicebatur, nec spatiũ habere tam longè ab itinere declinandi) vt ne vlteriùs procederet Põtifex, sed vel illum Bononiæ exciperet, vel si id nõ contingeret, inappellatum abire pateretur: cùm tamẽ si quid in congressu agendum esset, id mittendis nuntiis facilè posset sarciri. Ratio autẽ ita decernendi fuerat, quòd videbatur hoc dignitati & grauitati sedis Apostolicę maximè conuenire: simulq; ætatem Pontificis pergrandem tot itinerum laboribus obijci non placebat. Ergo hæc eadem res iterum abducta erat in disceptationem: placerétne vlteriùs obuiam procedi nécne. Nam Cæsar quidem Parmæ se ostenderat Pontificem libenter conuenturum: hic quinq; ante me rogati, in sententia pristina manserunt: cum exceptione tamen, nisi certa spes aliqua de pace esset oblata, quæ iter suaderet: tum enim iri oportere censuerunt. Ego rogatus, contrariam sententiam dixi de valetudine & incolumitate corporis ad Pontificis iudicium reteri. Dignitatem in eo dixi positam, si quæ vtilia & commoda Reipub. Christianæ essent, agerentur: hanc vnam me agnoscere, neque aliam præterea vllam in Ecclesiasticis hominibus dignitatem. Inquirere certam spem in eis rerum euentibus, quos suæ potestati Deus reseruasset, non esse nostrum: velle & conari bona, quod in nobis esset, ad nos id pertinere: me tamen sperare,

cùm

cùm Cæsar & tempus anni, & Pontificis ętatem laboresq; cõspe-
xisset, habiturum illum officij rationem, & ad pacis consilia si nõ
promptè (quod tamen ipsum à tanto Principe expectandum nõ
esset) attamen, inductum pudoris stimulis, facilius de se datu-
rum, in hac quidem re suadenda plus effecturum esse præsentem
Pontificem, quàm si absens per nuntios hæc eadem ageret. Po-
stremò vel hac vna ratione necessariò dixi proficiscendum, vt ru-
mores hominum comprimerentur. Erat enim sermo latè dissipa-
tus, ortas esse Pontifici cum Cæsare simultates: quarum, si fuisset
colloquium deuitatum, non sine periculi alicuius suspicione al-
tius hominum mentib. opinio insedisset. Hac à me sententia di-
cta, ab omnibus deinceps in eandem est discessum. Itaq; Parmam
veniamus, heriq́ue Pontifex ingressus vrbem est: cras verò aut per-
endie Cæsarem expectamus. Is porrò si venerit, poteritq́ue à no-
bis conueniri, quod dabimus operam vt fiat, & spatium cũ eo ha-
buerimus colloquendi, non deero officio & pietati in Rempubli-
cam meæ: animo equidem sum optimo, sed diuina imprimis be-
neficiate est opus. Illud mihi admodũ molestum est, quòd non
potest persuaderi hominib. ex hoc congressu aliud quippiam quę-
ri, nisi priuatũ aliquorum cõmodum. Itaq; mira iactantur in vul-
gus, quæ vobis quoque audita esse arbitror. Ego quoquo animo
fuerint alij, integrũ me quidem à labe omni seruabo. Hęc scribe-
bam, 26. Cal. Iulij, cogitans cras conuenire Farnesium, agereq́ue
cũ eo de ijs rebus, de quib. tu ad me scripseras, vt commendem illi
causas populorum suorum, qui non voluntate, sed propè necessa-
rio magistratibus imperio minus audientes fuissent. Nec diffido
intentem illum, vt est clementia insigni & bonitate pręditus, ad
omnia æqua descensurum. Iam sum cum Farnesio locutus, gratũ
habuit consilium nostrum: omnia vti fierent, quæ ego suadebam,
præcepit: negotium datum Andringhello est, homini prudenti (vt
nostis) & erga nos imprimis officioso. Tu rem totam quomo-
do se habeat ex Florebello cognosces. Ego in hac molestia & do-
lore animi, quem ex publicis rebus capio, hoc tamen me conso-
lor, quòd careo ipse omni culpa, & quæ mihi aut monenda aut
accusanda videntur esse, libera voce pronuntio: sumq́ue hanc li-
bertatem perpetuò seruaturus. Omnib. quidem ex locis terra ma-
rique aduersæ res audiuntur, itaq; mihi impendere videtur iã ex-
tremũ. De Cęsare adhuc incertũ, sit ne, nécne Parmam venturus.
Incidunt enim quotidie nodosiora quædam, quæ explicatu per-
difficilia sunt, cùm enim hodie aut cras expectaretur à nobis, in
X. Calend. reiecti repentè sumus. Vtinam mihi liceat aliquan-
do redire ad vos: cui meo optato si fortuna, vel Deus ipse potius
fuerit, nunquam istinc viuus amplius exiturus sum, mea me sua-
uissima studia, & studiorum amœna diuersoria, imprimis-

que libertatis tranquillitatisq; cupiditas, & vigilantē & in somnis semper ad vos rapit: vnumq; iam meum est desiderium, cum hominib. istius prouincię mei amantissimis, vicissimq; mihi carissimis, & habitandi, & viuendi, quos tu omnes quidem, præcipuè Carpentoractenses meos, & priuatim & publicè meis salutabis verbis: eximieq; eos quos scis a me valde diligi, quanquam in memore quidem pares habeo cunctos, in familiaritate non ita. Ioanni Francisco & cæteris nostris contubernalibus salutem dicas, ipsumq; imprimis hortare, vt ad me & crebrò & copiosè scribat. Si res meas constituras haberem, statuerem quid agendum mihi esset, quod pertinet ad eum & ad cæteros. Adhuc nihil habeo nisi verba, quibus in Septimum vsq; annum iam sum productus. Sed hæc Deus viderit. Tu mi Paule vale, & nos amanter expectа. Parmæ, XV. Cal. Iulij, M.D.XLIII.

XI.

IAC. SADOLET. S.R.E. CARDIN. PAVLO Sadoleto, S.P.D.

ACcepi nudiusquartus tuas, & Ioan. Francisci literas, ex quibus illam lætitiam primo aspectu cepi, quod de vtriusq; vestrum valetudine quæ maximè optabam, ea mihi attulerunt. Quin etiam cumulus additus est, quòd in suis sacris literis Ioan. Franciscus de tua quadam egregia in se fouendo & subleuando cura se studiosè loquitur, vt salutem suam prorsus tibi acceptam videatur referre. Reliqua quę scribis de Nicolao Peitellio nostro, quod is mirificè tibi & in concionibus & in vita moribusq; satisfaciat, ea mihi iucundissima fuerunt: nec eū tamen tantopere abs te laudari miror: summam n. ego quoque cùm isthic essem, in eo probitatem, summam modestiam, excellentem cū linguarum, tum optimarū artium scientiam eruditionemq; cognoui. Eius verò cōcionandi genere nihil arbitror fieri posse, nec sententiarū pietate sanctius, nec rerum ordine distinctius, nec oratione elegantius atque subtilius. Qui quòd tam egregiam nobis, ac tam fidelē operam apud ciues nostros nauauerit, eis in recta & à maioribus nostris tradita religione ac fide continendis, & dolis insidiisque hæreticorum hominū aperiendis, ac tanquam sub aspectum ponendis: dici non potest quantopere illi me in perpetuū hoc nomine obstrictū esse intelligam. Ei te maximas volo meis verbis agere gratias: quas vti etiam referam maximè mihi curæ est: etsi hanc eius remunerandi rationem propter summam hominis abstinentiam, de qua tu sæpe ad me scripsisti, difficilem fore video: cū is nullum huiusmodi spectari vnquam à se laborū suorū præmium præ se ferat. Sed quo ille moderatior, hoc omni à nobis honore

nore & remuneratione est dignior. De tuo aduentu ad nos, quòd te pararum ad veniendum ostendis, mihi valde gratum. Farnesius mihi certè confirmauit, se tibi successorem hoc Septembri mense omnino missurum esse: quapropter Octobri in viam dare te poteris. Equidem auidè te expecto, cùm propter alia multa, tum vt de committenda tibi Ecclesia summum consilium capiamus. Ego enim Paule iam nec honores, nec diuitias, nec vllum statum vitæ in quo splendor sit aut dignitas, sed tantum quietem, & silẽtium, & otium his meis extremis annis peto. Quod non possum quidem adipisci impræsentia, ob ea impedimenta quæ tu nosti. Veruntamen non absum longè ab hac spe, consultum aliquando fore rationib. meis, quæ ad hoc genus vitæ cunctæ respiciunt: quando te tota, cũ veneris, deliberabimus. Etsi id quoq; mihi est concedendum, vt frui aliquãdo tuo optato aspectu, & mei animi sensus mihi conferre tecum liceat. Quam communicationem nostram sermonum & voluntatum, tibi quoque olim solitam videri suauissimam recordor. Quòd quæris, vtrum malim per Fortiam nuper Olgiatum accipere hic ex permutatione pecunias: iam te potuisse intellexisse ex literis Florebelli nostri, conditionem Olgiati tenuisse potiorem, quòd neque intertrimentum vllum cum eo sit, & nummos anticipare aliquantum antè est potestas: cuius nũc commoditatis non prętermittendę longè opportunissimũ tempus est, cùm annuum penu totum simul est congerendum. Itaque tenendus quidem est Fortia, sed tamen quoad licebit hac liberalitate Olgiati vtemur. Hactenus heri scripseram. Hodie ad me fuit Olgiatus, dixit se habere literas à socijs suis Pantiaticis Lugduno, V. Cal. Iunij datas, quib. illi eum faciunt certiorem, se nummũ adhuc nullum de quadringentis accepisse. Porrò biduo pòst Colybum futurum esse Lugduni, hoc est ad tertium Cal. Iunij: ad quidem si nihil esset solutũ, socios non parum detrimenti esse facturos. Sanè dolui, non tam rem meam quàm fidem in discrimen vocari. Nam quod iacturæ hi facient, si modò quicquam facient, ęquum id quidem est resarciri per nos. Quòd verò conductor vectigalium nostrorum fidem meis literis non habuerit: fuerit que veritas, ne fortè ego bis eandem pecuniam acciperem, & hic, & illic, visusque sit integritati meæ diffidere, id sanè mirũ mihi accidit: quòd is me, quem optimè nosse debeat, nõ ex proprio quodam meo genere, sed ex communi & quotidiana horum hominũ qui hodie sunt, conditione existimet. At ego tibi dico etiam atq; etiam me non cũ Fortia, sed cũ Olgiato pecunias semper permutaturum, quoad scilicet licitum erit. Quamobrem si ad diem dictam pecunia non soluta est, saltem curato vt sciamus quid factũ sit iacturæ, vt satisfacere sociis possimus: quando fides mihi quidem quam vita, nedum quam pecunia longè est carior. De locis

sacris

sacris violatis, quòd perperam fuerit huc scriptum, gaudeo ita vt scribis ita esse: fugio enim contentiones. Sed eo tamen animo sum, vt temeritati eorum, qui ad hæc audenda facilè adducuntur, nihil sim vllo pacto concessurus. Factos Coss. optimos & iustissimos viros, quorum sub tutela & custodia florebit ciuitas, summo mihi & voluptati: & amo equidem omneis, sed cum duobus Hilia & Papio, scis magnum mihi vsum magnamque familiaritatem semper fuisse. Iis igitur tu plurimam meis verbis salutem. Nam quod de sarto tecto diui Siffredi templo præstando decreuerunt, tu continuò ad me scribes. Honorati Ebredunensis hospitis nostri valetudinem magnæ tibi curæ fuisse, vehementer mihi gratum est, gaudeoque homini sanitatem esse restitutam. Eum ego bonum semper virum cognoui, & amantem nostri, & dignum cuius causa laborem libenter suscipiamus. Omnino hæc humanitas, qua vtimur erga omnes, cùm laudanda per sese est, tum cùm in bene meritos de nobis confertur, non solùm laudem habet, sed mirificam etiam quandam animi voluptatem. Nec verò, cùm multa sint mea, quæ tu expressa in tuis moribus refers, quicquam mihi accidere in te potest optabilius & gratius, quàm ista benefica & liberalis erga notos ignotosque, quam adhibes, voluntas. Prolegatum arbitror in hortis nostris abs te bene fuisse acceptum: eius ego nuntium comiter hic excepi, multaque dixi, quæ ad meam in illum declarandam beneuolentiam pertinebant. De te quidem ipso ita cum eo actũ est à me, & antea etiam à Florebello, vt ille in hanc totus opinionem discesserit, se a te non mediocriter diligi. Annibalem quæsisse nouas nuptias non reprehendo, si finitatem probo. Doleo de Nicolao. Eorum verunque salutem meis verbis iubebis. Nunc, vt de me ipso aliquid tibi scribam. Ego inuitus quidem in hac vrbe maneo, longè alieno loco à meis agendæ vitæ consiliis. Sed tamen firmo animum ad perpetiendum, & ferendum, quoad offeratur mihi occasio honestè hinc discedendi, quam prætermissurus non sum. Neque eò dico, quòd me quiri fiam ab hoc populo, & ab hac curia pœniteat. Sed nihil mihi iam dulce est, præter solitudinem & silentium. Itaque nec Carpentoracte, nec Felicianum, neque hortos iam quosuis tam mihi propono, quam locum aliquem solum vbiuis gentium, in quo mihi deponere omnes harum rerum & temporum curas & solicitudines liceat. Qua etiam de causa cupidius te requiro, quòd mihi non videor quicquam agere recte sine assensu tuo, & sine communicatione tecum omnium rerum posse. Ego hoc ipso tempore, quo hæc scribebam, habitabam in ædibus quæ adiunctæ sunt templo Diui Petri cognomine ad vincula. Eę enim mihi cum titulo vnà obuenerunt: & est earum tamen prospectus, quam opportunitas, commodior: vnum enim tantum ordinem cubiculorum

tum habent, inter se peruium totum, tanquam longam lineam omni latitudine carentem: sed hoc inest commodi, quòd in contigo ationibus quatuor, quibus domus in excelsum sublata est, in medio duo sunt ordines cubiculorum, alter alteri superpositus. infimus locus culinis cellisque deseruit: summa omnium est ambulatio longè lateque prospiciens: frons ipsa ædium ad Septentriones conuersa: itaque salubris locus existimatur, & matutinis deambulationibus accommodus: habetque hoc præterea boni, quod vineæ nostræ Quirinali propinquus est. Quæ quidem vinea est à me satis accuratè excolitur, te tamen, longè studiosiorem quam me, & meliorem sui cultorem expectat. Hæc scripsi dans operam purgationibus, non enim satis belle me habebam, & hoc ipso die mane potionem acceperam. Hoc autem scribendi genere vsurus tecum sum sæpius, si per calores & valetudinem licuerit. Nostri omnes in officio sunt. Camillus noster pudore, modestia, & pietate erga me, egregiè mihi satisfacit. Is te eximiè diligit, ac tuum aduentum auidè expectat. Sperat adolescentem magnæ nobis voluptati fore. Tu fac vt valeas, omnibusque amicis salutē nuntes, præcipueq; Catharino nostro, quem ego hominem facio quotidie pluris, magisque & magis diligo, quemadmodum nihil videntur ipsius optimi mores & virtutes eximiæ mereri. Iterum vale. Romæ, VI. Idus Iunij, M.D.XLVI.

FINIS.

Philo-

Philosophicæ

CONSOLATIONES, ET MEDITATIONES IN ADVERSIS: IACOBI SADOLETI CARDINALIS.

IOANNI CAMERARIO DALBVRGIO Pontifici Vormacienſi, Iacobus Sadoletus, cubicularius Apoſtolicus, S.

POSTEAQVAM certior factus ſum, de lugubri atque acerbiſſimo tuæ Matris obitu, fœminæ ſanctiſſimæ, ſingularis exempli Matronæ, nec minus ob alia multa charæ, quàm quòd mater erat: non potui, mi amantiſſime pater, non vehementer commoueri animo, ac grauiter moleſteque ferre. Quicquid enim calamitatis incommodique tibi acciderit, pro ea, qua inuicem iuncti conglutinatique ſumus beneuolentia, mihi quoque ipſi commune vt exiſtimem, neceſſe eſt. Quod autem nihil hactenus ad te ſcripſerim, doloremque tuum, quod inprimis erat officii mei, non ſim conſolatus, id potiſſimum cauſæ fuit: Quia cùm Matrem amiſeris, quam tum humanam tua, tum propter eius vitæ ſanctimoniam, reliquasque innumeras corporis animique dotes egregias, non tantummodo matris, ſed rùm etiam numinis cuiuſdam ſalutaris haberes loco: Illa autem iam te non ſolum diligeret vt filium, ſed etiam vt patrem obſeruaret & veneraretur: ac propter huiuſmodi grauem atque acerbam calamitatem, conſternatum fractumque animo de te non mediocriter, audirem: ſub ipſum mortis tempus, recentique mœrore vexatum, interpellare adhortarique, vt æquo & pacato animo quicquid acciderit ferres, & importunũ & ineptũ videbatur. Quin potius tecum ſimul dolere, angiq; non mediocriter, tempo-

tempore, iudicio meo, necessarium erat, idque facere hac in re, quod periti prudentesque medici consueuerunt. Non enim ad continuos vehementesque effluxionum impetus, statim medicinarum auxilium adhibent, sed quibusdam primo vnguentorum exterioribus in locis appositionibus ac delinimentis, ardorem illum incendentem, donec per seipsum maturescat, dimittunt. Cũ igitur tantum intercesserit spatij: quo, cùm tempore, quod omnia reddere matura solet, tum etiam prudentia tua, vulnus hoc, quia quam graue, non solùm medicam manum non reformidet, verum etiam libenter admittere, & quodammodo requirere videatur: conueniens esse nobis persuasimus, vt tentaremus consolationis genus aliquod inuenire, quod dolorem tuum leniret atque remitteret. Nullum autem, cogitantibus nobis diligenterq; considerantibus tibi, viro præsertim bonarum artium eruditissimo, & sanctioris philosophiæ studioso, aptius visum est, magisq; idoneum, quam si id oratione faceremus. Quippe quæ, vt est in Græcorum prouerbio, ægrotantis animæ curatio esse optima perhibetur. Verumque illud, ac diuinum sapientissimi Tragœdiarum scriptoris Euripidis propemodum est: vt vnusquisq; morbus proprio pharmaco, ita etiam intestinus animi dolor humana benignaque familiarium oratione curatur. Itaque sic accipias velim epistolam hanc, tanquam ad leuandam animi tui molestiam accepturam quam maximè accommodatam, ac tibi missam ab eo, qui te iustissimis de causis non mediocriter amat, & huiusmodi perturbationis calamitatisq; non est inexpertus. Paucis enim (vt scire te puto) antè annis, itidem ego dulcissimæ genitricis meæ crudelissima nece grauissimum vulnus accepi. Quam ob rem ea, quæ mihi ipsi tunc & dixi & consului: si quid etiam amplius ex antiquorum librorum lectione postea cõparaui: tecũ pro nostra beneuolentia cõmunicare decreui. Id quod equidẽ facio, non quia mihi sit à memetipso, aut ab aliis persuasum, cõmentationibus nostris te magnopere indigere, cuius æquitas, & moderatio animi singularis, probè perspecta est omnibus, & iampridem in multis rebus arduis cognita etiam nobis: Sed cùm sis vtriusq; linguæ doctissimus, ac scientiæ ciuilis põtificalisque consultus, & in omni genere disciplinarum vel vnicus ætate nostra longe consummatissimus, adeò, vt pro exquisita illa, & certè rarissima diuinarum humanarumque rerum cognitione, qua polles, in numerum, & quasi ex toto, nihil in te desiderari possit: quod ad summum virum, præstantissimum sapientiæ doctorem, optimum præsulem pertinere videatur, hæc tibi omnino, qualiacunq; sint futura, censui scribenda. Primùm, vt inopiæ & egestati propriæ consulens, in tanta magnitudine pristini doloris me ipsum consolaret: Deinde vt pulsa gnauiter socordia, & omnis insciriæ pu-

dore deposito, non erubescerem, sed aliquando anderem, beatam Latinorum copiam experiendo, & ex felicibus quondam seruorum syluis aliquid eruendo, tandem securior perspicacissimi & sublimis iudicij tui censuram, vel potius expertæ benignitatis indulgentiam, subire. Hanc enim semper amaui: alteram verò, quam acerrimam, ab ineunte adolescentia semper non modò mihi non valde pertimescendam, qui parũ industria, parum ingenii acumine & arte dicẽdi valeo: sed etiam doctissimo cuiq; quamuis diserto aut eloquenti, non immeritò existimaui plurimùm reformidandam. Reliquum postremò consilium fuit, hanc omnino temerè hac in re nostram explicare sententiam: vt si mihi in præsenti, amicus aliquis, aut familiaris antiquus, imbecillior, & prudentiæ inferioris, communiter esset consolandus, quidem illum quasi me alterum diligerem & secundùm te obseruarem: aliqua ratione tibi, quàm cuiquam alteri, prius conferre posset, palamque fieret, qua id ego maximè via tentandum efficiendumque fortassis putarem.

Hoc itaque primum & maximum sic habeto: cùm multa sint affectuum genera, qnibus hominum animus & perturbatur & afficitur, nullum immoderato effrenatoque dolore grauius, acerbius, perniciosius, quodq; minus hominem deceat, natum est. Multos enim propter dolorem in amentiam & insaniã, quosdam in morbos non curabiles incidisse: aliquos verò sibi ipsis manu intulisse, apertius est, quàm vt exemplis, quæ plurima suppetunt, agere necesse sit. Hæc enim sunt quæ poëtis argumenta, & maximè Tragicis, amplissima in scenam subministrauerunt. Nullo tamen pacto existimes velim, cùm hæc de dolore ad te scribo, putare me ideo non dãdam esse tibi veniam, quod Matris tuæ mortem grauiter molesteq; feras: quin potiùs affirmo, dolorem, qui ex familiarium nece concepimus animo, non in nobis ipsis esse ac constare: sed à natura ipsa originem sumere. Omnes mortales ita non instituti sed nati sumus, vt eorum, quibus cum diutissimè vixerimus, præsentia & consuetudine lætemur, absentia verò & peregrinatione contristemur.

Nam pia mens nobis, molli nec pectore sæuus
Est animus, duróue rigent præcordia ferro:

vt Calypso ait apud Homerum. Neque sum ita inhumanus, vt censeam eos esse probandos, qui in familiarium & propinquorũ mortibus, agrestem & ferinam potiùs quam virilem, seu diuinam seu asperitatem, magnopere commendare solent: cùm præsertim ea & naturam nostram excedat, & non modò nulla in te nobis conferat, sed, quod deterius est, non mediocri afficiat detrimento. Hoc enim modo è medio tolletur ac dissoluetur ea, quæ ex eo, quòd inuicem & amamur, & amamus, constata est mutua beneuolen-

bitis: quam præ cæteris rebus conseruari augeriq́ue necesse est. Iferri autem extra mensuram, doloreq́; tanquam torrẽtis cuiusdam impetu, rapi, ac luctus augere, contra naturam, esse & fieri ex stulta falsaq́;, quam nobis persuasimus, opinione, omnino videtur. Quapropter vt asperitas illa nimia, ita hæc mollities, vtpote damnosa & vana, virisq́; studiosis minimè conueniens, abiiciendæ mediocritas verò, quam cùm omnibus in rebus, tum maximè in dolore auream appellauerim, amplectendâ. Cupiamus enim vt rectè Academicus Crantor monet, ne vnquam ægrotemus: ægrotantibus verò, sensus doloris adsit: cùm nostri pars vel incidatur vel euellatur. Hæc namque corporis & animi (vt ita dixerim) indolentia, non sine ingenti mercede ac pœna innascitur hominis: cùm omnino necessarium sit, in hac quidem posteriori animam, in illa verò superiore corpus efferari. Quamobrem eos qui prudentes sunt, neque omnino immobiles esse ac huiusmodi calamitatum genere non affici: rursus verò eos mœrore ac molestia confici non debere: ratio ipsa dictat & præcipit. Vt enim illud asperum immite ac ferinum, ita hoc molle dissolutum effeminatumque est. Qui autem in huiuscemodi rebus terminos sinesque proprios non transgreditur, optima cum ratione, quæcunque accidunt in vita, siue bona siue mala sint, modestè commodeq́; ferre ac tolerare potest. Quemadmodum enim in Republica vsuuenit, vbi magistratus sorte traduntur: & eum, cui sors euenerit, imperare: qui verò assequi non potest, non molestè sed patienter ferre fortunam suam decet: sic & in vita quodcunque eueniat, benignè ac facile tolerare, nec fortunam accusare, sed sequi, eique obedire necesse est. Qui enim facere hoc non potest, idem quoque bona in fortuna felicitateq́ue non mediocris, sed insolens superbusque omnino futurus est. Quamobrem benè Tragicus quidam: Neminem felicitate fortunaq́; aliqua, plus iusto effeminari aut gloriari debere: nec rursus infortunio aut casu remitti deficiq́ue: sed vtrobiq́; fortiter manendum, & tanquã in igne aurũ, ita conseruandam esse in calamitatib. constantiam, præcipit. Est n. benè instituti & prudentis viri officiũ, generosè ac fortiter seruare modũ in rebus, tum secundis tũ aduersis: ad hocq́; præcipuè ratione sese parabit, confirmatusq́; erit: vt, quod Oratius scribit, vt ipse ait, Iupiter: vt ego, Deus: modò tranquillitatem, modò informes hyemes reducat: Verumq́; esse Homericum illud putet: Deos hominib. non omnia simul concessisse: Cumq́; aliquid in vtrumuis euenerit partem, statim ratione ac prudentia monente considerabit, nullũ omnino esse mortalẽ felicẽ: & id, quod fieri necesse est, non fieri, penitùs impossibile. Quemadmodum enim in plantis & segetib. aliquando fructuũ prouentus vberes, aliquando steriles: sic ẽt in animatis reb. generationes modò, mo-

dò corruptiones fiunt, vtq; in mari partim tranquillitas est: partim verò tẽpestas horrida omnia confundit & turbat: sic multæ variæq; reuolutiones, hominẽ in contrarios casus & euentus circũducunt. Quos si diligenter consideremus, non ab re quod Agamemnoni dicitur in Tragœdiis, nobis item ipsis dicere possimus: Nos non, vt bonis omnibus frueremur, natos: sed, velimus nolimus, sue, necesse est, postquam mortales sumus, modò gaudere, modò dolere. Quamobrem diuinè admodum, vt pleraq; alia Socrates in Phædone: Quàm miranda, inquit, res, socii, esse videtur, id quod appellant homines suaue ac voluptuosum, quamuis admirabiliter ex sui ipsius natura ingenitum est, vt eũ eo, quod omnino cõtrariũ eius existimatur esse, insuaui scil. ac luctuoso, cõcors pacificumque sit. Ambo etenim simul nullo pacto, apud eundem hominem, eodemq; tempore, diuertere volunt. Sed si quis ex his alterum sequatur & assequatur, eundem quasi semper necessitate vrgeri, cogique vt recipiat etiam alterum: quasi vtraque ab eodem vertice ac principio simul iunctis, cùm tamen duo sint. Hæc Socrates: à quib. Tragicum illud fluxisse videtur: Nullus sors longa est: dolor & voluptas inuicem cedũt: breuior voluptas. His quoque nec dissonare videntur ea, quæ clarissimus comicorũ Menander prudentissimè ait: Nullũ esse animal quod celeriùs in luctum & miseriam ex felicitate mutetur quam homo. Quod quidem non absq; ratione summa euenit. Cùm enim alia omnibus natura debiliores infirmioresq; nos simus, maximis tamen rebus nos donat fortuna. Quas cùm postea ipsi repetere visum est, tanquam ex præcipitio quodam deiectis plurima illa & maxima bona nobiscum deiiciuntur & conteruntur. Quæ considerans poëta quidam Græcus, licet iocosè, non absurdè tamen in epigrammatib. ait: Hominum vitam nihil aliud esse, quàm lusum, aleamq; fortunæ ludentis: vt per hoc instabilitatem eius, indicare quodammodo demonstraret. Cùm tamẽ hęc ita se habeant: quidam stultitia vel insolẽtia sic afficiũtur, si quodammodo eis arriserit fortuna, vt elati & insolentes effecti, diuitiis, vel imperio, vel honoribus, humiles & abiectos contemnere ac despicere audeant. Contra quos Latinorum poëta clarissimus quodammodo exclamare videtur his versibus:

Nescia mens hominum fati sortisq; futuræ,
Et seruare modum rebus sublata secundis.

Si n. cogitarent animo humanarum rerum infirmitatem atq; instabilitatem: quamq́ue celeriter sublimia humilia fiunt: & rursus infima, &, vt ita dicam, terrestria, pernicibus & velocibus fortunæ mutationibus subleuantur: non ita profectò effertentur. Quapropter manifestum est, eos qui stabile aliquid in rebus instabilibus quærunt, nõ rectè aut sincerè iudicare. Rota enim currente,

nte, ac circumeunte, modò vna, modò altera pars superior est, vt ait Græcorum prouerbium. Firma igitur ac potissima ad ferendas constanti fortique animo huiusmodi alternationes & varietates, medicina est, ratio ipsa. Per eam namque prudentis viri animus, ad omnes humanæ vitæ mutationes & confirmatur & muniri. Oportet enim cogitare hominē non solùm ipsum mortalem esse natū: verùm etiam quod res & bona sortitus est mortalia. Vt enim humana omnia & mutabilia, & quotidiana & vana sunt: ita etiam effectus, felicitates, generaliterq; omnia, quæ in vita nostra reperiuntur, fragilia, caduca, & mortalia sunt. Quæ si vitare consilio aliquo, vel effugere posse speramus, magno in errore versamur. Quippe qui, vt Pindarus ait, Ferreæ necessitati subiecti sumus. Quamobrem rectè & prudenter Demetrius Phalereus, dicente in Tragœdia Euripide: Felicitatem non stabilem, sed quotidianam rem quandam esse, quodque & vna dies sæpe numero, & alta deiecit, & humilia subleuauit; optimè ait, omnia poetam dixisse: veruntamen melius fuisse, si non vnam diem, sed punctū temporis indiuisibile dixisset, quo humana verterentur. Cùm igitur omnia nostra talia sint: nihil tamen homine ipso magis fragile, magis caducum, quodq; infinitis subiaceat casibus, reueniri potest. Quam rem significare volens Pindarus: Hominem nihil aliud esse ait, quàm vmbræ somnium: artificiosè meliusque & significanter, hyperbolisq; efficacibus, quæ qualisque esset vita hominum, expressit. Quid enim debilius est vmbra: vmbra verò ipsius somnio, inferius aliquid non solùm non dici, sed ne cogitari quidem posset. Quæ Crantor, vt Plutarchus refert, mutatis, in oratione qua Hippoclem de filiorum morte consolatur, scribit in hanc sententiam. Et si nihil eorum quæ antiqua sanctique Philosophia fieri iubet, ac præcipit, nec probaremus nec reciperemus: at saltem hominum vitam, vt ipsa docet, multis modis laboriosam valde difficilemque esse verissimum est. Quamuis enim ex sui ipsius natura neque calamitosa neque misera sit: tamen tum erroribus nostris, tum etiam fortuna quadam obscura & incerta, quæ de longinquo, & quodammodo à principio nō boni alicuius nostri causa nos insecuta est, effici videmus, vt ad tantam nequitiam & corruptionem veniatur. Quapropter bene dicitur, statim natis hominibus immisceri malum fatum. Mortalia enim semina statim cum hac causa communicant: ex qua latenter obrepere & serpere videtur, primùm animæ nostræ hebetudo & quasi ineptia: deinde morbi ac dolores: postremò innumerabilia mala, quæ homines impeditos alligatosque quasi tenacibus vinculis tenent. Hæc Crantor. Quæ ideo hic apposuimus, vt scire possemus, non esse nouum aut inusitatum, si homo in infelicitates & calamitates incidat, infelixque sit. Sed iisdem ca-

sibus, iisdemque mutationibus, quicunque nati sumus, & obligamur & subiicimur. Fortuna enim non ad certum aliquem locum aut scopum, sed vbicunque libitum est, sagittas dirigit, ac culaturque, vt Theophrastus ait. Aptissima namque est, a nobis, sine vllo certo aut constituto tempore, ea quæ magnis laboribus vigiliisque acquisiuimus, auferre, deiicereque nos ex vmbra hac felicitate nostra. Quæ omnia cùm cuilibet benè sentienti tum tibi, viro prudentia & doctrina non mediocri prædito, non solùm cogitare in animumque traducere per teipsum facillimè est: verùm etiam audire antiquos illos sapientesq; viros, eadem sentientes, licet. Quorum primus & maximus Deus ille poetarum Homerus est, dum ait:

Cùm generet variis animalia multa figuris,
Quæ vel humo serpunt, viridiue sub æquore viuunt,
Quæq; secant liquidum stridentibus æthera pennis,
Nil magis infirmum nutrit pulcherrima tellus
Debiliusq; homine, cui cùm Fortuna secunda est,
Diiq; fauent, nunquam aduersos putat ipse futuros.
Sed mala cum dederint superi casusq; sinistros,
Non animo fortis, tristi sed corde labores
Inuitusq; feret. Quoniam mortalibus ægris
Instabilis mens est: talisq; in pectore sensus,
Qualis Fortuna est, tribuit quam Iuppiter ipse.

Et alibi dum Glauci Lyciorum Regis congressum cum Diomede narraret, Diomedemque eum, qui & ex quibus esset, interrogantem induxisset: Glaucum ei respondere facit in hanc sententiam:

Cur genus à nobis Tydide maxime quæris?
Quod foliis simile est frondentis in arbore rami:
Vtq; notus frondes ad terram deiicit imam,
Post alias virids producunt vertice syluæ,
Dum roseo tellus floret pulcerrima vore:
Sic genus humanum rursus crescitq; caditq;.

Quam sententiam ipse idem approbare videtur Homerus, et eo, quòd in sequentibus Apollinem, quem Deorum omnium prudentissimum existimabant antiqui, dicentem inducit: Stultum esse, si Dii immortales inter se ipsos inimicitias & discordias exerceant, mortalium hominum causa, qui similes foliis modò corpore viridi & robusto sint, modò quasi desiccati & corrupti, consumuntur ac pereunt. Simile quoque his illud est, quod Lyricus Simonides, Lacedæmoniorum Regi Pausaniæ, dixisse fertur. Cùm enim à Simonide irridendo petiisset, vt aliquid sapiens in medium afferret: Tunc ille, qui Pausaniam, propter ea, quæ cum Medis terra marique gesserat, insolentem

superbumque esse sciebat: Consulo tibi, inquit, Rex, vt te homi-
nem esse memineris. Quod quidem non ab re monuisse ex euen-
tu postea compertum est. Paulò n. post, cùm venisset in suspicio-
nem, quòd Regi Persarum Græciam prodere vellet, ne ab Epho-
ris insequentibus caperetur, in Sacellum fugit: in quo obseruа-
tus, & custoditus, in omni rerũ inopia magnaq; ignominia mor-
tuus est, deditq; omnibus documentum, quàm fragilis caducaq;
esset humana conditio, quæ modò in hanc, modò in illam partẽ
verteretur. Quamobrem Philippus Macedonum Rex, cùm tri-
plicis ei felicitatis nuncius eadem die venisset: primùm Olympiis
quadriga vicisse: quodque præfectus eius Parmenio, Dardanos
pugna superasset: tertiùm verò vxorem filium peperisse: sublatis
in cælum manibus dixisse fertur, O dij, mediocre aliquod infor-
tunium tot tantisq; felicitatibus meis opponatis oro. Sciebat n.
prodentissimus Rex, contra humanam conditionem esse, vt ho-
mo in eodem statu ac tenore diutiùs permaneret: timebatq; for-
tunæ inconstantiam, quæ magnis felicitatibus inuidere solet.
Huic quoque Macedonis sententiæ astipulari videtur Amasidis
Ægyptiorum Regis opinio. Qui cum Polycratem Samiorum
Tyrannum, eius imprimis amicum intellexisset omnium for-
tunatissimum esse, nihilque ei, ad illud vsque tempus, molestum
accidisse, ad eum scribens: Quamuis mihi, inquit, iucundissimum
sit, vitam & familiarem & hospitem, esse beatum: tuæ nihilomi-
nus magnæ felicitates mihi non placẽt, ô Polycrates, quippe qui
sciam quam sit fortuna inuida. Malo n. me, omnesque quorum
habeo curam, partim quidem felices, partim verò infelices vitam
ducere, & quasi permutationem quandam facere potius, quàm
omnino beatos esse. Neminem namque ex eis vnquam audiui,
qui omnibus in rebus felices beatique fuissent, vt non miserè &
calamitosè, quasi radicitus euulsi, perierint. Quòd quidem ve-
rissimè Amasis de Polycrate vaticinatus est. Non multo enim
post tempore, à Darij præfectis felicissimus ille omnium, cruci
affixus, assequi non potuit, quod etiam infimo cuiq; conceditur,
vt saltem post crudeliss. genus mortis, non sub sole sed humi pu-
trescerent: credo non volente fortuna: vt eum, tanquam trophæ-
um quoddam suum, omnibus gentibus ostentaret. Therame-
nes Atheniensis quoque vnus è numero triginta Atheniensium
Tyrannorum cùm domus, in qua simul multi cum ipso cœna-
bant, subitò corruisset, ac cæteris omnibus elisis & suffocatis,
præter spem solus euasisset, ab omnibusque felix & beatus pro-
pterea appellaretur, inter huiusmodi gratulationes altissima ex-
clamans voce: O fortuna, inquit, in quódnam tempus me reser-
uas? Et, tanquam casum suum, qui postea euenit, præuideret a-
nimo, cum ea questus est. Etenim à sociis, & collegis Tyrannidis,

discerptus, & crudelissimè vexatus, miserrimè vitam finiit. Omnium verò maximè idem consolari nos videtur Homerus, dum facit Achillem, alloquentem Priamum, qui ad eum venerat, vt corpus Hectoris redimeret. Cumque Priamus humi sederet prostratus, ac puluere deturpatus, eum Achilles inuitans, vt in tentorium regium se reciperet, consolatur his versibus:

Nunc agedum sedeas Throno, fauoso, dolores
Ponamus, mœsti quamuis, lachrymisq, madentes:
Nunquam etenim luctu sine seruere possumus atro,
Sic voluere truces volunt quæ stamina Parcæ,
Vt miseris gemitus semper mortalibus adsit,
Solaq, cœlestium natura beata quiescat,
Quos neq, sollicitat luctus, nec cura remordet.
Nam duo celicolûm seruantur Regis in aula
Vasa, quibus bona sunt donat quæ Iuppiter ipse,
Et mala, discretusq, cadis hæc porrigit orbi.
Cuiq, pater miscet gemino de vase Deorum,
Per varios casus vitæ tractabitur, & nunc
Lætitiam fortuna feret, facietq, beatum,
Nunc varios gemitus lachrymans feret atq, vicissim:
At cui non mixtos dederit pater ipse liquores,
Infelix hic semper erit, peruersaq, fama
Hunc aget, imperio Diuûm, fatisq, sinistris,
Errando & quamuis totum vel circuat orbem,
Illum non homines non Iuppiter altus amabit

Hesiodus quoque Homerum imitatus, licet fabulosè, & vt poëta, seruiens argumento suo, perpulchrè tamen ac verissimè conditionem humanam expressit. Ait enim Iouem Prometheo ac generi humano iratum, quòd is Prometheus ignem cœlestem à superis furatus esset, communi Deorum consilio mulierem ex luto finxisse, eamque Pandoram appellasse, ex eo, quòd Dii omnes ad eam faciendam aliquid de suo contulissent: tradidisseque Mercurio, eam hominibus deducendam. Quam cùm accepissent, statim miserias calamitatesque omnes mortalibus accidisse. Habebat enim secum hæc mulier dolium malis omnibus refertum ac plenum. Quod cùm aperuisset, per omnes homines mala huiusmodi statim dispersa esse. Versus autem, in quibus hæc narrat, hi sunt:

At Pandora cadum manibus detexit, & inde
Tot mala dispersit miseris mortalibus, vna
In medio sed spes fundo constricta remansit.
Nam vetuit mulier, tam tamq, exire parantem
Hanc tenuit, fortiq, seram conamine clausit.
Alia pestes numero quas dicere non est,

Nunc

Nunc mare, nunc terras, celeri petiere volatu.
Hinc mortes, morbiq́, truces, lachrymæq́, dolorq́,
Improuisi adsunt nobis, quos nulla potestas
Effugere est: quoniam Diuûm pater atq; hominum Rex,
Abstulit his vocem, & clam dedit esse nocentes.

Ex his itaque omnibus manifestum est, cùm quid in vita molesti aduersique acciderit nobis, si grauiter id ferimus, & lugemus immoderate, tum iniquè tum stultè nos facere: quippe qui legi, secundùm quam nati educatiq́; sumus, non obtemperamus, speramusque luctu & lachrymis nostris calamitates lenire ac leuiores facere, quæ potius ab eis nutriuntur & augentur. Vt enim Comicus prudenter ait: Si lachrymæ gemitusque dolores nostros leuare possent, conueniens esset vt lachrymas auro permutaremus. Verùm cùm mortalia omnia, seu lugeamus, seu non, eadem omnino non incedunt via, nihil amplius lugendo proficimus. Dolor namque, tanquam arbor aliqua, lachrymas pro fructu habet. His quoque non dissimilia dicere videtur apud Tragicum Dictys, vbi Danem, de nece filij muliebriter dolentem, consolatus his verbis:

Deòs ne surdi credis inferni, tuos
Curare luctus? quos roges licet gemens
Nunquam redibit natus in lucem tuus.
Ergo quiescens luctibus modum feris
Regina ponas namque si casus graues
Hominum reuoluas, quisque quot ferat mala,
Viros cathenis quot malus carcer premat,
Orbi senescant prole quot senes sua,
Fortuna regum quot vel abstulit potens
Quondam beatos, nunc qui sunt prorsus nihil,
Modus querelis hic erit forsan tuis.

In quibus versibus animaduertendum etiam illud est, non absque ratione moneri Danem, vt aliena cum suis comparet mala. Nihil enim est quod æquè ad animi nostri molestias sanandas faciat, quam si aliorũ hominum calamitates ponderemus, ac trutina quodammodo cum nostris expendamus. Semper namq; alienas miserias aut maiores, aut certè pares, inueniemus. Hocque maximè modo leuia & non grauissima perpeti nobis ipsis persuadebimus. Quo genere consolationis vsus esse fertur Antimachus poëta. Mortua enim eius vxore, quam afflictim amabat, elegiam, cui titulus est, Lyda ex coniugis nomine, composuit. In qua antiquas & heroicas omnes calamitates diligenter enumerans, alienis infortunijs dolorem suum mitiorem fecit. Quam rem significasse etiam Socrates artificiosè ac philosophicè multum videtur. Existimabat enim, si Deus aliquis omnia infortunia

vnum in locum congereret ac cumularet, humano deinde generi ex æquo ea diuidere velle ſe diceret, libentiùs vnumquemque hominum propria contentum calamitate diſceſſurum fuiſſe. Quod quidem ſapientiſſimi Philoſophi dictum nos inſtruere videtur, quòd is qui dolorem conſolaturus eſt, ſi oſtenderet, huiuſmodi calamitatem communem & humanam eſſe, multique ante eum aliis accidiſſe: exemplis ex hiſtoriis & ætate noſtra repetitis doceat: multò minorem calamitatem, quam antea exiſtimabatur eſſe, dolenti perſuadebit.

Ex hac exemplorum congerie, cùm multa ſcribenti mihi ſe ſuppeterent ſuccurrerentque animo: ideo in præſentia enumerare plura ſuperſedi, quia prudentiæ ac doctrinæ tuæ meritò, per te ipſum ea facillimè inueniri poſſe, non ignorabam: ex quibus te ipſum conſolari, animaduertereq; poteris, vt cum aliis hominibus antea, itidem nunc tecum egiſſe fortunam. Si verò mihi fortaſſe dicas, Præſul doctiſſime: id quod ego tamen, à ſumma religione & ſapientia tua cùm alieniſſimum ſit omnino, minimè facturum mihi perſuadeo: te non tantùm Matris diſceſſu angi ac dolere, quantum morte ipſius conturbari: vtpote quæ omnibus mortalibus formidoloſa ſit: ideoque parum commodè eum genitrice tua actum eſſe exiſtimas quòd vitam cum morte commutârit: quaſi omnium malorum mors ipſa ſupremum atque vltimum videatur: ac eius propterea mortuæ tanquam miſeræ ac calamitoſæ vicem doles: poſſum tibi cum Æſchylo poëta reſpondere, qui optimè videtur eos, qui necem malam exiſtimant, reprehendere dicens:

Non iuſtè mortem nempe mortales timent,
Quæ tanta vitæ finit ac leuat mala.

Quem imitatus etiam videtur Euripides, dum ait:

Io mors, quietis portus & ſalus, Gens,
Veni mederis ſola quæ noſtris malis.

Et certè ita eſt. Quapropter quid in morte aut difficile aut malum ſit, non video. Ea etenim quæ in moriendo accidunt nobis, quoniam conſueta, & quodammodo nobiſcum ſimul nata, neſcio quo pacto miſera ac calamitoſa nobis eſſe videtur. Quid enim miſerum eſt, ſi id quod incidi poteſt, inciditur? ſi liquefabile liqueſit? ſi combuſtibile comburitur? ſi corruptibile corrumpitur? Quando fuit tempus aliquod quo homines non morerentur? aut potiùs quod non tempus fuit, quo in nobis ipſis agatur? ſpirantibus non ſit mors? Nam, vt Heraclitus ait, idem eſt viuens & moriens: vigilans & dormiens: iuuenis & ſenex. Eſtque in nobis viciſſitudo quædam & communicatio. Ac quemadmodum ex luto ſeu cera, poteſt quis animalia fingere: deinde ea rurſus confundere: aliaque identidem, ex eodem luto inſtaurare incer-

incessanter: ita etiam parens natura, priùs quidem progenitores nostros, ex eadem materia, ac successione continuata patres, deinde nos protulit: postea quoque alios & alios, quasi in orbe ac rota quadam currente formabit. Nec vnquam generationis nostræ amnis, qui continuò fluit, arescet. Et rursus è contrario, alter corruptionis fluuius, seu Acheron, seu Cocytus à poëtis appellatus, non deficiet. cum hac etenim conditione in lucem editi sumus, cum hac solem & sidera ipsa suspicimus, vt cùm fatalis dies aduenerit, eorum nobis aspectus auferatur. Cuius rei vt quotidie admoneremur, prudentissimè natura prouidit, vt continuatis vicibus, modò dies, modò nox esset: modò somnus, modò vigilia: ex hac mutatione ostendere nobis volens, vitæ mortisq; alternationem. Quamobrem rectè dicitur: vitam nobis a natura vitariam esse concessam, eamq; precario quodammodo nomine nos accepisse. Quod, cùm naturæ ipsi suum repetenti reuocare liberit, si facilè ac sine dolore aliquo reddiderimus, boni viri officium faciemus. Est enim æquissimum, tam diu liberalitate hac nos vti, quam diu natura voluerit: cùm verò ei repetere placuerit, non molestè, sed æquo & patienti animo ferre. Cuius tamen rei contrariũ omnes penè facimus, statimq; ad ipsum mortis nomen ita exhorrescimus, vt quiduis potiùs facere ac perpeti, quam mori velimus. Ac propterea existimo, naturam ipsam, cùm cuius aduerterit hac in re timiditatem nostram, voluisse, vt incertus & incognitus esset dies mortis. Si enim eum præuideremus, dolore ac metu mortis multi perirent, qui antequam moriantur, mortientur. Quod profectò non faceremus, si vitæ nostræ incommoda, si miserias, si calamitates, versaremus animo: quæ tot ac tales sunt in vita, vt multi ex clarissimis philosophis affirment, nemini omnino expedire vt viuat. Hominum enim, vt Simonides inquit, paruæ admodum ac tenues sunt vires, inutiles & vanæ curæ, ac in eorum breuissima vita infiniti labores, nouissimoq; capitibus nostris imminet ineuitabilis mors, cuius partem boni ac mali iuxta sortiti sunt. Cùm igitur talis hominum sit vita, vt isti aiunt, & nos, si rectè cogitamus, oculis quodammodo videmus: nónne conuenientius est, vt eos, qui huiusmodi seruitute liberati sunt, felices planè ac beatos existimemus, potiùs quàm dolore & lachrymis, tanquam miseros prosequamur? Quod vulgares plerique ob ignorantiam faciunt. Ac Socrates, Delphici Apollinis oraculo sapientissimus omnium iudicatus: adeò, cùm nihil mali putaret esse in morte, eam contempsit, vt neque patronum quæsiuerit ad iudicium capitis, neque iudicibus supplicauerit, sed magno & forti animo coram ipsis disputârit: nihil omnino mali esse in morte. Similem enim aiebat esse eã, aut profundissimo somno, aut peregrinationi

tioni cuidam longinquæ, ac multi temporis: vel tertiò, corruptioni animæ & corporis. Quodcunq; autem ex his fuerit, per unumquodque procedens, nullo modo malum esse affirmabat. Si enim somnus quidam est mors, per immortalem Deum, quis nam mali potest esse in ea, cùm dormientibus nobis mali aliquid prorsus non sit? Cùm potiùs nihil dulcius aut suauius esse, quam profundissimus somnus, qui pacatissimam quietem afferat, manifestum est hominibus. Quod quidem etiam Homerus ipse testatur. Vbicunque enim dicere vult, aliquem optimè quieuisse, dormisse ait somnum morti maximè similem. Quem imitatur eius Virgilius noster, ad verbum interpretatus inquit:

Dulcis & alta quies, placidæq; simillima morti.

Ac sæpe idem Homerus, germanum Lethi, soporem dicit. Vtq́ue idem prudentissimus vates, somni necisq́ue similitudinem ostenderet ac significaret, eos alibi non fratres, sed geminos appellauit, ac eodem partu editos. Gemini enim, maximè sunt similes etiam aspectu ipso. Rursus, vt etiam insensibilitatem, quæ in morte est, nos doceret, mortuum quendam dormisse ait ferreum somnum. Quod & Virgilius æmulatus inquit:

Olli dura quies oculos & ferreus vrget
Somnus.

Huic quoque haud dissimile est illud Cynici Diogenis. Cùm enim proximus esset morti, in somnumq́; vt fieri solet, incidisset, excitanti medico, interrogantiq́ue: Nunquid nam mali haberet? Nihil inquit. Frater enim fratrem suscipit: sopor scilicet necem. Quapropter non absurdè, medius fidius, dicere possemus: inter somnum & mortem nihil interesse: sed eodem modo ad inuicem se habere, quo apud Athenienses quondam Eleusina sacra, quæ parua & magna dicebantur. Et quemadmodum parua in vrbe: ita etiam somni mysteria in vita celebrari: rursus verò, vt magna extra vrbem, ita mortis ceremonias extra vitam exerceri. Si autem, quod secundum erat, similem peregrinationi cuidam mortem esse dicamus, neque sic malum, cùm magis hoc modo, mors optimum quoddam est. Solui enim ac liberari corpore, eiusq́ue affectibus ac perturbationibus, à quibus animus noster diuulsus ac turbatus, diuinitatem suam mortalibus illecebris coinquinare atque inficere cogitur, fortunatum beatumq́ue planè existimo. Infinitas namque occupationes ac impedimenta nobis, propter eius necessariam curam & alimenta, præbet corpus, vt Plato ait. Quam rem sensisse Homerus etiam videtur, cùm ait:

Nil magis est miserum diri quàm cura laborq́;
Ventris, cui nobis præbere alimenta necesse est.

A ventre, id est à parte, totum corpus, more poëtico, nuncupauit.

pati. Affectus quoque, ac ægrotationes, quotidie corporis cau-
sa nos aggredientes, abstrahunt diuelluntque ab illa summi boni
contemplatione, ad quam noster animus, vtpote ab illo fluens,
iuxta ipsius natura fertur: ac è contrario, vanis quibusdam
cupiditatibus, & inanibus timorum amorumque imaginibus,
non tenent, adeò vt, quod aiunt, nihil vnquam prudenter nobis
cogitare per corpus liceat. Quid enim circa ipsum est aliud,
quam pugnæ, seditiones, ac bella? Ex quibus oriuntur pessimæ
omnium cupiditates. Cuncta namq; bella pecuniæ solùm com-
parandæ causa, suscipiunt homines, ad quam tanto impetu fe-
rimur, nullam ob aliam rationem nisi vt per eam, corporis nostri
vtimur seruamus, ex quibus omnibus necesse est, vt philosophiæ
cognitione omissa, circa ipsius corporis vacemus curam. Quód-
que omnium maximum est, si quando per eam, quod rarò eue-
nit, otium nobis agere licuerit, conuersique fuerimus ad altio-
rem aliquam contemplationem, nihil est, quod magis ad eius
assequendam cognitionem nos impediat, quàm corpus. Circum-
fluens enim, animi nostri diuinitatem crassitudine ac terre-
strenæ (vt ita dicam) sua obruens, tumultum ac perturbatio-
nem ingenerat nobis, adeò, vt nunquam veritatem, propter
eius impedimenta, cernere possimus. Quapropter luce clarius
est, si cuius magnæ rei cognitionem puram, sinceramq; habere
volumus, necessarium omnino nobis esse, vt animum quàm
longissimè à corpore ad seipsum euocemus. Quod quidem fieri
perfectè non potest, nisi cùm summus ille rerum opifex Deus,
qui nos in corporis carcerem detrusit, idem quoque nos solue-
rit. Tunc enim licebit nobis, pura & immaculata mente atq; a-
nima contemplari omnia. Tunc assequemur id, quod maximè
omnes homines, & cupimus & amamus, veram scilicet cognitio-
nem ac sapientiam. Quod viuentibus nobis, corporisq; nexibus
alligati, fieri non posse, nisi priùs ab eis liberati simus, manife-
stum est. Si enim omnino in corpore existentibus nobis, nihil
purè cognoscere licet: de duobus alterum vt sequatur, neces-
se est: aut nunquam sapientiam, quæ est diuinarum humana-
rumque rerum scientia, nobis assequi, aut certè, mortuis per-
missum est. Igitur demus operam, vt, quantum fieri potest, vi-
uentes, à corporis contagiis puram immaculatamque animam
conseruemus, cumq; summus ille parens ac Deus noster, iusserit
nos denigrare, cum eo simul esse possimus, eiusq; claritatem, pu-
ra mente nostra contemplari. Quam quidem rem, si lutulenti ac
liuidi illuc accederemus, facere nullo modo possemus. Impuro
enim & coinquinato rem puram nitidamq; aptare atq; coniun-
gere nefas omnino est, vt Plato ait. Quapropter ex his omnibus
manifestum esse arbitror, quamuis dicamus mortem transmi-
gratio-

grationem in alium quendam locum esse, neque sic formidolosi, miseri, calamitosique in se aliquid habere. Quin potiùs felicem ac beatam rem propemodum esse, Plato ipse in Phœdone ac apologia demonstrauit. Quamobrem diuinè admodum Socratem dixisse ad iudices, qui eum morti condemnauerunt, idem Plato refert, in hanc ferè sententiam: Nihil aliud est, inquit, ô iudices timere mortem, quàm eum qui non sit, putari sapientem. Quippè, qui existimatur ea scire, quæ nunquam cognouit expertusque est. Nullus etenim viuentium hominum, qualisnam sit mors, scire potuit. Quæ cùm humanarum rerum supremum & maximum bonum sit, ab omnibus tamen ita vehementer cauetur, tanquam si reuera cognoscerent, eam supremum ac maximum malorum esse. Cui non dissonare videtur poëticum illud:

Nemo necem timeat, quæ curas atq; dolores
Soluit, & humanis est medicina malis.

His quoq; astipulari videntur Deorum & oraculorum testimonia. Plurimos etenim scimus, propter singularem pietatem, ac religionem in Deum, morte, tanquam omnium excellentissimo munere, donatos: quorum multos, ne modum excedat oratio, numerare supersedeo. Eos tantùm, qui maximè clarissimi fuere atque in omnium linguis & ore versantur, nominabo. Ac primùm ea, quæ de Argiuis adolescentibus, Cleobi scilicet ac Biton, clarissimus historiarum scriptor Herodotus refert, in medium afferam. Ait enim eorum matrem, Iunonis Argiuæ sacerdotem, cùm ad solenne statumque sacrificium iuga essent exoppidum: ad quod curru vehi, religio erat: Iamque in templum ascendenti, vt sacra perficerentur, cùm iumenta, quibus ad plaustrum alligatis veheretur, in tempore non adessent, iuuenes, ne piaculum committeretur, corporibus oleo vnctis colla materno iugo supposuisse, coq; modo à filiis adductam in templum sacerdotem, rem diuinam perfecisse. Ipsam verò filiorum religione mirum in modum gauisam atque exhilaratam, Deam precibus petiisse, vt illis præmium daret pro tam insigni pietate, quod maximum hominibus dari posset a Deo, pòst, epulatos cum matre adolescentes, quieti se dedisse, manè inuentos esse mortuos, quasi nihil maius aut melius morte, quod eis in religionis remunerationem daret, habente Iunone. Simili quoque precationis genere vsos Trophoniũ & Agameden Pindarus refert. Quibus Delphis, templum illud pulcherrimum atque ornatissimum, Apollini ædificauissent, venerantes Deum, pro mercede laboris ac pietatis suæ, id quod homini habere optimum esset, rogauerunt. Quibus se id traditurum Deus spopondit, post eius diei diem septimum. Interea corpora curare, lætosque conuiuari iussit. Eos verò, postquam id quod mandatum erat, fecissent, septima demum

tum nocte somno se dedisse, nec ampliùs surrexisse. Ferunt etiam ipsum Pindarum, cùm Legati Boëtiorum, ad consultandum Apollinem mitterentur, iussisse, vt Deum inter cætera interrogarent, quidnam esset homini longè optimum? Cui vates respondit: aeque ipsum Pindarum id ignorare; si ea, quæ de Trophonio & Agamede scripta essent, re vera illius, & non alterius sunt, sin experiri quoque cuperet, haud multò pòst ei manifestum fore. Quæ cùm audisset Pindarus, coniectasse dicitur: Deos mortem existimare optimum. Paruo deinde tempore interiecto, cùm capor dormiens in sinum pueri deposuisset, suauissimè vitam finisse. Ea quoque, quæ de Euthynoo adolescente Italo referuntur, non parua sunt, ad fidem faciendam: nihil mali esse in morte. Hunc enim, patria Terrinaeum, Elysij cuiusdam, qui primũ nobilitate, diuitiis & gloria, ibi teneret locum, filium fuisse tenet, ac immatura morte surreptum decessisse, incerto obscuraq; genere morbi. Itaq; Elysium suspicatum fuisse, quod facilè quis alius cogitasset, eum fortè veneno interemptum. Erat namq; vnicus patri, ditissimo tum agri tum pecuniæ. Hunc igitur Elysium, dubitantem, quónam potissimùm modo, de filij nece quæstionem ageret, venisse ferunt ad psychomantium quóddam, ac de more, post sacrificium quieuisse. In somnis visum sibi adtexire parentem iamdiu mortuum. Cùm igitur eum vidisset, statim, quid filio suo accidisset, narrasse, rogasseq; mirum in modum, vt simul cum eo daret operam, si quo pacto filij ac nepotis interfectorem possent inuenire. Cui parens, propter hoc solùm, inquit, ad te venio: sed potiùs ab hoc suscipe, quodcunque tibi fert. Sic enim manifestè scies, id quod tu, tanto cum mœrore ac lachrymis, quæris. Esse autem, quem demonstrabat, adolescentulum ponè insequentem, Euthynoo simillimum, facie ac ætate quam proximum. Cumq; eum interrogasset Elysius, quísnam esset? Ego, inquit, sum genius ac Dæmon filij tui, & cum dicto porrexisse ei tabulam quandam: quam, cùm Elysius aperuisset, tres huiusmodi versus inscriptos reperisse, quos Cicero sic conuertit:

Ignaris homines in vita mentibus errant.
Euthynous potitur fatorum munere læto.
Sic fuit vtilius finiri ipsiq; tibiq;.

Hæc itaque ex antiquorum historiis collecta, Socraticam illam distinctionem adiuuare videntur. Cuius tertium erat membrum, quanquam mortem dicamus corruptionem esse, corporis animique, nec sic quoque aliquid in se mali continere. Hoc namque modo, erit mors, insensibilitas quędam, ac liberatio curæ, laborumq; humanorum. Vt enim, si animus cum corpore interiret, nihil boni esse posset in morte, ita etiam nihil mali. Ac quemadmodum circa id tantummodò, quod subsistit ac reuera est,

bonum

bonum aliquid fieri natum est, eodem modo etiam malum. Nullum etenim illorum suapte natura coniungi posse cum hisque non sunt, manifestum est, adeò, vt probatione non indigeat. Quapropter si hoc certum, si verum esset, eodem loco esset ac conditione vita functi, quo eramus antequam nati. Quem admodum enim nihil ad nos pertinebat, priusquam nascemur, siue bonum siue malum id esset, ita etiam nec post mortem. Ac sicut res ante nos, nihil ad nos, eodem modo nec quæ post nos. Vt enim est in prouerbio, non tangit illos mortis corporis dolor. Idem namque status est hominibus ante generationem, qui post mortem. Quòd si quis differre aliquid existimat, id, quod nunquam fuerit factum, ab eo, quod postquam fuerit, deficiat: idem quoque intelligere poterit, quid inter domum ac vestem, post corruptionem intersit, & tempus, quo hæc nondum suta, & illa non fabricata erat. Itaque si in his nulla est diuersitas: manifestum est etiam, nullam esse post tempus mortis, cum eo quod ante nos fuit, differentiam. Hæc, & his similia Socrates paulò ante mortem disseruisse fertur. Quibus simile est illud Arcesilai, qui vrbanè admodum, hoc, inquit, malum quod mors appellatur, solùm ex omnibus, quæ ab hominibus existimantur mala, præsens quidem nullum dolore molestiaue afficit vnquam, absens verò atque expectata vehementer cruciat & affligit. Reuera enim multi propter timiditatem huiusmodi, quod etiam superiùs diximus, ne moriantur, moriuntur. Bene quoque ac sapienter Epicharmus de homine mortuo locutus est, cùm ait: Concretum & discretum est, rediitque ad eum locum vnde priùs venerat, terra scilicet in terram: spiritus verò ad superiora, quorum nihil difficile ac malum est. Non minus quoque præclarum ac generosum Laconicum illud tetrastichon memoratur in primis, quod Lacedæmoniorum adolescentes in choris saltantes canebant:

Quondam alij, nunc nos, subitò crescentq́; minores,
Quorum nos stirpem fata videre negant.

Hæc sunt, mi sapientissime pater, quæ, vt eximiè nouisti, de morte antiquiores illi & clarissimi viri, philosophati sunt. Ex quibus cuiuis persuaderi posse arbitror, ne dicam tibi, eminentissimo Præsuli, & literarum studiis optimè instituto viro, mortem non tanquam summum malum, fugiendam execrandámuisse. Quam ob rem non est quòd doleas, quòd te afflictes, aut maceres, si dulcissima & illustris mater tua a nobis discesserit. Quin potiùs, mihi crede, illi gratulandum est, quod ex vitæ nostræ turbinibus ac miseriis, ad profundam illam quietem felicitatemq́; euolauerit. Nisi te illud fortasse angit & excruciat, quod adhuc firma constantiq́; corporis valetudine, ac mente integra, certus-

que

que sensibus, nondum resolutis ætate longæua in totum annis, tanquam adhuc (vt nimirum pro eius frugalitate, continentiaque singulari, & naturæ compaginatione mirabili, videri poterat) suis immaturo interitu, aut inopinata repentinaque decessione, Mater tua è medio sublata est. Hoc enim maximè commouere plurimos homines ad lachrymas solet, hoc gemitus infinitos penè concitare. Quod quidem an grauissimum sit, & immoderatè ferendum, præclarè ac diuinè nos docere videtur, ex Græcis Comicorum quidam, qui dolentem de immatura morte consolatur his versibus:

Si tu sciebas, illi quod sequens bonum
Tulisset ætas, vt beatè viueret,
Dolenda mors est, quæ nimis fuit repens.
Potentis at cùm fata quid ferant Dei
Incerta sit spes, & latent sequentiæ,
Virûmne vitam fortè vixisset miser:
Benigna mors est, flenda nec nobis diu.

Ex quibus Poëtæ verbis admonemur, minimè debere nos intempestiuis nostrorum mortibus commoueri: vtpote cùm sit omnino incertum, obscurumque quid nobis vel illis expedierit, vita ne an mors. Illudque omnium maximè hac in re oportet expendere & cogitare, non omnia quæ vana inanique persuasione decepti, per eos sperabamus, assequi nos posse. Adeò enim nihil certum, nihil stabile in rebus hominum est, vt sperare aliquid in his, non prudentis, timere autem, sapientis omnino sit. Animaduertendum etiam nobis illud est, vitam quamuis longissimam, non esse humanis in rebus optimam: sed eam, quæ sine calamitatibus & miseriis, in inquisitione virtutis consistat: eandem etiã longè omnium felicissimam, quamuis breuissimam. Vt enim non qui plurimum sagittis ac cithara vtitur, bonus Citharœdus vel Sagittarius, sed qui optimè, quamuis semel, vtrumuis fecerit, peritissimus existimatur: ita etiam non quantum, sed quàm bene ac feliciter, quispiam vixerit, inspiciendum est. Ac propterea felix beatusque, & quem maximè amarent Dij, antiquis & heroicis temporibus esse existimabatur ille, qui vitam breuem glorioso clausisset exitu:

Stat (enim) sua cuique dies, breue & irreparabile tempus
Omnibus est vitæ: Sed famam extendere factis
Hoc virtutis opus.

Quamobrem, summos & clarissimos heroum, quos Diis genitos & nutritos ferunt, omnes penè vitam reliquisse antequam senescerent, Poëtæ fabulati sunt:

Ille etenim quem vel magnus dilexit Apollo,
Cuiq; Deûm summos genitor concessit honores,

Ante diem placida consumptus morte quiescit.
Nec tremula dirum limen calcare senecta
Huic dabitur: vt Homerus ait.

Quæ omnia illuc tendunt, potiùs in vita spectandam esse iu-
uem cum virtutibus iuuentam, & ætatem vitæ intermedia
quam sine ipsis longam & maturam senectam. Quod quidem
liis quoque in rebus nobis vsuuenit. Nam & eas arbores q
mas, quæ paruo in tempore plurimum fructum afferant, ea
inamus: & ea animalia, plurimum nobis in vita vtilitatis affe
iudicamus, à quibus temporis modico interuallo adiuuam
Quòd si rectè & prudenter considerare voluerimus extrem
tem ipsam, nullum penitus modici magniue temporis discrim
esse inueniemus. Quid namque non paruum est, si ad eam ins
xerimus? non modò ætas nostra, quæ incredibili celeritate fu
ac labitur, sed vrbium quoq ipsarum, quæ antiquitate glori
tur, longissima secula, nihil omnino sunt. Multa enim (vt po
clarè admodum Simonides ait) annorum millia, eius respect
indiuisibilis puncti speciem, seu rectiùs breuissimæ ipsius partic
læ instar habent. Quomodo enim aliter appellari potest id, qu
quantumcunq; longissimè diuturneq; vixerit & durauerit, tam
ne minima quidem pars eius infiniti temporis sit, quo non vi
rit aut superfuerit. Quemadmodum igitur, si bestiolis quæ in po
to, apud Hyppani ostiũ, mane gigni, meridie iuuenescere, vesp
re autem senescere ac mori dicuntur, mens ratióue aliqua inesse
humana, non lugendum aut lachrymandum esse, quilibet fun
mentis existimaret, sed si qua vel ante vel circiter meridiem pe
ret, quippe quæ paucis post horis interitura esset omnino, n
rursus eam quæ occidente sole moreretur, quod in extrema sen
ctute decederet, felicem beatamq; esse putaremus, vtpote cui
tota vita breuis & circumcisa sit: ita etiam non est quod in nob
de breuitate vitæ queramur doleamúsue, qui paulò post omn
no finituri eramus: nec è contrario longitudine lætemur effe
múrue, cuius quantumcunque fuerit incrementum, non mu
tum distet à nihilo. Quapropter voces illæ atque exclamatio
nes, quæ vtplurimum in huiusmodi casibus audiri solent, simpli
citatis vanitatisque plenæ existimandæ sunt. Non decebat, in
quiunt, non iam dico adolescentulam, aut in medio ætatis flore
fœminam, sed, vt eorum verbis vtar, ne adultam quidem ac maxi
mè venerabilem summæq; authoritatis, & in ipso vitæ autumno
matronam, id est, in ipso primo limine senectutis matremfam
lias, cui saltem nullo negotio, in tanta rerum felicitate, tot te
niis, tot vitæ meritis ad quintum & vigesimum vsque annum no
stri caussa commodè spatium viuendi prorogari poterat, in e
videlicet vitæ statu, in quo maximè homines animi vi pollent,

sarpiant, restinctis affectibus, vera sapere, non decebat, inquit, talem tali tempore rapi extinguique. Quis nostrûm scire potest, quod non deceret? Multa quoque, quæ nos prauo & corrupto iudicio, fieri non debere putamus, priùs facta sunt, & fiunt quotidie, fientq; sępenumero velimus nolimúsue. Non enim vitam hanc ingressi sumus, vt tanquã Magistratus quidam perinde leges ferremus, sed vt potiùs prouidentiæ ac fatorum edictis, quæ nobis Deus ille optimus maximus, omnia sapientissimè gubernans & moderans, promulgauit, obedientes essemus. Libenter itaque ego eos qui luctu affecti, tantoperè defunctos mœrent, interrogauerim, suíne ipsius caussa, an defunctorũ lugeãt? Quòd si hoc facere dixerint, proprio ipsorum incommodo, vtpote cùm se, vel voluptate, vel præsidio eorum, qui paulò antè viuebãt, priuatos sentiant: huiusmodi lachrymas & gemitus non amoris ingenui occasione nasci, sed seruilis quodammodo lamentationis speciem præ se ferre, quilibet bene institutus nónne iudicabit? Non enim mortuos puro mentis affectu lugere, sed suarum rerum cogitatione moueri dicuntur, quod eorum scilicet morte magnis, quas sperabant, vtilitatibus frustrati sint. Si verò, quod secundum erat, illa res cruciat eos, quòd mortuorum miserias lugeant, cùm rectè animaduerterint, nihil mali esse in morte, vt satis iam disseruimus, dolorem citò ponent: antiqua & sapienti quadam ratione persuasi, quæ nos monet ac præcipit, ea quæ optima sunt quàm maxima facere ac exaltare, rursus mala & pessima, quantum fieri potest, cohercere atque humiliare. Quamobrem, si luctus ac dolor bonum est, eum in infinitum producamus, omnis in lachrymis gemituque vitæ nostræ consumatur dies, sine mœrore ne temporis quidem particula transigatur. Si verò, quod omnes confitentur, & re vera est, omniũ quæ sunt in vita longè miserrimum calamitosumque cognoscitur, cur nõ potius operam damus, vt eum quam breuissimum faciamus, & ad nihilum redigamus, deleamusque, quantum fieri potest a nobis. Quod quidem facile esse, cum multis aliis, tum ex huiusmodi consolatione manifestum est. Aiunt enim ex antiquis philosophis quendam, cùm ad Arsinoem Reginam, filij necem molestissimè ferentem, introisset, tali vsum oratione. Fuit quoddam tempus, inquit, ô Regina, quo Iuppiter Dæmonibus & Diis honores distribuebat. Luctus verò, qui tunc aberat, paulò pòst superuenit, iam tunc omnibus distributis. Cumque instaret apud Iouem, sibi quoq; honorẽ decerni: Deus autem dubius animi esset, quemnã potissimùm ei traderet, cùm iam omnes inter alios cõsumpti essent, tandem tribuisse honorem, qui in hominũ mortibus & funeribus adhiberetur, lachrymas scilicet ac dolores, dicitur. Quemadmodũ igitur ait, ô Regina, omnes homines Dij ve-

hementer amant, qui eos prosequuntur honoribus ac sacrificiis, nec ab illis discedunt, talem quoque esse luctum censeas velim. Nam si eum non honorabis, nullo pacto adhærebit tibi. Si vero à te coletur diligenter, vt facis, doloribus & lachrymis, quam portionem datæ sunt ei, te & amabit & amplectetur, semperque tibi tale aliquid præparabit quo continuò eum honores. Præclarissima mediusfidius fabella, & quæ non minus veritatis quam lythium oraculum contineat, qua mulieri demonstrasse videtur prudentissimus ipse Philosophus, & dolorem posse depelli, & apud eum, qui blandiatur ipsi, libenter manere. Posset etiam hoc modo aliquis ad lugentem dicere: Vis ne vnquam luctibus finem ponere, an potiùs deliberas, vitam omnem tuam in miseria ac lachrymis, continuoq; squalore ducere? Quòd si mœrorem sequeris, te numero viuentium eximes, tibiq; ipsi perpetuam calamitatem ac miseriam præbebis, & acerbissimam vitæ tuæ infelicitatem indices, nullam aliam ob causam nisi animi tui mollitiæ atque humilitate. Sin diuturnitate omnino mutaberis, quæ maximos luctus vetustate tollit & remouet, cur iam te ipsum non eximis è miseria? Cur non eadem ratione, qua procedente tempore dolor, quamuis acerbissimus, efferuescet, cur non, inquam, te calamitate ac molestia liberas? Cùm præsertim optimum sit affectibus corporis, quantum fieri potest, celeriùs liberari. Quod itaque in gratiam temporis paulò pòst facturus es, cur non prudentia consilioque anteuertis & præripis? Quantò magis doctrinæ, & grauitati tuæ conuenit, & rationi, sinē luctus facere, quam expectare consuetam illam & peruulgatam temporis medicinā, quæ mulieribus quoque communis est. Quòd si aliquando in memoriam veniret nobis, homines nos esse ista lege natos, vt fortunæ imperio subiecti mancipatique essemus, nunquam profectò, cùm quid aduersi accideret nobis, frangeremur animo. Ac propterea in huiusmodi calamitatibus vtplurimùm vociferamus, exclamamusque: Nunquam speraui, me hoc passurum fuisse, nunquam expectaui, decepit me fortuna. Nunquam expectasti? At si hominem te esse meminisses, expectare omnino, & quicquid tibi euenire poterat mali, proponere animo debebas. Bene etenim apud Euripidem Theseus ait: se à sapientibus institutum viris didicisse, homines vtplurimùm iactari curis & calamitatibus in vita, atque ideo in animum induxisse sibiipsi, omnes humanas miserias ei euenire posse, exilium scilicet, mortesque immaturas suorum, & mille talium malorum. Quæ si animo non præuidisset antea, tanquam nouum aliquod infuetumque cùm accidisset, affligeretur q; doleretque. Quam rem si nos quoq; sæpenumerò faceremus, nunquam imparatos nos & incautos, tanquam subitò irruentibus hostibus, fortuna reperiret

et & caperet. Quod quia non facimus, cùm vulnus aliquod in-
duerit nobis, vtpote tyrones atq; inexercitati, lugemus macera-
nusque. Quidam etiam adeò rudes & inconsiderati sunt, vt tan-
quam furore quodam perciti & bacchantes, ad extremas mise-
rias calamitatesque conuersi, proprium corpus, quod sine culpa
est, mitis & inauditis affligant modis, & vt Acheus poëta inquit,
quod sanum est, simul dolere cogant. Quapropter bene ac sa-
pienter monuisse videtur Plato, in huiuscemodi aduersitatum
principiis, oportere quietem agi, cogitareque nos lachrymis &
miseria nihil profectutos, sed consilio & prudentia dolorem ab-
iici posse, vt existimemus docet. Et quemadmodum in lusu aleæ,
secundum factum disponere oportet ludum, ita etiam in aduer-
sitatibus dolorem sedandum esse, eo maximè modo, quo ratio
ipsa optimè fieri posse suadet ac dictitat. Non enim decet, cùm
quid aduersi acciderit nobis, tanquam pueros vociferare, ac
turpis tiulatus edere, doloremque amplecti, & quodammodo
deosculari, sed statim recipere animum oportet, ac quærere ge-
nus aliquod medicinæ, quæ ægrotantes deiectosque curet & re-
leuet. Præclarè mehercule apud Latios olim tulisse quidam le-
gum dicitur, qua præcipitur ciuibus, cùm in lachrymis & squa-
lore versantur, ne muliebres induti vestes hoc faciant. Quod
quidem fecisse videtur prudentissimus legumlator, vt ciuibus
suis ostenderet, luctum propriè mulieris affectum esse, quod-
que minimè ornatos ac bene institutos viros deceret. Re enim
vera est animi effeminati, ac imbecilli, ignobilisque officium,
lugere. Eamque ob rem fœminæ magis quàm viri luctus a-
mant & colunt, minusque afficiuntur eruditæ gentis homines
quam barbari. Ipsorum quoque barbarorum non hi qui gene-
rosissimi sunt, Scythæ aut Galatæ, cæterique animo præstan-
tioce nati, sed molles & effeminati Syri, Aegyptijque, ac Lydi,
omnesque his similes, quorum, vt Virgilius ait:

Et tunicæ manicas & habent redimicula mitræ,

in luctu & mœrore volutantur. Quosdam enim ipsorum, memo-
riæ proditum est, scrobes & foramina intrantes, multos dies ibi
manere, nec Solis lucem videre sustinentes, quoniam scilicet
mortui, quos lugent, ea priuati sint. Alij quoque ex eis partes
quasdam corporis abscindunt, aures & nares, totumq; dehone-
stantes corpus existimant propterea mortuis gratificari. Verùm
cùm hæc ita se habeant, licet quidam fateantur, non omni nece
lugendum: tamen immaturas adolescentiorum, & adhuc ætate
florentium mortes, æquo animo ferendas non putant: ea scili-
cet ratione, quòd vitæ suauitate priuati sint, vtputa nuptiis, sola-
tio pulis, institutione, præfectione, honoribus, magistratibus,
regio. Hæc enim maximè sunt, quæ dolore afficere solent eos,

qui insperatos, immaturos, intempestiuosq; obitus lugent? Videtur enim sublata ereptaque ea spes, quam de illis conceperat animo. Quibus illud respondendum arbitror: Nihil interesse quantum ad hominum naturam, intempestiuáne sit mors an matura. Cùm enim necesse omnino sit, omnibus ad eam, tanquam communem patriam, peruenire: quidnam differre dicimus, si quidam perueniunt celeriùs, quidam tardiùs aliquanto? sequuntur? Omnes tamen in eundem locum confluant, nemo plus assequantur qui tardiùs, quàm qui celeriùs appulerit. Quòd si per seipsam mors immatura esset malum, acerbiora eodem modo, puerorum funera: acerbissima verò eorũ qui fuerunt cunis, existimare deberemus. At contrà, eorum mortes facile, & sine molestia vtplurimum ferimus, adolescentiorum verò & florentis ætatis hominũ iniquissimè toleramus. Quod quidem nullam ob aliam rationẽ, quam propter inanes, quas nobis proponebamus, spes vsuuenit. Quippe qui expectaremus, cuncta, quæ sperabamus, bona omnino, si vixissent, euentura. Quapropter, si ab immortali Deo, vita hominũ longissima, ne viginti quidem annorum excederet, constituta esset, eius, qui decennio tantùm vixisset, non immaturam mortem, sed conuenientis ætatis mensura impleta decessisse putaremus. Qui verò viginti annorum explesset numerum, beatissimũ esse existimaremus, quod filicem & perfectissimam vixisset vitam. Sin ducentorum esset annorum vita humana, eius, qui centesimo anno decessisset, obitũ intempestiuum omnino essè iudicantes, ad gemitus lachrymasq; conuerteremur. Quamobrem cuiuis manifestum esse arbitror, mortem non ideo esse dolendam, quod ante tempus venerit, cum parui temporis accessio nihil esset profutura, neque etiam quibus his, quæ in vita iucundissima existimant, commodis, ab ea priuarentur: quin potiùs à malis, quæ communi humanæ conditioni sorte eis impendebant, abduxisse putanda est: In quæ si ad senectam vsq; durâssent (tanta est humanæ vitæ fragilitas, quod superiùs demonstrauimus) fortasse incidissent. Aptissima est eam hominum natura:

In pestus ruere. ac retrò sublapsa referri.

Atque ideo præclarum illud Callimachi poëtæ dictum memorantur inprimis, multò sæpiùs Troilo Priamum lachrymasse. Quòd viuis filiis, incolumi regno, & florenti ætate, decessisset, nouarum ea, quæ postea euenerunt, mala incidisset. Quæ quot, & qualia essent, ipsemet enumerat apud Homerum, dum Hectori filio persuadere conatur, ne cum Achille singulari certamine dimicare velit, eumq; ingredi vrbem hortatur:

Ergo age dum subeas muros, seruare ruentes
Vt Galeas Troas, laudem ne una superbo

Pelida, dulci priuatus flore iuuentæ,
Dones: mox miseri lachrymas luctusq́ parentis
Et sperantis adhuc miserere inopiq́ senisq́.
Quem pater omnipotens extremo in fine senectæ
Non prius (heu) diræ spoliabit lumine vitæ,
Quàm mala multa oculis cernam lachrymansq́ gemensq́,
Omnia crudeli videamq́ ruentia fato.
Hinc natos belli furiis & fortè peremptos,
Inde trahi natas thalamis, nurusq́ modestas
Spemq́ mei generis, paruos dulcesq́ nepotes
Allis terræ, saxisq́ trementia membra.
Heu sæuis manibus domimur, belloq́ nefando.
Mequoq́ post cunctos lacerabunt dentibus, cheu
Quos alui, mensaq́ canes, domibusq́ recepi,
Postquam aliquis Danaum sæuo vel cominus ictu,
Eminus aut iaculo, vita spoliabit inerti.
Hæc Priamus: canos vellitq́ a vertice crines.

Eam igitur, qui hęc mala ob vitam longiorem perpessus est, nonne melius fuerat, ante senectutem vel potius adolescentiam mori: Si enim his, quæ in vita bona existimantur, caruisset, non etiam in tot miserias calamitatesq; incidisset, quarum vel minima quibuscunque vitæ bonis opponenda est. Possum infinita Regum, & magnorum virorum exempla in medium ducere. Non est enim angustus hic locus. Si circumspicimus omnes historias, paucos inuenimus, in quib. nõ aliquid fortuna immiscuerit aduersi. Qui si antea decessissent, à magnis, quæ postea insecutæ sunt, miseriis liberati essent. Quorũ plurimos, ne modũ excedamus, omittere volumus: paucos tantùm ex Atheniensiũ, & Romanorũ historiis, si adduxerimus, reliqua prosequemur. Primus ex Atheniensibus occurrit nobis clarissimus ille Miltiades: qui Datin Regis Persarum præfectum, innumerabilesq́ eius copias, profligauit in campis Marathoniis, primusq́ docuit Græcos, non esse barbari Regis, vt antea existimabant, insuperabilem potentiam. Quid igitur illo felicius, quid beatius, quid gloriosius dici excogitariue poterat: Si celeberrimo illo pugnæ die pro patria occubuisset, vel saltem paulò post mortuus esset, cùm recentem adhuc eius victoriam, in theatris vrbs tota cantaret: cùm non solum Athenienses, verùm etiam tota Græcia, eum admiraretur, & heroicis honoribus prosequeretur. At exigui temporis adiectio, quid ei contulit nisi omnem calamitatem & infamiam? Paulò enim pòst ille, qui de barbarorum cęde ac fuga, gloriosissimum trophęum finitur, inimicorum inuidia in teterrimum coniectus carcerẽ, marcens & fœtido corpore mortuus est. Themistocles quoque, si post pulcherrimam omnium quæ sub Sole fuerunt nauale de

Xerxe victoriam, cùm Græcia omnis conseruatorem suum & fa-
teretur & prædicaret, vitam cum morte commutâsset, nónne
beatus fuisset & fortunatus? Non enim qui paulò ante conserua-
tor Græciæ fuerat, eiusdem prodendæ autor ab inimicis suis ab-
mulatus esset: non patria exul tot vrbes cum periculo capitis ac-
cuisset: non Molossorum Tyranno, quem toties spreuerat, sup-
plex fuisset: non deniq; barbari Regis, quem paulò ante omni po-
tentia spoliatum Græcia expulerat, tanquam Dei cuiusdam ge-
nibus volutatus esset. Quo quid fœdius? quid turpius excogitari
potest? quàm Themistoclem Xerxis beneficio viuere? Nónne me-
lius etiam cũ Demosthene Oratore actũ fuisset, si eadem, quæ co-
ronatus fuerat, die obiisset. Qui enim, toto inspectante Athenie-
sium populo, & approbante, virtutis & beneuolentiæ fidelique
erga Remp. causa, dignus corona existimabatur, paulò post mini-
ma inimicorum flagrauit inuidia. Quam si quis ideo in malis e-
ius non ponendam censeat, quòd superior fuerit, idem tamen
non negabit, si eadem hora decessisset, quod non eas, quæ postea
ipsi calamitates inciderunt, vidisset, patriam suam, quod maxime
abominabatur, à Macedonibus subactam, se verò, ne ab hostibus
ludibrio haberetur, vix potione venenata vitare potuisse. Cn. verò
Pompeius si, cùm Neapoli ęgrotabat, extinctus esset, non pręcla-
rè cum eo actum esse diceremus? Nónne indubitatus Populi
Rom. princeps defunctus esset. At quia vixit, cum Socero (vt ac
Cicero) bellum gessit, imparatus arma sumpsit, vrbem Italiam
fugiens coactus est linquere, vidit senatum & legiones, florem
totius Italici sanguinis, in conspectu suo cæsos & trucidatos, un-
dus denique in seruorum manus & ferrum incidit, sacrosanctam
ac reuerendam etiam inimicis faciem Eunuchus Ægyptius im-
puris & incestis manibus pertractauit. Eius etiam socer, C. Cæsar,
si, cùm totam Galliam vincendo lustrabat: cùm impetum eius
neque illarum gentium ferocitas, neque Oceani profunditas
continere posset, cùm plures quàm Romanorum cuiquam sup-
plicationes, ob res gestas in eius honorem decernerentur, si eo,
inquam, tempore mortuus esset, Scipionibus & Camillis for-
tudine ac iusticia prælatus decessisset. Verùm quia superuixit, Ty-
ranni, & oppressoris patriæ libertatis appellationem subiit, eius-
que res, licet magnæ, tamen Reip. perniciosæ iudicatæ sunt, inter-
fectoresque, tanquam boni ciues, & Tyrannicidæ, tum Græcis
tum Latinis historiis honorantur. De M. autem Cicerone quid
opus est dicam? cum ipsemet fateatur, si antè obiisset, calamita-
tibus & miseriis potuisse liberari. Quòd si hæc dicebat, cùm ad-
huc tamen tolerabilia essent quæ acciderant, quomodo excla-
masset? quomodo deplorasset suam ipsius senectutem? cùm stri-
ctos in senatorum & ciuium capita mucrones, diuisaque latrom-
bus

bus clarissimorum virorum bona, ac proscriptionē illam omnium nefariam & crudelissimam vidit? Mediusfidius existimo eum sæpenumero pœnituisse, quòd Catilinæ sicas vnquam deuitâsset, à quibus eum fortuna liberâsse videbatur, & pro vno, tantum Catilinarum cerneret. His atque aliis huiusmodi exemplis docti & moniti, considerare debemus, non paucos morte liberari malis, quæ, si diutiùs vixissent, omnino experti fuissent. Atque ideo non benefacere illi existimandi sunt, qui extra omnem mediocritatē & naturam, ad luctus ac dedecores lachrymas conuertuntur, putantes hoc maximè modo gratificari defunctis, eosque amare: ignorantes amorem ac beneuolentiam non in eo constitutam esse, vt quis se ipsum affligat & cruciet, sed vt amatum beneficiis adiuuet. Beneficium verò mortuis est honor, qui eis maximè omnium gratus est, cùm eos dulci memoria veneramur & colimus. Etenim cum boni omnes non lachrymis & mœrore, sed laudibus & hymnis, non luctu & gemitu, sed gloriosa & celebri memoria prosequendi sint: omnium tamen præcipuè defuncti, qui solari à corporis seruitute diuiniorem quandam vitam sortiti sunt, semoti à curis & miseriis, quas necesse omnino est nobis ferre ac perpeti, donec vitæ spatium, quod Parcę, secundum poëtas, neuerant, expleamus. Quod quidem non æternum dedit natura, sed vnicuique particulatim dissectum ac diuisum distribuit, quē admodum leges æternæ fatorum voluêre. Quamobrem (quod sæpenùs diximus) prudentes viros dedecet, infinitis & barbaricis luctibus macerari, illudque quod multis sæpenumero vsuuenit expectare, vt prius vitam quàm luctus dimittant. Quos quidem homines admonendos censeo Virgiliano versu:

Nos ruit interea nos flendo ducimus horas.

Cur ergo tam breue spatium vitæ nostræ non potius aliis potioribus rebus, quàm luctu & mœrore consumimus? Expectamúsne, vt eodem sepulchro corpus & miserias nostras claudamus? Quòd si dolorem æternum esse speramus, in magno sumus errore ac ignorantia. Licet enim totis viribus teneamus, licet ei libentissimè inhæreamus, tamen renitentibus etiam nobis, atque inuitis, aliquando relaxabitur & remittetur. Nónne quotidie multos videmus, qui impatientissimi calamitatum, luctuosissimiq; videbātur ęrate ipsa & tempore mitiores aliquantulum factos? Qui cùm paulò ante suorum nece quodammodo efferati, perennes gemitus ederent, manibusq; pectora tunderent, nunc conuiuiis, cantibus & lyra, cæterisque rebus lætis, libenter diffundi atq; exhilarari? Quamobrē furentis quodammodo esse videtur, existimare ac persuadere sibi ipsi, luctum semper nobiscum sedere, aut stare posse: sapientis verò, considerare tempus illud, quod lachrymis & dolori concedimus, frustra teri atq; consumi. Quicquid e-

nim factum est, vt eleganter Pindarus air, infectum reddere non omnium Deus Iuppiter posset, verùm huius remedium obliuio est. Quod etsi præter spem opinionemq; euenerit nobis, ipsis tamen rebus cognoscere possumus, circa nos fieri, quod omnium in hominum natura consueuit. Nonne superiùs disseruimus, mare & terram, malorum omnium plenam refertamq; esse, quòd vt faber lapides, ita etiam mala super malis fata hominib. immittunt? Ac propterea non nuper, sed iam diu, a sapientib. quibusdam viris vita humana defleta est ac deplorata. Inter quos Alcidamas Rhetor antiquissimus, & Cyrenaicus Egesias, præcipui sunt Quorum Egesias prohibitus esse dicitur à Ptolemæo, ne illa in schola disputaret: quoniam multi his auditis, mortem sibi consciuerint. Idem & Cicero in eo libro, quo seipsum consolatur de morte filiæ, fecisse se diligentissimè scribit. Qui omnes vno quodammodo fatentur ore, vitam nostram pœnam miseriamque nobis esse maximamq; hominis calamitatem, natũ esse. Quod & ipse Plato manifestè sensisse videtur, in eo dialogo, qui Euthydemos, vel de anima, inscribitur. Ait n. in hanc ferè sententiam: Tradita est nobis opinio quædam, famaq; inter omnes peruulgata, cogitata ab noua, sed omnium quæ didicimus aut audiuimus antiquissima, quòd scilicet optimum sit homini, nunquam nasci: deinde melius esse mori quam viuere: multisque, hoc ita se habere, a Dis immortalibus demonstratum est. Quod etiam Midas, Phrygiorum Rex, comperisse traditur. Cùm enim Silenum in venatione cepisset, eum quidnam esset hominibus longè optimum, quodque maximè optandum, interrogasse dicitur. Cui primò Silenus, nihil respondere voluisse, sed vocem continentissimè pressisse fertur. Postquam verò omnes machinas artesq., vt ad loquendum alliceretur, adhibuisset Rex, vix tandem coactum hæc postea locutum esse: O Dæmonis laborioſi, ac pessimæ fortunæ quotidiani semen, Cúrnam me cogitis ea patefacere, quæ ignorare vos melius erat? Vita enim vestra, si mala propria nesciretis, minus in se doloris habitura erat. Hominib. autem longè optimum est omnino non nasci: proximum autem optandum esse, quamprimùm mori. Hæc Plato. Qua etiam est sententia in Chresphonte vita Euripides, cuius versus sic Cicero interpretatus est:

Nam nos decebat cœtus celebrantes domum
Lugere, vbi esset aliquis in lucem editus,
Humanæ vitæ varias reputantes mala.
At qui labores morte finisset grauis,
Hunc omnes amicos laude & lætitia exequi.

Ex his igitur manifestum est, antiquiores & clarissimos, tũ poetas tum philosophos, tum oratores, existimâsse: melius esse mori quam viuere. Possemque infinita & innumerabilia eorum afferre testi-

sultimonia, nisi modum excederemus orationis? Quamobrem non oportet cum adolescentiorum tum maiorum ætate mortem ingere, quòd vitæ bonis & suauitate priuati sint: cùm incertum sit, vtrum a bonis, an potius a malis discesserint, quippe iam diximus, vtrum a bonis, an potius a malis discesserint, maximè, cum nobis sæpius hæc quam illa eueniant, vtpote cum longè plura numero sint mala, quàm bona, & hæc magno cum labore vix assequi liceat: mala verò facillimè, nolentibus etiam nobis & ignorantibus, occurrant. Aiunt enim ea rotunda esse ac continua, multisq; causis & modis inuicem connexa: bona verò disiuncta, & quæ difficulter in idem vsque ad vitæ finem cõsentiat & manicant. Hoc etiam imprimis hac in re animaduertere debemus & cogitare: nihil proprium possidere nos, sed quæcunq; habemus in vita, dignitatem, diuitias, affines, parentes, germanos, non tanquam nostros sed commodatos tenere. Est enim eadem illud verum: nos tanquam colonos ea quæ deorum sunt, in nostra colere, quorum nobis illi gratis vsumfructum relinquunt, cuius tempus tanquam Domini temperant & arbitrantur. Non igitur dolendum est, si ea, quæ nobis vtenda concessa sunt, aperiunt, sed ea reddere appellatos sine conuitio decet. Nec enim argentarii, vt depositum reddant interpellati, molestè ferre consueuerunt, si modò boni æquiq; sunt: alioquin his, qui non facile ac libenter exoluunt, iure meritoq; dicere quispiam posse, Non rectè facis, qui depositũ abnuas: an oblitus es te accepisse, reddereres? Quod etiam mortalib. omnib. dicere conuenire est. Habemus namq; omnes vitam, tanquam depositũ quiddã. Deinde reddendi nobis non conditio, non modus constitutus est, quemadmodum etiam nec argentariis, sed incertum omnino est, quando a nobis exacturus sit. Quicunq; igitur id, aut morituros, aut morientibus suis, grauiter molesteque fert, nónne eũ sui ipsius ac humanæ conditionis oblitum dicemus? quod scilicet & ipse homo, & sui homines nati sunt. Non est profectò sapientis officium, ignorare se mortale animal esse, quod vt doceret ac moreretur natum est. Maximè omnium, quæ Delphis templo scripta sunt, præclara, & vitæ nostræ necessaria memorantur: inprimis duo illa: Te ipsum nosce: &, Ne quid nimis. Ex his enim dependent cætera quoque omnia. Ipsa verò adeò sunt inter se conuenientia & concordia, vt in altero alterũ ostendi ac declarari videatur. Nam & in sui ipsius cognitione continetur, Ne quid nimis: Rursus quoque in hoc sui ipsius cognitio versatur. Ideo Poëta eleganter dicit: Nosce te ipsum, verbum facile ac breuissimũ dictu esse, re autem atq; opere præstare, adeò rerum omnium difficillimum, vt omnes Dij id, præter Iouem, ignorent. Cui simile Satyricũ illud est: E cœlo descẽdit, γνῶθι σεαυτόν. Pindarus quoq; sapientes, inquit, viri, hoc verbũ, *Ne quid nimis*, maximè

semper probauerunt. Et Comicus Terentius, hoc apprimè alt
tror in vita esse vtile, vt ne quid nimis. Hæc itaque dum no
quam cœlestia & diuina præcepta, quicunque in animo serp
habuerit, facilè poterit se ipsum ad omnes humanæ vitæ ca
accommodare, ipsosque modestè ferre. Hoc etenim modo na
ram suam respiciens, in rebus lætis ac felicibus extra lineam no
effundetur, aut superbus aut insolens erit: neque rursus eũ qui
aduersi acciderit, humiliabitur, aut seipsum deiiciet, nec ad gem
tus lachrymasq; propter fortunæ animiue debilitatem conuerte
tur: Illud denique constantissimè, quod Pythagorei præcipiu
in aureis versibus, retinebit:

Quam tibi tribuerit partem fortuna malorum
Hanc habe, neu Diuos irrita voce lacessas.

Hoc enim stultissimi viri esse perhibetur: in calamitatibus infe
Qui verò necessitati cessit, hic & prudens inter homines, & rep
Deos, vt Euripides ait, pius religiosusq; iudicatur. Vulgus veri
quod incertum & indoctum appellauerimus, cum quid eis pr
ter spem opinionemq; eueniat, continuò amentes & consternati
Deos mali causam existimant: atque ideo in omnibus dolore
gementesque fortunam suam accusant & detestantur: cum non
Deus calamitatum causa, sed ipsimet sint per ignorantiam & stul
titiam, quę innascitur eis ex indocilitate. Propter hanc itaq; ri
nam falsamque opinionem decepti omnino morti succenset
Quomodocunque enim acciderit, causas dolendi & lachryma
di inueniunt statim. Si quando etenim aliquis in peregrinatione
decesserit, subitò gementes inquiunt:

Infelix, non te genitor, non te optima mater
Condet humi.

Si verò domi præsentibus suis, lugent affliguntur q;, quòd in o
culis omnium, ex manib. ex sinu parentum ereptus sit. Si sine voce
mortuus est, nihil aliud dolere se dicunt, quam quòd verbum e
miserit nullum, quòd mandata non dederit. Si aliquòd extremi
faucibus euolauerit verbum, huius continuò tanquam dolori
igniculi meminerunt. Cùm celeriter obiit, tanquam citò raptu
dolent. Cùm morbi genere longiori, cruciatibus tantum de lo
gioribus moueri ac conturbari dicunt. Omnis demum occasio
sufficiens est, ad eorum luctus concitandos augendosque. Quo
vt sæpius diximus, ideo euenit, quia non cogitant se esse homi
nes, sed quodammodo immortales seipsos & felices semper fu
turos putant, atque ideo in propinquorum mortibus Deorum
astra vocant crudelia: Quę tamen benignius nobiscum agunt, q
nosmetipsi consuleremus nobis, si id potestate arbitrioq; nostro
disponeremus. Quis enim scit, an forsitan ille mundi arbiter, &
gubernator Deus, non Domini aut Regis, sed parentis vice, hu
mani

mani generis curam gerens, cum diuinitate sua præuideat ea quæ animo euenturæ fuerant mala, quosdam propterea, quod in ea incidissent, è vita, vt nos credimus, intempestiuè, vt ipse iudicat, matura abduxit? Quamobrem existimare debemus eos nihil miserum calamitosumque pati. Nihil enim graue mortalibus quod commune est, neque eorum quæ rationabili causa, neque eorum quæ consequuntur, accidunt. Cogitare quoq; nos decet, vt plurimum necem ante multa, quæ impendebant, mala venisse: quodque pluribus neq; vnquam nasci, quibusdam nasci tantum, & simul mori, alijs adolescentiam vsque, nonnullis paulò vltra ad senectutem prouehi, vtile ac commodum erat. Omnes igitur huiusmodi mortes, æquo animo ferendæ sunt: præsertim cum sciamus eam nullo ingenio aut arte nostra euitari posse. Est enim docti & benè instituti viri officium, in mente illud habere, sicumdem cogitare: Quod hi, quos putamus maturè decessisse (si quid tamen diu mortalibus est) sed potius breui temporis puncto præcesserunt, ac citò secuturos dimiserunt. Quod quidem vsque adeò non cogitant, nec animaduertunt multi, vt prius eos, quos sic muliebriter fleuerant, insecuti sint, eum luctum & miseriam deposuerint, nullam ex huiusmodi affectione lachrymisque leuationem calamitatum suarum inueniant, ac frustra, seipsos tantùm mœrore cruciantes, mortui sint. Quod inspicientes nos, eorum exemplo moniti, id breuissimum tempus quod nobis concessum est, non dolentes continuè transeamus, neque miserrimo luctu & gemitu nos ipsos corrumpamus: sed, quantum fieri potest, modestè humaneq; toleremus & sustineamus, demusque operam, vt viros inueniamus, non qui nobiscum simul doleant, sed illos procul à nobis expellamus, quemadmodum Euryali matrem incendentem luctus, Ilionei nostris Troiani, fortesque & constantes viros quæramus, qui grauiq; consolatione miserias nostras leuent & consolentur. Quòd si fecerimus, vano inaniq; mœrore liberati, hoc, quantulumcunque vitæ nostræ tempus futurum est, sine tumultu, & perturbatione animi, quietè feliciterq; agemus. Optimum enim ad dolorem sedandum erit, si venerint in mentem nobis ea, quæ sæpenumero in similibus calamitatibus, tum amicis, tum ciuibus nostris diximus, & consulnimus. Neque in hoc (vt Seruius ait) imitemur malos medicos. Vtenim illi alienis in morbis profitentur tenere se medicinæ scientiam, ipsi se curare non possunt: itidem etiam nobis ipsis, ijsdem quibus alios consolati sumus verbis, nihil ad leuandas animi molestias proficere videbimur. Quos quidem, si quis taliter affectos videat, non absurdè nostrum Comici versu, paucis immutatis, irridere poterit: Facilius, cum valebat, recta cõsilia ægrotis dabat. Quod ne nobis

cueniat,

eueniat, diligenter cauendum censeo. Quin potius animi nostri
mœrorem, Pharmaco rationis curemus, quantum fieri potest, ce-
lerius, nec lenti aut negligentes esse debemus in huiusmodi cau-
tione, sed peruigiles sine intermissione aliqua vulneris sanitatem
quærere. Nam cùm omnis rei dilatio noceat, vt Hesiodus inquit,
omnium maximè periculosa, plurimumq. detrimenti afferre de-
cenda est pœna, cùm grauissimi animæ affectus & morbi, dolo-
risq; sanatio in aliud tempus differtur. Proponamus etiam nobis
oportet clarissimorum virorum exempla, qui magno & forti ani-
mo suorum mortes tulerũt, adeò vt ea quæ omnes alij aspera ex-
stimant, magnanimitate animi sui lenirent placidè ferendo. In-
ter quos præcipuus memoratur Anaxagoras Clazomenius, qui,
de rerum natura cum amicis quibusdam notisq; disserentem, fe-
runt, cùm filij mors ei nuntiata esset, quietũ se continuisse: Pu-
lò enim pòst conuersus ad præsentes, Sciebam, inquit, filium me
genuisse mortalem. Quem imitatus fuisse dicitur discipulus eius
Pericles, Atheniensiũ in repub. princeps, Olympius, propter sin-
gularem prudentiam & fortitudinẽ animi, cognomento appel-
latus. Cùm enim duos, octo dierum spatio, filios, & adolescentes
optimos, Paralum & Xanthippum amisisset, nihil tamen inopi-
nato casu turbatus motusq; est, quo minus postera die, de patriæ
suæ consuetudine ac more, veste alba indutus, coronatusque in
concionem veniret, Atheniensiq; populo prudentissimè de tota
belli gerendi ratione consuleret: adeò constanter & fortiter, vt
omnis eum populus & admiraretur & coleret. Xenophon etiam
Socraticus, cùm rem diuinam faceret aliquando coronatus, au-
dissetq; filium, Grillum nomine, quem vnicum habebat, in expe-
ditione decessisse, corona statim deposita interrogauit, quónam
genere mortis obiisset? cumque intellexisset eum generosè forti-
terq; pugnantem, magna prius hostium strage facta, strenuè oc-
cubuisse, dolorem ratione frenans & continens, paruo pòst hora
spatio, & coronam capiti reposuisse, & inceptum sacrificium per-
fecisse dicitur: locutusq; ad eos qui nuntiauerant: Deos, inquit,
rogaui, vt filium mihi non immortalem, neque longæuũ darent,
quippe qui, an hoc ei expediret, ignorarem, sed vt optimum, pa-
triæq; amatorem, facerent: quod me impetrasse video, ideoque
voti compos gratias illis debeo. Dionem quoq Syracusium, Pla-
tonis familiarem, domi sedentem cum amicis, ferũt magnos sibi-
toque tumultu & clamore facto inter familiares, causam rectifi-
uisse. Vtq; intellexit filium, quem habebat puerũ, quod ex altiori
loco ceciderat, mortuum esse: nihil motum turbatumue man-
dâsse mulieribus corpusculi curam, vt secundum patriæ leges se-
peliretur, dicunt: ipsum verò ad amicos conuersum, ea, de quibus
antè considerabat & loquebatùr, non reliquisse. Hos quoq; viros

imitatus

imitatus esse videtur Demosthenes orator: qui filia, quã vnicam habebat, amissa, septimo die indutus albis vestibus, coronatusq; processit in publicum, Dijsq; solenni more sacrificauit & gratias egit: quod Æschines, itidem orator, eius æmulus, postea publicè obiecit, inhumanum durumque appellans Demosthenem. Sed profectò lædendi accusandiq; cupiditate adductus Æschines, nõ vidit, quod per ea quæ probro dabat, eum magnopere laudare videbatur: Ostendens, quod caritatẽ patriæ atque amorem, dolori quem de filiæ morte cõceperat, prætulisset. Rex verò Antigonus, audita filij Alcyonei morte, qui dimicans magno animo medijs in hostib. occubuerat, aliquantulum tacitus stetisse fertur. Deinde ad circumstantes versus, paulumque turbatus, O Alcyoneu, inquit, tardiùs quidem opinione mea cecidisti, scio: audacter in hoc bello impetum faciens: vt neque salutis tuæ, neque admonitionum mearum curam habueris. His clarissimis viris, fortitudine nemi non inferior memoratur apud Romanos Horatius Pulvillus Pontifex Maximus: cui templum Iouis in Capitolio dedicanti, cum mors filij esset renuntiata, nihil tam inopinato casu permotus, cœptum sacrificium perfecit, solemniaque carminis pontificalis verba, non luctuosa & gementi, sed clara & constanti voce concepit. Vt verò domum redijt, filium luxit aliquantulum, curatoque funere in Capitolium reuersus est, læto atque hilari vultu. Paulus etiam Æmilius, qui deuictis Macedonibus, speciosissimum & nobilissimum triumphum egit, duos septem diebus filios continuatis funeribus extulit, nec tamen animo consternatus fractusque est. Cumque in forum, qui paulò antè duobus natis vtrinque fulcientibus veniebat, solus orbatusq; descendisset, flente Po. Ro. immotus stetit, concionatusque est: Deos se rogasse prefatus, vt si quid propter immodicas felicitates inuidiæ apud superos Respub. contraheret, id potius suo quàm publico damno solueretur. Quod cùm impetrâsset, gratias dixit se magnus Deo habere atque agere. Nec L. Bibulus, C. Cæsaris Dictatoris in consulatu collega & aduersarius, prætereundus est. Cuius duo filij, per omnem rerum verborumq; contumeliam ab Ægypto milite prius habiti, postea crudelissimè necati sunt. Idem tamen postridie eius diei, quo geminum funus renuntiatum est, in sensum senatumq; processit, ad solita & publica officia obeunda. Ipseq; C. Cæsar, dum in Britannia militaret, audita nece Iuliæ filiæ suæ, Pompeio Magno nuptæ, quam primùm vt filiam, deinde tanquam potentiæ suæ causam instrumentumque diligebat, eam tamen satis existimauit honoratam, si triduo luxisset: atq; ita intra tertium diem finito luctu, se militum conspectui reddidit, imperatoriumq; munus strenue obijt. Eius etiam nepos, & per adoptionem filius, Diuus Augustus, liberis, nepotibus, & omniũ suorum

rum Cæsarum turba, exhaustus orbatusque, cunctorum m
fortissimè tulit. Dignissimus etiam est, qui in hoc fortissim
virorum numero referatur clarissimus vir M. Fabius Maxim
ea familia, quæ toto Latio, in ipsa denique vrbe Terrarum
gentiumque Roma, semper sapientiæ domus, militarisque
plinæ habitaculum, & dicta & habita est: cuius singularem
stantiam fortitudinemque animi, ætate nostra incredibile
dimus. Huic aliquando negotium publicum gerenti, eo in
stratu, qui senatori proximus ædilitas appellatur, nuntiatu
vno eodemque die, primo ædium ruina obtritam vxorem, in
laris pudicitiæ fœminam, formæque dignitate conspicuam
inde quam vel sola senectus (erat enim annosissima) vene
lem inuiolabilemque fecisse poterat, Matrem carissimam, p
calamitate, ac ingenti mœrore animi, simul repentè extinc
cuius ille prudentia, præcipuoque & supra naturam mulie
consilio, summam in rebus tam publicis quam priuatis auc
autoritatem que ab ipso Magistratus sui primordio, primo an
flore fuerat allecutus: quam nemo erat qui non putaret pro
uitam incorruptamque eloquentiam, & certè ob quandā
priscam Sabinarum grauitatem, vel nostri sæculi alteram Hor
tensiam, aut Gracchorum matrem Corneliam. Postremò aut
allatum est, filium adolescentem optimæ spei, quem vnicè a
rè humanissimus pater non minus etiam propter morum eleg
tiam diligebat, proximè in Vmbria, cùm ex agro Piceno rem
retur, decessisse. Cuius nuntii acerbitate lachrymabili & pr
inaudita, commoti consternatique, qui circa illum erant, co
gæ ac familiares cùm lugerent: ipse solus, commotis omnib
vultum non flexit, nec a negotio publico conuersus est. Hos
que viros vt plurimum homines propter animi magnitudin
verbis & laudant & admirantur, re autem atque opere imm
propter animæ imbecillitatem non possunt, quę, vt iam dixim
ex ignorantia eis innascitur. At viri docti, optimeque instit
his, quas superiùs enumerauí, cautis rationibusque adduc
cilè præstant. Quorum multos cùm ex Græca tum Roman
storia numerare possem, nisi hos paucos ad rem nostram pro
dam sufficere putaremus. Hos te, vt facis, imitari pro tua pruden
tia & doctrina decet, eorumque vestigia sequi potius, quam com
munivulgarium hominum errore duci: cogitantem id quo
periùs etiam diximus, eos, quos Deus maximè diligat, siue ad
dolescentes, siue ætate intermedia, aut adhuc constanti & firm
senecta vigentes, vt plurimum tunc, cùm ab illo diliguntur, mo
ri. Quorum è numero suauissima dulcissimaque genitrix, & pro
culdubio sancta, mater tua existimanda est: Quæ cunctis matro
nalibus functa officiis, omnibusq; naturæ atq; fortunæ munere

[illegible]mimè adornata & prædita, superstitibus florentissimis filiis, [illegible]amplissimo pontifice, & fortissimi animi viro germano tuo, [illegible]mulite, domiq; & foris nobilissimo Duce, ætate penè sua, [illegible]q; tempore, læta gaudensq; decessit, dilecta amataq; omnib. & in summo venerationis honore semper habita, & culta, cùm ob vitæ sanctitatem, tum propter morum elegantiam ac suauitatem. Fratri tuo vtpote filio obsequentissimo, in cuius præclara & [illegible] sobole, crescentiq; & summæ spei prole, paterni generis splendorem & maternæ stirpis gloriam agnouit, clemens & pia. Tibi autem, quem parentis loco amabat, venerabatúrq; pientissima, & summè officiosa. In cuius n. admirabili ingenio facundiaq; celesti, decus Imperii & Maiestas Romana, prisco superiorum ætatum laudatissimorúmq; principum sæculo, nõ cessit, sed [illegible] mouit, & vigorem antiquæ virtutis Germanorum ostendit, [illegible] illa sibi complacuit. In cæteros verò tum benigna tũ affabilis tum humana. Seniores quidem honore obseruantiaque singulari, ipsamet venerabilis & obseruanda, religiosa quadam [illegible] imagine prosequebatur. Æquales autem, & sui stemmatis [illegible] illustres Rheni & ciuitatis suæ fæminas, amore atq; affabilitate dulcissima complectebatur. In hospites quoque, ac cõcines & subditos, comis & liberalis, adeò vt eam ciuitas tota & amator & laudib. prope diuinis prosequeretur. Quod etiam extremo [illegible] declarauit. Eam enim in omnibus pietatis officiis, quæ [illegible] exhiberi possunt, decorauit, nomenq; eius in omniũ ore ac lingua, non sine magna virtutis eius ac morum cõmemoratione, vel potius stupore, versatur. Fuit hęc vnica splendidissimę domus Domina, & Regnatrix: tam inaudita mansuetudine, [illegible], vigilantia, exemplo, disciplina, vt ad summum nata imperium videretur. Ad hæc virtutes alias vt præteream, quæ difficillimè in illo sexu, perpetuo tenore ætatis, simul coniungi posse [illegible], doctrinam, eloquentiam, pudicitiam, modestiam, omnibus hæc illis ita sæculo nostro præstitit, vt iam toto vitæ suæ tempore non amplius mortalis, sed perennis, & cuidam Deę cælesti, æternoq; numini similis futura crederetur. Quibus de rebus summo semper honore habita nomen sibi clarissimum peperit, famamq; de se posteritati immortalem reliquit. Huius igitur matronæ & clarissimæ fæminæ mors, cui omnia, quę merebatur, officia pro insignibus virtutibus & viuæ & mortuæ, tributa præstitaq; sunt ab omnibus, mediocriter toleranda. Quin potius ei gratulandum reor, quod ex hac fragili caducaq; vita, tãquam è symposio, priusquam in ebrietatem, id est, decrepitæ senectutis molestias incidisset, libera sit. Quòd si Poëtæ clarissimi aiunt, & Philosophi docent, nos verò à sanctissimis religionis nostræ parentib. [illegible], & moniti, certissima & inconcussa fide tenemus, eos

qui religiosè pieq; vixerunt, in cælum euolare, vbi felices beat
perpetuo æuo fruantur: Optimè sperare te de matre tua deca
am quoq; cùm taliter vixerit, in eorũ numero futuram omn

Hæc ferè sunt mi amantissime & veneratissime Pater Iom
quæ in mentem mihi, diesq; noctesq; de te cogitanti, & dolo
meum cum tuo comparanti, venerunt, quibusq; adhortan
mihi visus es ad leuandam molestiam angoremq; animi tui
tecum communicaui, vt amici ac beneuolentissimi officio fu
rer, non sine commemoratione aliqua laudum virtutumq;
uissimæ, tantiq; nominis fœminæ, Matris tuæ. Quarum prou
pore memoriam feci, aliàs latius, pro arbitrio tuo & amicum
stra, id facturus, vt saltem, quantum in nobis est, quæ bpruin
bi nec satis diu vita, gloria sibi quam longissimè vitat. Reli
que atque prudenter facies, si generosi fortisq; viri, è tali
geniti, officium præstes: Si animum tuum ad te reduxeris
psum ex squalore ac miseria leuaueris: si ad pristinam virtu
suetudinem reuerteris. Da hæc mihi, amico & familiari tuo,
ganti monentiq; ue: Da propinquis: Da etiam suauissimæ co
busque sæculis celebrandæ fœminæ Matri tuæ: quæ, in quar
cæli parte sedet, dum luctus lachrymasq; tuas percipit, qui
te amore ac pietate singulari fuit, non libenter afflictum vi
Da hoc illibatis intemeratisq; Virginib. nostri sæculi integer
mis: quæ assidua & nunquam intermoritura beneficiorum
recordatione, die noctuq; sacris operantur, rerum omnium
ci & liberatori Deo, eiusq; filio, cælorum Regi, in Hymnis &
ticis iugiter psallunt: Da hoc honestarum mulierum cœtu
sanctę viduarum consocietati, quæ tuæ parentis opibus, quam
bi defunctam satis luxerunt, vtique viuunt, & beneficentiæ illi
memores inuicem sanctimonialiter sustentantur: Da hoc vene
bili & augusto Ecclesiæ tuę collegio, in quo tot nobiles & cla
simi homines conspiciuntur, tot generosi eruditissimiq; vi
præsule sapientissimo gaudent & perfruuntur: Qui licet omn
per vniuersam propè Germaniam, pia inter se animorum concor
dia, & perpetua in te veneratione & obseruantia, vbiq; sint ac
ac probatissimi censeantur, reliquis tamen in prouincijs & nu
nibus, te optimo Antistite, quietis fundatore, alumno religion
& optimarum artium amplificatore, summoq; virtutum præ
beati, pro tuorum insigniis ornamentorum, omnino celeber
habentur: Cuius fama cælum penetrat complectq; Cuius qua
gesta sparsa ac disseminata sunt, in laudis præconiorum memo
am sempiternam: Cuius dignitas in arduis & grauissimis admi
strandi totius orbis terrę consiliis, Diuo Cæsari & inuictiss
Maximiliano, æterno principi (cuius nutu sola terrarum sanctis
mè, iustissimè ac clementissimè reguntur & temperantur) dies &
noctu

vobis semper affixa, vix potest vel tempora subeisiua recreandis animis corporis transmittere. Et tamen ex admiranda tui altissimi ingenij abundantia, cui nihil est ignotum, cum omnium admirationi circumfusis vndiq; negotijs, tanta sapientia, & elati animi altitudine, vbiq; magnus occurris, vt omnes omniũ ecclesiæ animi altitudine, vbiq; magnus occurris, vt omnes omniũ gentium oratores, omnes nationes te suspiciant, obseruent, & admirentur, quodq; admodum paucis euenit, vnicè diligant, singulariter & vehementissimè ament, mirificisq; laudibus ad cælum efferant. Quotibi celeriùs luctum censeo deponendum. Da hoc etiam populo tuo fidelissimo, id potissimum precanti & requirenti. Totus enim, quèadmodum amplitudo tua nouit, ex te vel maxime dependet. Da hoc vrbi tuæ, & clarissimæ ciuitati, cui te Deus ad salutem Reip. Christianę, & generis humani commodo, præfecit. Postremo da hoc fratri tuo, qui rerum tuarum admirator, & eruditissimus imitator, cum sit hoc tempore communi gentium malo mediocriter exasperatus, non est pietatis erga eum tuę huic incendere, tristioremque tua tristitia facere. Quod etiam antehac fecisti, ita vt vobis nihil, sublata è medio matre (cui vos tamen imbo etatis tanquam duo lucidissimi oculorum eius radij quam ad pietatis officia pertinet, nisi numerum, quem illa trium beneiolentię nexu, & mutuo amoris vinculo, suę corporalis sexentiæ ternarium reddere solebat, omnino deesse iuuatis. Vale. Romę, ex palatio Apostolico VII. Kal. Nouemb. Anno salutis nostræ. M. D. II.

FINIS.

IACOBI SADOLETI ROMANI CARDINALIS EPISTOLA AD SENATVM POPVLVMQVE GENEuensem:

Qua in obedientiam Romani Pontificis eos reducere conatur.

IACOB. SADOLETVS EPISCOPVS Carpentoracti, S.R.E. Tituli Sancti Calixti Presbyter Cardinalis, suis desideratis fratribus Magistratui, Concilio, & Ciuibus Gebennensibus.

CHARISSIMI in Christo fratres, pax vobis & vobiscum, hoc est cum Catholica Ecclesia matre communum nostrûm atque vestrûm, amor atque concordia Deo patre omniporente, & vnico eius filio D.N. Iesu Christo, Sanctoque simul Spiritu, quæ est vnitas in tribus perfecta, cui laus est & imperium in omne seculorum æuum, Amen.

Arbitror, fratres charissimi, aliquibus vestrûm esse notum, me nunc degere Carpentoracti: quò veni ab Nicea, summum illic Pontificem, ad pacificandos Reges ex vrbe Roma profiscentem, prius prosecutus. Amo enim Ecclesiam & ciuitatem hanc, quam mihi spiritualem & sponsam & patriam Deus esse volnit: populosque hosce meos verè paterna charitate complector: diligunque me ab illis valde ægrefero. Quòd si honos iste Cardinalatus, qui mihi inopinanti & inscio delatus est, Româ me coëgerit tollere (vt certè coget) quò in ea vocatione in qua sum vocatus idem Deo seruiam: non is tamen meum animum atque amorem ab his populis auocabit, quos habiturus sum in medijs cordibus me-

mi penetralibus semper infixos. Igitur Carpentoracti cum es-
sem, audiremque multa quotidie de vobis, quæ partim quidem
mihi dolorem, partim etiam spem nonnullam excitarent: vt non
diffiderem, nos & vos, qui fuimus quondam in recta erga Deum
religione vnanimes, eodem Deo benignius nos respiciente, ad e-
uidem consensum cordium esse redituros. Visum est Spiritui
Sancto & mihi (sic enim scriptura loquitur) & certè quæcunque
integro & pio erga Deum geruntur animo ex Spiritu Sancto o-
mnia sunt. Visum est mihi, inquam, scribere aliquid ad vos, & eam
animi curam ac solicitudinem, quam pro vobis capio, literis vo-
bis declarare. Non enim, charissimi, noua est hæc mea erga vos
sincera & beneuolentia & voluntas. Sed cum ab eo tẽpore quo
ego Dei voluntate Episcopus Carpentoractensium factus sum,
annis ab hinc tribus ferè & viginti, propter commercium, quod
vobis cum meis his populis frequens est, multa de vobis absens
& de moribus vestris cognouissem: amare iam tum cœpi nobili-
tatem vbis vestræ, ordinem formamq; reip. dignitatem ciuium,
& illam imprimis vestram laudatam ac probatam apud omnes,
erga extremos homines & aduenas, humanitatẽ. Et quoniã vici-
nitas quoq; non exiguam sæpe partẽ ad diligendum affert, sicut
in vrbe propinquæ domus: sic in orbe finitimæ prouinciæ amo-
ris inter vicinos conciliatrices sunt. Non contigit ante hoc tem-
pus, scilicet, vt vos huius mei erga vos animi aut fructum percipe-
retis, aut aliquod signum indiciumq; haberetis: non enim opera
vspiam egustis mea, quæ vobis profecto paratissima fuisset: ve-
rum nulla sese adhuc nobis obtulit occasio. At nunc quidem cer-
tè non contigit solũ mihi, verumetiam necesse est, vt quo in vos
animo sim affectus, vobis demonstrare adnitar: si fidem meam
erga summum Deum, & Christianam illam in proximum chari-
tatem retinere mihi cupio. Etenim post quàm fuit ad aures me-
as delatum, homines quosdam astutos, inimicos Christianæ vni-
tatis & pacis, id quod in aliis antea nonnullis fortissimæ gentis
Heluetiorum oppidis & pagis iam fecissent, item in vobis & ci-
uitate vestra malæ discordiæ semina iecisse: Christique fidelem
populũ a via patrum maiorumq; suorum, & à perpetua Catholi-
cæ Ecclesiæ auertisse sententia, omniaq; dissidiis & seditionibus
implesse. (Qui tamen mos proprius eorum semper est, qui aucto-
ritate Ecclesiæ oppugnanda, nouas sibi potentias & nouos hono-
res quærunt) Testor Deũ omnipotentem, eum ipsum qui nunc
intimis meis cogitationibus præsens adest, me & indoluisse gra-
uiter, & duplici quadam misericordia affectum fuisse: cum ex v-
na parte videret mihi audire gemitum plorantis matris nostræ
Ecclesiæ & lamentantis, quæ tot & tam dilectis filiis vno tempo-
re esset orbata: ex altera, vestris, ô charissimi, incommodis & pe-

riculis commouerer. Sciebam enim ego, tales viros nonnu-
vererum & bene constitutarum rerum, tales turbas, talia dissi-
non solùm animabus hominum pestifera (quod tamen inter
omnium maximum malorum est) sed rebus etiam & priuatis
publicis pernicioſa exiſtere. Id quod vos quoq; ipſo euentu
rum edocti, cognoscere potuistis Quid ergo est? cùm meus
vos amor, & mea in Deum pietas me cogat, vt tanquam fi-
fratribus, & amicus amicis, intimum omnem animi mei sensu
vobis liberè exponam: vos plurimum rogatos volo, vt benigni-
illam vestram, qua semper vti consueuistis, mihi quoq; non
sentia, meis nõ ingratè accipiendis & legendis literis præbe-
Spero enim, si æquis modò mentib. hęc quæ scribo attendere
lueritis, vos, si non consilium meũ, at animum certè rectũ & sim-
plicem, & vestræ imprimis salutis cupientem, non minimè p
baturos: neq; me quæ mea sunt, sed quæ vestra commoda a
bona, quærere intellecturos. Neq; ego tamen spinosas & subti-
ordiar disputationes: quam philosophiam beatus Paulus vo
& fideles Christi semper monet, ne se per eam patiantur decip
per quam isti quidem vos circumduxerunt, cùm interim pete
obscuram quandam iactarent scripturæ interpretationem, fra-
demq; & maliciam, præclaro illo quidem, sed fallo atq; alie
doctrinæ & sapientiæ nomine honestarent. Ego ea proponam
quæ clara sint atq; illustria, quæ nullam in se erroris latebra
nullum fraudis & fallaciæ habeant diuerticulum: cuiusmodi
men semper est veritas. Ea enim & in tenebris lucet, & nemini
perspicua est, & à doctis iuxtà atq; indoctis facilimè percipi
præcipueq; in Christiano genere doctrinæ, non syllogismis, n
verborum captionibus: sed humilitate, sed religione, sed ergà
obedientia est subnixa. Viuidus est enim sermo Dei & efficax,
concidentior omni acuto vtrinq; gladio, penetrateq; ad iuncturas
spiritus atq; animæ, & ad intima compagnium ac medullarum
neq; animos illaqueat impeditis argumentationibus sed certi
quodam interueniente cordis affectu, planum sese & patentem
mentibus nostris offert: vt non tam humana intùs ad intelligen-
dum ratio, quàm ipse ad se qui nos vocat, operetur in nobis Deus.
Quem ego Deum patrem omnis rectæ intelligentiæ suppliciter pre-
cor, vt & mihi ad dicendum & vobis ad percipiendum, ea alimenta
menta suæ benignitatis præbeat, per quæ possimus iterum in vno
corde erga ipsum & in vna mente consentire. Atq; vt inde exordia
capiamus, vnde maximè opportunum esse ducimus: Ego, fratres
charissimi, sic existimo, me & vos, & reliquos præterea omnes,
qui in Christo spem & fidem suam posuerunt: id ea vna de causa
ita facere & fecisse, quòd salutem sibi atque animabus suis, non
hanc mortalem & citò interituram, sed illam sempiternã & im-
mor-

mortalem quærerent, quæ in cœlo solum verè obtineri, in terris autem nullo modo potest. Est quidem ita dispartitū hoc officium nostrum, vt nobis primùm fidei fundamento, hic deinde laboremus, ibi illic quiescamus: in terra semen iaciamus, quod in cœlo postea possimus demetere: & quib. hic in operibus, quibusue in rebus nosmetipsos exercuerimus, similes deinde atq; dignos illinc nosmetipsos reperiamus: & quibus hic laborum nostrorū fructus in altera vita adipiscamur. Cæterū via Christi ardua, & ratio degendæ nobis secundum eius legem & præcepta vitæ perdifficilis sit: propterea quòd animos nostros ab omni terrenarum iucunditatum contagione auocare, & in eo ipso vno sigere: despicere præsentia bona quæ in manibus habemus, & futura quæ non cernimus, appetere iubemur: quum tamen vnicuique nostrum sua & suæ animæ salus, vt nihil interim asperum, nihil laboriosum non pati, animum inducamus, quò tandem aliquando vna nobis spe salutis nostræ proposita, ingentes multas, & per solicitudines, (præeunte semper clementiss. nostris Dei clementia & misericordia) stabilem salutem illam & perpetuam consequamur. Hac spe Christus annunciante bona, quondam ab orbe terrarū tanto consensu & studio omnium acceptus fuit: hac ratione a nobis adoratur & colitur: agnoscitur Deus esse, & Dei veri filius: quòd vnus ipse abunde omnium seculorum animos hominum Deo omnipotenti in ipso solo vita est, mortuos ac huius quidem mundi fallacibus & ducis blandiciis paulùm temporis viuentes, mox prorsus & eo nomine sui parte ad interitum condemnatos, à mortuis, hoc est, ab hoc maximè pernitioso mortis genere excitauit: primoque ipse semet, salutem & liberationem & doctrinam nostrum obuolens, morte carnis accepta, & paulò post vita non iam amplius mortali recuperata: suo exemplo nos instruxit & docuit: vt contraria longè ac prius consueueramus via, mundo huic & cæno, hoc est peccato mortui, Deo deinde viueremus: spemq; in eo nostras bene ac beatè perpetuò viuendi poneremus: quæ est propria, & verè digna Dei omnipotentis gloria & maiestas, nostrorum omnium à mortuis suscitatio: qua non vnus aut alter homo, sed cunctum hominum genus à terra & funesta animæ morte, ad veram & cœlestem eiusdem animæ vitam reuocatū est. Hanc huiusmodi à mortuis suscitationē sibi proponens Paulus, maximum q; in ea intuens diuinitatis Christi argumentū atq; iudicium: Separatus ego in Euangelium Dei (inquit) quod promiserat per Prophetas in scripturis sanctis de Filio suo, genito quidem ex semine Dauid, secundum carnem, determinato autē & declarato filio Dei in potentia per Spiritum sanctitatis: hoc est in potentia spirituali, quæ propria Dei potentia est: quòd nō corpore Deus, sed spiritu mirabilia sua agit. Imperare enim vētis,

& cęcis verbo lumen reddere, & mortuos excitare: non corpo-
ſed ſpirituali, quæ eadem & diuina eſt, fiebat poteſtate. Decla-
batur igitur Chriſtus Dei filius ex hac ſpirituali potentia, q
ſola diuina eſt. Et quod ſubiungit Paulus, ex ſuſcitatione a m
tuis: non tam ea quidem qua corpus Lazari, aut filium vidue, a
principis Synagogæ filiam (quanquam iſta quoque opera De
rant) ve: ùm ea etiam ſuſcitatione magis, qua Mariam Magdale
à dæmoniis ſeptem, Matthæũ à telonio, multos à tetra & m
ribunda vita, omne denique genus humanum à peccato & p
cati morte, & à poteſtate huius mundi tenebrarum, ad cęlestis
appetendam atq; ſperandam & cognationem & lucem excitav
demerſosque in luto terræ hominum animos, erexit ad cęlum
atque extulit. Atq; hoc maximum Ieſu Chriſti erga nos benefici
præcipuumque in eo ipſo diuinitatis argumentum, idcirco a
ſtitutum à Deo in miſſione filii ſui, & ab ipſo filio ſuſceptum,
ſuo nobis tempore per eum datum tributumq; eſt: vt omnibus
diuinis & humanis in vno Chriſto conſiliis, auxiliis, remedi
que adiuti, nos animas Deo noſtras ſaluas ſiſtere poſſemu
Tanta eſt nobilitas, tam inſigne precium, tam grandis æ
matio huiuſce rei, quæ anima hominis eſt: vt quò ne ea pere
retur, ſed & Deo ipſi & nobis lucrifieret, conturbatis penitus
rius naturæ legibus, atque ordine rerum permutato, & Deu
deſcenderet in terras, vt fieret homo, & homo erigeretur in ca
lum, vt eſſet Deus. Credimus ergo in Chriſtum (vt dicebam) o
mnes, quò ſalutem animabus noſtris, id eſt, nobiſmetipſis vera
inueniamus. Quo nullum optatum vehemẽtius, nullum bonum
interius, nec magis coniunctum ac familiare nobis adeſſe pote
Quantum enim ſeſe diligit vnuſquiſque, tantum ipſi ſalus cha
eſt ſua: quæ ſi negligatur, & abiiciatur, quod tandem erit præ
quod poſſit par acquiri? Quam enim dignam accipiet hom
compenſationem pro anima ſua, inquit Dominus; aut quid pro
derit homini, vel ſi vniuerſum mundum lucretur; animæ autem
ſuæ iacturam patiatur? Hæc igitur tam ampla, tam chara, tam
preciosa poſſeſſio, quæ noſtræ animæ ſalus vnicuique noſtrum
eſt: omni vi & conatu nobis retinenda eſt. Siquidem cætera bona
omnia quæ appetimus, externa atque aliena nobis ſunt: hoc v
num bonum conſeruatæ animæ noſtræ, non ſolum noſtrum, ſed
verè noſmetipſi iſtud ipſum bonum ſumus. Quod qui negligen
atque amiſerit, is ne bonum quidem aliud habere vllum potest,
quo fruatur: quippe cum ipſe ille qui debuiſſet frui, iam ſe pri
mùm perdiderit. Aſſequimur porrò bonum hoc noſtræ perpetuæ
vniuerſæque ſalutis, fide in Deum ſola & in Ieſum Chriſtum. Cũ
dico fide ſola, non ita intelligo, quemadmodum iſti nouarum re
rum repertores intelligunt: vt ſeclusa charitate, & cæteris Chri-
ſtianæ

stinæ mentis officiis, solam in Deo credulitatem & fiduciam illam, qua persuasus sum in Christi cruce & sanguine mea mihi delicta omnia esse ignota. Est hoc quidem etiam nobis necessarium, primusque hic nobis patet ad Deum introitus: sed is tamē non est satis. Mentem enim præterea afferamus oportet, pietatis plenam erga summum Deum, cupidamque efficiendi quæcunque illi grata sint: in quo præcipuè Spiritus sancti vis inest. Quæ mens, etiam si interdum ad exteriora opera nō progreditur: ipsa tamen ex sese ad bene operandum iam intus parata est, promptumque gerit studium, vt Deo in cunctis rebus obsequatur: qui verus dominæ iustitiæ in nobis est habitus. Etenim, quid aliud significat, aut quam aliam nobis offert intelligentiam & notionem nomen hoc ipsum iustitiæ; si non respectus in ea ad bona opera habeatur? Dicit enim scriptura, Quòd misit Deus filium suum, vt faceret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorū operum. Et alio loco, Vt ædificemur (inquit) in Christo ad bona opera. Si ergo missus est Christus, vt bene operantes, per eum accepti Deo simus, atque vt in eo ædificemur ad bona opera, certè fides quæ in Deum nostra per Iesum Christum est, non solùm vt confidamus in Christo, sed bene in illo operantes, operaríue instituentes, vt confidamus, imperat nobis ac præscribit. Est enim amplum & plenum vocabulum fides, nec solum in se credulitatem & fiduciam continet, sed spem etiam & studium obediendi Deo, & illam, quæ in Christo maximè perspicua nobis facta est, principem & dominam Christianarum omnium virtutum charitatem: qua in charitate propriè & peculiariter Spiritus sanctus inest, vel potius ipse est charitas. Siquidem Deus charitas est. Quamobrem sicuti sine Spiritu sancto nihil nostrum, neque gratum, neque acceptum Deo est: ita neque esse sine charitate potest. Cum ergo dicimus fide sola in Deum & Iesum Christum salutis nos esse posse, in hac ipsa fide charitatem vel in primis comprehendendam esse ducimus, quæ princeps & potissima nostræ salutis est causa. Sed vt abeamus a disputatione, & reuertamur eò vnde sumus digressi: Ostendimus vobis, fratres charissimi, vel ostendere potius conati sumus (non enim æquat magnitudinem rei oratio nostra) quanti momenti sit, quantopere ad nos pertineat, nostræ nobis animæ eiusque salutis procuratio, qua nostra in anima nosmetipsi toti sumus: bonumque hoc propriè & vnicum nostrum est, cætera bona, aliena nobis omnia atque disiuncta: quibus ne ipsis quidem frui vllis possumus, si ex hoc principe & verè nostro excidamus. Pro quo sibi tuendo & conseruando animæ bono, tot quondam Christi gloriosissimi martyres, mortalem hanc vitam prompto animo posuerunt: tot sanctissimi doctores nocturnis diurnisque sudoribus ac vigilijs, quò nos in

viam rectam inducerent & constituerent, sibi elaborandum esse statuerunt: tota olim tam multas & tam graues ab impijs tyrannis & præsidibus gentium iniurias & calamitates pertulit Ecclesia. Quæ ideo omnia & à præpotente Deo permissa, & à fortiore illis viris, Christi verè cultoribus suscepta, tolerata, decertata sunt: vt per omne experimentorum & probationum genus, primis veluti malleis excusa, multo igni purgata, tantis sanctorum ærumnis atque laboribus conflata, consolidata, expressa, & maximam apud Deum gratiam fidelitatis suæ Ecclesia obtineret, & summam apud homines auctoritatem. Hæc nos Deo Ecclesiæ Christo regenerauit, hæc nos aluit, confirmauit, instruxit quid nos sentire, quid credere, in quo spem ponere, qua via in cœlum tendere nos oporteat, ipsa eadem edocuit. Nos in hac communi Ecclesiæ fide incedimus, nos illius leges & præcepta retinemus: & si quando fragilitate & incontinentia victi ad peccandum prolabimur (quod vtinam saltem rarò ac non nimiùm sæpe in nobis accideret) in eadem tamen fide Ecclesiæ exurgimus, quibusq; illa expiationibus & pœnitentiis & satisfactionibus peccatū nostrum ablui, & ad integritatem pristinā, clemente erga nos semper & misericorde Deo, nos restitui docet: eas expiandi & satisfaciendi rationes suscipimus & adhibemus. Idque ita cum facimus, confidimus nos veniæ & misericordiæ locum apud Deum inuenire. Non enim præter sententiam & auctoritatem Ecclesiæ arrogamus nobis quicquam, nō plus nos sapere, quam oporteat sapere nobis ipsis persuademus: non superbiam afferimus ad contemnendum Ecclesiæ decreta, non animi elationem, neque ingenium inter populos nostrum, aut nouam quandam sapientiam ostentamus: sed (de probis & rectis Christianis loquor) in humilitate ingredimur atque in obedientia: & ea quæ per maiorum nostrorum sanctissimorum hominum, sapientissimorumq; auctoritates tradita nobis & constituta sunt, tanquam per Spiritum verè Sanctum dictata atque præcepta, omni cum fide suscipimus. Etenim nouimus & scimus quantum habeat viriū, quanti sit momēti, quanti ponderis apud Deum humilitas, quæ vna virtus imprimis Christiana est, eamq; semper maximè Christus Dominus noster & monitis, & præceptis, & factis atq; operibus suis præ se tulit, paruulisque solis, id est humilibus propositum dixit esse regnum cœlorū. Non enim refert, corpore-ne parui an magni simus: sed illud plurimum refert, vtrum animo simus humili, an-ne superbo: superbia quæ angelos deiecit de cœlo, hominibus eadem iter in cœlum impedit. Vnde cœleste animal Angelus, propter superbiam expulsum est, eò terrenum animal homo, propter humilitatem extollitur: vt appareat planè, constitutum esse nobis in humilitate potissimum, & adiumentum perpetuæ

salutis

lutis nostræ, & huius beatæ ac iucundæ spei, qua ad cœlum tendimus, fundamentum. Quæ cum ita sint, charissimi fratres, cum nostra salus nobis, cum vera vita, cum æterna felicitas, cum nosmetipsi denique nobis ipsis imprimis & maximè cæteratum rerum omnium chari esse debeamus: cum si nosmetipsos perdiderimus, nihil vspiam nostrum, id est quod iuuet, aut quod pertinaces nos, simus amplius reperturi: cum nullum grauius damnum, nullum exitiosius malum, nulla acerbior calamitas amissuræ & iactura animarum nostrarū accidere nobis possit: quantopere studio, qua animi cura & solicitudine prouidere debemus, ne hoc tantum periculum salus & vita nostra coniiciatur? Dabitis vos profecto mihi & concedetis, nihil perniciosius neque funestum magis euenire nobis posse, quàm amissionem animarumque suæ. Dabitis ergo etiam illud, opinor, nihil esse à nobis maiore diligentia & studio, quàm ne id accidat, præcauendum. Cuius enim mali sors, si ea in nos incidat, omniū malorum ea deterrima: eiusdem mali periculum maximè omnium horrendæ formidolosum debet. Etenim quanta est in malo mole, tanto in periculo mali, necesse est vt sit timor. Atque vt qui horrent & metuūt in pelagus præcipitari, hi ne ad præruptā quidem & imminentem pelago rupem audent accedere: sic qui terribilis illud Dei & damnatoriū iudicium perhorrescunt, ab eo fugiunt imprimis periculo, quod sempiternæ illi miseriæ maximè horrendum proximeq; adiunctum est. Neque ego hoc in hoc dico nunc loco, non omnes peccare homines, non omnes nos quo ad hanc vitam, in periculo semper esse (sumus enim planè, & labimur, & offendimus, & labimur, interdū omnes, sæpius, rarius, prout cuique sua & ex Deo insita ad se cohibendum virtus fuit) verumtamen peccata cætera, præsertim quæ non iudicio sibi, sed per fragilitatem admissa patrataq; sunt, ad summi Dei misericordiam facilem reditum habent. Illud autem peccatum horribile & pertimescendum, quo praue colitur Deus, qui rectissimè colet coli, & quo falsa de illo sentiuntur, qui est summa solus veritas. Illud, illud inquam est peccatum, quod non solum in proximo periculo æterni mali nos constituit: sed spem propè etiam & conatum declinandi & fugiendi eiusmodi periculi nobis aufert. Nam reliquis nostris in peccatis tanquam in vitæ fluctibus, illa tamen anchora nostræ nauis salua est, quæ nos prohibet à scopulo & naufragio: quòd cogitationes interdum nostras in Deum conijcientes, & stimulis dolorum propter peccata compunctis tacitis suspirijs, & confessione iniquitatis nostræ, illius misericordiam imploramus. Atque ipse, vt bonitatis & clementiæ plenus est, flectitur statim ad ignoscendum: moreque pij patris filiorum suorum preces placatus admittit. At in hoc truci,

truci, horribilique peccato præposteræ falsæque religionis, ne Deum nobis, nec anchoram amplius relinquimus. Quapropter hoc præcipuè periculum, fratres charissimi, si salui esse volumus, accuratissimè & studiosissimè vitandum nobis est. Potest hic cum vel corruptæ vel integræ religionis varia sine iudicio, diuersæ hominum, in hoc præsertim tempore, sententiæ, aliusque hoc modo, illo alius interpretetur: satis videri debere, si vnusquisque ad id quod primum occurrerit credendum, sinceto animo accedat, suumque iudicium submittat hominum se doctissimorum & peritiorum iudiciis. Fateor, fratres charissimi, has esse vices hominum simpliciorum, & quorum ingenia natura hebetiora sunt: quos qui detorquent & abstrahunt à via recta, maximo multo in se peccatum habent: nam peritis quidem & callidis oratio ista non conuenit. Sed vt nunc temporis causa constet, omnibus ista & doctis & indoctis incerta esse (quod tamen falsum est) habet enim Catholica Ecclesia certam regulam, qua à vera falsa discernat. Verum esto, concedamus dubia esse: non-ne quoniam de periculo nostræ salutis agitur, quoniam animas nostras, hoc est, nosmetipsos plurimi facimus: nec nunc in discrimen aut fortunarum, aut valetudinis, aut etiam corporis & mortalis huius vitæ venimus (quorum omnium iacturam viri fortes pro Christo & pro sua anima constanter sæpe pertulerunt) sed de nobis id decernitur, vtrum sempiternè miserrimi, an beatissimi simus victuri: circumspicere, considerare, perpendere diligenter nos oportet, vt eo nos constituamus in loco (de re loquor vere dubia, quæ tamen non est) vt ibi inquam consistamus, vbi multò multò nobis timoris atque periculi, longeque plus spei & alacritatis ostenditur. Nemo hoc, credo, negaturus mihi est, quin in re ancipiti & dubia (in qua præsertim summa agitur vitæ & salutis nostræ) id potius capere & sequi consilij debeamus, quod ratio nobis suaserit, quàm quod fortuita obtulerit temeritas. Videamus igitur vtra in parte, & in vtra secta maius sit, à Deo longius nos remouendi, & ad perpetuum exitium propius nos admouendi periculum. Quam rem ita agam & proponam, quasi habeam vos adhuc deliberantes, nec dum animi certos: quorum postea aut voluntatibus obsequi, aut consilijs credere debeatis. Disceptatio est, vtrum vestræ saluti magis expediat, gratiusque Deo vos facturos existimetis: si ea credideritis, eritisque sequuti, quæ Ecclesia Catholica cunctum per orbem terrarum annos iam mille & quingentos amplius, aut (si clariam certamque rerum gestarum memoriam & notitiam quærimus) annos iam amplius mille & trecentos, magno consensu comprobat: an hæc quæ vani homines, atque, vt sibi ipsi videntur, acuti, aduersus tot seculorum vsum & contra perpetuam Ecclesiæ auctoritatem, his annis

quin-

vtinque & viginti innouauerunt: qui certè ipsi Catholica non sunt Ecclesia. Est enim Catholica Ecclesia (vt breuiter definiamus) quæ in omni anteacto & hodierno tempore, omni in regione terrarum, in Christo vna & consentiens, vno Christi spiritu vbique & semper, directa est, in qua nullum potest dissidium existere: omnis enim ea inter se connexa & conspirans est: quòd si quid accidat dissensionis & dissidii, magnum quidem corpus Ecclesiæ idem permanet: fit autem apostema, quo corrupta aliqua caro, ab animante corpus cunctum spiritu diuulsa secernitur, nec de substantia vlterius corporis Ecclesiastici est. Non ego hîc deuenitam ad singulas rerum disputationes, neque aures vestras copia verborum atque argumentorum onerabo: Tacebitur à me tunc de Eucharistia, in qua nos verissimum Christi corpus adoramus. Isti sanè parum gnari quemadmodum in vnoquoque genere doctrinæ adhibere argumenta & rationes oporteat: ex alienis & longè diuersis dialecticæ inanisque philosophiæ rationibus Dominum ipsum vniuersi, & diuinam in eo spiritualemque potentiam (quæ prorsus libera & infinita est) in angulos corporeæ naturæ, quæ suis cancellis circumscripta est, conantur includere. Non loquar de confessione ad sacerdotem peccatorum: in qua, quod maximum est nostræ salutis fundamentum, vera Christiana humilitas, & à scriptura demonstrata, & ab Ecclesia præcepta ac constituta est: quam isti humilitatem, & per calumnias eludere, & per arrogantiam abijcere studuerunt. Silebo de precibus, deo sanctorum pro nobis apud Deum, aut nostris, pro mortuis: quas idem isti cùm aspernantur & irrident, easque nullius penitus esse momenti dicunt: quid tandem sibi volunt? num-nam animas arbitrantur vnà cum corporibus suis interire? & nimirum id videntur innuere, quod agunt etiam manifestius, cùm libertatem sibi vitæ ab omnibus Ecclesiasticis solutam legibus, & licentiam cupiditatum comparare adnituntur. Si enim mortalis animæ sit, edamus & bibamus, inquit Apostolus, paulò pòst enim moriemur: sin autem sit immortalis (vt certè est) vnde, quæso, tantum & tam repentè factum est corporis morte dissidium; vt & viuentium & mortuorum animæ inter se nihil congruant; nihil communicent; omnis sint cognationis nobiscum, & communis humanæ societatis oblitæ? Cùm præsertim charitas, quæ præcipuum Spiritus sancti in Christiano genere est donum: quæ nunquam non benigna, nunquam non fructuosa est, & in eo in quo inest, nunquam inutiliter consistit, salua semper & efficax in vtraque vita permaneat. Sed vt relinquam controuersias, easq; ad suis tempora reseruem, excutiamus id quod priùs est propositum: vt videatur & quæratur, quid nobis magis conducat, factuque rectius sit; quid ad gratiam summi Dei obtinendam magis

sit ac-

sit accommodatum; sentire-ne cum vniuersa Ecclesia, eiusq; decretis & legibus & sacramentis cum fide obtemperare; an sentiri hominibus dissidia & res nouas quærentibus? Hic locus est, charissimi fratres, hoc illud est biuium quod diuersa duo itinera scinditur: quorum iter alterum ad vitam, alterum perpetuam mortem nos deducat. In hoc discrimine & delecto agitur salus animæ cuique suæ, aguntur pignora futuræ vitæ vtrum videlicet nos æternæ felicitatis, an miseriæ infinitæ simus futuri compotes? Quid ergo dicemus? Fingamus hic duos, qui ex vtroq; genere, hoc est, vtroq; ex itinere, ante illud terribile summi iudicis tribunal sint constituti: quorũ causa cognoscatur & expendatur, quò vel damnatoria in eos sententia vel salutaris iure ferri possit. Interrogabuntur fuerintne Christiani? Fuisse ambo dicent. Recténe crediderint in Christum? vtriq; pariter respondebunt, Næ. Quid autem crediderint, aut quo modo crediderint cùm explorabũtur (nam hæc de fide recta cognitio, illam quæ est de vita & moribus antecedit) cùm igitur ab eis exigentur rectæ fidei confessio: dicet ille quidem qui in Catholicæ Ecclesiæ gremio & disciplina fuerit educatus. Ego cùm institutus essem à parentibus meis, qui & ipsi à patribus suis & auis acceperant: vt cunctis in rebus Catholicæ Ecclesiæ essem obsequens, eiusq; leges, & monita, & decreta, tanquam a teipso, Domine Deus, lata, obseruarem & colerem: cumq; omnes eos ferè, qui in Christiano nomine censerentur, quiq; & nobiscum, & ante nos, longè & latè per orbem terrarum tua signa essent secuti, in eadem sententia esse & fuisse animaduerterem: vt cuncti matrem fidei suę hanc ipsam Ecclesiam agnoscerent & venerarẽtur, & ab eius pręceptis constitutisq; discedere sacrilegij instar putarent: in hac eadem fide, quam Catholica seruat docetq; Ecclesia, probare tibi me studui. Et quanquam venerant homines noui, scripturas multum in ore & manibus habentes, qui noua quędam commouere, vetera labefactare, Ecclesiam redarguere, obedientiam quam illi nec omnes prębebamus, eripere nobis & extorquere conarentur: in eo tamen constanter manere volui, quod à patribus meis, & à cõmuni sanctissimorum doctissimorumque patrum consensu, iam inde antiquitus in Ecclesia fuisset & obseruatum & traditum erat multorum quidem pręsidum hominumq; Ecclesiasticorũ, præsentes mores essent ij, qui mihi stomachum mouere possent, quibus tamen nõ sum à sententia deductus. Ita enim constitui, eorũ pręceptis, quæ certè sancta erant, obtemperare me debere (sicut tu Deus in tuo Euangelio pręceperas) vitæ autem & gestorum te vnum iudicem esse oportere. Præsertim cùm ego quoque, his tot peccatis, quæ in hac mea fronte en tibi manifesta sunt, commaculatus atq; infectus, aliorum dignus iudex esse non possem. Pro

quibus

quibus nunc adsto ante tribunal tuum, non seueritatem tuam, clementissime Deus, sed misericordiam potiùs & placabilitatem implorans. Dixerit hoc modo iste causam suam: Citabitur alter, comparebit. Imperabitur illi vt dicat. Hunc habebit exorsum orationis suæ (fingatur enim de illis vnus esse qui sunt aut fuerunt dissensionum auctores: melius enim credo tutabitur iste causam suam, qui se doctorem cæteris ad deficiendum ab Ecclesia fuerit professus) Mihi, inquiet, ô summe Deus, intuenti mores hominum Ecclesiasticorum vbique ferè corruptos, & sacerdotes nihilominùs religionis gratia, in honore omnibus esse cernenti, operique illorum iniquo animo ferenti: iusta (vt puto) iracundia animum inflammauit, vt me illis aduersarium constituerem: cumque respicerem meipsum, qui tot annos operam literis & Theologiæ dedissem, non tamen habere eum in Ecclesia locum, quem labores mei meriti essent, multos autem indignos ad honores & sacerdotia extolli perspicerem: ad eos (fateor) insectandos me contuli, quos tibi quoque ipsi minimè placere & satisfacere sum iurus. Et quoniam eorum potentiam reuellere non poteram, nisi obtererem priùs leges ab Ecclesia latas: populi magnam partem induxi, vt ea Ecclesiæ iura contemneret, quæ diu aut rata inuiolataque fuissent. Quæ si in conciliis vniuersalibus fuissent decreta: conciliorum auctoritati non concedendum esse dixi. Si instituta à priscis patribus & doctoribus veteres patres vt imperitos & bonæ expertes intelligentiæ sum criminatus. Si per Romanos Pontifices, eos sibi astruxisse tyrannidem, & falso nomine vicarios se Christi dicere affirmaui: omnibus denique modis contendi, vt hoc tyrannicum Ecclesiæ iugum, quæ cibos interdum prohibet, quæ dies seruat, quæ confiteri nos vult peccata nostra sacerdotibus, quæ vota impleri iubet, quæ homines in te Christe liberos tot seruitutis vinculis alligat, à nobis cuncti qui te colimus, excuteremus: solamque fidem in te, non etiam bona opera, quæ maximè extolluntur & prædicantur in Ecclesia, iustitiam nobis & salutem parere confideremus. Cùm tu profectum pœnam pro nobis pependisses tuoq; sancto sanguine cunctorum delicta & scelera deleuisses: vt nos hac vna fide in te freti, liberius deinde agere quęcunq; nobis libuisset, possemus. Scripturas etiam ingeniosiùs sum perscrutatus quam veteres illi: ac tum quidem maximè, cùm aliquid quęrebam in eis, quod cōtra istos detorquere possem, qua etiam doctrinæ & ingenij opinione, apud populos famam & existimationem nactus, totā quidem Ecclesiæ auctoritatem euertere nō potui: magnarū tamen seditionū in ea, & scissionū fui autor. Hæc vbi iste dixerit, & verè dixerit (neq; enim mentiendi apud illum cœleste iudicem est occasio) tametsi multa idē de ambitione sua, de auaricia, de studio popula-

pularis gloriæ, de fraudibus & maliciis inteſtinis, quæ inter
agnoſcat, in ſeſe reticuerit, quæ tamen illi, prima ipſa in fro
apparebunt inſcripta: Quod tandem, ô Gebennenſes fra
mei, quos ego in Chriſto, & in Chriſti Eccleſia vnanimes me
habere opto, non ſolùm de his, ſed comitibus aſſectatoribus
eorum, iudicium fore exiſtimatis? Nonne hic certè qui Ca
licam Eccleſiam fuerit ſecutus, nullum ſuum errarum in hac
aſſeret? Primùm, quia non errat, neque adeò errare potest
cleſia, cuius illa publica & vniuerſalia decreta atque omn
Spiritus ſanctus aſſiduè gubernat. Deinde etiam ſi erraret
erraret (quod tamen creditu & memoratu eſt nefas) nullus
quidem ſuus exprobraretur error, qui ſincero animo, & pur
Deum humili, maiorum fidem ſuorum & auctoritatem
perſecutus. At iſte alter ſuo innitens capite, neminem hab
veterum ſanctorum patrum, ac ne generalium quidem et om
bus Epiſcopis conuentuum, quem honore dignum puter, cu
ducat animum cedere & obtemperare, omnia ſibi arrogat, a
obtrectandum magis, quam ad diſcendum, docendúmue pa
tus: cùm à communi Eccleſia deſciſcit, quem reſpicit port
fortunarum ſuarum? quo propugnaculo confidit? quibus ap
Deum aduocaris fretus eſt? vt non grauiter debeat meuere, ne
ctum ſe iri in tenebras exteriores, vbi erit fletus & ſtridor de
tium, hoc eſt, vbi miſerias ſuas perpetuò defleturus, & contra
metipſum dentibus increpiturus ſit: quòd cùm poſſet, ſi id fo
duiſſet, illam acerbiſſimam vitare calamitatem, id facere neg
xiſſet. Quam porrò infauſti & incommodi comites traducend
vitæ ſint mœror & furor, vnus per ſeſe quiſq; ſatis poteſt intel
gere: præſertim cùm illiuſmodi mali atque damni nullus fin
rus vnquam finis ſit, nulla determinatio, nunquam ibi plora
nunquam deſinatur iraſci. Atqui ſi reliqua iſtorum omnia al
quo tamen pacto perferri & tolerari poſſent, hoc quemadmo
dum ferretur (in quo mihi videtur ne ad ignoſcendum quidem
illis, locum vllum veniæ & miſericordiæ apud Deum dari poſſe
quòd ſponſam hi Chriſti vnicam diſcerpere ſunt conati, quæ
tunicam illam Domini, quam prophani milites diuidere nolu
runt, iſti auſi ſunt, non diuidere ſolùm, ſed lacerare? Quot enim
iam, iſtis initium facientibus, ſectæ Eccleſiam diſciderunt, ne
que cum iſtis congruentes, & ipſæ inter ſe diſcordes? quam
nifeſtum eſſe falſitatis indicium, omnis doctrina confirmat. Ve
ritas enim vnica ſemper eſt, varia autem & multiformis eſt fal
tas: & ſimplex quod rectum eſt, multifidum quod obliquum
Sed huiuſmodi ſciſſiones, huiuſmodi ſanctæ Eccleſiæ diuiſ
tionem, poteſtne quiſquam Chriſtum agnoſcens & confitens,
& cuius aliquando menti atque cordi Spiritus ſanctus illaterat,

non

nos intelligere, Satanæ, & non Dei propriam operationem esse? Quid imperat nobis Deus? quid præcipit Christus? Nempe vt vnum omnes in ipso simus. Quò datum est nobis è cœlo atque Deo illud singulare & præcellens charitatis donum, quod Christiani duntaxat generi, non cæteris gentibus diuinitus infusum est? Nonne vt omnes vno corde & ore Dominum confiteamur? An affirmantur isti Christianam religionem aliud omnino esse, quam pacem cum Deo, & cum proximo concordiam? Videamus quid ipsemet loquatur in Ioanne Dominus, patrem suum pro discipulis deprecans. Pater sancte, serua eos in nomine tuo quos dedisti mihi, vt sint vnum sicut & nos: non pro his autem rogo solum, sed & pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me, vt omnes vnum sint, sicut tu pater in me & ego in te, vt & ipsi in nobis vnum sint, vt credat mundus, quòd tu me misisti: & ego gloriam, quam dedisti mihi, dedi eis, vt sint vnum, sicut & nos vnum sumus, ego in eis & tu in me, vt sint perfecti in vnum. Videtis, fratres dilectissimi, & in clara Euangelij luce discernitis, quid sit verè esse Christianum, cùm fides in Deum nostra, cùm Dei omnis gloria, quæ & ipsius apud nos, & nostra apud eum esse possit, in hac solùm re nos vnitate consistat: cùm hoc vnum requirat & postulet à nobis Christus, isque suos in hoc labores, suas ærumnas, hanc susceptam pro nobis humani corporis fragilitatem, suam crucem, suam mortem, sic fructum allaturam sibi putet, & ad gloriam patris, quam maximè expetebat, & ad salutem nostrã, pro qua emoriturus: si nos inter nos, & in ipso fuerimus vnũ. Atqui hoc semper laborat, hoc adnititur Ecclesia Catholica, vt sit concors nobis, & in eodem spiritu vnitas: quosque homines aut spatia disiungunt terrarum, aut interualla temporum, quòd coire in vnum corpus omnes non possunt: eos vnus tamen spiritus, qui vbique idem semper est, & foueat & regat. Cui quidem Ecclesiæ Catholicæ & Spiritui sancto, hi se aduersarios è regione ponunt, qui vnitatem frangere, qui varios spiritus immittere, qui consensionem soluere, qui tollere concordiam de Christiana religione conantur, tanta cupiditate, tanto studio, tot machinationibus & artibus: vt eorum solicitudinem & anxietatem nulla satis dignè exprimere oratio possit. In quos ego quidem id non imprecabor, vt disperdat Dominus vniuersa labia dolosa, & linguam magniloquam: neque item, vt addat iniquitatem super eorum iniquitatem: Sed vt conuertat eos, & ad spiritum bonum reducat, Dominum Deum meum supplex rogabo, sicuti rogo. Vos, & oro, & hortor fratres mei Gebennenses, vt, discussis aliquanto ab oculis mentis vestræ erroris nebulis, & patefacta luce, ad eum illud oculos attollentes, quod perpetuam patriam vestram, & in vnitate Ecclesiæ manseritis, proposuit vobis Deus: re-

dire in concordiam nobiscum, & fidele obsequium præstare
tri nostræ Ecclesiæ, colereque Deum in vno nobiscum
iam velitis. Nec si mores nostri vobis forsasse displicent,
rundam culpa splendor ille Ecclesiæ, qui perpetuus & inco
minatus esse debuit, aliquando sit obtusior: vestros id ani
moueat, aut in diuersam & contrariam trahat partem. Odis
sitan personas nostras potestis (si id ab Euangelio conce
doctrinam certè & fidem habere odio non debetis, scriptu
enim, Quæ dicunt, facite. Neque verò nos aliud dicimus,
quòd nostram vestræ salutis cupiditatem vobis indicamus
à vobis, Gebennenses charissimi, in bonam partem fuctu
pta: si me amantissimum vestri gratis animis audieritis
nitebit vos profectò, & apud Deum recuperatæ prisstinæ
vestræ, & apud homines laudis. Ego quæ meæ partes sunt,
beneuolentia erga vos mea mihi præscribit, assiduus ero ad De
pro vobis deprecator: meo quidem ipse indignus vitio, sed
tan charitas efficiet me dignum. Tum autem quicquid vo
possumque, etsi id quoque paruum admodum est, sed si qui
in me ingenij, consilij, autoritatis, diligentiæ, id ita vobis
& vestris opportunitatibus defero: vt pro magno meo com
do habiturus sim, si vos aliquod ex me commodum fructum
meæ operæ & laboris & in diuinis rebus & in humanis percep
potueritis. Extremum est, vt vos orem, vt eum nuntium quem
vos cum his literis misi, ea comitate ac benignitate accip
quam & humanitas vestra, & ius gentium, & inprimis Christ
manſuetudo postulat & requirit: quod vobis honestum,
tautem vehementer futurum est gratum. Deus vos dirigat,
propitiùs tueatur, fratres charissimi. Carpent. XV.
Calend. Aprilis, M. D. XXXIX.

FINIS.

IACO-

IACOBI SADOLETI DE LIBERIS RECTE instituendis LIBER.

IACOBI SADOLETI AD GVlielmum Bellaium Langæum, De liberis rectè instituendis LIBER.

EVRIPIDIS est, in Andromacha opinor, non tam formam fœminæ, quàm virtutes esse quæ delectent coniugem. Te verò Gulielme Bellai, optime amicorum omnium, quanta oportet affici voluptate: qui eam vxorem nuper duxeris, cuius ad egregias animi virtutes atque dotes species ac forma adiuncta sit, digna electissimis moribus: quos habuit quidem illa vnde disceret, nata in familia nobilissima, & in eis educta quotidianæ vitæ consuetudinibus, quæ splendorem & elegantiam optimi generis apprimè redolerent. Sed tibi certè contigit ex tui animi sententia, vt talem haberes, qualem semper optasti. Nam cùm etiam tu antiqua nobilitate, & claris maioribus procreatus, plura, ac multò præstantiora ornamenta tibi ex virtute acquisiueris, iis quæ à natura & à fortuna multa ac magna accepisti. Sanè fuit æquum, vt sociam thori, atq; vitæ eam tibi adiungeres, cuius ingenium & virtus tuis humanissimis moribus responderet. Maximè autem in hoc laudando FRANCISCI Regis nostri sapientia est, & consilium summo præcipe dignum, qui quod cæteri ferè in equis & canibus, ipse præcipue in viris facit, vt prouidentiam omnem adhibeat, quò exspectatis vtrinque generibus electi in hoc sanctum fœdus matrimonij conueniant, vt ex bonis parentibus nascatur progenies, quæ postea & Regi, & patriæ possit esse vtilis. Etsi in eo præterea necessaria esse disciplina quædam videtur, quemadmodum domi atque instrui debeant pueri atque adolescentes. Quo de genere nos, cùm nuper nescio quid conscripsissemus, viam patri-

bus, & rationem ostendere conati, qua bene atque ingenuè e
dire liberos possent, statuimus tibi deferre hoc munus, qu
futurum esset monumentum nostri in te amoris: & si tu mu
omnium huius quidem præceptionis indigeas. Quis enim e
instituendis rectè liberis scribere aliquid volens, qui non pl
& potiora domi vestræ huiusce generis documẽta reperiat, qua
ipse ad instruendum alios possit afferre? In quo sæpe solitus
mirari parentis vestri felicitatem, an virtutem, an verius du
vtrumque: qui cùm plures sustulerit, aluerit q. liberos, sic eos
mneis æqualiter artibus optimis, & præclarissimis moribus exp
liuit, vt cuncti ex eadem quasi forma humanitatis, simul ac fin
tatis conflati, & quodam modo excusi esse videantur. Sed cum
non inacceptum tibi fore hoc animi mei studium sum arbitra
quod & iucundum amicitia, & opportunũ recens tuum coniug
facturum sit: E quo Deum immortalem precari non desino, vt
gignere prolem eam contingat, quæ paternam & auitam mihi
imaginem in omni posteritate possit prorogare. Verùm vt ad
psum iam sermonem de liberis rectè instituendis veniamus. Cùm
sederem olim in meridie domi otiosus, nescio quid tum de mei
studiis cogitans, accessit ad me Paulus Sadoletus, adolescens hac
quàm deditus studiis honestissimis, quem ego fratris filiũ, trad
tum mihi à patre, in filij educans loco, omnibus cum instrum
contendebam & literis bonis, & moribus. Quem tamen labores
leuem mihi & iucundũ faciebat, cùm summum eius ingenij, tum
voluntas natura & consuetudine iam ad omnem optimã partem
rationemq; propensa. Is tunc cùm introiisset ad me aliquanto
temporius quàm solebat (erat enim tempus diei certum constitu
tum, quo audiebat quotidie de me Aristotelis Ethica) sic eum in
terrogare ingressus sum. IACOBVS. Quid est Paule, quod te hac
tam maturè? num te fefellit hora? aut aliud quid fortè apporta
noui? PAVLVS. Nihil quicquam magnoperè Patrue mi, dum
non tam huius quæ in corpore fit, quàm sanctioris animo ge
nerationis & meæ pietatis erga te propriũ nomen quæritur, iu
gè iustius mi Pater. Sed ego ad te accessi prudens aliquanto ma
turiùs, nõ ipse aliquid apportans noui, sed expectans possim a te
IAC. Quid istuc quod expectas? age, exprome, nihil enim recu
studio tuo abnuet vnquam voluntas mea. PAV. Scio ego istuc, e
iam te tacente, mi Pater: facilè enim mihi declarat res ipsa. Ita
modò percunctanti mihi cùm cubicularius dixisset otiũ tibi,
non inopportunum sum arbitratus petere à te, vt de instituen
rectè adolescentia ea mihi in vnum præcepta componeres, qua
sparsim & intercisè sæpe edere es solitus: cupio enim habere me
cum tanquã commentarium præceptionum huiusmodi, e quo
pse me conformare ad virtutẽ possim, vt talis fiam, qualem me
esse

esse vis. Sed hoc nisi molestum est, & si nõ aliud quid anteuertendum putas. IA. Mihi molestum? aut aliud quid anteuortam? an est quicquam omniũ rerum quod malim, quàm te & optimum, & doctissimum esse? Sic enim puto te hoc quærere, vt quod & ad bonos mores attinet, & quod ad literas bonas, totum tibi id à me explicari cupias. PAV. Istud ipsum est quod ego cupio. IA. Atqui Paule si tem tractare, & exequi ordine suo volumus, ab ipsa pueritia exordiendum est. Nemo enim institui rectè potest adolescens, qui nequiter fuerit eductus puer: nã vt radix indolem ingeniumque arboris, sic bene moratam & compositam adolescentiã puerilis ipsa producit. Hoc primũ tempus ætatis, quod imprimis lubricum est, atq; anceps, minimè est omnium legibus, his quibus nunc vtimur, animaduersum atq; tractatum, neq; adhibita cura, vt id publicè excolatur, cùm maximè in eo vno ciuium boni mores, & ciuitatum salus constituta sit. De actionib. & controuersiis inter sese ciuiũ accuratè iura constituta sunt: in quo autem fermè sunt omnia, de genere vitæ eligendo, de educatione liberorũ, de officio parentum, de virtute, de moribus, quas quemq; sequi artes, & quas reijcere conueniat, mirum silentium est, pręterquã si qua sunt Pontificio iure ad doctrinã virtutis ac religionis pręcepta inuentuti, vel generi potiùs certo, iis videlicet qui sacris initiati sunt, nec tamen ea ordinatim, neq; à pueris, vt potiùs innuisse pręclara quędam, quàm diligenter exposuisse videantur. Gręci diligentiores: nec tam in agendo pręcipiendoq; ea quæ sunt virtutis: in hac enim laude nulli omnino nationi neq; generi prisci illi maiores nostri concessere: quod veterum rerum monumenta perspicuè indicant, quàm in conseruando & tradendo posteris ea quæ optimè essent statuta. Cùm apud nos & XII. tab. lex totius æquitatis ac iuris seminarium, & vetera omnia plebiscita, S. consulta, magistratuum edicta, nouorum iurisconsultorum infinita quadam vbertate & redundantia iam diu offusa & obliterata sint. At mehercule apud Græcos non modò Draconis ac Solonis veteres quamplurimæ leges, verùm etiam Lycurgi rhetræ, vt illi appellant, conseruatæ perquàm diligenter sunt. Quod eò est miserabilius, quòd ille bonam partem legum suarum, non in tabulis, sed in mentibus atq; animis ciuium suorum inscripserat, vt vsu, non scriptura perdiscerentur. Redeo ad Solonem, cuius legibus sic ad vnguem & propè curiosè omnia perscripta sunt, quod ad educationem quidem attinet puerorum, nihil vt omnino, quod ad eam spectet rationem, omissum sit. Est enim ille quæcunque etiam minima tenuissimè persecutus, qua de gymnasiis, qua de pęlagogis, quota diei hora, quosq; ad ludi magistros veniendum esset, quo etiã vestitu & comitatu incedendũ: ac ne illud quidem pręmissum, vt cùm procederent in publico, intra pallium ma-

nus continere deberent. His, vt mea opinio & coniectura fert, ne-
quaquam indiligentiùs maiores nostros illos veteres accurati-
se, quæ ad disciplinam iuuentutis facerent, existimandũ est: nam
& illæ in campo quotidianæ exercitationes hoc declarãt, & tem-
pus militiæ pręscriptũ, & gerendi mutandiq; vestitus diuisa tem-
pora, cùm à prętexta ad togam puram, inde ad togam virilem
transitus estet, quęq; huiuscemodi multa, non tam ex antiquis le-
gibus, quarum scriptura interiit, quàm ex annalium monumentis
& rerum gestarum historia seligere licet: quibus promptũ est ad-
gnoscere, ex illis disciplinæ bonæ seminibus, atq; illa tanquam
noualium ægrorum, sic recentium animorum diligente cultura,
eas virtutum & morum optimorum fruges fuisse effusas, quibus
prisca ętas redundauit. Nos ista contemnimus scilicet, curamque
penitus liberorũ parentũ permittimus arbitrio. Ast quotusquisque
est qui sapiat rectè? & aut liberos studeat effici quam optimos,
aut etiam si id velit, nouerit tamen modum & viam instituendi:
nónne ignaris plerunq; hominum mentibus lumen à legib. pro-
ferri oportuit, quo & volentes docerentur, & cogerentur tantum.
Nunc in hac perturbatione vitæ atq; morum, mihi venit in mea-
tem canticum illud quod vsurpatum olim apud veteres, cùm esset
laus iam priscorum temporum vnà cum Rep. & libertate Pop.
Rom. profligata, nostra ætate instaurari video. PAV. Quodnam
id est? IA. Aetas parentum peior auis, tulit nos nequiores, mo-
daturos progeniem vitiosiorem. PAV. Iam memini Horatium.
IA. Iam illud maximum vinculum in legibus Solonis, ad conti-
nendos patres in officio, atq; vti liberorum curam secundũ præ-
scriptum legis gererent. Quandoquidem, si prætermisissent, &
vel auaritia vel scelere compulsi violassent sententiam legis ad-
ducandis atq; instituendis liberis suis, propositæ erant pœnæ, &
grauis iudicij metus, ad quod eos adduci à quolibet volente, &
nomẽ deferri illiusmodi patris licebat: legitima quoq; illis adem-
pta, quæ naturæ lege quadã atq; humanitatis patri debeat filius
nam neq; colere illum talem cogebatur, nec reuereri, nec sustin-
tare suis opibus egentem aut debilem. Deniq; qui parentis boni
officio in filium vsus non esset, in eum noluit lex vllum à filio pie-
tatis & grati animi officiũ sua autoritate extare. Illud vnum excu-
pit, sanè quàm humanè, vt defuncto eiusmodi patri, iusta tamen
filius faceret: cùm in eo nõ vllum commodum ageretur parentis.
Sed illa pietas naturæ, ipsiq; humanitati debita redderetur. Sed
quorsum hęc? vt intelligas Paule magnam huiusce primæ ætatis
curam rationemq; ducendam esse, à sapientissimis fuisse iudica-
tum: vt quæ vestibulum quodammodo vitæ sit, totamq; annorum
consequentium quasi formam quandam & ædificationem pręfe-
rat. PAV. Sanè persuasum mihi habeo optimo hęc ab illis consilio
insti-

futura fuisse, quæ & rationem bonã in sese habeant, & egregiam
cæteris omnibus vtilitatem afferre videantur: quò etiam magis
cupio explicari mihi ea à te, & sub vnum quasi aspectum pue-
ritiam cum adolescentia constitui: non enim mihi hoc soli, sed
pluribus fortasse erit emolumento. IAC. Benè ominaris Paule,
itaq; est faciendum: & quoniam omnium rerum bonarum prin-
cipia ab Deo immortali ducenda sunt, ambo eum venerantes ob-
secremus, vt volens & propitius adsit nobis, sibiq; grata, & reli-
quis vtilia iubeat à nobis proferri. PAV. Sic agamus. IAC. Est igitur
huius nostræ præceptionis ratio in duas diuisa partes. Altera in
moribus pars, altera in literis tota consistit. Mores pertinent eò,
vt quodcunq; fiet dicetúrue, habeat in sese modestiam quandam,
ordinemq; agendi aptum & conuenientem, in quo splendeat de-
coctum illud, quod non animos modò prudentium, sed imperito-
rum etiam oculos delectet, moueatq; necessariò in admirationẽ
sui. Literarum verò & artium earum, quas vocamus optimas, ea
vis est, atq; natura, vt quod caput in nobis est, atq; adeò quod ve-
rè & propriè sumus ipsi, id tanquam inchoatũ & rude acceptum
à natura, ad summã ipsæ dignitatem perpoliant, exprimantq; in
eo formam diuinæ illi similem. PAV. Par est præclarum mediusfi-
dius mi Pater, si quidem altera ex parte facit vt similes Deo simus,
ex altera vt videamur. IAC. Atqui Paule hoc tibi imprimis & ma-
xime animaduertendum est, hoc penitus tenendum & compre-
hendendum, nõ esse nos quod oculis cernitur hoc corpus, & hanc
compactam ex ossibus & neruis molem carnibus contectam, cute
vestitam: neque hunc vultum nostri primam imaginem, in quo
notare signa interiorum sensuum solemus, atq; animum penè i-
psum in eo noscere. Sed quo sapimus intus, & cogitamus, vnde o-
mnis est nobis ratio atq; consilium, hoc nos homines esse, factũ
ipsum quidem ad imaginem effectoris sui Dei. Sed obscurum per
se & languens, nisi scientiæ & literarum lumen accendat. Iam
quod dicebamus rectam educationem in literas & in mores dis-
tributam esse, rursus alia diuisione secandum est, quatenus qui-
dem pertinet ad mores: nam literæ continenti ferè cursu gradus
habent suos, quorum ex alio ad alium transitus fiat: mores diuisi
nec ratione solum, verùm etiam tempore. PAV. Quo pacto? IAC.
Non est eorum vnum genus, neq; simplex tractatio: Aliud enim
in moribus profectò est, quod aliena cura & ratione imprimitur
in nobis. Aliud quod à domestica mente atq; consilio nobis ipsi
conscisciimus. PAV. Quid amborũ vt diuisa tempora sint, nónne
via ac eadem est ratio? IAC. Quorũ alterum cum ratione est, alte-
rum nullam continet rationem, non potest amborum vna atq; ea-
dem ratio esse. PAV. Cupio mihi hoc fieri planius. IAC. Conabor
equidem, quod melius vt possim, simile tibi proponam, in quo

intueri imaginem meæ rationis possis. Dic ergo tu mihi, vidisti Romę Apollinē illū, qui in xysto positus ad hortos Vaticanos, exteriorem illam ambulationem, & omnem gyrum viridiorum exornat, cui proximum est Laocoontis simulacrum, ea quæ ... mus omnes artis præstantia & nobilitate? PAV. Amplum illi signum dicis & procerū, facie augusta hominis plus paulò quam adolescentis? quod tanquam sagittam emiserit ex arcu, diducto gestu brachiorum, videtur expectare, an quò intentum fuit ... eò perueniat: in quo lenes illi conatus motusque corporis, atque oris eximia pulchritudo, summam & opificis artem, & operis gloriam demonstrant. IAC. Illud ipsum. PAV. Et vidi sæpenumero, & contemplatus sum. IAC. Quæro ergo ex te, si ipse Iouis Apollo filius illa prorsus facie sit, ab eoq; in lapidem omnia descripta sint, oris, & corporis liniamenta, gressus quoque & motus, ... non voces, sonique verborum, ita vt nihil fieri possit similius, mētis verò & cogitationis nihil omnino intus sit, dixerisne tu vnam eandemq; rationem Apollinis in Deo & in marmore esse? PAV. Agnosco ὁμώνυμον. & simul venit in mētem imaginis illius, quam Nube caua tenuem sine viribus vmbrā in faciem Æneę finxit, nō tam Iuno suis manibus, quàm carmine maximus omnium Poëta. IAC. Optimum isthuc quidē, & ad id quod dicebamus etiā appositius: cuius ego in memoriam si rediissem, non habuissem necesse certare cū Polycleto, & tanquàm addere conari quæ ipsius statuarię arti deessent ornamenta: cum multò pręstantior ille Polycletus simulacrū cuiusmodi quęrebamus, omnibus absolutum & perfectum artis ornamentis, nobis effinxisset, sed simulacrum duntaxat, hoc est, quod non mente & voluntate sua, sed imitatione quadam solùm moueatur: quod ego te arbitror non eiusdē modi, neque vnius generis cum vero ipso Ænea existimaturum esse. PAV. Minimè verò existimem: iamq; intueri mihi videor, quæ sit vtriusque moris distantia, alter enim extrinsecus inductus est, & aliena ratione impressus, suæ expers rationis, tanquàm maximatus mos, veri moris simulacrum, & quędam quasi penicillo in aliena tabula ducta similitudo. Alter quem sua & propria ratio gignit formatq;, consultò istud agens, gnara muneris sui atq; officii eademque continet, quod in priore illo genere non accidit: ita hoc veritas est, illud veritatis adumbratio. IAC. Nunc mihi tu sapis, & veram insistis rationem, non enim in puero, neq; homine pueri simili, qui sit mentis suę & consilij inops, illa extrinsecus inducta moris imitatio, aut certi ordinis vim, aut virtutis proprium nomen habet. PAV. Assentior. IAC. Quin & vocabulis quoque ac nominibus rem distinctam esse video, quod extraneum illum morem disciplinam vocamus, proprium autem & nostrum, virtutem. PAV. Quid ita? IAC. Disciplina est, assuescere ad alienæ virtu-

tis

dit imperium virtus, ad suæ. PAV. Iam intelligo. Sed quid tandem illo more opus, ac non sua potius ratio ad informandum optimis moribus hominem in vnoquoque expectatur? IAC. Rem iacis Paule difficilem cognitu, iuuenibus præsertim, quos nondum ætas, vsus, & rerum multa cognitio edocuit, quanta sit consuetudinis, & quam propè ineluctabilis vis, quo etiam non conueniat, neque potest cadere in ætatem istam exacta illa & subtilis virtutis norma, quam etiam senecta ætate qui consequuntur, beati iure appellantur. Sed vobis pueris vel etiam adolescentibus scientiæ & cognitionis loco persuasio quædam tradenda est, vt credatis & pareatis maioribus natu, quos tamen existimatione hominum probari intelligitis: nihil enim in laude hominum, bona quæ opinione versari diu potest, quod abhorreat ab æquo atque vero. Quantum autem afferat ad virtutem consuetudo, vel ex eo potest iudicari, quòd quæ de virtute philosophia pertractat, ea non à consilio atque à scientia, sed ex more ipso appellata est moralis: non enim magis corpus tenerum in membris manu fingitur, atque componitur, quàm animus purus atque recens in eum discedit motum, in quo instituitur. Quemadmodum enim in stirpibus, seu hominum animis, quam diu molles hi sunt, atque tractabiles, quæuis facile inducitur forma: quæ si postea vsu & die eallum obduxerit, fit propè immutabilis. Cum autem illud incommode natura paratum esse videatur, vt tantò ante in animis nostris cupiditates rationem anteueniant, omni ope curandum est, vt extraneæ interea cogantur obedire rationi, dum sua & domestica aduenter ratio, cuius tanquam legitimæ dominæ imperium libentius deinde exequantur: nam si quoad illa abest, nullius coercitæ, regnum sibi in animo vindicare conatæ fuerint, & cum libuerit omnia ad voluntatem gerere, næ frustra post reclamabit, & aduersus illas nequicquam contendet ratio. Ac vtut, quanquam adhuc penè puero (annum enim modò ætatis vndecimum attigisti) aliquid tamen aperiam de opere ipso, ausimque naturæ, quando studium me tuum & ingenij bonitas inuitat. Sic habeto, duas in homine esse animi partes, dissimiles earum inter se, & fermè repugnantes: vnam rationis, alteram cupiditatis: harum partium ratio perspicax ex sese est, & luminis particeps, mentisque habet oculum cernentem clarissimè atque acutissimè omnia: cæca, & luminis penitus expers est cupiditas. Porrò harum partium vtrique consiliarij sui adsunt bini: in suadendo vnus, in dissuadendo alter. Rationi quidem ipsi atque menti, honestum & turpe: Cupiditati, iucundum & molestum. Hi cuncti numero quatuor, cum cõtubernales sint, & in vnis cõmorentur ædibus, si non cõsentiant & congruant inter se, sed sint turbulenti atque discordes, quas tu ibi rixas atque pugnas, quos

perturbationum motus, quantos fluctus seditionum inesse p
tas? cùm aut tanquam turpe repellit ratio, quod sibi iucundu
cupiditas adsciscit: aut cupiditati molestum est, quod ratio ho
cat honestum: clamores intus assidui scilicet, tumultus, grau
Quæ est igitur vera ratio bene viuendi? hæc nimirũ, vt scie
quet cupiditas, & componat rationi, suumque iucundum cu
illius honesto, & cum turpi molestum coagmentet, & confirm
quod assuescendo maximè, & agendo, commode fit: nihil enim
tam iucundum, quàm illud in quo assueueris, esse potest: hoc
tu in tuis sodalibus ac socijs, nec non in eis locis in quibus ei
tus, studiisque quæ pertractas facilè per te potes Paule existim
re, à quibus si quis te auellat, conuertatq; ad familiaritates hom
& ad alia studia, molestè accipias, quod insolitum & inusitatum
morem odiosum ducas: ad consuetum verò cum voluptate de
bare. Quod tantum habet consuetudo & inconsuetudo virtu
vt altera effectrix iucundi sit, molesti altera. Cùm itaque sic ha
beat res, contendendum est omni studio parentibus, vt liberos
teneris rectè doceant assuescere. Quanquam enim mos iste alie
na cura impressus, non vera virtus est, sed simulacrum imitatio
virtutis: tamen, quemadmodum de Pygmalionis mulieb. sig
tua in fabulis traditum est, processu temporis euenit, vt Deorum
aliquo beneficio, in spiritum & vitam veræ virtutis transeat. PAV.
Ni te à primo aliud percontatus essem, libenter paterer te hunc
diem totum in his sermonibus ponere: ita cùm perpulchra sint
ista quæ narras, tum mihi quidem vehementer iucunda. IAC. At
qui iucundiora multò tibi erunt Paule, cum re ipsa experieris ita
esse, & quæ nunc auribus & cogitatione tua concipis, etiam vi
intelligentiaque percipies, à quibus tamen ingenium tuum tam
propius abest, quam ætas: finxit enim te natura ad studia virtu
tis aptum. Cura etiam accessit patris tui primùm, deinde nostra
Proinde iactis præclare adolescentiæ tuæ fundamentis, tua reli
qua est contentio, vt spei laboriq; nostro, aliorum quoque ex
pectationi, quæ multa de te excitata est, studio & diligentia &
omni virtute respondeas. PAV. Incensus amore sum mi Pater,
cùm sponte mea, tum tuis imprimis monitis & hortationibus in
citatus, ac magis etiam aliquantum, postquàm sum à te in Græ
cæ linguæ cognitionem, & philosophiæ studia inductus, ex qui
bus quidem dici non potest, quot & quantæ ad animum meum
perueniant voluptates. IAC. Macte virtute, taleis enim animos
haud est difficile rectè instituere, tanquam autem si omnes cæte
ri eodem animo sint, sic nos ad educationem pueritiæ primi, ac
deinceps adolescentiæ aggrediamur. PAV. Quid si non sint eo
dem pater, & naturam difficilem, minusq; aptam afferant: IAC.
Meministi, opinor, quod à tuo Poëta de labore est dictum. PAV.

Qua

Quis ille labore improbo vinci omnia affirmant, id fortasse dicis. IAC. Dico enimuerò: verùm & illud quoque quod in communi prouerbio fertur, vsum fieri alteram naturam. PAV. Fertur quidem, atque imprimis. IAC. Veruntamen sic habeto, si natura minus idonea sit, posse quidem euinci labore atque industria, vt is quicunque ille fuerit, sub disciplinam bonam datus, minus incommodis euadat, nulla insigni re ad turpitudinē notatus: præterea autem illam speciem, decusq; eximiæ virtutis, nemo poterit omnino sine initiis naturæ, & naturalibus quasi seminibus acquirere. Quæ cum ita sint, nobisque id optandum sit in puero, in quo naturæ est potestas, non nostra, ingenium bonum videlicet, quid obstat vt non id optemus quod sit commodissimum, quodque item de genere, & fortuna, & conditione eius quem instituendum nobis est dicendum, vt sit honesto genere, bonis parentibus, bene fundata familia, legitimo coniugio procreatus: non quòd cæteris, quibus cuncta ista non adsunt, sit interdicta ad virtutem via: sed quoniam his certè qui à talibus principiis proficiscūtur, magis expedita sit & planior. Prudenter enim Græcus Poëta, cum exitus generis non bene statuta sit, fermè progeniem inhonestam prædicat sequi: & reuera illud altum & fidens & liberum in animo, contrahat sese & minus audeat necesse est, cum est genitus probris in parentibus ipsis notatum. Nato igitur puero, nam quoad materna aluo continetur infans, & si quædam de exercitatione corporum, ac de quotidiani victus disciplina matribus præcipi non inutilia possunt, tamen quoniam ventrem non omnes æqualiter ferunt, suntque aliæ alijs magis imbecilles, natæ illius temporis sit cura potius, quàm patris. Natum enim infantem curare protinus debet pater, vt vberibus matre præsertim suis alat, & propter cognationem sanguinis, & quod ea res nō mediocre vinculum adiungit amori: in quo enim plus laboratur, id cùm perfectum fuerit, plus etiam diligitur. Vtensi aliquo casu nutrix fuerit adhibenda, deligere oportet vnam, quæ sit moribus casta, ingenio prouidens: vt enim affici animum etiam nostrum, non corpus solum, eis cibis cernimus, quæ à nobis quotidie sumuntur: sic lac ex eo corpore haustum, quod temperato regitur animo, animi ipsas illas qualitates in infantis naturam non minimum defert. Prouidere autem oportet, ne aut asperior in puero tractando nutrix sit, neue rursus quam fuerit æquum, blandior: obrepit enim mos ex illo vsu non quotidiano solum, sed singularum penè horarum & punctorum etiam temporis, in naturam pueri, vt vel asperitate perterritus demittat animum, atque illiberalem quandam timiditatem contrahat: vel si blandimentis nimiis fuerit corruptus, non queat deinde diutius in vna voluntate consistere. Sed cum omnes

omnes ipso initio vitæ protinus nati ad fletum & vagitum
quasi præsagiente natura fortunam humanæ conditionis, q
miseriarum plena est, non dubium est per oculos & aures
tium, tanquam rudes rerum omnium, & penitus insuet
nes adlabi ad animum etiam in somnis, quæ eum concuti
terreant: quòd, vt iam diximus, omne inusitatum ferme m
stum accidit, atque inde illis assidui fletus excitentur: cui m
medio est assidua vectatio, & nutricum cantus, atque vt vi
bus & in affatibus familiarium infans assuescat. Ac vectatio
dem maximè in omnem partem est salubris: nam & confir
corpus, & animũ illis terriculamentis liberat: motu enim
no interiorem illum motum, vmbratilemque vincente ac
pante, sensionum impulsiones illæ hebetantur: ob eamque
sam & cunæ repertæ sunt, quasi natura ipsa commonstrante
conueniat agi, & gestatio in vlnis puerorum assidua. Quare
da opera est, quoad eius fieri potest, vt quę pueros fœminæ alu
habitent tanquam semper nauigantes. Cantus verò eam vim
bet, vt non modò turbatos sedet animos, sed sæpe etiam furo
tes, sicut in Corybantibus fit manifestum. Iam cum ad id ætat
fuerit ventum, vt puer concipere iam verba, & auscultare ma
tius loquentium sermones incipiat, tunc maxime patrem ma
dere oportet, & circumspicere familiæ disciplinam, ne quod m
pe verbũ, aut impium erga Deum ad aures pueri allabatur: ne
quis gestus obscœnior in oculos incurrat. Ac matris tum quidem
etiam præcipua est curatio, illi enim in sinu, atque in vultu præ
puè hæret infans, ingredique ab ea & fari discit. Quapropter
ctare eum ipsa, ac gestare debet, ad templa, ad res diuinas, ad
miliarium matronarum colloquia atque conspectus, vt corpo
tos affinesque diligere iam puer, & eos discernere, atque distin
guere non de facie solùm, sed ipsis nominibus queat: nec eum t
men vllam in domum introduxerit, in qua non casta, & grauis
disciplina, vndique enim tanquàm à locis circumcirca salubri
bus salutares auræ, sic ab integris & sanctis ex omni parte mo
bus, afflatus bonæ disciplinæ in animum pueri influendus est.
Procedunt anni, fitque indies puer & animo & corpore vegetio
vt tanquàm idoneo in solo iam seri aliquid possit: nullum t
men est aut prius aut præstantius, nec quod vberiores ex sese fr
ges, aut vtiliores ad beatam vitam efferat, quàm insigere illi
intimos animi sensus & nomen, & cogitationẽ præpotentis De
vt eum incipiat & amare, & reuereri, a quo sibi omnia dari atq
donari quotidie audiat, quod commune iam est vtriusque pare
tis officium: quem enim ipsos viderit adorantes, & eos agentes
pro benefactis gratias, eiusque opem atq; auxilium in rebus du
bijs implorantes supplici vultu atque gestu, de eo iam ipse eam
opinio

opinionem concipiet, tanquàm quiddam sit, hominum, quos ipse nouit, & potestate & natura multò maius: præsertim si, vt fit, tum quid puer appetiuerit quod sibi flagitet dari, aut bullam, aut præ. etiam, aut quippiam simile, quod ad ingenuitatis & familiaris nobilitatis pertineat cultum, quotienscunq; dabitur, totiens Dei illud esse donum atque munus puero inculcetur, vt de principio amare condiscat, quem necesse est etiam timere, non timore illo seruili, is enim neque gratus Deo esse potest, neque ad innocentiam, veramque virtutem quicquam proficit. Sed ipso eo, qui cum amore ita coniunctus est, vt nequeat auelli: De quo diuinitus scriptum est in sacris literis: Timorem domini omnis sapientiæ initium esse. Et verè cuius in animo insederit iste Dei siue amor, seu timor, quando vtrumque in vtroque mixtum & copulatum esse dicimus, de eo nunquam extimescendum est, quòd ad malas vitæ rationes, quisquis ille est, penitus se dedat: quod in puero potissimum conandum est, vt hæc bona radix ad beatam vitam inuncans, in eius animo quàm maturissime, & quàm solidissime pangatur, dum vacuus locus est, neque alienis aut etiam contrariis animi conceptionibus propter nouitatem naturæ, atque ortus, mens etiam nunc occupata: cùm quæ primo & spatiose deposita sunt semina firmiter comprehendunt, nec stirpium adhuc multarum sylua in angustum coguntur. Atque humana quidem eiusmodi sunt, vt errare & labi quandoq; sit necesse: verumtamen si ista pietatis erga Deum puræq; religionis tanquam arbor intus adoleuerit, sicut inutiles herbas vmbrosis in locis nasci fortasse & virere contingit aliquandiu, maturescere quidem certe, & frugem ferre commodè non contingit: Sic omnia vitia quæ capitalia fuerint, hac demum religionis velut vmbra necabuntur. Atque hoc quod de Deo, & de religione in Deum dictum à nobis hoc loco est, sic primum est in puero & ante omnia curandum, vt nihilominus intelligatur in omnem id vitam pertinere debere: omnis enim profectò virtus, omnis dignitas, omnis vitæ iucundæ ac beatæ spes, in hoc vno studio præcipuè posita est, vt Deum & amare & vereri non desinamus. Sequitur altera puerilis animi cultio, posterior ea quidem illa quam modo diximus, sed cæteris longè antecedentior, vt pater qui filium suum alere atque educere ad laudem excellentis viri cupiat, talem sese illi ostendat ipse, qualem eum effici vult: non enim vlla hac esse potest præstantior disciplina. Neque hoc eò dico, quò non multa sint quotidie vitæ ornamenta adaugenda in pueris, quæ in parte fortasse non sunt: vt literarum, verbi causa, atque artium illarum quæ optimæ nominantur studium atque cognitio, aut iuris auilis, Pontificijue scientia, belli quoque & militiæ, si id ita contingit, exercitatio atque vsus, fieri enim potest vt pater horum

omnium

omnium expers parentum suorum culpa, vel etiam fortunæ e
stat ipse, quæ tamen in filio procuranda sunt: commune
est & à natura inditum in omnium animis parentum desider
vt filios relinquant meliores & clariores se, quod euenit
quodam naturali, neque magis filij, quam sui ipsius in vno
que, propter insitum & innatum studium perpetuandæ vitæ
ad cupiditatem rapimur immortalitatis: pater enim in filio
viuere, & transferre semetipsum in suam imaginem sibi videtur
vt aliqua in parte desint, ad quæ non amplius iam illa est
fundamentum tamen omnium in ipso est, bonus rectusque
videlicet, & cõstans ac grauis domi disciplina, de qua summa
nobis dicendum est, & hic locus totus continenti oratione
uiter comprehendendus: quandoquidem quæ ad literas &
nuas disciplinas attinent ordine paulò ante proposito, in
dum locum dicendi reiecta sunt. PAV. Et rectè quidem, nõ
difficile postea fuerit reuerti ad annos & pueritiæ primordia
sic fuerit opus: & ego nunc quidem hac parentum virtutis
quasi quadam in filiis delineatione valde delector. Sine quo
egregia & digna animaduersione ista res, siue quòd horum
ximam partem ego quoque in memet à vobis, quime alu
produxistis, expertus sum. IAC. Sit igitur hæc prima paren
proposita lex erga eos liberos, quos ipsi volunt ad virtutis
mam frugem producere, vt quales eos effici studeant, tales
videantur. Neque hoc tamen quod præcipitur à nobis facile
ctu admodum est: quod ei qui velit assequi, noscenda & tenen
est in rebus mediocritas: cuius vsus difficilimus, fructus
rissimus semper fuit. Verum si quis forte fuerit pater qui
ipse regendo filio idoneus, illum tamẽ cupiat in virtutem
adolescere, requirat magistrum aptiorem, cuius in disciplin
filium suum committat: satius est enim externis moribus
bum, quàm domesticis degenerem filium educari. Et hoc
factitatum sæpe à summis viris non legimus solùm, sed
mus ipsi: nisi forte Philippi regis Macedonum consilium
hendendum est, qui cum Alexandrum filium haberet
indole maximæ virtutis, quam res deinde ab illo gestæ
bauerunt. Tradidit eum à puero summo Philosophorum
teli instituendum. Sed nos quidem sic nunc ponamus,
parens ipse ad puerum instituendum atque erudiendum
sit, quod & sæpe animi ardore quodam efficitur, vt etiam
tea minus cogitauerit quæ ad eiusmodi vitam moderatam
grauem pertineant, amore filij incensus in eam curam
conferat. Adhibenda igitur, vt diximus, est mediocritas,
nihil vel specie præclarum, vel vsu iucundum
euius etsi integram, plenamque notionem sola

bet, attamen qui natura bona præditi, atque ingenio bono, laudem sibi adipisci ex virtute contenderunt, etiam absque philosophia aliquam aliquando in se imaginem huius omnium virtutũ dominæ mediocritatis haud ignobilem expressere. Hoc ex genere hominum sit pater: natura moderatus, virtutis ac dignitatis studio præcipuè flagrans, qui se totum in animum ingeniumque pueri per oculos & aures illius infundere studeat. Statim enim conjicit oculos puer in patrem familiæ, vt primum valere cogitatione incipit: attentiusque omnia illius dicta & facta intuetur, vt magnopere sit prouidendum, ne quem fingere ipsi atque formare ad omne virtutis decus cupimus, aliquo ex nobis eum dehonestamento potius inficiamus. Quoniam verò sensus oculorũ sensum audiendi anteit, priorque adhibet vim sibi à natura traditam, ponenda primum ante oculos filij species in patre est grauis vir, quæ in amictu, & omni motu corporis animique consistit, inque his rebus omnibus quæ domi geruntur quotidie, in quibus pater seruare vestitus consuetudinem eam debet, qua populus maximè vtitur, ita vti neque nimis vestimentis lautus, quod leuitatis neque rursus plebeius sit, aut sordidus, quod aliquando negligentiæ, sæpius autem ascribitur auaritiæ: motus verò animi sui ergo impetus, qui ab iracundia, ab aliqua molestia, ab amore, ab odio, à spe, ab inopinato gaudio, ab alicuius mali & calamitatis metu, à subitis tristium rerum nuncijs, à cæteris cuiusque modi affectibus, intestinisque pulsionibus feriunt animos & quatiunt, & de statu eos demouere conantur, ita sustentet & regat, vt appareat intuenti, motus illos animi quamuis incitatos & celeres, expectare tamen & morari rationis imperium: nec excurrere audere, nisi cùm, & quoad illà præstituerit: quo spectaculo quidem nihil cerni in rerum natura potest diuinius. Quid enim oculis hominum tam præclarum, tamque magnificum, atque in omni pulchritudinis dignitate tam eminens accidere potest, quã virtutem animi intueri moderantis motus, & cupiditates suas, easq; ad rationis normam apte dirigentis: qua consuetudine si à primo imbutus puer in parente ipso fuerit, næ ille egregiam sementem in animo conceperit futuræ in se præstantissimæ virtutis. Sed hanc modestiam & temperationẽ animi sequitur corporis in omni motu ac gestu quædam quasi tarditas: non ponderis illa, neq; lentitudinis, id enim plerunq; ignauiæ, & desidiæ potius est, aut etiam stultitiæ interdum, & stoliditatis. Sed quæ se ad illam interiorem grauitatẽ accommodet, eisdemq; & astringatur habenis, & laxetur, quibus regitur animus, vt cum eueniat interdum vt acrius aliquid agendum contendendumq; sit, manuum, pedumque celeritas, & vultus, vocisq; acrimonia, non interdicta nobis à natura, sed ab ratione intus atque consilio ad vsus necessarios

ſarios reſeruata fuiſſe videatur. Hoc, vt dixi, quod eſt ipſius vi
quaſi decorum quoddam, ornans illam totam atque illuſtra
noſſe quid quacunque in re deceat, & quando & quatenus, ma
mè quidem comprehēditur & perficitur ex philoſophia: quæ
facit, vt ſit ipſum ſibi vndique, & in omnem vitam ſemper
ſentiens: ſed plurimum etiam ætas, & rerum multarū vſus aff
& in humanis euentibus quid plerunq; acciderit, & accidat, di
gens animi aduerſio, quæ & philoſophiæ ipſi materiam inſti
mentumq́ue ſuppeditat, & ſola ſine philoſophia in homine ac
to natura, atq; probo, ſpeciem poteſt effingere viri ſapientis: q
nam autem ac perfectam ſapientiam nequaquam poteſt. Debet
autem paterfamiliæ cùm ſemper animum ſuum habere in pro
ſtate, tum verò cum præſente filio aliquid eiuſmodi contingit, in
quo videatur debere commoueri, aduocare meminerit cōſilium
rationis: neq; ſolum quod conueniat, agere id atque exequi
cum quadam etiam dignitate, vt quam maxime fieri poteſt,
animo pueri illæ præclaræ ſpecies inſinuentur, & inſideant, qu
vbi ſedem ſibi, locumq́ue in eo conſtituerint, vſumq́ue & auto
tatem domicilij fuerint nactæ, nullo poſtea modo paſſuræ ſu
dedecoroſas alias, deformeisq́ue ſpecies prope ſe accedere, ne
diutius conſidere. Sit itaq; pater ab hoc vitæ inſtituto pius ac
uerens erga Deum immortalem, cum æqualibus comis, mori
abſque aſſentatione & venditatione ſui obſeruator: in ſeruos
rò ac domeſticos mitis potius, quā aſper: verùm vt retineat gra
uitatem imperij, ſibiq́ue ad nutum omnis præſto eſſe inſtitu
vtaturq́; domi breuiloquio, voce leni quidem, atque placata, ſe
verbis valentibus: neq; ſeruorum congreſſus & colloquia nimi
ſæpe appetat, adeuntibus tamen, & aliquid expoſtulantibus, ſem
per ſit comis, reſpondeatq́ue ſummatim quod ſit æquum & bo
num. Vt autem ipſi inter ſe ſint concordes & pacem colant, ne
miniq́; fiat iniuria: atq; vti inopia laborantibus, vel etiam mor
bo oppreſſis ipſe ſubueniat cum quadam cura, ſignificationeq́ue
beneuolentiæ, verbis quoque & factis aliquantò benignioribus
hoc patri vtiq; familias non in vltimis habendum eſt, ſi eos con
tinere in amore ſui, & in magno metu ſuæ amittendæ familiari
tatis velit, quam illi ſic tractati, ſæpenumero vita ſua habent ca
riorem: & ineſt tamen in hoc toto genere grauitas quædam &
autoritas imperij, ſpecimen dignitatis eximium demōſtrans, que
ad magnificentiam animorum exaggerandam pertineat: inge
nerandum eſt enim in animo naturaque pueri excelſum illud &
rectum, quod nec in potentioribus obſeruandis grauitate careat,
neque in regendis humilioribus manſuetudinem deponat, cui ex
vti pulcherrima, ſic difficillima eſt tractatio: & tamen eius prima
lineamenta ducere in animo filij, ſui imitatione debet pater, quæ

poſt

rebus in eo ætas illustret, vsus confirmet, philosophia perpoliat. Atque hæc nos sermone percurrimus, non vt instituamus fami- liæ patrum, maius enim id negotium & maioris operæ sit: sed quantum ex eo manare ad filium boni moris quadam specie vir- tutis ac dignitatis imitanda potest, id vt quasi penicillo leui du- camus, & describamus in animo recente & tenero, quo tanquàm in arundinearum molli adhuc cortice incisæ literæ: sic hæc virtu- tis in puero descriptio, tempore demum aucta & confirmata ob- calluit. PAV. Optime istuc quidem, nam nec difficile fuerit, meo quidem animo, vbi tales parentes extiterint, filios probos & pru- dentes euenire. IAC. Rectè sanè: sed ego illud abs te existimari posse volo, cum virtutis omnis doctrina aut in exemplis consti- tuta sit, aut in præceptis: hoc est, vt vel oculis, vel auribus in ani- mo concipiatur, maiorem propè habere vim hæc quæ quasi præ- tereundo, & non dedita opera fieri videntur, tantumque exem- plo vocant oculos ad informandas puerorum ad virtutem men- tes, quam quæ ad hunc eum ipsum finem palàm intenta sunt: mouet enim illa admiratio paternæ virtutis, quæ in quotidianis moribus elucet, puriles animos ad voluntatem imitandi, præ- clarumque spectaculo inuitat, vt fieri cupiant similes: cùm præser- tim videant eos qui circùm sunt, cum silentio & veneratione pa- trissare imperia exequi: obuersatur enim illis ante oculos & in animos sensim obrepit, nec vigilantibus solùm, sed sæpe etiam in somno, decorum & pulchrum illud, quod est solum per se, sua- que ipsum spectabile: cuius aspectus & admiratio prompta est, atque omnium communis. Scientia verò paucis concessa, atque in hoc omni genere tacita magis, quàm vocalis patris eloquē- tia ad imitandum filium proficit, ea videlicet quæ ipsis factis loquitur: iam verbis agere, & dare ea vitæ præcepta filio, quæ pater ipse sibi non sumpserit, idem est ac profiteri se itineris du- cem elicere eum locum, à quo ipse longè diuersus abscedat. Quòd si talem vt queat gerere personam, aut à natura non accepit pa- ter, aut ipse studio & meditatione fingere non potuit: eum, vt iam diximus, hominem requirat, cui rectè in disciplinam filium possit tradere. Verum nos, vt cœpimus, in patre insistamus, qui aut esse talis debet, aut vt sit, oprandum certè est, qui præeundo filium possit ipse in iter rectum ad virtutē deducere. De quo non- dum a nobis dictum est, quod est maximum, & ab hominum vsu ferasse atque opinionibus longè remotissimum. PAV. Quod iam quæso istud est? magnum enim esse profecto, quicquid sit, necesse est, quod ad tot res, tam præclaras, quot iam strictim ora- tione percursæ sunt, aliquam accessionem queat afferre. IA. Hoc maximum est, in quo vita communis tanquam in scopulo erroris offenditur, quòd omnes pene homines diuitias putant & magnitu-

dinem pecuniæ ad vitam benè ac lautè agendam, matrimo-
mul adiumentum, ornamentumque existere. Atque hoc lo-
non vsquequaque falsum est, magna enim commoda atque
menta hominibus, non ad vitam solùm, sed ad vsum etiam
citationemque virtutis, à pecunia parata atque à domesti-
bus sunt. Sed hac opinione & sententia longius ductos, ne
sibi constituere finem, & modum ignorare tam quærendæ
dem, quàm etiam vtendi: nullam hac ego statuo pestem
mano genere perniciosiorem incidere potuisse: per quam
patet scilicet, & perspicuum est, hominum inter se societa
des iampridem sublata penè, & de vita tota exterminata e
ego contra contendo, domum eam quæ diuitiis, pecuniæ
dundet, necessariò omnis recti honoris, & propter eam cul
tæ quoque pacatæ ac iucundæ expertem esse. Neque ideo
quòd paupertatem & inopiam è contrario adsciscendam
facile enim assentior Regi sapientissimo Deum obsecran
nec diuitias sibi, nec paupertatem, sed tantum ad degenda
tam donet necessaria: quam item sententiam, pater ille
phorum, noster Plato comprobat. Sed cum flagitia homi
scelera maiora quædam sint, alia minora, suscipiendum est
ioribus nimiam rerum copiam fontem originemque esse, m
ribus inopiam causam afferre. Ego verò malim eius fam
qua ingenuum puerum, adolescentemque instituimus, fe
domi, & fortunas esse constitutas, vt dominus quæstum
faciat, sitque domesticis vectigalibus contentus, quæ p
mum consistant in fructibus prædiorum, ea porrò suppedi
vsum cultumque quotidianum, non modò commode, vet
iam liberaliter: sed quibus dispensandis frugalitas adhi
nam luxum, & opulentiam, & varietatem supellectilis, mul
cesque domi ornatus, atque cultus, tanquam vitæ venena
mis fugienda esse duco: frangit enim, & conterit vim vo
tutis, animumque prorsus dissipat illa abacorum, margaro
gemmarum, tabularum pictarum, vestisque stragulæ eleg
ac varietas, suique inani in admiratione detinet: vt vanis
studiis homines occupati, ad ea quæ sunt virorum indu
uos & continentiæ nequeant intendere: ac tunc minime
quotidianis epulis, & ijs quæ epulas sequuntur, ludis, loc
tibus, festiuis lepidisque dictis, omnis & vitæ & pecuniæ
reponatur. Hoc enim ex genere vitæ, & assiduis domi delit
ni, cibique affluentia, ac quotidianis quodam modo lusu
dies, & horæ, & tempora in aliqua semper voluptate consu
tur, non modò feroces, & infesti, & arrogantes animi adole
tium fiunt, sed immoderati etiam, & effrenati, & crudeles, no
in omni genere deprauati: vt in naturam mentemque

tam euadant, nihilque iudicent rectum, nisi ipsis quod libuerit: ceteros autem homines pecudum ac iumentorum instar sibi servire studeant oportere: vt confitendum planè sit, qua in domo, atq; adeo qua in ciuitate huiuscemodi vigeant mores, sementem in ea omnium malorũ & calamitatum esse iactam: nec fieri posse, vt status illius reip. aut diu quietus, aut in vniuersum diuturnus sit. Atqui hanc vulgus liberalem vitam appellat: falsò istud quidem, vt alia multa: quippe cùm ex hac potissimum consuetudine viuendi, his profusis & luxuriosis sumptibus, auaritiam existere necesse sit, illam violentam & rapacem dico, per quam nationes vrbesq; euertuntur. Sed quoniam de his rebus subtilius disserendi non est in præsentia locus, sic patrifamilias præscribamus (sit modò is qui liberos cupiat in viros fortes, industriosque euadere) frugalitatem domi, & temperantiam, ac in omni cultu victuque parsimoniam illi retinendam esse: quæ tamen absit à sordibus, nec minuti angustique animi indicium præseferat: quod fiet, si quotidiano & penè stato apparatu, mensis mũdis potius quàm locupletibus, non obsonium parcè præbitum, sed conquisitio & varietas fuerit repudiata: videtur enim in hac moderatione vitæ ratio inesse splendida & liberalis, vitium in vtranque partem deuitans, digna sapiente patrefamilias, cuius quod ad liberos educandos pertinet, in hac parte quidem peculiaris curatio est: nam matres ferè & fœminæ omnes indulgentiores sunt, itaque infarciendo & suggerendo quodcunq; expetitum fuerit, corrumpunt mores puerorum, neq; aduersus eorum voluntatẽ vel ipsæ quicquam moliuntur, aut dicunt, vel alios patiuntur loqui: quo vno maximè regnum in anima cupiditatum, & Tyrannis ipsa alitur. An non attendisti his diebus Paule, cum Persarum res gestas legeres (nec enim autore & Cyrum Xenophontis, & Herodoti historias Græcè amplexus es) quantum ex diuerso cultu institutioneq; puerili, diuersæ Regum illorum naturæ, & contrarij inter se mores extiterint? Cyrus ex patre nobili ille quidem & imprimis claro apud Persas, sed tamen in illis mòribus educto, quibus panis & aquacibus, obsonium autem nasturtium herba, aut si carnibus vellent vesci, illæ erãt labore & sudore, nec sine vitæ interdum periculo in syluis & à feris expetendæ, magnus extitit Rex, natus ad res gerendas, laudem & gloriam in imperio amplificando vnam præcipuè spectans: cuius erga populares comitas atque æqualitas, in bello victas nationes clementia, atq; iustitia effecit, vt non magis eum carum haberent ciues sui, qui semper amauerant, quam deuicti hostes, qui antea illi grauiter offensi fuerant: tamen quidem illustre est, & sempiternã laudem virtutis ad posteritatẽ consecutus. Hic Cambysen filium, quẽ hæredem nominis, atq; imperij relicturus erat, aliis ipse videlicet negotiis occu-

patus, alendum mulieribus permisit: non enim virtutis vim, neque rationē è philosophia, quæ vna facit, vt illa sit sibi in omnem partem consentiens, sed à natura tantum acceperat: ergo ignum inuenit in progenie sua muliebris disciplinæ fructū cumbus enim in delitiis, & mulierum blandimentis educatus Cbyses, & assuefactus a puero, nihil offendere quod esset suis cuditatibus obuium, postea Rex appellatus, ad eam intemperiesanimi amentiamque progressus est, nihil vt eum neque scitum, quod vsitatum esset, neque quod legitimum delectare posset, ad cædes multorum, & in his fratris sui germani, furore quoamentiaq; inductus, cum etiam Deorum immortalium numilluderet, ad extremum sibi manibus allatis, & semetipsum totam Cyri domum pessundedit. Delatum est postea ad DaPersarum regnum, spectatæ nobilitatis inter Persas, sed cuusmen domi cultus atque fortuna longe à regalibus deliciis abfuit. Is porrò ad imperandum non eandem fortasse animi magnitudinem quam Cyrus, parem quidem iustitiam atque humanitatem attulit: quare eius quoque opera regnum Persarum maeffectum est: è quo genitus Xerxes ab eadem atque Cambyseducatione muliebri, paternaque negligentia, Persas honestis laude cumulatos, graui ipse dedecore & calamitatibus plurimis affecit. Atque hæc iccirco memorata sunt à me, tibi Paule, vt appareat quod pluribus verbis fuit necesse dici, nullum esse obicem ad virtutem adipiscendam maiorem, quam delicias domi, & cosuisriores, quam moderata ratio postulet, rerū apparatus: quorum studio si captus fuerit parens, nil est quod contendat fortem & strenuum, & idoneum magnis rebus post se filium relinquere. Quid ergo est? placet mihi seueram & castam domi esse disciplinam: neque eam tetricam tamen, sed conditam liberali quadam comitate, vt domestici nullius rei indigeant, amici autem & hospites intro libenter commeent: ad quorum aduentus, inuitationesq; paterfamilias splendorem conuiuij, & hilaritatem vultus ac sermonis maiorem aliquantò illa quotidiana adhibeat, lautius quoque accipiat, & elegantius, nec tamen profusis sumptibus (hos enim semper abesse à bene constituta domo volumus.) Quin in ipsis epulis & vino tacita poterit inesse exploratio & obseruantia quædam, quo se nam pacto filius gerat: num patriæ disciplinæ ac moderati vsus memor, pudorem in conuiuio modestiamque retineat, nouerit̄que sibi ipse in poculis temperare: hoc enim documentum capi in pueris atque adolescentibus imprimis conducere censet Plato, ad speculandum quæ sit natura cuiusque: neque id nos repudiamus, etenim consilium est periculo vacuum, præditum vtilitate, in quo si satisfecerit adolescens, lætitiamque conuiuij hilaritate potius & sermone liberali, quam

quam palato & gutture metiendam sibi duxerit, næ de eo non
acquiquam sperare licitum fuerit, talem eum fore, qualem quis-
que debet vnus suum optare filium vt sit pater. Sed vt nostræ in
hoc genere præceptionis summam faciamus: debet is paterfami-
lias, qui in ingenua disciplina ac liberali, eademque casta & mo-
derata alere liberos suos vult, sic habere constitutam domi quo-
tidianæ impensæ rationem, vt & parsimoniam sciat tenere sine
sordo, & splendorem ac liberalitatem adhibeat, cùm venit vsus,
sine profusione & luxuria: ab omni quidem parua & concisa co-
gitatione rei cuiusque vel minimæ curandæ prorsus refugiat, qua
omnis planè eijcitur ex animo ingenuitas, & virtutis indoles ob-
solescit: hoc enim ex genere morosi, & difficiles, & molesti ho-
mines efficiuntur, nec cæteris solùm, sed sibi ipsi infesti, omnia
quasi semper desperantes, ijdem lucifugi, pusilli, vbi in cœtus se
dedere, ridiculi, siti prope in angulis, nihil latum & liberum in
animo comprehendentes: oppleti mentem sordibus, & minutis-
simis occupationibus, quo quid virtuti, grauitati, dignitati, alti-
tudini animi fieri potest inimicius? Sed, vt ab hoc aliquando ge-
nere abeamus, habes Paule in patre formam eius exempli, effi-
gienque dignitatis, cuius ego aspectum & contemplationem
propositam velim filio ei, qui ad magnas spes alatur, ad imitan-
dum atque assequendum: quæ quidem in oculorum sensu posita
sit, quorum interdum muta speculatio non minus proficit ad
virtutem, quam aurium auditus vocalis, de quo ipso posthac di-
cendum nobis est: hic enim sensus disciplinæ est & doctrinæ &
omnis sapientiæ peculiaris ac proprius, vt qui animum solus cer-
nat, quem nequeunt oculi intueri. Itaque Socrates ille Græciæ
sapientissimus, oraculo quoq; Delphico sic iudicatus, cum ado-
lescentem quendam facie honesta ac liberali diutius contempla-
retur, illeque adstaret tacitus, dixisse fertur: Tandem vt te vi-
deam aliquid loquere adolescens: videlicet ille hominem esse
ipsum animum, animi autem cognitionem & perspicientiam nõ
oculis, sed auribus attribuebat: neque id iniuria, hauriunt enim
aures vocem, quam format & distinguit oratio, quæ cum sit si-
mulacrum cogitationis atque mentis, vehiculum sensuum inte-
stinorum, ex animo ad alium animum viam sibi faciens, perfert
meditationes & commenta illius mentis, vnde ipsa profecta est,
per aurium meatus ad alteram mentem, legationeque opportu-
nissima & maximè vtili fungitur, vt quæ in arcanis mentium pe-
netralibus occulta alioquin laterent & abdita, hæc auditus vo-
cisque ministerio, cum tota humanorum animorum nobilissima
atque acutissima gente communicentur. PAV. Et si quæ de visio-
ne oculorum dicta à te sunt, quatenus per eos species quædam
magnifica atque grauis transmittitur animo, cuius ille exemplo

& imitatione sit ornatior, summopere me delectauerunt: ... men expecto non minorem ex aurium sensu voluptatem: ... pe cùm earum ope, illa ipsa quoque quæ de oculis dicta sunt, ... animum meum grata iucundaque peruenerint. Namque ... ad hunc ipsum sensum ornandum ac commendandum ijs ... vsus es, vt non mediocris mihi sit in te audiendo facta expe... tio. IAC. Agemus hoc loco Paule id quod tu paulò ante ... facto opus fore, si accideret vsus, vt retrocemus orationem ... priores annos, quos noster sermo erat prætergressus, per... ratque ad quandam metam, hoc est ad terminum eius ... quam nos tribus septennijs, & quarti dimidio admodum ... dimus definire: illo enim institutionis genere, quod exemp... moribus maiorum intuendis vitam virtutis imitatione exer... tota modo à nobis adolescentia comprehensa est. Cùm ver... ea referri orationem oporteat, quæ in præceptis & monim... fiduisque parentum vocibus erga filios posita sunt, quò illi ... solum proponatur, sed exponatur etiam ipsa virtus, Princip... fuerit nobis ad hoc quintus ætatis annus: nam & is dimid... ferè staturæ conficit, quod ad mensuram corporis pertinet, ... tum alterum tantum videlicet, auctionis & incrementi vig... cæteri anni addunt consequentes: & eo vertente anno, prim... puer qui in potestate mulierum totus antea fuit, ad curam ... tris bona ex parte traducitur: Iam enim & proloqui expe... quæ ipse intus concepit omnia, & planè intelligere alios lo... teis potest. Ergo ab eodem initio & fundamento, quo ... omnem nostræ ædificationis substructionem de integro ... mentantes, ab religione inquam, & ab Dei immortalis ... atque cultu, principia iterum nostræ ducamus orationis: ... enim si solem quotidie oriri & reuerti iucunde cernimus, ... pter excellentiam claritatemque maximi syderis, cuius ips... re & lumine exhilarescunt omnia, minus debet ad animum ... luptatis accidere, cum de Deo sæpius eadem repetimus, ... adeo multò plus, quando omnis pulchritudo, & fulgor, & ... rietas cœlestium astrorum, ab eius ipsius summi Dei infinita ... chritudine, tanquam exiguis riuis deducta est. Primum ... & ante omnia curare debet pater, vt animum pueri illo ... Dei imbuat, de quo antè dictum est, qui timet solus ad ... ctam fortitudinem animi aduersus humanos omnes ... mandam & constituendam maximè facit: quod erit si ... lius, & vbique præsentiam, immensamque maiestatem, ... rationibus quidem, quas nondum capere potest filij ætas, ... exemplis, & narrationibus rerum earum, quæ diuinitus mira... ciderunt, exposuerit filio: in beneficijs quoque eiusdem ... commemorandis, quibus & priuatim ipse ab illo, & omne ... huma...

humanum communiter affectum est, & assiduus fuerit & diligens: in quo mysteria nostræ religionis continentur, quæ sunt tradenda & insinuanda penitus, neque hac informatione filij ad pietatem & religionem, quicquam habendum est antiquius. Quod præclare fiet, si quæ sancte & pie filio de rebus diuinis monstrauerit pater, ea non verbis ipse tantum, sed factis & operibus vsurpabit. Secundum Deum autem Diuosque omnes, quos aut bonitas Dei statim ab initio, aut post præclara ipsorum in terra merita, & honestissimè acti dies in cœlum sustulerũt, quorum reique debet præcipuus vigere honos, & immortalis apud mortales gloria, parentes suos cuique maximè docebit esse honorandos, & reuera cum ferè omnia parentibus debeantur, ortus enim noster & vita, lux quoque ipsa hæc diurna, quam ore, oculis, naribus, totius denique corporis contactu volutatuque libenter & iucundè percipimus, ipsis accepta referenda est: tum autem labores ab eis causa nostra suscepti, pleni curarum & solicitudinis, quos illi vt alant nos, & producant, sistantque honestè in ortu ciuium, atque æqualium nostrorum, non modò non refugiant, sed apperunt vltrò, & consectantur: digni profecto sunt, vt illis omnis à liberis gratia debeatur, quæ pietate potissimum, & cultu eximiæ cuiusdam venerationis reddenda est: quã sequitur procuratio illorum vitæ ac salutis, & vt eorum necessitates, atque incommoda, labore, ac diligentia nostra depellamus: suppeditemus egestati, infirmitatem sustineamus, omnes dorsi fortique molestias, quæ vndecunque inferantur, ab illis propulsimus. Etenim si bene Hesiodus, qui iubet pari mensura reddere beneficium, quod ab alieno acceperis, aut cumulatiore etiam, si queas, quantum tandem erit parentibus impendendum, quorum beneficijs par nulla est gratia quæ possit reperiri? nec veri etiam quamuis infirmi, decrepiti, depositi, vnquam inutiles filijs parentes sunt. Sed vt Diuorum imagines, & simulacra colimus, ob memoriam beneuolentiamque eorum, quorum vultibus assimulandis illa efficta sunt, & quòd arbitramur ipsos illos Diuos propterea ad benigne nobis faciendum propensiores fore: sic nullum Dei immortalis simulacrum apud nos, quàm in patre & matre potest esse præstantius. Atque his ita erudiendus est tener animus filij in honore cultuque parentum, vt pater matrem filio, mater patrem, vtrumque autem domestici ac familiares colendum ac venerandum puero proponant. Neque in solis tamen parentibus hic à liberis honos insistere: Sed ad auos, reliquosque maiores, si forte superstites adhuc sint, progredi etiam debet: cùm in illis omnium quæ à parentibus accepimus causa videatur etiam esse antiquior. Porrò ab hac in patres auosque reuerentia, hocque honore pio ac debito, reliquus quoque iste

honor & communis cultus, qui ſenibus, & grauibus, & ætate
fectis hominibus impenditur, tanquam ex alueo pleno pudo
& probitatis exuberat: iuſtus ille quidem, neque illi ætati
congruens, quæ ſibi patrium non immerito nomen vindi
nam & de principio pueri quos nondum ſubtiliter & exquiſi
oris vultuſque lineamentis poſſunt diſcernere, illo aſpectu ſo
admoniti, cunctos vocant patres: & deinde poſtea cum æqua
bus conſuetudo propè fraterna coniunctioque amoris præter
patribus eius nominis communionem. Iam illa ætate quæ
que eſt, ſi non generatione, at conſiliis poteſt puero atque a
leſcenti fieri pater. Quam ob rem rectiſſime Romulus, ſimil
Numa extitit, quorum alter vrbis, alter iuris & religionis Rom
næ fuit parens, hac ſenectutis cum nomine paterno cognati
adductus, ſummum conſilium Ciuitatis Senatum, ipſos am
Senatores Patres nominauit: ſtatuitq; ſenioribus decli
caput nudari, & aſſurgi aduenientibus ab iunioribus debe
quod maximè ac diligentiſſimè Lacedæmone obſeruatum fuiſ
literis traditum eſt: mirum enim quanto in honore habiti
rit ſemper in illa ciuitate proiectior ætas. Ex quo extat illud
homine Spartano ſalsè ac doctè Athenienſibus exprobratu
Ludis enim Athenis cùm Lacedæmoniorum legati in gradib
orcheſtræ honorifico ſanè loco aſſediſſent, poſtque aliquanto
pleno iam theatro ingreſſus ſenex, innixus baculo, homo ſan
haud magni pretij, circumiret quærens locum, neque eum ic
ſum reciperet quiſquam: vt venit ad Lacedæmoniorum legatos
illi conſeſtim ob ætatis reuerentiam honorificè aſſurgentes, l
periore illi ſubſellio conceſſere: propter quod eis cum eſſet ma
ximo plauſu ab vniuerſo theatro gratulatio facta, vnus eorum
non illepidè, Ergo probè, inquit, norunt Athenienſes quid fac
re rectum ſit, ſed id facere ipſi negligunt. Formandus itaque p
rentum præceptis & diligentia eſt puer, vt honorem ſenibus, a
maioribus natu habere condiſcat, habeatque eos penè in patru
tum loco: proficit enim huiuſmodi obſeruatio cultuſque ma
iorum ad omnem vitæ modeſtiam adoleſcentibus plurimum,
quod & pudorem in animis eorum ingenerat, & multos illa
ctorum dictorumque ſuorum conſtituit teſtes, vt nullam in pu
tem ipſi audeant extra honeſtum & rectum ſe commouere. Dum
enim quos verentur & colunt, eorum magiſterium (vt ita di
quar) & malam de ſe reformidant opinionem, difficilem ha
bent magis rationem peccandi, deprehenſiſque erubeſcunt: vn
de à verendo dicta eſt verecundia, quæ eſt actus ipſe pudendæ
que erubeſcendi, in vultu peccatum pingens, & liberalem fe
rens criminis commiſſi multam: vadem boni ingenij tamen,
& expectatæ in puero virtutis, vt ſanè appoſitè videatur di
ctum,

dum, Erubuit, salua res est. Nam pudor ipse habitus est cauendi, & prouidendi, ne quid tale contingat vt sit erubescendum, omni quidem ætati congruens, sed ornamentum præcipuum adolescentiæ: quem si amotorem flagitiorum, & propugnaculum continentiæ virtutisq; dixerimus, haud sanè falso eum appellauerimus nomine. De quo suaserim equidem parentibus, quibus nostra non leuis futura est autoritas, vt hanc pudoris stirpem in ingenuis animis saram à natura, omni ipsi ope fouere ac propagare in liberis non postmittant: fructus ex ea vberes suorum laborum percepturi. Quamuis enim non sit pudor idem planè quod virtus, firmamentum est tamen præcipuum virtutis: multæ enim de se opinionis atque infamiæ est timor, in quo seuera est & diligens virtutis custodia. Itaq; qui pudorem diuinum timorem esse dixerunt, huius vim affectionis melius denotasse sunt vti. Solos enim pertimescit ne id amittatur à nobis, quod vnum ornamus honore ac dignitate propemodum diuinum, decus atque honestatem videlicet. Ac cæteros mortis & periculorum pauores, metus, formidines, qui animos abijciunt ac propè extenuant, cùm plerunque vanos atque inutiles, tum semper turpes esse meritò existimamus, quorum etiam species ipsa indecora & illiberalis sit, nam & lurido pallore os, & tremoribus membra commiunt atque deformant: quod accidit animo refugiente ad ipsam vitæ quæ in corde est, & omnia illuc subsidia vndique aduocante: vt quasi deseruisse exteriorem mœnium ambitum, & cessisse hosti loco videatur: pudor verò occurrit foràs, extra enim periculum, ab opinione scilicet, atque oculis, & ruborem in vultu, tanquam personam ad peccatum opponens, se cælatum cupit, in quo ipse sese indicat, nec tamen magis deliquisse sese, quàm in animo, quod deliquerit, ostendit: idque ita venustè facit, vt cùm videatur fateri peccatum suum, in eo ipso deceat in qua fatetur. Sed quoniam de his satis multa, redeamus ad id quod dicebamus, illud idemque de integro sepiusque dicamus, hanc affectionis vim atq; naturam quæ timorem alit in animis ingenuis, atque propagat, ab eis patribus, quibus recta liberorum educatio est cordi, studiosè in filiis inserendam, colendam, adaugendamque esse, vt quæ quoad vera ratio & philosophia ipsa docuerit, bonam in eis mentem, opinionemque custodiat: in quo aliqua non leuis à parentibus diligentia & cura est adhibenda. Pav. Quæ mi pater? incredibile est enim quantoperè audire cupiam. Nam & si acceperam à vobis, qui me aluistis, atq; admuistis, honorandos esse parentes, & maiores natu colendos, atque ego pro mea parte vt agerem, essemque vobis dicto audiens, studiosè enitebar: nunc tamen cognita vtilitate vestri consilij, & quantus inde pudoris existat fructus intelligens, quod

antea non animaduertebam, ero posthac in parendo, & perfu-
rando etiam constantior: quod quidem mihi præcipue pro-
cæteros conuenit: quando cæteri a singulis, ego ex binis pa-
tibus ad venerandos, colendosque maiores productus sum.
Lætor Paule non inaneis fuisse operas nostras, quibus te ad
losophiæ studia applicare cepimus, iam enim mente conce-
re intelligo, quantum ad rectum morem vera ratio & scien-
psa firmamenti afferat. Sed quod de pudore in liberis al
conseruando dicebam, id eiusmodi est, vt patres quos iste
filiorum ad decus & ad dignitatem instituendorum, dign
tria charitate indulgentiaq; cepit, suscipiant negotium cum
tate & mansuetudine, nec vllam asperam, ac pertricta
vetus Poëta inquit) erudiendi atque instituendi ineant via
rum facilitate, clementiaq; nitantur: verùm vt in omnibus
tur semper grauitas: non enim vsq; eò demittere se debet
vt familiarem se, & veluti sodalem constituat filio: ex quo
in puero patris contemptio, & fiducia quædam suipsius, v
quam nulla astrictus lege, quodcunque libuerit, prætract
concupiscat: neq; rursus ita austeras esse & pertinax, vt non
tum comitatis atq; humanitatis filio impertiat: viuamq;
nem sui, qua nihil est parentibus in omni vita dulcius, non
quodam benevolentiæ foueat charius atq; amplectatur. Sed
moderandum est amori, ne nimia indulgentia corrupt
exuat metum & reuerentiam sui patris: sic a præcipiti &
pta asperitate vehementius etiam abstinendum est, quæ
e idit ex animo filij, eumq; in id voluntatis & studij adduc
quæcunq; patri placere in se cognouerit, habeat ipse odio: &
ad illiberalem animi timiditatem se abijciat, vel si fuerit
contumacior, nitatur in aduersum, & detrectando imper
patris, quotidieq; deterius aliquid faciendo, quasi paternas
rias sibi videatur vlcisci. Hæc intuens qua fuit sapientia &
vsu rerum maior ille Cato, imprimis ferre, & habere in ore
bat, Non minus pollui, & detestandos esse patresfamilias, qui
iugibus & liberis, quam eos qui delubris Deorum immortal
manus attulissent. Et verè si cogitare volumus, cùm nemin
pediat metu contineri in officio, minimè conuenit liberis,
rum præsertim animos ad decus & ad honestatem cupimu
formare: infirmus enim & debilis virtutis custos metus est
qui adhibere in filiis volunt, audiant Terentium è communi
huiusce modi patres commodè admodum obiurgantem: Errat
longè mea quidem sententia, qui imperium in liberos grauius &
stabilius esse putat, vi quod fit, quàm quod amore adiungitur.
Sit igitur hoc patri imprimis propositum, vt se amari & magni-
fici velit à filio: quod assequetur, si neque morosus, neque
aspe-

aper, neque singula curiosiùs insectans, nullamq; in partem im-
mitis fuerit, & truculentus, prębueritq; se facilem & indulgen-
tem filio, grauitate tamen vbiq; retenta: id autem erit, si ita fa-
cta dolis temperauerit, inter seque miscuerit, vt in his quæ erunt
studij alicuius & voluptatis (quæ quidem sit concessa atque in-
genua) nihil aut parum verborum interponens, largiter, cuncta
suppeditauerit filio, siue equis ille oblectetur, seu canes ad ve-
nandum appetat, vestitu etiam indulserit liberali & splendido, ne-
que animo tamen: ac deinceps hisce omnibus vt vocare æquales
suos, hospitesq; accipere domi, munerare etiam interdũ aliquem
ex sodalibus suis possit: hæc enim pater si nihil priùs garriens
cum filio, neq; ineptis collocutionibus iocũ & hilaritatem quę-
rens, grauiter atq; magnificè, ac tanquam consilio certo vtenda,
agenda, regendaq; concesserit: mirum quantus in animo illius
irridebit, & ad amorem, & ad reuerentiam, nihil vt audeat, ne co-
gitare quidem filius, in quo displiceat patri. Rursus si in his quæ
erunt virtutis atque officij, quæ ad modestiam, quæ ad continen-
tiam, quæ ad comitatem cum æqualibus pertinebunt, humani-
tatem cum inferioribus, erga superiores cultum, atque honorem,
patri orationi præceptisque non pepercerit, fueritq; in monen-
do & docendo assiduus: Porrò autem in rebus ipsis atque factis,
in quibus recta disciplina cernitur, nihil gratiæ causa permiserit
filio, neque fuerit vt suo ille arbitrio, ac non ex præscripto pa-
tris, præceptisque virtutis quicquam gerat, agatque: nimirum
hoc modo maximè, illa pudoris fertilis virtutum & frugifera ra-
dix, idoneos nacta cultus, ad summam dignitatem in puerorum
animis adolescet: neq; illis solum metum ignominiæ, sed amo-
rem etiam inijciet & cupiditatem incredibilem adipiscendæ lau-
dis: almodine quoq; animi & celsis rectisq; voluntatibus illos
adornabit, vt abhorreant omnẽ sordem indignitatemque: opti-
mus enim artifex pater atque is qui refert ad dignitatem omnia,
cum se & propter indulgentiam suam amari à filio, & propter
grauitatem metui obtinuerit, facilè illius ducet animũ in quam-
cunq; volet partem, nec vllum semen in eo virtutis frustra iaciet.
Itaque se ille primum cupiet à patre & laudari & probari, laudato
ipso (vt Hector ille Neuianus inquit) viro: deinde ad æqualium
familiaritates & consortia ita se dabit, vt cum splendore vitæ, &
morum nobilitate illis antecellat, humanitate tamen velit esse
par. Sic vita erit, noster inquit Terentius, facilè omnes perferre
ac pati cum quibus erit, cumque vnà his sese dedere, eorum ob-
sequi studiis, aduersus nemini: nunquam præponens se illis, ita
vt facilimè sine inuidia laudem inuenias, & amicos pares. At no-
ster iste aliquantum plus: pręter laudem enim atque amicitiam
nouam, etiam admirationem summę virtutis obtinebit. Sed quo-
niam

niam multa cadunt in hanc ætatem, quæ sunt interdum vi-
propiora, quàm virtuti: quod quidem necessarium videtur
esse, propter efferuescentiam cupiditatum, tum maximè, & ni-
nondum adulta in pueris & adolescentibus est ratio, quæ, quo-
quam bene confirmata est, vix etiam videtur posse senes, & æ-
prouectos homines, ab omni errato & culpa cohercere: diligen-
ter videndum est patri, vt ad regendam & gubernandam hu-
cam ætatem filij multum æquitatis & patientiæ afferat, atque
dispiciat, si quid sit commissum virtuti alienum, atque offici-
num id ex eo genere crimen sit, quod ad bonum morem corrum-
pendum valeat, an quod ab ætatis & adolescentiæ quasi fermen-
to quodam fuerit profectum. Horum nos criminum genera
præsentia non distinguimus, alienus enim de his disserendi
locus. Sed tamen sunt nonnulla, in quibus pater dissimulare
pati, & aliquid permittere adolescentiæ poterit, dum teneant
la aliquem modum, neque habebit necesse omnia pro suo iure
exequi. In quibusdam autem acrior, & vigilantior sit necesse est
nec patefieri aditum sinat ad ea insinuanda vitia, quæ cum ætate
postea accrescunt simul, indolemque statim ab initio, si inuala-
rint, virtutis, mox & rem, & omnem bonam famam eijciunt: cu-
iusmodi aleæ, ganeæ, atque impotentes illi amores sunt, quos
tyrannos animi præclarè describit Plato. Ac in superiore quidem
illo genere, quod mitius est, minusque periculosum, si euenerit
vt non possit, aut ne debeat pater dissimulare, adhibeat filium,
leniterque eum obiurget, suam de illo curam, solicitudinemque,
& suum illi ipsi errorem detegens, oret, obtestetur, vt ne patris &
propinquorum spem, suamque ipse laudem speratæ, atque exo-
pratæ dignitatis contendat ire perditum. Nec multa erunt opus,
si ritè ego coniecto, & superiora prudentis disciplinæ præcepta
constabunt: grauior erit patre improbator sui facti ipsemet filius,
minusque sibi ignoscet, magnoque cum dolore feret preces &
monita charissimi parentis. Sin autem (sed nollem tristius ali-
quid ominari, cùm in hac familia, & in his moribus nihil vide-
tur accidere posse secus, quàm velimus) Sed tamen si quid deter-
rius fuerit factum, vehementer quidem agendum erit à patre, &
verbis grauioribus: non tamen vsque eò, vt ad trucem illam in-
cundiam se rumpat, quæ cùm vocem vultumque perturbet, po-
stusque omnes impediat loquentis, nunquam non de grauitate
detrahit, & spectato viro semper indecora est. Sed imitabitur se-
nem illum Terentianum, sat seuerè, vt videtur, obiurgantem fi-
lium. Hem tibi, ne hæc diutiùs licere speras facere me vino pa-
tre? Amicam vt habeas propè iam vxoris loco? Erras, si id credis,
& me ignoras Clinia. Ego te meum esse dici tantisper volo, Dum
quod te dignum est facies. Sed si id non facis: Ego, quod me in te
sit fa-

ſi facere dignum, inuenero. Videntur iſta permotura quemuis
corruptum filium: hoc magis ſi fuerint ab ea diſciplina, & ex
iuſmodi patris, qualem ſupra formauimus, ore prolata: cuius
nullo exemplo in paternæ culpæ ſimilitudinem filius deductus
ſit. Erit item remedio, ſi grauitas rei poſtulabit, ad quod tamen
extremum decurri placet, Si pater à filio videbitur factus aliena-
tior, aut eum ampliùs vt conſueuerat, adhibebit, paulatimque
priſtinam ſuam in illum indulgentiam, & antea ſolitam reſtrin-
get liberalitatem: vel enim proderunt iſta, vel aliud erit agen-
dum. Verùm quod nos prohibemus in filio, ne eum pater verbe-
ribus cedat, nec ingenuam naturam ad ſeruilem detrahat con-
ditionem, id in ſeruo & operario homine facilè permittimus:
cuius ea ſit natura, quemadmodum de Phryge vetus prouerbium
eſt, vt plagis fiat melior: quod etiam erit ſtudioſiùs faciendum, ſi
quod peccatum in filio ægrè ferat pater, id contingat in ſeruo
deſidio ſimili vt ſit puniendum: vt omnibus modis intelligat fi-
lius, mentem ab ſeſe patris, quamdiu ipſe illiuſmodi fuerit, & à
ſimilibus factis vehementer abhorrere. Verùm hęc nos vaticina-
mur, & nequicquam tanquam accidere poſſint pertimeſcimus: à
quibus omnis natura abhorret, non enim nec ſuſpicandum qui-
dem eſt, quos talis aluerit, inſtitueritque diſciplina, & ad rectum
iter virtutis induxerit, vt eorum poſſit natura & voluntas ad pra-
ua ſtudia conuerti. Reliquum illud tantum videbit pater, & in eo
quidem intendet animum curioſiùs, vt perſpiciat, & animaduer-
tat cuiuſmodi ſint qui de familia aut ex iuuentute, multa fami-
liaritate atque vſu adhęrebunt filio: vigilandum eſt ſemper, mul-
tæ ſunt inſidiæ bonis noſtris, inquit Ennius: & profectò vix da-
tur ſpatium diligenti patri vllius capiendæ quietis. Sed vt illis ſo-
licitudinibus & curis, ſi bene locatæ ſint, nihil fieri poſſit dul-
cius. Ac de familia quidem breue pręceptum eſt (quanquam ſui
cuique domeſtici debent eſſe noti) vt omnes æqualiter colant,
honoreteque filium, & aliquid mandanti dicto audientes ſint:
quotidianum autem obſequium, & cultum circa eum hi gerant,
qui ſunt nominatim pręfecti à patre. Si quis verò extra ordinem
inſinuare ſeſe in comitatum & conſuetudinem nimis ſtudeat, is
tanquam aliquid malitioſè cogitans repellatur. In iuuentute
maius periculum eſt, nam & maior ſępe in magna copia ſodaliũ
diſſimilitudo ineſt morum, & ſunt inter eos aliqui natu grandio-
res, vel etiam annis longiùs prouecti, qui ex illa ætate ſimplici
atque lubrica variis ſuis cupiditatibus paſtum quærunt, quorum
impunis pernitioſa ingenuis moribus eſt conſuetudo: qui qui-
dem omni & ſono & ſtrepitu, tanquam inſidioſæ aues, ab grege
mandatarum perterrendi ſunt. Iuuenem autem à iuuenũ æqua-
lium congreſſu, & conſuetudine arcere æquum non eſt. Igitur ad
omnia

omnia huiusmodi pericula remedium iam antiquitus vsitatum
pædagogorum cura atque industria: qui cùm assidui comes
sint adolescentibus, continent in officio, & aliquid præce-
ptantibus obuiam eunt: quos maximè probatos, & sibi fa-
eligere debet pater. Sed etsi horum studium ac diligentia non
hil aliquando proficit, nullum tamen fortius est in adolesce-
bus virtutis præsidium, quam pudor, de quo antè diximus, &
ordine directa ac sibi bene constans disciplina familiaris, pa-
que imprimis sapientia & grauitas, quam cum vsu quotidi-
imbiberit filius, exemploque illo domestico & præceptis pa-
imbutus, præclaras decori honestiq; imagines, quæ in an-
illius penitus insederint, detulerit secum in forum, & se cum
rorum moribus studiisq; composuerit, tum incipiet notam
discernere, quid inter se atque eos intersit, qui nequaquam
li à disciplina profecti sunt: nec tantum habuerunt Deorum
mortalium beneficium. Tunc suis fortunis gratulabitur, ge-
bitque experiri, & quotidie aliquid agere ex illo ingenuo
atq; modo, cuius fructum percipiet non solùm in animo sui
tiam, sed ab æqualibus honorem, & à senibus admirationem
vniuersis insignem quandam beneuolentiam: eoq; velut
amoris & laudis ad vlteriora semper incitatus, fiet quotidie
mni bona parte vsu confirmatior, benignitatemq; impri-
ercebit, iuuabit quos poterit, omnibus erit comis, mole-
mini: probos & bonos arctiore sibi vinculo familiaritatis
get, reliquos non aspernabitur: ita aget dicetq; omnia, vt in
bis & in factis existat dignitas, non seuera illa & grauis, quæ
ioribus natu consentanea est, sed quæ cum hilaritate mode-
coniuncta maximè deceat adolescentiam. Deniq; omnem
paternæ virtutis ac dignitatis, optimorumq; morum fin-
nem nondum planè robustam, sed veluti cum ætate secum
pubescentem, in cœtum æqualium & comitum suorum
transferet, vt multi qui intuebuntur ex eodem loco, eadem
tate, quosq; illa egregia & peruenusta species virtutis com-
rit, videantur fore eo animo, vt conentur imitari: ex quo
coniectura capi, quantum ciuitati & toti reip. euenturum
ni, si hęc rectè instituendæ adolescentiæ disciplina aliquando
blicè coletur, cùm vnius interdum exemplo intelligam
ctam penè iuuentutem ad imitationem virtutis facilè
posse. PAV. Ita afficior mi pater, cùm te hęc audio loquentem
lętitiam meam ipse vix feram: quippe qui Dei immorta-
mo dono adeptus sum, vt & hac voluntate ad consectanda
tutem, & in hac disciplina altius essem, ex qua fructus
quos capere incipio ex his qui à te modò numerati sunt: sed
in hunc vitæ statum & virtutis vsum perductus est adole-

illâ nam quæso illi ampliùs deest, quo minùs felix sit ac beatus?
IAC. Totam id Paule quod est maximè necessarium, virtus ipsa
videlicet, cuius vmbram rectũ esse morem iam totiens diximus:
nobis verò vestigandum & tenendum corpus est, ne tanquam in
somnio vitæ inanibus decepti, sed vigilantes, & reuera summi
boni efficiamur compotes. PAV. Iam intelligo te velle philoso-
phiam dicere. IAC. Volo inquam verò: illa enim est vna, sine qua
nullum bonũm vita (diuinam semper excipio sortem) suopte
certe ipsa consilio, nec sapiens vnquam, nec beata esse potest.
PAV. Contingitur non quamprimùm ad illam tertiam partem no-
strę institutionis tendimus: in qua, vt arbitror, philosophia ipsa
tota continetur est, vt dicis, virtutis expolitio. Etsi enim me sum-
mopere hæc delectant quæ dicta sunt & dicuntur, tamen ad ip-
sum fontem & caput omnium virtutum cupio accedere. IAC.
Vnum etiam restat Paule, de quo à nobis aliquid dicendum est,
quidam honore atq; vtilitate primarium sit, propter quandam
tamen opportunitatem in oratione à nobis factum est postre-
mum: nullam enim adhuc verbum de veritate fecimus. At ea est
progna non solùm bene moratæ, sed etiam verè beatæ & sapiẽ-
tiæ procreatrix, sine qua nihil neq; probum, neq; prudens,
neq; liberale, neq; magnificum verè potest existere. Quis enim
mentiri & fallere non dico assuefactus (monstrum enim illud ho-
minis potius quàm homo est) sed vel paululum modò inducens
animi, libere aliud sentire aliquando, aliud loqui, & habere lin-
guam à cordis discrepantem, in numero eorum ponendus est, in
quibus spectes à nobis futuræ eximiæ dignitatis constituatur?
PAV. Videtur verò repudiandus quisquis ille est: nec mihi vene-
rat in mentem, cùm tamen iam quotidie magis ex te, & in Ari-
stotele ipso, quem te hortante ac præmonstrante in manibus
habeo, possim incipere nosse hoc tantum & tam eximium bonũ
veritatis. Sed cur de ea mentionẽ in hoc extremo, vt tute inquis,
loco tamdiu tibi reseruaueris, id ego audire ex te expeto. IAC.
Quæ incepta est in vtramq; partem, & cùm in omne genus do-
ctrinæ scientiæq; diffusa, tum ad bonum morem etiã pertinens:
quoniam autem de more & disciplina domestica, qua imprimis
adolescendus ad omnia recta & honesta est adolescens, dictum
à nobis fuit: non quin plura alia possint dici, sed quia hęc futura
sunt satis. Nunc autem ad ea tendimus, quæ non tam consuetu-
dinis, quàm certi consilij, & suapte scientia ac ratione directæ
voluntatis sunt: veritatem in vtroq; genere instituendi præci-
puam & primas ferentem partes, in hoc potissimùm loco con-
stituimus, vt eum vna eademq; dominetur vtrobique, vna quoq;
animale illud ac molestum facileq; monenti rectè, obtempe-
rans rogo agmen, & hoc sapiens eruditumq; ducat. PAV. Quasi
veri-

veritatem vinculum dicas, quo ambo genera ista continen-
IAC. Imò lumen à quo ambo & creantur & illustrantur, hoc
dem diurno sidere tantò potentius, quòd sol iste oculis, re
mentibus lucem & diem affert, atque hic facit vt res, q
sunt, tales etiam cernantur: illa, vt quod sunt, id illud ipsum
Sed hoc lumen & propriè & proximè philosophia ipsa sectu
omnemque suam curam, omnem operam studiumque im
dit in eo, vt huius luminis percipienda veritate fiat com
quod cùm apprehenderit, suumque & proprium tenuerit, n
ipsa in luce & in veritate habitans, attollit in altum circum
errantibus, vt communicatione lucis illi admoniti, minùs
in tenebris, minùs perturbentur: in quo maximus est comm
omnium mortalium, maxima varietas: hi enim quanquam
minis aliqua ex parte participes, vmbris tamen plurimis im
ti atque impliciti, quæ quò longiùs absunt ab editiore lu
hoc volitant maiores, sæpissimè falluntur in eo quod aspec
& pro bonis mala amplectuntur: cumq; se pedem tutò po
existimauerint, labuntur præcipites: hoc lumen, quod e
cuique ratio, certissimis scientiis ac doctrinis illuminata, l
ipsa in omni consilio actioneque pregrediens, neque alien
digens ductu, philosophia ipsa continet: ad quam quod l
ctum iter tertia mox nostræ institutionis pars indicabit. I
in hoc lumine summè & maximè veritas est, sic in illo g
posteriore virtutis, quod disciplina & monitis diximus com
rari, quemadmodum luminis, ita & veritatis radius quidem
est: non principem, sed accersitam insinuans lucem. De qu
bis restabat aliquid dicendum, antequam de moribus & d
plina sermonem totum compleremus: Ideoque seruauimus
hunc locum, vt à radio ad lumen, & ad veritatem ipsam a
tis simulacro propinquus transitus foret. PAV. Commode
& ita fuit faciendum. Sed quis est qui ista consideras, non a
morem & studium philosophiæ totus rapiatur? IAC. Debe
hoc quidem ita esse: Sed tamen non desunt Paule, qui illi
temnant, atque adeò vituperent, & in inuidiam ad popul
ducant. PAV. Iniquos homines narras: estque propterea n
dum à te susceptæ philosophiæ defensio aduersus vitupe
huiusmodi, quam vt perficias, atque aliquando edas, cùm
pe multi, tum verò duo doctissimi & tibi amicissimi hom
Paulus Iouius, & Lazarus Bonamicus te quotidie flagitan
rum de virtute & doctrina quid sentias crebrò ex te audiun
IAC. Quid ni audias de hominibus cùm amantissimis nostr
dignissimis ipsis qui ab omnibus amentur, quorum magn
vtroque nostræ ætati positum est decus? Nam Iouius non
medicinæ scientia, in qua excellit, tam cognitione arti

militate ex ea & obsequio erga amicos, verùm omnibus ingenuis & liberalibus disciplinis instructus, imprimisq; eloquentia, & dicendi genere quodam magnifico contulit se ad scribendam historiam, in qua veterum optimorum scriptorum & fidem & gloriam in nostram ætatem refert. Lazari verò in Latinis & Græcis literis, præsertimq; in hac de qua loquitur philosophia, tanta est eruditio, eaque præstantis ingenij vis, vt ipsum cùm audimus, nullus ex antiquis aut nouis doctoribus, aut scientiam maiorem, aut copiam requiramus: quod quidem in eo speciosius existit, quòd ita viuit, & ita factus ipse est, vt in omni virtutis & humanitatis officio, philosophiam habuisse videatur, non dicendi magistram, sed faciendi. Quibus quidem ambobus hoc quod dicis a me desiderantibus, quippiam negare esse arbitror nefas. Sed qui scit an diuino quodam consilio hic illi noster dialogus fortè præpositus fuerit? PAV. Quid ita? IAC. Vt per gradus, & velut planiore via, ab his præceptis, & rectè consuescendi disciplina, ad illa altiora philosophiæ consilia, & ipsum apicem virtutis ascendatur. PAV. Verisimile hoc quidem, nam & bene cogitantibus semper adest Deus. IAC. Redeamus Paule ad partem illam veritatis, quam moralis huius disciplinæ esse diximus, aut potius quò melius hæc veritatis diuisio intelligatur, sic agamus. PAV. Quo pacto? IAC. Falsum, natura quædam est maximè cōtraria & inimica veritati. PAV. Ita est. IAC. Huius partes sunt duæ. PAV. Quæ? IAC. Vna pars cernitur in eo cùm ipsi nosmetipsos decipimus, & praua aliqua opinione inducti, aut captiosis rationibus argumentisque constricti, quæ cùm aliquam cupiditatem valentem in nobis suffragatricem nacta sunt, maximam habent vim ad mouendum & persuadendum, scire nos arbitramur, quod nequaquam scimus, hęremusq; in eo, & restamus cōfidenter: quod accidit, cùm vel id quod est, non esse, vel quod nō est, esse, aut cuius est generis, rationis, qualitatis, efficientiæ, id non illius, sed alterius modi esse suscipimus. PAV. Intelligo. IAC. Hoc falsum Paule quod est erroris, mendacij, & totius ignorantiæ caput, Diis mediusfidius & hominibus est inimicissimum, quanquam in diuinam naturam non cadit falsitas, neq; error: veruntamen tanquam è regione illi sempiternæ veritati oppositum, non solùm hominum mentes quotidie, sed & illas cœlestes, & incorporeas potuit olim peruertere: nec verò grauiore vllo malo, acerbiore atq; exitiosiore alia vlla peste vita nostra conflictatur & perturbata est, quam huius labe ignorantiæ, quæ sibi ipsa scientia esse videatur: hinc superbia, hinc contumacia, hinc illa immoderata atq; infinita cupiditas, hinc nimius suiipsius amor, & iuris atq; iniuriæ parum æqua descriptio: ex qua deinde illa in vitam tot incommoda dimanant, iræ, inimicitiæ, bella, cę-

des, vrbium & nationũ funditus euersiones, vnicuiq; secum, non solum aduersus alios, semper ferè dissensio, & cũ popularibus ciuibus, cum affinibus, cum cognatis grauis sæpe discordia: deque omnis hominum ad homines societas, quæ naturæ fere ipso & conciliata & sancta est, huius tanti pernicie mali iam dum violata, conuulsa, & in totum pene dissipata est. PAV. Dignum incommodum prædicas ignorantiæ, mi pater. IAC. Quid mirum, cum illa lumen animi nostri mentem ipsam extinguat, & falsis persuasionibus tanquàm clauis excæcet, si erroris & temeritatis & variarum offensionum plena sunt omnia. Sed hoc tantum malum sola philosophia se ablaturam esse pollicetur: adeo præstat, si ritè tractetur, sitque ad Deum & summum omnium bonum tota cum fide & religione conuersa. Quod ab his verum Deum & filium Dei colentibus, vnis assequi diuinitus est concessum. PAV. Sanè præclarum est hoc & philosophiæ Christianæ religionis donum. IA. Res ipsa indicio fuit ita esse, ut dicis Paule: Sed quoniam non est huius temporis inhiberi his diutius, ad alteram partem falsi, quo de agimus, accedamus. PAV. Equidẽ te in his morari diu vellem: nec est quicquam quod audiam iucundius, rursusq; philosophiæ amore incendor. Sed vereor ne mea ignorantia mihi quoque ad illam adipiscendam impedimento sit. IA. Nequaquam Paule, nec tu istam ignorantiam pertimueris, quę ad discendũ, & accipiendũ parata est, tanquam vacua domus & patens, vtq; honesta supellectile instruatur expectans. Illam tu mihi ignorantiam præsta vt caueas, quæ falsis opinionibus referta, in eisque pertinax, cum orichalcum pro auro ipso amplexa fuerit, veras amplius opes nil moratur, aderitque tempus, vel potius adest, cum explebis cupiditatem istam tuam, & nobilissimorum amorum fies compos: quorum iam gustũ aliquem ex Ethicis Aristotelis, ad quæ paulò ante es ingressus, percipere potes. PAVL. Sic faxit ille summus nostri generis conditor, idemque post eiusdem per vnigenum filium suum contaminati & periditi liberator effectus, cui me tota mente atque omni corde deuoueo. IAC. Atqui hoc sentire & sic facere Paule, & prima & summa est philosophiæ veritas. Nunc attende de altero illo falso quid rei sit. PAV. Dic modo. IAC. Hoc falsum tanquàm vinculum & propago ab illius prioris falsi radice prouenienis, conflatur in eo, si quis non se ipse fallens nec mentiens sibi ipsi, sed cautus & gnarus apprimè, quid agatur, alterum velit circumuenire & fallere, vt in errorem inducat, vt aliud illi pro alio obtineat, longè eum abducat & dimoueat à vero: iccirco autem profiteatur à primo hoc alterum falsum, quòd nequaquàm circumuenire & fraude irretire alterum conaretur quispiam, nisi esset prius praua illa opinione captus & circumuentus, quęrendi

esse

esse quoquomodo auariciæ, libidini, aut cuiq; cupiditati pastum. Sed hæc consuetudo atque exercitatio fallendi alterum, & mentiendi, his quibus hodie viuitur moribus, sic in omnes ferè vitæ sectas ac quotidiana vitæ officia effusa est & dimanauit, vt angustum admodum inter homines locum veritati & fidei reliquisse videatur. PAV. Fertur vulgò quidem ita se rem habere. IAC. Quid ni feratur quod extat ante oculos, quod eminet. Quis enim est vel paulum modo in hæc communis vitæ studia ingressus, qui eum commercia hominum inter ipsos viderit, qua fide gerantur, non intelligat quemadmodum gladio in præliis milites ad deiiciendum capiundumque hostem, sic fraude plurimum & mendacio vti homines, qui quidem malitiæ quasi gladius est, ad proximum constringendum, vt supplantato altero, ad sua quisq; optata facilius perueniat. Sed quamuis desueta iam hisce moribus ac temporibus, quamuis neglecta atq; posthabita, tamẽ quò rarior, hoc clarior est & preciosior fidei possessio. Licet qui vafri sunt, astuti, versipelles, cuiusuis precij homines ducantur, hisq; à populo plaudatur interdum, & qui callidè circumuenire aliquem, aut lepide norunt imponere alicui, omniaq; ad gratiam & ad voluptatem agere, in aulis etiam principum, magni habeantur: tamen nec vnquam tuta, & semper ipsis turpis, aliis etiam pernitiosa horum est ratio vitę, atq; exercitatio: nihil enim potest esse decorum neq; splendidum, neq; idem sibi fidens, aut sat munitum aduersus casum, atq; fortunam, vnde absit veritas, quę cuius insedit in animo, & sancto cum illo fœdere copulata, omnium eius dictorum atq; factorum fit particeps, admirabilem quandam illi autoritatem & speciem prębet inter homines, tanquam mortalis Dei. Debet igitur pater huius posterioris falsi (quando ad illud maius, quod a philosophia ipsa depellitur, ętas adhuc nõ est adolescentis culpam omnem & labem a filio propulsare: monereque & præcipere diligenter, vt ne vnquam inducat animum aliud sentire intus, aliud loqui. Sed in puero facilis est præceptio, neque enim multum malicia illa ætas peccat: cum adolescente iam facto, accuratius est insistendum, vt animaduertat, sibiq; persuasum habeat, neq; virtutis vim, neq; exemplum optimi moris, nec verò honorem illum qui ab ęqualib. expetitur, nec dignitatẽ ad quam omnia consilia diriguntur, sine fide & integritate cuiquam constare posse: vt assuescat abhorrere à mendacio, & linguam habeat semper cordi consonantem: nec solum in verbis & sermonibus ad alterum, recta, vera, simplicia discat loqui: sed in consilijs & factis nihil fictum, nec fallax, nec simulatum habeat: quo enim facta verbis potiora sunt, hoc magis in ijs quã illis mentiri decipere est dedecorosum: mentiuntur autẽ qui versutiloquis (vt ille ait) malicijs, honestam speciem virtutis parum honestæ præten-

dunt cupiditati, neq; ad veritatem referunt, neq; quia ita dicit
neque quia ita rectum est, sed inclinant & vergunt ad alterum
aliquem finem: qua quidem ementita virtute nullum vitium
monstrosius. Atq; horum quidem illa obstructio simulationis
que diuturna est, & ab acutioribus statim perspicitur, dant ex
manus, oculi, vultus, celeriter aliqua signa: nec vnquam vsq;
occulij & abscondi potest veritas, vt non emergat aliquà, atq; ap-
pareat: vbi verò deprehensi sunt, & persona detracta producti
publicum, maiore in vituperatione ignominiaque versantur,
quàm si vitium palàm ex initio fuissent professi. Atqui ex fide bo-
na adolescens studuerit virtuti, decusque & ornamentum vitæ
veritate sibi duxerit, nullum vnquam locum simulationi & men-
dacio in moribus suis esse sinet: nisi ioci interdum causa: cum
non fraus fuerit, sed lusus, atque id tamen parcè & mollitiè
ne lædat eum cui vult illudere: scitè enim & aptè scire hoc age-
condimentum est nonnunquam sodalitij & familiaritatis: ad-
nos austerum, aut tetricum, aut difficilem esse adolescentem vo-
lumus, sed hilarem, & comem, descendentem ad omnia quæ ille
ætas natura fert, modestiam tamen & mediocritatem secum de-
ferentem. In eandem quoq; mendacij & simulationis affinitatem
transit imitatio: quid enim aliud est imitari, quàm capere simi-
tudinem eius quod non sis? Sed hoc si fiat in eam partem, vt effi-
gas imitando quæ recta honestaq; sunt, vt si eius gestum vultum-
que imitére, qui dolorem corporis fortiter tulit, aut in voluptate
fuit temperans, aut amissam iam aciem restituit, referas eum vo-
ce, motu, corpore, laudabilis est imitatio, nec veritatem reijcimus
illa, sed aduocans: quemadmodum etiam nostra hæc de qua di-
seruimus, probata domi disciplina, verę virtutis dicta est imitatio.
Si verò imitationem conuerteris ad deteriora, & aliquos mimorum
motus, vultusq; scurrarum, eorumq; dicta & facta, captandi tu-
sus gratia, volueris imitari: nihil est hoc genere ludendi illibera-
lius, nec quod pudori & modestiæ magis contrarium sit: extre-
mæ enim impudentiæ est, adde etiam si vis stultitiæ ac leuitatis
velle deridiculum esse: nec aliquid bonæ indolis residere in eo
potest, qui id agit ipse vt rideatur. Sed vt hoc turpe & sordidum
lusionis genus reijcimus, sic multas relinquimus adolescentiæ
lætitiæ & hilaritatis vias. Decet enim adolescentem, hunc, quem
nos instituimus, ita studere præstare cæteris in omni ornamento
honoreque virtutis, vt ad illa, quæ sunt adolescentium communia,
cum paribus suis æqualiter se dedat: currere, saltare, ludere,
eos vtiq; lusus, quibus corpus exerceatur: choreas ducere, tren-
dum, conuiuium habere, cachinari aliquando liberius, iocis & di-
ctis hilaritatem accersere, sed vt seruet in his quem sepius dixi-
mus modum: in quo ipso inest id quod decet: quod non erit illi

difficile

difficile notare ab illis patriis institutis, disciplinaq; domestica: per quam sensim illa diuina decori species moribus eius adlita & insinuata fuerit: Consequitur autem ex his, vt cùm propter facilitatem, humanitatem, comitatemq́ue naturæ plurimum eum sui æquales diligant, tum verò propter virtutem, integritatem, elegantiam morum, etiam cum quadam illum admiratione venerentur: summamq; habeant illi omnium rerum fidem, & propè voluntarij illius sese imperio subijciant, multi etiam vt studeant imitari: & quidem omnes ferè ex quotidiana consuetudine atque vsu, aliqua ex illo virtutis lineamenta in suos mores transferent: nonnulli verò accedent propiùs, & similes fieri conabuntur, vt quod alias diximus, & dicendum sępiùs est, perfacilè possit iudicari, quantum sit bonum euenturum ciuitati, primum si puerorum recta educatio publicè excolatur: Deinde ab vnius sæpe bene instituti adolescentis imitatione atque exemplo. Quod potuisti modò in te expertus commodè existimare Paule, cùm enim in te vnum spectet iuuentus nostræ ciuitatis, cunctaq; sese ad te applicet & familiaritate tua maiorem in modum gaudeat, potuisti reprimere paulò antè maledicentiam, quæ increbuerat in iuuentute tam promptè de altero & tam libenter detrahendi: quo more cùm pro natura tua abhorrens ipse, comiter ab iis petiisses vt abdicerent, facta est iuuentus tua opera modestior. PAV. Equidem quid egerim nescio, nec si quid etiam ago, id mihi pater tribuendum est, sed tibi: veruntamen illud & cognosco & fateor, plurimum in eo fore ornamenti & commodi ciuitati, si iuuentus bene instituta sit: quod vt contingat, vtinam ea omnes, quam tu mihi modò præscripsisti, vtantur disciplina: quicunq; ille quidem extiterit sic educatus atq; alitus, hic maximum habiturus est profectò Deorum immortalium erga se beneuolentiæ testimonium. IAC. Nimirum ita est Paule, orandusq́; Deus, vt quamplurimos velit suæ huius benignitatis esse participes. Verùm nos hoc transacto bonorum morum & disciplinæ rectæ curriculo, rursus alium cursum veluti reprehendentes ad caput & pueritiæ principia iam tertiò redeamus. PAV. Nempe vt quæ literarum iam & doctrinæ sunt, artiumq́ue earum quas vocamus optimas, eorum ornatu & ordine instituas adolescentiam; IAC. Næ: atque vt vbi vera residet virtus, non vbi imitatio agitur virtutis, eam illuc deducamus. PAV. A Diis penatibus ad Apollinis & musarum videlicet. IAC. Quid si ad eam sapientiam potiùs, quæ è capite patris prognata, & eodem amoris spiritu cum patre ipso nexa atque concors, ad omnem mortalium illustrandam vitam olim egressa est, & cùm nihilominùs permaneret in patre, ad nos se contulit, vt abiectos humi, & nil sublime meditantes, ad cœlestium bonorum, & certam immortalitatis spem excitaret? huic enim de-

betur quodcunq; perfectum est, quod in trinitate potissimè
spectandum. PAV. Sic quidem oppidò melius, sed ego sa-
more locutus sum. IAC. Quod quidem ego minimè repreheo-
rim Paule: dare enim aliquid stilo & consuetudini eius linguæ
qua velis loqui, concessum sanè est: Sicut & nos vbi de diuinis
minatim non agitur, figuras illas & modos Latinæ dictionis
illuminandam orationem nõ inuiti adsciscimus: vt mehercule
terdum dicamus, mediusfidius, Deos etiam immortales plurimo
numero nonnunquam proferimus, non sensum ex his verbis
lum, sed sonum duntaxat quærentes, atq; vt splendidior & fa-
tior, nec abhorrens ab ipsa antiquitate procedat oratio: quæ
ea quidem suis ornata atq; instructa dotibus, ad docendum
verum, sanctum, rectumq; sit, & ad impellendum in id quod
ueniat agi, maius multò pondus & maiorem quandam vim
fert. PAV. Nauiter studendum est igitur orationi, & stilo, vt
intelligo loqui. IAC. Et maximè quidem si quid agere aut per-
cere vis quod sit egregium: nam philosophia, & quam præcipue
quærimus, virtus ac sapientia, si tibi tecum viuendum esset
forsitan se vna contenta foret, neq; requireret quicquã amplius.
Cùm verò tibi in cœtu hominum, & cum plurimis viuendum
omniumq; studiorum, vtilitatum, officiorumq; & tuorum
illis & illorum tecum communicatio facienda, ad hanc humanæ
vitæ societatem aptè commodeq; gerendam, nullum instrumen-
tum est oratione præstantius. Itaq; & facio sæpe, & facturus sum
vt te adhorter imprimis ad hæc studia, quibus dicendi egregia
præstans ratio comparatur: hoc etiam studiosiùs, quòd me qui-
tum proficias, & quid mihi spei præbeas nil pœnitet. PAV. Faciam
equidem quod meum est, vt labore & diligentia tibi satisfaciam
mi pater: quantum verò effici per me possit, totum tuo iudicio
permittam. IAC. Dabitur hac in re opera ab vtroque nostrum
Paule, vt rectè sit. Sed nos aliud initium nostri sermonis facien-
tes, redeamus ad eandem pueritiam de qua totiens iam iterum
mus loqui: vt eam alio quodam itinere, alia semita ad indagan-
dum melius virtutem deducamus: nam quæ adhuc de virtute di-
cta sunt, etsi verissima ea sunt, creduntur tamen à iuuene, non in-
telliguntur. Hic autem tertius quasi actus nostræ deductionis
liquis perfectior, in eum locum adducet adolescentiam, vnde
alienos imitari gressus, sed ipsamet cernere quò & quà vade-
dum sibi sit tanquam è specula poterit, suiq; erit consilij diui-
na & voluntatis. Igitur puerum vt primum fari commodè, & ve-
ba disertè proloqui poterit, aliquosq; ingenij cœperit ignitiores
iacere pueriles, studiosè inducat pater in opinionem & desideriu
addiscendarum literarum: quod perquàm aptè fiet, si accersendo
maiusculis pueris, qui iam aliquantum in legendo profecerint,

& illis auscultandis, laudauerit præsente filio rectè recitantes, exosculatusq; fuerit, aliquid etiam dederit muneris ac præmij: monebitur enim animus filij ad eadem æmulanda studia, in quibus alterum sic probari perspexerit: ipseq; vltrò petet, ipse flagitabit easdem sibi tabellas, & eandem exercitationem dari. Quæ dandæ erunt, cùm ornatæ ipsæ & concinnæ per sese, tum illustribus scriptæ literis, vt omnibus rebus, quibus capi potest illa ætas, ad amorem & cupiditatem legendi perliciatur. Semper enim prouidendum diligenter est, vt literarum desiderium ita antecedat in puero, vt nunquam satietas nimia consequatur. Sed etsi peter eiusmodi sit, vt omnibus ipse optimis artibus literisq; eruditus, docere possit filium, & præclarè eum in omni doctrinæ genere instituere, censuerim tamen idoneum illi magistrũ esse diligendum, qui huic vni vacet negotio, nullaq; omnino re alia, neq; occupatione teneatur, sed sit in hanc curam erudiendi filij totis intentus, a qua patrem sæpe familias, tam forensibus quàm domesticis negotiis necesse est auocari: hanc nostram de adsciscendo liberis magistro sententiam M. Cicero comprobat, qui cum ea esset ingenij, literarum, & omnis scientiæ gloria, vt locupletasse ipse & ornasse potiùs eloquentiam, quàm vlla ab ea ornamenta sumpsisse videretur, in erudiendo tamen filio alienis magistris vsus est: verum hoc quod facile est præceptu atq; imperatu, re ipsa & experiundo vehemẽter fit difficile. Rari enim sunt, vtinamq; adeò rari isti, aliqui tamen essent, qui comprehendissent animo, quid sit verè sapere & vinculum illud quo omnes humanitatis artes inter se continentur, ad cuius vnius sapientiæ spem & alimus & constituimus filium, quale sit, tenerent: neque ij aut ostentandi sui causa, aut lucri faciendi, aut popularis auræ colligendæ, ad singulas addiscendas sese dederent artes: si tamen addiscere est ignorare, quem ad finem percipiendum sit quod addiscas. Sed quoniam de hoc errore vulgato & propè cõmuni in nostro de laudibus philosophiæ libro satis est dictum, & alibi sæpe dicetur, reuertamur ad puerum eum quem in manibus habemus, magistrumq; illi præficiamus è literario ludo, cuius mores probati sint, & diligentia in docendo cognita: qui ita quotidianum pensum legendi & scribendi à puero exigat, vt nulla in re sit asper, nec minis, aut violentia vtatur: summoperè enim cauendum est, ne eas literas odisse incipiat puer, quas nondum potest ipsarum causa diligere: spe ille potiùs & laude prouocandus est, interdumq; ex pacto agendũ, vt cùm plures horas sibi ipse sumpserit ad pueriles obeundos lusus, vnam aliquam prębeat magistro. Legendi ergo & scribendi prima præceptio est puerorum, & primum rudimentum: quod promptè & celeriter facere debet puer, ac sine vlla dubitatione vel minima nosse literas,

vel ipſas per ſeſe, vel in ſyllabis dictionibusque coniunctas
noſſe ſolùm, ſed pronunciare commodè ſono vocis ſuppo
ctoque, literis neq; oppreſſis nimium, neq; expreſſis: item q
legere curſim quicquid ſcriptum oblatum fuerit: idq; & prin
& rurſus retrò contraq; reuoluere: hæc enim quamuis mini
videntur, tamen quoniam fundamenta ſunt cæterorum, ſtim
ſunt ſtatuenda, immorandumq; in his aliquantò diutiùs, quo
planè reſideant, atque comprehendant. Quod autem de litt
vel de literarum potiùs elementis ac notis dictum eſt, non ad
tinis tantùm, ſed de Græcis quoq; volumus intelligi: harum
vtramq; linguarum ab eo volumus addiſci, qui ad eximiam
ſummæ virtutis alatur: vtriuſque enim maximi & doctiſſimi
tores ſunt, omniaq; doctrinarum genera in vtraque egregiè
tradita: tum autem prudentiæ, ſapientiæ, eloquentiæ vtriu
ſumma vis, & ita nexa inter ſe, ac mutuò ſe continens, vt qui
ram ſine altera perceperit, debile quiddam & mancum eum
ptus videatur. Ad vtramq; igitur & Græcam & Latinam orat
nem legendis & ſcribendis literis ſtatim de principio imbuend
eſt puer: in quo illud primum admodum occurrit laudabile
quod eſt in more poſitum, vt ſimul cum literarum notis, elem
ta quoque Chriſtianæ religionis in puero inſinuentur: nam,
dictum eſt, nec virtus, nec doctrina, nec ſpes honeſtæ ambo
agendæ vitæ vlla eſt, qua non pertinet, nec comes eſt religio; q
ueſq; tum ſententiæ ſummorum autorum proponendæ illi ſun
ad ſanctitatem vitæ, & ad exemplum fugiendarum aut expe
datum rerum pertinentes, quas animus tener bene apprehe
dat, deferatque ſecum in omnem poſteriorem vitam. Sed hu
conſuetudinem legendi iam ſcribendiq; familiariter ſequitur o
tinuò grammaticæ ars: cuius nomen ductum quidem a litera, q
nuem videtur habere appellationem, ſed eſt eius facultas vbe
non literas enim ſolùm, & nomina, verbaque, ac reliquas omn
orationis partes, ſed poëtarum quoq; & oratorum cognitione
ita complectitur & pertractat, vt paruum in iis relinquere vid
tur velle aliis artibus quibuſdam locum: quod meo eſt animo
tam grammatices proprium, quàm eorum qui ad ſuam exa
generibus facultatem doctrinamq; oſtentandam, huius artis n
mine abuti voluerunt. Scripſerunt enim de ea complures cla
viri, cùm Græci, tum Latini: ſed alij alio modo, preſsè caſtigat
nonnulli, multi abundantiùs: niſi fortè neceſſariò credimus
millia librorum ampliùs a Didymo in arte grammatica fuiſ
ſcripta. Apollonius in Græcis, & Herodianus probatorem
gnam laudem apud noſtros meruit Donatus, & qui illum Seruius
æmulatus eſt: tum deinde multi. Sed noſtrum non eſt contem
re ſcriptores: potiùs illud videamus, quomodo & quatenus
gramma-

grammatice tradenda puero est: neque vim artis totam, sed capitum ætatis illius consideremus: nam si qua sunt in illa arte difficilia & ardua, non tam necessariis quàm subtilibus implicata disputationibus, reiiciantur in id tempus, cùm aliis pluribus disciplinis instructus adolescens, otium conterere in huiusmodi quæstionibus poterit: quæ tunc vltrò sese illi offerent, & ex aliena quadam facultate acutius disceptabuntur: tenerum quidem parti animũ onerare his difficultatibus, nullius consilij est. Quid enim illi proderit nosse cõtrouersiam, vtrum participium sit pars orationis, an redigatur sub verbo: & vtrum vocabuli an nominis in rebus appellandis potior vsus sit: & similia multa, quæ ne intelligentibus quidem admodum vsui esse possunt? Potius mihi is ad illa aperte & simpliciter perdiscenda ducatur, quæ necessariam habent vtilitatem, vt literas distinguat, aliasque nouerit voces, quæ purum ex se proferant sonum, alias consonantes, quæ cum illis iunctæ & compositæ sonent, rursusque ex consonantibus semiuocales, quarum sonus incipiat à vocali: cæteras muras, in quibus vocalis sonus tantum desinit. Intelligat etiam bissonas, quas διφθόγγους Græci, ex duabus vocalibus esse compositas: tum his adiungat omnibus pronuntiationem congruam. Ad dictionum verò syluam ita traducatur, vt sine vlla ambiguitate addiscat octo illas peruulgatas orationis partes: quarum singularum proprietates, & quasi insignia quædam, debet cognoscere, vt sciat internosse: vt verbi causa, Nomen esse quod rei naturam aut qualitatem denotet in suo statu manentem, idque casibus defecti, speciebus diuidi, numeris mutari, generibus variari, figuris distingui. Verbum esse, quod rem in motu aliquo signet vel agendi vel patiendi, in quo pro casibus sunt temporum flexiones. Participium, quod affine vtriq; & verbo & nomini: tempus & motum accipiat à verbo, in reliquis sequatur nomen. Pronomen verò quod vicem præbeat nominis, in ijs nominibus scilicet quæ propria sunt, & certam personam aliquam indicãt. Aduerbia porrò & præpositiones illa, quod nisi verbo adiuncta vim habent nullam, hæ vel nominibus separatim appositæ, idque ferè semper præeundo atque antecedendo, vnde nomen nactæ sunt, vel etiam cum his & cum verbis in compositione copulatæ augent, vel minuunt, vel vertunt sensa eorum, quibus cum componuntur. Coniunctiones verò, quòd superiores quinque partes orationis binas trinasue adhærescendo coniungant. Interiectiones è contrario, quòd cursum & sensum clausulæ interpungunt aliqua voce humani affectus indice interposita, quæ habeat spẽ, lætitiam, metum, dolorem, alacritatem, admirationem, & similia quædam. Sed hæc, quæ in puerili disciplina commodius traducitur, perstringenda tantummodo nobis sunt, indicamus enim

iter duntaxat, non disciplinam ipsam tradimus. Sequuntur declinationes quatuor primarum partium orationis, quarum tres nominibus, verbum ipsum temporibus tantum inclinatur, quæ penitus memoriæ mandandæ sunt: earumque varietas facile est & familiarissimè discernenda: tum autem qui cuique verbo casus subsequatur, quive antecedat, hæc enim summa cum quidem animo grammaticæ facultas, scire ita struere & componere orationem casibus, numero, genere, temporibus, vt nihil sit perturbatum, nihil non concors, nihil non inter se aptè cohærens & consonum, quod tam in versibus, quam soluta oratione tenendum grammatico est: est enim & huius artis propria quædam ritatis syllabarum notio., & quis cuique carmini pes conueniat, nam verborum & nominum quæ communi analogiæ præmunita sunt, & discrepantes a consimilium cæterorum ratione intelligere formas, vsus & cognitio, non tam scrupulosis anxisque præceptis, quam ex bonorum autorum crebra lectione percipienda est: quod idem de rectè scribendi scientia, quæ Græcè orthographia est, dicimus: hanc enim onerosam & difficilem puerisque noscendum, si per regulas præceptaque tradamus, assiduus legendi scribendiq; vsus melius confirmat, & in vniuersum tota grammaticæ ars plurimum communi consuetudine loquendi, & veterum doctorum autoritate nixa est: cuius extremum & finem scire aptè construere, & coagmentare orationem, vt nihil discors in ea, neque præposterum sit: idque tum fusa oratione, cum carmine, in quo syllabarum præterea quantitas expendatur. Hæc cum efficere poterit puer promptè & paratè, atque vt in agendo nihil hæsitet, est enim propterea quod hæc ars fundamenta est, & veluti solum reliquarum artium, vt si ea debiliter comprehensa sit, omnem superextructionem nutare oporteat, diligentiam in ea elaborandum, optimè vt teneatur. Cùm inquam fuerint hæc puero benè percepta, & cognita, tum audentius quicquid libuerit oneris est illi imponendum: nam & ipse his nodosis & minutis difficultatibus expeditus, quæ laborem animi in puero non mediocrem, delectationem habent propemodum nullam, tanquam equus modo domitus gestiet in campos procurrere liberiores, & suarum virium, suique ingenij aliquod periculum facere: Ita quæ sequentur iam non laboriosa illi, sed grata iucunda erunt. Igitur è vestigio ad exercitationes & præcepta artis rhetoricæ traducendus est: cui eadem quidem quæ ipsi grammatico subiecta est materia, nominum & verborum videlicet, & omnia formandæ componendæque orationis, verum alio modo. Ille enim, vt diximus, sat habet struere aptam inter se & congruentem personis temporibusque orationem, aut carmen suis pedibus & numeris integrum componere, eoque functa officio quie-

fcit,

sit, nec habet causam vlterius progrediendi. Rhetorica verò hoc quidem accipit ab illa, tanquam sibi necessarium, sed nulla est in necessariis dignitas. Itaque sic excolit acceptum atque exornat, vt illo apparatu instructuque orationis nihil fieri possit admirabilius. Hac de arte plura dicenda essent, quippe è qua tantum sit humanæ vitæ ornamentum, nisi in Cicerone præclarissimè expressa essent omnia: quem & meo hortatu, & voluntate tua assiduum in manibus Paule geris: hic enim tibi & nunc, & postea, & semper legendus est: nec legendus solum, sed omnibus intimis sensibus & modis deuorandus: nulla est enim laus prudentiæ, nullum lumen orationis, nulla sententiarum dignitas, nulla verborum, nullus in dicendo lepos, nullum acumen ingenij, nulla vis animi, quæ non in eo non dicam appareat atque extet, verùm ita emineat, acrisque ad permouendum vehemensque sit, vt ueniente quodam omnium suauitatum obruat sensus animosque legentium. Sed etsi in hoc vno omnia insunt, quæ ad huius præclari generis facultatem videntur esse requirenda: prætereaque & doctrinæ & sapientiæ maxima cum his coniuncta vis: tamen vbi te ad huius imitationem conformaueris, neque colorem solum, sed succum etiam & habitum illius orationis fueris nactus: tum legendi cæteri quoque tibi sunt autores Latini, Græcique, tum oratores, tum etiam poëtæ. Est enim huic ætati, in qua tu es Paule, & verò etiam consequenti magno ornamento simul & emolumento, videre multorum ingenia atque scripta: quòd & multa addiscuntur à multis, quæ ad vsum & manu quotidie opportuna accidere possunt: & lectio varia ac multiplex iudicandi vim prudentiamque confirmat: quæ si in vno duntaxat genere versetur, nec habeat qui cum quid comparet, non delectu vllo ad id se applicuisse, etiam si sit optimum, sed casu & fortuna in illud solum incidisse videatur. At nos delectu volumus & iudicio valere vel maximè eius adolescentis naturam, de quo iamdudum insistimus loqui: quanquam non est adolescentiæ iudicare, vigere ingenio illi ætati potius conuenit: poetrò autem ingenij est cùm percipere celeriter id quod tradatur, tum verò arrepto à demonstrante principio, præcurrere aliquantum, & ex paucis statim plura aliqua intelligere: quod quidem eximium, imprimis optabile Deorum immortalium in nobis donum est: iudicandi autem ipsa vis, non tam celeritatem, quàm pondus habet, neque in præuidendo magis, quàm in circumspiciendo est posita: ex multis enim circumcirca sese offerentibus eligat illud oportet, quod maximè sit accommodum: quod quidem fieri sine comparatione plurium non potest: quam nobis probandi & adsciscendi potiora facultatem vsus rerum multa-

multarum, & in hominum consiliis, fortuitisque euentibus la-
ga agitatio, imprimisque lectio erudita & varia affert: neque
men absque illo naturæ munere, quo bono ingenio prædi-
cem venimus: nam si ingenium absit, pro nihilo cuncta sunt
naturam vbique præcipuè dominari appareat. Sed etsi nec
iudicatio propria adolescentiæ, eis tamen armis, & eo cultu
mitatuque rerum illa ornanda ætas est, vt cum maturum fuer
acutè queat & rectè iudicare: in quo maximam partem lit-
rum scientia adiuuabit, & cognitio vetustatis, & lectio quam-
rima summorum probatissimorumque autorum, quorum am-
est aspernandus ex his, quos iniuria temporũ de multis mul-
nobis fecit: nec solum egregia vtilitas, sed maxima quoque
lectatio ex illorum lectione varia percipietur. Iuuabit cogni-
ac mirari vnà vim illam incredibilem vehementiamque De-
sthenis: cuius oratio sic sensis inter se, quasi hamis, conser-
mihi videtur, vt si literam vnam tollas, seriem totam labare
necesse: ita quidem est pugnax, vt semper vincere: ita plena
referta, vt obruere: ita arguta, vt nunquam non decipere adu-
sarios possit: quàm crebra præterea in ea prædicatio antiqu-
tis, qui delectus verborum ac sententiarum, quàm multæ al-
dem & ad decus sumptæ ex tempore & ex causa cohortation
vt merito huius vnius principis in dicendo gloria Græc gen
eloquentia nitatur. Huius inimicus & in repub. aduersarius
schines toto genere omissior, canorum tamen habet quiddam
profluens. Subtilis Lysias & verbis maximè proprius. Nam Iso
cratis eloquentiam probatam alioquin, nimiæ concinnatam
quædam quasi delitiæ, vt minus videretur virilis efficere. Hom
& cæterorum, vt dico, crebra lectio non solum voluptatem affi
cognoscendis summorum hominum ingenijs ac dissimilitudi-
bus, sed auget etiam facultatem inter dissimilia & varia genera
dijudicandi. Quod idem de rerum gestarum scriptoribus est
cendum, quorum nostris mehercule non minor est quàm Gr
cis aut elegantia aut copia: atque in his aliquantò etiam expr
sius apparet, quod ad confirmandam prudentiam hominũ p
tinet: veterum enim ducum, & eorum qui in gubernatione
rum publicarum floruerunt consiliis actisque perdiscendis,
quid cauendum in vita, & quid sectandum sit exuentis illorum
facilè intelligitur. Quid de Poëtis dicam? quorum cernis pro-
cto & quæ in vtraque lingua copia, & quanta non solum ad
mulcendos, verùm etiam ad impellendos animos nostros vi
atque hoc genus sanctum, & Dijs amabile semper habitum
non enim tam studio humanáue cogitatione, quàm spiritu qu
dam diuinitus inflati, videntur illa effundere, quæ sonis nume-
risque constructa aures sensusq; corripiunt: & ad permiscendos

animos

animos nostros tanquam illiquefacta funduntur : vt in quam-
cunque impulerint partem, non videatur posse obsisti. Quo et-
iam et illa Platonis repub. quam is in libris perfectam condidit,
poëtæ exire iussi sunt, ne si ad suum arbitrium,& quodcunq; eo-
rum animis libuisset scribere ac diuulgare aggressi essent,quod in
communi liberum erat Græcia, ciuium suorum mores facilimè
corrumperét: & reuera plus est in hac facultate momenti, quàm
cuiquam forte suspicetur, tum ad frangendos, atque eneruan-
dos voluptate, aut cæteris permotionibus animos, tum rursus ad
eosdem virtute & constantia corroborandos. Sed quoniam hoc
videtur esse communis Musicæ officium, cuius pars vel præcipua
poëtica est, eaque adeo sedes & basis, qua tota ars Musica collo-
cata est & sustinetur,de ea est aliquid dicendum, si quid nobis ve-
lum hoc cursu & hac commemoratione artium ingenuarum,&
quasi ad finem contendamus prius exposuerimus. PAV. Equi-
dem pendeo animi quo tu loco statuas esse Poëtas,& illam Pla-
tonis sententiam pertimesco : sed tamen cum recordor me te au-
tore cum illis viuere iamdudum familiariter, eosque sæpius in
manibus habere, consolor ipse me, nec vereor vt tu mihi illam vel
obtrectationem & requiem à seuerioribus studijs, vel etiam vt ego
existimo non mediocrem vtilitatem ad linguam & vitam exco-
lendam adimas : nam si quis mei ingenij captus est ad ista expen-
denda, in quibus tamen quotidie versor, nec intelligo quid Ho-
mero vberius aut magnificentius legere possim, nec quid Virgi-
lio diuinius : qui duo cum sint non singulorum sæpe hominum
studio solum, sed ipsarum nationum contentione inter se com-
parati, vtri dandus sit in hac laude principatus, soleo crebrò vsur-
pare sententiam tuam : qui sic dicere es solitus, plurima esse in
Homero quæ in cœlum tolli, nihil in nostro quod melius possit
optari : illo tamen tanquam fonte & patre omnium doctrina-
rum omnes veluti riuos fluxisse putas. Nam quòd comœdiam
saepissimas priuatæ vitæ & ciuilis cõsuetudinis esse magistram,
speciem habet, vt ego arbitror, hos quoq; poëtas non repudian-
tes : quorum Terentius ceu sedatus amnis quemadmodum fluat
pure & leuiter, nihil secum turbidum neque fucatum deferens :
vique & accommodet ad omnia quæ incidunt, apte, scite, ele-
ganter, & narranda & respondenda, quis legens non cum qua-
dam animi delectatione miretur? in quo mihi videtur habitare
ipsa modestia : sic enim cauet ab obscœno spurcoque, vt inter-
dum quid quamque deceat personam parum attendere videatur.
Fluerus fortasse licentior : sed tamen quid eo ad locupletandam
latinam orationem & facilitatem sermonis copiamque verbo-
rum, potest esse vtilius? De poëtis cæteris non loquar, quorum
& Græcis & Latinis festiua copia : plura enim genera poëta-
rum ha-

rum habentur, quod in oratoribus fortasse non ita est. Sed hoc dicam communiter de vniuersis, cùm sit aliquid in vnoquoque quod excellat in aliqua ingenij parte, & in plerisque laudabilia permulta, non videri hoc genus ab institutione bonorum morum & à studiis doctrinæ eius quam expetimus repellendum esse. Quòd si fortunæ & temporis iniquitas aut nobis in vetustate conseruandis autoribus tragœdiam reliquisset, aut non admisset Græcis comœdiam, magnam opinor voluptatem ex Græcorum & Latinorum inter se scriptorum contentione caperemus. Sed quando hoc nobis bonum ereptum est, siue hæc hominum iniuria fuerit, siue temporis, ex alternorum tamen lectione licet animaduertere, quæ sit vtriusque generis vis, quanquam tragœdia fortè turbulentior, & ad concitandos diuersis affectibus animos non parùm certè potentior. IAC. Polite ista admodum & perquàm commodè Paule: itaque gaudeo tua istam expendendis scriptoribus Græcis & Latinis attentione ac diligentia, in qua specimen nobis eximium tui ingenij præbes: mihi quidem non paruam laboris partem ademisti in discernendis & dijudicandis poëtis, nam hos modo quos commemorasti, & alios ferè horum similes non legendos solùm, sed habendos sibi perquàm familiareis puto: nec vsque eò Platonis illud interdictum horreo, vt non putem bonum morem potiùs poëtis, quàm poëtas bono mori legem esse laturos. Sed tamen neque ille in eo statuendo non aliquid secutus est: & nos te nolumus in numero ducere poëtarum sotadicos istos impuros versificatores, qui ad omnem petulantiam progressi, omnia scurrilibus probris referserunt. PAV. Nequaquam mi pater, intelligo enim quos dicas, nisi si quando illi legendi sunt, vt excellentium & grauium poëtarum virtus & sapientia magis eluceat. Sed quod de Musica te velle dixisti dicere, id ego audire sanè aueo. IAC. Quippe qui in hac arte patris tui cura apprimè à pueritia instructus fuisti. Sed ego non ea dicam quæ huius vulgatæ & triuialis Symphoniæ sint, cuius auribus tantùm suauitate demulcendis omne est lenocinium, & quę in sola penè vocum flexione ac modulatione ipsa consistunt: hanc enim velut bonis moribus inimicissimam iure & ab repub. sua exclusit Plato, & in suas ciuitates Aegyptij nunquam admisere. Sed dicendum est de vera Musica, cuius animis ab agresti illo rigidoque sensu ad vrbanitatem reflectendis, & eisdem rursus ne mollitia nimia perfluant, virtute & constantia vinciendis, totum officium est: & quoniam diximus esse quiddam quod anteuertendum primo nobis videretur, sic habeto: cùm, quemadmodum in stadio fieri solet, nos in hoc disciplinarum & artium ingenuarum veluti decursu quasi è carceribus deducamus adolescentiam, vt eam in loco vbi est pre-

mium

tam certaminis positum sistamus: summum esse illud & extremum quo tendimus, ipsam illam de qua totiens iam locuti sumus, perfectricem naturæ humanæ ac rationis & beatæ vitæ largitricem philosophiam: ad quam cum fuerit peruentum, constituenda in ea sedes est, & omnium consiliorum collocandum domicilium: quippe cum nec quod ad salutem nostri, tranquillitatemque pertineat, nec quod ad sani animi plurimas capiundas voluptates vtile sit, quicquam ibi possit deesse: porrò exorsis huius nostræ deductionis grammatice ipsa extitit: è qua cum tantam institeris in ea quantum fuerit necesse, ad ornandam & excolendam, alia quadam arte & doctrina orationem discedendum est, cuius imprimis necessariæ & maximè præclaræ facultatis studium in omnem reliquam deinceps vitam pertinere debere dicimus: tanquam sine qua magnus vir quispiam, & inter cæteros gloria eminens nec domi, nec verò etiam belli existere facile possit. Verum etsi hanc exercitationem grauiter, distinctè, omnique disserendi, qua de re cunque fuerit propositum comitem adoscenti, in omnem ætatem tradimus, vt cùm vnà cum eo ad philosophiam tanquam ad mare fluuius peruecta fuerit, coalescat cum illa in vnum quasi corpus & confluat: sic eam voluimus aliarum artium ac disciplinarum, tanquam aquarum & fluuiorum accessu, vberiorem fluere. Itaque nulla est earum artium, quæ liberales sunt, & ingenuo homine dignæ existimantur, non suscipienda adolescenti quatenus commodum sit, hoc est vtrum in vna quaque ponatur temporis, quantum fuerit satis, nam neque erit negotium difficile, & illæ tamen societate & consensu quodam nexæ inter se & colligatæ sunt, vt qui in vnam penitius intrarit, facilem sibi aditum patefaciat ad cæteras. Itaque antiqui illi Græci, qui hæc curiosius & in maiore otio quam nostri tractauerunt, cum cernerent ad perfectam summamque sapientiam, quam illi in gubernatione rerum publicarum: & in excellendo ac præstando cæteris hominibus consilio ac eloquentia positam arbitrabantur, iter esse per huiuscemodi artes, præceptores quidem dicendi simul & sapiendi quos illi Sophistas vocabant, quasi ciuilis prudentiæ magistros, impenso conducebant pretio liberis: vt affixi illis semper, ab eorum latere nunquam discederent: ad alios verò doctores Geometras, Musicos, Astronomos, filios tanquàm deambulatum iubebant duci: apud quos tamen aliquid reperirent quod operæ pretium esset addiscere. Sed cum ætas puerilis & paulò etiam magis adolescens plurimo igni citata & viuida, quiescere nullo pacto queat, semperque in agitatu motuque sit, nec garriendi, cursandi, clamandi constituat modum, quas putauerunt artes regendæ illi ætati & temperamẽto quodam fingendæ idoneas potissimũ esse

eas pri-

eas primas adhibuerunt, gymnasticam videlicet & musicen-
rum altera corporis in puero motus, altera animi, effin-
per sese & immoderatos, sub leges quasdam redigeret: n
suos naturæ cursus impetusq; permisisset, affingeret tamen
dam ex arte & disciplina, quod cum venustatem omnib
motionibus, tum corpori valetudinem, animo modestia
terea posset afferre. Ac quod ad corpus quidem & eius ex-
tiones attinet, permulta ex illo antiquo vsu contraria cons-
dine sublata sunt: non enim nos neque frequentibus bal-
mur, neque quotidie lauamus, quod illi studio faciebat
oleum iam diu aut palæstram vllam nouimus: tantum qua-
Romanæ exercitationis propria in nostris moribus rem-
runt, pleraq; equitare, currere, pila ludere, iaculum mine-
tare rudibus, & si qua eiusmodi sunt ad laborem corporis
dinemque spectantia, quæ non tam sunt artis, quàm studi
quibus decor omnis accersendus est, non à præceptis m
sed ab ipsius ingenio & modestia adolescentis. Vnum enim
quum est commune gymnasticæ & musicæ agitandi corpo
tificium, quod in choreis situm est, & in ipsa arte studioq
dium sonitum tibiariumue saltandi. In quo ipso tamen
priores partes obtinet, ad quam, quoniam de gymnastica
est dictum, eis coloribus quos probauit antiquitas in pue
animis depingendam iam transeamus. PAV. Quam vere
hoc quicquid ego didici musices, ex eo genere sit, quod
nus probandum esse videatur, quamquam ego iamdudum
propè desueui, &, vt tu videre potes, minus minusque eo
die delector, & ad hanc grauiorem & nobiliorem musicen
conspicor in poëtis, libentius me dedo, quæ animum mea
numeris & dignitate ac grauitate sententiarum propè in
rapit. IAC. Quod didicisti Paule de vocibus & tonis (si
vos appellatis) aut tollendis in acutum, aut rursus in gra
primendis, itemque de certis, falsisque vocibus, nec non
quantum integer tonus, quantum dimidiatus pendat, q
diapason vis, quæ in diapente, qui gradus vocum numer
ipsorum inter se permutationes, quæ cui voci cum voce
consonantia, & si qua sunt talia musici ludi documenta, m
ciabor ea abs te & rite & necessario percepta esse. Sed hæ
rum cognitio est non difficilis: illud videndum, ne mal
sine dubio ad hominis naturam imprimis accommodat
rupta ea sit, mores deinde quoq; & animos nostros ipsa
pat: etenim nihil est profecto ad obligandum & con
dendum animum numero potentius, nec quod se magis
nuet, aut normam legemque præscribat, quemadmodu
velit moueri & affici: declarat hoc tacita ipsa sæpe lectio

rum & poëtarum, quando in vtrisque numerus modique sunt, & mensuræ interuallaque verborum, & si in poëtis id multò est expressius: sed tamen hos cum legimus, sentimus non intus affici, & qua numerosa illa vis sese inferat, cum hac vna ferri, & in omnem partem pertrahi sensus nostros. Quod si vox cantusque accedat illi compositioni accommodatus & congruens, vix vllam animi robur obstiterit, quin det manus, & se ducendum tanquam addictum præbeat. Quid ergo est? quò plus in hoc genere est actionis & virium, hoc magis prouidendum erat, quod tamen nequaquam sit, vt ne cuique liberum esset, quemadmodum quisque vellet musicæ modos & variare & flectere, sed statis quibusdã & publicè probatis omnes cogerentur vti: quod quidem antiquitus Lacedæmone vsque eò seuere fuit obseruatum, vt Timotheum Citharœdum nobilem imprimis magno concursu artem Spartæ profitentem, quod chordam vnam addidisset in cithara, tanquam soluentem leges, & labefactantem iuuenum disciplinam, illa ciuitas exterminandum curauerit. Quod si quæratur qui modus sit in musicis tenendus, hæc ego omnia attendenda esse puto: cum constet chorus ex tribus, sententia, rythmo (hic enim numerus nobis est) & voce, primum quidem omnium & potissimum sententiam esse, vtpote quæ sit sedes & fundamentum reliquorum, & per se ipsa valeat non minimum ad suadendum animo vel dissuadendum: numeris autem modisque contorta penetret multò acrius: si verò etiam cantu & voce fuerit modulata, tam omnis intus sensus & hominem totum possideat. Videndum est igitur acutè vel ciuitati, si quæ forte aliquando publicè huius rei susceperit curam, vel priuato ciui, qui benè & publicè erudiendi filij certè sit curiosus, ita vt addiscatur hæc ars, vt quod subiectum materiesque est artis, verba videlicet & sententiæ, ex genere eo sint, quod ad optimos conseruandos alendosque mores valeat plurimum: quod idoneè fiet, si aut laudes clarorum virorum, eorumque dicta & pronuntiata ad virtutem pertinentia, aut diuinæ res, & de Deo ipso ea prædicabuntur, quæ habent illius bonitatis, benignitatis, clementiæque commemorationem, cum maxima nostra vtilitate beneficiisque coniunctam: cuiusmodi primum scripsit in originibus Cato, vsurpatum fuisse apud veteres Romanos, vt post epulas ad tibiam fortium virorum laudes, & præclara in patriam merita canerentur: altero interdum vtuntur poëtæ, vt apud Virgilium Iopas, de sole, & luna, & cœlestibus rebus illic canens: apud nos verò sublimius multò atque sanctius, qui sacris numeris diuinæ potestatis, & erga nos beneficentiæ mysteria cecinerunt: quod & nuper multis omnibus approbatibus fecit homo ingenio & eloquentia & Christiana pietate in omni poëtica facultate præstans Actius

Syncerus: hac quidem basi supposita & collocata, adhibeb
iam deinceps numerus est: qui nequaquam poterit profecto
dus esse, & mollis, & inconstans, si dignitatem illius sentent
aptè debeat modulari: sed habebit suauitatem austeram d
lem necessariò, grauesque consectabitur modos: non enim
natura ipsa fert, aut nostra potest pati expectatio, vt fractum
gium Mutij Scæuæ si quis narrando astringat, numeris celeb
id iambis debeat euoluere: festinationis enim & auiditate
turbati iratique animi pedes illi sunt, non constantis insistu
virtutis: neque item deuotio illa Deciorum, & in medios hos
procursus, cùm se illi pro patriæ salute ad certam proiecerent
rem, mollibus elegis aut fluentibus dithirambis vincienda
sed heroum quærit carmen, vt dignitatem rerum par oratio
consequatur: Porrò sententia & numero consonantibus ipsa
terit vox illis solidum & virile tenentibus ipsa infracta & mu
bris esse, qui iam erit concentus non solum ad bonos mores
disciplinam vtilis, sed etiam, vt mea fert opinio, iocunditate
& amœnitate longè superior: non enim dulci quodam veluti
cocto satietatem cito afferet, & sensus fastidio abalienabit,
suauitatem autoritate condiens tenebit diutius, atque in ado
scentium animis insinuans præclarum illud fœdus honestat
cum voluptate, quod caput esse bonorum morum diximus, i
neum erit id & conciliare in animo, & conseruare. Hanc ego m
sicam & tibi Paule & omnibus adolescentibus, qui virtutis
lunt esse studiosi, & sectandam cupide, & firmiter comprete
dendam præcipio: quanquam tu quidem nostra monita tuo
dio antecedis. Nam ista quæ nunc vulgò & passim celebrat
musica, quid habere in se potest recti ac decori, quæ aut nulla re
borum fermè & sententiarum sede suffulta sit: aut si etiam h
beat subiectam aliquam sententiam, illius tamen sensum ac m
tionem concise fractis ac vibratis inter fauces vocibus infuscet
impediat: quasi verò iccirco reperta musica sit, non quæ mulce
temperetque animos, sed quæ auribus tantum deseruiat & im
tur volucrum ac bestiarum cantus, quarum tamen similes
nollemus: at hoc est corporeũ animum efficere, & minimè cum
potem sui: à quo iure optimo cum abhorreret Plato, huiusm
tali musicæ in sua ciuitate noluit locum: namque vbi molles
fractæ, voluptariæq; sententiæ paribus numeris, & simili mod
modulamine proferuntur, vel ad libidines fluxæ, vel in dolentia
languentes, vel ad subitos turbidi animi motus præcipuæ, &
concitatæ, quam tu ibi labem virtutis, quam bonorum morum
vastitatẽ fieri putas? Et nimirum hoc modo primum priscum
suum morem rectum & laudabilem corrupit Græcia theatris
scenis nimirum frequentandis, chorisque illis imprimis adfi
scena

dendis, qui suauitate aures, animos autem maximè affectionibus varijs permouissent: inde in vrbem Romam deuecta illa pernicies, neruos antiquæ grauitatis perfregit, & discidit: nostra autem hac ætate quid sperari debeat boni ex huiuscemodi musica, perceptum est cognoscere, cum videamus quibus moribus sint hi, qui eam tradunt & profitentur. Quamobrem non illa hæc est digna homine libero, sed quam paulò ante protulimus, laudabili sententia, grauibus numeris, voce virili ad studium virtutis animum accendentem: cui si adiungatur præterea motus agitatioq; corporis ad sonum numerumq; conuersa, iam saltatio exoritur, & choreæ ipsæ, quarum nos vsum non penitus interdicimus adolescentiæ, tarò modo illæ & sobriè exerceantur: nõ inutiles erũt exhilarandis animis, & ex studiorum labore & contracta illa cura reficiendis: verùm missas eas facere celeriter oportet, & saltationem totam deserere: maturè enim fit inepta, neq; potest cum grauitate virili, sedatioribusq; moribus vllo pacto in vnum locũ temporique conuenire: paulatim deinde quoque cantus & vocis modulatio relinquenda est, vt ne vtamur ea ipsi, non vt ne audiamus venteis alios. Nam auditio cuicunque ætati concessa sanè sit, etiam senectæ, & vltimæ, dum modice fiat, neq; nimis dedita operi expetatur. Rhythmos quidem & sententias numeris astrictas illo genere graui, siue in legendis poëtis, siue in carminibus interdum etiam pangendis, omnis vitæ comites volumus esse, habent enim amœnum iuxtà atque opportunum à seuerioribus sæpè studijs & publicis curis occupationibusque diuersorum. PAV. Percepi planè mi pater, & quid tu adsciscas, probesque in musicis, & quid repellas: dabo operã igitur vt tibi in vtroque ac veritati ipsi satisfaciam. IAC. Ne Arithmetica quidem Paule non aduocanda est in cæterarum consortium disciplinarum, quæ est ipsa ars & scientia numerandi: cuius vsus ita nobis necessarius est, vt videamur absque ea ne quot digitos quidem habeamus in manibus, aut quot oculis intueamur scire posse: quod ridicule videtur accidisse priscis hominibus ante Palamedem, cuius hoc inuentũ apud Troiam fuisse fertur: quo quidem tempore neque Agamemnon tanti exercitus dux, neque is qui in consilijs excellere ab Homero dictus est Nestor, neque verò Vlysses mortalium omnium versutissimus, numerum earum nauium, quibus appulerunt ad Troiam, potuissent dicere. Sed fabulis missis, huius artis scientia atque exercitatio adolescentibus tradenda est, quatenus quidem expedit: principia enim certè percipienda sunt, & introrsum nonnihil penetrandum, vt numerorum differentias, parisque & imparis vim, ac ipsorum inter se multiplices ac varios intelligamus nexus, respectusq; propè mirabiles referentiũ certis interuallis & spatijs

priores in numeris antecedentibus affectiones ac notas posti-
rum semper numerorum, ac si qua sunt alia eiusdem modi, ac
cum ingenua oblectatione noscendæ artis liberalissimæ, ac
cuendum excitandumq; ingenium præcipuè idonea sunt: n-
temque præterea à corporeis abstrahunt rebus, & ad meli-
suimet vsum conuertunt: vt sua vi nixa, neque sensibilium
rum diuerberata, cogitationibus in illa æterna & immobili ve-
tate intuenda firmius hærere possit, id quod scientia hæc
imprimis: est enim numerorum ea natura & vis, vt nullo ac
nimo commercio cum fluxis rebus, & nunquam in eodem
manentibus, implicata sit, sed tanquam pura & simplex, &
seposita virgo, non adeuntium oculis, nec manibus, sed
tantummodo mentibus attrectetur: quo etiam deterius
illa & suæ vitæ auspicium faciunt, qui illam eius partem,
subducendis & colligendis summis posita est, quam ratio
tiuam appellamus, conferunt ad quæstum, neque emolu
tum ex ea sibimet ipsis, sed arcæ & loculis suis appetunt:
enim huic quoque ministerio apposita est, non alio sint
rectè vsurpatur, quàm vt belli & domi benè geratur respu
priuatæ quoque rationes ordine administrentur, quæ sine
studio teneri ritè non queunt. Ac quæstus quidem ingenuis
mis turpis semper & sordidus est: recta autem communis re
uatæque gubernatio sapientis hominis propria. Quid quod
ista arte cæteris omnibus artibus, quas mathematicas vocant
principia traduntur, nec sine hac illæ suum munus obire possu
Quid enim sine notione numerorum Musica? Quid Geome
Quid ipsa cœli & syderum speculatrix Astrologia potest efficere
Quæ cum artes ab hac arte numerum tanquam animũ accep
rint, vestiunt deinde illum ipsæ, & de suo aliquid quasi corpus
glutinant: vt verbi causa vnitati, qua nihil est in natura re
simplicius, neque in seipsa contractius, & ab omni omnino a
na re absolutius, situm & positionem Geometria addit, Mu
sonum, visum etiam & motum adiungit Astrologia. Quid Ge
metriam, quibus verbis honestabimus? cuius vis disciplinæ
etiam permanat, & in omneis artes penitus opificiaque huma
vitæ diffusa est? cum enim puncti sit linearum, superficierum
gurarum tam in plano, quàm in solido scientia, certissimaque
nixa rationibus & fundamentis, nusquam labatur, nunquam
tubet cùm admirabiles præbet in tuenda veritate animis
ptates, tum omnibus apta rebus non solùm atque apposita
rum in primis etiam & maximè necessaria est: illud enim quod
vnum continet omnia quæ arte & manu effici solent, libratio
ipsa & collocatio, & vnius ad alterum proportione facta com-
mensio Geometrica tota est: neque starent recta vrbium & me-
nia,

nis, illaque ampla & præclara operum monumenta, quæ in tem-
plis, theatris, fornicibusque vetustis Romanæ vrbis adhuc con-
spicimus, non tanta admiratione nos afficerent, nisi geometricis
fuissent elaborata mensionibus. Quid columnæ, porticusque?
Quid belli instrumenta, & machinæ? Quid fingendi, pingendi,
& aut ex ære, aut ex marmore cudendi tantis opificum ingeniis
nobilitata quondam & solis ingenuis permissa ars? ipsaque tota
castigatio, & locorum, orarum, regionum, littorum ex geogra-
phia sumpta descriptio? agrorumque dimensus, & aquarum de-
ductiones? ac denique, ne singula memorem, quicquid vel ocu-
lis spectabile & magnificum, vel ad vsus vitæ commodum ac ne-
cessarium est, huius omne est artis & Geometricæ facultatis in-
uentum. Quanquam quid nos manu facta recensemus, cum ipsa
hæc cœlestia quæ supra nos, circumque torquentur: quorum &
species & vtilitas nulla est oratione explicabilis, ipsaq; item leuis
& grauis in inferiore mundo & commutabili connexio librata-
que paribus momentis æqualitas, qua diuersæ res, & plurimum
inter se repugnantes, ita ligantur & vinciuntur vna, vt cum se al-
terare minimè fugiant, sic maximè contineantur, ratione geo-
metrica quidem, sed ea diuina, fabricata sint. Hanc tantam hu-
ius artis vim & potestatem cum intelligeret Archimedes, qui
vnus fuisse traditur in hac scientia longè omnibus præstans, di-
ctitare solitus erat, considerè sese, si alter inuentus foret terrarum
orbis, hunc posse ad illum applicare & adiungere: & sanè ea ille
de se iudicia perhibebat, vt non id loqui temerè, neque inaniter,
& falsò gloriari videretur: ponderum enim & mensurarum ra-
tiones, quibus reguntur, diriguntur que omnia, cum ex Geome-
tria optimè calleret, intelligebat earum vim nõ quotidianis mo-
do his instrumentis subsidiisque communis vitæ, sed maximis et-
iam volendis & moliendis rebus idoneam esse. Atque hic tan-
tus vir, qui patriæ suæ obsessæ contra exercitus Romani vim, &
maximi imperatoris virtutem, propter Geometriæ & ponderum
scientiam vnus fuit auxilio, reprehensione tamen non caruit,
quòd scientiam hoc ipso in primis nobilem, quòd à sensibus ocu-
lisque remota, sola mentis vi intelligentiaque nitatur, quasi di-
repto honore produxisset in publicum: etenim apud illos erudi-
tos Academiæ pulueres, vbi ista quondam liberalius tractaban-
tur, potior quædam & magis occulta expendebatur huiusce artis
vis, fructusque petebatur alendis atque ornandis bonis ingeniis
multò vberior, qui non in oculis & admiratione vulgi, sed in
ipsius veri contemplatione artisque speculamentis, quæ theore-
mata Græci vocant, positus esset, quę perpetua serie aliud ex alio,
quoquam orta tractaque, sic subtiliter verè perspicueque mon-
strarent vt illa cognoscendi suauitate contentus animus, nil am-

plius requirat : nec ſuæ tranquilliſſimæ voluptati popular
trinſecus plauſu velit obſtrepi. PAV. Dij immortales totñ
ta nobis cognoſcenda eſſe præcipis, præſertim properantib
philoſophiam? quæ videantur ſingula vnius ætatẽ hominis
nere facile poſſe: etſi tibi ego aſſentior, fateorque debere om
percipi, ſi etiá potis eſt, ad eamq; rem ſane alacris animo ſum
audio tamẽ ſæpe permultos accuſantes breuitatem homin
& difficultatẽ, ac magnitudinem huiuſcemodi artium vehe
aggerantes, quaſi earum finis nulla capi poſſit. Itaq; habem
Theophraſti identidem in ore, qui moties accuſaſſe natur
tur, quæ brutis animantibus, volucribusque nonnullis prin
viuendi ſpatia tribuiſſet, cum eorũ nihil illa res intereſſet: ho
nem verò qui eſſet ad intelligendum & contemplandum
tunc potiſſimũ extingueret, cùm is mente & ratione bene
cœpiſſet: quorum de opinione quid ſentias, itemque ad phi
phiam percipiendam quam præcipue ſectamur, ecquam in
quas commemoraſti, artibus opportunitatem eſſe confirma
dire ſi placet ſanè velim. IAC. Maximam Paule, vt tibi ad p
rius tuum reſpondeam prius: neque eam ſimplicem & vnam
di, ſed multis rationibus vtilem & accommodatam: nam
omnis cognitio & ſcientia eſt liberalis, tum autem artes
quibus iamdudum loquimur, illius ipſius quam appetimus
loſophiæ, tanquam vnius magni corporis quaſi membra
dam ſunt: quicquid enim in rerum naturis tractandis
disque, quocunque illæ è genere ſint, & in illarum vero
do verſatur atque inhæret, totum ſub ditione philoſophi
ac lumine illius, tanquam veritatis radio illuſtratur: po
philoſophia quædam ſunt quæ cæterorum maxima præ
ſimaque habentur: qualis eſt de ſummo omnium bono cog
deque eo quod ſummum eſt, quodque cęteris cauſam vt
ber: & ſi qua ſunt aliá eiuſdem modi naturæ illius eximiæ
cipis cognata atque affinia : ad quæ intelligenda, quæ
in excelſiſſimo mentis loco poſita ſunt, per huiuſmodi
diſciplinas, tanquàm per cliuos gradusque ſcanditur:
que adhibentur ex hiſce ipſis facultatibus mentem anim
adminicula, quæ in ſublime tollunt: ſine quibus labare at
rare ferme eſſet neceſſe, vt harum in hac quoque parte
artium opera vtiliſq; reperiatur: verum illa palmaris, quo
cant animum à ſenſibus, ipſumq; docent, per ſemetipſum
ſideranda ſunt, ea ſeorſum à ſenſionum corporearum ſtre
lum in ſemetipſo conſiderare & cernere, quod eſt maxime
& proprium philoſophi munus: nam cum naturas rerum
& illud ipſum quod ſunt, vel ſummouerit procul natura a
ctu noſtro, vel quas etiam obtulit, & tradidit nobis pen

uiuendi, tantis eas tamen inuoluĕris contexerit, vt aures, oculi, cæteraq; sensus permoueant modo, menti autē ipsi, conanti hæc cernere, sensus permoueant modo, menti autē ipsi, conanti hæc cernere, sensus permoueant modo, menti autē ipsi, conanti hæc cernere,

An si hoc esset difficile, tantopere plurium artium scientia ho
piis se instruere, tot olim è scholis Græciæ doctissimi homi
produissent: illamque magnificam & gloriosam (vt tum e
videbatur) promulgassent vocem, sese paratos esse omnibus
cunque de re quis quæreret statim respondere. Quod primu
cisse traditur Leontinus Gorgias: cui quidem ob eam rem
honores a communi Græcia habiti sunt, vt ex omnibus via
inaurata Delphis, sed aurea statua collocaretur: quæ tamen
ostentationis professio principio in admiratione habita, pl
turba & multitudine idem facientium, profitentiumque eum
atque alij tamen suo ingenio & studio ostentando artium
rum, quas liberales dicimus, & bonarum literarum regionib
tenuerunt. Hippias verò qui in olympiorum celebritate no
Græciæ multo maxima non solum ingenuas omneis discipl
callere sese, earumque idoneum cuiuis autorem & magistru
fore professus sit, sed palàm audiente Græcia, etiam annul
quem in digito haberet, soccos quibus indutus, palliúmque
cius esset, ab sese factos & fabricatos gloriatus est, nónne de
rat nullam esse artem quæ effugere hominis ingenium scien
possit? quanquam iste quidem fortassis nugator, & cæteri
illa gloria non ferendi. Ad illos te reuoco, qui summam vi
gloriam perfectæ sapientiæ sine vlla ostentatione consecuti su
An tu putas quicquam fuisse in rerum natura, aut in vllius
scientia, quod aut amplitudinem, prudentiamque Platonis, a
acumen ingeniumque Aristotelis, aut vbertatem Theophr
aut Polemonis, Arcesilæ, Chrysippi, Carneadis copiam dilige
tiamque præterierit? quanquam horum quidem talium & m
titudine & gloria redundauit vetus Græcia, vt singulos nomi
re non sit necesse. Nostri in hoc genere infrequentiores, qu
accidit fortunæ vitio. Vix enim aperto ad philosophiam ad
primus M. Varro veterum omnium doctissimus, deinde Cice
illud aureum eloquentiæ Cicero eo se immiserat, Romano
ingenia secum pertrahebat, cum repentè commutato rei
statu, barbari & mores & literæ silentium optimis artibus
xere. Sed vt ab illis antiquis seculis ad nostra tempora deceam
mus: non te puto arbitrari eum quem maximè miraris, quem
semper in manibus habes, quem assidue legis, Petrum Bembu
sine multarum disciplinarum cognitione & scientia ad tan
miam laudem eloquentiæ totiusq; sapientiæ peruenire potu
in quo quidem homine maximum est ornamentum ætati nostræ
constitutú, & mihi singularis ex eo lætitia, quando nos inter
sanctissimo fœdere amicitiæ iam inde ab adolescétia cõiunxi
hil germanis fratrib. in amore mutuo concedimus. Quid de Hie
ronymo Aleandro? Quid de Desiderio Erasmo dicã, hominibus
doctiss

doctissimis & omnium artium ac doctrinarum cognitione, vsu, memoriaq; celebratissimis? Quid de Andrea Alciato nostro? ac non longius abeas: tuus Paule Gregorius Lilius, cuius tu primo cum patre tuo etiam dum cùm esses, autoritate & diligentia bonis literis imbutus es: nónne complurium doctrinarum scientiã sine difficultate tanta assecutus est? Nam is quo cum ipse assiduè vsus, quem nos quoque admirari soliti sumus, vir clarissimus & excellentissimus Ioan. Franciscus Picus, cuius tandem scientiæ aut disciplinæ expers vlli vnquam visus est? qui cùm haberet domesticum exemplum quod imitaretur, hominis omnium in omni virtute & doctrina maximi, Ioannis Pici patrui sui, suo ingenio diligentiaque perfecit, vt non illum desiderare iam mortuũ, sed eum in suis ipsius eodẽ sanguine procreati, doctrina & moribus reuocare possimus. Verùm ne sit infinitum numerare omnes, qui tudio acri atque ingenio præditi in pluribus artibus facultatisque viguerunt, sic in præsentia concludamus. Cùm hæc quæ ingenuis & præclarissimis artibus posita sunt, habeant quantum à dissimilibus generibus, consimilem tamen ad quærendum inuestigandum viam, per quam tanquam vno eodemque forum omnia contineantur: facilè patere ea bonis & acutis & vigentibus ingeniis, iisque ad comprehendendum parata expeditaque esse: tardis autem, atque hebetibus, & imbecillitate cerebriq; corruptis apparere difficilima, verissimè vt dictum esse videatur, aut citò ea percipi, aut nunquam: quòd non varietatis in iis, atque artium difficultatis, sed ingeniorum & voluntatum omne sit discrimen. Nec si qui extiterunt, extantque quotidie, qui singularem aliquam ex his artem cùm sibi tractandam cognitandamque proposuissent, omnem suam ætatem in ea consumpserunt, id sanè mirandum est: quod idem potest contingere nauigantibus, vt cùm sibi portum aliquem proposuerint, quo vbi proficisci, capti fortè inter nauigandum alicuius loci amœnitate, dimisso pristino cursu, resideant ibidem, & sua omnia componant: properantibus quidem ad philosophiam, vt ea modò dixisti, in qua est portus nostris fortunis constitutus, hæc tanquam diuersoria capienda sunt, commorandumque in his quod expedit, & cognitioni satis sit, quæ hactenus esse debet, vt locorum situm & mores, cultusque hominum non tanquam ciuis & incola, sed vt curiosus viator inspexisse videare: vt eam eodem fortasse redeundum tibi fuerit, non itineris monstratur quærendus, sed notum & familiare hospitium sit ineundum. Sic in disciplinis & artibus cæteris, per quas gradimur tendimusque ad philosophiam, ipsa artium principia & fundamenta cognoscenda sunt, capitaque illa rerum è quibus omnis postea ad quas tractandas & confirmandas res argumentatio ducitur,

cipienda penitus, & in memoria sunt constituenda: aliquæ
iam singulares noscendæ quæstiones, neque omnes tamen, qu
cunque in illa arte colligi & concludi possunt: id enim iam in
nitum est, & in quo complures viri boni tempus omne suum
que ocium disposuere, capti illecebra desidiosæ cuiusdam de
ctationis: parit enim ex sese semper aliquid atque gignit ipsa in
naquaque arte assidua volutatio, quod cum voluptate contem-
plere, dum res cunctas minutatim obire vult, quę sub illius ac
cadunt notionem: nec modum sibi facit, nisi is se euoluat & ex-
plicet qui quemadmodum Vlysses maiore vi ad se eijciendum
xus est, quam vt ad Sirenarum cantus possit adhærescere. Illud
possum ego confirmare & polliceri audacter, si quis per hasce fa-
cultates & disciplinas contenderit ad philosophiam, & illarum
cognitione doctrinaque mediocri non tam instructus quam im-
butus, huic omnium scientiarum dominæ totum sese dediderit,
fore vti postea cum vsus acciderit, ad illarum vnam quancunque
rediens, & aliquid in ea nosse tractareq; instituens, multo id & fa-
cilius agat & melius, quàm si expers philosophiæ in illius vnius
studio ætatem totam contriuisset: reuertetur enim ex opibus co-
pijsque philosophiæ & animo & ingenio multò paratior. PAN.
Iam intelligo mi pater & facilitatem illam quam dicis, & mo-
dum, & ordinem quem tenendum putas, prorsusq; ita agi opor-
tere persuasus sum. Sed quod sæpius iam mihi te loquente accidit,
vt amore quodam ferrer ad philosophiam, eo nunc vehementius
me inflammari sentio, quòd nihil vsquam præclarum neque ap-
petendum esse video, quod non ex illa, aut propter illam sit. Ec-
quis igitur mihi ille erit dies, cum in tanti possessione boni Deo-
rum immortalium summo, & tuo pater beneficio positum esse
me cognoscam? IACOB. Et breue est quod tibi viæ etiam nunc re-
stat, & omnia futura sunt tuo isti animo facilima: ac moralis
quidem philosophiæ initia iam attigisti, ad summas autem & al-
tissimas philosophiæ partes ac rationes certa semita est, qua ego
te deducam, cùm curriculum hoc confeceris, quod tamen totum
penè percucurristi: cæteris enim liberalibus disciplinis à te per-
ceptis, Geometriæ aliquantum plus & Astrologiæ quoque stu-
dij ac temporis est impendendum: quod tamen vtrunque vna ae-
stas effecerit, atque ita vt omnia è Græcis scriptoribus petas,
quando latina perturbatius scripta sunt. Et quoniam de Astro-
logia adhuc nihil diximus, ne ea quidem silentio videtur propter-
eunda esse, quæ est cœlestium non tam naturarum & corpo-
rum (id enim philosophię munus est) quàm motuum illorum tot
atque tantorum, & diurnarum ac nocturnarum concursionum
circuitionumque tam in vniuersis globis continentibus omnia,
quàm in ipsis stellis sideribusque scientia: cuius non omneis par-
tes,

tes, neque singula articulatim membra nosse necesse est, nisi si quis illam artem velit profiteri: scire quidem quantum satis est, ad philosophiam tendentibus, & quod in facultatis illius principijs consistit addiscere, certe humanum est. Quis enim est tam agresti animo, & tam auersus aureis suas ab ipsa voce naturæ, qui non spectaculo & contemplatione tantorum luminum, ad aliquam eorum considerationem moueatur? aut qui non studeat nosse locum in quo siti sumus, medius, infimus, an summus ille sit: ortus quoque signorum & obitus, solisque & lunæ, & cæterorum errantium conuersiones, tum dispares inter se, tum suis tamen vnam quanque spatijs & temporibus solennes atque statas: astrorum quoque ipsorum vnius ad aliud accessus, & plerunque antecessus, subitos etiam interdum recessus: defectus item (vt poeta inquit) Solis varios, Lunęque labores, Cur tantum oceano properent se tingere soles Hyberni, vel quæ tardis mora noctibus obstet, & cætera eiusdem modi, quæ qui percipere animis suis contemnunt, non vt philosophiam ijdem percipiant, sed vt homines esse existimentur magnopere est illis elaborandum. PAVL. Vere ita est, nam si orta est ex admiratione tuæ cognoscendi & percipiendi, vt te sæpe audio loqui, nihil est profecto rerum istarum quæ in cœlo sunt contemplatione admirabilius. IAC. Hoc quidem cursu Paule confecto (quoniam ad tuæ ætatis spatia iam accessimus, nihil enim tibi, aut paulum quiddam adhuc deest ex his quæ supra dicta sunt) intrandum denuum est in philosophiæ campos latos atque patentes, eosdemque feraces & frugiferos rerum omnium, quarum ad alendam beatissimam vitam vsus esse aliquis atque opportunitas potest: quod nos quidem facere in te cœpimus, qui te admouimus ad Aristotelis Ethica: qua ex lectione intelliges quæ tibi in moribus recta atque ingenua sunt, vsu & disciplina comparata, non ipsam virtutem esse, sed simulacrum imaginemque virtutis: cui tamen, vt alio loco diximus, spiritum atque animam philosophia infusura, & simulacrum exanime ac mutum, vitale simul ac vocale effectura est. Verùm huic philosophiæ studio dialecticam esse adiunctam oportet, quam eandem & logicam appellamus: cuius amis partem eam, in qua de figuris & modis argumentandi traditur, iampridem te docuimus, quarum ipse argumentationum multis iam rebus vsum vtilitatemq; cognosti: sed restant multa atq; ardua, quæ si intractata imperceptaq; sint, labare mentem nostram in maximis inuestigandis rebus fermè sit necesse: est enim certa quædam via & persubtilis ratio explorandi in vnoquoque genere quo de quæratur aliquid, quid sit illius generis cognatum imprimis & proprium, vnde ad cōcludendū & demē-

strandum

ſtrandum firmiſſimè res argumentationesque ducantur, quod
hoc enucleatius ſcire, noſſeque oportet, quod infinitæ pene
aptæ ad fallendum & in ſe quidem ipſæ longè alienæ à vero
veri tamen ſimilitudinem præ ſe ferentes rationes: quæ non
butos modò mediocriter, ſed ſæpe homines doctiſſimos et
tiſſimosque peruertunt, ſtantesque deijciunt, & circumuenien
cautos: quibus niſi arma dialecticæ ſcienter periteque tradi
tur: minimè poſſit obſiſti. Sed quoniam & hæc ipſa quæ nunc
dialectica dicimus & totam illius vim & poteſtatem paulò p
in ipſis Ariſtotelis libris nobis monſtrantibus cognituras es, non
attinet plura loqui, niſi id tantùm monere & præcipere, quo
niam in ipſo iam limine philoſophiæ conſtitutus es, vt optimos
autores ſcientiæ præſtantiſſimæ, tibi ſemper legendos volun
dosque proponas: Platonem imprimis, & Ariſtotelem: quorum
quidem duorum cœleſtibus ingeniis admirabilique ſcientia, nec
ſe omnibus gentibus anteponit Græcia, tum autem Græcos po
tiſſimùm interpretes: nam hos qui latinam ſcriptionem profe
barbara omnia, pollutaque reddiderunt, & inquinatis litteris
præpoſterisque quæſtionibus, magnas offuderunt philoſophiæ
tenebras, magnoperè tibi vitandos & fugiendos eſſe ſentios: nihil
enim afferunt ingenui neque recti: ſed cùm veram ignorent phi
loſophiæ vim, & rationes nothas, quas Græci ſophiſmata vocant,
pro legitimis & veris rationibus conſectentur, ad clamandum
quidem & litigandum valde robuſti ſunt, in doctrina verò, & in
ipſa ſapientia prorſus ſunt imbecilles: qui etiam vanitate qua
dam ingenij ignorantiaque inducti, in eis rebus populi aucupan
tur famam, quarum eos rerum maximè pudere oporteret: ſed
horum turba ineptiisque reiectis, tu Paule ſic philoſophiam am
plexator, vt eam intelligas artem eſſe bene beateque viuendi: non
intelligendi ſolùm, ſed etiam agendi, faciendique magiſtram:
hæc tibi conſtantiam & firmitatem in bonis moribus allatura
eſt: hæc copiã & vbertatem pulcherrimarum rerum ac ſententia
rum orationi tuæ ſuppeditabit: hæc te optimis inſtituet & conſi
lis & voluntatibus, fideique tibi erit & officij & integritatis ſem
per magiſtra: hęc efficiet vt illud excelſum & erectum & liberum
in animo, in quo ineſt dignitas, nunquam cedat fortunæ, non ſe
cundis illis rebus, non aduerſis permoueatur. Quòd ſi qui hac
peruecti & vberibus philoſophiæ aliquandiu aliti, ad alia
ſtudia deinde ſe conuerterint, ſiue ius ciuile voluerint eum,
ſiue reipub. curam domi belliue, ſiue quamcunque aliam rem
ſectamque earum quæ cum honore laudeque ſuſcipiuntur, ſciant
illi ad quam ſe cunque dederint partem, & facilitatis multò plus
in aſſequendo, & in agendo prudentiæ atque induſtriæ eſſe ſe
cum

rum delaturos. Qui verò in philosophia perpetuum vitæ suæ domicilium constituerint, eos Dei potiùs similes, quam ex communi hominum more ac natura iudicandos esse. Quorum quidem de numero te imprimis cupio esse Paule, vt tua ad virtutem indoles, nostrumque desiderium optimo ac præclarissimo fini respondeat. Egoque, qui nullos refugio vt te erudiam & instituam labores, hac potissimùm in te posteritatis spe consolationeque sustenter.

FINIS.

IACO-

IACOBI SADOLETI EPISCOPI CARPENTORACTI S.R.E. TITVLI SANCTI Calixti Presbyteri Cardinalis PHÆDRVS, seu de laudibus Philosophiæ libri duo.

CAROLVS SIGONIVS NOTIS ad HORTENSII *Ciceroniani Fragmenta.*

Nostra atate IACOBVS SADOLETVS *Cardin. vir amplissimus, tum omnium literarum cognitione clarissimus, cùm argumenti huius præstantiam animo cogitaret, dedit operam, vt quantum in se esset, eo tractando Hortensii Ciceroniani desiderium æquo animo perferremus. Scripsit enim libros duos, vnum, in quo Philosophiæ studium accusauit, alterum, in quo defendit. Quorum vtrumque tanta cum ingenii ac iudicii laude, tanta demum verborum ac sententiarum copia est assecutus, vt, acriùsne ab eo reprehensa, an ornatius laudata Philosophia sit, haud facile iudicare possis.*

Commendat & auctor ipse Philosophiam Epistolarum lib. V. Epist. 13. & Epist. 17. vt Theologicis studiis necessariam.

IACO-

IACOBI SADOLETI EPISC. CARPENTORACTI

S.R.E. Tituli S. Calixti Presbyteri Cardin. ad Marium Maffeum Volaterranum de Philosophia, lib. I, qui inscribitur PHÆDRVS,

In quo accusatio Philosophiæ continetur.

OMNIS, Mari Volaterrane, quæ ad bene beateque viuendum pertinet doctrinæ institutio, ducta primum mihi quidem à Philosophiæ præceptis videtur esse: atque ab eius facultate disciplinæ, quæ in contemplatione rerum naturalium, & moribus ad virtutem fingendis, constituendisque cernitur. Post autem his literis, quæ quemadmodum sunt, sic etiam vocantur sacræ: in quibus vera Dei percipitur cognitio, cùm aucta & corroborata, tum ad extremum ex variis fluctibus iactationibusq; vitæ, quas nostra imbecillitas fert, ad stabilem certamq; spem immortalitatis conuersa, atq; translata. Ac nos, qui (vt tu ipse optimus testis es) harum artium veramq; adamauimus semper, & nunc quidem iam in alteram hanc, quæ nostræ & personæ propria est, & religionis, tanquam in portum vela deflectere, & pleno cursu contendere cogitamus: adhuc tamen in Philosophia magis exercitati, quod in illa plurimum operæ, & quantum ab occupationibus publicis, quæ nos diu & multum districtos tenuerunt, disiungi licuit, antè actæ ætatis consumpsimus: duximus non alienum, nec nostra dignitate, nec eorum, quos ad virtutis studium atque amorem genuit ipsa natura, vtilitate, nos facturos, si quæ de hominibus doctissimis, Græcis præsertim, quorum in hac laude sine vlla dubitatione excellit industria, accepta à nobis fuissent, ea Latino sermone conscriberemus: primumque gratia hac debita ea quidem & merita Philosophiæ reddita, toto deinde pectore, vt dicitur, maturescentibus etiam annis ad illam cœlestem scientiam incumberemus. Atque hoc ita agere id studiosiùs etiam sumus meditati, quod in hoc tempus Latinis quidem literis desiderari videtur Philosophia: non quin & apud veteres, & nostra etiam, ut patrum auorumque memoria extiterint docti viri, qui eam velut incertis sedibus peregrinantem & vagam, & maximè quidē postea quam eiecta è Græcia est, in hanc vrbem adsciscere & poterint, & partim etiā conati sint: sed ita ferente casu quodā bonis artib. infesto, & qui voluerunt variis plerunq; rationibus impedi-

pediti, in medio ſpatio reſtiterunt: & qui potuerunt
ſunt ad eam voluntatem adducti. Ita illa neceſſariò penes
ros morata, tanquam iuris noſtri moriſque expers, caruit
re & nomine ciuitatis. Ac vt illum omnis doctrinæ & el
tiæ parentem potiſſimum nominemus, M. Tullius Cicero
profeſſus fuit hoc ſe populo exhibiturum, vt Græcè tum
tem Philoſophiam ad Latinam ſermonis conſuetudinem
ceret: quem ego vnum maximè ſtatuo incredibili quad
gnitudine ingenij, qua & omnes longè vicit ſuperiores, &
ris ſpem penè ſui imitandi ademit, cumulatè quod ſuſ
præſtare potuiſſe. Verùm ſiue infinitis nouæ Academiæ
nim appellabatur orta ab Archeſila, à Carneade, confirm
ciplinæ ratio) diſputationibus impeditus, quarum illa
omnia dicendo nunquam terminauit modum: ſiue qui
pinquo & celeri cùm ſuo tum Reip. fato, illius per vim
fuit interrupta induſtria, minus aliquantò nobis præbuit,
aut optaremus, aut ab illa diuina mente potuit expectari.
lem partem Philoſophiæ perſecutus eſt, eamque carptim
tis quæſtionibus: in phyſicis quidem nihil attigit: nec ver
parte, quæ ad diſſerendam tota eſt, literam omnino fecit
Quòd ſi ille tum hoc conatus eſt, in quo illi non animus
genium, ſed ex parte quadam fortuna defuit, vt Philoſoph
lingua nobili, & inprimis memorata transferret in Latin
quantumque ei ſplendoris & dignitatis ſe adiuncturum à
na facundia exiſtimaret: quid nos tandem, & nobiſcum
teros omneis, quibus cordi Philoſophia eſt, agere conuen
quanto elaborare ſtudio, vt tendentem nobis vltrò man
demque & opem noſtram implorantem, pro ſua parte &
tate quiſque à barbarorum inſcitia & moribus in Latin
vindicemus? Etenim quid eſt quod æquo minus queat
ferre quiſquam inſtitutus liberaliter, quàm caput arte
marum, ornatricem vniuerſæ vitæ Philoſophiam poſſi
iis, qui vt acutè forſitan aliquando moueri videantur ad di
dum de ea, inaniter tamen & id agunt & orationem afferre
ptam, & horridam, turbantem cogitata tum deblaterant
pſorum, tum eorum qui audiunt: nihil vt ex ea proprium
vt dilucidè ſignificans percipi poſſit? Ex quo factum eſt
in exquirenda veritate, quod eſt vnum munus Philoſoph
ximè proprium, ſed vt in verborum, & inanium quæſtion
libus controuerſus omnis iam pridem ab his ſuſcipiatur co
tio. Sed vt in veteri prouerbio eſt, Balbi balbos, ſic iſtos
gnoſcunt & probãt. At nos, quibus expetenda illa ſemper, &
cipuè colenda viſa eſt, quæ ſapientiæ cum eloquentia
eſt ſocietas, quique mentis ſimulachrum ducimus oratio

ex huius forma & pulchritudine, illa quoq; quæ intus est spectari
nimi dignitas & elucescere foris possit: demus operam, si modò
assequi possumus, vt Philosophiam iam pridem laborantem bar-
bariæ nomine Latinis literis illustremus. Quod profectò adni-
tentur, eo ingressi animo, vt nisi vitam vis aliqua presserit, aut
autoritas maior occupauerit, omnem ipsam Platonicam, & Ari-
stotelicam formam disciplinæ non interpretis munere, sed ordi-
ne & iudicio nostro nostris hominib. tradere parati simus. Quod
maiore etiam cum spe, lætitiaq; aggredimur, quod intelligimus
non solùm in Italia, quæ semper omnium bonarum artium pa-
tens iure existimata est: verùm etiam trans alpes in Galliis, Ger-
maniisq; quam multi iam existant, qui se ad politiores dedant li-
teras: quæ hæc ipsa, quæ nos reprehendimus, minimè probanda
putent: etiã insectentur eorum infantiam, qui audeant præclaras
è Philosophia sententias, sermonis ruditate, tanquã cœno aliquo
inquinare. Qui quidem tali ingenio prędíti, barbari certè non
sunt. Non enim quos à nobis aut montiũ excelsitas, aut latitudo
æquorum disiunxit, sed quà cum veræ religionis cultu non pera-
gratur humanitas, & artium amor ingenuarum, ea certa, & sola
est barbaria. Atqui horũ ope atq; auxilio, aliorumq; multorum,
quos similiter ad iudicandum, agendumq; idoneos ingenij doti-
bus natura ipsa subornauit, si plures in hanc pręclaram voluntatem
consenserint, haud diffidendum sanè est, quin celeriter è sor-
dibus omnibus se emersura Philosophia, & dignitatem ad quam
spectat, obtentura esse videatur. Quibus cum aut nostra commu-
nicabitur laus: aut si prior nostra sors in hoc certamen exierit,
non dubium est futuros, qui eandem petessant gloriam: à quibus
non certari modò nobiscum, sed vinci etiam nos æquo pati ani-
mo simus parati. Quippe qui non tam singularem nostram lau-
dem, gratiamq; deposcimus (etsi ne ea quidem, cùm bonorũ cõ-
sensu rectè factis tribuitur, à præstantibus animis repudianda est)
quam bene de ciuibus nostris promereri studemus. Quod si in eis
actionibus, quas huius optimi ac maximi principis beneficio
cum aliqua autoritate tractauimus, innocentiam & fidem pro-
bauimus nostram, nostraq́ue foris acta consiliaq; omnia non ad
priuatos quęstus, sed ad beneuolentiam hominum nobis omni-
bus officiis conciliandam, & ad communem bonorum vtilitatẽ
spectauerunt: erit hæc iam intra domesticos parietes cùm cura
præstantior, tum labor etiam multis vtilior, si qui nostris horta-
tionibus vel excitati, vel firmati, nihil sibi magis expetendum in
via, quam virtutem & abstinentiam, & studium veræ sapientiæ
duxerint. Sed quoniam antequam è Philosophia quicquam, de
ipsa Philosophia aliquid est dicendum: eiq; iusta & debita laus
tribuenda, sine qua nihil quicquam verè esse laudatum potest:

cùm præsertim non desint, qui petulanter in eam quacunq;
causa, etiam hoc studiosius inuehantur, quòd se putent ex
tiam à vulgo & ab imperitis hominibus iniuros, visum fuit
undum, vt eam ederemus eius defensionem, quam habu
Mari, nos quidem aliquot ab hinc annis in Iacobi Galli fi
bano, cùm à T. Phædro affine tuo, homine (vt meminisse
possumus) cùm docto & copioso, tum parato ad lacessendu
spondendumque, esset vituperata. Nam cum Floralibus vent
Gallum in hortos, quos ille vir, vt tute scis, in omni vita
mus, in campo fœniculario secundum Adriani molem hab
communes, & doctis omnibus parauerat, conuenissemq
F. Citrarius, homo cùm studiorũ similitudine mecũ, tum
amicitiæ officiis coniunctus: offendimus ibidem, qui
anteuenerat, cum ipso Gallo sermocinantem T. Phædrum
cõgressi amicè & comiter, salute data acceptaq; in hypo
(id erat decumano limiti nomẽ) manus cõplexi inter nos,
amicorũ est, inambulare cœpimus. Tum Gallus: Quidnã hoc
dicam, inquit, nobis à natura datũ, vt tantum boni in
familiariter diligimus, congressu & colloquiis experiamur
sine iis nullam integram voluptatem ad animum nobis
sentiamus? velut mihi nunc accidit, qui etsi hoc loco vehem
delector, quod & amœnus satis est, & solent vnicuiq; sua, n
quis elaborauit, valde iucunda existere: tum autem hac
diei tranquillitate aëris, & nitore cœli exhilarari animos
est: nec solùm nostros, sed cæterarum etiam animantium.
dem, vt à Vergilio scriptum est, vertuntur species animo
pectora motus. Nunc alios, alios dum nubila ventus agebat,
cipiunt: vnde etiam volucrum cantus, & lætitiam pecudum
insolitam quandam in animis dulcedinem ait exoriri. Re
bam animo tamẽ nescio quid: neq; tam animaduertebam
quid illud esset, quod mihi abesse quasi videretur, quam
quam vos aduenistis: sentio nunc demum meam expe
mulatamq; esse lętitiam: ita ad societatem illam ad quam
ra facti sumus, qua homini ad hominem naturalis est
accedit ista ex delectu amicitiæ incredibilis quędam
quam qui non norunt, ij mihi videntur ex alieno quodam
re homines esse, nõ tam mente pręditi, quam forma
Phędrus: Rectè sanè loqueris Galle: repugnat enim hoc
vt qui sint, quos tantũ in rebus humanis bonũ non
men experimur interdũ nonnullos, qui ita aut animo
stes, aut morib. ad omnem inhumanitatem assuefacti, vt
dò neminem eximiè charum habeant, sed æquè oderint
ranquam communes cunctorum inimici: Sicut de Timone
Græcæ loquuntur historiæ: quem etiam ferunt, cùm

cum in cœna similem sui prorsus, & inhospitalitate (non enim mihi nunc succurrit, quo alio nomine appellem φιλοξενίαν) & moribus Apemantum: atq; ille ea solitudine delectatus, dixisset, Pulchrum hercule nostrum hoc conuiuium, ô Timon: respondisse, itaqui pulchrius multò futurum erat, si tu non adesses. Talis ego nonnulli, sed contra naturam tamen: atque vt hoc forsitan tritius, sic vtinam non multa quotidie in nobis ab eadem natura optimè inchoata, consuetudinis vitio deprauarentur. Sed esse, vt volet quisque, nos, qui liberaliter sumus eruditi, de nobis ipsis ita sentiamus, vt vitam sine conuictu & consuetudine amicorum nullam ducamus esse. Atqui Galle, inquit Citerias, quantum tu bonorum amicitiæ, omniq; humanitati tribuendi statuas, res ipsa palàm facit, neq; indiget id nostra vllius oratione: nemo est enim qui non oculis cernat, quanti sint ad te frequentandi, aliqua ingenij laude splendentiũ, concursus fieri soliti, ornatissimorum hospitum & amicorum quotidianis conuentib. floreat domus tua. Quod profectò haud ita foret, nisi tu, vt quisque alius vnquam, honestissimorũ, optimorumq; amicitia, ac similitatib. delectarere. Verũ quod est modò à Phædro notatũ dictũ, tantùs vsu hoc venire, vt quis amicitiæ dulcedine non tangatur, tantà id quidem ita esset, atq; ea vna esset in causa, quæ ab exemplo etiã Timonis commemorata est, naturæ quædam quasi semias, sed latiùs patet hoc malum, & quod maximũ venenum fidelis beneuolẽtiæ est, simul vt quis nimiũ sibi deseruit, ita minimè fidẽ in amicitia tuetur. At huiusce modi hominum innumerabilis est multitudo. Quis enim est studiosus pecuniæ præsertim, (cui vt Terent. verbis vtar) nihil præter lucrum dulce sit, qui vllum vel tenuem possit habere gustum huius ex amicitia iucunditatis, quam tu modò Galle narrabas? quique sublata vtilitate, quæ connectat necessitudinem, nõ continuò nuncium remittat amicitiæ? Plena horum vita est, rarumq; illud potiùs, vt cui cogitum appetitaque sit simplex illa, & vera, & per se, suaq; sponte amabilitet amicitia voluptas, quæ ab amico proficiscitur, & in eo ipso ponitur, nihil quærens extra, nec cupiens, cuius amor fructus naturam, virtus optima conciliatrix est. Sed quò rarius istud, hoc præstantius. In quo genere, optimo te excellere iure, Galle, fecisti ea quidem omnibus iam fidem. Nam, vt ille, quicunque hoc fecerit, is mihi fuerit ciuis: sic tu amicos ex vna virtutis commendatione continuò probas: non ex eis ad te vti referas aliquid, sed vt tibi illi nihil magis promptum esse intelligant, quàm te, animumq; tuam, operam, gratiam, pecuniam, autoritatem: quæ eadẽs etiam hoc gratiora ex te accidunt, quod tua ista increbuit humanitate condiuntur: quam tibi in verbis quidem & vita, omniq; corporis motu insculpsit ipsa natura. Sed ea fa-

ctis, & in experiundo fit illustrior. Itaq; es assecutus, vt non m
vnum vnus, quàm te diligant vniuersi. Quam ob rem, quod p
antè dixisti, nullam te integram sine congressu amicorum p
pere voluptatem, & de eo tibi assentior: & (vt pro cæteris e
loquar) experimur idem in nobis omnes erga te aliquantò e
vberius. Sumus enim hac tua fruenda humanitate, hoc inge
his optimis & suauissimis moribus, in mutua nostra benevol
tia propemodum beati. Tum Gallus: Gaudeo sanè Cittar
quit, præclaro hoc, quod mihi tribuisti, vel iudicij tui, vel
potiùs interpretor, amoris testimonio. Atqui, inquit Phæ
Galle, vtrumque est, & iudicium, & amor. Sed quando de
tia aliquid omnes, quid Sadoletus? Et ego: Quid inquam
dre? nisi me vehementer hoc vestro sermone esse delectatum
sentire quidem vobiscum vnà, nihil esse in vita pręstabilius
citia: quæq; in Gallo nostro, laudibus extulit Cittarius, veri
confiteri. Sed quod vnum vel pręcipuum ab eo video pręter
sum, idem me referri, & commemorari debere puto: non e
natura solùm, & propensione animi quadam, aut fortuito
tu lapsus in hanc rationem Gallus, ad liberalitatem, & benefi
tiam, veritatemq; amicitiæ totũ se contulit: sed aliquando m
accepit à Philosophia, vt ista eadem recto iudicio & consta
ageret, in quo quidem vno est posita virtus. Nouit enim que
modum de statuis Dædaleis à doctissimis proditum est, eas
præclaro opere perfectæ & eximiæ pulchritudinis existerent,
tamen arctissimis vinculis, constringerentur, dilabi facilè, &
fugere solitas, quòd earũ incerta esset, & lubrica possessio: ac
ptimum quenq; morẽ, nisi ratione & pręceptis Philosophiæ
rit confirmatus, stabilem sua sponte nõ esse. Est igitur ad hæc p
losophiæ studia, in quib. à prima adolescentia admodum se ex
cuit, longo interuallo nunc reuersus, & quidem animo m
quàm vos fortasse suspicamini: quod ego nosse possum, propt
quotidianum vsum, quo cum eo assiduus sum. Quanquam
quidẽ haud ita multũ ad legendum otij à forensi opera relinq
tur, sed est totus in quęrendo & percontando: me quidẽ quem
his literis maximè videt occupatũ, audiendi aliquid videlicet
disputãdi causa, sępissimè vt lacessat: Quod ego pergratè acci
vel quòd obsequor studiis optimi & amicissimi viri, vel quid
lius acuto, & acri ingenio meũ quoq; ad discendum excitan
geniũ. Hoc loco Phædrus, vt erat natura vehemẽtior, & Philo
phiæ multis iam signis habebatur infensus. Pręclarã mehercu
laudem, & inprimis commemorandã, qua te isti afficere con
Galle, cùm te tanquã puerum nobilẽ sub pędagogo, sic à Philo
sopho aliquo admonitũ, nihil nisi ex pręscripto rectè agere pos
volunt: ac ne quid desit, manum etiam sub ferula, vt dicitur: ad

gnem illud quoq; quod virtutem in vna statuunt Philosophia: Quo quid dici impudentius potest? quando enim Philosophiæ quidpiã omnino fuit cum virtute, cum amplitudine, cũm dignitate commercij: aut quos ex eius ipsius sinu prodire conspicimus ad viam rem gerendã aptos, quæ quidem digna sit viro? Imo verò tu, inquit, esto nobis Galle & naturali virtute, & tuo ipsius consilio actuq; talis, qualem te esse cernimus omnibus eis animi dotibus instructũ, quæ magno homini conueniunt. Sitq; tua ista propria, & peculiaris laus, nõ Philosophiæ, quam summus ille vir noster hospes & amicus P. Bembus, cuius tanta fertur apud omnes virtutis & literarũ gloria, iure sanè in te cõtulisse mihi videbatur, cùm ita diceret, vrbem hanc tot antiquorũ monumentis, tuaq; etiã nunc horum temporum magnificentia ornatã: sibi tamen maiorem atq; ornatiorem fuisse visam, quod te in ea ciuem esse contigisset. Hoc de te ille ita vt sentiret non tu, opinor, promeritus es assecutus, nec tunica pulla, nec trito pallio, nec ineptis, & intempestiua loquacitate, sermonib. per omnes circulos crebrandis: longè enim hæc aliena graui viro, Philosophis verò quamuis sunt: sed liberalitate & prudentia, & quod quum te paulo fortuna & copiis in hac vrbe antecedant, nemo est tamen, qui ad bene de probis & doctis hominib. merendũ te vno sit promptior. Nam quod ad Sadoletum attinet, quem ego & amo meq; diligit, & florentem esse cupio, nõ possum nõ molestia affici, quum illum video subducentem se amicorum & familiariũ cœtibus, in hac squalente & sordida Philosophia tabernaculũ penè vitæ collocasse, doleoq; meam tam parui apud eum fuisse autoritatem, vt ipsum ab hoc errore nequiuerim adhuc ad cõsilia grauiora retrahere. Atq; ad me conuersus, In mentem venit mihi, inquit, aduersus te, quę in Euripide Zethus ad Amphionem fratrẽ protulit, quorũ equidem sententiam, non numerum, probo. Negligis ô frater, inquit, ea quę te oportet diligere, natamq; animi tuapte sponte nobilem, puerili quadã concinnas forma: & neq; in iudiciis commodè loqui studiũ tibi est, inq; iis ceteris modo æquũ idoneumq; sit: neq; alios iuuare consilio potes tuo. At de tuo quidẽ, inquit, ingenio quid sentiam, mihi ipse conscius sum: quantũ autem te diligam, tu optimus es testis. Sed quod tibi soli seorsum sæpe dixi, in quo frustra à me consumpta opera est, idem nunc his audientib. vt dicã, moneamq; te aliquot annis minorẽ natu audacter, idem amor me cogit. Vereor enim, ni potius formido certò, ne istam tuã ingenij animiq; indolem, quæ te ad grauiores res tractandas idoneũ semper iudicaui, hoc Philosophiæ studio penitus corrumpas: in quo si esset ipso aliqua forsan liberalis oblectatio: quæ tamen in tanta vanitate illius artis esse quî potest? tibi tamen videndũ arbitrarer in ciuitate

tam occupata, in qua honores & præmia nõ otiosis, sed indu-
hominib. proponuntur, quî factũ tuum ꝓbari illis posset, qui
rent de vita cuiusq; & institutis iudicare. Inquiritur enim in
tuam, mihi crede, curiosiùs quàm tu fortasse existimes: Nã c
à primo cõmossẽs animos multorũ expectatione quadã, nunc
velut inertia desediſſe, nõ possunt non mirari homines, idq;
reprehendere: cùm in popularibus studiis, & his quæ frequen
ac celebritatis sunt, siue in foro malis, siue ad principes virtu
dicare te in aliquã laudem possis: illa tamen quæ silent, &
tudinis sunt, malle persequi. Quorũ profectò opinioni &
inseruias oportet, si aliquo numero esse optas, aut si eam vel
sequi vis, quam tibi falsò promittit Philosophia, sapientiam
te in tenebris abdas, cùm facilè in hominũ oculis queas, &
ce consistere. Quæ cùm ille dixisset aliquantò commotius, ea
eum ad hanc rationem concitationemq; dicendi & voce, &
tu corporis, & animo flagrãte, ac subitò natura formaueras,
mumq; illi præterea ingenium, summum in pronunciando
rem addiderat: Citrarius, O amœnum diem hunc, inquit, &
diu, ac Gallo desideratam opportunitatem, aliquando te Phæ
in vniuersam inuehentem Philosophiam audiendi: Equidem
tersui sæpe, idq; locis pluribus cùm carperes Philosophiam,
quo ego potissimùm attendere solitus sum acumen ingen
& facetissimis dictis delectari. Sed de ea rota quid haberes
percontandi ex te, cùm id maximè auerem, ante hunc diem
cultas non est data: quam nunc oblatam libentissimis aud
nostra fuerit culpa, si amiserimus: aut si non ex te omnia, q
volumus de tuo in Philosophiam animo ac iudicio, audiẽdo
rimus consecuti. Imò, inquit Gallus, & hic locus maximè opt
est, & tempus idoneũ: nec est quicquam, in quo iucundius
cõsumamus diem: quam ob rem da hoc nobis Phædre, ut
vniuersa Philosophia quid sentias audiamus. Audietis, inquit,
hac conditione, si omnibus sum facturus gratum. Hic ego
ridens, Mihine, inquam, esse gratum potest, in tantum
men venire Philosophiam? Quid ita, inquit Citrarius, no
eam dicere es solitus veritatis patrocinio sat tuta esset? Si
inquam, veritate, non eloquentia causa pendetur. Pendetur
quit Gallus, & bono es animo: non enim hic imperitæ mul
dinis concio, ad quam in inuidiam facilè, & in suspicionem
losophia adducitur. Sed auium concentus, & florum tanta
varietas ac copia, huius orationi coronam factura est. Atq
quam, Galle, huius orationi (siquidem ea in vituperanda Phi
sophia futura est) auium iste concentus obstrepat sanè velim.
non tu hosce flores, qui tantam nunc odorũ amœnitatem
nostris aspirant, & mox auritos, & postea etiam vocaliores
te

reputas, quàm esse posset ipsa illa, de qua nunc dicebas, imperi-
ta multitudinis concio? Sanè, inquit, hoc est, quod ego gaudeo:
intelligo enim præter voluptatem, quam audiendo percepturus
sum, huius mei præterea suburbani precio permultum ac-
cessurum esse, quod quidem disputatione vestra hac celebrati-
us multo futurum est, quàm aut peregrinis arboribus, quæ in
hunc ipsum locum vndique accersitæ sunt: aut nobilitate eius
pietatis, qua est superior porticus exornata. Quin tu, inquit
Phædrus me intuens, veritatem sinito venire in certamen, tu-
met silentium teneto. Age, age, inquam Phædre (video enim te
in proclinctu esse, pugnæ auidum) illud moneo, parcius: ne si v-
no hoc prælio penitus Philosophiam obtriueris, non habeas de-
inde quicquam, in quod ita studiose, & libenter inuehare. Nul-
lum est periculum defore, inquit ridens, dum quidem tu extite-
ris, qui ab ea auelli nulla ratione potes. Quod quum dixisset, o-
mnes ad audiendum animos ereximus. Tum ille, Videntur mihi,
inquit, prisci illi veteres, qui primi semetipsos sapientes, & artem
eam, quam profitebantur, sapientiam appellauerunt, aut callido
consilio quæsisse in vulgus celebritatem: aut errore quodam
puerili decepti fuisse. Etenim si cùm scirent, & intelligerent ipsi,
inanem eam esse, quam habebant in manibus, scientiam: appel-
latione tamen præclara illam adducere in honorem studuerunt,
cæteriusque persuadere id, quod ipsis neutiquam de ea erat per-
suasum. Astuta illorum ratio, & callidum imprimis consilium
fuit sed ita, vt sæculi illius ingenijs nihil iudicarent esse rudius.
Sin autem & eandem ipsi fidem habuerunt de sapientiæ discipli-
na, & cæteris facere conati sunt, puerorum mihi morem viden-
tur fuisse imitati: vt enim pueri imagunculas sæpe nacti ligneo-
las, aut è cera: easque charius amplexi, veste atque auro exor-
nant, Deorumque, quorum libitum fuerit, imponunt eis nomi-
na, demumque longius prouecti credulitate puerili, quasi rem
serium agentes, rei iudicrę diuinos honores tribuunt: Sic Philo-
sophi isti vestri (me autem intuebatur loquens) quos solos penes
est sapientia, quique eam ipsam ab sese vnis peti atq; addisci vo-
lunt, tantò pueris leuiores, quantò illis ætas ludum suum conce-
dit, tris alienum stultitia: inane disciplinę simulachrum splendi-
dissimi nominis appellatione honestauerunt, quo non possunt
quidē non allici aliquando & inuitari nonnulli, vt insistant ali-
quantū, cupiantq; interiora cognoscere. Quod n. sapientia nec in
cælo, nec in terra quicquā est præstantius, idcirco ipso nomine
cōmoti, accenduntur ad cupiditatem aliquā cognoscendi. Sed si
qui lautiore paulò ingenio ingressi fuerint, maturè vt abalienen-
tur. Ex quo illud Neoptolemi apud Enniū, philosophandū sibi
esse, sed paucis: nā omnino, haud placere. Credo homini milita-

ri ex bellica virtute veriorem meditanti gloriam, conueniens
isse visum, quid isti profiterentur, agnoscere: quæ verò minus
superstitiosius que tractarent, & in quibus frustra contenderen
tatem, ea ceu veræ sapientiæ repugnantia, penitus despicen
que contemnere. Et nimirum magna, eximiaque profelli, in
nimis ferè versantur. Quòd si splendore nominis remoto, ipsam introrsum magis aspexeris, totamque istam artem, qua
magistram tradendæ sapientiæ profitetur, in manus sumpsis
ligenter expenderis: non tu in ea quidem sapientiam vllam, ve
sit verè & solidè sapientia, sed imaginem potius inanem qua
deprehenderis sapientiæ, sine corpore, sine mente, ipsius illus
pientiæ operib. atq; munetibus sola voce resonantem. Nam
rerum gerendarum, sit sapientia, imperij gubernandi, dignit
ac potentiæ sibi comparandæ, Philosophia pro his maximo
ximeque expetendis rebus, tanquam immunitatem laborum
beneficij loco illi tribuens, eam in verbis pensitandis, & argum
torum concluſiunculis arte astringendis, rebusque ijs, quæ n
pertineant ad nos, accuratius indagandis, festiuo opere occup
vt suarum virium & grauitatis oblita, à cœtu hominum, atq
ab regendis ciuitatibus, ad solitudinem, inertiamque tradu
Atque huic arti tamen sapientiæ nomen est datum: in quo pe
istorum est arrogantia reprehendenda. Quis enim illis hoc
cessit? aut quo nam iure fuit ab ipsis vsurpatum, vt artem
cuiusmodi ea cunque sit (nondum enim de hoc disputo, pub
dero) in ipso statim ortu atque initio, inscriberent Sapient
cumque necdum planè perspectum, cognitumque esset, hom
numne vitæ vtilis futura esset illa, necne esset, tamen tanq
ratio absque ea recte, ordineque viuendi cunctorum iam con
sione constare non posset, ita summum rerum humanarum
lum illi præscriberent? Verum fuerit hoc vitium superiorum
rum, & qui septem dicti sunt, quos tradunt cunctos in Gra
Delphis primum conuenisse, Athenis prætore Damaso: inde
deinde Corinthi: cùm eos Periander Corinthiorum tyra
hospitio accepisset, circiter quadragesimamquintam olym
dem, quo tempore Romæ L. Tarquinius Priscus regnum obti
bat. Atqui hi isti ipsi, si sua sententia se appellauerunt sapien
indulserunt sibi profectò, quàm par erat, vehementius. Sin a
populorum suffragio vocati sunt, habent egregiam sui cogni
nis, & quo iure glorientur, autoritatem. Siquidem ad imperi
& stultos delatum fuit de sapientibus iudicium, & si video no
stos solum, sed alios complureis, si fama & opinione vulgi sapi
tia censeatur, nulla illustri de causa passim habitos sapientes
mul vt quis enim in illa rude, indoctaque vetustate vel dixerat
liquid, vel egerat concinnius, ita ascribebatur ad numerum, a

nonnul

nomen sapientis. Quo ex genere maternus auus Thesei Pittheus, quum versibus pangendis sentẽtiolas quasdam cõplecteretur, in primis iudicatus est sapiens. Lycurgus verò eundem nominis honorem iustius est assecutus, quòd enim confusam & perturbatam, ac (vt Herodoti vtamur verbo) κακονομωτάτην Lacedæmoniorum Rempublicam legibus latis constituerat, ferendisque laboribus, & periculis alacriter adeundis, ciues ad fortitudinem, & ad omnia belli munia apprimè erudierat, comparata sibi autoritate & gloria, sapiens meritò existimatus est. Sed vt ab hoc magno sane viro abeamus, quid cuiquam esse tunc potuit in sapientiæ nomine gloriosum, cùm Homerus, cuius dicta pro decretis habenda sunt, etiam fabris attribuat sapientiam? Ac ne quis illorum septem, quos & nos nimium iam sæpe in medium adducimus, & negat Dicearchus autor haud ignobilis, nec Philosophos nec sapientes fuisse, vllam alio ex genere putet fuisse sapientiam, quàm eam, quæ dicta in Pittheo: Primùm poëtæ plerique, iique adeò perfrigidi: deinde argutulis quibusdam, vt sibi videbantur, sententiis, multitudinis plausum captantes. Quid enim Chiloni Lacedæmonio (vt de eo potissimum loquar) triáne dicta sapientię laudem afferre debuerunt? At ea in foribus templi Delphici sunt inscripta. Quid tum? non enim qui inscripsit, aut qui insculpsit (oportet) faber sapientior fuit? Ne quid nimis: rectè hoc quidem, & sibi ille admodum constitit: paucissima enim locutus, multam sibi parauit sapientiæ famam. Sed quid illis sapientibus fiet, qui suis libris, atque scriptis omnia referserunt? Nosse verò se quenque, quam vim habeat, si ab hoc communi atque vsitato sensu abieris, ipso illo interprete qui edidit, censeo esse quærendum. Nam illud quidem inopinatum ac nouum, & nescio vnde erutum: nemine enim vnquam in mentem venire potuisset, Comitem esse æris alieni miseriam: Quid? hiccine solus vadimonium deserere coactus fuerat, eiusque bona proscripta fuerant? Sed quoniam in singulis non est immorandum, & vnius tamen exemplo cæteri noti esse possunt, ratio concludenda est, Sapientium nomen, ab ipsis vsurpatum, plenum arrogantiæ esse: a populo delatum, inanitatis. Correxit errorem hunc veterum Pythagoras, imminuitque iocundiam nominis, quòd primus Philosophiam pro sapientia instituit appellari. Is in illa sua peregrinatione, in qua, vt de Vlysse scribit Homerus, multarum gentium mores & instituta perspeculatus fuerat, cùm peragraret in reditu veterem Græciam, atq; illo itinere venisset Sicyonem, ibique cum Leonte Sicyoniorũ tyranno congressus, interrogatus ab eo esset, quem nam ipsum se profiteretur, num sapientem? respondit soli Deo congruere nomen sapientis: se vero Philosophum esse: hoc est, studiosum, & cupidum sapientiæ. Graue responsum & dignũ moderatissimo viro,

nihil sibi arrogauit, nihil sublatius de se locutus est, tantùm
am cupiditatem, quæ cuncto generi humano è natura insita
sapientiæ adipiscendæ, in se aliquando fortassis actiorem in
significauit. Plena igitur grauitatis oratio: neque ipse non
neus, cuius autoritatem cæteri sequerentur, si in eadem pos
sententia constitisset, neque dissensisset postea à sese, cęterisque
rebus non iam se moderatum & grauem, sed flagrantem ambi
tione importuna prębuisset. Nam quid illa iactatio populari
Græciæ omnibus in locis, vbi cœtus celebrati erant soliti, sui
stentatio? Quid nudatio femoris aurei Olympiæ, quum ad lu
dos solennis cuncta adesset Græcia? aliud in eo indicant, quàm
speciosum illud sapientis nomen, quod ipse paulò antè ab ho
minibus cunctis abiudicarat, & Deo vni tribuendum con
suerat, quum conaretur apparere ipse Deus, vsurpare illum
confessione reliquorum, & ad semetipsum vertere, tanquam
præstigijs quibusdam, voluisse? Quanquam femoris quidem au
rei illa nudatio, ignarum forsitan vulgus commouere: ijs, qui ho
minem nouerant, meminerantque ex aurificina paulò antè ad
Philosophiam egressum, miraculo esse non potuit. Quid quòd
ad Italiam se contulit & Metaponti sedem, ac domicilium stati
it fortunarum suarum? qui conueniebat homini Samio, pręsen
tim cùm plus honoris, quàm satis opus esset in germana Græcia
paribus illius haberetur? Sed, opinor, occuparis ibidem popula
rum animis opinione, & fama superiorum sapientium, cùm eum,
quantum assequi posset, celebritatis pœniteret: nouas illum se
des, & vberiorem segetem suæ propagandæ laudis, vacuis et
iam tum à Philosophia harum gentium animis, in Italia quæsi
uisse. Quibus in locis disciplinæ sectam eam condidit, quæ Pytha
gorica est appellata, magistra illa taciturnitatis. Hoc confite
rer commodè, si vt in addiscendo sic etiam ad docendum adhi
bitum silentium fuisset: huius enim molestiæ parte iam carere
mus. Porrò apud eum mos iste tenebatur, vt qui se huic dicassent
disciplinæ, obmutescerent integrum quinquennium, docerent
turque primò communia quædam, velut elementa artis: deinde
secretiora & quasi mystica: neque id à magistro: ille enim ab di
tus & semotus ab oculis, nemine se communicabat: sed responsi
& tanquam oraculis erudiebat iuuentutem, donec tandem per
specto ingenio, moribusq; probatis, qui iudicati fuerant digni,
admittebantur ad conspectum magistri, commerciumque ser
monis. Quod qui assequebantur, confestim domum ad necessa
rios suas literas, nuntiosque gratulandi causa mittebant, tanquam
eximium quiddam & optandum adepti. Hanc vitę, morisq; eius
insolentiã secuta illa arrogantia est, quòd vnus ferè Philosopho
rum omnium dictum & autoritatem suam sanctam haberi insti
tuit

rum pro ratione. Vnde enim celebre illud αὐτὸς ἔφα, vsurpare soliti erant, qui tuebantur Pythagoream sententiam, si quando (vt fit) in disputando premerentur, vt delitescerent in sapientis magistri autoritate & nomine? At hoc ne tyranni quidem in oppressis ciuitatibus facere soliti sunt, cùm quid de pristino statu volunt diuinare, vt non aliquam proponant causam & rationem voluntatis suæ. Sed de egregijs autoribus tanti nominis. artisq; huius appellatione ac titulo, dicta hęc sint. Quæ vna si disciplinam profitetur sapientię, ridiculè arrogans est: sin studium duntaxat, & cupiditatem, sicut ipsa vis vocabuli declarat, nihil habet eximiũ præ cęteris, nec quo tantopere glorietur præter cæteras. Quis enim est quocunq; ex studio, quacunque ex disciplina, qui nõ maxime cupiat sapientem esse se: aut cui quicquam omnium rerum videatur sapientia esse diuinius? Illud nunc videamus, qua autoritate prodierit in lucem, fueritq; iam inde ab initio accipientibus cõmendata: est n. profectò aliqua ex origine etiam & generis stirpe censenda nobilitas. Vt n. in editione in lucem, ac procreatione liberorũ, nisi parentũ distinguant nomina, & gentes, pares principio censeantur esse clari obscuris, ingenui seruis: propterea quod nihil nunc demũ oriens, habere potest ex sese in populum nobilitatẽ: Ita Philosophię prima cõmendatio à suis inuentorib. & tanquam parentibus, repetenda est. Vtris igitur tandem tanti inuentionem boni assignatis? Gręcis, anné Barbaris? Video magnum esse certamen: habetque pars vtraq; fortes aduocatos, veruntamen ipsorum etiam confessione Gręcorum superiores Barbari. Itaque & Ægyptij suum Osirin iactant: Vulcanumq; Nili filium aperuisse Philosophię principia annis prope innumerabilibus, antequam in Græcia de his ipsis rebus mentio vlla haberetur, & Gymnosophistas apud Indos, Druidas apud Gallos, vel ipsa teste Græcia, magnam sapientię famam video consecutos. Druidum quidem nomen in summa vt tũ habebatur diuini humanique iuris notitia, non solũ Græcis literis celebratũ, sed & ipsi Græco vocabulo Semnothei sunt appellati, propter scientiam colendorum Deorum videlicet, & celebritatem religionis: atque ijdem de rebus occultissimis primi non pauca ad cognitionem hominum attulisse existimati sunt: magno sanè munere insigniqne beneficio, tanquam parum multa essent in oculis omnium posita, & inconspectu, quæ ingenium diligentiamq; requirerent. Prædicant Zamolxin Thraces, quem ex abdito specu responsa sapientiæ percontantibus edentem, nuncq; velut euanescentem ab hominum oculis, rursum autem sese in conspectum dedentem, inducti, deceptiq; præstigijs, diuinitatis honore donarunt populares: itaq; & sacrificia illi solennia habita, & epulæ instrutę sunt. Athlantem laudib. Lybes ferunt: ob imitationẽ n.

cœle-

cœlestium circulorum in sphæra lignea relatam, quodam q
sapientiæ præmio, ipsius humeris cœlum sustineri nimirum
plex illa memorauit antiquitas: vt illum suæ artis: si modò
quicquam, necesse sit pœnitere, siquidem ob eam tanto onc
rumdo perpetuo addictus est. Ochum habent Phœnices au
rem sapientiæ suæ: at Phœnicas Græci, neque hi solùm, sed
tes ferè omnes: literarum enim vsum, sine quibus nimirum
entia non constat, omnium consensu Phœniciibus accept
tum fuisse legimus: ijdem isti, quod quidem sapientiæ par
quam attingit propius, ad maritimos cursus dirigendos, a
non iam fortis esset, sed consilij nauigatio, minorem Vrsa
tauerunt, eandem Cynosuram, qua fidunt duce nocturna Phœ
ces in alto, quæ hoc etiam certior dux est nauigantibus, quòd
ro interiore breui conuertitur orbe. Quid dicam de Chald
Magisque, quorum alteri spectandis syderibus, & cœli conn
sione intuenda cum statos illic, solenneisque motus deprehe
dissent, solisque & lunæ, cæterorumque errantium ordines, cu
cursiones, momenta perpendissent, quæque, quóue die in cœ
euenire necesse esset, aliquanto antè prædicerent, fcirum qu
dam in vita comperisse visi sunt, idque populare, atque plebi
le. Sed illud in ea arte cæteris fallax, ipsis illis fructuosum, q
per vanissimas prædictiones fatalium euentorum, animis imp
ritorum superstitione implicatis, viam sibi ad quæstum inue
runt, & ad dignitatem. Magi porrò iam inde à principe illo Z
roastre eadem penè via ad similem honorem in Persis sunt ec
sacris enim & cœrimonijs Deorum procurandis, cùm de natu
libus quoque principijs nonnulla differerent, adiungebant pr
terea diuinationem ex alio certo genere, ac Chaldæi, animos
regum, & gentium illarum, captos admiratione sui, tenuerun
Atqui ab his, quos memorauimus, alijsque præterea quam m
tis; quos nostra nunc prudens prætermittit oratio, antiquis
proditum est fuisse orta Philosophiæ principia: barbaris omn
ferè, qui in huius laudis contentionem vocati sunt: quorum s
uentum sapientia ista vestra est, atque ab eis, tanquam à prin
bus, autoritas est huic arti tribuenda. Primum quo nam alt
Græciæ infinita illa & intolerabilis gloriatio, omnia sibi vn
cantis, & quæ omnium artium laudatarum initia, progressu
nes cùm ab sese ortos, tum apud se perfectos vult? Deindè sto
enim ego quoque hoc loco quidem Græcis) esto, sit tanti, q
ti esse vos vultis, Philosophia. Quid aut elegans ab indoctis, aut
humanum à feris, aut politum à rudibus, aut denique eximium
& nobile à barbaris potuit proficisci? Si verò Græciæ adscribe
dus est iste honos, id quod me hercule malim, si per ipsos licer
ac nisi domesticis testibus, ijsque admodum probatis, liceret

adversarium detur, erit aliqua fortassis in origine Philosophiæ commendatio, propter ingenium, famamque Græcorum, sed tamen perexiguè, atque infirmè à paucis positum est, primis harum rerum inuentoribus Lino memoratas esse Thebas, Musæo Athenas, qui etiam primus Deorum generationes fertur tradidisse: quod equidem miror filio datum, cum Eumolpi patris institutam Athenis fuerint mysteria. Attamen siue his, siue illis hoc mirum humano generi munus ferendum acceptum est, cum illud dicerat, quod tamen etiam ante dictum est, coarguendam esse eorum temeritatem, qui artem nouam atque incognitam in lucem modo prodeuntem rei eiusce titulo nuncupauerunt, in qua peruestiganda, atque in constituendo ecquid nam sapientia sit, ecquid in se contineat, tot postea est seculis, tantis & ingeniis, & studiis elaboratum: tum idem hoc istis ipsis, qui huic arti tantum tribuunt, testibus confirmabitur, quod in progressu reprehenderunt ipsi sese, tumoremque & elationem nominis aliquanto verecundius vsu ipso & tractatione admoniti, in Philosophiæ appellationem subsidere voluerũt. Quod si illi hoc fecerunt medio in cursu, cùm rem eam, quam assiduè tractabant, habere iam nouorem cœpissent, vt imminuerent aliquid de prioris appellationis grauitate, & nomine: nobis non licebit in ipsa penè calce consistentibus, & iam planè edoctis, quàm puerilis ars tota ista Philosophia sit, diripere illi quod reliquum est autoritatis, eamque hanc quaquã sibi debiti honoris insignibus nudatam, è suggestu, sedeque principum, in scholarum angulos, & homunculorum interticulorum disceptationes eijcere? quæ præsertim tam sit anda, & helluatrix, vt nullis certis finibus contenta, in omnia omnium conetur inuadere. Præclarum quibusdam videtur esse cœlestia contemplari: arrogat hoc sibi in primis Philosophia: Moderari politias, ne in hac quidem parte cuiquam relinquit locum: Scire agere vitam prudenter, & nauiter: hoc verò præcipuum ait esse munus instructi ab sese sapientis: Aptè, & cõgruenter temporibus loqui, vnumque facundia excellere inter multos: huiusquoque siue artis, siue peritiæ, viam à se prædicat, & rationem esse petendam. Sunt etiam subtiliores, & minimè populares artes, scientiæque Mathematicorum, in quas temere irrumpat. Quæ (malùm) ista tanta cupiditas, quæ impudentia est? Quoquo modo certè ea non ferenda, suique tandem aliquando huic procaci Philosophiæ sunt constituendi termini, ne ad libidinem euagetur, depascaturque omnia omnium: neue ex alienis opibus intumescat: in quo tamen quantus (ô Dij) error est eorum, qui illi omnia in sinum student congerere: dum enim eam in omneis regiones, orasque disciplinarum deductam esse cum imperio volunt, stabilem ei nullam relinquunt sedem, vbi tan-

quam

quam in paterno regno, & quito dominetur: sed semper ill
hospite litigandum sit: quam nos litem sic dirimamus, si pl
Si vna quæque ars suum & certum habet nomen, quo appell
separatimque, & seiunctè denotetur à cæteris, neq; potest
certæ artis duplex æquè esse nuncupatio: non erit Astrolo
Philosophia, non Geometria, non Musica, non Arithmetica
bent enim singulæ hæ scientiæ appellationes suas, in quas
cuiusque artis vis, facultasque comprehenditur, & à cæteris
seiungitur. Itaque si Erasistratum suæ artis, & professionis
iudicare voluerimus, appellabimus (opinor) medicum, & Hi
parchum astrologum, & Aristoxenum fortasse musicum: Phil
sophi autem nomen ab vnoquoque horum segregabimus, si
rò ad proprias artium cunctarum appellationes cõmune
bus nomen accesserit Philosophia, iam non magis fuerit
strologia sapiens Eudoxus, quàm in statuaria arte Phidias,
minus sapiens pictor Apelles, quàm Philosophus Plato. Qui
idem in reliquas etiam vulgares, & mechanicas artes, vel Hom
ro teste, deductum, efficit id, quod antea dixeramus, ridiculum
se horum professionem, qui sibi soli doctrinam arrogant sapie
tiæ. Quare si sententiam tueri & existimationem volunt sua
tanquam eximium quiddam minimeque vulgare adepti, ex
trahant Philosophiam necesse est intra fines suos, neque ean
berè ita depopulari sinant aliena, ne si aditum ad prætorem
improbitatis damnetur, alienoque cum ignominia redden
suas ipsa etiam fortunas, si quas modò habet, mulctæ nom
abijciat. Subijcere igitur Philosophiæ siue mauultis sapient
certam rem & propriam, quasi materiam quandam oportet,
qua sola ipsa dominetur, neque in ea admittat consortium
quarum. Quæro ergo, quam? Hic tibi aliquis verborum ere
amplitudine nos deterrere posse postulans, Philosophia est, in
quit, rerum diuinarum humanarumque scientia. Agnosco lon
tum, pompamque verborum, certi in re nihil video. Quis hun
non irrideat tanto cum strepitu tam timidè se inferentem? Em
alter de transuerso festiuam affert collectionem. Si vt quo
quaque arte excellit, inquit, in ea ipsa arte sapiens perhibe
verbi causa Phidias, si in suo opificio summus est, in eo etiam
sapiens, item in pictura Apelles, in fundendo ære Lysippus, sa
pientium nomen propter egregiam in arte sua cuiusque præs
tiam sunt meriti, quod idem valet in reliquis: erit ipsa per se
simplex & absoluta sapientia, rerum in mundo præstantissim
rum scientia. Huic cyathus mulsi dandus fuit, valde enim cre
laborauit, vt quid denique esset sapientia, haberemus explora
tum. Num non videtis ex his quidem definitionibus nihil affe
rentem quod clarè & dilucidè de se polliceatur, falsæ modò
pop

populum opinionis aucupatricem esse Philosophiam? Verùm his omissis, requiramus potius terminos, quos peregere ij, qui in ea autoritatem sunt consequuti, Platonem dico, & Aristotelem: hos enim video à vobis in toto genere hoc constitui principes. Hi ergo partitionem Philosophiæ trimembrem esse voluerunt, vt triplex eius munus esset, trina functio: vna pars in rerum cœlestium contemplatione, causis, effectibusque naturæ indagandis versaretur: Altera amores, leges, instituta, virtutes, vitiaque hominum cõstitueret: Tertia disserendi rationem, dijudicandique quid verum esset in disputando, quid falsum, quid consentaneum, quid repugnãs contineret: ita in treis partes omnis diuisa Philosophia est, Naturalem, Moralem, Dialecticam, quam eandem, si Latinis malumus vti, quàm Græcis (etsi Græca quoq; ipsa nomina iam in consuetudinem nostram adsciuimus) rationalem forsitan rectè possumus appellare, quod idem est, & Logicã. Hac diuisione constituta congrediamur propius, atq; ita vt ne vibrare arma tantummodo, & quosdam edere motus, sed vt manum etiam conserere, & prælium videamur inire voluisse: singulasq; hasce partes, quid vnaquæque earum ad sapientiam valeat, consideremus: vt si vniuersæ artis inutilitatem & ignauiam quodammodo (sic enim dicendum est) potuerimus demonstrare, multorum animos hoc errore liberatos à superstitiosis & inanibus curis, ad illustres & serias occupationes transferamus: nisi quid ad hæc vos. Quid nam? Citrarius inquit, nisi nos in magna audiendi expectatione esse: vt experiamur, Phædre, tua ista singularis eloquentia num nam queat in maxima causa stabilem & fixam multorum de Philosophiæ virtute labefactare opinionem. Nec tamen ego is sum, qui bellum illi habeam indictum: nec tamen reprehendendam & abijciendam Philosophiam, quàm modum in ea quærendum puto, in quo sentio Phædre, aliqua ex parte tecum, proboq; Neoptolomij sententiam, quæ mihi cum Sadoleto mea vna est dissensio. Ille enim (vt vides ipse) operã omnem in ea locari, & nihil agi aliud in vita rectum putat. Sed tu perge quæso, & in hanc partem potius incumbe tamẽ: nam qui amplius æquo collaudant Philosophiam, nimium sæpe multi, & mihi molesti sunt. Atqui, inquit Gallus, mihi contrà modò mirari veniebat in mentem, cùm Philosophiam venerer etiam summoperè, non solùm diligam, qui possem non æquis auribus modò, verumetiam studiosè audire eam vituperantẽ Phædrum. Sed profecto sic est, vt dicitur: Nil tam iniquum, quod non dicendo æquum videri queat. Cùm enim tãtus in hoc homine lepos sit, vt me illius quidem semper, sed & alios omneis sæpè mirabiliter delectet oratio: tam vis ingenij tanta, vt in quam se cunque incitet partem, aliorum secum studia pertrahat, & vim quodãmodo afferat sensibus audien-

audientium, itaque vereri iam ipse cœpissem, ne quid de mea
stina voluntate erga Philosophiam dimitterem, nisi me co
maret expectatio defensionis, quam Sadoletus noster est
turus: quod ipsum illi quidem non difficilius futurum est, si
tecum nunc non adest is, qui esse semper vna solet, nec ca
quam, Phædre, discedere, alterum lumen vrbanæ huius facu
Camillus Porcius. Hic ego, Hoc Galle, inquam, quod me
cia teipsum confirmes, vide ne in fraudem potius te de
namque ego quis sum? aut quid possum per me denique
quid fuerit, quod vtinam aliquid sit, bonitas causæ suppe
mihi facultatem aliquam respondendi: & tamen Phædrum
strum paratiorem esse video, quàm expectaremus, quam eum
bi accusandam & refellendam assumpsit Philosophiam,
ipse arma videtur mutuatus, quæ in illam ipsam demum
rijs viribus, & neruis intorqueat. Equidem vellem Marius
terranus adesset, amicissimus omnium nostrum, homo
acerrimi ingenij, tum omni quidem ille liberali doctrina,
his Philosophiæ studijs in primis exercitatissimus, quem
omnes audiuimus sæpe quacunque esset de quæstione
tum, in vtramuis partem differentem ita copiosè atque
vt quemadmodum de Carneade dictum reliquit Cato, quod
posset eo dicente discerni quid verum esset, & quid falsum
incredibili quadam ingenij & orationis copia audientium
tes obruebat. Sic huius sit & sublimibus sententiis, & acutis
argumentis referta disputatio: in extenuando verò, & ampl
cando, tanta vis, vt nihil illo laudante humile, nihil virtute
videatur excelsum: haud sanè ille nunc pateretur deserta
oppugnatam iacere Philosophiam: præsertim in eam impe
faciente Phædro, quo cum ille semper fuit cunctorum opti
quasi comparatus: summum in vtroque ingenium, summa
ditio, salis & facetiarum vbertas par, verum ille Philosophiæ
quantum & studio, & amore coniunctior. Phædrus hanc po
rem orationis laudem magis est sequutus, qua nunc frerus,
iudice populo vti posset, næ ille causam, vt ego arbitror,
æquam, haud difficiliter obtineret. Sed bene agitur cum P
sophia, quod à populari disceptatione remota est: quamob
ede nobis Phædre ea, quæ aduersus eam nunc primum tu
dem, neque leuiter, sed & diu antea, & perquam accurate
ditatus. Tum ille, Faciam equidem, inquit, atque hoc tibi
diosius nunc morem geram, quo sis in metu postea aduers
lenior: Nec tamen mihi interdictum putabo, quin si ad
iudices me perculeris, ad populum mihi parata sit prou
Hic cùm arrisissemus, Videtur, inquit, ordo rerum & natura
stulare, vt prius describamus sapientiæ formam: quæ, mea

dem sententia, cùm aprior ex seipsa sit, tum ad vitam splendide, & cum laude degendam accommodatior: qua posita, facilimum postea fuerit, qui ab hoc signo, tanquam nauigantes ab Arctico polo, aberrauerint, eorum errorem, insipientiamque coarguere. Quoniam igitur sapientem eum esse volumus, non qui in solitudine, neq; cum paucis ineptis, sed qui in cœtu, conciliisq; hominum vitam agat: communesque cæterorum voluntates & studia secutus, referat ad sese omnia, quæ quidem sint expetenda, siue ideò quæ expetantur: expetitur enim idem, & expetendum est, quod opinione plurimorum iudicatur dignũ, vt in eo adipiscendo omnis cura, industriaq; ponatur: erit sapientia, earum rerum comparandarum scientia, quæ ab eo genere hominum, quo cum veteris, & æstimentur plurimi, & maximè expetantur: hoc definitione breuius comprehensum, oratione est dilatandum. Tria sunt (vt mihi quidem videtur) in quibus omnis humani consilij deliberijque, & ratio vertitur, & appetitio, eaq; veteri etiam prouerbio notata, quo sic distinguitur: Optimum esse bene valere, honestari pulcherrimum, iucundissimum frui eo, quod quis maximè cupiat, ita salutis, gloriæ, iucunditatis præclara esse videtur & expetenda adeptio, nec verò quenquam esse omnino omnium mortalium reor, qui non hæc sibi cuncta adesse maximè velit. Sed voluntas nullam habet laudem: libera enim est omnibus, & tardis ruina, sollertibusque communis. Scire autem inuenire sibi ad potiendum hæc aditum: & cùm vniuersa in hoc certamen tanquã in cursum, aut luctam descendat multitudo, præripere vnum cæterum palmam adipiscendi, aut certè inter paucos suum locum & partem obtinere: hoc iam proprium illius sapientię est, cuius nos iudicationem non vni, aut alteri, sed frequentissimo consilio permittendam statuimus. Nam si quis singulari quadam opinione præditus, diuersus longè à populi iudicio, aliam sibi nescio quam nocturnis lucubrationibus in silentio & cubiculo effingit sapientiam (vt nunc taceamus alienam cum quandam & deuiam, longeq; aberrantem à communi prudentia, ac plenam vanitatis sequi rationem) quid, quæso, aliquid is vt efficiat, quàm erit amplum illud atque magnum, in quo neminem ille omnino æmulum, nullum riualem est habiturus? An ignoramus contentione certantium, ac veluti licitatione quadam, augeri rerum precia, atq; æstimationes? certoq; indicio esse iacere eas res, & penitus abiectas esse, in queis nulla inter se contra licentium studia constituitur? At hoc minimè vult sapiens: verùm quod maximi & est, & habetur, in eo maximè conatur excellere. Ad multitudinis igitur iudicium acta sua præcipuè consiliaque accommodat. Vt eum habitum corporis, atque vestitum: vt ædificationis formam, domiciliorumque: vt lauandi, cœnandi, loquendi mo-

rem: sic actiones, & consilia totius vitæ ad populi iudicia
re, dirigereque debemus: porrò illa temporibus regun
go primum sapientis munus seruire tempori, & semper
quodcunque plurimi fuerit, præcipuas suas partes, & pra
autoritatem esse, postulare. Iam ne cernitis totius sapien
telligentiam, quam Philosophi suam esse volunt, popul
potiore iure vendicare? Et sanè æquius multo est, vnum e
dere sententiis plurimorum, quam vnius plurimos. Del
autem ab opinione & decreto multitudinis, aut arrogan
non ferendæ, aut leuitatis irridendæ. At populus nunqua
in eadem sententia permanet. Quid tum? Turpe est sapie
variare decreta. Quid tu postulas sempiterna esse hæc, qua
rata sunt mortalia? vt enim Valetudo non ex eisdem sem
ex alijs, & alijs retinetur cibis: sic sapientiæ consilia non
tuò vna sunt, sed ad tempus se accommodant, & ad fortu
cuius præcipuum est, in humanis rebus posse dominari. Nec
men etiam si non semper sibi multitudo in eadem opinione
stans est, sed aliò alias, & tanquam fluctu quodam ferturad
candum, iccirco de honore detrahitur sapientiæ. Sed haut
an vegetior hac re quidem, & semetipsa solertior quodam
sapientia ipsa fiat: ac vti facem motus, sic illam mutatio
riatio accendat. Vt enim si idem mos perpetuò tenendus esset
consuetudo eadem, facile esset vnicuique inueteratam vsu, &
manus traditam, vitæ sapienter degendæ retinere disciplinam
Sic quoniam mutandæ sæpe opiniones, ferendæ vicissitudi
studia in diuersam partem conuertenda, prioris vitæ ratio
atque descriptio sæpe etiam repentè denuo fingenda est, ha
munus sapientia non minus difficile, quàm præclarum, in va
sese formas crebrò commutandi: vt ad omnes eventus rer
varietatesque temporum promptam solertiam afferat. Flex
in gubernatione Reip. P. Scipio Nasica Pont. Maximus: nec
ea solùm sapientis viri laudem, sed optimi etiam cognomen
natus iudicio, matre Idæa Pessinunte hospitio accipienda,
ruit. Atque is ipse cùm subitis seditionibus turbata esset Respu
lenitatem illam suam pristinam, odio inimicorum incrudes
passus est: nec minus dissidentibus factionibus victores sanc
voluit, quàm antea tranquillo Reip. statu, ornatos florentes
voluerat. Lælius verò eodem illo tempore etiam proprio cog
mine dictus est Sapiens: quia cùm agrarijs prius legibus fu
rem se præbuisset, simul ac præsensit multorum se odia in
suum concitaturum, destitit ab incepto, transijtque ad eam
tem vt locupletes conferret in agrorum possessione esse retin
dos. Flexit horum vterque consilia & actiones suas ad id, quo
expediebat, quodque tempus ferebat: egere sapienter. Qui

lenitatem Scipio, constantiam Lælius tenuissent, præceptis forsitan huius vestræ paruissent Philosophiæ: sapientium quidem nomine, & laude caruissent. Vnus est ex omni antiquitate, quem maxime admirer, C. Iulius Cæsar: cuius tanta animi virtus, tantum ingeniũ fuit, vt angustius theatrum gloriæ suæ orbem hunc terræ, quem incolimus quàm ipse meritus sit, habuisse videatur. Hic nõ ad vnam, alterámue laudem, sed ad omnia summa natus: cum etiam tum adolescens probari in foro eloquentiam videret, adhibuit studium, in ea nemini vt esset secundus: ex bellica porrò virtute gloriam sibi meditatus, & potentiam: magnitudine animi perfecit, & industria, vt non solum gentium omniũ victor, sed naturæ etiam esset, Oceano domito, atque eo toto summotis nationibus, nõ solùm inuestigatis, verum etiam bello armisq; subactis: fluminibus, quæ neutiquam permeabilia viderentur, iugo pontium deuinctis: infinitis spatijs terrarum celerius cursu, quàm fama peragratis. Atque hic idem, domi & in patria, vbi intellexit priuatim quæri opes, Rempub. in medio prædæ omnibus esse: operam dedit, vt cunctorum existeret princeps, imperiumque sibi acquireret: ad salutem illum quidem, non ad perniciem ciuitatis, si per homines impios ea quæ constituerat efficere situs esset. In hoc ego homine maximam vim sapientiæ fuisse duro: & certè talem statuo esse debere, quem iamdudum effingere conor sapientem, alto animo, acutum, sagacem, industrium, longè prouidentem in posterum, suam virtutem impartientem omnibus, sibi præcipua & maxima appetentem, opes, imperium, auctoritatem, gloriam: non enim obliuiscitur sui sapientia, nec suorũ penitus commodorum curã abijcit, sed refert ad se omnia sapiens, consulitque sibi potissimum: nec putat digniorem esse quemquam, qui commodis vitæ honoribusq; fruatur: habetque illud in ore, opinor, Pacuuij, Sapientẽ qui sibi prodesse nequeat, nequicquam sapere. Hanc ego artem, & disciplinam agendæ vitæ, sapientiã voco, ciuilem quandam popularemq; philosophiã, erigentem homines ad facta tum splendida, tum in multitudinẽ gloriosa: eosq; magnos, potentes, nobiles: atque, vt vno verbo cõplectar omnia, principes deniq; efficientẽ. Conferte nũc istam vestram, si placet, quam in scholis quotidie declamitatis Philosophiam, vt hæc ab illa quid intersit, dijudicare possimus. Ac primum, tanquam vestibulo amplo, atque excelso ornare illam cupientes, præponitis rerum cœlestiũ contemplationem & occultarum rerum, causarumque indagationem: ea enim est Physice, quæ primũ tota incerta est, minimeq; comprehendibilis: deinde enim si comprehendatur, prorsus hominum vitæ inutilis & supernacanea. Quid enim poterit gloriari se adeptum esse, qui illa cognouerit, cum nõ sua, sed aliena cognouerit? verum cognosci

non possunt. An ille mundi effector, & fabricator tanti
Deus, tantis locorum interuallis à semetipso nos disiunxi
suas sedes, arcanaque consilia nobis nota esse voluisset? Qu
aliud bellum indicere Dijs, more gigantum, quam illuc
ascendere, quò nobis aditus omnis penitus est interclusus?
qui mihi videntur veteres illi haud illepidè de gigantibus fa
lati, quò horum insolentiam, temeritatemque arguerent: q
ea re firmius adducor, vt credam, quòd vt illi montibus
tanquam gradibus, sic Philosophi trinis, antea à nobis me
tis Philosophiæ partibus, in altissima loca moliuntur ascen
Ter sunt conati imponere Pelio Ossan, Scilicet atq; Ossæ
dosum inuoluere Olympum: ter pater extructos disiecit
ne montes: Scripsit diuinè, vt omnia, poëta omnium
mus: nec tam ille vt gigantum, qui certè nulli id egerunt, q
vt hominum suis ingenijs nimium confidentium arrogan
refelleret. Quanquam non ingenij est, sed dementiæ, quæ
lo intelligi pacto queunt, in ea nihilominus mentis acie
intelligendum intendere. Nam isti quidem ingenium si hab
sent, primum quidem sciri ista non posse vel ipsi cognouis
vel doctissimis hominibus, ac principibus disciplinarum
rum affirmantibus credidissent. Deinde ea omnino nihil a
pertinere. Postremò quas ad res ingenium adhiberi, & prud
tiam oporteret, ad eas res adhibuissent, in cœtibus hominum
delicet, & conciliabulis ciuitatum, vbi non in vmbra, & cub
lo, sed in sole atque campo: non in argutijs & conclusiunc
sed in agendo & regendo sapientia ipsa cernitur. Verum ad h
genus vitæ præstabile atque eximium, tanquam abortu nat
quodam cum minimè idonei nati essent, confugientes in ot
& solitudinem, ignauiæ culpam & tarditatis, ad cœlestis scien
laudem transferre tentauerunt: cœlique res, rationes, cau
freti ocij abundantia, formam, motum, materiam ex qua co
stet, opificem à quo sit factus, finem quo intendat, inquirer
quum terrena, & quæ in manibus, quæque ante oculos erant
percipere non potuissent. Quod est ante pedes nemo spectat
cœli scrutantur plagas. Antiquus versus in hosce factus: fo
Thaletem vnum è septem illis argutè lusum ab anicula legim
qui quum domo semel antelucanus egrediens, vt siderum qu
rundam annotaret cursum, in subiectam pedibus foueam, quam
non animaduerterat, cecidisset: quid, inquit anus ancilla ante
procax, à te expectandum Thales est, vt nobis de remotissimis
rebus perceptum tradas, cùm ante pedes quæ sunt, ea mini
mè intueare? Acris in illum obiurgatio, sed valet in reliquos
Omnes enim qui huic arti se, & studio dediderũt, aut desperatio
ne ducti, posse se inter cæteros suum locum & statum obtinere

hoc

hoc sunt compulsi, aut vanitate quadam ingenij, leuitateque na-
turæ friuolam oblectationem hanc, & arridentem otio, desidiæ-
que disciplinam serijs occupationibus antetulerunt. Huiusmodi
homo Anaxagoras fuit, qui percontanti cuidam, Quonam esset
natus: Ad cœlestium contemplationem, inquit. Si oculis intuen-
dum, nihil ille habebat, quàm cæteri homines plus. Si mente,
& scientia comprehendendam, ne Anaxagoras ad rem nullam
nimis, si quidem ea sequebatur, quæ non poterat assequi, haud se-
ro multò, ac mens ipsa illa, cuius idem ipse repertor fuit, quam
admirato antea tempore cessantem, tandem admouisse manus
tradidit, ad minutissimas particulas corporum naturalium in
vnum confusas secernendas: quæ infinita & interminabilis se-
cretio, non tam Anaxagoream mentem arguit frustra suscepti la-
boris, quam Anaxagoram dementiæ: atque hic ipse, quò libe-
rius hisce commentitijs rebus vacaret, néue aliam in partem
cuiuslibet abduceretur, agros quos fructuosissimos habebat, in-
cultos dicitur reliquisse, nequaquam laboriosam mentem illam,
quam tantopere adsciscebat, imitatus: cùm non laborem ipse
modo, sed cogitationem quoque effugeret laboris. An hoc con-
tentæ sapientiæ existimauit, quum laborem mentis tantis præ-
conijs efferret, se nihil laborare? & quum mens alieni tantam
curam gereret, sua ipsum negligere? Quanto sapientior eius au-
ditor Pericles, hac maturè dimissa disciplina, ad regẽdam Remp.
se contulit: in qua per quadraginta fuit annos, non Athenis so-
lùm, sed in tota Græcia ferè princeps. Atque hæc sententia, nul-
lam sublimium rerum atque occultarum nec sciri posse à nobis
nec percipi, si autoribus nobis nunc demum prodijsset in lucem,
non dubitaremus eam sanè cùm asseuerare constanter, tum et-
iam rebus & argumentis confirmare fortiter. Verum si qua eius
tamen inuidia apud aliquos est, nihil prohibet opinor, quin eam
à nobis depellamus, & ad eos ipsos, quos contra dicimus, reijcia-
mus. Etenim, quod sacræ testantur literæ, à Rege superbissimo
extruitam turrim, cuius apex & celsitas in cœlum finienda esset:
eum Deum ad disturbandum opus varietates linguarum, & versi-
uocales sonos, discrepantiasque verborum immisisse, vt aliud pe-
tentibus, aliud accipientibus ijs qui fabricæ instabant, ab opere
desisteretur: idem mihi optimè quadrare in Philosophos vide-
tur, quorum Deum quum misereret potius, quàm his iratus esset
(scisit enim diuina bonitas irasci) de summis rebus acerrimis
illos dissensionibus inter se concitauisse, vt alius alium redar-
gendo, omnes ineptam curam deponerent. Enimuerò quem
primum testem ab istorum parte, contra istos eos ipsos excitabi-
mus? Opinor illum, quem vos principem, quẽ authorem, quem
patrem Philosophiæ dicitis, Socratem. Quid ergo is, quid af-

fert? Se scire hoc vnum, quod nihil sciret: atq; hanc vnã sibi ad
sapientiã, quod in certa pro certis nõ duceret. Nec verò sensu
solũ, sed palàm quoq; omni tempore prędicauit: nec p̃dicauit
do, verùm etiã re ipsa sequutus est. Quum n. Archelai in Phy
discipulus fuisset, eius, qui Anaxagoram audierat, totã eam p
tus abiecit, contempsitq; scientiã, tum quòd certi in ea nihil
set, tum quòd minimum conduceret (vt ipse dicebat) ad bea
vitam, in qua vna conquirenda potissimùm homini esset
randum. Neq; adeò leuius ille Anaxagoram accusabat, quàm
eundem paulò antè reprehenderimus: quòd (sic enim eũ loq
tem inducit Xenophon) altum quiddã, & supra se sapiens, Dei
opera patefacere tentasset, quæ illi operta esse voluissent. Em
docles verò cuius elegans de rebus naturalibus poëma, plurim
nij & venustatis, quàm sapientiæ profectò continent. Im
dum quasi furore incitatus, nihil posse percipi, ne sensibus
dem exclamat: nihil nos cernere, omnia in abstruso penitus
dita esse. Idemq́ue ait, ad rem præsentem quidem, & quæ oc
rerit, consilium homini adesse: mutatis autem iis rebus, in q
antè intuebatur, mutari & hominis sensum ac consilium: vt
deatur Protagoream rationem, quæ pòst exorta, & copiosi
defensa est, his paucis verbis innuere: cum quo sentiens Parm
nides vetustus autor & nobilis, Quo quisque membrorum tem
peramento præditus est, inquit, sic habet mentem temperame
tum illud sequentem. Extat enim responsum Anaxagoræ, Ta
esse cuique quæ occurrant, qualia ab eo concipiantur. Tam
nim mobilitas, & quasi fuga rerum cunctarum à veteribus
animaduertebatur, vt negaret Heraclitus bis nos in eodem
uari flumine: quod idem est ac negare, bis eadem nos verè
posse ratione. In quo facetum illud Eratyli, qui quum Hera
tum reprehendens, ne semel quidem id fieri posse censeret, ne
oratione in rebus enarrandis nihil vtebatur, quòd negaret re
expectare moram dictionis posse: sed tantummodò sublato d
gito, capiteq́ue reiecto actum non esse agendum indicabat. D
mocritus verò naturæ veluti succensens, obuoluta dicit esse
mnia, & in profundo penitus à nostris aspectibus retrusa. Qu
quam hîc quidem, quò melius credo, illa cerneret, oculis
dedita opera dicitur priuauisse: quum iam Empedoclem idem
furor, ne diutiùs is frustrà in quęrendo operam sumeret, in cra
teras Aethnæ præcipitem iecisset. Vtor singulis testibus, ad
q́ue spectatis: quorum si authoritati fides adiungenda est, ni
hil est cur inanem hunc laborem in Physicis, illis ipsis desp
rantibus, nos subeamus. Neque enim aliud est veritatem inqua
rere, vt ait Aristoteles, quàm volantia sectari: hoc est, ea quæ
comprehendi non possunt, captare cupere. Sin autem deroga
da, fi

da, his præclaris autoribus inprimis, nixa in lucem prodiit Philosophia. Quid secta vna Philosophorum, & quidem ea nobilis Academia, siue ea vetus, siue noua sit, nónne hoc dogmate vniuersa, & tanquam fundamento nititur, nil percipi certo posse, nec rei cuiquam assentiendum esse? Quum enim visa (ea Græci phantasmata) quibus mens pellitur, & ad iudicandum adducitur, talia prorsus a falso esse possint, qualia sunt à vero, non esse regulam, qua liquidò demonstretur, altera ab alteris quicquam interesse. Huius sententiæ princeps fuit, vt mihi quidem videtur, Plato, atque ab ipso illo Socrate: sed hic primus rationem hanc dubitandi in scriptis prodidit, effinxitq; Socraticum morem, cuius admirabilis eloquentia mihi omni Philosophia videtur præstantior. Sanè ergo is non tantoperè Socratis ἐποχὴν illam, non sustinentiam, si placet appellemus, nihil pro certo affirmandi, literis persecutus esset, si non eandem ipse sententiam tenuisset. Hanc à Platone acceptam, aliquot annis pòst Polemonis auditor renouauit Arcesilas: Quintus deinceps ab eo Carneades eorum acrius defensitauit. Hæc me labore hoc leuat, vel inuidia potius. Quod enim est à me positum, causas rerum occultas, & latentem cœlestium non posse percipi, hæc non modò suscipit defendendum, sed dilatat etiam: & quidem ampliùs aliquantò quam velim. Tollit enim præterea etiam iudicia sensuum, neque relinquit omnino quicquam, in quo possit assensio nostra consistere. Quamobrem relinquamus hanc qua ex parte fundit se latiùs, & suam litem facit, eam ipsam quoque manifestò insanientem: quod enim percipi non posse sentit, idipsum illa vehementer, vt percipiat, elaborat. Quatenus verò nobiscum facit, cùm præsidio quidem vtamur illius, tum autem non minùs eorum, qui perceptionem admittunt, atque scientiam: quos inter si tot iam seculis conuenire potuisset, vt de omnibus, aut saltem de primis atque præcipuis sentirent eadem, esset aliquid fortasse, in quo nobis quoque acquiescendum putaremus. Nunc quid de occultis rebus, atque obscuris dicam, quum in clarissimis tanta sit dissensio? Sole hoc quid lucidius esse potest? vnde omne lumen, omnis claritas, omnis in cœlo & in terra estradiatio: atqui hunc ipsum, cuius aspectus maximè impler oculos nostros, non modò quid sit, sed ne quantus quidem sit, horum adhuc concordi sententia potuit definiri. Epicurus bipedalem eũ esse, aut nõ multò plus, vel minus, scilicet hic omnia his oculis indulgens, quorũ vt saluum teneat, incolumeq; iudicum, audet negare etiã impudenti mendacio, sibi vnquam cùm vrsisset aciem, duas è lychno flammulas vibrare visas. Mathematici duodeuiginti partibus maiorem quàm terram: Nũ hæc exigua differentia est? Creuit impudentia: centũ enim & sexaginta

partibus sunt, qui velint terram à sole superari. Adiberem Architectum peritum qui horum septempeda controuersiam erceat: verùm non metiendo, opinor, sed cædendo. Nam ex materia, quóue ex corpore factus sit, ausus solus est Anaxagoras dicere: ferrum esse illum igne penitus candens, veritus ne si ad secernendum hunc quoque mens illa sua manu mouisset, solem in mundo non haberemus. Hoc forsitan Democritus neglexisset: Anaxagoras pertimuit: itaque metu & duritie ferri, & ardore ignis: atque ne illum parum fortem profecisse hac sententia existimetis, hoc nomine ab Atheniensibus impietatis est damnatus. Quid nobis omnibus magis certum est persuasum (nam perceptum non audeo dicere) quam circumcirca nos torqueri: terram in infimo mundi iacere immobilem? Extitit tamen Philosophus Syracusanus Niceas, qui cætera cuncta censeret, solamq; rerum omnium terram circum axem moueri, ex eoq; fieri, vt eadem apparerent omnia, quæ cumuerso cœlo eueniunt: Huic vt defuerit sua ratio, tenere certè pro ratione affuit: adeò nihil tam absurdè dicitur, quin non aliquo autore defendatur Philosopho. Iam cœlestium numerus num adhuc satis peruestigatus est? finem equidem nullum fore, si quod vsque adhuc factum est, singulis proximis culis nouus aliquis orbis præterea adijciatur. Nam de epicyclis astra ferentibus, ac de orbibus à medio mundi dimotis, quos centricos ipsi vocant, sintne, nécne sint, digladientur per me cet cum Philosophis Astrologi: quorum alteri statos fieri motus sine his, alteri cum his naturam stare posse negant. Atq; hæc res perspicua in mundo & manifesta quæ palam ferriit oculos, animosque etiam in aliam partem, rerum pulcherrimarum spectaculo ad contemplationem sui trahunt, si ignorata sunt, & imperspecta, quid erit de obscurissimis rebus, & à sensu nostro absconditis dicendum? Omittamus de Diis loqui, quo in genere nos Deum vnum agnoscimus, tribus personis, eadem mente, eodem numine, eadem natura, eadem potestate in absolutam & simplicem unitatem redeuntem: non enim hoc à Philosophia, sed ab ipso met Deo, & Dei filio accepimus: irrideamusque in hac re tam Philosophorum ineptias: delitias videlicet Epicuri monogrammos Deos constituentis, sine corpore, sine sarto, sola circumca lineata descriptione, humanæ figuræ similes. Stoicorum quoque animum illam fatidicam contemnamus: Illud strictum agamus, quod sanè non concesserit nemo: principio incognitæ quæ ex eo principio gignantur nequaquá posse cognosci. Quid ergo non est rerum naturalium principium? num aqua, quam Thales posuit? quanquam ille veluti diuinans, quod sui aquæstu esset moriturus, conciliare sibi tanto honore curauit aquæ

An ac

An aër, vt placuit Anaximeni? vel ignis, quod Heraclito? item
ínitum principiúmne, an infinitum? mobile, ánne immotum?
Vt deo maximas dissensiones. Nam atomi Democritica innume-
rabiles quotidie mundos fortuitis concursibus efficientes, con-
sumunt cogitationes nostras immensitate regionum, quas per-
tingantur, & turba copusculorum. Materiam porrò suã Aristote-
les, quam sine forma vlla, & sine ratione esse voluit, vnde cogno-
sci posset: quomodo ipse cognouit? Longum est enumerare sin-
gula: & patere tamen arbitror, ignorari Physica illis autoribus,
quibus tractata sunt: quorum simul vt quis sententiam suam
dixerit, non mecum ille quidem, sed cum cæteris Philosophis
litarum sit negotium, clamore ac iurgio pro contraria parte
tridentibus. Sapientiæ quidem in hac parte Philosophiæ tantum
abest, vt aliquid insit, vt contrà sapienter deliberet, qui hæc tan-
quam ingeniis nostris longè exuperantiora omittenda penitus
dicat. Non enim profectò tantis sese à nobis spatiis Deus abiun-
xisset, neque tot aliud supra aliud circumduxisset, tam vasta &
diffusa elementorum corpora, igne quoque postremò commu-
tabilem mundum hunc vallasset, superinduxisset irrequietos am-
bitus cœlestium orbium tot, atque tantorum, cursuque eos im-
mensò, ac inenarrabili in gyrum concitasset, solidissima & fir-
missima compactos materia, si à nobis homunculis humi stratis,
& in infimum locum deiectis percipi hæc omnia, & comprehen-
di voluisset. Sed fac cognosci: quid tandem quasi nostra interest?
Chreme, tantúmne ab re tua est otij tibi, aliena vt cures, ea ad
te quæ nihil attinent? Iure igitur Socrates scientiam hanc reie-
cit, vel vt obscuram, vel tanquam non necessariã. Philosophiam-
que peregrinantem procul à nobis, & in cœlo errabundam, cre-
do hospitium quærentem deduxit quasi manu in ciuitatem, ver-
sarique inter homines assuefecit, eique præfecit muneri, vt de
bonis rebus & malis ad vitam potiùs pertinentibus inquireret.
At enim ingenua est, & homine libero digna hæc speculatio: cur
non curiosa potiùs, & ei ipsi molesta, cui te nimium studeas in-
sinuare? An ego si quæ domi ago, & in cubiculo, ea curiosiùs
quis perscrutetur, feram molestè? neque verum arbitrer pati, vt
meis intimis rebus speculator immineat? & Deum persuasum
nobis habebimus hac inani nostra curiositate delectari? Nam
de principibus quid narrem? quorum ad Deum propiùs accedit
inuitatio? Regis Persarum ferunt speciem, & maiestatem eiusmo-
di esse, nihil vt illa augustius, nihil spectabilius nec cogitari qui-
dem possit. Ipsum quidem Susis, aut Ecbatanis se continentem,
abditum à multitudinis oculis, habitare regalem domum admi-
rabili opere perfectam, cuius parietes ex omni parte auro, ebo-
ro, electroque perfulgeant: vestibula porrò domus multa ex-

tare, amplaque, septis distincta pluribus, aliquot inter se stadiorum interuallo, muris præaltis, & æneis foribus munita, quorum custodes sint eximiæ dignitatis viri: è quibus principes & summites qui sunt, duces, dynastæ, satrapes in primo proximè regiæ assident vestibulo, cæteri deinceps ordine suo succedunt, omnes magnifico cultu pro honorum scilicet & dignitatis ratione. Iuratores deinde cum his, & qui oculi auresq; regis appellentur Græco vocabulo apta coagmentatione ὠτακουσταὶ, quorum vsu ac ministerio & videat rex cuncta, & audiat. Tum autem dispositiones locis, quæstores, scribæ, familiarum & venationum duces, quique adeuntium dona recipiant, quorum quidem donorum innumerabilis quotidie ad regem confluat multitudo. Denique operum, negotiorumq; cunctorum quæ ad gubernationem regni necessaria sint, sui cuiusq; muneris curatores, atq; præfecti: ipsam autem vniuersæ Asiæ dominationem terminatam ab Occidente Hellesponto, ad Orientem Indis, per regna & nationes & satrapias tributam, præsidibus esse ornatam suis, qui se seruos magni regis cuncti confiteantur: tum infinitam multitudinem existere cursorum, tabellionum, speculatorum, nuntiorum, ac montanorum præcipuè ignium, quibus rerum nouarum signa, si quæ de improuiso res accidant, & procul & properè dari possint. Quorum quidem omnium tantus sit ordo, & ea celeritas, ac diligentia, vt quod in vltimis oris imperij nouarum sit, id eodem ipsomet die, succedentibus sibi inuicem nunciis, ignibusque, Susis, aut Ecbatanis à Rege intelligatur. Ad hunc talem, tantumque Regem, inq; eius aulam, secretumq; cubiculum si quis aspirare conetur, rimando & speculando singula curiosius, vtrum ab eo initurus gratiam, an offensionem contracturus esse videatur? Quæ ergo audacia est, nihil vereri Deum in eadem causa, in qua pertimescimus regem? & rimari ac indagare eius arcana conari, quæ ne si oculis quidem intueamur, quæ & quanta sint, capere animo possimus? An non diuino oraculo est proditum, Cœlum cœli Domino, terram verò homini esse datam? vt cùm eos fines, quibus circumscripti sumus, agnosceremus, extra hos egredi, & ad sublimiora euolare velle non contenderemus. Sed de huius scientiæ inutilitate, necnon vanitate, impudentiaq; eorum, qui tantum sibi ex ea arrogant, etsi plura poterant dici, tamen quoniam satis multa diximus, transeundum ad mores est, in qua parte maximè Philosophorum se iactat oratio, audent enim (quid est autem quod non audeant?) palàm de se prędicare, idq; cùm sermonibus, tum in scribendo asserere, ciuitates ab sese constitutas, leges humano generi datas, artemque totam, rectè & ordine viuendi à Philosophia & inuentam, & perfectam fuisse. Habeo hisce gratiam, magno enim errore sum liberatus:

rum: quod enim antea ignorabam Philosophum fuisse Romulum, qui hanc vrbem, quam incolimus, omniū sine controuersia maximam, & multò præstantissimam, condiderit: id nunc horum beneficio scio. Velim tamen audire, si commodum est, quam in Philosophia sectam fuerit professus Romulus. Atqui huius ætati longè dispares septem illi, quorum nomen in Græcia floruisse dicunt: necdum Philosophiæ vox vsquam gentium fuerat audita, eorum Romulus singulari quadam, & penè diuina sapientia præditus, ex eo videlicet sapientiæ genere, non quod isti, sed quod nos supra descripsimus, anno, vt est literis traditum, septimæ Olympiadis primo, Charopo Archonte Athenis, non solùm condiderit hanc ciuitatem, sed etiam optimis exornauit & legibus, & institutis, taleq; studium virtutis iniecit, vt ab eo primo inductu, ceu aquæ percussæ in circulos solent, vsque ad vltimos orbis terrarum terminos imperium populi Romani fuerit propagatum. Et quoniam argutulè verba isti captant, in quo vno studiorum omnis opera consumitur: teneamus stabilem distinctionem illam, rationemque veræ sapientiæ, quam nos antea edidimus, disiunctam ab horum inani, futilique sapientia: ne similitudine verbi aberremus, néue quum quid sapienter factum dicimus, id intelligamus philosophicè (vt sic loquar) esse factū: sed prudenter, sed strenuè, sed nauiter, ad laudem honorificè, qui illi qui fecerit, commodè & vtiliter. Conantur isti quidem vim sapientiæ verbo inuoluere omnia, sed resistendum impudentiæ est, atque è duabus diuersissimis vnius vocabuli sententiis, sapientia nobis ipsa prehendenda est, illis sapientiæ vox quidam relinquenda: qui primum quum de moribus ordiuntur disertationem, hoc veluti fundamentum scientiæ suæ subiiciunt, virtutem in actione esse: neque intelligunt homines stultissimi damnari ab sese primo statim inceptu artem suam. Si enim virtus in agendo consistit, quid attinuit tot voluminibus tantis, quum de eisdem præsertim rebus plures scribant, reuocare eam ad verba, & pro ipsa virtute, picturam quodammodo virtutis amplexari? Scribis de virtute, diuidis in partes, speciem singulas definis: disputas in vtramque partem, remque positam in factis & in vigore quodam animi naturali, ad conciunculas, & syllogismos traducere vis: atque idem dicas virtutem non in ratiocinando cerni, sed in agendo: qui potes magis tecum ipse pugnare? Tibi itaque ergo credamus affirmanti, virtutem abs re petendam esse, qui non virtutem teste ipso te, sed simulachrum quoddam in tabulis descriptum obtines virtutis. An Vlysses, cui tantoperè laudi datur ab Homero, quòd mores hominum multorū vidit & vrbes, si nationes easdem, quas peragrando obiit, eadem maria, in quibus toties naui fracta pe-

cta periclitatus est, ex descriptione orbis terræ in tabula depi-
contemplatus fuisset, moresq; & ritus variarum gentium alio-
narrante didicisset, ipsam illam haud iure esset laudem à sum-
poëta assecutus: & nobis persuadebimus, ex verbosis volumi-
bus istorum, tanquam ex pictura, virtutis officium & laud-
nos posse consequi? Atque hæc ego perinde loquor, vt si ist-
men aut de virtute rectè sentiant, aut in eo quod sentiunt i-
se sint concordes: neutrum horum est, & vtrumq; nobis hæ-
perstringendum. Virtutes volunt esse mediocritates: Quæ-
go, quæ sit ista mediocritas? huius enim stabilem & certam
ferre queunt rationem, afferant aliquando, figantq; termin-
ac locum ipsum signent, vt vbi sit, & in quo consistat virtus, p-
mus ad punctum constituere: sin autem mediocritatem ist-
suam inconstantem & vagam, ceu nauem fluctuante salo, anch-
ris quidem alligatam ne illidi ad littus possit, medio autem
spatio huc illuc decursantem, variarum morbus, temporibus, op-
nionibus volunt: nec eandem vbique, neque vnam semper
quid nobis dat explorati atq; percepti, horum volubilis de virt-
te definitio? Sic enim, si rectè recordor, inquiunt: temperantia
esse, verbi causa, qui his oblectetur, quibus oportet, & quando o-
pus est, & quemadmodum decet: atq; hanc virtutem mediocri-
tatem esse intemperantiæ ex vna parte: ea enim est, quæ fere o-
mnes passim ingurgitat voluptates: stupiditatis ex altera, qui sen-
sus hominis ad omnem gustum voluptatis penitus est obtusus.
Quibus autem oporteat temperantem vti, & quando, & quomo-
do nihil certi nobis præscribunt. At hoc est illud, quod maxime
quærebam: quo sine (autore te) nec vsus virtutis vllus, nec ratio
constare potest. Item quum liberalem in medio statuunt aura,
atq; prodigi: fortem, qui ignauo, & audaci sit interiectus: quid me
docent de fortitudine, de liberalitate, de cæteris partibus, mem-
brisq; virtutis? me dixi? quid alium quenquam, qui quidem ist-
lorum scriptis & oratione ad virtutem paratior? Nam si fogem
eos, amabo hoc mihi expedite, vtrúmne sentitis virtute sine Phi-
losophia obtineri posse, necne? Quid respondebunt? Posse an-
nuent? confecta res est, profligatum negotium: quo enim nobis
iam erit Philosophia opus? Negabunt: Quid fiet tot clarissimis
ducibus, optimis fortissimisq; ciuibus, quorum egregiis factis
operibus, nominis gloriam virtus, cum ipsa penè æternitate adæ-
quauit? Horatius Cocles cum libertati ciuium suorum, quam a-
per expulso Tarquinio rege comparauerant, vim fieri à Porse-
na indignè ferret, ingruentem exercitum Hetruscorũ in pon-
ponte sublicio sustinuit solus, tamdiu, quoad pons rescissus a tergo, aditusque hosti ad vrbis mœnia intercluſus foret: quo facto,
proiecit se in fluuium, & vulnere accepto incolumis tranauit
ad suos.

ad suos. Quæro ergo, num ille hac definitione fortitudinis à Philosophia inductus, tam memorabile facinus effecerit? an insita magnitudine animi & constantia naturali? Paulò post eiusdem regis Porsennæ castra ingressus est Mutius, dissimulato habitu, vt eum hostem, quem Respub. vniuersa non poterat, ipse vnus ferro à ceruicibus patriæ depelleret: cuius inuictam mentem cùm eluisset fortuna, scriba pro rege obtruncato, quasi repetens ab sese errotis admissi pœnas, dextram foculo iniecit, vrique immoto corpore est passus: hic quoque in laude, & in virtute non mediocre profecto aliquid, nec ex istorum disciplina, sed omnia summa spectauit. Quid Marci Curtij illa de memorabili pietate dicam? qua compulsus in terræ hiatum ingentem, præcipitem se fecit, vt oraculo obtemperans labentem patriæ salutem morte sua sisteret. Est ea quidem accuratè à te & grauiter laudata, Sadolete, hexametris haud ita multis versibus: quorum lectione ita delector, vt memoriæ pleraque mandarim: nec venio serè ad eum locum, vbi ille consecrat sese, deuouetque Dijs inferis, salutem patriæ excipiens, quin misericordia fortissimi iuuenis mihi animus deliquescat. Sic enim sacris ritè peractis, inducis ipsum ad illam terræ discessum horribilem, tanquam ad aram victimam vltro accedentem:

Ille autem (nam fata premunt, longasq; recusant
Ferre moras) coràm vacuum progressus in æquor,
Vt stetit abrupta titubato in margine ripæ
Pallidus, inq; atram deiecit lumina noctem,
Rettulit os rursum cœlo, sublataq; tendens
Brachia, in has supplex exoluit pectora voces.

Cernitis constantem & certum, ne ea quidem metuentem, quæ supra captum humanæ fortitudinis esse videantur. Audiamus quid precetur:

Dij patrij, quorum auspiciis stat maxima Roma,
Et pater omnipotens, & nostri sanguinis autor
Bellator Mauors, Vulcane, paterq; Quirine,
Vestalesq; foci, Ianiq; biuerticis ora,
Audite hæc, sanctumq; precanti aduertite numen.

Deos testes inuocat, ad quos paulò pòst ab hominibus est discessurus. At quid nam est, quo inuocet?

Si qua (nefas) virtutem odit crudelis Erinnys,
Ad pœnamq; vocat, fraus hinc communis abesto,
Vnus ego haud segnis dextræ, ne frigidus armis,
Hanc animam inferno vmbrarum regi, & Stygiis Diis
Deuoueo, lucemq; volens, aurasq; relinquo.

Quid ita Marce Curti? aut quid tibi hac capitis deuotione expetens?

petens? num domesticum aliquem vtilitatis fructum? Neque quam, inquit:

Tantùm dura mei fugiant discrimina ciues,
Hanc spem, quam patriæ incolumis dant fata, sepulcri
Et mortis comitem posco, ac metum ire sub vmbras.

Ergo hęc te spes vna consolatur morientem, quòd patriam reliquis incolumem. Quid Dijs inferis, quam in te esse potestatem vis? Exequamur deinceps, vt videamus nihil esse tam asperum, quod frangere bene à natura constitutam, & maiorum disciplina, non dictatis Philosophię, corroboratam animi fortitudinem potuerit:

Tum vos infensi manes, queis Romula virtus
Displicet, inuidiamq́; mouent ingentia facta,
In me omnes conferte iras, & quicquid acerbum est
In caput hoc quodcunq; atrox, sæuumq́; parastis,
Vertite ab excidio patriæ exitioq́; meorum,
Ipse luam. ---------

Dignus cuius Iouem ipsum spectantem è Capitolio caperet misericordia: etsi ei tum iter illud non ad exitium, sed ad immortalitatem erat, sequitur enim:

---- Simul hæc dixit, simul astitit olli
Conspicuusq́; auro, & Massyli pelle leonis
Acre fremens bellator equus, quo tendere in hostem
Primus, & obtestans in cursu rumpere turmas
Suetus erat, subitaq́; acies turbare procella.
Hunc vbi terga premens, dorsoq́; exceptus amico
Impulit, & notis habilem tremefecit habenis,
Nil mortale putans, animiq́; interritus heros,
Visa hominis maior facies, procul ære refulget
Sanguineo galea, & flammas rutila arma coruscant.

Prouehor longius illecebra carminis: itaque redeundum ad institutum est. Hanc pręclaram imaginem pietatis & fortitudinis, num è Philosophorum scholis putatis esse depromptam? Deprompsisse te dices, Sadolete: quanquam ego te arbitror ex poetica facultate potius. Verũ ille quidẽ iuuenis fortissimus harũ rerũ tum rudis, patrij moris peritus erat, quo omnis omnium erat ad virtutem & laudem contentio. Non disputo hoc loco quàm sapienter manifestã in mortẽ se obiecerit: impetus fuit in illo animi ad gloriam singularis, cuius fructum nullum viuus erat perceptorus: piè quidem & fortiter certè. Quanquam huius similes permultos quondam tulit hæc ciuitas: quos si Philosophorum oratio, ac non habitus naturæ præclarus, atque diuinus patriis legibus obtemperans, ad virtutem animasset, nę haud vnquam hic locus orbis terræ imperio domicilium præbuisset. Quo ergo nos

go nõ adiuuat horum ea, de qua iamdudum loquimur, mediocritas quæ aut inutilis est, quòd incerta: aut irridenda, quia nulla. Quid: nónne vosmetipsi commemorare soletis, Stoicos nobilem in primis, vestra etiam existimatione, vestroq; iudicio, Philosophorum sectam, subtilius certe creditam, velut ad examen, perpendere singula: sustulisse funditus omnem istam mediocritatẽ? magnisq; clamoribus à Philosophis reliquis dissentire? Atqui hi cum stirpitùs euellunt ex animis nostris omnes affectiones, quòd iis nulla ex parte volunt perturbari sapientem: adimunt profectò virtuti campũ hunc à veteri Academia datum, in quo metando, capere medium sibi ipsa locum, & ita demum profiteri se virtutem possit. Etenim si nullus extiterit animorum motus, nulla iucundia, nulla formido, nulla molestia: si nullus flagrauerit ardor cupiditatum, intestinarumq́ue appetitionum: sed constanter & firmiter ab omni vel tantulo motu partis in animo ratione carentis, auersa semper erit & aliena ratio, mensq́ue sapientis: neque ea magis appulsu perturbationũ huiusmodi, quam satum fluctu commouebitur: nihil erit omnino in virtute, quod ex mediocritate spectari debeat: sed in alia quadam facultate & ratione existet virtus. Si verò & hos ad animum sapientis pertinere motus, ac in eis ipsis mediocritate temperandis consistere virtutem, & Peripateticis, & veteribus Academicis fidem habendam: alia tamen commodior, alia hosce certior flagitanda definitio est: vt si doctrinam sibi sumunt virtutis instituendę: sumant vsquequaq;, nosq; certis vestigiis quasi manu deducant ad cognitionẽ perfectam: titubãtemq́; istam mediocritatẽ ratione aliqua, tanquã vinculo constringant: vt minimè illis obscuris, sed claris & constantib. notis ea comprehendi à nobis possit: neque eam rejiciant ad tempora, & ad occasiones, quarum nunquam est similis neque eadem obseruatio. Sin autem quæ sit in vnaquaq; re tenenda mediocritas, suo cuiusq; consilio statuendum permittunt: verendum credo, erit, ne qui naturæ bono & ingenij sui viribus perspicere poterit quid sit in quaque re tenendum, & quatenus: idem non intelligat fugienda extrema esse, difficileq́; statuat ieiunitatem, vitare & crapulam, cum (in quo inest virtus) quod medium inter vtrunq; est, escis & potionibus vti ad corporis valetudinem optimè sciat. Et tamen si tanti ista est mediocritas, eaq; ab his & ritè inducta, & optimè percepta: cur ab ea tantũ ipsi verborum & loquendi profluentia discesserunt? an cæterarum quidem rerum modum, loquendi fines nullos esse voluerunt? At ego nil video neque sententijs sapientium, neq; cõmunibus prouerbijs, loquacitate notatum magis esse: quorum enim est, Multiloquio inesse stultitiam: nónne horum istorum, qui sapientia verbosius tradenda committunt in decretum ipsi

suum?

ſuum? Sectemur Philoſophos, virtutis ab his vſum & diſci-
nam petamus, inque eorum libris euoluendis tempus omne c-
teramus: vt quum verba pro factis, virtutem pictam pro vera
rimus amplexi, tum in eo ipſo, quod turpiſſimum eſt (quid en
eſt graui & ſapienti viro garrulitate fœdius?) ne in noſtris e-
dem definitionibus inſiſtamus: ſimulque aſſeramus mediocri-
tem, ſimul ipſi nimij ſimus: vt quod & verba ſunt, & verborum
modus nullus eſt, vtraque re à virtutis præſtantia, & grauitate
ſciſcamus. Atque hac definitione labefactata, quæ tanquam
eſt totius horum ſcientiæ, corruere quidem virtutes cæteræ
tructas ſuper mediocritate illa præclara cernimus. Sed de ipſa
ſtitia ſeorſum aliquid eſt dicendum: non enim hanc fortitu-
ſimiliter & temperantiæ volunt eſſe mediocritatem: ſed medio-
critatis potius in alio effectricem: vt ſi quis inferenda iniuriæ
ſuperiore loco factus ſit, mulcta dependenda ad æquum redi-
tur. Hic enimuero breuiter & expeditè quæro, Iuſtum natura
ſit, an in legibus hominum duntaxat, & in opinionibus ac d
plina: ſi enim à natura eſt, quæ fuit multorum in Philoſophi
principum ſententia, atque opinio, quodque idem in primis
ſit Pindarus, Legem, inquiens, reginam mortalium omnium, d
immortalium, agere ius violenter præpotenti manu: ea re fiere
ſe coniecturam hanc, quod Herculem legerit, nec emptas, nec
donatas Geryonis boues abegiſſe. Si inquam præſtantioris in-
tura eſt in inferiorem dominatio, & ad eius qui plurimum po-
ſit, arbitrium iuris tota ratio flectenda ac moderanda eſt: qui lo-
mum erit, quæſo, iniuriæ locus? vt quæ iniuriarum dabitur act
quæue recuſatio? vi enim dominante, omnis ueſtigio iuris reg-
la, iniuriæque ſublata eſt: deinde ſequetur illud quoque, vt leg-
bus ſcriptis parere ratio nulla ſit. Quid ità? quia quod è natura e
idem ſemper & vniuſmodi eſt: leges verò cùm variæ, & commu-
biles, tum plerunque inter ſe contrariæ: diſſentientes igitur à
ſto: ita ſi iuſtitiam naturalem tenere voluerimus, quæ quidem ve-
rè his & propriè erit iuſtitia, ius Quiritium legitimum, ac ciui
omne negligemus. Non ergo in hac humana ſocietate, neque in
his vrbium cœtibus, quos nos legibus ſæpe latis, eiſdemque
correctis, & immutatis, & antiquatis, & denuo ſæpe rogatis, reg-
gubernarique perſpicimus, verſabitur iſtiuſmodi iuſtitia, ſed alia
extrà requiret homines, alias ciuitates. Nos verò qui iure ſcripto
æqualitatem illam ciuilem retinemus, à vera prorſus iuſtitia, cu-
ius exemplum in natura quærendum eſt, alieni erimus? & hoc
Philoſophus dicere audebit? ac euertere ciuitates, quas à ſe pos-
ſimum vult eſſe conſtitutas? Iure ergo Athenis capitis ſæpe da-
mnati, ſæpe actî in exilium, & antiquitus aliquot ſenatuſconſul-
tis ab Italia ſummoti ſunt Philoſophi. Si verò id, quod vſu & ra-
mag-

magis comprobatum est, iustum nihil habet omnino cum natura commercij, sed opinionibus totum & consensione plurimum in vnum cœtum coeuntium conficitur: expeditior fuerit quidem de iusto & iniusto ratio. Sed huc nihil Philosophiam cōuenit aspirare: non enim ad hanc quęrendam agendamq; iustitiam definitiones aut pręcepta Philosophorum, sed suę cuiq; ciuitatis leges & patrij ritus erunt cognoscendi. In hac sententia Aristippus fuit princeps Cyrenaicę sectę, nihil omnino natura esse iustum, iniustum, turpe, honestū: sed hęc expendi omnia & effici opinione. Sensit hoc idem Archelaus Socratis doctor: cui in Physicis consummato, atq; perfecto fides habenda est, tanquam nullam in natura, quam proferre posset, iustitię speciem intuēti. At eiusdem Socratis discipulus Aristippus: vt eandem de iusto iniustoque sententiam vtrisque interiectum tenuisse Socratē possimus suspicari: quum quod alteri tradidit, ab altero tulerit accepam. Quanquam si Philosophiæ cum legibus, quod quidem cōmunis vtilitatis intersit, facienda est contentio, quid simile? vt fortem virum exempli causa constituamus, definire fortitudinē esse habitum animi ferentem aspera, & difficilia constanter, quatenus decet, & quando, aliaque similia multa, & legis iussa attendere. Miles qui sacramentum iustum dixerit, ad signa frequens esto, imperia seruato, acie ne excedito iniussu imperatoris: néue locum ab eo assignatum deserito, nisi teli petendi, aut hostis feriundi causa: qui harum rerum migrassit, mors pœna esto. Nónne à lege hac vobis fortitudo, à Philosophia oratio fortitudinis videtur tradi? Eodem modo in cæteris. Est enim grauitas legis & authoritas in iubendo, atque vetando: Philosophiæ vaniloquentia in hisce rebus omnibus ad disceptationes & verba reuocandis, quo esse nil potest à vera virtute alienius. Marcus Cato ille sapiens, qui etiam ex sapientia hoc cognomen inuenit, antequam in hanc esset vrbem Philosophia perlata, cùm Carneadem, & Diogenem Philosophos legatos ab Atheniensibus in causa Oropi missos ad senatum, rem suæ ciuitatis audisset orantes, perturbatus eorum oratione, quàm primùm censuit dimittendos, iuuentutem enim à studijs militiæ ad eos audiendos conuersam esse, simulque intonuit, velut oraculo quodam, Tunc orbis terræ imperio ciuitatem hanc spoliatum iri, quum in ea esse honos Philosophiæ cœpisset. Neque ille opinione falsus est, omnes enim postea huius præstigiatricis, & tanquam venefice introitu in vrbem, industriæ nerui, & disciplinæ soluti sunt: nec antè desijt è virtute agere quisquam, quàm de ea loqui didicisset. Sed quoniam nos quidem præclarissimum nomen hoc virtutis à cognitione hominum & disciplina nō remouemus, quod eò communi vita, tāquam sole è mundo sublato, nedum agendi

ſplendidè, ſed ne loquendi quidem, via & ratio vlla patere p
quod antè fecimus de ſapientia, vt exponeremus, quidnam
ſet, ſententiam noſtram, idem nunc conabimur de virtute
tanquam è Philoſophorum ſchola, quorum ego nec proba
quam, nec penitus noui artem, ab ipſoq; primo limine tum
atque abſurdis ſententijs eorum tum iurgantium inter ſe, ra
tiumque clamoribus fui repulſus: ſed tanquam homo in hac
be diu multumque verſatus, in qua quod omnibus aſſentiri
verè dixerim, tota mihi & agendi ritè, & iudicandi ratio
uenta fuiſſe videtur, tum tractata ſemper, atq; perfecta. Hinc
tur vrbem ipſam ſi vere, ſi iure, ſi merito laudibus efferentes
ſtitiſſe eam cunctis nationibus, cùm conſilij & ſapientiæ
tum virtute atq; factis exiſtimamus: rectè omnis fuerit ab
noſtram diſputationem & ſapientiæ, & virtutis ſpecies deſcri
da. Vt enim ſi quis fingendi artem aut cælandi comparare
meditatus, melius credo & facilius à Ioue Phidiæ Olympio
ſiones, cõuenientias, lineamentaq; deduceret, quàm ex vlius
tuatij, ſi opus ab illo nullum proferretur, poſſet oratione
nobis ad indagandam, vel intuendam potius virtutem ac ſapi
tiam, non Philoſophorum inanis ſermo, ſed ſimulachrum nobis
præſtantiſſimæ ciuitatis debet eſſe propoſitum. Quod igitur
Roma, vel ciuitas potius, quæ hunc murorum cinctum, quam
bem dicimus, incolebat, de principio ſibi orbis terræ imperium
deſignauit, quarumq; rerum, atque artium vſu, atq; exercitatione
illud poterat comparari, eas res omneis artesque adhibuit in
ciplinam, legibus conſeuit, honore aluit, præmijs corroborauit
idcirco nos ſapientiſſimę ciuitatis exemplum imitati, ſapientiam
eam deſcripſimus, quæ eſſet earum rerum ſcientia comparandarum,
rum, quæ communi æſtimatione hominũ maximi penderentur
eas porrò res diximus opes, potentiam, imperiũ, gloriam: quan
quam in vno fortaſſe imperio inſunt omnia. Sed quia nõ ſemper
peruenitur ad ſummum, in quoto quoq; virtutis & ſapientiæ gra
du inſiſtere exoptandum eſt. Quoniam verò non in vna ſapientiæ
opis tantum eſt, vt à ſemetipſa efficere omnia ea poſſit, cum
teque explere, & conſequi beatiſſimam vitam, niſi ad eius opus
munusq; quod in proſpiciendo eſt ac præſpeculando, tum
quo intendit, tum vias atque itinera, qua ad eum finem perue
tur, natura acris & vegeta adiungatur effectrix conſultorum
fuerint deliberata ratione: idcirco ad ſuis omnibus & partibus
eam, & numeris inſtruendam, quemadmodum in corpore
manus, ſic virtus in animo ſapientiæ neceſſariò comes & admi
niſtra data eſt, vis & efficientia quædam in animo cuiuſque, qui
quidem ſit ad res gerendas natus, vigorque & diligentia natura
lis, hanc Græci δεινότητα, nos Latinè, & quidem aliquanto

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

gnificantius, nauitatem possumus appellare, insitam illam industriam peragentē impigrè prudentiæ decreta: cuius cum ingenij, consilijque lumine societas & conspiratio, nimirum illa chorum illum explicat, consensumque virtutum, quarum Philosophi duntaxat nomina, viri fortes rem effectusq; nouere. Nam vt sese prudentia nauitasque coniunctè vel ad labores, periculaque dedunt, vel ad voluptatem, vel ad pecuniæ vsum & tractationem: ita sua in quoq; genere existit, elucetque virtus, tum liberalitas, tum fortitudo, tum temperantia. Ac vt in eodem exemplo insistamus: nō sat fuisset profectò vrbi huic, nec videre, summè omnium esse expetendum cæteris gentibus imperare, nec verò quibus id rebus commodissimè agi & cōfici posset, etiam prouidere: nisi virtutem, hoc est, nauitatem, & industriam ad agenda quæ viderat, adhibuisset: quam quòd adhibuit, & quidem ciuitatibus cæteris multo magnificentius, iccirco cunctarum sibi gentium peperit dominatum: imperioque constituto, atque opidis omnium suæ potestatis factis, finem nacta quo intendebat, effudit demum ipsa ex sese plurimas, & maximas in omne genus hominum vtilitates. Siquidem ex loco & solo hoc, ex his ipsis mentibus, nō tam substructione murorum, quàm antiquæ maiestatis gloria & religionis honore munitis, omnis humanitas, omnis prudentia, leges, iura, ritus sacrorum, cultusque vitæ laudes, omnes deniq; optimæ atq; honestissimæ artes in orbem longè & latè terrarum inundauere. Hac descriptione à nobis facta, quæ iam vera virtus sit, quóue ea spectet, tanquam ad finem quidem, & quid sibi porrò expetat, arbitror vobis esse patefactum. Nam quem isti finem virtuti statuunt, si modo seriò id agūt, neq; illudant expectationi nostræ, est sanè causa quur dimoueamus: aiunt enim virtutis finē, ipsam esse virtutem. Quomodo hoc narrant? non enim satis quid dicant intelligo: vt virtus sibi ipsa finis sit: hoc est, vt quærat ea, & appetat semetipsam. Qui fieri potest? aut cur se iam nacta, vel agat quicquā, vel moliatur ob adeptionem sui: neq. potius iam contenta, & plena conquiescat; vt prorsus nulla à virtute, si ita se habeat res, proficiscatur actio? Nam quid ab se egrediatur aliquid operę laborisq; propter se suscipiens? aut cur è complexu diuellatur suo, quo rursus deinde redeat ad sese, cùm iam in seipsa posita & locata sit? Nam quos nos illi fines proposuimus, nō illi quidem idem sunt, quod virtus: sed voce, effectiones, pręmiaq; virtutis, ad quę duce & comite virtute, peruenitur. Imperiū, & potestas, & autoritas, & gloria, opesque, ministræ earū cupiditatum, quas insitas in natura hominis, ad eum modum gubernat ratio, vt sine damno, dedecoréue optata nobis suppeditantes, vitā iucundam & beatam efficiant. In hæc autem & lumen mentis omne intendit prudentia. Iustitia verò, si

subtiliter tota & penitus introspiciatur, nihil aliud agit prohe-
quàm vt comparata sibi inter homines auctoritate atque fide
noribus vltro, & præmijs cumuletur. Nam temperantia v
pratibus adhibet modum: non odio quidem, aut contemp
ne voluptatum: sed vt sanitatem in corpore, tranquillitatem
seruet in animo: quorum altero assequimur vt de voluptat
liquidius iudicemus, quod ipsum ad gustum eius & iucund
tem conducit plurimum: altero, vt diutius illa, & suauius
mur. Vna est virtus fortitudo, quæ declinare aliquantum
sapientiæ, & laboribus quandoque tolerandis, periculisque
criter subeundis, parum commodi sui rationem ducere
tur: verum tanta est lux eius illius gloriæ, quam sibi hab
positam, vt quemadmodum in solis lumine colores cæteri
ni non facilè possunt, sic splendor laudis perstringat sæpe
solum fortunarum, sed salutis etiam & capitis cogitation
Nec verò Philosophi non in fine ipso titubauerunt: ijdem
virtutis finem, virtutem: ijdem beatam vitam virtuti, vt
statuam voluerunt: quod quidem probabilius dictu est: aliud
nim necesse est finem, aliud eam esse rem, cui is sit finis. Sed
beata ipsa vita quid sit, aut ea in quo consistat, quid est tande
ab his communi omnium sententia quasi feritatis lege
in quod intuentes dirigere eodem rationes omneis nostr
consilia totius vitæ conferre debeamus: O confusam & pertu
tam disciplinæ rationem, quæ veritatis notionem profes
maximis errorum tenebris versatur: & artem bene ac
gendæ vitæ se traditurum pollicens, non modò nihil cer
nec explorati, verùm si quid à nobis vel communibus ani
ceptionibus, vel vi ipsa naturæ, quæ omnibus profectò in
valet vna plurimum, comprehensum est, atque perceptum,
tum contortis quibusdam rationibus, & fallacibus plerunq
gumentis conuellit vltro, & labefactat: vt neq; vnde
mus, neq; quò progrediamur possimus vllam in parte
re. Quid inquam est ab his in re vna omniũ maxima, con
dis vitę nostrę finib. hoc est, viuendi iure, lege, more, ordine
dendo, fixum, firmũ, ratumq; statutũ, quod sequamur, quod
ctionib. nostris, & cogitationib. anteponentes, ritè rectèq;
officium omne expleamus? At quanta in finibus disceptandis
multuantium certamina Philosophorum sunt? quanti ip
multus? quomodo variè & dissentientes, & controuersę
Voluptatem finem posuit Aristippus, & eam quidem, quę
poris: quòd cùm dulci aliquo, & iucundo motu in sensib.
dantur, summũ tum in eo existere hominis bonũ. Idem vo
tis nomen in fini statuenda secutus est Epicurus, sed aliqua
psa tamen est dissensio. E contrario graue, & seueram
oppo

opposuit Zeno, eamq; vitæ beatæ dominam esse voluit: spreuit autem penitus & abiecit voluptatem. Neque tantùm inter hosce contrariarum partium duces acris pugna est, sed promouet vtetque acies suas, Cyrenaicas ille, Zeno autem Stoicas: nõ vt disceptantium numero causa definiatur, sed vt clamores & iurgia augeantur. At Calipho tanquam iudex blandior, litis fugitans, & seiurisq; venditare cupiens, voluptatẽ coniunctam cũ honestate sumit esse finem: vacuitatẽ cum eadem doloris Diodorus Peripateticus: nam Hieronymi Rodij sentẽtia cauta mihi magis, quàm foris videri solet: ille enim vna indolentia summi boni nomine honestanda, non tam adipisci bonum, quàm vitare studuit malum. Tribus autem tanquam finibus contineri beatam vitam, & vtentes Academici, & princeps Peripateticę sectę Aristoteles voluere: trinaque ab illis genera bonorum inuenta, quę animi essent, & quæ corporis, & quę fortunæ. Contrà Euclides Megarensis, ipse quoq; a Socrate, è quo Megarici Philosophi, summum bonum esse quod esset vnum, & simile, & idem semper: nec tamẽ illud quod nam esset, satis explicauit. Quid aut impatibilitatem Pyrrhonis (eam Græci ἀπάθειαν) aut scientiam Herilli, aut indifferentiam Aristonis: aut mentem, aciémue mentis, qua verum cernentur, quam Menedemus intulit, & ab eo qui sunt Eretriaci appellati: in ponendis finibus commemorem? Qui quidem fines innumerabiles penè Philosophis sunt: ijdemque direpti sæpe Philosophorum inter se contentionibus, sæpe vltro citroque statim, rursusque commutati, neutiquam adhuc finium regundorum stabile iudicium, nec certam mensionis notam tenuerunt: quoque magis tantas istorum insanias mirere, possessione neque vberi, & ea admodum litigiosa: at ita fusæ sunt eorum & discrepantes, ac ferè ad libidinem, contentionis studio, de his ipsis finibus bonorum effutitæ sententiæ, vt nemo mehercule sit, neq; ita orbatus animo, neque oculis vsq; adeò captus, atq; conniuens, qui in quamcunq; partem temere fortuitoq; se mouerit, non incurrat aliquam earum, quas de summo bono tractat Philosophi, opinionem atque sententiam. Quæ igitur grauitas, qui ordo, quæ constantia? quid in Philosophia ista vestra tale atq; eiusmodi, vt in ea accuratius versati, aut quietiores animo, aut consultiores iudicio atq; scientia, moribus ornatiores, sapientia instructiores simus? Et hęc ea est (si Dijs placet) quę nos se erroribus omnibus erepturam, in viam veritatis inducturam, ad bene beateque viuendum erudituram pollicetur. Simile verò est eximere erroribus, & his maxime inuoluere: offerre dubitantibus lucem veritatis, & clarissimis vltro rebus omniũ tenebras dubitationum affundere: tradere vitæ beatæ rationem ac regulam, & in ipsa constituenda beata vita, summa cum miseria, & pertinacia, tur-

pissimis altercationibus, & maximis contentionibus confusa
Quæ quoniam me bona ex parte vobis demõstrasse arbitror
iusmodi sint, & quam inania ab his, qui se magistros volunt
doctores sapientiæ esse, non suscepta solum, verum etiam inco
stanter, leuiter, contentiose, nequiter & disputata & tradita de
parte hac, quatenus quidem pertinet ad mores, satis est dictum
quæ reliqua sunt breui iam sermone percurramus. Restat enim
pulchella & concinna, non iam illa matrona, sed meretrix Dialec
tica: De qua quid est cur iam multa dicamus? Etenim ea si cor
pus suum haberet, & propriam subiectam huic arti materiam in
rebus & in natura positam, in qua se versaret, formamq; sibi
alicuius certæ excuderet disciplinæ, esset fortassis aliquid, quod
contra eam serio dicere possemus. Nunc autem quid agatur
suscipit illa iudicis, disceptatricisq; personam, cuius munere
curiæ? Nullius: neq; enim in albo prætoris vlla mentio, & sus
pit tamẽ, verùm impudenter, neq; adeò huius indignitate impu
dentiæ stomachum vt hominibus, sed vt risum moueat: veri se
falsi ait esse disceptatricem, & de ea re laturam iudiciũ. Quos in
ter? num Medicos, si quid incidat (vt assolet) controuersiæ de
genere morbi, & num mittendus sanguis, aut aluus ducenda sit
hic verum illa dijudicabit, aut falsum. Quo pacto? aut quid
eam attinet de medicina loqui? An inter Mathematicos? qui
eius vllam in partem interest, puncta, numeros, lineas, sonos, pos
tus, interuallaque cognoscere? nam cum duabus cæteris, quas
nos paulò antè perstrinximus, Philosophiæ partibus, si quid ha
beret communitatis, aut commercij, nequaquam esset illa ab his
partis suæ proprijs insignibus, & ipso nomine discreta. Quid er
go est? nudata rebus omnibus, exclusaq; doctrinis, vt est nimium
ambitiosa, & in numerum procedere cupiens, format sibi ipsa
que fingit articulam quandam verborum scilicet: & eorum no
uorum, vt aliquid saltem hoc pacto esse videatur: terminos, pro
positiones, syllogismosque fabricans, & syllogismorum figuras
tum simplicium, tum (vt vocat ipsa) connexorum: quas etiam
memoriæ videlicet, & docilitatis causa carminibus comprehen
dit, sanè quam lepidis. Atqui videamus quam rem agat: Omne
animal est substantia, omnis homo animal. Quid ad te Dialecti
ce, homo animal sit nec ne? hoc Physices est, & eius disciplinæ
quæ rerum naturalium profiteatur notionem. Nihil, inquit: sed
exempli causa infero, vt argumenti vis intelligatur. Ergo tu sensu
res exempli causa affers, vt friuolas amplectare? Agam, inquit,
alia ratione. Omne b, est a: Pulchrè: Omne c, est b: Probe
ergo omne c, est a: Admodum. O libidinem effrenatam gar
riendi: tanti ne est hæc perplexa vestra cognoscere? quorum per
ceptio difficilior est propter nouitatem nominum nimirum, &

conter

contortionem argumentorũ, quàm sit cuiuslibet alterius scientiæ integra disciplina. Similia sunt illa: Si est a, est b: non est, b: non est ergo a. Ne sit sanè. Quid enim quoniam quidem à ludo literarum discessimus, nostra quasi refert: Verum tu grauis planè iudex, veri disceptator & falsi, quid habes dicere, cur tua ista ars aliquid veri nos doceat, quum sit inanis tota, nec habeat quicquam in natura rerum cõsistens, quo tanquam fundamento niti possit? falsi verò vitandi, qui nos efficiat cautos, cùm si quid tamen agit, illud potissimum agat, vt captiosis & fallacibus conclusionibus, si cui quid perceptum est, & comprehensum, id inuito, ingratisque extorqueatur? Vnde enim Sorites? vnde mentiens? vnde illud Corneum, præclara sophismatum, & cauillantium argumentorum nomina? nam ignauam rationem (ἀργὸν λόγον vocant Græci) optimè in hos conuenire non negarim, veluti è qua omnis eorum vita dependeat. Sed quæro, num statutum etiam vnc nauis illa 30. remorum in portu Athenis, qua vectum in Cretum Theseum Minotauro interempto, septem illos nobiles pueros in patriam reduxisse incolumes fama narrabat, sit ne ea ipsa, quæ fuerat Thesei? an prorsus alia? cum quod ex ea vetustate deperierat, deinceps fuisset refectũ? Quin & alia hisce consimilia: Est ne tacentem loqui? nequaquam: at cùm lapidem loquaris, tacentem loqueris, acutè, quid ergo vetat lapidem esse te, etsi loquaris tamen, sed quæ lapidibus digna? Item illud, Est ne sanctè iurantem peierare? nihil minus: atqui iuratus se peierauerum, vbi peierauit, sanctè iurauit: igitur tu, qui veri tibi arrogas iudicium, horum testium, qui vt sanctè iurent, libenter peierabunt, fidem dicto adiungendam putabis? Nam me hercule illud festiuum: Quo Coriscum verberari vidisti, hoc Coriscus verberabatur: Næ, at vidisti oculo Coriscum verberari. Cernitis vt plena omnia ineptiarum sint, nihilq; ab hac disciplina solidum, nihil sic firmum: neque aliud quid tamen, quod in vsum prudentiæ aliquem, aut scientiam nos inducat, sed in ea laqueos tantummodo & tendiculas confici captandis ingenijs adolescentulorum: quibus si qua antea ordine statuta sunt, mox destituantur: vt Penelopen telam suam ferunt quantum texuisset interdiu, tantundem nocturno opere retexentem. Eadem quum essent nomina rerum causa indicandarum reperta, primùm ipsa rebus omnino prætermissis, in ipsis nominibus versandis, ac citro vltroque torquendis operam omnem sumit. Deinde etiam alia sibi fingit, tanquam ex argilla, & luto, quæ non rerum nomina sint, sed nominum. Tum autem toto isto in genere vsque eò illudit tortuosè, atque ambiguè, vsque eò sibi in eo vehementer placet, si quem inexpectatò, & præter concessorum sententiam captionibus includat, inopinantemque irretiat, vt ca-

sum pro casu, genus pro genere, tempus pro tempore, nomen
nomine permutet sæpè, & apertissimè atque impudentissimè
uilletur, puerilemque sibi ex hac re gloriolam & laudem in
pestiui acuminis quærat. Quapropter melius Zeno, quanq
& hic Philosophus, attamen ille melius, quàm aut Menedem
aut Stilpho, ipsi quoque probati in Philosophia & clari, q
rum in his sophismatis & argumentorum fallacijs omnis ad
stria consumpta est. Etenim Zeno, quum dialectico argumen
esset ab adolescente quodam lacessitus, atque vti respondere
flagitaretur: Amabò noli, inquit, ad studia me puerilia tem
re. Stilpho autem tantum in his nugis potuit, vt capta per
patria, quum admoneretur à propinquis, si quid de bonis
seruatum vellet, extra vrbem vt efferret, responderit, omn
bona sua secum ferre. Quanto hic acti suæ plus autoritatis
tulisset, si illaqueasset argutijs Demetrium regẽ, ne quod ille
stituerat, Megaras vrbem opulentam militibus diripiendam p
mitteret. Nam Menedemi fertur illud in primis: Alterum ab a
tero alterum est: prodesse alterum à bono: igitur prodesse
bonum. Dignus cui Rex Macedonum Antigonus, qui in hos
Philosophum plurima contulit, nunquam quicquam prodes
vt quod non erat bonum, eo illum ne afficeret. Sed hæc frust
eaque innumerabilia, quippe in queis tota ista ars & studium
situm, prætermittenda nobis sunt: finisq; faciendus, tum qui
satis iam de tribus partibus Philosophiæ disputatũ est, omniu
que inutilitas & vanitas demonstrata: tum vt ne in idem ipsũ v
garrulitatis incidamus, quod in his reprehendimus. Reliqu
nunc est, idque extremum vt videamus quid afferant, non di
isti, qui Philosophiæ palam omnem honorem tribuunt, qui in
illa arbitrantur nullius esse momenti viuere: nam hi quidem
stultitia dupliciter mulctati sunt, & quòd ineptissimis in reb
tempus omne suum, & studium disposuerunt, & quòd nihi
ipsum quidem intelligunt, se oleum (vt dicitur) & operam p
didisse. Sed qui cùm tantum Philosophiæ non deferant, affi
ment tamen non esse illiberale hæc ipsa cognoscere: scientia
enim omnem in partem bonorũ esse: ita Philosophiæ studium
vt nihil magnoperè prosit, tamen nihil obesse: Qui mihi vide
tur non ea loqui, quæ sentiunt, sed quia si plena manu co
dent Philosophiam, sibilum metuunt, cùm cupiant dissimulan
vereri ne ipsi quoque ad Philosophorum numerum irrisione v
gi aggregentur, si qui præsertim prouectiore iam ætate hec
ciunt, nam pueris & adolescentulis (dicam enim ingenuè q
sentio) hæc quidem concessa sit poresstas Philosophos tanq
sectandi, omnis enim illam ætatem decet ludus, quòd non gr
uitas ab ea, non consilium postulatur: quin habet aliquam
dolem

dolem ingenij, aliquod specimen ingenuitatis ista ipsa in puerîs, vt balbutiendi, sic etiam Philosophandi grata intuentibus virtute inchoatio: verum vbi grauiores anni accedunt, diesque ipsa aliam vitam affert, alios mores postulat, perseuerare in his rebus, & ludicris exercitatiunculis serias res posthabere, summæ non solum ignauiæ, verum etiam amentiæ est. Etenim nobis posita est ante oculos vita communis, quæ nos incendere habeat studio, & cupiditate earũ rerum assequendarum, in quibus cursorum studia & cupiditates flagrare cernimus: Sunt honores, qui specie ipsa pulchritudinis & dignitatis alliciunt ad sese animos nostros, & aduocant: Sunt imperia in quibus constituti qui sint, cùm Deorum quasi similitudinem videantur referre, fruuntur cultu multitudinis, & magnitudine potentiæ suæ: Sunt opes animæ ciuitiæ, subsidium vitæ, ornamentum otij, virtutis atque prudentiæ necessaria supellex, solatium in laboribus, auxilium periculis, quarum qui potiuntur, ij neque vllam ipsi frustra sibi fingunt cupiditatem, & cæterorum quoque cupiditatibus libenter inseruiendo, studia sibi hominũ, & voluntates ad quodcunque libuerit perficiendum, adiungunt: Est autoritas, atque æstimatio, quam qui in ciuitate sua obtinent, fide sibi apud omnes comparata, facilius & rutius, tanquam inobseruatis vestigijs, quò intenderint, possunt peruenire: est denique tota illa & ampla splendida, in foro illustris, ad populum gratiosa, in senatu grauis ratio vitæ, atque descriptio: quæ cùm sibi in omnes partes congrua & consentanea fuerit, cumque ea se ingenij, & formæ munierit apparitione, vt beneuolis gratiam, inimicis metum possit afferre: neque aut propter debilitatem animi in aduersis rebus succubuerit, aut propter insolentiam in secundis immoderatius fuerit elata: sed cum semper tenorem, eam constantiam adhibuerit, vt neque animo vnquam labefiat, nec consilio: admirabilem quandam speciem profert summi & excellentis viri, qualem nos omni iamdudum sapientiæ laude decoratum esse volumus. Atque hæc tot atque tanta, quæ qui hominis prima & præcipua esse negant, homines mihi non videntur ipsi, cùm optabilia ipsa per se, & suapte vi expetenda sint, tum hoc magis inflammant mentes nostras ad appetitionem sui, quòd omniũ studijs atque votis vehementissimè conquiruntur, incitamur enim omnes profectò similitudine & æmulatione quadam ad id certandum agendum, in quo videamus ab omnibus certari, vt in eo manus prorsus vis natura eluceat. Quis enim in stadio currentibus tibi cæcetis, non continuò ipse animatur ad cursum, vt etiam se tenere velit, nerui nihilominus venæque turgescant, & tantum signum expectantes pulsu vegetiore ad prosiliendum contentur? Quis aut in lachrymis circumstantium siccos, aut in

plausu & lætitia mœrentes tenuit oculos? cui quamuis timidi
insolenti sonitus tubarum, & Martius ille clamor prælium
scentium militum, non perfudit animum alacritate quadam
ad eadem arma tractanda cupiditate tacita inuitaretur? Qu
aut proximorũ metus ad formidinem, aut fiducia ad spem nõ
iecit? ac vt breui comprehendam, id quod in fidibus lyræ vide
accidere, vt si contentæ duæ eisdem tonis fuerint, alterno pu
resonent inter se: sic cùm in omnib. rebus, quæ natura eadem
municant, tum autem in hominum genere, in quo præcipue
quam in pulchertimo & nitidissimo speculo natura cernitur
gna vis est similitudinis, eaq; maximè naturalis: cui qui rep
re conantur, nec eodem cursu ferri, eadem cum populo op
atq; sententia se permittunt regi: ij Philosophiam non sap
tiæ, vt veritas ipsa conuincit, sed amentiæ & peruersitatis ap
ctuntur rationem. Quòd si hęc ipsa, quæ modò numerauimus
eximia atq; ampla, lusu quandoq; & temeritate fortunæ non
industrios & laboriosos homines, sed ad desides inertesq; de
runtur, non tantam tamen afferunt iucunditatem, vt si sint e
dem studio & labore quæsita: mirabile enim est quanto pure
delectemur, in quibus ipsi elaborauimus: & quam omnis mag
nos afficiat voluptas, quam aliqua molestia antecessit, & solu
tudo: vel quia omnis boni maliue, suauis ac molesti iudicatio
comparatione quadam est: vel quòd bona nostra, quæ industri
nostra assecuti sumus, chariora multò nobis ipsis sunt, quam q
à fortuna accepimus: nihil quidem natura vt sit fructuoso labo
re iucundius: sed quem in hac tanquam acie populari, in tanta
varietate & copia rerum amplissimarum, quibus quidem inter
mixtæ sint difficultates non mediocres, odia, pericula, conten
tiones, inuidiæ, aptè & nauiter versari oporteat: profectò cer
tis cuiusmodi eum esse necesse sit, acrem, firmum animi, con
lio cautum, celeres motus habentem, non solùm mentis atq
ingenij, sed corporis etiam atq; oculorum: vt rectus ipse & ab o
mni parte munitus, quatenus quidem expediat, inimicis peric
la, amicis commoda creare possit. Protrahamus nunc medium
forum consuetudinemq; communem Philosophos istos vestros
vt quam Philosophiæ debeant gratiam ab ipsa instituti & alu
possimus coràm constituere. Ac primùm hos non tanquam ex
quo Troiano claros duces, sed vti narrant eos esse, qui sub te
ram aliquandiu fodiendis metallorum venis detenti sunt, squa
lenteis & horridos, sordida barba capilloque, cadauerosa (vt ille
inquit) facie esse reperietis, qui primo sui aspectu moueant admi
rationem, vt percontentur homines inter se, illudque Plauti
habeant in ore, vnde est ista auis? Et hercule, quoniam quidem
auium mentio facta est, non maiores ad noctuam mirantium

auicu

auicularum, quàm ad hos barbaros concursus vulgi fiunt. Expectatur itaque ab his nouum aliquid & inusitatum simile habitus & coloris, & eius quam gerunt frontis, ac supercilij. At illi tanquam modò de tenebris extracti, ne rectis quidem oculis diem & lucem intueri valentes, perinde ac cunctos paulò antè habuerint participes inanium curarum & commentationum suarum, efficiunt euestigio aliquid, aut de scientiarum varietate inter indoctos, aut de prudentia inter fatuos, aut de iustitia inter eos, quorum nunquam futurum est iuris partem vllam administrare: & hactenus quidem feruntur, quod ad vultum quidem attinet, atq; vocem: nam odore corporis non sunt ferendi: verùm vbi ipsi vicissim aliquid earum rerum tractandum est, quas vita postulat communis, vsq; eò apparent absurdi in omni genere atque incompositi, tantosq; risus concitant, vt conuerso quodam, & prepostero modo, quæ paulò antè Philosophi species contradictum animi & tristitiam denunciabat, ea nunc rursum pro ridiculo & delectamento omnibus sit. Quapropter mirari satis nõ quin, quid Platoni in mentem venerit, Socratem doctorem suũ sic inuperare: siquidem in Gorgia quasi gloriari videtur Socrates, quod cùm tribus sua prærogatiuam ferret, atque ipsi sorte contigisset, vt custos esset suffragiorum, punctorumq; numerũ ad consiliũ deferret, se quod aptè id facere nesciuisset, totius populi risum concitauisse. Atqui riserint sanè tunc illi haud iniuria insanam ineptiasq; Socratis: ego quod ipse de se hoc prædicet, & velut gloriando commemoret, nõ solùm risu, sed maxima irrisione dignum puto. Quanquam quid in vno insistimus Socrate, cùm turbam legamus Philosophorum tantum sibi assumpsisse licentiæ, vsq; adeò à pudore, a modestia, à communi vsu hominũ, ab ipsa lege præscriptioneq; naturæ abfuisse, vt sine vllo rubore, velut animo abalienati, ea palam in foro ipso, in cœtibus hominum facere & perpetrare auderẽt, quæ nos in conclusis, & semotissimis cubiculis vix audeamus: quæ ne apertè commemorem, (equidem pudore impedior) quum illi homines planè lauti atq; mundi ita porrectis digitis ratiocinando concluderent, nihil esse reuera turpe, nec cum rubore agendum, quod necessitatem vel etiam causam haberet naturalem: ita quorum nos propè parietũ ipsorum ac noctis conscientiam formidamus, in iis illi & populum, & lucem volebant habere testem. Verum sit hoc genus quoddam ineptum, & rude Philosophorum, qui sine mente, sine ingenio, lingua tantum volubili & concitata, nec quando, nec quatenus, tanquam qui in tenebris vixerint, nec verò quid, aut etiam apud quos pensi quicquam ducentes, ludos se maximos reddunt hominibus: iidem omnium prædæ & contumeliæ exposuit: quod quidem non iam liberi hominis, sed abiectissimi

man-

mancipij est existimandum. Sunt alij odiosiores, qui dum volu
concinni esse, atque vrbani, primum isti ipsi Philosophiæ (ea
modi ea cunque est) non verè, neque ex animo, sed ostenta
nis causa dant operam: domi otiosi & desides, in compitis lecti
ni dediti, semper aliquid librorum in manibus habentes, co
murmurantes ipsi secum, & tanquam ad ea quæ legũt actum a
mum attendant, nunc collum subrigentes, frontemque & supe
cilia conduplicantes rugis, tanquam scopulo in legendo, sive
biguitate aliqua offensi, mox continuò exhilarati, nutu signi
cantes quod obstructum aliqua difficultate fuerat, ingenio
patefactum: interdum constrictis & compressis buccis ammi
tionem in vultu deformantes, quasi præclarum aliquid inue
rint tum maximè atque diuinum: sæpe cogitatione tacita in
tutum oculorum defixi, suffurantes interim oculis, si qui fo
prætereuntiũ obseruet se, & diligentius intueatur: ijdem in o
culis & corona, vbi ad disceptandum aliqua de re est ventũ, co
tentione pertinaci tantis rem agentes clamoribus, vt facilè ap
reat, nihil esse tam diuersum, neq; tam discrepans, quàm a vi
Philosophorum orationem: Hi ipsi cùm se ad familiaritates ho
minum, præsertimque locupletum, & ad conuiuia sodalitiorum
dediderint, tanta in vtroq; intemperantia ferũtur, vt nec posce
di vnquam modum, nec liguriendi finem statuant: sæpe etiam
madidi vino & semisomnes è conuiuio auferantur: atque dum
vrbanos volunt ostendere, quod nulla salis neq; facetiarũ norum
condimenta, aut apertè & asperè maledicunt absentibus, aut in
præsenteis turpiter & conuitiosè inuehuntur: nec verò iucu
aliquo oblato non omnia perpeti animum inducunt, quæ sed
assentatoribus, & leuibus parasitis sæpè sunt proposita: vt non
oblitos vultus solum, colaphorumq; messem perferant vberem
sed aulas quoq; interdum, quemadmodum poëta ait quidam, in
caput suum commeare patiantur. Horum nimirum turba fore
Dionysij tyranni refertæ fuerũt, quum ille nescio quibus propo
sitis pecuniolis, Philosophorum vndique greges atq; examina
in his tanquam regẽ apium Platonem ad sese illexisset: vbi tum,
quæso, erat virtus, vbi continentia, vbi illa tantopere laudata
expedita libertas? quã prodebant vltro ipsi profectò, quum se
Sophocleo carmine in domum potestatemq; tyranni, hoc est in
seruitutem dabant: nempe tota in libellis relicta domi, in quo
omnis semper Philosophorum sapientia fuit: nullam eius partem
in animo, nullam in vita gerebant: itaque per abusum conten
ptumq; tyranni, adigebantur subire ea, & perpeti, quæ ne liberis
quidem mulierculis ducerentur tolerabilia: vt & procumbere
in faciem adorantium gestu, & in conuiuijs nudi, vel muliebri
bus stolis induti saltare cogerentur: quanquam erant ex eo nu
mero

crero, qui iocis & cauillis eleuare conarentur tantam illam impositam Philosophiæ contumeliam. Tertium genus est eorum qui ingenio acutiore, animo aliquantum sublatiore à natura instructi, quum se de principio vel parentum culpa atque insciatia, vel fortuito casu aliquo ad Philosophiam contulerint, multumque in ea temporis, optimamque partem ætatis consumpserint, nec sapientia sibi ex ea comparata, quod verbis & syllogismis tantum non traditur: nec vsu, more, studiisque hominum satis perspectis, propterea quòd in illo inani studio occupati, seriis rebus operam dare nequiuerunt: vbi tanquam è somno expergefacti referre instituunt sese ad ciuiles occupationes, consuetudinesque communes, profundunt ex se subitò agmen veluti omnium cupiditatum, furentesque ambitione importuna, ac tantarum in locum quoquo modo ascendere instituentes, non callide neque dissimulanter (non enim astutè atque consilia ineundi, aut artem vllam nouerunt, aut modum) sed vastè, atque perfacile perrumpunt omnia cædibus, incendiis, rapinis: nihilque sibi faciunt reliqui, dum ad eum perueniant, quem cupiditatum duntaxat exactiandarum causa appetierint principatum: vt quidem nulla vsquam maior, quàm ab hoc genere hominum pernicies atque calamitas liberis ciuitatibus & Reipub. inuecta noscatur. Declarant hoc veteres Græcorum historiæ, quæ ex eorum numero multos, quos sapientium nomine insignes fuisse diximus, ciuitatibus suis cladem & seruitutem prædicant attulisse: Quorum imprimis vnus è septem Periander Cypsi nobilissimam ferè totius Græciæ altam vrbem Corinthum tam saua tyrannide tenuit oppressam, vt posteaquam cædes ciuium maximas fecisset, matronas palàm die festo atque solenni omni mundo muliebri perornatas dispoliasset, sacra profanaq; omnia ad suum commodum libidinemq; conuertisset, miserit ad extremum nauim onustam puerorum nobilium, qui execandi donabantur, nescio ad quem barbarum regem: quæ postrema animum ciuitati illi calamitas incidisset, nisi eos ipsos pueros in naugando Iunonis Samiæ numen, & religionis illius cerimonia liberasset. Quid illas deplorem omnium artium ingenuarum inuentrices Athenas, quæ cùm è satis amplo potentiæ & dignitatis gradu in humilem locum essent deiectæ, quum multas domi seditiones, multos exterorum hostium incursus, plurimas inimicissimorum regum & finitimorum Philosophorum iniurias perpessæ sint, nunquam tamen adeò graniter affectæ, neque tam sint certis & calamitatibus afflictæ, & perditæ, quàm quum ab Aristone Philosopho in acerbissimam seruitutem fuerunt redactæ: qui homo sceleratus & impius, omnique belua longè immanior, quum stupris, & vi nefaria omneis ferè familias nobiles

deho-

dehonestauisset: ciues qui virtute atq; ingenio præstare videbantur, exilio partim, partim cædibus sustulisset, omnium bona, que fortunas prædam suam duxisset, permisisset seruis Thrabus & barbaris possidendam vrbem, ad extremum obsessam exercitu Romano, L. Sylla duce, maluit ciuitatem omnium carissimam interire secum direptione atque incendio, quam vim ipse cedendo liberam incolumemq; relinquere. Hæc sunt præclara, atque eximia Philosophiæ istius vestræ documenta, ab ea virtus hominibus & sapientia traditur: tales ab ipsius cura atque lacte prodeunt alumni, qui nec rectam ipsi viuendi rationem vllam tenent, nec si ad potestates & ad imperia efferuntur, cæteros sinunt tenere. In hac deniq; ars est, & ratio, & consilium, & autoritas bene, beateq; viuendi: è qua qui progrediuntur, & se dant in conspectum, aut tarditate ignauiaq; petri diculi sunt, aut scelere atque malitia nobilitantur. Quanquam quid ego viuendi ratione Philosophiam insector? quum ipsa se morte commentationem esse dicat? vtinam quidem esset, sicut in Cimbroto Ambraciota fuit, quem ferunt lecto Platonis libro de immortalitate animi, vale soli dicentem (vt in Græco Epigrammate est) in mare sese ex altis rupibus præcipitauisse: eandem vt tenerent cæteri, néue commentatione tam diuturna indigerent, discederent aliquando è medio nugaces isti, suaq; nos obtundere loquacitate desinerent. Sed fortè expectant illud eis dum obijciam, in quo maximè gloriari sunt soliti, infestam in primis & inimicam religioni esse istorum artem. Quod mediusfidius non faciam: neq; vllam in hos ex aris atq; templis, sed suis ipsorum & propriis ex criminibus inuidiam colligam: simul locum hæc præbebo ostentandi ingenij, inque eo gloriandi, quasi longè & multò plus videant ipsi, quam nos faciamus, qui maiorum institutis & legibus facilè acquiescimus: idcircoq ob eam rem imperiti ab his, & idiotæ appellitamur. Sed per deos immortales, erit ne aliquis ad spes magnas institutus, qui in hac vanissima, inertissimaq; scientia ætatem rectè conteri putet? qui veras artes, studia, grauia, occupationes illustres, quibus ad commoda vitæ, & ad dignitates aditus sit, postferendas esse ducat fictis & commentatis iam non illis rerum, sed volitantium quarundam opinionum simulachris? fora relinquat, vt domi sit deses? consuetudinibus viuentium careat, vt cum mortuis fabuletur? ea quæ sunt, & quæ extant in promptu, ingenio industriæq; parata, contemnat omnia, dum quæ vel nusquam sunt, vel si sint, vtilitatem tamen ab quam hominibus afferre non possunt, inani studio consectetur? Quæ ego omnia tibi inprimis, Sadolete, prouidenda esse censeo: illudq; maximè videndum, ne in tua ista Philosophia, quam ceu sororem osculari vnanimem videris, longiùs progrediare, quam

vt pe-

vt pedem postea referre facilè queas. Non ornat ea homines, sed contaminat: nec instituit ad virtutes bonum ingenium, sed corrumpit. Quod si tu neque amicorum monitis, neque eis, quas supra aduersus eam attulimus, rationibus facilè cedis: etiámne spem tuorum, quæ in te vno posita, & opinionem principum virorum, quæ de teipso suscepta est, falli omnino sines? Habes optimum & clarissimum virum patrem tuum Ioannem, qui quũ ingenij memoriæque gloria, tum iuris ciuilis singulari quadam scientia quum præstet omnibus, haud profectò tantùm in te erudiendo studij & laboris impendisset, neque te à se diuelli fuisset passus, nisi huius vrbis, & curiæ commercio, honores domum te, & fortunæ præmia referre voluisset. Habes patronum, ad quem te applicuisti, summa grauitate, summa sapientia, genere, honore, existimatione, copiis, sacri senatus principem Oliuerium Carrapham Pontificem Neapolitanum, qui admirabili quæ est præditus prudentia, docere te possit, quæ sit via ad nomen & ad decus in ciuitate obtinendum maximè accommodata: vt tibi exemplum degendæ vitæ idoneum quærenti, grauior non sit autor requirendus: quæ si valere cuncta apud animum tuum sinis, neque sanis eorum, qui te diligunt, & fidelibus consiliis obstines aureis tuas, & auguror mecum certus, & tibi spondere non dubito, magnum in te ornamentum domui & familiæ tuæ, magnum amicis commodum, ciuibus tuis præsidium paratum fore. Hic ille finem quum fecisset, nosque aliquandiu admiratione defixi silentium teneremus. Gallus, Quid est, inquit, Sadolete, ecquid tibi Phædrus videtur, non subita neque impromptu, sed & accurata & præmeditata oratione ad euertendam Philosophiam accessisse? Quantum in illo copiæ, quantum neruorum fuit? Equidem intelligo magnum tibi onus respondendi esse impositum, neque adeò, quod tam difficile sit pro Philosophia, quàm contra Phædrum dicere: sed tollendum id tamen, ne & nostra summa, quæ nunc pendet cùm maximè, per te destituatur expectatio, & tu eam, cui te totum dicasti, quamque ego etiam te autore complexus sum, hoc maximè necessario tempore prodas Philosophiam ac deseras. Tum ego, Id, inquam, Galle, tacitus mecum nunc meditabar: nam si alias vnquam in dicendo fuit aliquid Phædrus, hodie mihi visus est seipso longè fuisse superior: nec verborum solùm vbertate, & sententiarum, quibus omnis eius referta & locuples redundauit oratio: sed quod earum Philosophiæ partium, in quas inuectus est, omnium mihi visus est esse peritissimus. Itaq; aut defiamus aliquid contra, aut longius nobis spatium ad cogitandum sumamus. Minimè, inquit Citrarius, neq; ego a te patiar deuotorem in locum, quàm nunc sit, Philosophiam tuam deduci:

quæ

quæ si tua hac subita dictione defensa, & aduersus torrentem rationis, qui modò ab ore Phædri profluxit, stabilis & firma tenta fuerit, erit causa, cur de illius grauitate & præstantia plè existimemus: sin aliquid offenderit, ascribetur tempori inapparitioni culpa, non Philosophiæ. Quamobrem aggredere quæso, & da te in certamen, in quo tibi, vt ego quidem scio, nec turpe est vinci, & perhonestum vincere. Conandum autem est, inquam, quandoquidem vos ita vultis. Volumus, inquit Gallus, neque est aliud quicquam, quod velimus potius. Solet enim æstus increbrescit, nec satis iam nobis aduersus solem in harum arborum vmbra præsidij est, ad villam censeamus tendum: ibi inferiorem ad partem spatium est, locusque opacior, & exædra, huic diei, tempori, & nostro valde opportuna moni. Hoc sic omnibus cùm placuisset, paucis sanè passibus villam nos recepimus.

IACOBI SADOLETI EPISC. CAR. pentoracti S. R. E. Tituli sancti Calixti Presbyteri Cardin. ad Marium Masseum Volaterranum de Philosophia Liber II.

NOn me præterit, Mari Volaterrane, fore non paucos qui, cùm ego tantum laboris, tantumque operæ in optimis artibus & studiis ponendum putem, plusque statuam multò in his, quam in ambitione honorum & in conquirendis opibus esse elaborandum: grauiter hoc meum consilium institutumque reprehendant, ad eamque me curam atque cogitationem potiùs opinione sua vocent, vt quum in foro, atque curia versari cum aliqua autoritate cœperim, iamque à summo principe consiliis fuerim interioribus adhibitus: eam vitæ sectam studiosiùs persequar, per quam ad spem honorum, & fortunarum munitur via, aditusque facilis ad amplissimam dignitatem comparatur. Quæ quidem horum reprehensio vel mentiùs me moueret, si non aut ab leuissimo autore proficiscetur populo: aut si viderem, id quod minimè intueor, eos qui ita egerunt, ac popularibus hisce opinionibus obsecuti, per labores, maximasque contentiones ad concupitos sibi honores tandem euecti sunt, cum eodem populo in gratia & in existimatione bona esse. Nunc autem quum intelligam id quod manibus est apertum, quid de istis sentiant homines, qui splendorem honoris duntaxat sibi ante oculos proponunt, eumque vnum studio omni inflammati feruntur, illud neque quam attendunt, quod erat hominibus veri honoris cupidis

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

nimè animaduertendum, quanta indignitas sit, quanta abiectio animi, ac leuitas in affectando, & ambiendo: non est causa, opinor, cur magnopere conturber vulgi sermonibus, aut cur de ea animi constantia firmitateq; decedam, per quam neq; pecuniæ augendæ, neq; honoribus consectandis volo esse addictus. Non dico hoc loco quod mihi & cæteris, qui accuratè voluerunt attendere, perceptum planè, obseruatumq; est: eos esse plerunque horum ambitiosorum exitus, vt neminem vel paulò temperatiorem, mediocris status sui, minusq; inuidiosæ fortunæ pœniteat. Quanquam fortibus quidem, & bonis, & sapientibus viris, qui in quoque honoris gradu collati sunt, & positi, nullam maculam vult afferre oratio mea: sed tamen illud euenire fermè cernimus, vt nullorum sit quàm istorum, qui domesticæ inanes & vacui dignitatis, externam aliam quandam & aduentitiam dignitatem tantopere expetunt, cùm angoribus amicorum, tum volubilitate, inconstantiaq; opinionum ac voluntatum, vita perturbatiue. Mihi verò aliò rationes meas dirigenti, semper id verissimũ esse visum est, quod est à sapientissimis proditum: re scilicet familiari antea commodè constituta, eisq; paratis fortunæ subsidiis, quæ & ad subueniendum necessitatibus vitæ idonea sint, & ab inuidia omni infamiaque remota; maiorem quandam nobis tum demum & longè diuiniorem sequendam esse vitæ rationẽ, per quam adniteremur, non vt honorum insignibus è turba emineremus, sed vt ad Deũ proximè adiungere nos possemus: quod tamen nobis natura est ita insitum, vt qui in aliam partem ac rationem sua studia contulerunt, optimum hi sibi hominis statum inuidisse videantur. Etenim quis est (modò idem sit qui ingenio vegetiore à natura præditus, animum quoque habeat ab his terrenis sordibus liberum) cui quum cœlum in conspectu sit, & hęc cœlestia, quæ tanta mente ordineq; geruntur, vt eorũ solennem, æquabileuiq; in summa varietate constantiam, nulla hominis ratio arte imitari queat: non pręclara ipse cupiditate accendatur ad cognoscendum, & considerandum? quumq; rursus aciem animi in hæc humana deflexerit, tumultumq; aspexerit vagæ huius, ac fluctuantis, & cum tempestatibus omnium perturbationum ceu conflictantis vitæ, nõ alium sibi potiorem viuendi ordinem, alia consilia rerum gerendarum esse ineunda putet? quod quidẽ iam est proprium sapientiæ munus, cuius adipiscendæ Philosophia sola magistra est, aut nullo alio pacto ad eã potest peruenire. Quanquam de his quidem quæ ad philosophiæ officium pertineant, deq; eius artis diuinæ ac pręcellentis vtilitate, atq; præstantia, satis à me explicatum esse arbitror in hoc secundo libro, in quo illa à me defensa est, quum esset oppugnata, & reprehensa à T. Phædro. Quem quidem ego hominem, Mari, valde

dilexi semper, idoneumque existimaui, cui hanc potissi
personam imponerem, atque eas tribuerem in sermonibu
strис partes, vt esset ille disciplinæ nobilissimæ accusator.
enim (vt tute nosti ac optimè omnium quidem: quippe qu
& municipio, & propinquitate, nonnunquam etiam comm
nio solebas esse coniunctus) ad obtrectandum dictis, & loca
dum aliquantum inclinatior: nec tam malevolentia ille e
dem, mihi vt videbatur, quam ardore quodam animi, &
ritate ingenij: quibus rebus fiebat, vt nullum paulò fortu
idemque asperius & mordacius dictum facilè posset comm
cæteris quidem partibus officij, suauitatis, diligentiæ
ptimo quoque erat comparandus. Quapropter nos, quib
pse agnosci ex suis scriptis haud ita iam potest: quæ eò mira
gregiaque confecit, orationibus maximè pangendis, quas
pronuntiasset: illa tamen nescio quo pacto effusa postmo
cius, distractaque euanuerunt: iucundum etiam nunc nobis
mici nomen, ab obliuione hominum vindicare famus cons
Quod idem, si vita supperet, de eis omnibus studiosè fa
mus, quorum nobis in amicitia ipsorum, ac familiaritate &
tus animi cognita, & spectata erga nos voluntas fuit. Et
quidem orationis, Phædrique consuetudinem dicendi, qu
tum assequi potuimus, in his libris expressimus: Quos ad
Mari, potissimùm vt mitteremus, quum ingenium tuum, a
tus, excellensque scientia artium optimarum, tum suauis
mores tui, dulcisque illa coniunctio & studiorum, & anim
quæ summa inter nos benevolentia nos astrictos tenet, hor
mihi vehementer atque hortata est: amo enim te in gen
num modum, tuoque in nomine libentissimè acquiesco: nam
inprimis habere cupio meorum studiorum & cognitorem
participem. Quare attende quæso, num tibi in his libris Ph
losophiæ vis ac potestas satis diligenter à nobis videatur esse
posita. Vt enim ad porticũ sub villa peruenimus, atque in Xy
loco sanè amœno id temporis & salubri, aduersi consedimus
mnes, cæteris in me vnum intuentibus, sic ego exordio fa
QVÆ fuerit Phædri nostri in accusanda Philosophia dicen
vis, qui orationis cursus, quæ copia, nil me referre nec com
morare attinet, ipsi vos paulò antè iudicium fecistis: quippe
eius orationem non voce, laudeque verborum, quod ipsum
modum iam vulgare & vsitatum, sæpe etiam tempore ca
suscipitur & simulatur: sed admiratione potiùs tacita fuistis
secuti. Nam, vt laus illorum sit quæ quamuis rectè atque
cinnè, ex communi tamen, & penè quotidiano more hum
admiratio eorum, quæ hominum vsu, ac facultatibus vide
superiora. Sed quo huius vel oratio plenior, vel ingeni

rior, & vehementior vobis visa est, hoc mihi grauius onus re-
spondendi est impositum. Ad eas enim partes repentè defenden-
das accedere me sentio, quas hic vt oppugnare atque euertere
facilius posset, assidua iamdudum commentatione se instruxit:
in quo neque ingenium illius apparationi defuit, nec tempus
ingenio: quum ego vtroque horum nunc quidem deficiar. Nam
tardior sum ad excogitandum, quæ sint accommodata causæ,
& propter subitam, improuisamque dictionem imparatior.
Accedit illud præterea incommodum, quod ei succedo statim
orationi, quæ non præteruolauit aureis vestras, sed in vestris
animis & mentibus penitus insedit. Vt enim Corybantas fe-
runt omnino illo percitos, etiam postea quam tibiæ canere de-
sierint, gerere vsque tamen illarum in auribus concentum, &
ad eum modos incitari. Sic non dubito, quin quamuis ta-
cuerit iam Phædro, tamen eius ipsius in intimis mentibus ve-
strum hæreat adhuc, & loquatur oratio. Hanc vim dicendi fuis-
se in Pericle, qui princeps Græciæ habitus est, æquales tempo-
rum illorum poëtæ deprædicant: vt quum concionaretur, non
solum tonare, fulgere, ciere fulmina, sed post dictionem et-
iam aculeos relinquere in animis auditorum putaretur: quid er-
go? prodamne causam, & deseram? Minimè istuc quidem,
non enim viti foret boni, & eius qui se iam diu Philosophiæ ad-
dixerit, idque certo iudicio & explorato fecerit: subitò ab il-
la discedere atque eam summo illius tempore destituere. Sed se-
quar officium, opinor, vestræq; vnà auctoritati, qui hoc me depo-
scitis, obtemperabo: quum præsertim sperem, atq; confidam, vos
eum hoc mihi quod imponitis, eosdem etiam esse sublenaturos.
Nam si in aliqua populi concione, aut corona cuiusq; modi, di-
cendum mihi contra Phædrum esset, næ ego verbo hiscere non
audirem, non quod diffiderem causæ, quid enim verius, quam &
tueare & defendere Philosophiam, cuius vsus atque tractatio
Deorū vitæ est similima? sed quia concitatos iudices extimesce-
rem. Nunc vobis duobus doctissimis, prudentissimisq; iudicibus
in pace & silentio suum obtinebit locum veritas. Itaque Phædro
nostro eloquentiæ palmam dabimus, vt suum veritati honorem
non negemus: Est enim veritatis tum noscendæ, tum agendæ et-
iam atq; nauandæ studium profectò sapientia. Vt emur enim hoc
in Philosophia verbo, tametsi in eo Phædrus facetè nos admo-
dum, & crebrò eluserit. Sed qui duas hasce res arcta naturæ co-
gnatione inter se coniunctas, eloquentiã dico & sapientiã, quan-
dam atq; res perfectio quędam, & altera mentis virtus est, altera
rationis, diuellere primus & separare est ausus, siue Leontinus
ille fuit Gorgias, siue alius quis: maximam is profectò semen-
tem malorum omnium in humano genere iecit. Primus enim

docuit, id quod omnium rerum est deterrimum, mentiri vo-
rem: aut si omnino virtus mentiri non potest, nec fallaci-
modi personam sustinere, instrumentum certè primarium v
tis, ipsam interpretem animi & mentis orationem, fallos
pere vultus coëgit, vt quum à vera sapientia non esset profe
assimulatione tamen imagineque sapientiæ, quàm plurimo
fraudem & in errorem induceret. Ex quo linguæ cordisque
sidio, ingens hæc, quam cernimus, in omni vita sequi
perturbatio. Fraudes enim & malitiæ omnesque fallaci
mentiendi artes hinc exortæ, hinc sese in hominum suas
resq; profuderunt, omnis inquam hinc falsitas, omnis
scriptio, & insidiæ omnes, ab hoc primo erroris fonte
re. Nam cum ex duobus inter se quasi de regno decertanti
terutrum in nobis dominum constituere nos oporteat: ra
tionem velimus tanquam aliquem Deum, siue cupiditatem
uti belluam quandam: non tantum in eo mali est (quantu
mediocre illud est malum) veruntamen non vsq; eò id pol
pestem perniciemq; communem, oppressam pleruncq; &
meliorem iacere partem, insolentem autem cupiditatem
mo dominari, quàm illud est & horribile, & exitiosum, lingu
sæpe instructam cupiditatũ fallaciis, perferre foras mandata
gationesq; perinde vt à sancto & legitimo intus rege, ac
improbissimo tyranno, ipsa videlicet cupiditate, missa fictæ
quitatis & veritatis fucatis coloribus, callidas suas machina
nes depingat, quo labefactatis bonorum consiliis, eorum
cta & imminuta autoritate, aditum sibiipsa ad omnia
patefacere possit. In quo mirari satis non queo, non intelligo
eiusmodi homines, quum tantum virtutis simulatione
se putent, quantò se plus arbitrarentur vera virtute esse
ros. Sed vt ad naturam redeamus, nil potest esse tam
inter se omni necessitudine, vinculoq; naturæ, neq; tam
tiens, quàm aut cum affectionibus animi vultus, aut cum
ratibus sermo: vt enim lætitias mœroresq; intestinos
oculi, sic voluntates & consilia lingua continuò refert, quæ
ficio fungi ritè atque legitimè, suumq; planè illud munus
velit, non solùm verè & incorruptè consilia mentis, atq; de
reddat necesse est, sed qualia etiam illa intus sunt talia
proferat, atq; exponat: quod in vtro defecerit, dedecus ibi
existit, & claudicatio: hoc est, non integrum illa, sed man
officij munus assequitur. Itaq; & ampla magnificè disse
debet, & copiosa largè, & alta sublimiter, tenuia subtiliter,
ra dolenter: deniq; vt quo habitu intus ornatus animus, &
bus copiis instructus fuerit, talem eum extrà efferat, & repræ
tet oratio. Hanc speciem eximiæ perfectæ absolutæq; sapien

rum in potissimis vitæ nostræ ducibus, mente, oratione q; videlicet, & in eorum inter se concordia, conspiratione q; consistit, si quis facilem esse & in promptu omnibus putet, nempe ille fallatur: Omne enim præclarum rarum, & quæ communia cunctis esse possunt, nunquam in magno honore sunt habita. Sed est tamen via consectanda, & adipiscenda ordo quidam, ac modus: vt si ad summum peruenire non possit, in eo quod quisq; adeptus fuerit, cum quadam prudentia, moderatione q; versetur: neq; se amplius ostentet, quàm quoad idoneus est præstare. Hoc enim qui sic exerit, vt totam sapientiam non possideat, non minimam is tamen illius partem fuerit consecutus: intelliget enim quid sit illud, quod in quaq; re est decere: quod vnum est præcipuè sapientiæ omni propositum: nosse enim, & tenere quid in quaq; re deceat, maximè proprium putatur esse sapientis. Qui ergo ad summam sapientiam omni studio contendens, aliquo in inferiore gradu restiterit, & mediocritatem in ea fuerit assecutus: vel cùm in alterius illius parte se exercuerit, alterius factus sit expers: vt si quis cogitando quidem eruditus ac prudens, idem in eloquendo vsus atq; imperitus sit: aut contrà, quum abundet oratione copia, magnarum tamen rerum cognitionem non teneat: is si finibus se suis continuerit, nec in ea parte studuerit se iactare, cuius sit imperitior: sapientis ille laude & existimatione nõ carebit. Non enim exiguas in sapientiæ laude possidet partes illa virtus, quæ temperatione, & modo, præclaro quidem vocabulo, est appellata modestia. Ac vt in ædibus atq; templis, etiam si magnificentia abest, sæpe tamen opere in paruo decor nihilominùs elegantiaque artis apparet: Sic angustioribus interdum hominum ingeniis, enguisq; facultatibus, sapientiæ aliquis radius potest illucescere. Si qui non maximis fuerit ingenij opibus præditus, is coërcuerit semetipse, nec vltra id quod potuerit, progredi erit conatus. Verùm vt horum numerus existat aliquis, qui mediocriter effecti sint sapientes: ad illam quidem summam & absolutã laudem accedere sapientiæ, paucis adhuc est datum: quorum nimirum nomen colimus tanquam consecratum immortalitati. Ac vt omittamus de eis loqui, quos non ex ipsorum scriptis, sed aliorum testimonio cognitos; & Græcæ, & Latinæ nobis indicant litteræ: vt de parente totius Philosophiæ Socrate, de Anaxagora, de Empedocle, Democrito, Pythagora, Varrone, Nigidio, aliisq; compluribus: isti ipsi quos nouimus, quos mirantes legimus, quos in manibus semper habemus, Platonem dico, Aristotelem, Theophrastum, Ciceronem, & reliquos, qui ad horũ principum æmulationem studia sua contulerunt: quales tandem nobis, & cuiusmodi videntur? nónne eximij, nónne admirabiles, nónne vndique atque in omni parte summi, atque perfecti?

fecti? An aliquid est in illis præterea, quod requiramus? quorum
vt tabulæ egregiè pictæ luce atque die, sic istorum incredibi
rerum prudentia, orationis lumine longè fit illustrior: qui
implent sensus, animosq. legentium docendo, & disputando,
neq; ad intelligentiam rerum quicquam mens nostra, neq; ad a
cunditatem animi ampliùs auris requirat. Sed vt cœperam dic
re, qui ad hoc fastigium ascendere nequiuerunt, si idem, in so
genere quisque, modesti prudentesque extitere, non eamnam
parte meritæ laudis. Qui verò quum totam sapientiam perfun
neglexissent, & ad captandas magis opiniones vulgi, quàm ad
veritatem doctrinæ se exercuissent, maiores tamen quàm
videri studuerunt: hos video fermè in duo genera esse distribu
Alij enim rerum omissa & posthabita cognitione, in verbo
tùm ipsis, & in quodam loquendi artificio elaborauerunt: i
præ studio percipiendæ doctrinæ, excolenda oratione mu
sunt exercitati. Quorum vtrorumque non mediocris error,
ad inspiciundam sapientiæ vim, obtusa atque hebes mens eorum
extitit: quanquam priores quidem illi malitiæ, insciti pub
riores magis sunt arguendi: hi enim non tam astuti meditor
dius, neque tam vafri, qui diuinarum rerum atque humanarum
notitiam professi, à cultu & elegantia sermonis longissimè
sunt, quàm incomptè & ridiculè in liberaliores cœtus se ide
ipsi videtis: in eo quidem admodũ nobis odiosi, quod liberis
tidie edendis, & conscribendis, semetipsos nobis, & opinionu
nostris intrudere conantur, vimque quodammodo sensibus
dent afferre, quò de illorum bene ingeniis existimemus
imprudentia labuntur: non enim vnquam mihi, neque cuiq
præterea (vt ego quidem arbitror) ingenuè instituto persua
poterunt, vt cùm barbara & lutulenta vtantur lingua, genu
scribendi adhibeant inconditum, & illiberale, iudicari debea
Græca aut Latina eruditione esse præditi: quum neque id, qu
sapientiæ proprium esse diximus, videre in re quaque quid
ceat, in ipso primo aditu sui conatus intelligant. Nam quæ
rum ista esse sapientia potest, quæ prima egressione è penetr
bus suis, vt primum in conspectum hominum proditura est,
piter sese in oratione ipsa dare, progredique indecorè anim
uertit quidem? Atque hi tamen, cuiuscemodi ipsi sunt, m
multò sunt nocentes, atque malefici, quàm illi, qui ex ornat
lo, copiaque verborum, doctores se sapientiæ populis sunt p
fessi: maiore enim ij perfidiæ instrumento ad euertendas h
num fortunas parati accessere. Rursusque hi dupliciter: aut
cùm se ad Rempub. gerendam contulissent, propter vbertat
elegantiamque sermonis, fide sibi prudentiæ atque virtutis
populo falsò comparata, ciuitatibus suis plerique exitio

Quo in primis malo, & rhetorum orba veris sapientiæ dotibus eloquentia, non illæ modo tot præstantium ingeniorum eductrices Athenæ, sed cuncta olim Græcia planè concidit. Aut qui non tantum habuerunt roboris, vt se regendis & moderandis hominũ cœtib. iudicarent idoneos, ij sordidiorem etiam fallendi & decipiendi artem secuti sunt: vt cùm per omnem vagarentur Græciã, adolescentes ad se vanis pollicitationibus allicerent, quod his se notitiam gubernandarum ciuitatum, & illam præcipuè artẽ dicerent tradituros, per quam scirent illi & tenerent, quemadmodum causa inferior (sic enim loquebantur) dicendo fieri superior posset: hoc est, quemadmodum falsitas veritatem, æquitatẽ autẽ atq; iustitiam iniuria ipsa superaret. Sophistæ hi nominabantur: quorum quondam multitudine & cœtib. vetus Græcia abundauit, nomenq; eorum aliquandiu in magno honore est habitum. Sed quum ijdem illi ciuilium rerum peritiam, virtutisq; & vitij profiterentur notionem: ipsi verò moribus atq; vita à contemptissimo quoq; nil differrent, spreti postremo ab omnibus, atque illusi, dederunt locum Philosophiam vituperare volentibus, vt id maximè secundo populo facere possent: in quos extrema in oratione, me quidem perlubente, inuectus est Phędrus: qui si has huiusce modi Philosophias falsa appellatione in nomen sapientiæ temere inuadentes, sumpsit sibi vituperandas, adscribat, licet ad iudicium suum opinionem etiam meam: sin autem id molitur, & agit, vt omnino abijcienda sit, & repudianda Philosophia, nõ est nobis committẽdum, vt desertam illam & indefensam relinquamus. Nunque hercule, inquit ille, hoc etiam restat, vt plureis iam pro vna Philosophias habeamus. Non ita res sese habet, inquam: nec tu istam multitudinem artibus ipsis attribueris, sed facultatibus potius eorum, qui dissimiliter illas tractant, atq; suscipiunt: omnis enim ars vna in sese, simplexq; semper & eiusdem modi, non eodem tamen modo adhibetur ab omnibus: quod ne longe abeas, in tua ipsius arte potes, Phædre, perspicere: quum enim te oratorem nobis præbeas grauem, atque magnum, quod idem facere nituntur in hac ciuitate permulti, quid causæ est, quod te dicente concurrimus omnes vndique, attendimus, admiramur, tuæque eloquentiæ fulmina quasi extimescimus: quod sentimus idem vsu venire nobis in Camillo Porcio: est enim ille ex tua & disciplina, & amicitia tibi in hac laude geminus, ac prope par. Laurentium autem Colaianum, & hunc stultissimum omnium hominum Pionem, qui obsoletis & horridis consectandis vocabulis, laudem in his dicendi se assecuturum putat, etiam eludimus, atque aspernamur. Num tu hanc varietatem & discrepantiam arti, ac non hominibus ipsis attribuis? Omnis ars, Phædre, quæ quidem di-

gna hoc nomine sit, vna ipsa in sese, & sui vndique similis, dis-
militudine illorum, qui eam tractant, dispares aliquando fa-
pere videtur formas: quum ita, vt sit, variè ex ea ingenia
ciantur, ab aliisque rectè exerceatur illa ars, ab aliis perperam:
in his munus ipsa egregiè tueatur suum, in illis minus id pos-
Quod quum similiter in principe artium Philosophia ex
quid obstat, quin tollatur omnis controuersia: & quum ego
Philosophiam veris laudibus extulero, tu malos Philosophos
iure redarguendos ducas? Nequaquam hoc sic abierit, inquit:
ego enim illam ipsam accuso, quam tu necessum est confiteri,
tot huiuscemodi nebulonum & nugatorum esse velutinatum.
Hostis, inquam, Philosophiæ es Phædre, aspereq; nimium ne-
ces inimicitias. Sed quoniam video te nullam omnino vocem
quis aurib. admittere, quæ nomen modò Philosophiæ cum bo-
nore aliquo pronunciet: aggrediar ad defendendum, si paucan-
tè de meo officio fuero præfatus. Etenim ego quum plurimum
te amo, idq; merito tuo: multa enim signa vicissim tu mihi, me-
ea obscura, amoris tui erga me tribuisti: & in iis hoc recens, quod
Curtianum meum carmen humanissimis verbis prosecutus es-
tum mihi illud in te vsu venire experior, quod vllius vnquam vi-
familiaritate æquè sum delectatus ac tua: nihil enim fieri te vi-
aut amabilius potest, aut salsius: quod si ita non esset, tuum no-
men excellens ingenium, tua egregia virtus, humanitas, litere,
non solùm meam, sed omnium tibi beneuolentiam facilè conci-
liarent. Quod autem me sæpe & multum monuisti, vt dimissis
Philosophię studio ad grauiores res tractandas me conuerterem,
probasti mihi in eo tu quidem studium & voluntatem tuam: con-
silium verò & iudiciũ non ita: non enim si tibi omnia amicitię of-
ficia pręstare debeo, quod faciã equidem semper, & faciam sedu-
lò, iccirco tuis etiã opinionibus annuere sum obstrictus: assenta-
toris esset, nõ amici sic agere, tibiq; ita obsecundare, vt cùm mea
rectè ac commodè tutari possem, tuã potiùs sententiam sequere
atq; amplexarer. Illud cum dolore aliquo fero, quod video esse in
hac causa necessariũ, vt mihi tu oppositus sis, quem refellere co-
ner, in quo tu meliore multò conditione vsus es, qui tibi Philoso-
phiam quam oppugnares, nõ me ipsum proposuisti. Quamobrem
si redarguendi causa acrius agere interdum fuero coactus, quæ
vt bona tua cum venia facere id mihi liceat: non enim tui refel-
lendi, sed eius confutandæ rationis gratia, quæ ex ore tuo modò
Philosophiam vt euerteret, equis virisq; connixa est: vehemen-
tiùs mihi nonnunquam erit agendum: quod tu in bonam partem
accipies, mihiq; pro veritate, tanquam pro patria propugnanti,
hanc curam, & hoc studium etiam adscribes laudi. Illud item po-
to, si contigerit aliquo loco, vt mihi de re quapiã interrogandus
sis, id

sis, id quod vides in tam graui causa fore faciendum, facilem te mihi in respondendo, & clementem præbeas, Interroges licebit, inquit, sed parcius: nam ego audire continentem orationem malo. Geram tibi morem, quoad potero, inquam. Sed vt nonnunquam opus est in ea disputatione, quæ ex contrarijs partibus defendatur, inueniundi veri causa interrogare, & interrogari, refellere, & refelli, quod aliter sæpè nihil expediri, nec ad exitũ commodè deduci potest. Sic illud non solum Philosophia, verum hominis etiam mediocriter eruditi prudentia indignum, vtrumuis iterum cum iracundia, aut cum pertinacia efficere. Enimuerò vnde ego nam potissimum ordiar? aut quod initium meæ orationi summã? an ab eo sapientiæ verbo, in quo tu omni cum sale, cùm priscos illos septem, tum Philosophiam omnem eludendo exagitasti? in quo etsi nos mirabiliter delectasti, vel varietate rerum earum, quæ à te ipso proferebantur, vel lepore sententiarum: tamen, quod pace dixerim tua, fluctuare interdum, cursusque magis & copiæ, quàm aut distinctionis aut ordinis cupida, ferri tua mihi torrẽs videbatur oratio. Quid ita, inquit: aut quæ nam fuit ista fluctuatio? Quia, inquam, quum temeritatem illorum, & arrogantiam reprehendebas, qui primi sapientium sibi nomen & professionem vsurpassent sapientiæ, nimiumq́ue sibi eos, & quod ferri non posset, appetijsse dicebas, ea re quidem, quod (vt aiebas ipse) nihil sit omnium rerum neque in cœlo, neque in terra sapientia diuinius, mirabilem quandam rem profecto, & cæterarum omnium longè maximam, huic sapientiæ verbo constituebas subiectam. Rursus vbi eorundem leuitatem & inscitiam irridebas, qui professionis suæ titulo inflati, & tumidi, præstare cæteris se arbitrarentur, propter illud vnum sapientiæ nomen, quod in reliquas omnes etiam abiectas & ignobiles conueniret artes, fabrorumq́; sapientiam in eo & Homerum testem adducebas, nihil huic voci relinquebas subiectum quod æstimatione vlla videretur dignum. Ita quum duabus disiunctissimis in rebus, vna eximia atque primaria, altera porrò abiecta atq; ignobili, eodem sapientiæ nomine vterere, quid mirum si fluctuare mihi oratio tua, nihilq́; stabile & firmum in animis nostris constituere videbatur? Atqui ignosco equidem: sunt enim ista rhetorum: pompam quærunt & gloriam, nec tam exactam in audientium animis earum rerum scientiam, quas tractant, quam exigui temporis postulant opinionem: non enim docere proposuerunt illis est, sed mouere. Itaque nullis certis in dicendo finibus continentur, quoq́ue fusiores, & abundantiores semper sint, vt longiori vicini terminos, sic isti vocabula, rerũ notas cõfundunt: tamque vnius verbi inuolucro plura complectentis, in quam commodum est, vsi fuerint partem: tum vbertate & copia, nu-

meroque bene compositæ & iucundæ orationis in auditorum animos influentes, vim sæpenumero afferunt veritati. Contra hæc omnia Philosophia, rem ipsam aperit, ambigua distinguere vult, inuoluta euoluere: hoc ipso tamen imbecillior, quod vt ferè acerrimæ inter sanguine coniunctos eueniunt dissensiones, sic ista ab ea, cui germanitatis vinculo coniuncta fuerat eloquentia, deserta, non modò minus habet splendoris ad illustrandam, vitium ad confirmandam virtutem: sed eius ipsius eloquentiæ inimicissimos impetus vix ab sese potest propulsare. Quo vnque dissidio, vt antè dixi, magna hæc, quam cernimus, in omni ista exorta est perturbatio, quod si mea vox vnquam quicquam habuerit autoritatis: omni ope adnitar, vt omnib. suis partib. & numeris perfecta, integraq; sapientia, ingenuis mentib. restituatur. Ergo in nomine sapientiæ ambiguus Phædrus: Quid in ipsa? Descripsit enim ipse sapientiæ quoque formam veræ illius atque eximiæ. Audio: Sed tamen eam totam è vulgi iudicijs esse aptam voluit. Vnde tantum repente in vulgo autoritatis? Nam & hoc loco quæro, Dixeras illos septem, si populorum suffragio dicti essent sapientes, non habere eos causam iure gloriandi, propterea quod stultorum de sapientibus iudicium nullum existeret. Quo pacto igitur qui de sapiente nec iudicare quidem possunt, horum iudicijs niti & opinionibus, ea sola iudicabitur nec sapientia? Sic enim (si memini) positum abs te est: Quicquid in bonis numerarit populus, & quæ studia cunq; magni fecerit, in his necesse esse apprimè versari sapientem, si velit esse sapiens: nec eum à populi studijs, & voluntatibus vel tantulum discrepare. Quid habet igitur præclari ista sapientia, si nil aliud ipsa sit, quàm vulgi opinio? Nam nos quidem cùm notionem sapientis, quã in animis nostris natura inseruit, ipsa nominis voce excitati, cogitando pertractamus: proponimus nobis longe præstantius quiddam, quàm quod assequi, quóue aspirare vulgus ipsum facile queat: speciemq; eam in animo informamus, in qua nihil temeritatis insit, nihil festinationis, nihil inconstantiæ: quæ quidem vulgi & populorum vitia sunt notissima. Neque est quisquam versatus inter homines, & qui ipse modo sibi notus sit, qui aliam formam sapientis mente concipiat, quàm hominis grauis, atque firmi, nequaquam pro temeritatibus vulgi sua studia regentis, sed ipsius vltro moderantis, vltro cohibentis populum, si populus autore eo vti ad capessenda rerum gerendarum consilia velit, sin minus, sententiam tamen suam præstantis, non populi. Quod de Phocione claro Athenis viro memoriæ proditum est: qui cùm reclamante populo Atheniensi, dissuasor fuisset eius belli, quod post Alexãdri mortẽ aduersus Antipatrũ & Bœotios, duce Leosthene, gestum est: resq́ue initio prospere Athenas

renuntiarentur, essetq; ob eam rẽ in lætitia & gratulatione ciuitas interrogatus ecquid illa sic cecidisse molestè ferret, quę contra eius sententiã suscepta essent? Nequaquam, inquit, veruntamen ego in sententia mea nihilominus permaneo. Satis declarauit eo responso vir prudens, non ex fortuitis euentib. sapientiam, neq; ex leuitate iactationeq; populari, sed ex grauibus certisque consilijs pendendam esse. Et sanè quidem illius exitus belli Atheniensibus extitit calamitosus. Atqui talis nobis ob animũ versatur sapiens, qui frenis sæpe quibusdam quasi contineat populum temere ruentẽ in ea, quę concupiuerit: nõ qui conuellatur vltro ipse, & auferatur à populo: qua specie quidẽ in sapiente, nihil nec cogitari potest indignius. Tu cõtra, nouo de sapiẽte iudicio vteris, nihilque neque rectum, neq; graue existimas, quod non à populo prius probatum, adscitumque sit: vt tibi in hoc paulisper assentiar (nam quid verius sit, mox videro) Agè sanè, Sit munus primarium sapientiæ studia vulgi persequi. Rationem atque tempus huius fungendi muneris quæro: non enim semper (vt tu ipse requiebas) modo eodem conuenit: Quid ergo? quum vulgus semper varium incertumq; sit, atque vt in euripis & fretis vndarum assidua est conflictatio, fluctusq; fluctum identidem & impellens, & reuocans, sic temeritas populorũ incitata & volubilis, contrarijs veluti æstib. frangat sæpenumero, impediatq; semetipsum: quod erit populo tempus, iudicij faciendi, ferundæq; de sapiente viro sapientiaque sententiæ? Tum ne, cùm repentino aliquo studiorum motu incitatus, ad appetendum aliquid feretur effusius? An pòst, cùm reprehenso errore, vel etiam sola mobilitate pœnitens, repudiabit illud quod paulò antè intenderat? In hac inquam varietate, & in his errantib. populi opinionib. & studijs, virũ tandem quasi æstum sequens sapientia, ius suum & nomen titè obtinebit? vt de Q. Fabio Maximo legimus, eo qui bellum cum Annibale gessit. De quo Ennius,

Vnus qui nobis cunctando restituit rem:
Non ponebat enim rumores ante salutem:
Ergo magis magisatq; viri nunc gloria fulget.

Atqui gloriam ille istam fuerat adeptus, quod à populi voluntate dissentiens, fortunam Reipub. in discrimen prælij non adduxerat, ob eamque rem ab eodem postea populo sapiens est iudicatus. Quæro igitur, quando sapiens? quum populi & militum incitatis ad pugnandum studijs obsistebat, & quia minus illorum cupiditati obsequebatur, suæ famæ & dignitatis detrimentum accipiebat? At non hoc modo pendeat è vulgi opinionibus sapientia: An pòst, cùm cunctorum voce & concursu maxime laudatus est, quod leuia vulgi iudicia contempsisset, suumq; ipse iudicium fuerit retinuisset? At hoc posteriore populi iudicio, id quoque

est

est ab eodem populo iudicatum, nequaquam esse sapientis i
peritæ multitudinis studijs obsequi, nec consilia sua er
opinionibus moderari. Ita inanis in omnem partem sapien
iudex est populus: minimeque idoneus, cui hoc tantum
committatur, atque id decretis non solum grauium atque
dentum, verum etiã suis. Verùm hoc fortasse haud ita vult Pla
drus, neque omnibus ipse populi scitis sapientiam adimere
ea sola in hanc laudem recipit, quæ non mobilia & vaga, sed
ma, constantiaq; sunt, nec vlla vnquam vicissitudine permu
tur: ac ne multis, ad ea bona nos reuocat stabilia atque
semper populus maxima iudicat bona, diuitias, honores,
ria, voluptates. Huc enim conuersam omnem vult esse
tiam, ac in his potissimum appetendis, cum populo eam at
sentire oportere: munusque sapientis præcipuum esse, vt
is ad sese omnia quæ concupiscat populus, partesque sui
longè principes esse studeat, neque alium esse arbitretur,
potiatur, se ipso digniorem. Quod si ita sit primùm, qui
nit, eundem populum, quem temeritatis & inconstantiæ
marum rerum arguas, atque condemnes, repentè vna cert
& ea quidem maxima, idoneum statuere sapientiæ autorẽ?
hoc sic dijudicauit? Quis distinxit? Quis has veluti prouin
sic partitus est? vt ex eodem autore quæ prodeunt, horum
tim sapienter decreta existimari debeant, partim stulte. Deni
si hæc sempex fixa de diuitijs & voluptatibus populi est opin
quomodo tu non frustra illam nobis imaginem ante oculos
finxisti, qua paratum ad subitos excursus sapientem
bas: cum quidem eum veluti Scytham aliquem, aut Nomadem,
cui nullum vsquam certum domicilium esset, tanquam in
collocasti, ad prosiliendum attentum: vt simul atque popu
nouo æstu aliquo cupiditatis efferuescens, delabi quopiam
fluereque cœpisset, eõdem ipse præcurrere & aduolare niteretur
Quid inquam opus fuit hac mobilitate, & hoc tanto excubant
vigilandique negotio? & cur non protinus sapientem in ip
opum & voluptatum regno constituisti, fruentem pacato a
eius rebus, in quibus fructus sapientiæ præcipuè cernitur, nu
eiusmodi ancipiti cura distractum, tanquam rescisurus aliquan
do populus decretum suum, & de huiusce modi bonis sententia
mutaturus sit? Iam illud quidem, quod maximè ad rem pertin
re arbitror, quærendum in primis mihi statuo, Vnde tanta
æstimatio hisce bonis: Ex ipsis ne? hoc est, ab ipsorum condi
ne atq; natura, vt sint ipsa per se & sua vi æstimanda? An à popul
eò quòd populus illis hoc tantum autoritatis attribuat? Si ab
ipsis, quonam sapienti opinione populi multitudiniq; iudicio
fuerit opus? An dubium id est, quin ipse melius & consideratius
multò

multò, quàm imperitum vulgus soleat, de eo quod bonum est, constituturus sit, & iudicaturus? quippe cùm sapientiæ in primis sit, non aliena eam subsequi, sed sua ipsam iudicia proferre, quæ alij poeius sequantur: aut ne nomen quidem suum ipsa retineat, si in iudicando alijs concesserit. Si verò bona illa magni iccirco facienda sunt, quod eadem plurimi fiunt à populo, nullum erit illorum veritate neque natura, sed tantum vulgi opinionibus bonum: ita in bonis existimatis & opinatis, non in ijs quæ verè bona sunt, egregia ista popularis sapientia enitebit. Quid ergo illa, quæ vera bona sectatur, & in illis appetendis vtitur iudicio non vulgi, neque imperitorum, sed suo: quo tandem nomine fuerit appellanda? Num ea quæso indignior habebitur, quæ sapientiæ nomen obtineat? & iccirco eam popularis sapientia anteibit, quod hæc veritatem bonorum amplectitur, illa ipsa duntaxat opinionem? nisi fortè nullum omnino re & veritate est bonum, eiusque boni ratio ex sola opinione existit. Quod si ita esse suscipitur, tursus Protagorea ratio inducatur necesse est, nihil re ipsa videlicet, neque natura verum, neque bonum esse: sed quale cuique quid videatur, id illi tale existere. Quæ positio Sophistæ in primis (vt tum habebatur) nobilis, diu & multum in Græcia iactata, ad extremum doctissimorum disputationibus fracta, atque conuicta est. Etenim tum perspicuè est demonstratum, si ita se res haberet, primùm, contraria in eodem & repugnantia simul conuentura esse, quod nullo modo fieri potest: quippe quum contrariè diuersis de quaque re videatur: deinde artem omnino nullam neque scientiam habere locum posse: nihilque interfuturum esse inter doctissimos, & imperitissimos, neque inter eos qui omni rerum prudentia vsuque se excoluissent, & eos qui nunquam animum omnino ad augendum quippiam aut considerandum appulissent: Ita omni omnium rerum penitus sublato delectu, omnibus consilijs iudicijsque peremptis, fore planè nihil quo res rei vili momento aliquo antecelleret. Sed nos illis disceptationibus omissis, quæ latiores sunt, quàm vt angusta & breui oratione concludi possint: ad ea quæ nobis sunt propiora redeamus, idque dicamus, quod reticentibus etiam nobis necesse est intelligi: si boni verique ratio opinionibus duntaxat pendenda sit, populum ipsum iure vnum appellari conuenire sapientem, Quippe quum plurimum concors consentiensque opinio, singulorum sententijs sit anteponenda: Populus itaq; solus sapiens. Qui ergo nobis constamus ipsi, dum hoc communi loquendi more errorem, inconstantiam, vanitatem populis ascribimus? verbaque stultitiam & temeritatem significantia, in genere sapientissimo vsurpamus? Num aut maiores fortè nostri aberrauerunt hi, qui rebus imposuere nomina? aut nos illa ipsa nomina

perpe-

perperam præpostereq; accipimus, alienaque prorsus loqui
cùm ordinem, grauitatem, constantiam, cæterasque humanæ
virtutes ab errore leuitateque disiunctissimas, vnanimes cons
sapientiæ attribuimus? At enim æquius multò est vnum con
dere sententijs plurimorum, quàm vnius plurimos: sic enim
cebas: Quid cùm plurimi ex contrarijs partibus dissentiãt, mu
titudinesq; ipsæ inter se sunt discordes: numero ne semper, an
quam autem pondere grauitateque disceptantium lis diiudi
bitur? Quid cùm non hominibus solùm, sed populis vniuersis
nersæ sunt sententiæ? Lacedæmone furari ingenuis adolescen
bus est permissum, Athenis nihil minus. Contra, Athenis vi
lege otij erat mulcta, at liberale vel maximè id apud Lacedæmo
nios. Ex quo illud legati Spartani dictum, qui Athenis cum
damnatum otij duci cùm videret, quæsisse fertur perhu
quis esset ille, qui tam liberalem subijisset mulctam. In dissi
bus ergo duorum principum populorum opinionibus & sen
tijs, vtram tandem veriorem & sapientiæ congruentiorem di
mus esse? aut si non facile id est iudicatu, tuam scilicet, Pla
sapientiam adsciscentibus: cõstituemus quidem hoc certè, qu
est necesse, hominem vnum atque eundem Lacedæmone fau
tem, Athenis stultum fore: vt cùm secum foras extollere dom
sticam sapientiam nequiuerit, in alienam ciuitatem, quem
modum hospes, sic etiam insipiens introijsse dicatur. Veru
congrediamur propius, ac de eo ipso genere bonorum, quæ Pla
dri ista in primis aspirat sapientia, de diuitijs inquam, ac vo
ptatibus verba faciamus, quando horum bonorum iudicium
omne ipse attribuit populo: si varia existant, hac quoque de
populorum decreta, quid erit tandem statuendum? Lacedæmo
ne durissimis Lycurgi legibus, quoad illæ viguerunt, neq; ad po
cuniam, neque ad delitias aspirauit quisquam. Nemo igitur
lis tot seculis in ea ciuitate sapiens: ne Romæ quidem, quæ
ciuitate exemplum omnis sapientiæ & virtutis in nostros animos
transcribebas, primis illis CCC. LXXXIII. annis diuitiæ ad
modum in vsu, aut in honore vllo fuere: neque publicè id adh
neque priuatim. Ac publicè quidem, Q. Fabio Pictore, L. Qui
Consl. nummus in hac vrbe primùm argentens signatus est a
nis quinque ante primum Punicum bellum: cùm autem gra
ære, inepto ad coaceruandum, ac seponendum, omnes vten
tur, priuatim verò qui argentum possidere comperti essent
neque legum pœnas, neque censorias notationes effugerent:
in hanc vrbem aditus omni illo tempore sapientiæ intercl
fuit: nisi forte tum populi Romani opinione & iudicio, ex
no quodam genere sapientia extitit, nõ voluptatis & copiar
vt nunc est, sed abstinentiæ, frugalitatisque magistra: cuius
me

men moris ac disciplinæ temporibus optimis Pop. Rom. non
pœnitebat, tum cùm ab aratris accersebantur homines, quibus
magistratus, curationes, imperiaque mandarentur, totaque Res-
publica committeretur regenda: quorum quidem cõsilijs, forti-
tudine, iustitia potissimum effectum est, vt hæc ciuitas ex mini-
ma, ad summum rerum humanarum fastigium perueniret: nam
in hac quidem populari sapientia quotus quisque est, qui ad gu-
bernacula Reipub. translatus, officium suum, atque operam val-
de probet populo? Quod si populum quoque velim in hac ratio-
ne defendere, nónne id dicam, quod ab omnibus concedi neces-
se sit: nõ hosce cupidos & ad omnia progredientes, quibus omne
in pecunia, & in ambitione honoris positum bonum est: qui-
que quò plurimum in sua ciuitate possint, anxij semper, atq; sol-
liciti, omnes intendunt machinas, omni via moliuntur: sed abs-
tinentes, sed moderatos, sed graues, eos esse, qui à populis præci-
pue & probentur, & diligantur, quorum se fidei libens multitu-
do committat. Videtis campum, in quo exultare possit ora-
tiones. Sed mittamus: sitque sanè & Phædro, & populo teste,
quam & iucunditatum consectatrix sapientia: Illud quæro: in
quavim & facultatem istius sapientiæ ponitis? Vtrum si adipi-
scam commoda fortunæ hæc, quæ vos tantopere extollitis: an
si rum, rationemque commonstret adipiscendorum? Hoc est,
Vtrum in euentu adipiscendi, an in consilio duntaxat insit sa-
pientia? Si in euentu, atque vt adipiscatur, qui iam distingue-
mus fortunatum à sapiente? aut cur non idem atque vnum for-
tunæ sapientia fuerit? Et quidem hunc honorem in scena & a
Comœdia cernimus Fortunæ datum, Centum doctorum homi-
num consilia hæc vna deuincit Dea Fortuna: atque hoc verum
id, proinde vt quisque ea vtitur, ita præcellet, atque exinde sape-
rem omnes dicimus. Bene vbi cui discimus consilium acci-
disse, hominem cautum eum esse declaramus: stultum autem
illum, cui vertit malè. Nostis carmen profectò, quo, scenæ, vul-
gique iudicio, in sede sapientiæ fortuna constituitur. Et ridicu-
lus Pacuius, qui de Fortuna secus sentit: Fortunam insanam, &
cæcam, & brutam perhibent Philosophi, saxique instar globosi
præcipitem volubilem, qui enim ea poterit volubilis atque insana
esse, secum sapientia semper coniuncta sit? Quanquã Pacuius
(quod ita Phædro videatur necesse est) nequaquam satis idoneis
testibus Philosophis, fortunam in crimen & in vituperationem
videtur accersere. Sed persequamur, vt cœpimus, hoc que vrgea-
mus: si in adipiscendo & potiundo vitæ commoda sapientia
tantummodo sit, nihil inter eam, interque fortunam interfutu-
rum esse, casuque & fortuito quenque effici posse sapientem: vt
enim ad honores quis & ad diuitias euectus fuerit, ita sapientiam

euecti-

euestigio fuerit consecutus. Vbi circumspectio igitur, vbi consilium, vbi illa accurata & diligens consideratio, quæ habitat semper propria sapientis? qui se nunquam in præcipitem locum committit, certaque ratione dirigens appetitiones suas, diuitias & potestates sæpenumero prætermittit, quò se bona existimatione in populo communiens, veras vitæ voluptates, quæ ab honestate & innocentia seiunctæ esse non possunt, tranquillo animo consequatur: nihilque vnquam molitur, in quo subductio calculis non plus consilij & rationis insit, quàm fortunæ. Quod si non tam in adipiscendo, quàm in acutè acriterque peruestigando, quibus ad fortunæ præmia itineribus veniatur, sapientia magis elucescit: equidem non negarim hoc sapientiæ munus magis congruere. Adest enim iam consilium & cogitatio, quæ sunt cognata & familiaria sapientis. Sed quid, si, omnia ipsa cum egerit, vehementerque elaborauerit (quandoquidem euentum atque fortunam præstare nemo potest) spe & conatibus suis fuerit incepta, retinebitne sic elusa atque irrita, sapientiæ nomen, recte retinebit? Si non retinebit, falsum erit in explorando, & indagando spectari sapientiam: rursusque omnis sapientis approbatio à casu, & à fortuna erit repetenda. Si retinebit, poterit iam certè esse aliquis sine fructu vllo & sine emolumento sapiens. Quod neque tu Phædre ita vis, & ego maximè alienum à sapientia statuo. Quid enim, rem ne vnam omnium pulcherrimam & maximam, ad quam nostra vota & desideria præcipuè contendunt, possideri sine fructu, atq; adeò sine maximo fructu, in animum inducere poterit quispiam? nõ cadit hoc in cogitationem hominis, nostræque id mentes penitus respuunt: potius quidquid vitam exornat atque excolit, facitque vt pacatè & splendidè, & cum voluptate viuamus, totum consilio & sapientiæ tefertur acceptum, vt cui sapientia ipsa adsit, ea illi inutiliter & sine maximo fructu nequeat adesse. Relinquitur igitur vt iunctum vtrumque & copulatum, sapientiam constituat: hoc est, vt vera germanaque sapientia sit, cùm potiri fortunæ bonis, tum studijs nostro industriaque potiri: quod sic recordor abs te fuisse positum, iucundiora esse munera fortunæ, quæ aliquis labor antecesserit & molestia, quàm ea quæ sua sponte nec opinanti adueniunt, propterea quod voluptas omnis ex contentione ipsa molestiæ percipiatur vberior. Si inquam ita sit, suauioraque sentimus, quæ cum labore quodam & solicitudine animi, nobis expugnauimus, quàm quæ vltro accepimus oblata: optandam mala valetudo, vt eius prosperæ atque bonæ lætitia amplior nobis adueniat. Falso igitur est in communibus votis vsurpatum, rem esse optandam nobis, nõ partam labore, sed relictam. Quanquam ista quidem leuiora sunt: illud porrò graue, grauiterque

animad-

animaduertendum. Quod si ab industria coniunctè & à fortuna efficiatur sapientia, neque alia conditio quæpiam, modusque alius apponatur: hoc est, quo cuique ordine, qua temperantia, qua etiam à malis facinoribus abstinentia, ad opes & imperia peruenire sit licitum: nil causæ fuerit, quin quæ ad quæstum maximè, & ad pecuniam appositæ fuerint artes, eæ potissimum nomine sapientiæ ornentur. Erunt igitur fœneratores in hanc laudem vocandi, erunt circumscriptores, erunt testamentarij. Denique quotquot sibi periurio, & fraude, & malis artibus rem aut potentiam quærunt, modò assequantur id quod concupierint, prouidi, & solertes, & sapientes esse iudicabuntur. Quid ergo? Iuncine placet constitui sapientiam, & talem eam in hominum conuictus, commerciaque produci, quæ populatoribus humanæ societatis non solum impunitatem, sed gloriam etiam nominis sui proponat? nónne plurimum intererit, quo pacto quisque ad opes, honoresque perueniat, & qua ad fortunæ bona nitatur via? Nam qui iustè & castè id egerit, idemque ea fuerit constantia præditus, vt maius sibi bonum in virtute atque honestate, quàm in voluptatum, opumq; affluentia constituat, eũ sanè nos virũ bonum appellabimus, maximamq; illi fidem rerũ omniũ habebimus: sapientem verò etiam, si cũ integritate vna & cũ iustitia, mẽtis præterea, ingeniiq; acumen habuerit coniunctum: quod omnino sapientiam in actione mentis, & quasi ingenij vigilia quadam constituimus, quæ si a virtute & innocentia disiuncta sit, suisq; propriè consilijs absq; iustitia veritateq; nitatur, non iam sapientia, sed malitia sit nominanda, vt quæ celeres quidem animi mouet, & ad videndum quid expediat acutos: sed eosdem prauos & inconstantes & perfidiosos habeat. Quapropter decuit abs te, Phædre, sapientem tuum ex hoc genere constitui, qui polleret quidem mentis intelligentiæque consilijs, verùm idem omnia tamen ad virtutem æquitatemque referret. Quem tu nunc cuiusmodi, quæso, & quo ex genere nobis effinxisti? occultum quendã & caecum designasti artificem simulandi, dissimulandique, qui cùm specie quadam splendida & liberali oculos nostros quasi perstrinxisset: intus autem copi pectore (vt ille inquit) arcana continuisset studia malitiæ suæ, tum vt sese vlla aperiret occasio, reiectis inuolucris dissimulationis, ad illa fortunæ bona prorumperet, quorum adipiscendorum gratia, nec violare ius fasque, nec cæteros supplantare indignum arbitraretur: qui si non vale ac præruptè, vt de Philosophis ipse dicebas, at elegantiore quadam improbitate magisque concinna præriperet cæteris adipiscendi palmam. Vafrum inquam nobis hominem & astutum, plenumq; doli ac perfidiæ descripsisti, atq; eum qui cùm nullã veram speciẽ sapientiæ nosset, virtutemq; ac dignitatẽ vtilitate sola me-

tiretur, præstare semper arbitraretur pudere magis, quàm p
multoq; plus doleret non adeptus, quod concupiuisset, qu
impuritate aliqua facinoreq; deprehensus verecundaretur
torquebas interdum tu quidem, & splendidis ac sonantibu
bis vmbram illi appingere virtutis contendebas. Sed facil
bat, totamq; se indicabat oratio tua. Dum enim inobser
vestigijs aiebas curaturum esse sapientem, ut quò intendere
peditius perueniret, non mediusfidius lucem neq; diem, de
ctem & tenebras quærebas sapientiæ. Quod si huiusmodi
entiam esse placet, quæ eos, quibus æmulatur, tyrannos
vt quemadmodum illi segregatos ab sese habent omnibus
seruorum autem, & facinorosorũ, & barbarorum circumsa
parant manum: sic ipsa veris virtutibus electis, fraudum
rumq; comitatu, ad opes sibi acquirendas stipata incedat. N
rum nobis præterea nihil est dicendum: quandoquidem non
te aliqua, sed tota sapientiæ ratione dissentimus. Nam ego
ex alieno longè genere, prorsusque contrario esse statuo.
Gallus; Nequaquam hoc vereare Sadolete, inquit, vt quispia
nostrum (nam pro Citrario tibi etiam spondeo) sapientiam
scelere, & cum perfidia puter iungi: neq; verò Phædrus hoc
spicuè posuit: videbatur quidem interdum oratio eius abu
& concitata, labi huc, atq; effluere. Sed nosti Rhetorum m
mihi quidẽ ratio illa vehementer probatur, nec sine veris gen
nisq; virtutibus sapientiam, nec sine sapientia virtutes ipsa
stere: sapientiamq; ingenij & mentis actionem, nõ fortunæ
tum esse ducendum. Sed quid si iccirco plurimi sapientia
quòd ea nobis bonæ fortunæ effectrix, atq; administra eh
malis insidiosisq; artibus, vt tu modò improbabas, in qu
planè assentior, sed virtutum choro nixa comite, fideq; &
tatem ad omnia adhibens, vt sapientis sit honestis ration
tæ copias consequi, sapientiæq; effectus fortunata vita sit, n
quoq; fuerit eiusmodi, vt alienum grauitate sapientiæ esse
atur? Mihi quidem notio illa, quam in animo insculpeam
pientia gero, hac ratione etiam pulchrior, magnificentior
occurrit, si sapientem omnibus subsidijs fortunæ florentem
ornatũ esse videamus, addet enim hic externus copiarum appa
tus, illius profectò decori dignitatique permultum. Dic
ista, Galle, speciosè inquam, & aliqua ex parte etiam probab
ter, sed videndum tamen est, ne conturbemus. Etenim si hoc
intelligatur, vt sapientiæ fructus omnis in fortuna sit, & cùm
tunam adepta erit sapientia, tum demum nomine illo digna
seatur: aut nihil ipsa omnino per sese fuerit: aut, quoniam
num præstare nemo ne sapiens quidem potest, sine illo comm
do & emolumento adesse nobis sapientia poterit: hoccine
ta

ne ita vis? minimè, inquit. Sed ego cùm maximas per se vtilitates in ipsa sapienti inesse statuo, tum arbitror vberius illam fore ornatam, si fortunæ quoq; benignitas accesserit. Facilè hoc tibi concesserim, inquam, dum ne illud ita sentias, omnem vim sapientiæ hoc intentā esse, vt fortunæ ea nobis conciliatrix sit. Sequitur quidem fermè fortuna sapientiam: rarumq; admodum, & difficile factu est, vt sapiens idem & infortunatus sit. Ex quo dictum ab antiquis, Suæ quenque fortunæ sibi fabrum esse. Sed tamen fortunarum consecutio appendix quædam bonorum consilionum est: modicaq; semper est, ritè æstimantibus, ad sapientiam fortunæ accessio. Nanque ipsa sapiētia maiores sibi multò opes, & præstantiores ex genere in se paratas habet: neq; ex alienis generis bonorum, sed ex se, & sua vi commendat nobilitatem suam: quæ si domesticis fructibus non contenta, alienis opibus perficere se cogatur, non iam neq; libera ipsa iurisue sui, nec vllius compotis dignitatis fuerit: seruiet enim necessariò fortunæ, toramque ferè illius nutum finget, atq; conuerter, vt suum bonum, quod habet in illa repositum, illius ipsius beneficio possit consequi. Quæ si huiusmodi sapientia sit, quibus ea quæso, ornamentis dignitatis, aut quo honore libertatis poterit esse prædita? Nam vt minutè hominem homini dicimus, non eum solùm qui emptus pecunia & mancipio acceptus sit: verumetiam illum, qui cuius spe tiegens est, eam rem cogitur ab alio ambire, & mendicare. Sic cum propter fortunam sapientia expetenda sit, iam non ipsa bonorum rerum, sed pedisequa fortunæ existimanda est. Etenim quicquid amatur aut appetitur propter aliud, id non ipsum appetitur per se, sed omnis illi dignatio prouenit ex eo, ad quod hoc eatenus intermedio itur atq; contenditur: vt postea finem, atq; extremum quod optabamus consecuti, horum quæ adhibuimus tanquam adminiculorum ad potiundum & consequendum, iam nec manificamur quidem: eorū enim consumpta opportunitate, nulla reliqua in ipsis remanet dignitas, quæ nostros animos teneat. Sed nostrum omne bonum in illo summo agnoscimus, ad quod de principio iam tum tendebamus: sicut portu adepto, nauigio non amplius opus est, & victoria constituta, arma deponuntur bellica: Sic fortunæ opibus comparatis, inanis de cætero sapientia est. Igitur in hoc ordine, & tanquam curriculo quodam interuenientium rerum ad aliosq; fines properantium, sapientia si constituatur: nō ea spoliata solùm suo decore, seruiat & ancilletur fortunæ necesse est: verùm quū fuerit ad fortunam peruentum, nullam iam vlterius partem commodi, neq; æstimationis obtineat. Quod est rursus illa sapientiæ notitia indignum, quam in animis nostris natura ipsa descripsit. AGE agè, Gallus inquit, cogor enim tibi hac ratione assentiri, fortunā nō esse sapiē-

tiæ dominam: quæ videretur fore, si ad eam vnam sapientia
pertenderet: Sed quin sit sapientia ex comitatu bonæ fortu
splendidior, hócne inficiari quisquam, & deterere dicendo ea
mis nostris poterit? Quid possit, inquam, alio loco videro: Na
hoc sic habeto, Si acri acie mentis naturam rerum intueri vo
ris, te non difficiliter animaduersurum, in tanta varietate & ...
& operum, quanta hominum labor atq; industria quotidie ef
cit: nihil in eis rebus inesse dignitatis, quæ ad propulsandum
commodum duntaxat, & ad necessarios vitæ vsus reperiantur
quod huiuscemodi quæ sunt, seruiunt omnia necessitatis ...
bent in se quicquam soluti, & liberi: sed alienis astricta ...
nentur. Quod enim fugere incommodum atq; malum ...
ipsa cogimur, idcirco sunt ista vi & necessitate expressa, vt ...
præstò sint, vitamq; ac salutem hominis custodiant. Nihil ...
coactum suapte natura est laudabile. Vbi ergo existit dignitas ...
laus? Nempe in his, quæ necessitatis soluta vinculis, ipsi nostra
voluntati sunt libera: Nam quoad laboramus & tendimus ...
subsidijs fortunæ conquirendis fulciamus & tueamur vitam no
stram, quoniam id non sponte, sed naturæ lege atq; imperio fa
cimus, hactenus sumus & laudis, & criminis expertes. Quod enim
alieno gerimus coactu, neutram id in partem attribuendum no
bis est, quandoquidem nulla in hoc animi nostri neque ex vir
te, neque ex vitio declaratur affectio. At cùm superesse incipiunt ne
cessitatibus nostris diuitiarum copia, & fortunæ quasi quædam
vbertas, materiemque habemus ampliorem, in qua libere ver
ri voluntas nostra, & suo se arbitratu gerere in ea possit: tunc
rectam rationem, consiliumque bonum administrandis fortu
næ facultatibus adhibebimus, ornabit quidem fortuna sapien
tiam: sed propter eam causam ornabit, quia ipsa antè a sapien
tia fuerit ornata: omnis enim illa directio, & prudens apta
dispositio, tractatioque opum & fortunarum, sapientiæ tota est
atque eadem sapientia ea est, quæ in potestatibus & opibus, a
mnibusque bonis, muneribusque fortunæ lumen illud accendit
pulchri atque decori: cuius non solum oculi hominum ad aspe
ctum, sed mentes etiam ad admirationem conuertuntur. Nam
ipsa quidem fortunæ bona, si per se illa spectes, quid habent ...
præclari atque magni? quæ iacerent penitus inanimadue ...
mortua, nisi actum tanquam animam a ratione vtentis accepe
rent: perinde autem vt quis vtitur, ita efficiuntur & laudis par
cipia, & vituperationis: si enim ordine & ratione disponuntur
nihil spectabilius, si per inconsultam, cæcamque cupiditatem ...
funduntur, nihil fieri potest turpius: vt cùm ad homines indignos
delata sunt, augeant potius & cumulent illorum indignitatem,
quam quicquam illis splendoris aut ornamenti afferant. Igitur
quic-

quicquid ex fortuna est, quod superfluat, vltraque vsus vitæ necessarios sit, totum supellex est, & instrumentum liberæ voluntatis, participesque hactenus & virtutis & vitij, ex alio genere vtile, quàm quomodo ea sunt, per quæ necessitatibus vitæ subvenitur: illa enim ad incolumitatem duntaxat vtilia sunt: hæc ad amplitudinem, ad gloriam, ad dignitatem: cuius quidem pulchritudinis, præstantiorisq; vtilitatis amore & studio, liberę in primis mentes & ingenuæ excitantur: plusq; multo sibi statuunt in honestatis decore, quàm in salutis incolumitate esse repositum. In vos aliam esse causam, & rationem putatis, quamobrem non solùm erectioribus animis qui sunt, verùm ignauiores etiam alij & demissiores, nisi illi similia brutis mancipia omnino sint, flagrent nimis acriter interdum studio rerum gerendarum: seseque adhibendi in aliquod opus illustrius, suique ingenij periclitandi cupiditatem habeant insitam: nisi quòd amplitudinis splendore illo ad amandum arrepti, cupiunt sese in illa luce constituere, & nobilioris fieri naturæ participes? vegetiore verò qui sunt animo, vt requietem nullam inueniant, vt tanquam œstro quodam exagitati & perciti, Themistocleo exemplo, nihil aliud noctu intellectuque cogitent, quàm quemadmodum queant maiores atq; honoratiores cæteris existere: atq; ardorem animi sui, quem compressum atq; retrusum ferre non possunt, in illustrib. actionibus exponere, ac patefacere: hinc honorum ambitus, hinc magistratuum, hinc omnis opum pecunięq; cupido, suscepta quidem illa primo honesti decoriq; causa, vt in oculis hominum splendidi incedamus, vt aliquid ipsi esse videamur: verùm pòst ob inscitiam veri boni, erroremque ignaræ mentis, ad inanem oculorum ostentationem, improbioresque exaturandas cupiditates, quæsita atque translata: quam nunc quidem sectandæ sapientiæ rationem, frequentiorem nimirum magisq; in populo vsitatam, Phędrus omni sua oratione communiuit. Sed nos qui ex eo genere hominum volumus esse, quod rarius quidem est, verum multò præstantius: quodq; amore diuinæ pulchritudinis incensum, dignitatem sibi pręcipuè proponit: ferturq; omni studio ad illud potiundum bonum, quò naturę ipsius instinctu ferè omnes, certo iudicio sanè quam pauci nouerunt niti. Si Philosophiam nobis ducem adhibemus, quæ se effecturam ampliter pollicetur, vt sine errore vllo, sine offensione, optatum animi nostri valeamus consequi: quis hoc nobis iure ascribet vitio, ac non laudi potius tacet, quòd in cupiditate tanta, nos tamen ita contineamus, vt non impetũ animi, neq; quicquid statim nobis expetendũ occurrere, sed certam consilij & rationis regulam, cuius quidem sola Philosophia magistra est, in dirigendis nostris opinionibus persequamur? Hic Citrarius, Probè loqueris, inquit, & contineamus

mus sanè nos, si modo quod pollicetur, præstare idonea Philo-
phia est, cuius tantam hanc vim iamdudum expecto nobis vt
tefacias. Tempus admonet, inquam, & res ipsa eò iam me voca-
nam adhuc quidem velitati magis inter nos sumus ego atq; Phæ-
drus, quàm iusto prælio congressi. Nunc quoniam legibus iam
& ritu Philosophorum disserendum mihi est, qui captiones ver-
borum excutiunt, nihilq; obscurum neque ambiguum in cetera-
ne esse patiuntur: nomen mihi primò sapientiæ nō definiendum
nunc quidem (alius enim erit magis aptus ad id faciendum lo-
cus) sed in qua ponatur re, peculiariter est indicandum. Etenim
cùm duo sint à veteribus illis verborū & linguæ repertorum fa-
cta vocabula, quæ ad duas res in tota hominis natura multiplici-
stantissimas, significandas valeant, prudentia videlicet & sapien-
tia: equidem non abnuerim horum duorum vocabulorum vim
ab optimis interdum autoribus promiscuè fuisse sumptū: quod
(vt mihi videtur) & sæpius, & liberius facere solet Plato. Aristo-
teles quidem, & prorsus cæteri omnes vbi ad germanas & pro-
prias rerum declarationes fuit veniendum, sic distinxerunt: vt
prudentiam eis rebus humanis præficerent ratione consilioque
gubernandis, quæ in motu & in varietate semper essent, nullam-
que certam haberēt in se, quapropter hoc magis, quàm illo mo-
do euenturum quicquam esset, causam aut necessitatem, quam
illi partem rerum opinabilem omnem vocant, habitumq; animi
illis imperantem & moderantem, prudentiam. Alteram verò par-
tem diuinarum rerum & immutabilium, quarum perpetuus sem-
per & vniusmodi esset status, sapientiæ voluerunt esse subiectam,
vt in ijs cernendis contemplandisque duntaxat, nullo alio mo-
nere, districta sapientia teneretur. Hac diuisionis & nominum
ratione, Græci eos nominauerunt prudentes, qui autoritate in
publicis rebus & consilijs floruere: quæ in illis locis magis valet
nominatio, vbi minus roboris in legibus, & in communibus mo-
ribus minus firmitatis, maior autem vis in subitis populorum so-
tis, quæ sophismata appellant Græci, extitit. Qua de causa plures
Athenis prudentes fuisse memorantur, quàm fuerint Lacedæmo-
ne: quod validæ illic leges Lycurgi, atque firmæ, minus ingenij
loci & callidis consilijs dabant. In rebus autem incertis, & vari-
se habentibus, maximè existere videatur prudentia. Quod etiam
Phædrum nostrum similitudine induxit, vt consiliorum hanc va-
rietatem, mutationemq; actionum sapientiæ ascriberet. Sapien-
tia porrò est, vt ex communi hominum sententia constituatur
hoc nomen, siquidem verborum vsus & significatio à populo, re-
rum autem intelligentia à sapientibus est petenda. Sapientia in-
quam est, ex qua eos etiam, qui huius, quam diximus, prudentiæ
expertes & essent, & haberentur, in astrorum cœlique & rerum il-

larum sublimium ac mirabilium aspectu, contemplationeq; versatos, sapientes nominandos Græcia censuit: cuiusmodi septem illos consensu populorum vocatos fuisse, literis proditum est: prudentem autē Periclem, & eum, qui fluctum Barbariæ è Græcia expulit, Atheniensem Themistoclem: Quā nos eandem sermone nostro patrio rerum nominumque distributionem, acceptam à Græcis, secuti sumus. Quod si ratio quoq; reddenda huius distinctionis sit, nimirum ea esse intelligatur, quæ etiam est in communibus hominū sensibus posita, decreui enim, quoad quidem potero, non difficiles aliquas vobis neque contortas, sed ò medio sumptas, proponere rationes: ad quas percipiendas, non exquisita quadam doctrina, sed parua tantummodo admonitione opus sit. Est hoc igitur in omnium ferè hominum opinionibus insitum, vt vnus sese quisq; ad res gerendas autorem esse idoneum arbitretur: sibiq; persuadeat, si ad lectionem Reipubl. ipse adhibeatur, facilè se & magnitudini rerum, & expectationi hominum satisfacere posse. Itaque nemo est fermè tam imbecillo animo, tamq; abiecto, qui non aliquam partem prudentiæ, sua sibi ipse opinione arroget: vsq; eò quidem, vt in genere illo non facile alteri cedat: & si alium viderit honore atque autoritate in administratione rerum publicarū sibi antecellentem: felicitate quadam, non ingenio, se ab eo putet vinci & superari: qua rursus populari confusaque existimatione, in idem videtur fortuna & prudentia conuenire. Ac de prudentia quidem, vt videtis, sic sentiunt omnes: animiq; habitum hunc communem & vulgarē esse putant, hoc est, in communibus quasi principijs naturæ omnibus hominibus insinuatum & traditum. Sapientiam verò, cuius est nomen positum in altissimis rebus, quarū rerum cognitio à vulgo est longè semota, cuiusmodi cœli illa, & cœlestium rerum indagatio est: illis attribuerunt, qui in sola mentis atq; animi exercitatione versati, res in natura abditas, ad quas populus ne aspirat quidem, inuestigare sunt conati. Itaque sapienti vnusquisque de populo, in facultate illa & cognitione rerum sublimium facilè cedit: prudenti, & perito rerum gerendarū haud ita cedit. Quoniam autem ars ista indagandæ, speculandæq; naturæ in suo munere occupata, curam rerum gerendarum non sæpe admodum appetit, suisque oblectationibus contenta, quas & plurimas semper, & maximas habere solet, in hos populares æstus ambitionum & cupiditatū se ne committit quidem: iccirco & totum sapientiæ studium tanquam inane, atque iners à Phædro conuitijs agitatum est: & priscis item temporibus, sapientes in societate hominum, & rebus publicis inutiles, infructuosique sunt existimati. Ex quo & Thales ab anicula, & Socrates ab Atheniensi populo, Crates quoque, Anaxagoras, Democritus à

ſuis ciuibus iure luſi videntur. His ſic demonſtratis, accedam
propius ad declarandam Philoſophię vim: quæ cùm harum
rum rerum præſtantium & ſingularium, ſapientiæ, prudentiæ
videlicet, ſiue eas facultates quaſdam, ſiue ſcientias, ſiue habi
animi præclares atque diuinos, velimus intelligere, notitiam
adeptionem, ſi ſe ſequi velimus, daturam nobis polliceatur: di
genter inſpiciunda ipſa à nobis eſt, & vndiq; excutienda, an quod
profitetur, præſtare parata ſit. In quo ſenſim tamen nobis & con
ſideratè eſt progrediendum: vt quoniam excelſum faſtigium con
ſtituere volumus, habeant fundamenta ſoliditatem ſtabilem &
vt, quemadmodum cœpimus, ab inſitis in animis noſtris ratio
nibus ducamus exordium, quas in nobis penitus hæreres, ſed
longa forſitan deſuetudine obſcuratas, aliquantũ opus eſt emer
gere, & illuſtrare, quò facilius mentibus noſtris illuceſcãt: agno
ſcimus ſic natura comparatum eſſe, vt omnium rerum, quæ
gnuntur, & fiunt, præſtantior ſemper ſit vſus, quàm cuiuſque
effectio. Exempli cauſa: Fabrica æraria, quæ lebetes, & cacabos,
& labra, vaſaque eiuſmodi plurima efficit, cuidam alteri arti de
ſeruiat, & famuletur, opus eſt, quæ vaſis illis vtatur: ſiue ea ars co
quinaria, ſiue balneatoria ſit, atque vſque eò quidem deſeruiat, vt
ſuum in excudendis illis iudicium ipſa adhibeat nullum, ſed tan
tummodo eius quæ his vſura eſt artis lege ac præſcripto moueatur,
formam enim ab altera arte & modum efficiendi accipit:
neque hoc ſolùm, verum id quoque euenit, vt ſi æneis vaſis, ar
quæ vtatur nulla exiſtat, ne ærariæ quidem fabricæ in natura re
rum ſit locus: tanta eſt vis & potentia ipſius vſus, non ſolum vt
præcipiat, & imperet efficienti arti: ſed in numero etiam rerum
vt illa ſit, tribuat: quod vna in arte demonſtratum, valet idem
in cæteras: Etenim ſi non ſit qui maritimis curſibus vtatur, quæ
ſeſe ars pangendis nauigijs addicet? Et ſi equitandi peritia nulla
ſit, quis frænorum & ephippiorum fuerit artifex? Denique vt in
vnũ omnia comprehendamus, perſpicuè intelligi arbitror: artes
efficientes, earum quæ vtantur nõ ſolum ancillas exiſtere, ſed hoc
ipſum omnino, quod ſunt & in natura locum & partem ipſæ ha
bent, ab illis totum obtinere. Hoc ſimiliter & eodem modo in
natura tota eſt, in qua nihil eſt non ad aliquem actum vſumque
creatum: ſed eſt fortaſſe conſilium naturæ in pleriſq; obſcuritas
reuelemus igitur illud quoad poteſt & proferamus: atque ita, vt
planè queat conſpici. Etenim ſi eſſet aliquid in natura rerum,
quod nihil ageret, neque vllum ſui exhiberet vſum: cùm cauſa
fuiſſet nulla cur gigneretur, ne genitum quidem fuiſſet: Siqui
dem nil abſque cauſa aliqua gignitur: quocirca eſſet id omnino
nihil. Cur quicquam autẽ gignatur, cauſa ea eſt, quæ in fini extre
moque generationis, vel gignenti arti, vel naturæ ipſi eſt propo
ſita:

fra: Vt si dicamus, baccas arborum propter eam causam genitas à natura, vel vt ex illis pastus animantibus sit, vel vt arboribus plantisque ad perpetuandam speciem suæ cuiusque naturæ sit progressus, verè quidem dicamus alterutrum, & vtrumque etiam simul, nam & ad propagandum genus cuiusque suum, & ad animantium vitam sustentandam, fruges & poma à natura creata sunt, sed hic tamen est finis naturæ aliquanto remotior, quod sic intelligi volumus, vt naturæ quidem consilium & procreandi ratio, ad hæc vlteriora extremaque perueniat, labor autem & operatio eiusdem non perueniat: vt enim primùm ad speciem suam quæque res à natura perducta, & naturalem facultatem agendi ex sese, & operandi nacta est: tunc conquiescente ibidem naturæ opere, suaui ipsa, & sua sponte deinde cætera molitur: quod in feris manifestissimè cernimus: hæ enim catulos cum genuerunt: eosque nutricatu, & multa assiduitate confouerunt, vsque ad eum terminum, quoad illi per sese niti, & sibi conquirere vitæ subsidia possint: tum deserunt ac derelinquunt illos, atq; ad alia ipsæ sibi naturalia munera conuertuntur. Ex quo patet, naturam, cùm in quaque re speciem illius rei propriam inuenit atq; insignierit, ad peculiarem aliquam agendi facultatem finisse rem illam & genuisse: quæ si nullum sui vsum præstaret res aut haberet proprium, vel nulla ipsa specie insignita, nusquam etiam locorum existeret, vel illud frustra retineret insigne. Quid ergo referret, esset ne insignita, nécne esset? volo enim per hoc insigne accipi, illud suum cuiusque & singulare, quo differt à cæteris, vtinq; & naturam habet sibi vni congruentem: quòd si nullam ad peculiarem actionem natum sit, quid, aut quale sit, ne cogitari quidem potest. Quemadmodum de materia intelligimus, illa vltima loquor, in quam & intereunt omnia, quæ dilapsa occidunt, & ex eadem cuncta rursus efficiũtur: hæc enim quòd nulla specie propria insignita est, ne sentitur quidem vspiã esse, nullamque suam habet actionem propriam: sed tantummodo efficientibus causis parata est, vt ex ea concrescat aliquid, atque gignatur: vbi verò aliqua iam impressa forma, suum & certum genus in numero rerum accepit, statim ad actiones cõuertitur suæ naturæ proprias, quod omnis est vis, omnis actio, omnis nitendi aliquid, operandique facultas, ex specie cuique rei sua peculiariter insita. Quamobrem, hoc quoque constituto, quicquid creatum & genitum in natura rerum sit, ad aliquem vsum esse genitum, vsumque rei semper effectione potiorem existere, ipsumque in causa esse, cur quæque res & gignatur, & fiat: videamus deinde, inter ipsos vsus num discrimen aliquod sit, & differentia eiusmodi, vt alius alio debeat duci præstantior: quod quidem dupliciter necesse est ita esse: nam & rebus vti nobilitate impari-

bus, ad eandem actionem possumus: vt ad procurationem rei priuatæ & publicæ, vel liberis hominibus, vel seruis: ad militiis, qui aut stipendia multa meruerunt, aut tyronibus: in quo, vsus, sed res adhibita ad vsum, discrimen habet dignitatis & dignitatis: Et sæpe in ipso vsu per sese, cùm res illa, qua vtimur eadem vnaque sit: ea differentia inest, quòd & bene vti & male eadem re possumus: sed quoniam nihil est neque ab arte, neque à natura ad eos fineis effectum, vt peruersè & præposterè in vsu adhibeatur, sed vt aptè & conuenienter: sit, quod paulò antè cebamus vsum rei effectione semper præstantiorem esse, vtile nobis interpretatum, vt de laudabili & recto vsu dictum intelligamus: hoc est enim idipsum, quò contendit natura, & in eum suam omnem positam agnoscit: vt quodcunq; gignitur ad quæque fit, id ad exequendum munus sibi congruens sit procreatum atque factum. Quòd si & rei, qua vtimur, nobilitas, & vsus illi rectus id efficit, vt quæ illo modo aguntur & geruntur, bene, præclarè, sapienter, vtiliter dicantur geri: nulla nobis potest esse præstantior actio, neq; ad naturam vitamq; accommodatior, quàm nobismetipsis, qui in ordine rerum, summum propè & nobilissimum genus sumus, rectè & commodè & conuenienter vti, in quo & naturæ nostræ perfectio maximè inest, & vera vitæ felicitas. Ac nos quidem vocabulis abutimur, si quid fortè pronunciamus in rerum natura se ipso posse vti, nisi quod ratione præditum sit: nam quæ inanimata sunt, nullo modo ipsa se ipsis, sed illis aliis vtuntur: quæ autem vitæ & sensus sunt participia, vt videantur vtentium imaginem quandam habere, vtuntur enim & bucca & frugibus, & latibulis, & semetipsis ad conseruationem sui: lucres, atque feræ: itemque in aquis quæ demersa animantia sunt, suos rerum sibi congruentium vsus habent: non tamen vsus illiusmodi laudem recipiunt, aut vituperationem, propterea quòd non à soluto, & libero animi iudicio, sed tantùm exinstinctu naturæ proficiscuntur. Qua etiam de causa, eodem semper propemodum fiunt modo: non enim visis & imaginibus rerum, quæ occurrunt atque offeruntur, resistere bruta possunt: sed permouentur & cedunt, eoque necessariò feruntur, quò appetitus ea traxerit. At nos, qui rationis dono diuino atque munere à natura ipsa locupletati sumus, non in appetitu potissimùm insistimus, quærentes quid vel delectet duntaxat, vel prosit, quæ duo nobis cum brutis communia sunt: sed sequentes nostræ naturæ diuinum ducem, ad illa expetenda in primis ferimur, quæ sunt ipsorum vel præcipua bona Deorum, vt decus, vt laudem, vt dignitatem, vt amplificationem quandam nostrimet, & quam ex hominibus in Deos conuersionem, potissimùm persequamur: quorum quidem bonorum, neque participes nobiscum illo pa-

to belluæ sunt, & nos in his versando ac proficiendo, id certè assequimur, vt perficienda ac perpolienda natura nostra, cognationem nostram cum Dijs arctiorem faciamus. Proprium igitur naturæ nostræ munus tum maximè obimus ac fungimur, cùm ad ea quæ sunt laudabilia & honesta, vsum nostrimet adhibemus. Et est hic quidem rectus nostri vsus, ad quem tumus facti à natura atque geniti. Sed quoniam ea ipsa ratio, quæ vt tanti boni consequendi facultatem habeamus, vim nobis præbet, eadem etiam de mente nostræ libertatem, & consectandi huius boni, & aspernandi: neque vlla ad alterutrum necessitate nos astringit, iccirco ad veram partem nos dederimus, iure nos insequitur laus, aut vituperatio. Quorum neutrum, si ad alienum præscriptum ageremus omnia nobis esset necesse, ad nos ipsos pertineret: sed eò potius referretur, vnde illa nobis inuecta esset necessitas. Quamobrem vt concludamus, quum in solis nobis iure possit pronuntiari esse, nos esse vnos, quibus conueniat nobis vti, quod soli ex libera voluntate id agamus: sit autem vna quæque res nata ad id agendum quod ipsi est rectissimum: vel in primis confitendum est, nos ad vsum nostri rectum & laudabilem esse natos. Verum vitalis non simplex, neque vniformis, sed in duas partes principes distincta: suos deinde vnius cuiusque partis & varios habet gradus: nō enim in ijs quæ ratione recta geruntur, pulchrum & conueniens in omnibus idem est, sed plurimum interest, vt semper consilio moueamur & ratione, quos fineis tamen tibi proponis & intueare, finium enim diuersitas, differentiam quoque actionum facit: in quo illud accuratè est animaduertendum omnium rerum quæ sint, fiant, atque gerantur, bonum in fine atque in extremo esse positum, quò cùm peruenerit, res quæque conquieuerit. Porrò bonum cùm dicimus, id volumus intelligi, quod cuique naturæ potest esse optimum: siue illud splendidis & magnificis verbis exponendum sit, vt quod pulchrum, decens, honestum, siue commodis & voluptabilibus, vt salutare, iucundum, vtile: sunt enim omnia hæc vocabula cum bono ipso tanta cognatione constricta, vt diuelli non possint. Sed ad nos vt reuertamur. Pulchrum & bonum eorum, quæ recta à nobis ratione geruntur, in fini semper inest. Interest igitur, cuiusmodi sit ipse finis, qui prima, vt dicebamus, diuisione est duplex, quod aut extra nos, aut in nobis ipsis est situs. Etenim cùm quid suscipimus & molimur, si alterius cuiusquam rei extra nos efficiendæ causa id agimus, nō in nobis, sed illa ipsa in re quā affecerimus, bonum omne hærebit, si verò nostra actio nihil spectabit eorum, sed in se ipsa cōuersa, finē suū & vltimū intus cōtinebit: tū erimus nos ipsi quī agimus, totius boni ac decori compotes.

Supe-

Superioris generis artes ferè sunt omnes, quæ in subiecta alia materia, corpore & manu operando versantur, cuiusmodi statuaria est, & ædificatoria: quarum quidem artium & similium caeterarum, facultas omnis & apparatio, non seipsa finita est, sed aliud extra se tendit, & elaborat extremum, in quo suum bonum positum sibi sentit. Quæ verò ex virtute geruntur, & ex quadam moderatione, quoniam se ipsis terminata sunt, sibi ipsi & eo insito fruuntur bono, neque id in alio, quid sit à se diuersum, exponere coguntur, approbat hoc tacito suo, parum quidem in vulgus notato animaduersoque iudicio natura ipsa, quæ in templis & ædificijs magnificè structis, simulachrisque statuæ factis, facit nos, nec opinanteis, oculos mentemque deriget, opusque ipsum intueri, ab eo verò qui fuerit operis artifex mentere, atq; amouere: quod ratione ea sit, quia bonum artis in opere ipso, tanquam in extremo & fini, non in artifice inest. Inscribile autem est, quantopere nos & amore boni natura ardeamus & aspectu delectemur. Itaq; nemo vnquam fuit, qui non bonum Phidiæ multò magis, quàm Phidiam ipsum sit admiratus? at vt actum aliquid est magnanimè, temperatè, prudenter, fortiter, cuiusque hominis talibus actionibus referta vita sit, in quibus præsertim adhibita fuerit constantia, quod nõ subiti animorum impetus, sed liberum consideratum, perpetuumque iudicium factis tribuit dignitatem. Tunc, quoniam bonum omne in eo ipso inhæret, qui sese in his sæpenumero probauit, concursus non fiunt, & spectationes, & admiratio eiusmodi, illa vt dicãtur, Hæcine est Telamon ille, quem spectabant, cuius ob os Græciam obuertebant sua? Themistocles quidem post explicatã maximis è periculis, & suo vnius consilio liberatam Græciam, quum ad Olympia accessisset, ac multitudo, quæ ad ludos frequentissima conuenerat, dimisso certaminum spectaculo, ad eum vnum intuendum conuersa omnis esset, maximum tum se laborum suorum præmium percipere dixit. Et reuera, auersis etiam nobis, & aliud cogitantibus, tacitè insinuat ipsa natura, vt eas potissimum actiones appetamus, quarum splendor & dignitas in autore ipso permanet: non in alio extra opere quopiam est spectanda. Sed quorsum hæc tot & tanta? Nempe huc vt veniremus, quod hoc breuiter comprehendendum est: summã esse hominis præstantiam ac nobilitatem, rectè semetipso vti, ad eos quidem vsus, ex quibus decus, & dignitas, & pulchritudo: non in externa aliqua re, sed in eo ipso, qui vtitur, hæreat & constituta sit. Hoc si aliena lege præscriptoq; gereretur, & ad tenendũ vitæ ordinẽ hunc atq; cursum, sine errore vllo natura sola sufficeret: non esset opinor, causa, quur disciplinã aliquã agendæ vitę quæreremus: principijs enim naturalib. abunde suppeditati, superuacaneis laboribus &

cura

erim non implicaremur. Si verò hoc lumine obscuro atq; occulto, naturæ quidem ipsius instinctu, ad magnas quasdam res appetendas agi stimulari nos sentimus: quæ verò illæ res & cuiusmodi, quóue in loco positæ, & constitutæ sint, propter ignorantiã minimè sæpe animaduertimus: nobisque tanquam in tenebris errabundis, aliud pro alio frequenter accipitur: ex quo offensiones, & peccata, & præcipites lapsus, scopuli denique vitæ penè innumerabiles existunt. Amabo si qua est ars, aut scientia, quæ nobis caliginem hanc ab oculis ereptura, iterúque rectum demonstratura polliceatur, & ad eos fineis nos deducturam, qui maximè è natura sunt, & in queis summa & absolutio vitæ nostræ contineatur: erimne quisquam tam abhorrens ab æquo bono, qui ad hanc vocem ceeludere aureis suas, tantique promissi magistram despicatui ducere, & præterea exagitare contumelijs audeat? Atqui hoc promissum, hoc munus, hoc officium Philosophiæ est: illa que nobis hanc doctrinam pollicetur, vt nobis quam optimè vti, & dirigere actiones nostras sine errore vllo possimus. Quid ergo est? Nihilne hoc vobis videtur: an cæterorum omnium longè maximum? nam reliquis quidem rebus quas vimur, agro, veste, ædibus, equo, mancipio, neque omni tempore illis, & cum eis vnã nobis quoque ipsis vtimur: nostri autem vsus, cùm plurimus vbique est, tum nullo vnquam vel minimo temporis momento intermittit: siue enim laboramus, siue requiescimus, siue rusticamur, siue sumus vrbani, siue publicum agimus rem, siue priuatam, siue cum aliis, siue soli nobiscũ, siue in lectis, siue in ludicris sumus: nulla vnquam est intercapedo temporis, quin assiduè, perpetuò, sine intermissione vlla nobis vtamur: quod, quum in omnem prorsus vitam permanet, atque pertineat, si prauè perperamque agatur, miseram meritò & infelicem necesse est a nobis degi vitam: contraque si bene, ac prudenter, beatam atque felicem. Hoc totum igitur est, quod Philosophia profitetur: daturam se nobis viam & rationem, qua nobis ipsis quam rectissimè vtamur: quod cùm promittit, eidem nobis opera beatam vitam se daturam promittit. Atque hæc est illa vna omnis sapientia, quæ nos similes Deorum immortalium, & eorum vitæ æmulatores esse facit: quæ sola constituit beatam vitam atque confirmat, si nobismet ipsi apte, decorè, commodè, semper vtamur. Quam quidem ad excellentiam cognationemque diuinam, nisi lumen nobis Philosophia præferret, non modò aditum non inuenire, sed ne vestigio quidem vllo duci ad indagandum possemus, ita vt sine sensu hoc gaudium, sine sapore vllo præstantissimæ vitæ, futuri semper mortales, nisi ducem nobis ad viuendum adhibuissemus Philosophiam. Declarat hoc, & magis quidem quam vellem, commu-

nis

nis hominum vita: quæ vulgo ignara suimet, seseq; in vsum quis
admodum adhibere debeat, parum attendens: in tantis versa
errorum, & ignorantiæ tenebris, vt nõ incredibile modò sit, to
tam vim mentis atq; ingenij, quantam in hominibus natura
seruit, cæcamque, & propè amentem aberrare rationem: verùm
etiam miserandum. Quotus enim quisq; est, ex eo genere etiam
hominũ, Phædre, qui sapientiæ illius tuæ præceptis institutus, di
uitias & potestates sibi potissimùm asciscunt: qui quum sibi opi
mè consulere credat, dum bonum illud occulto naturæ instinctu
appetit, cuius formam & faciem propter ignorantiam nescit, nõ
ruat præceps in aliquod dedecus: eosq; æstus animi, atq; agites
contrahat, qui vitam efficiunt amarissimam? Neminem animo
bo, neq; sanè necesse est: obruimur enim exemplorum copia. Sed
certè communis vita vsq; eò veris bonis, & recta viuendi regula,
ac ratione orbata est, vt neq; in cupiditatibus modum, neq; in
uersis secundisue modestiam sciat retinere. Cuius quidem errori
tam latè diffusi, tamq; vniuersi, correctionem, sola Philosophia
pollicetur, si qui reperiantur, qui se illi curandos instituendosq;
permittant. Sit igitur hæc à nobis, tanquam primis ducta lineis
mentis, simplex adhuc, & inchoata Philosophiæ descriptio: est
eam scientiam videlicet, semetipso rectè conuenienterq; vtendi
atq; ita vtẽdi, vt totius hominis vsum, & vniuersam in homine ra
tionẽ ipsa complectatur. Nam cæteræ artes atq; scientiæ, quæ no
minatim alicui certo generi addictæ præfectæq; sunt, & in eo non
versantur, non sunt hominis propriæ vt homo est, sed talis homi
nis, puta geometræ, aut statuarij, aut musici. Philosophia autem
totum illud ipsum quod est homo, perficit, atq; exornat: id pro
rò integrum quiddam est, & vniuersum, è quo ceu fonte ex am
plissimo, deducti riuuli, in singulares deinde: & limitibus certis
circumscriptas diuiduntur artes: in quas singulas tantum de ho
mine ingreditur, quantum de ratione, quod multò quidem con
tractius, angustiusq; est, quàm totus homo, & tota ratio. Quæ
quæ vniuersam rationem scientia perpolit, ea meritò ars artium
nominanda est, & scientia scientiarum. Sed quando primam Phi
losophiæ quasi formã delineauimus, ducendi nunc colores sunt,
singulaq; illustranda: & omnes eius pulchritudines, quæ innumera
rabiles penè sunt, in suo lumine collocandæ. Diximus Philoso
phiam scientiam esse bene & laudabiliter semetipso vtendi: in eo
que munere, si quis id aptè riteq; exequatur, beatam vitam pro
puè contineri diximus. Nunc istud ipsum munus præclarum atq;
eximiũ, quibus ab initiis nascatur, intelligi nobis oportet: nem
pe enim rectum nullius rei vsum tenere possumus, nisi prius co
gnouerimus, quid illa res sit, & quam vim habeat, quasque ad
res agendas a natura sit parata. Itaque primo inceptu, statim ad

præceptum illud reuocamur, quod in foribus Delphici templi inscriptum, quia superius ingenio videbatur esse hominis, vni omnium Deo prudentissimo est attributum: Nos videlicet ipsos ut noscamus. Et nimirum si commodè vti nobis ipsis volumus, ab hac cognitione proficiscamur oportet: quî enim poterimus rectum tenere iter, si neque naturam nostram ipsi, nec quæ naturæ consentanea sunt, percepta habuerimus? Noscendi igitur nobis nosmetipsi, & in id curriculum vitæ inducendi, in quod natura ipsa nos immittit. Quæ sanè nostrûm cognitio, non ab exquisitis & abditis primò rationibus, sed à communi hominum intelligentia petenda est: fit enim postea increbrescente studio, & progredientibus rationibus, vt nostri nobis notio in dies reddatur certior. Quæ ex his quidem in præsentia quæ sunt in promptu, & omnibus patent, explicanda nobis est, in conspectuque ponenda. Perspicuum enim est, idque planè extat, tres esse in hoc inferiore mundo animantium naturas, quorum partim viuunt duntaxat, idque alieno munere, nihil ipsa afferentia ex sese, quam ob rem hoc magis, quàm illud sequi, & appetere velle videantur: quam vitam degunt cuncta ea, quæ tenentur solo infixa, eamque vegetabilem vitam appellamus. Partim iam sensibus prædita, & suum aliquod nacta viuendi iudicium, vim habent à natura insitam discernendi quodcunque oblatum illis fuerit: idque vel appetendi, vel aspernandi, vel insequendi, vel fugiendi. Tertium porrò genus & reliquum est, quod cùm ambo ista contineat in sese, vt & viuat, & sentiat: habet præterea præpositam hisce omnibus, & antecellentem honore, atque imperio, rationem, supra quam nullus iam est vllo ex genere vitam hic degentium, nobilitatis ascensus. Atque hæc tria simul copulauit in genere humano, intexuitque natura. Sed duo hîc animaduertenda sunt, vnum quod patet ex se, manifestumque est, in his tribus scilicet naturæ quasi generibus, quod maximè necessarium ad vitam sit, id cæterorum esse indignissimum, maximeque ignobile: quod iam cum superioribus nostris sermonibus congruit, quibus dignitatem à necessitate nunquam non segregatam esse diximus: & reuera seruum semper est natura id, quod obnoxium necessitati est: liberum enim ius suum nullum id habet, sed ad alienum imperium præstò est semper, nec vllo dignitatis suæ honore censetur: hoc itaque vnum non tam nunc quidem positum à nobis est, quàm à natura omnibus propositum, animam illam quæ vitæ soli sit attributa atque addicta, quam vegetabilem appellamus, in toto animali genere longè subiectissimam atque ignobilissimam esse, infimumq; eam locum obtinere. Alterum verò duorũ, quæ diximus, diligentiùs aliquantò nobis est attendendum: omnem videli-

delicet naturam, quæ non solitaria simpléxue sit, sed ex pluribus quasi rebus conflata consistat, genus habere suum, propriam & generis appellationem, ex illa parte sui, quæ in quaque re eiusmodi princeps sit: quod in coniunctione plurium, vni semper naturæ traditus principatus est. Quod cùm ita sit, & in nobis longè dominetur ratio, principatumque ipsa teneat: quicquid sumus ipsi, totum id accipimus & possidemus è ratione, vt sit ratio illud ipsum planè, quodcunque est homo: Sequitur deinceps, vt distinguamus quæ harum partium cuiusque vis, quæque facultas sit, seorsum primum & per se, deinde in iugatione cum aliis partibus copulatuque exposita: Etenim aliud est, quod unaquæque animæ pars per se singulariter agere nata est: aliud quod in aliarum partium comitatu & coniunctione: quod natura simplicis, simplex est actio: conflatæ, mixtæque coniuncta. Sed de mixtis mox, nunc simplicia illa munia, atque officia singularum animæ partium videamus. Ac illius primum quæ sine cura illa nostra, sine rectione viuit in nobis ac viget, quam vegetabilem animam nominamus, ea enim est qua alimur & sustentamur, & extenuamur, & augescimus, accipimusque habitum hunc, & figuram corporis quæ in nobis est, & fingimur carnibus, ossibus, neruis, cute, sanguine, & ad gignendum quod in eodem genere simile nobis sit, natura proni sumus: cui sunt animæ quædam membra attributa, quæ sine nutu nostro, & confidant, & excitentur, eaque est vna fundamentum & stabilitas animarum reliquarum: quæ nisi adesset, neque sensus in nobis, neque ratio esse posset: & tamen ipsa ita est necessaria, vt sit reliquarum longè infima. Atque hactenus ferè huius animæ pertinet potestas. Illa verò sentiens, quæ aliquo iam cognoscendi iudicio prædita est, vim habet sibi peculiarem videndi, audiendi, tangendi, olfaciendi, gustandi: atque inter hæc sensilia differentias notandi, contrariaque in suo cuiusque sensili genere distinguendi: necnon rerum motus, figuras, magnitudinesque percipiendi, oculis quidem & aspectu quam maximè, sed cæteris quoque sensibus non nihil. Eiusdem est animæ officium, ea quæ sensibus semel comprehensa sunt, etiam posteaquam illa abierint è conspectu, interiore nihilominùs animi facultate quadam, imaginibus repræsentare, & tanquam in thesauro in memoria recondere, aliquantumque ibidem temporis spatium custodire: quod illis formis & imaginibus, ad inquirendum maximè aliquid, & ad decernendum, animalia moueantur. Tertia est ratio peculiaris generis nostri, quæ nullo alio in genere animantium cernitur: per quam nos omnibus mundanis rebus præfecti sumus, cuius munus proprium & primaria facultas est, intueri quidem illud primo, & per se, quod semper idem est, atque eodem modo se habens, quod

necess-

ceſſariò immortale eſt, atq; diuinum, in eoq; tanquam in familiari & cognato genere verſari, veritatisq; ibidem paſci cibo, ſuauiore multò, quàm ambroſiæ & nectaris. Quandoquidem in eis ſolis, quæ ſibi perpetuò conſtant, & vſquequaque immutabilia ſunt, habitat ipſa veritas, eadem in fluxis & continéter labentibus, tanquam ſimulachris & ſimilitudinibus illuditur. Sed ſi ad hæc quoque, quæ non vniuſmodi ſemper ſunt, ipſam conuerti animum oporteat, in iis eius ſit officium præſcribere, ordinare, dirigere, imperare: quod huius naturæ præcellentis ac diuinæ ſibi eſt imperandi, & præcipiendi poteſtas. His ſingularim de vnaquaque partium animæ à nobis ſic expoſitis, veniendũ deinceps eſt ad functiones eas, quæ ex partium coniunctione inter ſe, copulatúque exiſtunt: quarum medius fidius incredibilis eſt multitudo, nec numero ea ſolùm, ſed modis etiam, & conditionibus, multiformis, ac varia. Sed nos genera duntaxat ipſa perſtringemus: ad minutiſſimas partes explicandas non accedemus. Ex parte igitur ſentiente, & vegetante, ambarumq́ue inter ſe iunctione, atque complexu, primùm cura & ſtudium cuſtodiendæ ſaluti, deinde voluptas, moleſtiaque exoritur. De ea voluptate ante loquor, quæ maximè ſentitur in ipſa coniunctione moleſtiæ, vt litientis eſt ideo cum voluptate bibere, quia cum moleſtia ſitis: cuius quidem moleſtiæ ea eſt vis, vt cùm primùm deſenſerit, ſimul item deſinat bibendi delectatio: hoc genus voluptatis nam eſt aliud quoddam purius, atque præſtantius, quod nulla omnino admixtum moleſtia eſt, de quo alio loco fiet mentio: hocinuam mixtæ voluptatis genus, quod etiam vehementius videri ſolet, propter appoſitionem, adiunctionemq́ue contrarij, dicimus ex hac copulatione ſenſibilis & vegetabilis animæ primò naſci, vt in ipſa quidem vegetabili ſitum, fundatumque ſit, ſentiente autem percipiatur & iudicetur. Verùm habet id terminatas in animantibus cæteris varietates, in homine verò ſi rationalis anima huic curæ ſe ſubmiſerit, & ad ſectandas huiuſmodi voluptates ſit conuerſa, crebrius idem multò, & multiplicius factum, innumerabiles illas gignit cupiditates, quas volitare in anima ipſa paſſimq́ue diſcurrere ac tumultuari ſentimus. Hinc ire, hinc reconciliationes in gratiam, hinc amores, hinc odia, hinc libidines, hinc ambitus, hinc ſuſpiciones, obtrectationesque, hinc alacritates, conſternationesque animorum, & quæ quaſi capita omnium huiuſmodi perturbationum ſunt, ſpes, metus, ſeritiæ, dolores. Sed nos his breuiter percurſis, ad illam alteram complexionem, temperationemq́ue rationalis animæ cum reliquis duabus naturis, accedamus. Ex qua quidem copulatione non pauciores profectò quàm ex cæteris effectus proueniunt: ſed alieno hi tamen ſunt genere. Namq; ipſa ratio, quæ ſi pura

sit per se atque simplex, in eo, quod idem semper est, contemp-
do, perpetuò inhęreat, neque sponte se vsquam a diuina illa
iungat veritate, indidem huc euocata, atque huic corpori
inextricabili, quoad in his fuerit locis adstricta, comitatu
tuno sensuum, & cupiditatum, desciscat à semetipsa necesse
ad hæc infirma, instabiliaque consideranda torqueatur: quo
primo obtutu tanquam caligine occæcata atque conaiscens
quæ ex illo illustri æternæ veritatis loco, in tenebras repente
nerit, aduocare sibi cogitur communes quasi administros
& sensuum, per quos item commune opus cum illis vnde
atque exequatur, fidem, opinionem, consilium, cogitationem
quorum fides quidem mentis animique est assensio,
credentis, quæ sine ratione quippiam confirmet: opinio
intus concepta existimatio est, non sine ratione quidem
men infirma ratione subnixa: quæ rem aliquam arbitrantur
esse, aut non esse, aut huiusmodi eam, aut alio modo existere
in his duobus ratio consistit tamen, & requieta est, quod
contenta, quod quoquo modo sibi fuerit oblatum, in illo
altero pari, consilio, cogitationeque, factatur adhuc, posita
est in motu, necdum eò peruecta, quò affectat & tendit: est
consilium, quasi itineris & viæ inuestigatio quædam, conq
tioque adiumentorum, quibus id queamus, quod designatum
consequi, cogitatio verò eiusdem fermè modi est indagatio
rùm non ea efficiendi quidem quippiam, sed tantùm intelligen-
di causa suscepta. Hactenus informata nobis sit, & tanquam
ducta penicillo agnitio nostrimet, quæ etsi propria Philosophi
consideratio est, nō maxima tamen videtur indigere admoni
ne ad spectandum & percipiendum. Nunc hoc rationale anim
quod vocatur homo, tribus ex naturis cohærens atque confi
quod fungi debeat actiones, & singularum naturarum propri
& omniū communes: fungiq; ratione & ordine, si vitam eam
degere, quæ felix & beata sit, tradamus Philosophiæ institu
ac poliendum: vt videamus si dictis eius atque promissis, facta
iam consentiant. Quid promittit illa autem? nempe scientiam
& facultatem homini præbituram, qua is semetipso commode
& ad omnia rectè exhibere se possit. Atqui nihil omnium rem
melius, neq; pręstabilius profectò est, neq; ego solus hoc dico,
tu quoq; Phędre, & quicunq; educti liberalius sunt: nemo
tiùs omnium mortalium tam abiecto animo, tamque infima
sordida conditione vitæ est, quin si diligentiùs consulat semet
psum, & cogitationes suas expendat, hanc huiuscemodi scientiam
omnibus anteponat opibus, atq; fortunis: quippe qui ex ea se affe
cuturū omnia optata sua confidat, & ad suorum votorum summa
peruenturum. Veniat igitur in medium promissum hoc magna

tum, & graue, vt excutiatur à nobis, & consideretur, in quo sic primum ordietur Philosophia. Etenim fingamus sisti illi à nobis & commendari, ac de manu in manum (vt aiunt) tradi hunc eum ipsum, quem cupimus huius tam eximiæ facultatis, & præclari suimet vsus fieri compotem: illa enim, credo, vt primùm aspexerit adolescentem, nostrosque sermones audierit, hac initio statim oratione vtetur: Equidem pręstabo (inquiet) quod pollicita sum, viamq; bene & beatè viuendi sine vllo errore tradam: sed opus est animo non repugnante: quanquam hoc fortasse non satis sit ingenium adsit oportet, & veluti oculi in corpore, sic in mente luminis acies, ad intuendam formam veræ pulchritudinis à natura parata: quam postea ego quocunq; fuerit opus, meo arbitratu dirigam, atque conuertam. Sed quod dixi de non repugnantia, ob eam causam dixi, quòd ferè ad me qui accedunt, afferunt prauas secum è vulgo opiniones, quas nulla nostra ratio potest euellere: aut enim in aliqua populari sententia statuti atque firmati, velut expetendas præcipuè esse opes, honores ambiendos, voluptatem sequendam, ad omnem deinde vocem veritatis obsurdescunt: aut etiam si rationi se prębeant dociles, vno aliquo vitio, nonnunquam etiam pluribus contaminati atque imbuti, permulta secus faciunt, quàm vera illis dicter, ac præcipiat ratio. Ex quo neq; illis magna ex me vtilitas, & mihi grauis ex ipsis calumnia conflatur. Videor enim postea ob hanc præcipuè causam, sapientiam tradere, non rerum, sed verborum: quod tamen secus est: mea enim disciplinæ institutio, ad res potissimùm, & ad facta ipsa spectat: formatrix autem orationis hactenus quoque sum, vt sine fuco & fallaciis, cum optimis eam moribus, & cum præclaris animi cogitationibus velim congruere. Quòd si tu (ita enim prosequetur ad adolescẽtem conuersa) ita ad nos paratus venis, vt te nobis totum sis permissurus, eijcias è te ipso oportet omnem opinionem alienam constantis & firmæ rationis: animumque tuum mihi purum & purgatum præbeas, quo possim ego in eo diuinam illam speciem, quæ à me vna fingitur, atque exprimitur magnanimi viri, & verè præstantis inscribere. Quid respondebit adolescens? primùm pudore credo deijciet oculos: pòst nouis quibusdam ardoris stimulis, ad spem magnarum rerum intrinsecus excitatus, quod de Alcibiade scriptum reliquit Plato, flens sese & salutem suam Philosophiæ commendabit. Sequetur itaque primam illam nostrimet, quam diximus, cognitionem, altera præceptio: vt consideremus attenteq; intueamur, quum trium illarum partiũ, ex quibus constituti sumus, singularum proprij & sui fines sint, in quibus cuiusque earum sit positum bonum: nos ex naturis illis omnibus in vnam rem conflatos, non posse vnius tantùm partis

extremo & fini contentos esse: sed quemadmodum treis an[illegible]
habitus & facultates obtinemus, ita tria nobis habere propo[illegible]
bona, quorum singula partibus singulis, coniunctè autem
mnia vniuersitati ipsi conueniant. Persequamur enimuerò qu[illegible]
cuiusq; partis extremum atque idem bonum sit: quò melius [illegible]
inceps queamus iugum illud, & vinculum totius commun[illegible]
aspicere. Illi igitur parti & animæ inferiori ac ignobiliori, p[illegible]
quam sustentamur, & alimur, ceu finis & vltimum incolumitas
proposita est quæ eadem salus & vita est intelligenda, genus [illegible]
illud boni, quod vtile appellatur, in hoc genere animæ [illegible]
est fundatum: vtile enim potissimum id vocamus, quod [illegible]
tem & incolumitatem vel dandam, vel conseruandam, vel [illegible]
tuendam etiam pertinet, quod inter reliqua bona maxime [illegible]
cessarium est: etenim est cæterorum tanquam solum, fundamen-
tumq; bonorum, quo subducto, atq; sublato, reliqua non [illegible]
tur bona vspiam posse consistere. Atq; huius quidem etiam bo[illegible]
participia illa sunt, quæ omni carent sensu: vt stirpes, arbores [illegible]
& cætera eiusdem modi, quorum est natura in toto animante [illegible]
nere longè subiectior: nihilq; in se continens, nisi quod nec [illegible]
tatis sit: ideoq; honore nullo, nec nobilitate prædita. Altera [illegible]
natura iam sentiens, vimq; & facultatem habens huiusmodi [illegible]
tam, vt affici quodammodo rerum appulsionibus, idq; ipsa [illegible]
tire, ac propterea moueri ad appetendum, vel ad aspernandum [illegible]
possit: cuius finis & proprium bonum intelligitur voluptas [illegible]
enim nisi aliud quid præsit, quod moderetur, & corrigat, [illegible]
vt ad suum summum, summeq; expetitum bonum, sensus ad [illegible]
fruendam rapientur voluptatem. Tertium porrò animæ genus [illegible]
quod rationis particeps, vel ea ipsa potiùs est ratio, cœleste [illegible]
diuinum: cuius præ nobilitate ac præstantia, reliqua genera [illegible]
nullius quodammodo, aut certè ita parui sint momenti, vt ne co[illegible]
paranda quidem sint: finem suum & vltimum propositum [illegible]
habet, si ipsum per se solum spectes, scientiam & veritatem [illegible]
cum reliquis coniunctum, decus atq; honestatem. Est enim [illegible]
nestas, quam eandem dignitatem, decentiam, amplitudinem [illegible]
appellare iure possumus, si acutè inspiciamus, nil aliud profe[illegible]
quàm veritas, cum reliquis aliarum partium finibus, vtilitate [illegible]
delicet, voluptateq; coniuncta. Vt enim luminis natura [illegible]
ipsa per sese, & suo quodam splendore lucida, si illustrandis [illegible]
admisceatur, colores eos excitat, qui varietate & pulchritudine
decentes sunt: Sic veritas adiuncta hominum studiis & affectio-
nibus, cùm in agendo, regendo, communicandoq; expromitur,
illam inprimis gignit, quam ingenuæ mentes tantopere mi[illegible]
tur, conuenientiam rerum omnium, & dignitatem. Atq; his [illegible]
finib. propriis trium partiũ iam cognitis, in quorum vnoquoque

suum cuiq; parti bonũ est: videamus nunc totũ hoc complexum & copulatũ, quod est homo, quos ad fineis à natura directũ sit, & quam vitã agere debeat, quoq; modo semetipsum in vsum sui adhibere, si ad extremũ & vltimum suæ naturæ bonum sit peruenturum. Atq; horum quidem trium, primũ illud Philosophia duntaxat docet: reliqua autẽ duo pręterea etiã tradit. Quid est autem quod doceat? Nempe sicut nos cõiuncti, & temperati ex trib. natura sumus, sic tria illa bona in vnũ miscenda nobis esse, & capiẽda, si beatam, & expletam suis omnib. numeris vitã velimus cõsequi. Quid ais Zeno? Quid nouas verborum contechnationes implicas, quib. nos captare, & illaqueare coneris? Bonum esse quod honestum sit: Assentior, & ex pręstantissimo quidẽ genere confitior esse bonũ: At id solum bonum, prorsus nego: nisi aut vnicum tantummodo bonorum genus in natura rerum sit: quod cuinam quęso queat ꝓbari? cùm omnib. reb. natura & specie inter se plurimum differentibus, suum cuiq; earum in fini atq; extremo sit positum bonũ, quod esse idem diuersorum nõ possit: & ni ita sit, frustra pleraq; creata à natura, & nullos ad fineis effecta intelligantur. Aut si alia quoq; bonorum genera sint, quoniã de hominis bono nominatim nunc quærimus, ex vnica natura nos, hoc est, mente duntaxat & ratione, oporteat esse factos. Atqui alias prætereа naturas in nobis obtinemus: Vbi ergo repentè deserimus illarũ bonum? quod si assequi possimus, intelligamus id certè ad aliquam partem nostri pertinere: Nisi fortè reliquarũ partium bona stare, atq; coniungi cum rationis bono nõ possunt: ꝙ vsq; eò falsum est, vt in illis pręcipuè sibi accommodandis, & cõcordibus secum faciendis, enitescat & elaboret nostra ratio. Sumus ergo ad ista tria bona & appetenda, & consequenda à natura facti: quorũ quidem communio bonorum, in ipsa partiũ nostrarum cõiunctione spectatur. Sic n. debemus exquirere, & cõsectari singula, vt ad communitatem tamen omnia referamus: atq; hic illud peruidendum est, vsq; eò congruere tria hæc inter se bona, & velut conflata esse, vt quanquam vnumquodq; illorum suo, & proprio genere censeatur, societatem tamen cum reliquis generibus, & naturalem quandam intelligatur habere cognationem: nam & quod vtile cui est, id suapte etiã natura conueniens illi est, ac iucundũ: & honestas suam vtilitatem ac iucunditatem secum adiunctam habet: & cum voluptate, quæ è natura sit, sua est vtilitas, conuenientiaq; coniuncta. In quo perspicuè natura contra Stoicorum rationem decernit, illud verè perfectum, & cumulatũ hominis bonũ esse, quod sit ex his trib. in vnum quasi temperatũ, atq; mixtũ. Sed nos cùm suos cuiusq; naturæ fineis appellauimus, illis nominibus singulos indicauimus, quæ præcipuam, & principem in vnaquaq; natura rationem boni declararent, ad quam cę-

tera adiuncta bona pro accessionibus ducerentur: quemadmodum in sequentibus fiet manifestum. Etenim notatis iam, & constitutis finibus ad quos hominis vita, naturaq; contendit, aperiendi dehinc est communis penè cunctorum hominum error: quos ignaros, quatenus quicquam conueniat, illamq; partium in nobis consensionem violantes & distrahentes, stultitia in vita quasi furia quędam, incitat, atq; perturbat: vt neque placati sibi ipsi, neque cum cęteris concordes esse possint: quos cùm ab hoc tanto malo se abducturam Philosophia polliceatur, & in possessionem summi boni inducturam, perspiciamus, quæso prius aliquantum magnitudinem mali: vt quantum deinde illi beneficium debeatur à nobis, meliùs agnoscamus. Etenim si quisquam est, in hac tanta communis vitæ confusio curam aliquam inijciat nostrum, & contemplandi, vnde illa & quibus quasi radicibus exorta, quotidie magis fruticetur, & ingrauescat: is reperiet primùm ignorationem sui in vnoquoque, deinde prauum vsum, qui nec rectus esse ignoranti semetipsum potest, hanc tantam errorum syluam profudisse, per quam exclusa luce veritatis, totum fermè vitæ iter nobis impeditum atq; cæcum factum est. Nam vt fines eos, ad quos natura generati sunt, nequaquam homines mente, & intelligentia comprehendentes, feruntur fortuitò, & temerè: & vt ad vnum aliquod studium, quasi fluctu, delati sunt, ita inhærescunt in eo, cæteraq; nosse & vestigare contemnunt: ex quo statim diuellitur in nobis naturæ illa consensio, maiorq; pars nostri neglecta à nobis inaccurataq; relinquitur: Aut qui plureis fineis tenere constituunt, ignari quid postulet illorum vnusquisque, & quantũ cuiq; tribuendum sit: inepta & dispari compositione, non illos conciliant inter se, sed committunt: ex quo seditiones graues, & pravitas in animis intus excitari necesse est. Ac vt rem exemplis notiorem faciamus, diximus vtilitatem, voluptatem, dignitatem, humanorum esse desideriorum vltima, copulata ipsa inter sese, quando & nos conflati ex triplici natura sumus: vt cuiq; naturæ suum vltimum sit, non illud quidem abiunctum omnino, & separatum à cæteris, sed proprium tamen cuiusque, atq; præcipuum. Quid ergo? Nónne cernimus ex hominum numero nonnullos, qui quam vtilitatem nimis adamauerint, quòd ad eam sunt, aut consuetudine diuturna, aut propinquorum imitatione atq; exemplo, vt æqualium hortationibus adducti, paruam voluptatis eius, quæ alieno ex genere sit, nullam omnino dignitatis ducunt rationem: sed ambo hæc genera reliqua in vna sibi vtilitate constituentes, vni illi seruiunt vitæ, quæ animantibus quoq; reliquis & stirpibus communis est, cuius fundamentum & stabilitas in parte animæ ignobilissima consistit: reliquas verò naturæ partes, deserunt, atque despiciunt. Itaque rei faciundæ maximè addicti & mancipati, nul-

ri, nullum ſordidum neq; turpem iudicant quæſtum, vnde ad vitam vtilitas aliqua perueniat: ex quo infinita in illis quotidie magis pecuniæ cupido adnaſcitur. Atq; hi ſunt, qui ſolliciti ſemper & anxij, minutatim & pauxillatim omnia expendentes, nati eſſe videntur ad omne perferendum dedecus: litigioſi, difficiles, ſcrupoloſi: qui ne irriſi quidem, & ludibrio habiti, animaduertere poſſunt, quam miſera conditione viuant, tantumq; illud pertimeſcunt, ne quid ab iis petatur, aut auferatur: itaque & fugiunt hominum cœtus, & à conſuetudinibus hominum abſtinent, nec audent quicquam facere, aut dicere vnquam fortiter. Hos tu homines eſſe ſtatuas, infimæ illi vitæ, & ignobiliſſimo generi bonorum addictos, ac tanquam ſpongias lapidi, ſic ipſos auro affixos & pectinis? His è regione alij, nulla neq; vitæ, neq; vtilitatis habita ratione, ad voluptatem vnam toti ſunt delati: in eaq; exquirenda vtiq; ac perfruenda, ſummam ſibi vitam conſtituunt: cuius quidem voluptatis, eius nimirum quæ populo & nota & nominata eſt voluptas, regnum in parte naturæ ſentiente conſtitutum eſt: nam ea voluptas eſt, niſi ſentiatur, ſenſuſq; perfundantur & delectentur ea. Et memoria præteritorum, expectatioq; futurorum, quæ ambo in ſolis ſentientibus ſunt, productas tempore & ſpatio, facit ſentiri voluptates, quas ſola inſtantis breuitas temporis animaduerſas & imperceptas tranſire cogeret. Ergo ad voluptatem qui ſunt omni ſtudio conuerſi, cùm genus eius nullum repudiant, nec prætermittant, in eo tamen genere plurimum adhęreſcunt, quod ex ſentiente ac vegetante anima coniunctum eſt: quando id quidem omnium eſt acerrimum, & ad concutiendum totum hominem maximè vehemens: eſt autem id poſitum in eo, vt cum pars illa vitalis & vegetabilis, quæ cæterarũ partium rudis & corpora maximè eſt, defectionem naturæ ſuæ, & maiorem aliquem diſceſſum à temperamento patitur, in quo moleſtia iam inſit, & quaſi naturæ triſtitia quędam non mediocris: ſi ſubleuetur, ad naturamq; reſtituatur, incredibili quadam videatur ſibi perfrui ſuauitate: quod vt in comparatione nigri color albus, ſic in adiunctione moleſtiæ voluptas acrior ſenſibus noſtris appareat. Atq; hæ huiuſmodi in primis plebeiæ & ſordidæ ſunt voluptates, quæ ab hominibus nequam atque ignauis potiſſimùm expetuntur, quarũ vim conditionemq; cunctarum, in vna ſi placet ſpecie, eademq; notiſſima, parumper conſideremus. Eſt enim mos ille vulgaris ſanè, & omnibus notus, quem pſoran Græci vocant, nos vertimus ſcabiem: cùm ſanguis intus biliоſus & aceſcẽs fluxum è cute conatur erumpere, & quacunq; funditur, propter acrimoniam ſtimulis pungit, inficitq; corpus, & inficiendo pruritus mouet, qui ſunt quaſi fermenta quędam & nuncij appropinquantis doloris. Huic malo, & moleſtiæ ſubuenimus ſcalptione

atque vnguibus, vel asperæ rei alicuius fricatione, & attritu
te vobis nunc ante oculos formam atque imaginem huius
entis: videtis ne vt miserè ipse se exerceat, mixtamque ex
te & ex molestia, indignantis simul & lætantis exhibeat
cumque intrare eò digitis planè non possit vbi maximè
& stimulat vis morbi, quemadmodum cutem suam dilacer
cibusque inconcinnis obganniat, anhelitus efflet graues,
randum in modum corpus, vultum, membraque iacter,
torqueat? qualem hunc, quæso, & quo ex genere hominem
statuetis? Atqui talis ferè est, attente si inspexeritis,
vita, qui se potissimum dicant, & dedunt corporis
alij enim in epulis, & ebrietatibus hoc idem efficiunt
gressionibus corporum, turbitudineque libidinum:
iam sitim medicamentis colligunt, vt sit potandi
dam iucunditas: plures sine fame & siti, & sine
cupiditate, sola recordatione suauitatis adducti,
nique inseruiunt: qui semet etiam inuitant ipsi
guenteis: nihilque prorsus præterire eorum
aliquando nouerint afferre delectationem
proprium & præcipuum falsæ atque
malum est: idemque non necessarias
cætera animantia quoquo pacto
lestiis ad appetendas illiusmodi
ræ tamen plerunque finibus
voluptatem, non necessitate
dum) sed ratiocinatione
piditatum, insatiabilis
duorum generum
voluptarij, tanta
vt nulla bestia
veritatis agrestior: nam neque castigatores vllos
rectè suadentibus semper sunt inimici: ipsi verò
iam cæteros, suaque cuique alibi studia, quàm
ptatibus collocanda esse negant, propterea
manu & corpore teneatur, inane id totum,
dicant esse. Sunt alij, nimis cupidi illi quidem,
tum, sed tamen in eo vitio aliquanto leniores,
tissimum eas consectantur, quæ sensuum
magnam habent cum illa corporea parte
vt qui musicis & cantibus assiduè
cum, & fidium, & tibiarum cantu
rapiuntur in omnem cupiditatem,
rum, argenti vestisque stragulæ,
tarum studio propè infinito

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

fertas habeant atque exornatas, vt nihil festiuius, neque concinnius ne cogitari quidem possit. Sunt etiam qui odoribus præter modum delectentur, & eorum innumerabilem vndique conquirant varietatem. In queis tribus sensuum voluptariis generibus, luxuria præcipuè ea inest, quæ etsi libero homine putatur esse diquior, frangendis tamen & viri, & virtutis neruis, vim permagnã habet. Restat vt de genere illo tertio & præcellẽte dicamus, quod à peculiari suo solùm munere fungatur, & in vna contemplatione veritatis positum ad reliquas partes aspectum nullum referat: homines efficiet squallenteis & mœstos, nil ferè habentes cum humanitate commercij: & ad omnia quæ occurrerint quasi obstupescentes. Sin autem cum sensibus sociatum atque iunctũ, illis vt ministret, & subseruiat, adductum fuerit: eo maximè adnitetur, vt popularem gloriam, & potentiam in primis assequatur: vnique aliquam vehementiorem nactum, vrbes, populos, regna sæpenumero euertet. Sin autem animo fuerit infirmiore, & tenuioribus opibus, ad illa conuertetur, vt nimio vestitu cultuque corporis, aut alio quodam ostentationis artificio, cogat se spectari. Sed quid ago? sanùs ne sum, qui tantam errorum molem quantam omnis vita fert, euoluere me posse atque explicare sim ratus? Hic Citrarius, Imo fecisti tu planè operæ pretium, inquit, qui ista nobis ante oculos adduxisti, ex quibus facilè deinde sit ad reliqua coniectura accedere: Video n. iam planè, & cum animo meo cogitans intueor: non hos solum, qui in vnius partis fini præcipuè insistunt, sed istos etiã qui cunctarũ fines partiũ, atq; extrema consectantur, nisi apto cõmensu quodã, & bene exanimata ratione id faciant, inæqualem eos, & confragosam vitam ducere conficiq; semper solicitudinibus & molestijs: vt non minutissimis corpusculis Democritium inane, quàm huiusmodi dissidijs & conflictationibus animorum, refertior vita sit: quibus quidem rebus lumen afferri, atq; ordinem, præclarissimam rem esse, intelligere mihi videor: si tamen hoc præstari à Philosophia ipsa possit. Atqui, inquam, pollicetur illa hoc quidem: Sed illud quoq; Citrari, intelligere te puto, ordinem istum, atque lumen, de quo narras, sine cognitione certa earum rerum, ad quas adhibituri nosmetipsos sumus, haberi planè non posse. Quid ni intelligam? inquit: an quisquam rerum earum, quas minimè nouit, prudens director esse potest? Quid si, inquam, homo eiusmodi est, vt si se totum præstaturus sit, cuius rei disciplinam, vt antea diximus, Philosophia profitetur, omnia illa intelligat, & noscat necesse est: quibus cum, commercio, aut vsu, aut cognatione aliqua est implicatus, num tibi videbitur quicquam in rerum natura penè esse, quod non illi cognitum, & perceptum esse debeat? Vix videor hoc posse inficiari, inquit. Atqui confiteare hoc quidem

necesse est: omnia enim prorsus illi noscenda, & comprehenden-
da sunt: veruntamen modo quodam singulari atq; suo. Est enim
duplex rerum cognitio: Altera, quæ in partibus explicat se, atq;
dispertit: Altera, quæ in genere summo, atq; vniuerso est collecta.
Primam illam artes & opificia, & circunscriptæ terminis limi-
busq; scientiæ: secundam verò cognitionem Philosophia sola
complectitur: atq; vt dicebamus, talem præstare hominem, aut
talem, huius esse, vel illius artis: ipsum autem hominem præstare
quicquid ipse est, proprium esse Philosophiæ. Idem dicimus nunc
in cognitione talem esse rem, aut tantam, aut huiusmodi ac sci-
entias artesq; peculiares: id autem ipsum simpliciter, quod res
quæq; est, ad Philosophiam vnam vt cognoscat, pertinere. Quid
est ergo quod vehementius homines in errorem inducat & fron-
dem, quàm inferioribus niti notionibus, superiores autem illas
& primas non tenere? Vt puta, diuitias sibi bonum arbitrari, cùm
quid bonum sit, & quæ sit eius rei vis ac natura, in vniuersum non
intelligatur. In quo quidē vno principe bono atq; summo, eius-
que cognitione & scientia, omnium deinde bonorū, quæ ex illo
effluunt, posita & collocata est veritas. An tu alium fontem bo-
norum vllum & noscendorum & tenendorum existimas esse, quā
veritatem? Veritas est lumen illud atq; ordo, quem modo adhibe-
ri rebus aiebas oportere. Quod cùm animi oculus cognitione,
intelligentiaq; comprehenderit, idq; & actionibus suis propone-
re, & præferre sibi ipse cœperit: tum tutò vestigia ponere, tum
vanos illos terrores, inanesq; blanditias falsarum opinionum,
quæ totam improuidam vitam perturbant, deprehendere, atq;
discutere, & se in arce veri boni poterit constituere: Veritas enim
est, quæ instruit nos & docet, quid quæque res, quantiq; sit, &
quantum eadem nobis conferat ad viuendum. Veritas est, quæ
nos nostrimet gnaros & prudentes esse facit: nec solum primam
illam & inchoatam, quam suprà diximus, sed absolutam, & inte-
gram nobis dat nostrum cognitionem. Veritas, cùm res nobis-
cum, nosq; cum ipsis rebus comparat, atque componit, modum
ipsa vna & dimensum illum tradit, per quem res nobis, nosque-
met rebus ipsis ita applicamus, & adiungimus, vt neque obrui-
mur nimia copia earum, neque remaneamus ipsi vspiam ina-
nes. Quid est, quod verorum bonorum & intelligentiam mon-
strat nobis, & adipiscendorum tradit facultatem? Quid nos ipsa
via & explorato itinere ad optatos fineis ducit? Quid potissimum
facit, vt sine metu, & sine pœnitentia rectis consilijs vsi, pacta-
tam, ac iucundam traducamus vitam? Nimirum omnium hu-
iusmodi bonorum, & aliorum etiam maiorum ac præstantio-
rum, quæ à notione vulgi magis remota sunt, origo nobis,
& caput, & stabilimentum, est ipsa veritas. Vt ambulare in te-

nebris

nebris sine lumine, sic periculosum, & præceps est peragrare, & conficere vitæ viam sine veritate: & mehercule, si alterutrum è mundo tollendum sit, multò minore incommodo diurno sidere, quàm veritatis luce careamus. Quis enim falso bono potiri voluit aliquando: aut quis vnquam extitit, qui duros, & graueis in vita cum exantlasset labores, eo ad extremum præmio contentus esse posset, quod inanis & falsa vtilitas attulisset? Quapropter, Phædre, cùm sapientiæ omne iudicium ad multitudinis opinionem contulisti, haccine spreuisti Philosophiæ vocem, quæ veritatis studium primarium esse omnibus vult: rectasque etiam opiniones, si quæ aliquando absque certa veritatis cognitione existunt, cæcis comparat, casu rectum iter insistentibus? an est quod proferri indignius possit, quàm sapientiã nescire se ipsam, sed tantummodo quadam opinione de se niti? Quis hoc è vulgo infimus homo non facit? Ergo satis erit nobis, non quidem scire beatè viuere nos, sed solum opinari viuere nos beatè. Quot multos enimuero hominum, quotidie ista opinio decipit? Non est hac opinione contenta, non in hoc nostra conquiescit Philosophia. Scire nos id ipsum ac nosse apprimè vult. Itaque tradit vias noscendi, & intelligendi, neque beatam vitam, nisi scienter illa animaduertatur, & agnoscatur, vllius nobis ad iucunditatem animi, esse momenti putat: non plus quidem, quàm stipiti aut arbori, quæ ramis pomisque insigniter adornata, suam ipsa vtiditatem feracitatemque non attendat. Quod si veritas quoque desinienda est, & tanta res tam paucis in conspectu quasi ponenda: Dicimus, veritatem aliam in ipsis rebus inesse, aliam autem in nobis. In rebus veritas est, primum illud ipsum, quod quæque per se res est, quod tantum habet vnaquæque res de natura, quantum habet de veritate. Deinde, si rerum ipsarum inter se consensio & concordia, quum responsus quidam in his fit, aptaque compositio, secunda quodam modo naturæ veritas est, otta illa quidem ex superiore illa, & simplice: sed nobis, qui ab humilioribus scandendo ad alta nos attollimus, anterior & primò obuia. Ad has porrò naturæ percipiendas veritates, cùm se applicat nostra intellectio, ad easque sese componit, atque exæquat, tunc naturalis illa veritas, tanquam in speculo, relucens in anima nostra, imaginem diuinæ nobilitatis in nobis constituit, si & noscamus opera, atque consilia præpotentis Dei, & quoad homini licitum est, in consilijs item nostris illa imitemur. Ac vt præclaro hoc ab auspicio, & veritatis tanquam fundamento, proficiscamur ad reliqua: percipiendum vobis illud est, trinas illas in nobis facultates animæ atque partes, ex quibus nostra omnis natura compacta sit, non posse ritè præstare commune omnibus munus, nisi in suo quæque peculiari munere

priua-

priuatim prius instructa & erudita sit: quod in illa infima pa
statim sit manifestum: ea enim sola à cæteris partibus abun
opus tueri suum potest: in sensibus quidem, quis non videat, n
posse hoc albū atrumue, quod ad functiones vitæ pertinet,
peti aut virari: nisi prius atrum cognoscatur, atq; album? Qu
quam de cæteris minus negotij fortasse sit, ratio quidem nostr
quæ illud ipsum est, quod sumus nos, domina & rectrix humanæ
vitæ, per quam habemus atque obtinemus, non quod vnam
duntaxat (id enim potuit vegetabilis pars, quæ infimi generis
muneris est, præstare) neque verò etiam illud, quod cum vo
ptate & suauitate viuimus. Est enim sensilis in nobis facultas in
primis hęc oblectatio: Sed quod decoram, & splendidam, & cum
dignitate agimus vitam, præcipuum est in communitate rationis
munus, atque officium. Hæc igitur inquam ratio, nosse ipsa, qua
& apprimè tenere debet, quid pulchrum sit, quid honestum, quid
splendidum, antequam illud in commercium reliquarum par
tium deferat. Et denique princeps omnis veritas rerum illi perc
pienda est, antequam eam exprimat, ac referat in vitæ usum
num. Quæ cùm totam ratio vitam hominis contineat, partesque
illi cæteræ pareant, eamque consequantur: nimirum de ea nobis
potissimum sermo habendus est, vt videamus primum, quæ sit
illi vsus suimet per semetipsam & separatim à reliquis sit, deinde
qui in reliquarum partium comitatu & coniunctione. Quod his
duobus ritè expositis, cunctam vim Philosophiæ, vt opinor, ex
plicatam, & perspicuam habituri sumus. Est igitur rationis, cuius
nomen à rato deductum est, discernere ea, quæ rata esse debeant,
hoc est, vera, firma, constantia: quam facultatem profectò in
mortalibus & fluxis reperire ipsa nequit. Quocirca ad ea conuer
tat se, & cōferat oportet, quæ sunt perpetua & immortalia, quod
si etiam in his, quæ gignuntur passim, & intereunt, aliqua magis
existeret perpetuitatis, qualis fortasse in ipsis generibus inest,
quorum vniuersum semper permanet, individua quoridie dilu
buntur: in optima tamē & constantissima parte naturæ illa quæ
renda est, vt vbi maximè lucet, ibi potissimum veritas exquiratur.
Est enim eiusdem scientiæ & facultatis, cùm tractare de re, quæ
cunque illi res subiecta sit facultati, tum de ea summa absolu
simaque tractare. Quum igitur peculiare officium rationis sit,
indagare veritatem, in diuinis autem & sempiternis maximè ex
stat veritas, diuinorum indagatio in primis rationi est propo
Hic me recens ista academia non permouet, quæ percipi & com
prehendi negat posse veritatem. Neque enim illi ne istud quidem
ipsum esse perceptum potest. Non est omnino de singulis argu
mentandi locus. Tantùm contrà dico, si ita res se habeat, quem
admodum autumat illa, & perstrepit, frustra & in nobis, & in na
tura

tura ipsa factam & constitutam esse rationem. Vt enim supra demonstratum, quod vsum sui nullum habet, id non modò fruitra est, sed neque vllo pacto esse potest omnino. Vt si intellectio non sit, ne ratio quidem existat, cuius officium quum sit intelligere, solum autem quod verum est id intelligatur: adempta veritate intelligendi, funditus tollitur è natura, & exterminatur ratio, cui conclusioni constanti & firmæ, quam multa incommoda, absurdaque sequantur, profecto intelligitis. Sunt alij agrestes, negantes vtilem homini esse diuinorum cognitionem: quos patet nullam vtilitatem agnoscere, præter eam, quæ tactu & corpore percipiatur. At ea maximè bruta, & aspernabilis præditorum animis iudicatur vtilitas. Sed vt redeamus, vnde digressi sumus: Ratio semetipsa volens vti, & seiunctim exequi munus sibi intendæ veritatis, sensuum quidem adminiculo primum vtitur est: initium enim illi primum animaduertendi, deinde pertractandi, ac paulatim altius erigendi se, atque attollendi à sensibus factum est: ex admiratione enim eorum, quæ in natura sensili maximè spectabilia sunt, primùm orta esse dicitur Philosophia: post verò vbi satis his instructa & adminiculata ratio esse cepit, cum ad principes naturæ causas, illasque generales notitias rerum que rationes inuestigandas se datura esset, ne simulachris sensilibus distraheretur, quæ varia & multiformia, sæpeque inter se repugnantia, mentem cogitationemque obturbant, necesse habuit subsidio sibi aduocare artes alias quasdam, tanquam priores exercitationes suimet: quarum vsu tractationeq; assuefacta, posset paulatim extollere se, atque eminere, vt Arithmeticam, omnemque Mathematicam cognitionem: cuius ea vis est, eaque exercitatio, vt mentibus nostris rerum in corporibus ia-centium, atque insitarum, naturam, speciemque proponat, sine vlla corporis mixtione. In primis autem & maximè adsciuit Dialecticam, quæ ars nulli nominatim rei naturæue præfecta: ipsas tantummodo ratiocinationes per sese, & mentis quasi ex vno in aliud transitiones ac peragrationes, metiri, & perpendere, & æstimare nata est: quæ cui videlicet ratiocinationi ratiocinatio conueniat, aptaque sit: quam quæ antecedat, aut consequatur: quid sit repugnans in illis, & ambiguum: quid distinctum, & illustre, quæue plurium inter se ratiocinationum contexio, aut etiam disparatio: & quarundam insociabilitas, aliarum ita arctè hærens connexio, vt diuelli nō possit: his enim ipsa ratio in se prius examinatis, ac perpensis, vbi vires suas domi iam perspexit, explorataq; habere cœpit, tum demum sic egredi in aciem, & ad contemplationem naturæ tutò ausa est accedere. Ac primo quidem ortu Philosophiæ antiquitus (sicut monumentis literarum est mandatum) ex rerum illa cœlestium aspectu excitata ad cupiditatem

tatem cognoscendi, cùm Solis & Lunæ, errantiumque sydera
nec non eorum quæ semper cœlo inhærent, motus, formas, pro-
chritudinesque spectasset, vicissitudinesque notasset anniuersa-
rias, & cum admiratione maxima tantarum descriptiones rerum
contemplata esset, ex ratis ordinibus eorum, perpetuisque cursi-
bus, eadem semper interualla lege certa seruantibus, suspicari
cœpit, esse autorem & principem huic mundo quendam, cuius
imperio & nutu mouerentur cuncta, & regerentur: Neque sola
hac suspicione contenta, ad peruestigandum se dedit, si quid pos-
set de eo firmi, certique concipere. Amoto igitur oculorum ha-
suumque adminiculo, ipsum motum in sese, ipsumque tempus, &
quæ horum duorum considerationi adiuncta sunt, infinitatem
diuisionum, æternitatem seculorum, diuersitatem naturarum,
inquirere est conata: quumq; videret nil tam cognatum esse ea-
que naturæ, quàm motum proprium illi & congruentem, quod
in eo primum natura rei cuiusque ostenditur: perspicere cœpit,
ex dissimilitudine naturalium motuum, dissimiles item rerum
naturas indicari: itaq; cœlum propterea ex alio genere esse intel-
lexit: atq; ista inferiora corpora sunt quatuor, quæ generationi
suppeditant: quòd illud orbiculari motu deferatur: ipsa hæc re-
cto. Et cùm orbicularis motus perpetuus esse possit, rectus autem
nequaquam: distincta à terrenis cœlestia mortalitate esse, & im-
mortalitate intellexit. Porrò autem cùm motus omnis aliquid
quærat, quod non habet in se: idque cupiat assequi, ex quo omne
quicquid moueatur, haud planè perfectum nec cumulatè omni
bono esse intelligatur: ipsum autorem & principem vniuersi, vn-
de omnis ista tantarum rerum, motuumque descriptio ortum at-
que ordinem suum obtinet, vnum & sempiternum, eundemque
præpotentem & prorsus immutabilem necessario esse cognouit.
Ad quem intelligendum, riteque comprehendendum, quando
quidem sine eo nec veritatis, nec ordinis, nec cõuenientiæ vllius,
ipsiusque decori notio vlla firma & stabilis haberi potest: quum
in primis vocet nos, & acuat Philosophia: vtinam eo tam facile
aspirare possent mentes nostræ quàm nos id auemus, & cum ar-
dore maximo expetimus. Sed si minus nominatim & directè, al-
qua tamen circuitione, & exemplo, informanda nobis nunc est
præclara hæc, & admirabilis Dei summi cognitio: cuius similitu-
dinem in ea re capiemus, quæ sensibus nostris vna omnium ma-
ximè aperta patensq; est. Siquidem hoc Sole, qui fons diuini lu-
minis est, nihil nec cogitari potest illustrius. Quoniam autem
sicut omnis cognitio mente atq; intelligentia nobis est compre-
hendenda: sic sensuum quendam habemus, qui simili ferè modo
naturã luminis percipiat: noscenda huius ipsius sensus vis, actio-
que est, vt eam deinceps cum mente & actionibus mentis com-

parauimus. Nam quum omnium sensuum facultas, ad ea quæ cuiq; sensui subiecta sunt, percipienda, nata sit in omnibus reliquis satis est adesse subiectam rem vt sentiatur: in oculo & visione non est satis: tertiam enim quandam naturam adesse oportet, & eam quidem multo præstantiorem, splendoris, luminisque videlicet, quæ ad hanc rem eam ipsam facta, creataque est, vt visioni ipsa sit instrumento: tantò fabricator ille cunctorum sensuum Deus, vim videndi cæteris pretiosiorem finxit: iugauit enim facultatem & videntis rei & visæ, vt ad videndi actum veniri posset splendidissimo naturæ genere: nisi fortè vile & abiectum est in natura quod dominamus lumen. At qui huius tam ampli, tamq; præclari muneris, quod lucere est: itemque eius, quod effluit, manatque ex illo, quod est cernere, atque cerni, vnum in cœlo dominum autoremque agnoscimus, per quem optimè ista, perfectissimeque sunt: quem nuncupamus Solem: nempe quia solus cœlum atque terras lumine suo compleat: reliquaque ab eodem astra mutuum lucè eam, quam possident: porrò oculus ad Solem, tanquam ad suum bonum natura est conuersus: non quòd oculus quidem nec quòd ipsa visio efficiantur Sol: sed quia sensus his vnus maximè est solaris, visq; ea omnis, quæ ad videndum sit, ex hoc fonte tota hauriatur, & perfluat, vsq; eò quidem, vt & quòd inueniatur Solem eum ipsum, & quòd præterea reliqua cernere omnia possumus, totum ab illo cœlesti lumine teneamus. Hunc igitur ipsum Solem, diuinæ illi essentiæ & vnitati, quæ cunctorũ summa, & princeps causa est, fonsque bonorum omnium, & veram ipsa solumque suapte vi bonum, imagine quadam comparauimus, similemque ostendimus: vt eodem modo illa in intelligibili loco: Sic enim conuertimus, quod Græci τοητὸν. Et sanè necesse est, fidentius vti verbis in summis rebus explicandis, & declarandis: quod etiam modo factum à nobis est, cùm essentiæ nomen, Græco nomini, quod οὐσία est, Latinum reddidimus: faciemusq; in eo quoque, si necesse fuerit, vt verbum infinitum, sine persona & tempore, nominis loco ponamus: quod cùm Græcis ipsis per quam vsitatum sit, videtur quoq; nobis interdum esse concedendum. Sed vt dicere cœperamus, ita illa alta & longè eminens rerum omnium ratio intelligibili in loco, ad mentem habet se, & ad ea, quæ mente percipiuntur, quemadmodum in hoc visibili sol sese habet ad oculum, & ad ea quæ oculis comprehendimus: oculi enim si ad eas intuendas res conuersi sint, quarum colores non diurnum fidus, sed nocturnæ luces offundant, hebescunt quodammodo, & retunduntur: similesque sunt cæcutientium, & hallucinantium oculis, ea re quidem, quòd pura ipsi visione minimè tunc fruuntur: Si verò eò se conuertant & intendant, qua sol illustrat: tum & clarè, liquidoque

doque cernunt, & eadem quoque claritas in eis ipsis inest. Ig
in anima eadem proportione est noscenda ratio, atque attende
da: Dum enim anima ad id percipiendum intendit se & adhi
tur, in quo veritas & ipsum esse è regione refulget: quod est
lux à Sole, sic istud ex Deo intelligibile quasi lumen: intelligi
planè atque noscit, mentemque sibi ipsa habere in se & possess
tum videtur. Cùm verò eò se cõuertit, vbi tenebræ admixtæ sun
in id quod generatur scilicet, & quod corrumpitur, quodque d
mulatis & fictis obtunditur imaginibus: tunc hallucinatur m
mirum, & quasi somniat: variisque vltro ac citro iactatur om
nibus, mentis sibi ipsa, ac intelligentiæ videtur inops. Hoc
summè præcellens ac diuinum, quod & rebus cognitis præsto
ritatem, & cognoscentibus vim cognoscendi: caput ipsum
ræ totius, & absolutissimam speciem omnis boni, in sola
bis similitudine propinqua, repræsentari cernimus: quod ita
omnis scientiæ & veritatis est causa: veritatis, inquam, in ma
quidem factis, quatenus illas vt sint facit: nostra autem ani
ma, quatenus eam lumine illo intelligibili, & ex sese, & extra
essentijs ab eodem ipso manantibus, informat, atq; illustrat: qu
quidem ex veritate generatur scientia, quæ est rerum eodem mo
do semper se habentium firma mentis intelligentiæque compre
hensio. Sed vt in natura visili, oculum & lucem, solares quam
virtutes, & facultates conuenit appellare: Solem autem nequa
quam, quod Sol vtrisque his multo præstantius quiddam, atque
eminentius in sese habeat: sic in intelligibili genere, scientiam &
veritatem, res nimirum bonas atque diuinas, non tamen Deum
ipsum atque illud supremum bonum existimare debemus: quip
pe quod admirabili quodam interuallo virtutis, amplitudinis
potestatis, his omnibus antecellat: magnificentiusque multo
sit, quàm vt veritatis, & scientiæ finibus possit includi. Atque v
pergamus etiam ad vlteriora, in eadem tamen similitudine ma
nentes, Sicut Sol ijs, quæ cernuntur, nõ solum facultatem ista
præbet, vt queant cerni, sed generationem etiam, & accremen
tum suppeditat, & educationem: quod horum omnium gene
rebus atque alitis, Sol causa est, neque ipse tamen vlpiam ell
neratio: sic his quæ cognoscuntur & intelliguntur, non hoc so
tum ab summo adest naturæ bono, vt intelligantur, sed vt sint
etiam, atque existant, & vt suam quodque illorum obtineat e
sentiam. Sed vt aliquando abeamus à similitudinis compara
ne, quam præsertim vel leuiter indicasse affatim vobis sit, eu
hoc munus esse menti nostræ peculiari ipsius officio attributu
vt in intelligibili percipiendo genere, & inquisitione veritatis
exerceat: quam si in æternis, & sibi semper constantibus nõ pe
spexerit, neque in illis veritati familiarem se effecerit: ne illa m

his va
permu
iuſtitia
bus effi
animo
heri ſe &
tanquã
ſſorum
ns qui
ac popu
ſemeo
quæ ver
ſiam vi
improu
viſibus
tam
mus,
ſimant
propte
dinem
tio ip
primu
accelle
dirigen
Sed cu
quibu
& cum
eruſce
verò
in pra
ratio
ſum
eſt illi
ſtaq
rum
rare:
quand
tuem,
bonum
mum
quinq
ſtatem
ge
ſtatis,
ſentiæ
ſtatis,
ſentiæ
ſtatis,
ſentiæ

his varijsque semper & diffluentibus, nunquamque in eodem permanentibus statu, frustra venari illam, & indagare conabitur: infirmisque semper nutabit assensionibus, & ambiguis opinionibus fluctuabitur: viam vitæ certè nullam vnquam inibit, qua æquo animo usque ad extremum patiatur se deduci: sed reuocabit crebrò & retexet, sæpeque in pœnitentias graueis, & mœrores, tanquam in scopulos saxaque delata, faciet veterum suorum consiliorum naufragium. Quod in illis magnis & præpotentibus viris qui in hac vrbe & Rep. quondam, alijsque item in ciuitatibus ac populis, autoritate & gloria rerum gestarum florere visi sunt, semè omnibus contigit. Sed vt sint, qui hanc præcipuæ summæque veritatis absolutam notionem ad cõmunem hanc peragendam vitam haud ita multum esse necessariam putent, in quo etsi imprudentia labuntur, habent tamen paratam ex hominũ quotidianis moribus & studijs erroris sui defensionem. Nos qui veram hominis præstantiam ac dignitatem è Philosophia quærimus, summamque ex ea bonum nitimur consequi, si rerum altissimarum cognitione nos esse instructos volumus, num sumus propterea iure reprehendendi? Atqui dicimus planè, sine ijs, ordinem rectè viuendi teneri nullo modo posse: nisi enim prius ratio ipsa explicuerit semet, totamque perspexerit, & domestica sui primum, deinde; secum veritatis scientia erudita, tum demum accesserit ad considerandum hæc humana, eaque tractandum ac dirigendum, ars benè viuendi perpetuo constare nulla poterit. Sed cum rerum earum, quæ in mundo & natura sunt, causarumq; quibus illæ effectæ in lucem prodierunt, indagationem omnium & earum cognoscendi Philosophia profiteatur, singularum est explicatio in suis libris atq; locis, cùm ab autoribus cæteris, tum verò in primis ab Aristotele petenda, non enim propositum est in præsentia singulas res persequi. Illud propositum, vt quoniam ratio nostra nõ ad intelligendum solùm, quod ipsa per se & seorsum facit, verum etiam ad agendum atque imperandum, quod est illi in communitate cum cæteris partium officium genita factaque est: illud ipsum, in principe & moderatore omnium rerum Deo, consideret prius, & intueatur, quod regere est & imperare: vt illius deinde exemplo, & imitatione erudita, diuinam quandam illinc magnificentiam, & administrandis rebus facilitatem, ad hæc humana & inferiora transferat: quod est totum illorum actionum, quæ positæ in concilijs sunt, non in operibus manu factis: quarum quidem actionum splendor omnis, & pulchritudo hæret in ipso homine, penitusque insita est. Etsi enim extra hoc, totusque iste mundi ornatus, pulchritudine & decore clarissimus sit, diuinique ordinis conuenientiam & venustatem, cum admirabilitate maxima, mortalibus oculis ostendat:

vt quod vndiq; effulgeat pulcherrimorum luminum diffusi
ne & copia, cursibusque propè immensis, & non enarrabili
torqueatur, vsq; eò quidem, vt satiari mentes humanæ non q
ant spectando illud, atq; mirando: tamen pulchriora multò i
& magnificentioraDei consilia, quib. editũ id in natura, & c
modi factum est. Videndum est igitur hoc consilium, & tan
gubernationis ratio est noscenda, quò nos, qui participes e
diuinitatis cupimus, ad rationem eandem deinde, similq; co
silium, nostra & cogitata & acta accommodemus. Nec ens
bium esse potest, quin decor, & dignitas, & pulchritudo in
mo Deo, omnibus rebus ortum causamq; præbuerit. Illa
pulchritudinis, maximè conciliare amorem, appetitumq; e
re cõgrediendi, & potiundi: quo quidem appetitu ex illa
cie honestissima in natura excitato, cũctus iste mundi, & omn
omnium apparatus, ad conquirendum Deum, vt suum bon
se erexit. Pulchrum porrò est, quod semetipso decens est, & co
modum, atq; vtile cæteris. De illa pulchritudine nunc loqu
quæ mente intelligentiaq; comprehenditur, cuius vmbra e
dam fert, hæc quæ in corporibus descripta est pulchritudo, ta
tam ipsa quoq; vim possidens, vt non absurdè de illo rege vide
tur dictum, speciem primùm dignam esse imperio. Sed vt a
pulchrum princeps, illud quod est rationis, & intelligentiæ
deamus. Nemo vnquam veriorem, digniorem, appositiorem pu
chri ac decori speciem rationêmve expresserit, quàm hanc qua
sit in eo, quod est prodesse cæteris, sibi sufficere, & conuenire
esse, quod vtrunq; in pulchro inesse est necessarium. Nam vt a
corporum formis videmus, quarum omne oculorum est iudici
si qua pars corporis à cæteris partibus sui dimensus portione
crepet: non verè illũ, in quo insit vitiũ hoc, formosum posse ap
pellari, propterea quòd species in eo à conuenientia discessit,
getque alio quopiam, vt expleatur & perficiatur: iccirco & amab
bile minus est, & minus appetitur, quod neque delectare anim
dum potest propter incongruentiam, neque adiuuare propter
gestatem: eget enim & ipsum aliunde adiumento: sic illud
plex, & menti propositum pulchrum, quod omnes congruen
honestatesq; in se continet, nulla ipsum parte sui imminutum
nec indigens, contraq; omni bono ac decore cumulatum, atq
completum, cõcursus omnium rerum excitat ad obsequendum
& obediendum sibi, vt quælibet res ad nutum præsto sit cupid
illi nauare operam suam: quippe quæ experiatur & sentiat pr
eo, quantum illi se dediderit, & ad accipienda illius imper
subiecerit, tantum se & iucunditatis, & commodi ad suam e
plendam naturam esse reportaturam. Hac igitur imperitan
tione Deus, & hac facilitate regit vniuersa ac permouet, quæ

sempes agit id, quod se ipsum primùm deceat: deinde sit vtilis exteris: & cum alijs bonum vtilitatis impartiuerit, ipse suum retinet, quod est decori, dignitatis, amplitudinis bonum. Quò etiam is, vt in effectionibus naturæ & operibus, nulla verior ratio, neque constantior reddi possit, quam ob rem quicque sic efficeret Deus, quàm hæc, quod ita eum facere decuit, & quia rei efficiendæ illud fuit optimum, vt & à dignitate illius qui agit, & ex eis, quod agitur, emolumento ac commodo, valida in primis firmaque sit argumentis conclusio. In quo tamen ipso vbique & præcipuè, decorum illud elucet, quod præclarum in se atque mirificum, duplicique hac de causa amabile cæteris, facit, vt facile imperium sit in volentibus, nulloque nisu conatúue laborioso, omnis rerum molitio gubernatioque transigatur. Et hactenus quidem Philosophia hominis rationem in suo & proprio munere continet, vt in speculandis naturæ operibus illam exerceat, eaque rem edoceat, in quibus origo est, & sedes, & domicilium veritatis. Quæ quatenus in summis & sempiterna immutabilitate constantibus versatur rebus, iure ac merito dicta est sapientia: fontes enim in illis sunt & scientiæ omnis, & prudentiæ. Quæ verò ad mutantia genitabiliaque confertur, scientia naturalis, eadem Græcè Physice est appellata. Moralis autem, quum humanis dirigendis actionibus adhibetur. Qua trimembri diuisione in Philosophia expositâ atque monstratâ, præclarè illa definitur rerum esse scientia, & diuinarum simul, & humanarum. Nunc quando iam satis, quod ad præsentem quidem nostram disputationem pertinet (nam ad rem ipsam pleniorem que doctrinam non satis) de officio seorsum & per se humanæ mentis est dictum: quod in prioribus duabus illis Philosophiæ partibus, sapientia videlicet, & naturali scientia, positum est: Restat communis totius hominis, non iam partis in eo separatim alicuius actio, atque exercitatio, moralis scientiæ propria: ad quam eum nunc Philosophia deductura est: rectumque suimet in ea vsum, ita illum edoctura, vt nulla neque virtutis, neque officij pars, quæ ad beatam consequendam vitam pertineat, in hoc quoque genere prorsus relinquatur. Etenim ab illis altissimæ veritatis consilijs, & rerum æternarum speculandis rationibus, in quibus tanquam cognata illarum, atque eiusdem cum illis nobilitatis consors, semetipsam mens præcipuè agnoscebat: fruebaturque tum vero, & suæ naturæ munere, & sapientiæ nomine: deflexa ad animaduertendum conditionem necessitatis hic, quòd quum alienis & longè dissimilibus sibi generibus coniuncta, permulta obire simul cum ijs, atque vnà agere cogeretur: primò quidem aspectu vehementer perturbata est:

assueta enim tranquillitati, & ordini rerum sibi constantium, nusquam ab eo, quod idem est, digredientium: vt vidit mo sociarum partium incertos, & varios, nullum nequemodum, que ordinem suapte sponte retinere, eosque cùm importuno bi, ac sæpenumero molestos, tum inter se ipsos quoque inter sentientes: defleuit quidem illa primò conditionem suam, quòd à beata illa cura fruendæ, & contemplandæ veritatis pta, in turbam sese & in factionem impediuisset: veruntamen leriter ad officium conuersa, cùm intueretur consilium & volu tatem summi Dei, non solùm æquo, sed alacri etiam animo ad obediendum illi se dedit. Quid enim faceret seeus, in illiberum, ex quibus nexus est mundus, exercitata atq; alita admirabilis, continensque complexus, paratus vbique obediendum Deo, apprimè eam instruere potuerat, suum esse bonum, in ordine & obedientia huiusmodi, maximè quærendum esse. Igitur in hanc deliberationem se contulit, vt quos dam sors sibi dedisset comites, cum eis statueret pacatè & concorditer viuere. Atque, vt in re perdifficili & ardua, ad Philosophiæ, quæ solebat, confugiens opem admonita ab ea ipsa est, vt agitationis & incertioris agendæ vitæ disciplinam, ab eis rebus acciperet quas stabiles & certas in natura cognouisset: regendique & temperandi ordinem totum atque exemplum, illinc huc transferret. Quod quidem sic agere constituit: primumq; illud animaduertere cœpit, expressam esse in sese, & in corpore eo, quod ipsa ctura esset, imaginem quandam tum præpotentis Dei, tum eius mundani operis, quod creatum factumque a Deo, eiusdem imperio & numine regeretur: vt quemadmodum Deus in immo omnium consistens, rebus incitatis & mobilibus impera immotus ipse, & semper permanens in eodem, globisque corporum cœlestiũ alias præponit mentes, quæ in eum ipsum intuentes, ac nusquam ab eius lege & ordine deflectentes, mouent cæteriora corpora: ipsas verò varias & multiplices elementorum concursiones, conflictus, illisiones, quoniam minutatim sub ordinem certum redigere non licebat, illa vniuersa lege coërcuit, qua paribus omnia liberata ponderibus, & vim inter se æquam obtinentia, finibus se suis singula continent: neque aliud alii supergredi, aut viribus & potentia præponderare est licitum. Ita mens ipsa tanquam alter in corpore humano Deus, stabili veritate semper nitens, reliquas animæ partes mouendo corporis affectas, suapte sponte ordinis finiumque expertes, ad intuendum eum ordinem, quem vera in sese descripsisset ratio, reuocauit, formamque illis decori pulchriique offerret: qua specie diuina illectæ illæ ad amorem, studioq; accensæ eiusdem imitandæ pulchritudinis, & participandæ, cùm suum etiam præsertim in eo

commodum sentirent, atq; experirentur, facilè rationi imperiũ, & nullaimpeditum controuersia, relinquerent. Itaque mens stipata egregio comitatu illarum cognitionum quas in contemplandis rebus æternis antea percepisset, sapientiam primùm denotauit de cœlo, eamque nonnihil hæc quoque inferiora vt animaduerteret, compulit, vocauitq; eo nomine prudentiam: quòd hæc verbum à peruidendo ductum, voce ipsa indicat, in res obscuras & suapte natura perspicuæ lucis expertes, aciem esse ingenij, & mentis intendendam. Porrò autem sapientia in eo aliquãdiu commorata, vt cupiditatum, & affectionum, omniumque earum appetitionum, quæ multiplices, ac variæ in animis nostris concurrunt, causas, fineis, naturamque cognosceret, cùm videret eas temeritate quadam præcipites, subitasque ferri, & ad ea expetenda, aut refugienda, quæ per sensus interpretes, lætabilia formidolosáve oblata essent, sine modo discurrere: intellexit harũ rerum causam esse comitatum illum, quo sentiens anima, cum vegetante coniungitur: quòd ex huiusmodi coniunctione plus illi iam abiectæ & ignobili, ab alijs sæpè partib. tribuatur, quàm sit æquum. Itaque prudentiam, quam ab se instructa consilijs, & rationibus ad res gerendas iam adhibebat, rectionemque illi rerum humanarum in diuinis ipsa resistens, per manum quasi tradebat: admonuit, vt notaret, animumque aduerteret, primam directionem humanæ vitæ, & fundamentum vniuersæ salutis, positum in eo consistere, si singulæ in homine animæ partes, suum vnaquæque & pensum, & pretium obtineret: neque alteri alterã de eius quicquam iure, honoréue decerpet, hoc enim vno modo demonstrauit, concordiam & pacem in animis constitui, viamque ad beatam vitam posse inueniri: si, quæ regendis, & in vnitate continendis ciuitatibus, in primis necessaria est, prima in ipso homine iustitia extitisset: quòd ea virtus virtutum est sedes, & fundamentum reliquarum: per quam quisque suarum rerum diligens curator, atque custos, aliena minimè appetit: neq; munus interrumpit alieni officij: quod vbi fit, ibi cum lætitia, & cum tranquillitate maxima vita degitur. Hoc igitur primum suscipiens prudentia, idque exprimere ac proferre in agendis rebus studens, pensitatis cunctarum in homine partium conditionibus & meritis, statuit parti illi vitali & infimæ tantum esse tribuendum, quantum ad vitam, & ad incolumitatem sat esset: eamque ea pars consilio omni orba, legem, lumenque rationis omodo nullum habeat ipsa in sese, sed ne aliunde quidem possit accipere: quo etiam nomine contemptissima est partium reliquarum, & obscurissima: quandoquidem, quod nec sua, nec alienaillustrandeat ratione, ordinis & elegantiæ totum est expers: tamen quia necessaria ad consistendum est, stabilitatemque, &

veluti ſolum, reliquis partibus animæ præbet, non mediocri
dio à nobis conſeruanda eſt: vt illo tanquam firmamento in
ad potiora obeunda vitæ officia nos attollamus. Quam ob
primum illi tempus, & prima curatio ſuppeditandis vitæ nec
tatibus attribuitur. Quo nomine ea etiam ſit alicuius hono
particeps: vt ſi nobilitate cæterarum poſtrema eſt, anteor
tempore: vſque eò mirabilis ille prudentiæ contextus, in tempo
rando, ac conſtituendo concordi homine, omnia inter ſe nec
lis amabilibus illigat atq; conſtringit. Sentientem verò animi
quæ nõ omnis penitus neceſſitate deuincta eſt, ſed habet aliquid
in ſe liberale & ſplendidum: nam & voluptatibus fruitur mem
bus, & intelligibilem pulchritudinem illam, in aſpectabilium
lis ſpecies, & ſenſilia ſimulachra quodammodo tranſfert: eam
mens à prudentia inſtructa, vt ſociam, æqualemque compa
eius rationis quam ipſa in ſe inſitam, atque innatam continet
veritatis eius, quæ ex intelligentia rerum ſemper in eodem
nentium, illi percepta eſt, participẽ facere conatur. Quæ cum
munione mentis atq; ſenſus, ritè & ordine per prudentiam ſub
dignitatis ſpecies illa, quæ vna omnium rerum humanarum pu
cherrimum eſt oculis præclariſſimumque ſpectaculum, in vita
moribus & actionibus hominum exprimitur. Vt enim alio lo
me recordor dixiſſe, in copulatu & compoſitione rerum plu
conſenſus ille, atq; ordo, & æquabilis omniũ inter ſe conuen
tia, intelligentiæ atq; menti veritas eſt: oculis & ſenſib. pulchri
tudo ac dignitas, vt dignitatem definire ſi velimus, rectè ſic dici
mus, translatam illam ad ſenſum & ad oculos, eſſe veritatẽ: quæ
dignitas aſpectibus ſubiecta, quũ tantos amores ſui in omni ho
minum genere concitet, cunctumq; orbem propè terrarum im
quietum & ſollicitũ ſemper habeat: intra eos fineis eſt ingeni
liberalibus permittenda, vt ne vnquam prodat, neq; deſerat ve
tatem: hoc eſt concentum & concordiam animæ partium ac
uellat, in quo & ambitioni & populari gloriæ, & huic imperan
cupiditati, qua homines proiectè nimirum, & præter modum
efferuntur, poſita lex erit. Vult igitur mens, partem hanc ſenſum
ita ſuis frui voluptatibus, vt aliena commoda non præterrumpa
& neq; illud inferius animæ genus, ſuis defraudet vtilitatibus, at
que rurſus menti ac rationi ad conſtantiam, & veritatem omni
reuocanti intempeſtiuis ſuis interpellationibus officiat: ratio
que ratio, quæ totius hominis rectrix eſt, quum ad ſua munera
fungenda ipſa ſe confert, habet tamen ſemper alieni quoq; tem
poris, & opportunitatis rationem: vt, vbi ſocijs, & cognatis pa
tibus optimè proſpexerit, tum libera & vacua, diuinis illis ſacer
ditatibus ſeſe impleat: ita æquatis omnium officijs, perpenſis
muneribus, quũ vnicuiq; datur parti quod eſt illi conſeruan
ne

neque alia de alia pars parte quicquam detrahit: regnatque, quod ad regnandum natum est: paret, quod ad parendum: tum iustitia primum in interiore homine per prudentiã existit. Deinde ex iustitia oritur temperantia, ordo quidam vitæ, & ornatus, ac moderatio appetitionum omnium, non voluptatum illa penitus contemptrix, sed ingenuis ex eo genere, & liberalibus voluptatibus modestè dedita. Quarta verò & difficillima omnium virtus, quæ est fortitudo, oritur quidem illa ex superioribus, sed non tam optabilis ea viro forti est, quam interdum necessaria: non enim labores, ærumnæ, pericula, mortes, ipsa per se appetuntur: neque libens quispiam vitam & salutem proijcit, sed vbi in discrimen venitur, vt aut ista suscipiẽda sint, aut honestas amittenda, fuie cunctatione vlla vir magnus atque præstans, honestatem sibi mauult, quam vitam retinere. Quòd contingere nequit, nisi in animis, ita & virtute, & disciplina constitutis, vt in illis maxima sit autoritas rationis, quæ quum præscripserit aliquid, quod rectum esse, ac decere decreuerit, iusserit que id agi, reliquæ ad obtemperandum partes præsto sint, imperiumq; rationis naturæ exequantur. Verùm quum virtutes omnes reliquæ, tum in primis hæc, de qua loquimur fortitudo, maximè alitur & corroboratur rerum æternarum scientia & cognitione. Nam, nec qui infinitatem temporis mente comprehenderit, is ob cupiditatem vitæ paululum propagandæ, aliquid indignum forti viro admittet, nec qui immensitatem mundi, orarum, regionumq; fuerit animo peruagatus, regnum vllum tanti æstimabit, vt eius assequendi causa, iusiurandum violare arbitretur esse fas: denique pulchri ac decori illa cognitio, cui firmè & probè fuerit mente concepta, hic cœlestibus opibus scientiæ & veritatis locuples factus, atque (vt heros noster Plato inquit) natiuum in anima aurum possidens, nunquam profecto pecuniæ gratia sordidum quicquam, & illiberale efficiet. Ex quo intelligi potest, virtutum omnium semina, quæ à natura in animis nostris sata sunt, ex vnaquaque ali, excolique Philosophia, neque sine ea vnquam ad bonam frugẽ posse adolescere, cùm qui naturalibus virtutibus tantummodo, aut etiam more opinione que comparatis, nixi sunt: hi, vt vnam in partem aliquam præclarè se dederint, in alia tamen parte non mediocriter sunt prolapsi. Plena exemplorum est historia: sed mihi properandum necessariò est, inclinat enim iam ad vesperum dies. Talis ergo iste vir, quem Philosophia instituerit, reique eum semetipso edocuerit vti, constitutis per prudentiam partium singularum terminis, vt aliam alia pars non supergrediatur, nec opprimat, regnum ciuile & patrium obtinente intus mente: placatus sibi ipse atque concors, tranquillam & felicem degat vitam, diuinamque illam regendi artem adhibeat, quæ

quæ quidem omnium est potentissima & maxima, vt quod in
præstat, eminetque, mens & ratio videlicet, suum decorum in
in rebus omnibus agendis, præcipuè atque semper, alienum a
tem procuret bonum. Quo vno modo potissimum, & inferiores
partes sua sorte contentæ, tranquillè se habebunt: & propter de
cori illius in principe parte pulchritudinē, amore summo & fi
dio ad parendum adducentur. Verùm ita institutus hic quidem
homo est, vt secum solus ipse possit, aut cum familia sua commo
dissimè viuere: qui iam in publicum producendus est, & in com
munes consuetudines deducendus: non commentatus aura in
tenebris, vt modò Phædrus dicebat, sed in lumine illo certissimo
veritatum, & ad exemplar illarum conformatione suimet cuius
tatus, atque prudens: Qui cùm dictante ratione, & gubernatio
ne illa summi rectoris Dei sic monstrante, intellexerit, non se
soli natum esse, sed & patriæ prætereà, & ciuibus suis, partem
sui non minimam cognato quoque, ciuili generi & esse debitum
eumque se ipse sociabile in primis esse animal attenderit, vir
tem videritque eam, quæ maximè naturam hominis continet,
sine exercitatione, atque opere imperfectam existere: neque ef
ficere posse beatam vitam, si non promatur ad res gerendas, &
adhibeatur: quod iam & homines, quibus cum versetur, & in
strumenta ad agendum, quibus vtatur, requirit ac postulat: in
quo nonnulla pars nimirum attribuenda est Fortunæ. Cùm, in
quam, ista omnia noster Philosophus cognouerit, sine tergiuer
satione vlla ad obtemperandum rationi sese dedet: prudenter
que, & accuratè omnia circumspiciens vbique præeuente eius
consilijs Philosophia, instrumentum primarium conuiuendi &
communicandi, quo prima interni hominis effigies oculis spe
ctantium obijcitur, atq; proponitur, formabit aptè & compositè
orationem: eamque tanquam alteram personam perinde exco
let, vt si totum sese in illa sit expressurus. Curabit igitur vt com
modè, vt distinctè, vt propriè possit loqui, verbisque vtetur lectis,
ex communi quidem sumptis loquendi vsu: sed tamen vidisse
magis, quàm sonantibus: copiam autem orationis hactenus ad
hibebit, vt aptè, & rotundè sensa animi sui, cum significatione
mediocri interiorum motuum, explicet atq; exponat: nam ora
torios quidem illos animorū impetus, forensibus causarum pa
tronis derelinquet: ipse verò sedatè, & grauiter, leni gestu atque
vultu, omnia persequetur: Atque ab hoc aditu talis & animi, &
in agendo prudentiæ atque virtutis, ad conuictus hominum, ad
commercia, ad consuetudines intromissus: quum quacunque se
intulerit, quicquidq; gesserit, illud in semetipso exemplum sum
mi & præpotentis Dei secum deferat, vt custodiat semper deco
rum suum, & alienum procuret bonū: quæro à vobis, & abs te in
primis,

primis, Phædre, num huiusmodi cùm sit, videatur cœtibus hominum regendis, & gerendæ Reip. autor fore idoneus? cùm præsertim ipse quidem optimè se rexerit, per Philosophiam autem intellexerit, quod in vnoquoque hominum diuersis ex naturis & partibus constatum est, idem notari in ciuitate & distingui posse. Quam igitur vim prudentiæ edoctus à Philosophia & in illis altioris cautis eruditus, in semetipso priùs exercuerit, eandem transferet ad hominum, vrbiumque rectionem, ac plebem quidem infimam, quæ maximè necessarias in ciuitate obit partes, vt vertatur in agris colendis, oneribus vehendis, materia cædundis, opere faciundo infimæ illi in homine parti genitabiliq; collatam, pastu contentam, & coniugio, procreationeque liberorũ: curabit, vt sit suis oportunitatibus instructa, omnemque ab illa iniuriam remouebit, diligentia adhibita, vt ne illa vnquam opere tamen vacet, sed tempestiuis aliquibus semper laboribus distringatur: Eademque ratione, si quid illi fortè exuberare senserit, & superfluere, relicto semper quod satis sit, reliquum in publicas vtilitates conuertet, neque secius tamen vrgente aliqua calamitate, eidem egenti atque oppressæ, de publico opitulabitur. Genus autem alterum ordinis medij, quod sensili in nobis animæ comparatum est, vt magis honoratum quamprimùm, liberalis quidem habebit, & cultius, participsque consiliorum ac dignitatis, quoad licebit, efficiet. Sed tamen quoniam sensilibus illi oblectationibus maximè est addictum, inter quas dominantur hæ, quæ oculorum sunt, in externas illud & peregrinas mittet regiones: quò varias in illis species rerum intuendo, mercesque comendo, patriam, vrbemque suam, rerum spectabilium, & earundem vtilium, commoditatibus refarciat, luxuria tamen semper, præcipueque amputata: ne fortè sublatum studiis inanibus intolerandæ effectum, dum suis finibus egredi, & in alienos conatur inuadere, veriores impediat vtilitates consensionis publicæ. Nobilitatem verò, hoc est, ipsos optimates, qui non tam ex fortuna sint aut genere, quàm ex virtute pendendi, mentis in homine & rationis instar, vniuersæ ciuitati præficiet: quorum erit curatio, prouidere ac præcipere, vt omnia gerantur in Rep. rectè atque ordine: partesque in societate & concordia teneantur, nihilque cuique desit, quod necessarium sit ac legitimum: quos vbi vacare ipsos operibus publicis contigerit, tum eos maius illud in se bonum atque præstantius quod obtinent, in rebus item præstantioribus collocare disponereque præcipiet: vt mentem, animumque videlicet, ad diuinarum rationum speculationem: opes verò ingenij, autoritatis, fortunæ, conferant, & conuertant ad liberalitatem ac beneficentiam: omnibusque modis nitantur laborent, vt virtutem vberrimè atque amplissimè exerceant:

in cuius vnius studio atq; vsu, fructus beatæ vitæ, nec solùm pri-
ceps illa & propria optimatum ordinis dignitas, sed vtilitas etiam
honestiore multò ex genere, & voluptas ea quæ purissima est o-
mnium voluptatum ac suauissima continetur. Atq. hactenus qui-
dem illa in Deo præstans, & eminens diuini rectoris effigies a Phi-
losophia cognita, in homine impressa, in cunctam postremò ci-
uitatem inducta, & translata est. Sed, vt ad eum, quem Philoso-
phia hoc modo instituit, docuitque semetipso rectè vti reuerta-
mur: aliquandoque peroremus: Cernitis profectò quicquid in
natura est, quod sit pulcherrimum, ac magnificentissimum, id
totum in hac vna specie hominis verè Philosophi mentibus ve-
stris expositum esse. Nam primùm diuinum illud & longè dimi-
nans, quod vnitatis, & veritatis & sapientiæ summæ est compos,
extat præclarè in hoc Philosopho, atque cernitur: vnus enim
iste quoq; concordia, & conspiratione suarum partium omnis,
& in eodem sibi semper constans, diuinarumque rerum veritati-
bus instructus, nunquam à sapientiæ consiliis deseritur, nun-
quam varietate opinionum distrahitur: sed quacunque se in-
fert, regulam illam rectè agendæ vitæ: id est, veritatem, tan-
quam lumen de cœlo libatum, præ se ferens: res quantumuis
obscuras ac dispersas, & in lucem producit, vt videri: & in vni-
tatem colligit, vt mente comprehendi possint. Quodq; in Prin-
cipe & Rege totius naturæ Deo maximè præcellit, eximiumque
est, quod ille diuinis bonis omnibus confertus, ac redundans,
neque alienas opes fortunæ expectat, & suas ipse in aliorum lar-
gè effundit commodum: suaque id solum interesse iudicat, vti
quicquid agit, maximè ipsum deceat, cæteris idem iucundum v-
tileque sit: quòd in hac pulchri & decori perfecta absolutaq; spe-
cie, omne imperium, omnis maiestas, omnis veræ dignitatis atq;
potentiæ inest ratio. Similiter id in nostro, qui cœlestium diuin-
bonorum, menteq; insignibus donis veritatis illustratus, nulla
effrænata cupiditate animi ad ea fortunæ bona appetenda proci-
pitur, quæ præter subsidium necessitatemque naturæ, extraordi-
nariis præterea cupiditatibus sunt proposita: magisque id sibi
studio & curæ habet, vt aliis sit ipse adiumento & commodo,
quàm vt aliorum opibus augeatur: solum autem suum & pro-
prium bonum ipse id existimat, quod est aptum, conueniens, de-
corum, pulchrum. Ac quemadmodum propter decori eiusdem
dignitatem atque præstantiam, facile est Deo in omnem natu-
ram imperium: vt illi, sponte sua ac volentes, cœlestes primùm
globi, siderumque, & stellarum æterni ignes: deinde propiora
quoq; nobis elementa, stirpiumq; & animantium cuncta genera,
sedulò, libenter, enixeq; obediant: quòd amore pulchri illius in-
censa atq; correpta, quod in Deo præstantissimè elucet, proximè

se ad eum conantur adiungere, illiq; quoad licitum est, cupiunt imbuere. Item hominis ratio pulchritudine simili prædita, nempe quoad imitatio assequi primigenum & summum exemplar potest: eiusdemq; honesti ac decori Philosophiæ beneficio particeps, primùm interioris animæ partes studiosè sibi habet obtemperantes: vt amoris imperio, quod fortissimum est, & vehementissimum, non vi, neque metu, infirmis imperij custodibus, facilimè omnia & regat, & tueatur: deinde in commercia & societates hominum translata, vbi Rempub. & ciuilem statuerit ad se pertinere (non enim Philosophum nos patre operario, neq; rursus ex stipite aut lapide natum esse volumus: sed ex eiusmodi sanguine, in quem liberalium artium cogitatio, & studia humanitatis videantur aliquando cadere potuisse) quósnam progressus vobis videmur habitura? Nónne qui ab hac præclara disciplina profectus fuerit, vt primùm agere cœperit secus, quam ab egregia illa Phædri sapientia est præceptum, vt non sequatur, nec imitetur populum, nec se inconsultis ferri opinionibus sinat: tantumque absit, vt præripiat aliis opum adipiscendarum palmam, quòd ruentibus, tumultuantibusque cæteris, solus ipse stabili, & quieto animo permaneat: neque se vlla eiuscemodi cupiditate permittat trahi: conuertet in se primò aspectus populi, deinde multorum sermones excitabit, mirantium & percontantium, quinam sit, & vnde, qui tam robusto, & alto sit animo, vt non eisdem rebus ipse, quibus vulgus, moueatur: quòd si quos etiam eorum, qui ad rapiendum & congerendum, mala cupidine incitati se proiecerant (vt sæpe fit) spes aut fortuna grauior fefellerit: nónne hic, qui se continuit ac repressit, plus multum vidisse, quàm cæteri, sagaxq; inprimis & prouidus esse existimabitur? Et quoniam vita fert, rerumq; & temporum exigunt inclinationes, vt periculum cuiq; sui, ex natura, & instituto suo faciendum sæpe sit, qui hanc constantiam rectè, ordinecq; omnia agendi, quam Philosophiam nominamus, ad omneis res adhibuerit: nec cuique rei plus minúsue quàm quantum par sit, æquumq; tribuerit: fidem & veritatem sanctissimam habuerit in vita, nusquam ab eo, quod deceat honestumq; sit, discesserit: eorum qui ad ipsius curam, fidemque pertinebunt, commoda in primis, ornamentaq; prouiderit, maximum ipse sibi ornamentum retinuerit dignitatem: postremò in tota vita, in suis dictis, consiliis, factisque omnibus, similis sui vndique, & semper sibi congruens, æquabilisque constiterit, quod nemo planè, nisi idem sit, qui è Philosophia sit eruditus atq; instructus, probè potest & ad amussim facere: verendũ credo erit, ne nõ omniũ in se amores, atq; studia, omniũ mentes animosq; conuertat. Admonebuntur, (mihi credite) homines specie illa honesti, quæ in graui viro & consi-

dera-

derato eximia est: commouebuntur, impellentur: primum
oculorum animorumque contuitus in illum vnum cuncti con-
ijciant: deinde, vt ament: postremò, cùm tota illius vitæ in-
ratio deliberatioque patuerit, ac perspecta fuerit, vt se & sua o-
mnia illius fidei, vigiliæ, prouidentiæque studiosissimè permit-
tant: quî enim poterunt agere secus, quum viderint illum ad
meditari aliud in vita, neque præ se ferre, quàm vt Deum, pre-
clara imitatione, in seipso referens, suum decorum, honestum-
que perpetuò custodiat: alienum autem procuret bonum? Spe-
cies hæc inquam præstabilis, planeque diuina, semper hominum
mentibus atque animis dominata est: semper voluntates omni-
in potestate habuit. Quid deinde autem, quid eueniet? Tan-
túmne tu putas, Phædre, sapientem tuum per astutias & simula-
tiones, vaframque illam gerendarum rerum calliditatem, hono-
ris & fortunarum adipisci posse, quanta hunc fortunæ & hono-
rum præmia, non dico consequentur, sed planè obruent? Et enim
quæ vsquam natio est tam immanis, & barbara: quis tam crude-
lis, impiusque tyrannus, qui non specie tali istius viri commo-
ueatur? vt etiam si eum diligere fortasse non possit, propter insi-
tam animi feritatem: hac tamen perculsus tam eximiè forma
dignitatis, incidat in admirationem necesse est. Et qui sensu
humaniore præditi homines sunt, summi, infimi, ciues, externi,
nequaquã vlli profectò se & sua fidentius commendabunt, quam
isti ipsi: nec quenquam cupidius ad suas fortunas regendas accer-
sent quàm hunc, quem viderint in aliorum bonis commodisque
procurandis, suum ipsum omne bonum & commodum consti-
tuentem, itaque omnia suscipientem ac gerentem, vt suorum la-
borum & operum, ad cæteros vtilitas, ad ipsum autem fructus
virtutis atque officij qui maximus in vera vita & vbertimus est,
perueniat. Coletur igitur, honorabitur, amabitur, ipsiusq; con-
silio & autoritate gerentur plurima: neque ipse tamen alienis ne-
gotiis se offeret, neque expetet admodum publicis procuratio-
nibus se distringi: sed quicquid eiusmodi aget, atque suscipiet,
totum officio dabit atque humanitati: ipse verò in illa beatissi-
ma cura rerum cœlestium & diuinarum permanebit, quoad po-
terit, contemplandarum: vitamque eam inprimis amplecte-
tur, quæ maximè è natura est, maximeque hominis propria. Si-
quidem non corpus, neque animus reliquus, sed mens sola est
id illud ipsum, quod est homo. Quapropter veras idem etiam
ac proprias hominis consequetur voluptates: non illas animæ
infimæ, quæ & brutæ maximè, & eædem falsæ inanesque ferè
sunt: neque rursus eas, quæ in sensibus consistunt, vagas & er-
rantes, & varietate ipsa semper instabiles, sed cùm has vtrasque
modo rationeque finitas, tum illas plenè & cumulatè, quæ arctè,

& com-

& compressè, & peculiariter attingunt hominem, inque eum ipsum penitus se infundunt, & illiquefaciunt, suntque menti, & iis, quæ ex mentis officio geruntur, agnatæ maximè & familiares: earum vt verissima, atque purissima, sic iucundissima & suauissima est perceptio. Quocirca homo præceptis Philosophiæ edoctus, ac semetipso in omnem partem rectè vtens, similem se (quoad fas est) efficiet Deo, tum in vitæ ratione, dum quo ille modo omnia agit, eodem iste modo cuncta & agat, & exequatur, vt deceat sibi, semper prosit aliis, tum in perpetua animi lætitia ac voluptate. Qui si præter has communeis Philosophiæ rationes, quæ similitudinem & imitationem præpotentis Dei insinuãt nobis atque proponunt, illa quoque præterea maxima atque amplissima eiusdem Dei beneficia in genus humanum cognouerit, quæ vni tantùm generi nominique nostro, qui Christum filium vnigenum Dei colimus, & profitemur, propriè ac singulariter data sunt: quod in hac vna religione, & salus hominibus est, & vera beatæ vitæ in terris ratio, in cœlo immortalitatis adeptio: nedum per Philosophiam, à pura & integra religione non dederit, quemadmodum tu, Phædre, dudum calumniabare: sed magis in ea etiam statuetur, & confirmabitur, ad eos enim amores, qui communibus beneficiis Dei summi debentur, accedent alij magis peculiares & proprij, per quos fortissimè cum Deo erit colligatus. Non enim de leuibus sophistis in præsentia, neque (vt opinor) de futilibus hominibus quibusdam, sed de consideratis & integris & constantibus est sermo, qui omnia metiuntur consilio & probitate, neque à maiorum suorum, de quorum integritate, & sapientia optimè sentiant, decretis atq; scitis vllo pacto recedunt: sed quo ingenio hominis, atque doctrina peruenire non potest, de eo pactiuntur Dei immortalis numine, & veterum autoritate sanctissimorum hominum, facilè sibi persuaderi. Hic paulùm quum requiessem, Exposui vobis, inquã, quemadmodum quidem potui, & vim vtilitatemque Philosophiæ, & eius viri qui ritè ac legitimè philosophetur, speciem atque formam. Quæ mea expositio vniuersè facta, satisne respondere Phædri calumniæ videatur, vestrum iam est iudicium. Mihi quidem & magnitudo rei, & breuitas temporis, & mehercule, rem, si quo modo ea est, fateri volumus, mei etiam ingenij ad tantum tollendum pondus exilitas, vehementer obstitit, quo minùs vobis omnia, quemadmodum quidem cupissem, potuerim exprimere: in quo non recuso, quin meæ tarditati culpam, non Philosophiæ ipsi assignetis. Hic Gallus, sanè quam probasti tu mihi, Sadolete, defensionem tuam, inquit, nec video, Philosophia quid possit esse diuinius. Itaque ego, qui in eam antea propensione animi ferebar, nunc planè illius amore totus ita ardeo,

ardeo, vt non sim eam vnquam è complexu meo dimissurus: illud aueo quàm maximè, & quam primùm, vt ista quæ sunt à te disputata, in commentarium referantur, quo ocyus queam exemplum Vrbinum mittere ad meos amicos, taleis viros, qualeis tu quoque in primis existimas. SVMMOS & singulareis dicis, ineuid. quorum conuentu apud lectissimam omnium fœminarum ELISABETAM reginam Vmbriæ illa ciuitas atque adeo Italia omnis ornata est. Vero, nec iniuria, inquit, non enim vspiam alibi terrarum, neque nostra, opinor, neque antiquorum memoria, tot & taleis principes ingenij ac literarum facile vnoloco quispiam possit nominare, quot nunc Vrbini præclarum istum constituunt: quippe cùm illic adsit & Petrus Bembus maximo celebritate & nomine vir: quem præter eximiam omnis virtutis humanitatis laudem, verè parentem, cùm Romanæ veteris, tum recentis huius Italæ eloquentiæ possumus appellare: & duo tres Italiæ vel præcipua lumina, Federicus & Octauianus Fregij, nobilitate, dignitate, prudentia, literis maximè illustres: itemq; spectatum ac nobile par Baldasarus Castillioneus, & Cæsar Gonzaga: qui militaribus ambo & bellicis virtutibus insignes, ad illam fortitudinis laudem, optimarum quoque & literarum, & artium, non inferius decus, addidere. Quanquam ne singulos colligam, illam ego vrbem hoc tempore, non hominum cuiusque modi domicilium, sed Musarum diuersorium esse puto. At ego, inquit Citrarius, habeo statim queis cum communicem, familareis hos nostros, quorum quotidianis cœnibus domus tua, Galle, celebrabatur, Camillum Porcium, & Blosium Palladium? quorum ingenijs, spectabiliq; morum & sermonis elegantia solemus omnes apprimè delectari: Etsi, quanquam vterque verax que, tamen alter eorum oratoriam magis laudem, alter poeticam est prosecutus: Tum autem Camillum Paleotum, & Philippum Beroaldum, hunc iuniorem dico: Nam ille senior haud sane vsquequaque doctorum iudicio idoneus est qui probetur. hi autem duo suis ingenij & virtutum ornamentis, non municipio Bononiensi modò, vnde oriundi sunt, sed huic vrbi tantæ, non exiguum decus potuerunt afferre. Nam Euangelistam Mathæum, tuum familiarissimum, Sadolete, quemq; nos omnes plurimum ipsius merito, & quanquam doctus admodum vir est, humanitatis tamen ac liberalitatis causa præcipuè diligimus: ego gaudio sublatum iri puto, cùm te operam hanc nauasse philosophiæ laudemq; ex eo consecutum esse intelliget? Vnam quidem inquam, talibus ingenijs, mea hæc opera & voluntate probata sit. Sed quid ait nobis Phædrus? Egóne? inquit ille: eno quodam in hominum genere tuum istum sapientem, tam-

quam

quam in somnijs constituisse. Nam his quidem hominibus, quibus cum viuimus, mea sapientia ad manum semper futura est paratior. Quæ quum essent dicta, surreximus omnes, aliquótque deambulationibus vltro & citro factis, reliquum conuiuio, variisque sermonibus, Phædro inprimis multa facetè, vrbaniterque dicente, hilarem & lætum consumpsimus diem.

FINIS.

IACOBI

IACOBI SADOLETI ORATIO DE PACE AD IMPERATOREM CAROLVM Cæsarem AVGVSTVM.

VIVS tanti, & tam diffusi gaudii, quo pace per Imperator Cæsar Carole Auguste, Christiano omni data, omnium mortalium mentes incredibiliter exultant, vtinam possemus, quemadmodum cupimus, in agendis tibi gratiis magnitudinem verbis exprimere: cùm eam capere nec animis nostris valeamus, nulla erit profectò oratio, quæ aut tanto tuo in omnes homines merito, aut tantæ nostræ voluptati, & lætitiæ par, atque idonea inueniri vllo pacto possit. Non enim nostræ fortunæ duntaxat, quæ legibus omnibus, & æquo iure sublato, insolentum vbique hominum licentia, & detrimentis diuturni belli fractæ erant, & dissipatæ, per te nobis redditæ, & constitutæ sunt: neque ipsa salus, vitaque nostra, ea, quæ corporis incolumitate continetur, cùm nusquam tutum antea neque commorandi locum, neque progrediendi haberet, per eundem te, à metu, à periculis, ab exitiis omnibus seruata, & liberata est. Neque verò in liberis, fratribus, consanguineisque nostris, quorum sæpe salus nostra nobis vita est charior, à discriminibus præliorum, à metu quotidianarum cædium, ab iniuria, libidine intemperantium hominum, salutis tam, & incolumibus nobis restituendis, tua liberalitas constitit: id quod maximum horum omnium multoq; magnificentissimum est, cœlum, cœlum hoc ipsum inquam, portum laborum, & omnarumque nostrarum; quod religione Dei immortalis, ac contaminata vbiq; ferè gentium, aut interempta iamdudum miseramus; id nunc tuo diuino, & singulari beneficio, Imperator, recepimus. Atque hęc tua tanta, & tam eximia dona, quibus Christianas gentes vniuersas es complexus, si per seipsa seorsùm pendenda essent: cùm nulla videatur esse æstimatio, quæ ad pondus earum, & dignitatem posset aspirare: tum hoc ipso maiora, chariora, optabilioraque fuerunt, quòd inopinato, nec expe-

expectantibus nobis, in ipsa pene iam extrema rerum omnium desperatione sunt collata. Sic enim iacebamus afflicti ante, & perditi: sic omni calamitatum genere premebamur, vt nullam iam omnino spem melius aliquando nobis fore retineremus, vt miseræ illius & infelicis vitæ finem non alium, quàm miseriorem etiam mortem expectaremus: cum te, ô clementiss. & optime Imperator, bellum quidem vrgente fortiter, atq; feliciter: sed nihilo minus pacis consilia tacitis tuis cogitationibus souente, quòd te nostrorum malorum, quotidianarumq; calamitatum iampridem erat misertum: nos exanimes, stupefacti, oppressi nuncio pacis, tuæq; bonitatis, & sapientiæ lumine nobis oblato, statim à caliginosa, & turbulenta vita ad serenam, atq; tranquillam, à desperatione ad spem, ab infinito omnium rerum mœrore ad summam alacritatem, & lætitiam consurreximus. Quid ergo esse potest, vel in diuinis muneribus, vel in humanis, quod non secundum Deum quidem, & secundum illius immensam ineffabilemq; bonitatem tibi acceptum referre debeamus? qui vitam, qui salutem, qui libertatem, qui leges, qui hominum societates, qui humanitatis iura, qui pignora naturæ, domesticæq; charitatis, & sanguinis; qui agros, qui familias, qui vrbes, qui domicilia, pacem, ocium, tranquillitatem, concordiam; qui spem denique cœlestium bonorum, & illius beatæ optatæque immortalitatis, quæ tantum fide Deo piè, sanctéq;, atque ita vti à maioribus nostris præscriptum est, habenda, retineri à nobis potest; tuo ipsius munere incolumem obtinemus. Quæ omnia prorsus erant nobis ablata, nisi bonitas tua illa restituisset. Equidem dolebam, & pro mea constante, ac perpetua erga Christianam Remp. voluntate sæpissimè hoc cogitans angebar, quòd inter te & inter Galliæ Regem Franciscum, quos probitas, & virtus, eademq; erga Deum religio, tum autem sanctæ necessitudinis vinculum maximè coniungere, & vnanimes efficere omnibus in rebus debebat; tantum, & tam atrox bellum incidisset. Cuius belli quidem auctores, & hortatores qui fuerint; tacendum mihi esse arbitror: quæ verò, & quanta ex eo bello Christiano nomini damna, atq; exitia inuecta sunt; quis potest tacere? Nam si vllum vnquam fuit bellum gestum à barbaris, quod vel asperitate odiorum, vel cupiditate vlciscendi, vel etiam innata quibusdam gentibus crudelitate, cladem, & vastitatem intulerit nationibus, internecionem populis, omniaq; humana, ac diuina, impetu suo, incursuq; perterrerit: Hæc omnia vidimus efficere istud bellum; quod tamen inter duos optimos, atque humanissimos principes gerebatur: cum alter Insubres sibi ereptos, alter subalpinas gentes quereretur: deposceret autē ita vterq; id, quod iactaret suum, ut reddendi mentionem non faceret. Neque tamen fuisset ea disceptatio

tanti, facileq; iniri ratio concordiæ aliqua potuisset, si non sui-
ciones, si non animorum offensiones, si non dicta vtrinque
ctaque nonnulla, quæ speciem iniuriæ videbantur habere, ita
animos ad perseuerandum inflammassent. Quanquam si ver
huiusce mali causa proferenda nobis est, infensus hominum p
catis, & sceleribus Deus, cùm suum nomen negligi, suasq; pass
pollui religiones videret, hoc calamitosissimo bello pœnas a no
bis sui violati numinis expetiuit. Nam quid aliud credi, nec ex
stimari potest, duobus talibus inter se diffidentibus principibus,
quorum vterq; mitis, clemensq; natura, ab huiusmodi fingibus
hominum, & ab effundendo sanguine Christiano vehementer
abhorreret; nisi Dei occulto, iustoq; iudicio hoc bellum inter a-
micas, & eisdem legibus coniunctas nationes, tanta obstinatio-
ne animorum, quantam experti sumus, tam multis annis, tam
cum pernicie Christianorum populorum, & susceptum fuisse, &
gestum, & continuatum? Cuius tamen belli si qua nonnunquam
interualla fuerunt, vel tacitis induciis, vel consensione facta
quod quidem in tam longo tempore aliquando fuit necesse, de-
fatigatis manibus, mentibusq; eorum, qui vsu armorum assidu
sua corpora contriuerant: id tu tibi tempus, maxime Imperator,
non ad præteritorum tuorum laborum requiem, sed ad nouam
gloriam iustius adipiscendam sumpsisti. qui magnis sæpe cuer-
ribus comparatis, maximis classibus instructis, & adornatis, con-
tra nostræ religionis hostes toties iam bella terra, mariq; mo-
sti. Ex quo patere rectè iudicantibus potuit, te, cùm arma sumere
aduersus Christianos, necessitate sumere; cùm aduersus barba-
ros, voluntate. Itaq; ad Viennam primum Austriæ vrbem, quæ
fratris tui clarissimi Regis Imperio, & ditione sita est, cùm ad eo
oppugnandam innumerabiles barbarorum copiæ conuenissent,
& quòd præsidium in vrbe nō satis firmum esse videbatur, vt eam
expugnandi magnam spem cepissent; quòd eo deinde tanquam
Germaniæ, Italiæq; euerso propugnaculo, liberos sibi excursi
quascunq; in oras, & regiones vellent, fore intelligebant: tu qui-
tum forti in Italia, & locis Galliæ Cisalpinæ remotioribus eru-
re audita, confestim subsidio accurristi, manusq; multæ fortiss
virorum te eodem secutæ sunt. quorum aduentu, tuaq; in prim
fama, & nominis tui auctoritate hostes deterriti, consilium sage
statim inierunt, neque putauerunt, cuius absentis nomen sustine-
re non possent, eius præsentis, armaq; vibrantis vocem, & vltim
se laturos. Itaq; & tibi Imperator tum iucundū visu fuit, & ani
auditu certè mirabile, illa infinita hostium agmina (nam ad sex-
centa millia armatorum in obsidionem illam conuenisse constabat) nullo audito tubæ sono, nulla aduersa acie prospecta, nullis
signis collatis, tantummodò rumore, & fama, aduentus tui
fu

fusa, dissipata, fugata, velut apum examina, subitò euanuisse. Quo quidem tempore nos cum maximis in cœlum laudibus virtutem tuam tolleremus; tum salutem quoque Italiæ acceptam tibi referre non dubitabamus. Secuta est maritima expeditio in Africam; quò tu cum copiis cùm traiecisses, Tunetum opulentissimam vrbem primariam totius Africæ sobolem, atque genus magnæ illius, & vicinæ, desertæque Carthaginis, pulsatam a piratis, & barbararum gentium armis, copiisque in refertam, vt capi non posse videretur, vi tamen, & virtute recuperauisti: maximosque Numidarum exercitus, qui obsessæ vrbi auxilium ferebant, prælio collatis signis profligasti, partaque illustri victoria, & rebus compositis, cùm dominatum omnium gentium illarum retinere tibi posses, vrbem illam nihilominùs, & totum regnum pristino Regi suo, qui illinc antea expulsus, in fidem, & patrocinium tuum confugerat, reddidisti. Eoque memorabili facto ostendisti, non virtutem solùm tuam bellis inuictam, sed fidem hostibus etiam sanctam esse. Quid dicam de classe illa maxima, & ornatissima, quam tu, & qui tecum præclaro fœdere tum coniuncti fuerunt, Paulus III. Pontifex Maximus (cuius semper mens, & cogitatio ad hoc sanctissimum contra barbaros bellum aspirauit) & Veneti, quib. paulò ante perfidus Turca fœderib. ruptis insignem iniuriã apud Corcyram fecerat, comparaueratis? nónne cũ opposita hostiũ classe nauali prelio iã iamq; esset dimicandũ, tua classis iudicio omniũ, & armis, & animis longè tum superior habita est? Quæ tamẽ subito aduerso coorto vento, ad littora Epiri coacta est deflectere. Cùm nemini dubiũ esset, si prelio res potuisset decerni, quin se ad tuas partes victoria fuerit deditura. Nam illam alteram tuam contra Algerium vrbem Mauritaniæ maritimam expeditionem ij fortunæ casus consecuti sunt: vt videatur illa cum summi Imperatoris virtute, & sapientia venire in certamen, & pro laude, ac victoria pugnare voluisse. Cùm enim illa vrbs loco, manuque munita sedes esset, & receptaculum omnium prædonum, qui ex ea exire ad populanda littora Italiæ, & Hispaniæ, & eodem se referre omnibus è locis solebant: tu delendæ huius maculæ, & periculi Christianis nationibus depellendi cupidus, eò cum maxima, & instructissima classe celeritate incredibili transmisisti: continuoque expositis in terram militibus, mœniã adortus oppugnare cœpisti. Cum pugnantibus fortissimè tuis, te ipso nullum locum consulendi, adhortandique prætermittente, iam pars montis superior, quæ oppido imminet, fugato præsidio hostium à cohortibus tuis teneretur, diffiderentque piratæ, & oppidani vim tuã ampliùs posse sustinere, repẽte obducto densissimis nubibus cœlo, magnaq; coorta tempestate, cũ ingentibus

procellis maximi effusi imbres; reuocare te milites tuos ab cop-
gnatione, & quòd classis nondum satis erat subducta, etiã co-
pingere in naues coegerunt. Quo in tumultu cùm perturba-
mnia agi esset necesse: cœlo tonante desuper: omnia conuolue-
vento: pluuiis obruentibus, quis ignorat quàm admirabilis
virtus tua, quàm cõstans animus, imperturbatusq; extiterit? Cu-
tu discurrens in omnem partem milites tuos vndiq; colligere
eosq; verbis consolarere, & ad conscendendum ante te compo-
leres. Quò illis tuta à tergo omnia tuo periculo, & diligentia pre-
starentur. Quis tum non vidit? quis non cognouit? in illo infesto
casu, qui præter naturam illorum, consuetudinemq; locorum in-
opinatus acciderat, magni Imperatoris, Ducisq; virtutem, animi
etiam explorati in aduersis rebus, quàm in secundis? Si is non
mis deterritus hostium, non circumuentus consiliis: sed tu-
bens aduersaria, quibus vis humana obsistere non potest, attan-
tem nihilominùs animi erga Deum, aduersus hostes fiduciam, a
rebus turbidis consilium, iudiciumq; retineat? Quæ omnia tu
Cæsar tibi ita affuerunt, vt nullius spectatior vnquam virtus Im-
peratoris in victoria, quàm tua fuerit in illa offensione. Nec ve-
ea in contentione tibi quidquam fortuna eripuit, præter vic-
riam, quam tu de hostibus tuis propemodum partam iam habe-
bas. Illud quidem in te eadem perfecit, vt perspicuum omni-
fieret, maioris esse roboris fortunã sapientia, quàm armatos ho-
stes prælio superare. Sed quorsum hæc? quorsum? nempe Impera-
tor, vt rerum præclarè à te, fortiterq; gestarum memoriam vsu-
pantes innouemur ad pristinam illam spem, quam de tua enim
in Christianam Remp. voluntate iam antè susceperamus: qua v-
spe soliti eramus niti: Sed eadem post nobis multarum concu-
calamitatum, quas diuturnum istud, atroxq; bellum, quod ti-
cum Galliæ Rege intercessit, populis Christianis inuexerat, fu-
ratq; ablata, cùm virtuti quidem tuæ, animoq; non diffideremus
sed de infelicitate nostra conquereremur; tametsi culpa erat
nostra potiùs, quàm infelicitas. Cur enim non apertè, planeq;
confiteamur? Cum innumerabilibus peccatis, & malis facinor-
bus, quæ in Christiano genere iam diu viguerunt, offensa Deo
mnipotentis voluntate, & illius nos clementiam à nostra pro-
denda salute auertissemus; & tuam ille à commodis nostris pro-
curandis facultatem. Neque enim hoc tu Cæsar ita voluisti, nec
miseri vt essemus, nec tua ista præstans naturæ humanitas, nec-
que probitas hoc pati potuisset, sicut nec ad extremum quidem
passa est. Sed tamen (etsi præter voluntatem tuam) hoc tum no-
bis ex isto bello euenerat, nihil vt iam superesset, quod vel in
vita, vel in fortuna, vel in ipsa Dei præpotentis religione ru-
tum vsquam, aut stabile, aut integrum teneremus. Iacebant
diutur-

Aureamus bello perculsa, & prostrata omnia, quibus cultus vitæ, & humanæ societatis iura continentur: neque erat quisquam tam malè omnino expers. Italia, Germania, Gallia, Hispania, quæ solæ propemodum nobis, hoc est, populo, nomineque Christiano à furtis Turcarum verius dicam, quàm ab armis (quid enim illi vnquam sua virtute potiùs, quàm dissensionibus nostris sibi pepererunt?) reliquæ erant factæ; gemebant, & afflictabantur vniuersæ: populi vbique exhausti: multæ, & magnæ vrbes direptæ; aliæ incendiis, aut deformatæ, aut euersæ; militaris æras bellorum longinquitate consumpta, humanitas ex animis hominum assiduo vsu crudelitatis deleta. Et quod erat malum reliquum, quod in calamitatibus nostris non esset? nullum certè videbatur. Cùm ecce perpetuus ille humani generis prædo, & acerrimus hostis, Satan, qui nunquam sinit nos requiescere liberè, qui semper fraudes, semperque insidias nostræ vitæ, salutique molitur, amplam nactus occasionem inimicitiarum inter nos, discordiarumque nostrarum; &, quod in bonis terrenis nimium occupati, illa cœlestia haud ita appetebamus; genus quoddam hominum nouum excitauit, quod nouo item quodam crudelitatis genere Catholicam Christi fidem, integritatemque nostræ religionis inter Christianos ipsos labefactare contenderet: & ad cætera tot, tanta, tamque intolerabilia mala, quibus hæc mortalis vita nostra premebatur, illam etiam, illam omnium terrimam pestem adijcerent: vt sic cœlestium præmiorum excluſi, cùm hinc discederemus, quod omnibus in morte necessariò est faciundum, ne in Dei quidem misericordia, qua is propitius peccantibus nobis, sed emolocantibus tamen veniam fieri solet, perfugium haberemus. Atque huius mali semina primum orta in Germania, deinde impunitatem simul, & audaciam præbente hominibus cupidis rerum nouandarum, hac tanta orbis terræ perturbatione, longè, lateque dispersa, Christianas ferè omnes prouincias sic occupârunt, vt ea fruticari vbique largiter, & maiora quotidie obsidere spatia oculis propè cernantur. Et ego, qui ita eram natus, & ab initio ita institutus, vt, cùm vitam omnem meam liberalibus primò studijs, deinde etiam sacris, religiosisq; dedissem, illa potissimum valere semper cuperem, quæ de Deo, Deique filio credenda à nobis, & sentienda, quæque item in legibus bonis, & honestis moribus seruanda, & custodienda, sancta Ecclesia nobis diuino spiritu edocta præstituisset; cùm viderem illa contemni passim, & repudiari, quo in mœrore eram? quam grauiter fortunam hominum tempora lugebam? quantis animi doloribus afficiebar? Erat omnino tam varia, tantaq; acerba omnium malorum facies, vt quare potissimùm angerer, statuere vix possem. Cæ-

des fiebant quotidianæ; has meæ naturæ humanitas vehemen
abhorrebat: direptiones, incendia, rapinæ, quid poterat cogi
atrocius? populorum oppressiones, pauperum hominũ disperi
nes, quibus pręsertim opitulari non posses, tanquam vulneribus
animum meum fodiebant. Neq; hæc oculis magis hauriebamus
quàm auribus: nec spectata maiorem nobis dolorem inferebant
quàm audita: pręsertim cùm vndique, & omnib. horis tristes ista
rum rerum nuncij ad nos perferrentur. Erat etiam noua species
auxilij (si id auxilium, ac non initium exitij grauioris existimandum
est) classis Turcarum velut ad pręsidium Gallici limitis ex
sa, speculatrix illa quidem nostrarũ miseriarum, quæ innixa
è vobis contra alterum adiutũ, sed vtrosq; perditos, & extermina
tos, cuperet. Nam quid aliud possumus de illarum impiarum &
barbararum gentiũ crudelitate, perfidia, cupiditateq; sentire? sed
tamen in tam immensa mole malorum omnium, quib. Christia
na Resp. premebatur, nullum neq; grauius me, neq; vehementius
angebat, quàm fidei Catholicæ, & Christianæ religionis tanta
perturbatio: quippe quæ illam etiam extremam spem, & expecta
tionem pacati apud Deum, felicisq; perfugij nobis auferebat. Ni
cæteris in rebus, quamdiu hanc in terris vitam degimus, gradus
permulti sunt, quorum ex vno si excidas, queas in alio consistere.
Fortunæ amissæ sunt, nõ desunt amici, qui te suis opibus, beneuo
lentiaq; sustentent. Hi quoq; si euanuerunt, habes domestica pa
gnora, quæ tibi in rebus aduersis tamen sint solatio. Enimuerò ta
bi ista etiam, vel natura denegârit, vel fortuna eripuerit, cum in
columi sis corpore, potes noua tibi subsidia alicubi comparare.
Morbo, & corporis doloribus, quod extremum iam incommodũ
est, iaceas oppressus: tibi sic affecto ipsa mors medicina putanda
est. Quid? mortis ipsius, vitæq; amissionis, quam tamen summum
malum complures nominauerunt, ecqua sunt solatia? reliquum
vnum est duntaxat, & maximum omnium id quidem. Sed proprius
supremum, & vltimum, quodq; nisi obtineatur, tota res planè de
sperata est, quòd iis, qui piè, & cum religione vixerunt, Christia
nemq; erga Deũ fidem, sanctè, constanterq; retinuerunt, cœlum
perpetuæ domicilium felicitatis est propositũ. Vbi in cum Deo
omnium bonorum, & gaudiorum largitore, cumq; eius mundissi
mis, & pręclarissimis comitibus, qui vel ab initio ortus sui in illa
cœlesti regione constiterunt, vel è terris postea Dei benignitate
suaq; ipsum innocentia, ac integritate in eadem loca sublatiuam
beato, & sempiterno æuo perfruantur. Hanc spem, leuamentum
malorum, incommodorumq; omnium, quæ plurima hęc mortalis
vita cunctis hominibus affert; quæque præcipuè nostra hac
ætate innumerabilia, & maxima propter iniquissimam conditionem
temporum in nostrum caput fortuna coaceruauit, ra

mihi nouator rerum, religionumque eripias? &, cum labore, ac diligentia maiorum nostrorum, sanctissimorum hominum, qui ab Apostolis vsque in hæc propinqua nostris temporibus sæcula continuata serie deuenerunt, munita nobis, & complanata in cœlum sit via; tu alios nobis calles, alias semitas commonstres? per quas, & breuius, & tutius ad eundem locum dicas posse perueniri? Primum qui es tu, qui hoc nobis proponere, & polliceri audeas? qua auctoritate vir? qua grauitate? qua doctrina? qua castitate vitæ? vt tibi noua quædam, & insolita inducenti, assentiri facilè, & acquiescere debeamus? deinde nõnne omnibus apertum, & perspicuum est (id quod ne tù quidem vnquam tegere, aut dissimulare potuisti) te non quia de religione à nobis dissideres inimicum nobis esse factum: sed quòd inimicitias antea aduersus nos suscepisses, iccirco post dissidere de religione cœpisse: vt non salutis communis studio, neque intelligentia verioris boni; neque verò ob eam causam, quò hominibus suaderes, quæ putares esse sanctiora; sed iracundia; sed contentione; sed odio nostri ordinis, cupiditateque detrahendi, ad tantas in fide Catholica seditiones excitandas compulsus sis? In quo fatendum, ac ingenue est, quod negari nec potest, nostra tibi vitia, variaque peccata, quæ in natione sacerdotum permulta iam increbuerunt, ansam, facultatemque præbuere, vt eis coarguendis, & in inuidiam apud populos, crimenque vocandis, populariter agere, & alienare animos hominum ab honore sacerdotij posses. Quod tu non tamen ex Christiana charitate fecisti: neque piis in eo præceptis Christi paruisti; cùm, si eius leges, & mandata seruare voluisses, probi sacerdotes amandi tibi fuerint, improbi potiùs docendi; ipsum autem sacerdotiũ, quoquomodo quidem cætera se haberent, sanctũ, & inuiolabile apud populos retinendũ. Quòd si etiã aliquo non magno discrimine, neq; nostræ æternæ vitæ, salutisq; periculo nouaretur aliqua res earũ rerum quidem, quæ ad veritatem religionis pertinẽt, possemus forsitan dissimulare, & tacere. Nunc, cum veritas nobis in iis rebus vitã, falsitas verò mortem cum miseria æterna afferat; ego ne perpetuũ tot sæculorum consensum, tantam auctoritatem Catholicę Ecclesiæ deseram? tibi vt assentiar, qui neq. in vita, neq. in doctrina eximium quicquã, aut singulare possides? quòd etiam si possideres, nunquã tamen tanti cuiusquam auctoritas esset, vt ea auctoritati Ecclesiæ deberet se opponere. Semper n. qui legib. Ecclesiasticis subiecto animo parerent, doctiores hi multò, & sapiẽtiores habiti sunt, quàm qui nouis instituris, insuetisq; doctrinis peruertere illam, & commutare sunt conati. Nam, si in hoc continenti mille & quingentorũ annorum curriculo, ex quo Dei filius humanum corpus assum-

pſit, Catholica perpetuò Eccleſia eundem ſenſum, eandem fidem de diuinis rebus ſeruante, ac retinente, quamplurimi eſtrorum cœtu, ipſius præceptis Eccleſiæ inſtituti, aditum ſi cœlum inuenire meruerunt, quid eſt, cur nos ab illa tuta, & explorata via diſcedere nunc debeamus? Sin autem nemo ad exitit, qui cauſam rectè cognoſceret religionis, eamq; nunc mum iſti oſtendere nobis, aperireque cœperunt, eſt ne quid gitari poſſit indignius, quódue magis impium, quam ſeruatorem noſtrum Ieſum Chriſtum, mentem, conſilium, & ſapientiam piterni patris ſui Dei, tantò priùs, quàm oportuerit, nempe humano generi expedierit, in crucem ſublatum, & mortem peſſum eſſe? Cùm hoc diuinum illius in omnes mortales beneficium, qui morte eius vitam ipſi adepti ſumus, tam multis ceps ſæculis ſterile ſui fructus fuerit futurum? At primi id quid ſenſerunt: nos prolapſi ſumus: non in decretis quidem, non ſententia fidei, non in opinione, aſſenſuque veritatis. Alia fortaſſe in moribus labes facta eſt, cui decuit alia ſubueniri ne, alio prouideri conſilio: omnia quidem certè agi ita oportuit, vt Chriſtianæ tamen vnitatis vinculum inter nos ne deſideretur. Sed hæc, quæ clariora ſunt, quàm vt ambigi aut recipiant, omittamus: ad illa redeamus, quæ nobis à principio fuerant propoſita. nempe quòd cùm tam miſero eſſet in ſtu Chriſtiana Reſpub. nec illi extremum vix ſpiritum trahenti, alia re vlla, quàm pace veſtra inter te, Cæſar, & Regem Galliæ ſubſidium poſſet, repentè, nec opinato clemens, & miſericors Deus res deſperatiſſimas, animosque amborum veſtrûm diſſentientiſſimos ad pacem, ad concordiam, ad priſtinam inter beneuolentiam, charitatemque adduxit, vt cùm ſpem omnem ſalutis nos penitus abieciſſemus; tum maximè ſperare, & erigere animos inciperemus. Et ſolent quidem huiuſmodi eſſe Dei omnipotentis dona, opinionibus inexpectata, temporibus opportuna, magnitudine immenſa: vt nobis tum præcipuè, cum viribus noſtris, conſiliisq; diffidimus, bonitas diuina ſubueniat: cui omnis ei à nobis gratia, omnisq; noſtra ſalus accepta referatur. Sed, quoniam id quoque fuit neceſſe, vt amborum Regum mentes diuinis ſponte inſpirationibus conſentirent: iisq; ambo aſſenſere: eſt quidem vterque veſtrûm egregiam laudem meritus ſed tua, Cæſar, in hac re præcipua fuit gloria. Tu enim quum & bellum in poteſtate habebas, & vtro te dediſſes, eò te ſecum ſequi Reip. erat neceſſe. ſi bellum maluiſſes, vt ſemper eſſe ra: ſin ad pacem te inclinaſſes, tum vt ſuorũ ornamentorũ ſ ei tamen reliqua adhuc ſunt) retinendorum, aut etiã recupe dorum, quæ plurima illi ſunt amiſſa, ſpem aliquam conce ret. In qua ancipiti futuri euentus expectatione cum vehemen-

ter animi penderemus, essemusque tamen ad metuendum, quàm ad sperandum propensiores; aut si id, quod res est, apertius est dicendum, timor plane in eo spes nostras obrueret, subito, & inexpecto Dei immortalis munere, tua te ad hanc optimam partem, Carole Cæsar, inducente prudentia, pietate, virtute, lætissimus confectæ pacis nuntius per omnes oras, regionesq; Galliæ, Italiæ, Germaniæ, Hispaniæque cucurrit. Quo nuntio excitati animi cunctorum sunt: & ad cœlum omnes cum voluptate intendum vultus suos erexerunt: quos antea timor, & omnium rerum desperatio in terram illis defixerat. Atque ego non dubito, quin tu hac semper mente, & voluntate fueris, vt per te potissimùm velles communi Christiani nominis saluti esse cõsultum. Quid enim aliud tua illa inuicta toties iam arrepta contra hostes fidei Christianæ arma nobis indicabant? quid classes? quid exercitus? quid tuum ipsius corpus, terra, atque mari omnibus sæpe periculis expositum à te, atque obiectum? nisi te ea semper cogitare, moliri, agere, quibus maximam gloriam tuam cum summa Reip. vtilitate coniungeres? Quanquam, quod dixi non dubitabo ne, rectius nunc dico, mihi plane fuisse cognitum, cum non coniectura mihi res pendenda sit; sed ipsi tuæ optimæ, præclarissimæque voluntati penitus sim conscius. Qui quidem tecum, & Niceæ bis: cum tu eò, & Rex Galliæ Franciscus, Paulo Pontifice Maximo vocante, ob causam agendi de pace conuenissetis: & Bussei semel in Placentino agro: quò te eiusdem Pontificis rogatu contuleras, congressus, in varijs, multisq; sermonibus facile perspexi, nihil te habere consiliis tuis magis propositum, quàm eradicationem barbarorum, restitutionemque veteris Imperij, & Christianæ religionis propagationem. Quarum rerum pulcherrimarum, atque amplissimarum conatum, atq; curam, cùm magno quidem tuo cum dolore, hæc tibi cum Rege Gallorum dissensio suscepta impediret; recordor me cum multa tibi suasisse, quæ pertinebant ad pacem; tum hoc imprimis dixisse, constanterque affirmasse, non posse mihi persuaderi, quin te vnum Deus ex tam multis principibus, qui tot antè fuere sæculis, legisset, per quem vellet honorem sui nominis, & inter Christianos sanctis moribus reducendis, & inter barbaros impierate excidenda, vbique propagari: cum is tantam Imperij potentiam, cum tanta in te, & magnitudine animi, & prudentia copulasset: neque credibile esset rebus Christianis, & extrinsecus, & intra iam profligatis, & prope perditis, quin meditatum, & paratum iam afforet ab ipsius Dei prouida, & misericordi mente, in te, & in tua virtute, auctoritateque præsidium. Quamobrem te hortabar, vt ne tempus amitteres: & cum nosses hoc tam præclarũ de te Dei omnipotentis iudicium, cum eo Rege bello ne contenderes, quo cum

tibi arcta affinitas iam esset: summæ autem beneuolentiæ, summæq; necessitudinis charitas facile coire inter vos, & conciliari posset: in eos autē hostes tua arma conuerteres, quos nec amicitia tibi adiungere propter illorum impiam contra sanguinem, nomen nostrum crudelitatem: nec fœderibus obligare, propter eorundem perfidiam posses: & qui præcipuè te ipsum propter iniurijs sæpius iam lacessissent. Quibus tum meis suasionibus, & precibus memini te Imperatoria illa tua grauitate decenter admodum, & sedate respōdere: Cum hæc diceres, summum quidem tuum studium, summamq; cupiditatē semper fuisse bellobarbaros, & Turcas insectādi, eius q; tui animi satis multa manifestumare signa, atq; indicia Christiano nomini abs te fuisse. Sed tamen nō posse in præsentia pati dignitatem tuā, cum nisi Galliæ imparatum, & absentē, & propter inducias, quæ inter vos fuerant dictæ, nil tale suspicantem, improuiso bello lacessit, nonnullaq; tuæ ditionis oppida subito aduentu suo occupasset; vt tu eam iniuriam placato animo ferres. Cum si id ita faceres, quasi vlciscendi, & vindicandi tibi non esset facultas; & inimici tui animos aucturus, & in tua existimatione maculam contracturus esses. Multa præterea dixisti, cur tibi tunc firmam, & veram pacem cum eo sperare non liceret. Quæ ego audiens eadem diluere conabar, veneram enim à Gallica Legatione recens, quò me Pontifex Maximus pacis suadendæ gratia ad illum quemum certè, & omni humanitate ornatissimum Regem miserat: illius animum perspexeram: à studio pacis eum non alienum intellexeram. Quæ cum commemorare, & persuadere cuperem, necesse mihi ad extremum fuit orationis grauitati, & firmitati tuæ voluntatis cedere: tantum discedens tibi dixi, dolere me quidem peruehementer, quòd exoptatos fructus præstantissimæ mentis tuæ istæ sociales inter vos discordiæ nobis interrumperent: sperare tamen, quòd spe certissima tenerer non frustra te à Deo talem, & tantum Principem nobis tributum esse, sed vt esset qui Christianos populos à barbarorum iniurijs, contumelijsque defenderet: facturum me (quod in me esset) vt assidue dies, & noctes omnipotenti Deo pro vita, & salute tua supplicarem. Quod feci, Imperator, & facio, tantoque posthac amantius, & studiosius factum sum, quanto intelligo, pace inter vos constituta, & meorum tum votorum quotidie magis, & tuæ in nostra salute stabilienda speratæ laudis appropinquare. Sed, quod dicebam; cum abiens à te mœrens, mihique ob animum tua durior quidem illa, quantum mihi debere esse videbatur, belli cum Rege Galliæ gerendi deliberatio versaretur: non tamen vidi; id quod si videre, & perspicere potuissem, non ego humano, sed diuino quodam ingenio fuissem præditus: parque (quod optandum est magis, quàm speran-

dum)

randum) tuæ incredibili sapientiæ mea mens extitisset: non vidi (inquam) inuolucrum abstrusum, & multiplex, prudentissimarum cogitationum tuarum, quæ cum eodem omnes intenderent, quò nos cupiebamus: cum tibi hoc vnum esset maximè semper propositum, vt propugnationem populi Christiani adtentes Turcas susciperes, itinera tamen, atque vias, quibus ad illud consilij exitum posset perueniri, tu solus acutissimè cernebas: nos ignorabamus. Fateor, Carole: non dissimulo: latuit me altitudo, & consilij, & animi tui: quæ ne nunc quidem mihi satis perspecta esset, nisi eâm exitus ipsi rerum patefecissent. Itaque quod solebamus sæpe, aut cum alijs loqui, aut per nos ipsi tacitè, cum de te, deque tuis rebus gestis mentionem haberemus, quod in omnibus fere cõgressibus, & circulis contingebat, donatum esse à Deo nobis Principem, cuius similem alterum vix vlla vsquam habuisset ætas: consilio præcellentem, belli armis iunctum, nihil animo concipientem, nisi quod altum, quod insigne, quod glorioſum existeret: tum humanitate, continentia, cæteris virtutibus singulariter ornatum: quæ quidem summum Principem virtutes, Imperatoremq; decerant, quique magna iam indicia virtutis suæ, & erga Deum pietatis populo Christiano dedisset, pro cuius Dei nomine, honoreque tutando, tot iam aduersos barbaros bella susceptisset, toties mare transisset: tam præclara domum victorias reportasset: Constantinum illum primum, aut Theodosium, aut illum etiâ ipsum, qui vestri generis, & nominis fuit auctor, Carolum Magnum videbamur tanquam è cœlo nobis redditum, & restitutum in te possidere: quin etiam maiora de te sperabamus, quàm de illo accepimus. In hac tanta commemoratione laudum, virtutumque tuarum inerat tamen quædam, quod desiderabatur. Nosti enim, Cæsar, hominũ mores, atque ingenia: quò plura, & maiora in quopiam ornamenta confluunt, hoc magis ad requirendum, si quid abest, conuertuntur. Necvero in tanta luce laudum tuarum, quæ te circumfulgebat, quicquam poterat esse non apertum, quod dissimile esset partium cæterarum. Lenitas quædam in te maior, & clementior animus ad deponendas offensiones requirebatur: vt cum sociales discordias Reip. condonares, ad gerenda sanctiora, & magis necessaria bella expeditior fores. Cuius quidem communis pene nostrum omnium opinionis de te, & iudicij tuæme vehementer pudet. Clementiam ne in te nos, & placabilitatem quærebamus? aut hæc eximia virtus in tuis tot cæteris ornamentis te vna deficiebat? Tu ista natura, isto genere, isto animo, ista sapientia ferus, & implacabilis esse posses? quid est, Cæsar, reliquæ tuæ virtutes tantæ, & tam multæ, nisi tu eas humanitate, clementiaque condires? Nam arma quidem tractarẽt for-

re fortiter, gerere res constanter, terribilem esse hostibus, in
ctum in rebus aduersis, acrem, & persequentem in secundis, eos
plures veterum ducum, atque Imperatorum, & studuerunt, & v
luerunt. Illud, illud in paucis fuit admirabile, illud laudandu
si qui exiterunt, qui in magna fortuna mite ingenium, & mod
ratum animum potuerint retinere. Cuiusmodi fuisse illos acc
pimus, quos paulo ante ex tam magna copia tam pauca com
memorauimus. Ex quibus præcipue Carolus, cuius tu & omn
nis, & Imperij hæreditatem, tot sæculis post assecutus es, pro
pietate erga Deum, & benignitate aduersus omnes, qui illum
adibant, fuisse dicitur: vt cum plurima, & maxima bella Chri
næ propagandæ religionis causa confecisset, plures gentes
men propter humanitatem eius, quàm propter potentiam
dem Christi consiterentur se esse conuersas. Hunc igitur cum
beas specimen, & exemplum vitæ bene dirigendæ, imminu
inhumanus esse possis? res ipsa indicauit, cuiusmodi furen
cum intulisses Galliæ bellum, longeque introrsum cum mi
piis in eam penetrasses, ad Lutetiæ Parisiorum mœnia
accessisses, magnis iam rebus gestis, compluribus munitis
oppidis, vi, & oppugnando in tuam ditionem redactis
quam Francisco Rege singulari virtute, ac vigilantia omn
tuis conatibus obsistente: tamen cum à spe victoriæ tua
non abhorreret, vt primum tuæ existimationi satisfactum
duxisti: sensistiq; tempora Reip. hoc postulare, nec commu
Christianarum gentium salutem vestra huiusmodi dissidia a
plius perferre posse: præter omnium mortalium spem, & exp
ctationem repente pacem cum ipso Rege Galliæ, hoc cupiente, &
optante complexus es, atque eiusmodi pacem, per quam non v
tus modo vestræ necessitudinis sanctitas renouata, sed magn
accessionibus charitatis, & amicitiæ aucta etiam, & cumulata
se videatur. Quid ergo est? cur hoc idem cum posses, de princi
pio non egisti? cur tantum moræ, tantum formidinis, tantum
malorum, & periculorum intercedere passus es? in quo nob
orantibus, & supplicantibus, vt paulò ante dicebam, videbam
esse durior? Patere, obsecro, Cæsar, tuas à me cogitationes exp
cari; & illa alta, magnificaque consilia, quæ in intimo pectore
admirabilis tuæ prudentiæ inuolucris tegebas, in lucem proferri
si tamen hoc, nec tua Maiestate indignum, & fructuosum cogni
tu omnibus futurum est. Neque enim est vlla disciplina præstan
tior, quàm ea, quæ ex optimi Principis consilijs, atque fact
non solum homines ingeniosos, & bonos; sed ipsum etiam vu
gus erudit. Ita igitur cogitasti. Cum talis esses, tantusque Prin
ceps, & is, qui amplissimam tuam potestatem magnitudine im
per animi, fortunam virtute superauisses; non posse dissimulari
abs te,

abste, inultumque dimitti, quòd te Rex Galliæ inexpectato bello lacessisset. Quid ergo? ita ne vindicare parabas, vt sanguinem, & vitam Regis necessarij peteres? Minimè. An illo expulso è Rego, & exturbato, ex calamitate illius crescere, & opes tuas amplificare volebas? ne hoc quidem tibi fuit tum propositum. Quæ igitur causa, quæ ratio tam implacabilis diffidij: Cum Paulus Summus Pontifex, missis ex nostro amplissimo sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium ordine ad te, & ad Galliæ Regem Legatis, ad pacem vtrunque vestrum hortaretur, egoque tum Legatus ad Christianissimum Regem veniissem, animumque illius ardentem dolore, & iracundia, quòd legatos suos contra fas (vt aiebat) à tuis interfectos querebatur; eamque sibi causam capiendorum armorum fuisse dicebat, multis tum rationibus ad studium pacis, concordiæque flexissem, in quo (dicam enim libere id quod cognoui, & sensi; nec laudibus maximi Regis fidei meæ testimonium denegabo) visus est mihi Rex ille, ad summum, excellensq; ingenium, quo largiter à Deo, & à natura est instructus, summamque omnium rerum peritiam, quæ res vel ad pacem, vel ad bellum pertineant, tantam adiunctam habere probitatem animi, & erga Deum veram, certamque religionem, vt dignissimus illo regali fastigio, indignus ea dissensione, & discordia, quæ illi tecum erat, ab omnibus iudicandus esse videretur. Cum igitur ex vna parte res essent paratæ, Rexque Franciscus pacem æquis conditionibus non respueret; quarum ille conditionum Pontificem Maximum arbitrum, & moderatorem esse volebat. Cum ego proximo hoc tuo in Italiam aduentu, tecum congressus multis verbis suasissem pacem, cunctiq; te rogaremus, omnesq; & nori, & ignoti hoc idem à te peterent, nec videretur Christiana Respublica iam lacerata, atque vexata immanium Turcarum non victoria, sed furtis, sine pace vestrum, & sine concordia posse consistere: tu tamen celans animi tui arcanum, quod salutare, & commodum Reip. Christianæ ipse intelligebas, te inexorabilem cunctis prebuisti, omnium preces tua perseuerantia oppressisti: confirmasti te bello iniurias tuas persequuturum: confiasti maximos exercitus: armasti, cum omnes tuam lenitatem requirerent, illamq; sim, & impetum incitati animi tui in Turcas potius conuerti omnibus votis exposcerent. Quem tamen eundem finem tu te tibi, neque alium prorsus vllum, in illis armis, delectibus, totoque apparatu bellico proposueras. Non enim bellum contra Gallum suscipiebas, vt nationem illam & religiosam, & fortem tandius exerceres: nec iniurias tuas eo animo vltum ibas, quòd tu sanguine Christianorum velles, sed quòd nominis tui ingens, amplaque auctoritas, si contumeliam lento animo tulisses, multipicionem humilis, & demissi animi videbatur ventura, præsertim

sertim apud Turcas, qui insolentiam, & iactationem, studio altioris fortunæ cum statuant, hanc Christianam mansuetudinem, & placabilitatem, sanctaque cœlestis doctrinæ præcepta non agnoscunt. Quò igitur aduersus illos terribilior exurgeret, cum hi viderent te nulla vi, nullo periculo, nullo labore tuo quominus hostes tuos omni ope, omniq; opera, nunquam defesso animo persequerere: iccirco Gallica expeditio ante suscepta est, non oblectamentum iracundiæ tuæ, sed firmamentum auctoritatis. Atque hoc illud fuit, in quo nos decepti sumus. Non enim tam profundè nostras cogitationes immersimus, neque in eo sapientia tua omnium hominum prudentiam. Non ne pace tibi cum Christianissimo Rege facta, cum parata esse, & omnia tibi prompta ad gerendum barbaricum bellum putamus; tu altiore multo, abstrusioreque consilio, si studium tuum ad nostra studia tunc accommodasses, maximum tibi bellum instrumentum, & certissimum pignus futuræ victoriæ, auferendam abstuleram intelligebas. quæ certè iacturam, & diminutionem esset passa, nisi & nos, & cæteri, & omnes denique homines, ipsique in primis Turcæ ipso euentu rerum docti persensissent, quicunque tuam dignitatem violasset armis, eum de imperio tecum etiam, & de vita esse dimicaturum. Hanc auctoritatem igitur, vt ea tibi salua, incolumisque maneret, omni cura prouidisti, præsidiumque fortissimum tuæ potentiæ, & virtutis, nominis, afferre aduersus hostes tecum voluisti, sine qua primum res magnæ geri non possunt. Nam quod ad potentiam attinet, imperas tu quidem, Cæsar, fortissimis nationibus eisque prouinciæ, quæ semper viris, semper animis excellere nuncupatæ sunt, Italia, Germania, Hispania, tibi dicto sunt audientes: ex quibus, legere optimos milites, quales ex reliquo orbe terrarum non queant legi; magnosque ex illis conficere exercitus: possidere classibus maria: suppeditare copias, & commeatus possis. Veruntamen ista, nisi tua insigni prudentia, consilioque regerentur, ad bellum per se gerendum non satis essent idonea. Animo enim opus est, qui ista omnia gubernet, & prouidō, & prospiciente: quibus tanquam acies gladio, sic ille copijs, apparatuque potentiæ, vim, & acumen præbeat. Ipsa vero prudentia, quæ sane domina est rerum cæterarum, & quæ, in quocunque Principe inest, magnū eum bonis, & venerabilem, formidolosum improbis hominibus facit, quam in te Imperator summam esse, & singularem cernimus: quæ quamuis pollat vehementer in omnibus rebus humanis, tamen ea quoque interdum homini subiecta est: præsertim si cum audacia, & cum temeritate venit in certamen: quod sæpe in bellis accidere est necesse. Non enim raro consideratissimi Duces à proiectis, & præcipitibus superati sunt

sunt: & sunt tamen aliquando apud Barbaros nonnulli, qui sua consilia nostris consilijs opponant. At vero hæc, de qua iamdudum loquor, auctoritas, quæ est de tuo insuperabili ingenio, deque inuicibilis in contentionibus omnibus animi virtute, cum magna celebritate, & gloria tui nominis, in animis gentium impressa opinio: hæc inquam ea ipsa est, quæ te non inuictum solum, sed terribilem vltro hostibus tuis facit. Quam tu, quòd reiecto superiore anno precibus omnium nostrum, consilijs, quæ de mutanda cum Rege Gallorum concordia tibi proponebantur, posthabitis, gerendo potius bello seruare tibi incolumem voluisti: nimirum plurimum vidisti, maximumque propugnaculum tuæ existimationis, & nominis nō restituisti modo, verum etiam auctius, munitiusque reddidisti: cum tamen iniurias tunc acceptas commemorans, & obstinatum animum vlciscendi præ te ferens, asperitatem quidem in verbis, atque vultu, in animo autem clementiam, & humanitatem contineres. Quæ fuit ratio (vt antea dixi) nobis quidem omnibus abscondita; sed tua, Cæsar, insignis prudentia vehementer digna. Non enim Christianam Rempub. tum lædebas, vt quibusdam forsitan videbare: sed pro Christianæ Reip. salute seueritatem illam suscipiebas, maiorisq; boni nobis conciliandi causa, minus illud bonum tunc negligendum ducebas. Et reuera nullum neq; maius, neque præstantius Christianæ Reip. potest esse bonum, quàm auctoritas, Cæsar, tua, & animus, quo eam totam conferre in barbarorum excidium, & restitutionē veteris Christianæ dignitatis vis. In quo opere profecto sancto, & commemorabili, illa tibi futura est & acies fortissima, & exercitus robustissimus: non enim vnquam auctoritas vincitur, nec potest ipsa non vincere: quippe quæ vel procul, & antequam veniat aduersarijs in conspectum, ipso rumore, & nomine bella conficere soleat, eripiatque hostibus, & consilium, & audaciam: vt cum audierint armatum incedere contra se Principem illum, Imperatoremque, quem sciant eo animo bella suscipere solere, vt aut vincere ipse, aut omnia abijcere sit paratus, qui sibi confidat, nullum noscat timorem, concedat omnino nemini, fortunæ ipsi non succumbat: atque hæc non temeritate, nec subita concitatione, sed consilio agat, sed sapientia, sed magnitudine animi, sed longo vsu bellorum; in quibus iamdiu sit multis, & magnis non expeditionibus solum, sed victoriis eruditus: concidant statim animis, orbentur omni consilio, casumque propinqui periculi sui vehementius perhorrescant. quos nunc vt affectos tua ingens auctoritas, paxque cum Christianissimo Rege, maximo in nos omnes Dei omnipotentis dono opportunissime facta, sine vlla dubitatione tibi tradituræ est. Quamobrem, Carole Cæsar, honore Imperator, virtute verè Auguste, cogita

cogita iam ipse, quid tibi deinceps sit ad deliberandum, & ad p-
rendum reliquum. Quanquam quid, vt cogites, peto? quid
ipse tuimet memor sis, postulo? quod enim vnquam consilio
magnanimum, & sapiens à tua ista mente, & cogitatione abfuit?
Sed, quo solemus modo agere erga Deum, cum quid illum ad
certum quid facturus sit, cum precibus tamen, & cum pietate po-
scimus: eodem agimus erga te; vt Christianæ Reip. extremo il-
lius tempore, & extrema pene iam necessitate subuenias. Hoc
quidem ipse ita cogitas: hoc habes propositum tibi, & constitu-
tum: sed tamen liceat nobis implorare opem tuam: licet com-
miserari dolores nostros: liceat vulnera detegere, quibus afflicta
Resp. & lacerata est, nec tu ea non cernis: quis enim acutus, aut
altiore ex loco prospicit? sed ideo nos illa proferimus, quo tu
illis vindicandis non solum spectes gloriam tuam, sed solum
etiam nostram. Et sane in primis sanctæ religionis causa a tuo
suscipienda. Cuius moderator quidem, & arbiter Romanus Pon-
tifex esse debet: qui suam huiusce rei voluntatem etiam bis indi-
cto Christiani nominis concilio est testatus. Sed sine præsenti
ope tua; sicut re ipsa perspicuum factum est; nihil neque infirmi
rectè, nec ad optatum exitum perduci potest. Huc igitur in pri-
mis animum tuum conferas, & conuertas oportet. Hæc enim
causa ea est, in qua (nisi fallor) cæteræ quoque causæ, quæ ad
cõmunem salutem constituendam pertineant, cunctæ complexæ
sunt. Auerso enim à nobis propter istas innumerabiles discrepan-
nes, quas ipsi de eius religione habemus, sine dubio Deo, qui vni-
tatem, & consensum præcipuè à nobis postulat, quid potest reli-
quis in rebus remanere apud nos inuiolati, atque sancti? Itaque
& ius iamdudum è moribus hominum exterminatum est, & in-
iuria introducta, tantisque simulationibus, odijs, suspicionibus,
insidijs referta hominum vita est; vt eius bene agendæ, neque ex-
dinem rectũ iam, nec modum inueniamus. Quæ tot mala, tam-
que pernitiosa, si vere, & sancte, sublatis dissidijs religio constitu-
ta fuerit: neque ea solum in rectis opinionibus, sed in bonis ex-
iam, ac ipsorum præsertim sacerdotum moribus restituta, sicut
nebulæ oriente, & se attollente Sole; sic illa Deo ad nos clemen-
tibus iam oculis, & serena fronte conuerso, è vestigio dissipabun-
tur: lucemque nobis integram, puramque relinquent. Neque
hoc tibi, Cæsar, graue, & laboriosum esse duxeris. nõ est in dis-
ptationibus, nec in controuersia res. omnia, quæ ad veram
notionem, verumque cultum pertinent (in quo quidem vo-
stra perpetuo salus sita est) singulari maiorum nostrorum pru-
dentia, & Spiritus sancti ope, qui semper Catholicæ Ecclesiæ co-
mes affixus est, sanctissimis decretis, & præclarissimis legibus
sancita sunt. Qua ratione nos gerere; quod cæteris exemplum
vitæ

vitæ bene, pieque agendæ in nobis ipsis constituere: quæ de Deo sentire, & de diuinis rebus debeamus, iam diu est nobis diligentissime, ordinatissimeque præscriptum. A qua præscriptione qui discesserunt, miseri ipsi & errantes, qui agunt, & egerunt, vt alij quotes discederent, ii impij merito semper sunt iudicati. Nec verò in altercationibus, & dissidijs inter nos: sed in charitate, mutuaque benignitate, beata à Deo nobis, & immortalis vita est proposita. Quam ob rem non erit hic tibi mora, aut durior alicuius labor, quominus recipere te celeriter ad bellicas curas, & cogitationes possis. moribus enim correctis, sacerdotumque potissimum, quorum inuidia tot, & tam pernicioſæ vbique turbæ, grauesque seditiones concitatæ sunt, omnibus fiet iam discordijs, & dissensionibus finis. Et qui nunc acerbè admodum, & pertinaciter inter se dissident, in vnum omnes sensum, vnamque voluntate conspirabunt: quæ vera, & propria Christiani nominis est professio. Atque huius quidem præclari muneris, atque operis Romanus Pontifex, dux, & auctor futurus est, pro loco, pro honore, pro ea auctoritate, qua ab Deo est munitus: sed tua quoque voluntas, Cæsar, & Galliæ Regis accum, vehementer est necessaria. Vos enim duo ij estis, quos populo suo Deus gubernatores potissimum præfecerit, & magistros: quorum Imperium, & auctoritatem reliquus Christianus orbis sequatur: qui antea vestris discordijs omnia perturbabatis, ijdem nunc in vnam sententiam, vnamque mentem conuenientes, tanquam conflatis amore, & beneuolentia animis, omnia estis in integrum restituturi. Quid enim aliud nobis polliceri debemus ex ea pace, quam sine dubio inter vos, non vlla humani consilij, aut ingenij vis, sed Deus ipse, ipsemet (inquam) Deus, salua dignitate vtriusque vestrum constituit? Non ne futuram eam, & stabilem, & sanctam? non ne communia vobis consilia, quæ ad salutem publicam spectent, omnia futura? non ne animos vestros (quod ex magnis inimicitijs accidere interdum solet) sicut paulo ante vehementibus odijs arserunt, sic pati nunc beneuolentia, & mutua flagraturos? præsertim cum Deus ipse suum opus, suum munus, suum beneficium tutaturus sit: cum nihil posthac videatur posse accidere, sublatis omnium iam discordiarum causis, quod dissidium inter vos, contentionémue commoueat: cum tu, Cæsar, planissime, & certissime, pro tua admirabili prudẽtia iam intelligas, quanto expeditior, & paratior ad illa tua magna consilia exequenda futurus sis, adiuncto tibi per amicitiam Christianissimo Rege, quàm eodem odijs, dissensionibusque seiuncto. Qui quidem Rex iam etiam tecum, non vno, neque simplici, sed pluribus vinculis copulatus sit, affinitatis olim, nunc etiam & fœderis, & potentiæ, & fortunæ ornatissimus Rex. Credas mihi hoc velim,

Cæsar, non enim res mihi ignotas profero, quæ etiam si
essent, nequaquam à me pro certis commemorarentur, sed
sed interfui, cum mansissem apud illum aliquot mensibus
tificis Maximi, sedisque Apostolicæ Legatus, hancque ipsam
cis actionem cum eo, causamque tractassem: ille (inquam) in
mirabiliter satisfaciebat. Habebat tum arma in manibus
bus suis fidebat, dolore aduersus te, & ira commouebatur, &
tam sibi à tuis contumeliam in suis Legatis impositam
tulisse negligenter conquerebatur. Sed tamen in illo
tu animi, & iracundiæ impetu sæpe flectebatur ad
silia pacis. quam ego nactus opportunitatem Regis
gis, quam iracundiæ obsequentis, illius ingenio, &
tretus, qua is insigni, & magna præditus est, eò tandem
duxi, vt ille ad extremum Pontificem Maximum arbitrum
sui, & omnium controuersiarum, quæ inter vos essent,
moderatoremque statueret. Sed in quo intimos eius
penitus perspexi, posteaquam non alienus à studio pacis
pit, quotiens ille inter suos de hac pace vestra, & reconcilia
ne pristinæ gratiæ loquebatur? quotiens cum gemitu
bat dolorem suum? quòd vestris illis tunc odijs, ac discordijs
vltimum discrimen Christianæ Reipub. prope salus
quantopere optabat, quàm cupiebat? vt ambo vna animis
dijsque coniuncti, depositis inimicitijs ea gereretis, quæ
peretis, quæ essent vestræ quidem potentiæ, vestræque
sed multo magis honori, nomini, virtutique consentanea
nunc ita factum esse, vestrasque mentes in vnum, &
sum amore, concordiaque coisse, & Deo immortali
bitasque gratias, quantæcunque à nobis concipi, & habe
sunt, & tibi, Imperator, maximas habemus. Etsi enim
nissimi Regis grata nobis voluntas, & animus est
tibi tamen, in quo pacis, & belli summum arbitrium
saluos fore nos possumus iam sperare, referimus
est enim hoc beneficium, Cæsar; tua gratificatio; tuum
tua in omnes populos nũe se clementia, & bonitas
pacem Christianis populis præbuisti; qua non solam
sed nimirum pecudes, agri, tectaque lætantur. Quòd
ses, qui magnitudinem animi tui spacijs, regionibusque
rum; nominis autem famam tempore aliquo
multa iam extarent tuarum clarissimarum
monumenta; & nos hoc singulari
neficio contenti in præsentia essemus.
(quod ad tollendas intestinas discordias attinet)
bis prouidentiam constituta, cætera, quæ
quidem, atque magna, Dei consilio, & futurarum

tibus permitteremus. Sed cum nec tuus iste animus plenus maximarum, pulcherrimarumque cogitationum conquiescere possit, donec ea pariat, quæ iamdudum illi cœpta sunt: & tua semper consilia spectauerint æternitatem, nec se vllis temporum cancellis circumscribi passa sint, quid est iam, Cæsar, quòd tibi nunc subijcere, aut tu per te capere, & deliberare possis? nisi illud certemum tanquam portum, vt nauigationum, sic præteritarum actionum omnium tuarum, vt terminos Imperij, & magnitudinis tuæ, in Turcarum, & Barbarorum regna promoueas, quæ ita tuæ virtuti, atque laudi cum nostra omnium spe, tum Dei prouidentia reseruata sunt, vt de diuino consilio certè dubitare non debeamus. Quid enim fuit, quòd illius Imperio, & ditione inter nostrarum occasiones discordiarum ijs aliquot iam annis vehementer auctis, Ægypto ad veteres eorum opes adiuncta, Persis summotis, Illyrico vexato, victis, & subactis Pannoniorum fortissimis gentibus, quas armis suis sæpenumero ante lacessitas, neque vnquam domitas, audita pridem Cæsar, te penè inspectante, ante oculos (inquam) propemodum tuos, non victoria, sed occasione oppressere: cum tu Gallico bello distractus, earum illis tum ferre non posses: quid fuit (inquam) quòd, cum insultarent maximè, cum vrgerent, cum in nostro sanguine, nostrisque cladibus insolentius quotidie, crudeliusque debacchantur, repente ista pax extantis, & tam implacabilibus inter vos (vt videbatur) iris, atque discordijs, velut inspectatum de cœlo lumen effulsit? Nónne hoc nobis indicauit Deus, & voce ita quasi testatus est, velle se eum, quem haberemus præcipuum tutorem, & defensorem Christiani nominis, à cæteris curis, & impedimentis liberare: quòd is neruos omnes suos consilij, fortitudinis, potentiæ, quibus firmissimis, & validissimis est præditus, in hanc vnam cogitationem, & studium belli sanctissimi apparandi conferret? quid? in eodem te ab eodem Deo, nónne eximia illius mens, & voluntas nobis est significata? cum Christianis nationibus in plures principatus, variaq; imperia, nõ tam diuisis paulò ante, quàm fractis, ob eamq; causam armis Turcarum resistere minus valentibus, quòd in difficili consensione nostrorum illi vno capite, & vno corpore consentientes ingruebant, tu abeo ipse Deo in tam multis sæculis vnus electus es, in quem mirabili quadam, nõ fortuna, sed eiusdem Dei prouidentia, inopinatis quidem certè rerum euentibus, totu Christiani nominis robur confluceret: qui summum honoris in toto orbe principatũ tum fortuna, & sapientia cumulares. Ergo hæc tibi, Cæsar, omnia ab Deo, & data, & parata sunt, quò aditus apertos ad res gerendas maximas haberes. nunc tibi videndum ipsi, quid sis facturus. Videmus de te omnes, qui Remp. saluam esse cupimus. ea porrò

nequit esse salua, nisi Turcarum vires, animique frangantur: eo-
que ab illis prouinciæ repetantur, quas ipsi in amentibus disci-
dijs nostris insidioso bellandi genere nobis surripuerunt. Tu
vnus ad hanc actionem tantam, tamque præclaram idoneus no-
bis diuinitus donatus es. Non ne ergo tua mens cum Dei omni-
potentis iudicio de te, menteque consentiet? Omnibus ex mu-
tus, Cæsar, instructusque præsidijs, quæ ad huiusmodi bellum
aggrediendum sunt requisita; virtute, potentia, consilio, magni-
tudine animi, scientia bellorum gerendorum; quodque ad rem
non mediocriter pertinet, plurimumque in bellis valere solet,
militum etiam robore, & fortissimorum Ducum vsu bellorum ac
peritia. Namque hoc tamen commodi ex præteritis Romanis,
incommodisque accepimus, quòd maximas manus veteran-
rum militum paratas, armatasque habituri sumus. Quid tu ip-
stæ tuæ? quid tuus inuictus animus, neque solum aduersus ho-
mines, sed contra ipsam etiam fortunam, omnesque casus huma-
nos immobilis, atque constans, quem satis hostes nostri spectatum
habent, & cognitum? quid nomen? quid auctoritas? quæ
tanta in te est, quanta in omnibus Romanis principibus, post
Theodosium, Carolumque non fuit? parum ne illa hostes tuos
deterritura est? qui quidem paulò ante, dum tu Gallico bello
implicatus tenerere, tot, & tam magna timoris de te sui signa de-
derunt: maximas classes in auxilium Galliæ miserunt: Italiæ, &
Siciliæ littora depopulati sunt: Viennam vrbem tuæ, fratrisque
tui clarissimi Regis ditionis obsidione tentauerunt: omniaque
contenderunt, quò tu domesticis malis diutissime impeditus, ad
eos accedere, & conuertere in illos iusta arma ne posses, qui te,
cum tantopere formidauerint impeditum; solutum, & liberum
quonam modo pertimescent? An tu præter pietatē etiam tuæ,
præterque munus officij, quod Christianæ Reip. Imperator præ-
fectus sustines, etiam illorum in te ipsum iniurijs, grauibusque
contumelijs non commouebere? non illas vltum ibis, cum is hi,
qui omnia potius perpetienda tibi ducas, quam vllam vel mini-
mam violationem dignitatis tuæ? Tu, qui paulò ante duobus
potentissimis principibus resistebas vnus, cum & Gallico bello
occuparere, & eodem tempore Turcarum arma propulsaret,
nunc Rege Christianissimo, nouo tibi fœdere, nouaque benevo-
lentia adiuncto, qui antea quoque fraterna tecum erat neces-
tudine coniunctus; nouis, magnis, firmisq; auxilijs auctus; tu,
quod contra te erat, id pro te futurum sit, teque vehementer in-
iuuet, quod antea impediebat, nudatas spe, & occasione, quæ ma-
ximè nitebantur, Turcarum vires non despicies? At permagno
illi valent equitatu, quo in genere tamē numero se magis, quam
virtute ostentant. non est omnino hoc de ijs singillatim rebus lo-
quen-

quendi, & deliberandi tempus, quod tum erit aptius, cum iam decreto bello, aut voluntate tua, Imperator, perspecta, ista suis locis venient in consultationem. Sed tamen, si aliquid est à nobis adversus hanc famam hostilis equitatus dicendum: nos, tamen sequites etiam nobis sunt, quos virtus potius commendat, quam numerus, non ne legiones præterea fortissimas? non ne exercitatissimos in armis pedites obtinemus? quibus carent illi, & in queis præcipuum exercitus robur, spesque, & ratio victoriæ certior locata est? Nam equitibus quidem multæ formidines, & moræ, multaque obijci impedimenta possunt, vel locorum, vel fluminum, vel militariũ etiam inuentorum: quibus freti quondam populi Romani Duces, nunquam sibi ad committendum prælium cum hostibus, multitudinem equitum impedimento fore putauerunt: propterea quòd facile perturbatur id copiarum genus. Nam equi nec ratione doceri, nec cohortationibus confirmari queunt, vt stent, vt confidant, vt ne vlla obiecta formidine terreantur. Quibus de rebus memoria teneo tecum me, Imperator, ad Niceam esse locutum: cum ego tibi non nulla huiusmodi commenta, quæ ad turbandos equitatus hostium idonea esse viderentur, exponerem: tu verò plura multo, & meliora prospiceres. Igitur indociles equi: at peditum ad omnem nutum & paratus animus; & ad vincendum pertinax est contentio. Nam quod ad copias, & commeatus, & ipsas pecunias attinet, quos neruos belli plerique vocauerunt, potest ne esse dubium, quin ciuitates, populi, Christianæque nationes, quæ in hæc socialia bella inuitissimæ contulerunt, in hanc sanctam, & salutarem omnibus expeditionem libentissime sint, non tantum opes suas, sed corpora etiam, & liberos collaturæ? quanquam & bellum alere se ipsum solet, si ratione, & ordine sit administratum: quæ quidem ratio, visque prudentiæ in te, Carole, summa est, si in vllo vnquam fuit. Quamobrem aggredere (quæsumus) hoc opus pulcherrimum omnium, & maximum, & cui tua magnitudo par sola est. Non est illud Imperatorium, neque Regium (crede mihi) contentum esse terminis, qui à maioribus sint relicti, aut proferre eos conari ex sociorum detrimentis, atque damnis: quasi parum multa sint in conspectu Barbarorum regna, parum multæ hostiles nationes, in quas iure inuadi, & quibus sancte bellum inferri possit: nec rursus dedere se delitijs, & voluptatibus, id quod à tua mente semper abhorruit. Non enim tu ad otium, nec ad desidiam, sed ad maximas semper res agendas, & cogitandas natus es, nullam habet maiorem iucunditatem virtus, quam recordationem rerum pulcherrime gestarum. nihil est animis præstantibus propositum ad diligendum, & cupiendum, quod finitum terminis sit. Caduca sunt enim, & fallacia omnia,

quæ ſpatijs circumſcribuntur: animos magnos, atque excelſ
in immenſum excurrere oportet, cùm regionum, terrarum q
Imperio, tum famæ, & laudis in poſteritate, tum vero beatitu
nis, & felicitatis in illo cœleſti, & immortali regno. Ad eum
Regnum, Carole Cæſar, & ad quæ præmia, decreta, & conſtitut
illis, qui diuinis muneribus ornati, ad eiuſdem Dei gloriam o
honeſtandam vſi ſunt, tua te laus, atque virtus, tuus ille long
præſtans, atque eximius animus, tua natura, tua ſumma proſa
tia, tuus ille notus immortalitatis amor, tuæ curæ, tui tot anno
à te ſuſcepti pro Rep. labores, tuus honos, dignitas, exiſtimat
in primis autem in Deum, & Chriſtianam religionem tua
vocat: ipſique nos cuncti (pro omnibus enim loquor) mon
te, & vocamus, & flagitamus: vt, cum gratias tibi tantas pro
exoptatæ pacis opportuniſſimo dono per te nobis conceſſo, h
toque debeamus, quantas perſoluere non poſſumus, ebor tibi
tum gloriæ, amplitudinisque videamus, quò noſtra debilit
aſpirare vix poſſint: &, cum omnia omnes egerimus, quæ vel in
gratulando tibi, vel in gratias agendo, vel in celebratione re
rum maximarum laudum, vel in commemoratione rerum a
pulcherrime geſtarum effici a nobis poterunt; nunquam tamen
tam alte officijs aſcendere valeamus, quin diuina tua in
nos, & in Chriſtianam Remp. merita ſemper
multo ſint ſuperiora.

FINIS.

IAC

IACOBI SADOLETI EPISCOPI CARPENTORACTENSIS, DE BELLO SVSCIpiendo contra Turcas ad Ludouicum Christianissimum Galliarum Regem, ORATIO.

SI QVIS antea fuit, LVDOVICE Rex, qui maximis nationibus præpositus, & in hanc celsam honoris sedem sublatus, fortunæ locum illum, singulari hominum beneuolentia, & summa virtutis existimatione tueretur, cum te esse arbitror hoc tempore, in quem ita omnium bonorum studia incubuerint, vt cum multa ex rebus domi, & militiæ gestis, cùm animi tui, tum consilij documenta ceperimus: quibus ad incredibilem erga te amorem conflagrauimus, arduũ admodum sit constituere: Vtrum ornatioribus iudicijs magnitudinem tuam, an votis amantioribus salutem prosequamur. Sed quo propensior nostra eiusmodi voluntas sit, illa etiam ratio in causa est: quod eandem hanc virtutem, quam egregiam in te & præstabilem esse cognoscimus, communi quoque Reipub. & Christianæ religioni imprimis speramus fore salutarem. Quantum enim longo iam interuallo, partim crudelissimorũ hostium iniurijs, Turcarumque contumelijs: partim temeritate & negligentia superiorum Principum, amisit fides nostra, tum auctoritatis, tum dignitatis, tantum videris tu breui tempore referre Reipposse: Si quantum in te potestatis fortuna esse voluit, tantum tu studij impendere in communem salutem institueris. Ac nos quidem cum bellicorum operum tuorum monumenta intuemur, planè intelligimus, non aliunde potuisse illa, nisi ab optimo consilio & animo maximo proficisci, quia enim rerum gerendarum origo ab interioribus fontibus prudentiæ deducta est, iccirco necesse est, vt quid egregiè gestum sit, antea fuerit præclarè cogitatum: cum vero animi tui præstantiam & magnitudinẽ tenemus, etiam in spem ducimur, tanto maiore laude tuendæ religionis

tibi proposita, quanto illustrius est publicæ vtilitati consu
magnum Regem, quàm priuatæ, te non minora deinc
tatis pignora Reip. daturum, quàm antehac dederis fortu
Neque huic nostræ opinioni atque sententiæ humana tam
consilia adstipulantur, sed multo magis diuino numine
confirmati sumus. Quis enim animum referens ad ea bella
gessisti, victoriasq; quas es adeptus, tuamq; in illis, non
ministrandis vim animi atq; fiduciam: sed etiam in
celeritatē cogitans, non intelligat Deorum immortalium
ac voluntate, ad functionē pulcherrimi operis, te & vo
instructum esse, vt sis sanctæ Christianæ religionis
diuq; exoptatus votis omniū, cùm auctor resurgens
violatæ atq; punitor: cum illi omnibus cœlestibus
te conferendis, non solum te ornasse ad tuam laudem
dam: sed etiam armasse ad suam religionē defendendam
ac liberalitate sua videantur. Quod si in hominum vita
ētu: & in ea societate communi, quæ cognationis
quibusdam, & naturali ipso iure continetur, ij præcipuè
mantur officij retinentes homines: omniumq; benevolentia
gni, qui accepti beneficij memores, quā possunt
rum commodorū alacri animo gratiam persoluūt: Quanto
dem te studio, quanta alacritate decet summi ac
& beneficia agnoscere propter prudentiā, & gratiam
ritis, propter pietatē: præsertim cum quid ille
operam tuā flagitet, propè voce testetur, clara
immortalis vox & oratio: suos à te hostes se vinci
mi, cum tuos tibi vt superares concesserit: nec
appellatio pietatis atq; officij, quā declarare
di reposcas gratiā. Quamobrem ille Regū Dominus
que Principum Deus: cuius beniguitatem &
per te expectant, cum suo quodam diuino occulto
nos cogitatione aspirare non possumus, tibi
tibi innumerabiles populos, tibi regna, tibi
triumphumq; contulit, non tibi profecto soli
reip. nec vno in homine fidem beneficiorū
per vnum hominē statuit vbertatem cœlestis
uersos homines infundi oportere. Ergo & hæc
maiestate & amplitudine tua Christianæ fidei
gnatio est: & illud enixè contendendum, vt in
grediendis ac perficiendis, dignus & salutis
uinæ liberalitatis minister esse videare. Nobis
annis in summa desperatione omniū rerum
sa nostris mentib. sempiterna nox videretur,
spes bonæ salutis illuxit, quam ijdem dij immortales

propo

propositam esse voluerunt, ob quã erecti atq; excitati, te meliorẽ fortunæ, quasi signum extollente, nosmetipsos, res, rationesq; nostras, omnemq; spem incolumitatis ac salutis, in tua vnius virtute ponimus ac locauimus. Tantam enim animi magnitudinem, tam insignem admirabilemque prudentiam, tantos ac tam prosperos fortunæ & inauditæ felicitatis cursus, certè ad vtilitatem publicam incitatos esse arbitramur: nec persuadere nobis possumus, nec aliter sentire atque existimare, cùm in rebus inchoandis tantam laudem assecutus sis, quantam omnes gentes commemorando celebrare non desinunt, te, ad ea quæ restant, longè maiora ac vberiora, non eandem tuam illam vim virtutis & sapientiæ esse conuersurum. Atque hæc nostra cupiditas & expectatio, vt tibi opes tuas, cùm fortunæ, tùm consilij atque auctoritatis in salutem Reip. collocare libeat, & si plurimum nostris rationibus accommodata est, quibus optabile est, diuque votis ac precibus efflagitatum, aliquando tandem à continuis periculis detrimentisque conquiescere: tamen non minùs perspicua habet in sese testimonia communis in te amoris, & iudicij, quàm desideria salutis. Quid enim aliud est optando deligere ex omnibus vnum, à quo te vel ornari vel conseruari cupias, quàm illius quem deligas & gloriæ fauere, & de virtute præclarè existimare? Atqui hæc sententia omnium ac voluntas si tibi honorifica est, permanetque ad laudem tuam, teq; in excelsissimo loco auctoritatis atque existimationis communi opinione statuit: est profectò & tuæ humanitatis, hominum studiosissimorum, tuiq; amantissimorum salutem conseruandam suscipere, & summæ virtutis præstantisq; sapientiæ iudicia omnium gentium, quæ maxima de te orantissimaque sunt facta, Turcis frangendis atque à cernicibus Reip. summouendis, sanctissimoque bello pro communi religione suscipiendo comprobare: vt illi qui te ad tantam laudem dignant, nec repudiati in beniuolentia, nec decepti in iudicio esse videantur. Quanquam quidem huius de te opinionis non nos soli participes sumus: nec proprium nostrum est hoc iudicium, sed nobis cum ipsis hostibus commune, non enim minùs verè & grauiter illi de te iudicant, quàm nos iudicemus: nec tua ista imperij & auctoritatis amplificatio maiorem nobis lętitiam attulit, quàm illis formidinem: ac illi metu nunc perterriti atq; exanimati rumore tui nominis, tot victoriis illustri, ad extremas nationes peruagato, cùm ita reformident aduentum tuum, vt ad omnem mentionem tui perhorrescant: id profectò facere existimandi sunt, quod in tali re atque periculo fieri passim solet, vt tum Deorum suorum imagines (quos illi peruersè admodum & superstitioso ritu colunt) procumbant supplices, precibus obtestentur, impenseque obsecrent, quo tu ab huiusmodi præclara

voluntate abducare. Quod si tu in medio cursu felicitatis ac vi-
ctoriarum iam vsque eò progressus, vnde promptum atque expe-
ditum iter est ad peragenda quæ restant, te ea quidem vberiora
ad gloriam: ad opus vero & laborem leuiora, repente constiteris,
te represseris, tantamque lucem dignitatis amplitudinis, & ipsi-
us (vt ita dicam) immortalitatis, aut non aspexeris propositam,
aut reliqueris vltrò atque contempseris sese offerentem, nimi-
rum id quod cùm nostra, tum vero honoris tui abominatur
causa, & hostibus tuis infestissimis insperatam lætitiam, & fe-
cijs amantissimis inopinatam calamitatem importauerit: tuis
illi frustra se pertimuisse, falso de te iudicasse se arbitrabunt,
inanemque suam de tua virtute opinionem irridebunt, infi-
onibus efferentur, lapsum & quasi ruinam laudis auctoritatisque
tuæ, suæ auctoritati existimationique fortitudinis ascribent: in-
punitatemque sibi præteritarum iniuriarum, non solum dona-
tam putabunt, sed etiam licentiam nouarum: nos vero quorum
erat saluti, & fortunis per te consulendum, omni spe orbati de-
solatique auxilio, miserabimur grauiter conditionem nostram,
perpetuoque lamentabimur: plus illorum ad multa & irrita De-
orum simulachra, superstitiosas preces, quàm nostras vetas la-
chrimas, iustosque dolores apud Dei omnipotentis animum
valuisse: & cum ipsorum illis Dij propitij esse non possint, tum
Regem qui nobis possit, quique in nostra spe & salute retinenda,
vicariam propemodum habeat Dei immortalis potestatem: pro
hostium potius votis, contra dignitatem suam, quam pro salute
sociorum ex amplitudinis suæ gloria egisse. Quod eò etiam erit
indignius ferendum, quod illorum vota nihil aliud spectant,
quam facultatem inferendæ nobis iniuriæ ac calamitatis: nostra
ad vnam rationem intenta sunt, recuperandæ honestatis. Qua-
propter est hoc omnino tua Maiestate dignum, hoc debitum ex-
cellentiæ tuæ, hoc proprium tanti Regis, hoc & ijs rebus quas
gessisti & ei expectationi, quam concitasti imprimis consentane-
um, vt te in huius præstantissimi facti cogitationem dedas, Tu-
carumque imperium, quod nostra cum pernicie, & Christianæ
religionis, vnde tu clarissimum cognomen accepisti, labe ac
ignominia auctum adhuc & cumulatum est, tollendum fundi-
atque extinguendum tuæ virtuti felicitatiq; assumas. Nam quod
aliud munus est regnandi, quam in his rebus meditandis & pe-
rendis, quæ Rempublicam vtilitate beneficioque comprehen-
dant, & alienæ commoditati elaborare & suæ laudi. Sanè est ne-
ita agnatum regib. & quodammodo affixũ, vt qui ab hac præcla-
rissima mente desciuerunt, neq; nomẽ regiũ, neq; dignitatem re-
quam potuerint sustinere: sed falso quidem vsurpauerũt regum &
principum nomen, rem autẽ ipsam repudiarunt penitus atq; con-
tem-

emperunt. Magna est species, magna grauitas, magna maiestas principatus: quam qui non in purpura, non in opibus, non in insignibus & comitatu, sed in virtute, sed in iustitia, sed in animi magnitudine, sed in sapientia positam esse putauerunt, ij vnum principes: neque hoc tantùm, sed optimi & clarissimi principes fuerunt: qui ad commoditatem eorum qui suæ fidei essent commissi concreditique essent tuendam: & ad communem generis humani vtilitatem procurandam se esse natos existimauerunt: qui ita constituerunt: propterea quidem, quod Imperium nihil aliud intelligebant esse, nisi curam alienæ salutis, exercitationem propriæ virtutis, studium commodi publici, negligentiam priuati, se potestatem quandam ad Dei similitudinem inuentam obtinere: idque operis sibi incumbere vt genus humano benefici imprimis & salutares reperirentur. Quo etiã eorum est nomen magis ab omni memoria detestandum, qui in tam celsum gradum honoris sublati, potestate, quam habuerũt, non ad vllam illustrem rationem, sed ad priuatos quæstus & libidines sunt abusi: horum nimirum scelere atque importunitate nos afflictos & perditos, pluresque à gremio sanctæ religionis prouincias dolemus esse distractas: Sed illi qui in flagitiis atque in omni libidinum genere suis cupiditatibus morem gerere studuerunt, ab eis rebus quas tantoperè amplexi fuerant, diepti morte, atque diuulsi, æternis nunc, & meritis suppliciis exercentur: nos verò eorum culpa in extremum discrimen adducti, hoc maiore sollicitudine animi & labore, tuam & fidem, & diligentiam imploramus: vt laboranti Christianæ Reipub. faueas, superiorumque temporum ruinas tua virtute & pietate sulcias. In quo vide quam in opinionem de te discesserimus: magnum verè iudicamus Regem, qui subditorum suorum saluti consulit: estque hoc ita proprium Regis, vt sine eo nec munus regale, nec officium constet: Igitur cum te ad orbis terræ vniuersi salutem deposcimus: quæ recta religione communicanda victis ac victoribus futura vna & eadem est: cùm inquam te ad hanc rem tantam gloriæ celebritatisque plenissimam idoneũ putamus, nónne dignum qui omnibus gentibus imperes arbitramur? Enimuerò ex tuis rebus gestis, multa habuimus in te ipso virtutum documenta maximorum: nam & prudentiam in consiliis, & fortitudinem in periculis tuam cognouimus, & vehementiam in agendo, celeritatem in conficiendo, clementiam in ignoscendo: quæ sunt omnes imperatoriæ virtutes maximi ducis propriæ, bellicæque laudis & victoriæ comites: quibus condocemus te ad sanctissimi belli, quo te adhortamur, expeditionem, opes, & omni facultatis genere esse instructissimum: sed vna omnia voluntas ac deliberatio te Regem omnium præstantissimum

mum declaratura est: hoc vnum ad summam amplitudinem
minis tui reliquum est: hic restat actus, in quo omnes quic
elaborare debent, qui in Regnis & Imperiis sunt. Sed tu impera
ac vehementissimè, qui cognomen Christianissimi à maiorib
omnium, quæ vnquam virtus cuiusquam, aut fama apperit
maximum clarissimumque obtinuisti: nam Regem quidem
se, humanæ dignitatis est, Christianissimum verò, diuinitus
ris: & in vtroque tamen Christianæ Reip. curam & quasi pra
rationem cernimus tibi esse commissam: ex quo intelligitur
quò te res ipsa, quò fortunæ fauor, quò merita Deorum, qu
singularis illa nobis perspecta maximis in rebus & in admir
ne habita animi tui magnitudo vocet: cùm quale munus, &
cuiusmodi exercitatio suscipienda sit, nominibus ipsis com
neare: quod si illi, qui tecum aliis rationibus coniuncti, tum
& religionis, & quandoque societatis, hac vna tantummo
causa, atque hoc iustissimi belli prætextu, quod nimis cupid
in alienos fines imminere videbatur, victi abs te atque redom
nihil aliud appetierunt, nisi vt potentiam tuam infringerent
terminisque imperij tui summouendis, suos ipsi vt promouer
fidem autem, & religionem, nec offensam vnquam, nec violatam
esse voluerunt: quos tamen non solùm vi atque armis, sed lib
citare, & Deorum immortalium nutu ab imperio & de auctor
tate pristina depulisti. Quid tandem tibi suscipiendum animi
aduersus eos, qui natura barbari, feritate crudeles, sceleris
& tibi, & nobis, & vniuerso nomini Christiano sempiterni hos
extiterunt? qui fidem sanctissimam, qui diuinam religionem
qui illam alteram partem tuæ amplissimæ dignitatis, quæ eo
dem & ad veritatem potior est, & ad commemorationem fir
certè glorioſior, quam tu Christianitatis nomine consecutus
fœdârunt, diripuerunt, omni semper immanitate & inhum
furore lacerârunt? Profectò si fuit magni Ducis eos qui arm
contrà ferrent, virtute, & consilio, & militari robore reuinc
optimi mediusfidius, & Christianissimi Regis, quæ tua maie
que illustriot laus est, nomen sanctissimæ religionis, salutem p
puli fidelis, contra nefarios hostes defendendam recipere: a
committere vt hæc orbis terræ spes & expectatio, quam inc
bilis omnium erga te beniuolentia aluit, tuæ virtutis opin
firmauit, Deorum eximia aduersum te beneficia corrobor
runt, ratio & necessitas Reip. sustentat, frustra esse commu
deatur. Ac mihi quidem ad initia generis tui præclara sanè a
illustria animum & cogitationes meas referenti, videntur ma
res illi tui, qui primi regnum Galliæ sua virtute constituer
steris tradiderunt: hac vna re potissimùm, quod fidem Chri
cupidissimè ac religiosissimè acceptam, per finitimas nation

prop

propagare sunt nixi, auctoritatem sibi, & firmamentum, ac robur imperio comparasse: quorum Pipini duo, & interiectus inter hosce Karolus Martellus, Pipini primi filius, posterioris pater, cùm etiam tum barbaris & idolatris redundaret Gallia, Germaniæque magna pars auersa à religione, fidei nomen, non solùm odio, sed etiam armis persequeretur, in hac vna cura omnes, & vrtutem & vim sapientiæ suæ posuerunt, vt superstitione omni eius regionibus extirpata, verus Dei cultus vbique conserereturque Germani ab illis domiti, Phrixones subacti, Saxones in fidem recepti. Quæ integræ & validæ nationes in gum idem & vetus imperij, & sanctæ religionis vnà subierunt: ex quo profectò intelligere possumus, quantam illis gloriam victoria dederit, cum victis calamitas attulerit salutem: Karoli autē Magni summam, inauditam, incredibilem, ac penè diuinam animi magnitudinem, pietatem, virtutem, quibus adhuc laudibus celebramus, quo honore prosequimur, qua beniuolentia complectimur? qui cùm multa bella gessisset, partim tuendorum finium causâ, partim inductus propagandi imperij cupiditate, quæ plerunque excellentibus animis innata est: habuit in ceteris causam vel iustam, vel necessariam: quæ verò pro Repub. Christiana gessit, Saracenis, qui latissimè se effuderant vltra Berhin summotis: Hispanis ad fidem adductis, Saxonibus non minùs religione, quam armis subactis, in tanta sunt gloria, vt illius nomen chatissimum nulla vnquā ex animis hominum deletura sit obliuio: nulla diuturnitas illius laudes obliteratura, nullius vnquam vox illius clarissimas virtutes sit tacitura: quod si illi domesticis semper seditionibus impliciti, bellumque intra fines perpetuum gerentes, tantum tamen virtute, & diligentia perfecerunt: vt idem nemini esset eorum propemodum & nominis, & imperij, vt antiquam arma mouerint, vnde victoriam non reportârint: nullam gentem vicerint, quam non & clementia sua, & veritatis doctrina conseruauerint. Quid tandem est abs te requirendum? qui cùm virtute illis (vt speramus) par: tum verò opportunitate certè es superior. illi enim regno constituendo, finitimisq; nationibus adiungendis, tanquam gradus tibi construxisse videntur, quibus te nunc in cœlum possis attollere. An verò tibi nō dispar longeq; dissimilis horum ipsorū videtur, quos modò nominauimus, fortuna aeq; aliorum conditio Galliæ Regum, qui nequaquam sibi in simili laude elaborandum esse putauerunt? Intuere paulisper animo quoniam oculis non potes, longum ordinem Regum eorum, qui te antecesserunt: & cogitationes tuas ad spatium recordationem præteriti temporis reuoca: nónne ipsi illi fidei propugnatores, qui Reges Christianissimi, non solùm nomine, sed etiā re ipsa se esse voluerunt: stare tibi videntur in immensa diuturnita-

nitate, insignes atque conspicui, tanquam ad sempiternam vir-
tis, & gloriæ vitam erecti: vetustate inuicti: ac indies potiùs ar-
gis efflorescentes? cæteris prostratis atque abiectis: neque solu-
morte, id quod communis infirmitatis est, sed etiam, quæ iner-
tiæ peculiaris pœna est, obliuione oppressis? mihi mediusfidius
videntur illi elucere tanquam lumina: & cùm longinquitas tem-
poris sensim rebus obducere obscuritatem soleat, omnem cal-
ginem vetustatis clarissima luce nominis sui vincere. Quos cùm
cæteri Reges atque Principes diuerso ex genere, remotissimo
in terris proponere sibi ad exemplum rerum bene gerendarum
soliti sint: tu domesticis exemplis non accendare? Non fuit
hoc animi, non ingenij tui: ne nostræ quidem spei atque opi-
nis, quam de tua sapientia concepimus: Illud potiùs tuæ ho-
miæ virtutis, & excellentis animi magnitudinis efficere: vt
illi in maximis difficultatibus, regno nouiter instituto, finitimis
omnibus ad arma contra eos euntibus, tantum labore & diligen-
tia enixi sint, vt latissimè fines & imperij, & religionis extendere-
tu in summa rerum, quæ ad hoc bellum idoneæ sunt, facultate &
copia, in amplissima auctoritate, in robore exercitus inuicti, ne
& tam magnas oportunitates, tanta virtute excipias, vt illi minus
multò præ te virtute, quàm occasione valuisse videantur. Non
quid ego de cæteris dicam ex eadem, vel familia, vel patria mo-
ribus tuis? tulit enim, tulit hæc terra duces plurimos, cùm ex bel-
licis laudibus illustres, tum animo in religionē præstantes, tibi
ne Karolus Tertius eodem itinere suscepto, quò maiores fuos in-
stitisse ad summam laudem viderat, eorum vestigia magna cum
cura est persecutus? cui quidem Normanni, gens ferox armis, qua
indomita, quod credunt Deum verum, quod cognoscunt, quod
in spem salutis & æternitatis eduntur in lucem, atque educantur,
totum acceptum referunt. Quid illi, qui hoc ipsum idem bellum
cuius vbi nunc & cupiditatem, & victoriam votis & desideriis
nostris adoptamus, singulari felicitate & gloria confecerunt?
Gothifredus, Balduinus, Vgo, Roberti duo, qua tandem in ce-
britate famæ, & quàm grata commemoratione omnium gen-
versantur? Quos, cùm neque regnum obtinerent, neq; summam
haberent potestatem: tamen in sanctissimam expeditionem pro-
ficiscentes, innumerabilis ex Gallia multitudo fortium virorum
consecuta est: atque illi signis aliquotiens collatis, maximis
exercitibus aduersariorum fusis atq; fugatis: vrbibus munitissimis
expugnatis, omnia à Bosphoro & Propontide, ad vsque ter-
prum armis perdomuerunt: cùm eorum virtutem, cœlestium
præsidiis armatam, nulla hostium tela, nullæ obiectæ alterius
nes, nulla vis opposita retardare potuisset. Itaque illorum tanta
opera & regnum Hierosolymis constitutum est, & barbaræ na-
tione

tiones edoctæ, nobis ad hostes retundendos, violatamque religionem persequendam, non vim plerunque aut facultatem, sed curam abesse: quod grauissimis intra nos dissensionibus distracti, temeritati potius & iracundiæ, quàm sanis consiliis adhæsimus. Neque hoc barbarorum fefellit astutiam, qui virtute nunquam nobiscum, temporibus semper pugnauerunt: nam tum pulsi penè omni Asia, aliquot quicuere annos, dum nos ad nostram amentiam & fatalem quasi calamitatem rediremus: cuius mali simulatque signum à nobis cecinit, continuò in nostras seditiones ac discordias impetus ab illis factus est. Qua in clade periculoque nostrorum, duo maximi fortissimique Galliæ Reges, diuersis tamen temporibus, laboranti in his locis populo Christiano succurrere sunt conati, Philippus, & is qui ob eximias dotes fidei, pietatis, continentiæ in diuorum numero relatus est, Ludouicus sanctus, cuius quidem laus hæc propria est, quod in Africa primùm, mox in Africa, barbaris atq; infidelibus bello consultis, integram consumpsit ætatem: verè magnus ille Rex, qui semper & Regiæ dignitatis officia, & Dei immortalis beneficia ante oculos proposita habuit: verè ad hominum salutem natus & tutelam, qui cùm eas contentiones refugit, quæ ad Christianorum perniciem, tum ea bella susceptit, quæ ad hostium etiam liberationem pertinerent: meritò igitur ille ac iure optimo felix fortunatus, cuius inter homines nomen, in ortu spiritum ad æternitatem vitæ cernimus consecratum. Portò autem te ipsum tantæ circumstant nocte & interdiu maiorum uorum autoritates, vt domesticæ laudis recordationem intermittere non queas: his tu exemplis, his documentis præstantissimæ virtutis, quæ domi tibi nata sunt, omnibus quidem proposita ad imitandū, tibi verò vni insita ac penitus affixa, atq; ab his initiis generis, virtutis, dignitatis, potentiæ: quod nam tandem appetere fastigium gloriæ debes, tanto altiore ex forma, cum illi aliquantò inferiore ex loco ad summam laudem nihilominùs contenderint. At enim bellum graue est, & periculosum, hostesque ij qui & manu, & copiis, & omni apparatu bellico maximè sint formidabiles. Primùm si ita esset, quod est longè secus, tamen esset magni regis, non aduersatiorum potentia deterreri, sed virtuti suæ confidere: tantoque maiore cupiditate incendi ad inferendum bellum, quantò esset victorix, potentissimis hostibus deuictis, futura illustrior. Deinde ne hoc quidem spectandum semper est, vt ne potentioribus bello lacessendis, in discrimen status & salutis nosmetipsos conijciamus. Etenim si hoc cautū perpetuò atq; obseruatum fuisset, nunquam nec magna imperia concidissent: neq; multæ respub. ab exiguis infirmis-

firmisque principiis ad summam amplitudinem fuissent elati.
Sed homines animo valentes, consilio prouidi, cùm hoc anim
aduerterent, omnes res humanas, cùm infirmas & instabiles, tum
præcipuè regna atque imperia assiduis conuersionibus, & cre-
bris fortunæ varietatibus esse obnoxia, sæpenumerò pro au-
genda, vel conseruanda dignitate, pericula adeunda sibi pu-
uerunt. Neque hoc Turcæ ipsi nostri æterni hostes non vnquam
qui cùm primò è Scythiæ tenebris erupissent, Albanosque con-
terminos Rom. Imperij, quod etiam tum latè patebat, adeunt
subito oppressissent, ex eo deinde loco, assiduitate & diligentia,
& nostris intra nos dissensionibus aucupandis, latrociniis po-
tiùs quàm bellando vniuersam Asiam prouinciam occupa-
runt: atque horum ipsorum si esset, vt etiam dixi, non in illis
latrociniis, quemadmodum est, sed virtute & viribus exaggera-
potentia, tamen ad tuam tantam existimationem virtutis pro-
neret, eos appetere hostes, quos & piè lacessere, & cum digni-
te superare posses: præsertim cum suo ipsi exemplo te docerent,
non esse in suscipiendis bellis alienam potentiam pertimescen-
dam, sed suam fortunam periclitandam. Verùm ad facultatem
conficiendi negotij hoc percommodè cadit, quod non vllam
habent potentiam virtute fundatam, sed tantùm falsa opinione
earum gentium, quas nunquam maiores nostri bellis inuicta
esse iudicauerunt. Quid enim imbellius Asia? quid illis populis
mollius? quid ad prædam & direptionem expositius? qui incur-
sionibus subitis, atque eo genere pugnandi, quod fugæ magis
quàm prælij simile est, aliquid fortasse valent aliquando: tot
autem nostrorum exercituum, vimque fortissimorum militum,
non modò vnquam non pertulerunt, sed ne expectare quidem,
aut aspicere sunt passi. At quomodo tantos imperij & fortunæ
successus habuerunt? Equidem si occultam esse decoris nostri
causam existimarem, dissimularem & ipse vtique, nec in maximis
incommodis detrimentisque nostris verecundiam quoque fa-
tendi sustinerem. Sed quoniam & eius rei ratio ita exposita et
patens est vt celari nullo modò possit, & ad rem maximè perti-
net, intelligi omnia alia, potiùs quàm vim virtutemque hostium
causam nobis calamitatis fuisse: proferendum est opinor, inte-
stinas nostras cupiditates, amentesque discordias, & hanc omni-
quasi fatalem nostri generis pestem, quod socioru iniuriis am-
biores habuimus semper quam hostium: & facultatem illi ma-
mam inferendæ iniuriæ, & impunitatem factæ tribuisse. Qua-
quidem in malo illud tamen inest boni, quod id quod ad nostri
dedecus, turpissimum videtur esse, ad spem recuperandæ digni-
tatis est aptissimum. Nam si aperta hostium vi, & virtute, fracti
superatique essemus, minùs quidem turpiter cecidissemus, quod
etiam

enim dubius belli Mars, ancipitesque præliorum solent esse exitus. Iccirco qui honestè calamitatem subeunt, misericordia potius quam vituperatione digni iudicantur: sed in reliquijs retentæ honestatis, omnes salutis reliquias amisissemus: nec solùm redintegrandæ veteris fortunæ spes extincta in nobis fuisset: sed etiam vitæ obtinendæ ratio funditus sublata: quis enim & hostium, & victorum, aut forditudinem rursus lacessere, aut crudelitatem effugere valeret? Nunc maiore in macula nostri nominis atque labe, quod culpa lapsi, non fortuna putamur, & amentia nostra contractam, non hostium viribus inustam turpitudinem ferimus, simplus nobis ad bene sperandum aditus est: si à socialibus inimicitijs & simultatibus conuertere animum ad arma pro summa religione honestius tractanda voluerimus, facillimam nobis rationem resarciendæ dignitatis fore. Atque hæc, vt non tam verbo posita, quàm ratione firmata videantur, breuiter est, quemadmodum res processerint, à nobis perstringendum. Bitantis sedes fuerat imperij: non dicam hoc loco, quam prauo ac pernicioso consilio illius, qui vrbem Romam ea Colonia exhauserit imperium diuiserit: vires populi Romani distraxerit: vnitatem & concordiam de principatu sustulerit: hoc dicam, cum Vrbs illa ob crebras mutationes Principum atque imperatorum, intestinis seditionum fluctibus agitaretur propè quotidie, Turcis occasionem inter eorum discordias ad occupandam Asiam fuisse præfactam. Dissensit postea Græcia à nobis: nec tantum odio, quo semper illa gens nostros homines prosecuta est, sed etiam de summa fide & religione: cum homines illi ingenij existimationis cupidi, Latinorum sapientiæ cedere: auctoritatemque sanctæ Rom. ecclesiæ grauissimam habere animum non inducerent. Itaque hæc quoque nobilis terrarum pars à corpore Christiani imperij abrepta atque diuulsa est: Thracia: Pontus: Maxima Illyrij pars: vicinæque prouinciæ complures, eisdem dissensionibus debilitatæ, cum qui finitimorum armis impares fuissent barbarorum armilijs vterentur: eodem perfidiosissimorum hostium iugo sunt oppressæ. Accidit enim vt quasi fatali quadam vecordia obsessis eorum, qui in eis regionibus imperitabant animis, finitimi semper reges dum inter se atque hostem aliqua gens & natio intercederet id se temporis tantisper lucrifacere arbitrati, auersique; penitus cæcitate & amentia, continente mox incendio, eadem pericli flamma corriperentur. Restabat lumen orbis terrarum: caput omnium prouinciarum: domicilium imperij: sedes veræ religionis Italia: quæ & ipsa multitudine Regulorum ac principum discordijs in plures partes dissecta: quod integrum vnius imperij robur non habebat, nefarijs hostium excursionibus annotiens vexata est. Dicam equidem, & dolenter dicam, id

quod sine magno gemitu animi loqui non possum, cùm in
Principes Italiæ, atque inter eos qui se suarum nationum Re
aut Duces appellari volebant, tantus versaretur furor: tan
tam acerba odia intercederent, vt alius in alium, non tanqu
in socium, aut in ciuem, aut ex eadem lingua & genere,
denique tanquam in hominem, sed tanquam in acerbissim
& teterrimum hostem alieni generis contrariæ religionis: dis
milis naturæ: inhumano odio: inusitatoque ferretur: neque
iræ modum vllum: neque inimicitiarum constitueret: ad
erupisse quorundam, vt ad vlciscendas finitimorum iniurias, &
iracundiam suam sanguine ciuili explendã barbatorum Christi
hostium auxilia aduocauerint, & quoad eorum fuit, in
illis & seruitutem Italiam obiecerint. Quid hac re crudelius &
sceleratius dici, aut excogitari potest? Adeóne apud homines
pios nihil sanctum: nihil legitimum: nihil fas valuisse: vt qua
illis natura genuit hostes, cum eis ipsis nefariam societatem
rint: qui verò essent plurimis necessitudinibus coniuncti, &
ris, & religionis, & patriæ, eos interneciuorum hostium loco
bendos duxerint? patriamque & suam, & communem fidelium
salutem: orbisque terræ statum ob hanc vnam causam, vt
inimicorum incommodis videndo fruerentur, in periculum
tremæ calamitatis adduxerint? Verùm hæc quæ grauiorem
relam desiderant, in alind tempus reijcienda sunt. Illud autem
quod fuerat nostræ orationi propositum clarescere iam attinet
Turcas his semper artibus, his insidiis vsos, tantum terrarũ Chri
stiano nomini per discordiarũ nostrarũ occasiones intercepisse
quantum nos cupiditatibus & seditionibus auersi dimisimus.
Ac si diligenter rem expendere: & de eorum successibus ver
existimare voluerimus: reperiemus Turcarum imperium non
vlla ipsorum fortitudine propria, non exquisitis consiliis, &
inaudito quodam genere prudentiæ: non terrestribus mari
misque victoriis, in quibus aperta, & veritate illustris virtus
nituerit: sed nostris dissidiis: nostris furoribus: nostra amen
tia, & institutum fuisse, & auctum, & confirmatum. Qui
enim illi vnquam agere fortiter, aut cum virtute facere po
tuerunt? qui neque exercitus habent statatios: neque acies
destribus copiis firmas, in quibus præcipuum robur militiæ
consistit: neque cataphractos equites, qui pro muro in pa
esse solent ad propulsandos hostium impetus, suorumque
mittendos: Sed tantum leui vtuntur equitatu, apto ad
sus, si nihil obstiterit: si nemo arma contra mouerit: sin autem
aliquis fuerit obiectus terror, aptiore ad fugiendum: vt cum
in conserenda cum illis manu dubium vehementer sit, vtrum
plus periculi in fuga, an securitatis sit in virtute, hęc res
animos

animos nostrorum militum confirmatura in pugnando sit, fortiendumque excitatura: numero quidem sunt infiniti, sed bene instituæ militaris disciplinæ semper fuit, qua nostri valent plurimùm, virtutem intueri, multitudinem contemnere: Quis enim vnquam magnus imperator ad præclaras res gerendas, turbam hominum & multitudinem potiùs, quàm robur, & scientiam prælandi requisiuit? Atque hæc ita à nobis disputantur, quasi vt cognoscamus quid illi facere potuerint: illustrius est commemorare quid fecerint. sic enim facilius intelligemus falsam esse illorum potentiæ opinionem, quæ ignaras mentes nonnullorum occupauerit. Hic ego antiqua omnia prætermittam ea, quæ vetustioris memoriæ fuerunt: neque illa reuocabo oratione mea, quæ maiorum tuorum laudem cum exemplo pulcherrimæ virtutis habent coniunctam: Non narrabo hoc loco Gothfredos, Balduinos, Ludouicos, Philippos: non dicam hisce in Asiam transmittentibus, & per omnes orientis prouincias fidei vexilla inferentibus, quotiescunque signa cum Turcis collata sint, quæ sæpissimè certè fuerunt, quotiens vrbs aliqua nobilis obsessa, quotiens aut in campis, aut pro muris prælio decertatum, totiens fractos hostes, & tamdiu cæsos, quoad manus nostræ sufficere ad laborem potuerunt, cùm illorum aliquos numerus, non ipsorum virtus texisset, transitum nostris ad Aegyptum vsque per suorum cadauera corporum præbuisse: hæc ego omnia prætermittam, & si quæ alia eiusdem modi, quæ remotioris temporis sint: pauca tantùm recentia, atque omnibus nota commemorabo: quæ nuper facta sunt, quæ vel ipsi vidimus, vel proxima ætas sensit. Clara adhuc Mathiæ Regis inclyti memoria extat, atque omnibus grata: qui cum Pannoniis præesset, regnumque obtineret: opibus tenue: copijs non ita firmum: solitudinibus propè desertum: perpetua nihilominùs cum Turcis finitimis bella gessit: quorum inimicitias vsque adeò appetiit, vt in eis persequendis gratam se rem Deo facere: fidem defendere, honori suo consulere se arbitraretur: robur autem eorundem & audaciam, ita non extimuit, vt cum sexaginta milibus equitum suum regnum quandoque ingredientes, ipse non amplius quàm duodecim millium militum ducens, Marte collato profligauerit: vtroque in eorum fines sæpe intrauerit: omnia populationibus & rapinis infesta reddiderit: quibus illi rebus territi, magni atque inuicti (vt ipsi aiunt) Asiæ & Thraciæ dominatores: legatos ad Mathiam regem miserunt: qui perpetuam pacem ab eo & fœdus æternum postularent: qui tamen re inexorata, domum remisit: cùm Rex ille fortis atque magnanimus, dignus illo loco, & nomine, bellum illud, non periculo sibi, sed saluti, atq; illo-

quod sine magno gemitu animi loqui non possum, cùm ad
Principes Italiæ, atque inter eos qui se suarum nationum Re
aut Duces appellari volebant, tantus versaretur furor: tant
tam acerba odia intercederent, vt alius in alium, non tanquam
in socium, aut in ciuem, aut ex eadem lingua & genere
denique tanquam in hominem, sed tanquam in acerbissimum
& teterrimum hostem alieni generis contrariæ religionis
milis naturæ: inhumano odio: inusitatoque feruore: non
iræ modum vllum: neque inimicitiarum constituerent
erupisse quorundam, vt ad vlciscendas finitimorum
iracundiam suam sanguine ciuili explendā barbarorum
hostium auxilia aduocauerint, & quoad eorum fuit, ipsam
illis & seruitutem Italiam obiecerint. Quid hac re crudelius
sceleratius dici, aut excogitari potest? Adeóne apud homines
pios nihil sanctum: nihil legitimum: nihil fas valuisse
illis natura genuit hostes, cum eis ipsis nefariam societatem
rint: qui verò essent plurimis necessitudinibus coniuncti,
ris, & religionis, & patriæ, eos interneciuorum hostium
bendos duxerint? patriamque & suam, & communem
salutem: orbisque terræ statum ob hanc vnam causam,
inimicorum incommodis videndo fruerentur, in
tremæ calamitatis adduxerint? Verùm hæc quæ grauiorem
relam desiderant, in aliud tempus reijciendæ sunt. Illud
quod fuerat nostræ orationi propositum clarescere iam
Turcas his semper artibus, his insidiis vsos, tantum
stiano nomini per discordiarū nostrarū occasiones
quantum nos cupiditatibus & seditionibus auersi
Ac si diligenter rem expendere: & de eorum
existimare voluerimus: reperiemus Turcarum
vlla ipsorum fortitudine propria, non exquisitis
inaudito quodam genere prudentiæ: non
misque victoriis, in quibus aperta, & veritate
nituerit: sed nostris dissidiis: nostris
tia, & institutum fuisse, & auctum, &
enim illi vnquam agere fortiter, aut
tuerunt? qui neque exercitus habent
destribus copiis firmas, in quibus
consistit: neque cataphractos
esse solent ad propulsandos
mittendos: Sed tantum
sus, si nihil obstiterit:
aliquis fuerit obiectus
in conferenda cum
plus periculi in

animos nostrorum militum confirmatura in pugnando sit, fortitudinemque excitatura: numero quidem sunt infiniti, sed bene instituatæ militaris disciplinæ semper fuit, qua nostri valent plurimùm, virtutem intueri, multitudinem contemnere: Quis enim virtutem magnus imperator ad præclaras res gerendas, turbam hominum & multitudinem potiùs, quàm robur, & scientiam pugnandi requisiuit? Atque hæc ita à nobis disputantur, quasi vt cognoscamus quid illi facere potuerint: illustrius est commemorare quid fecerint. sic enim facilius intelligemus falsam esse de illorum potentia opinionem, quæ ignaras mentes nonnullorum occupauerit. Hic ego antiqua omnia prætermittam ea, quæ vetustioris memoriæ fuerunt: neque illa reuocabo oratione mea, quæ maiorum tuorum laudem cum exemplo pulcherrimæ virtutis habent coniunctam: Non narrabo hoc loco Godofredos, Balduinos, Ludouicos, Philippos: non dicam hisce in Asiam transmittentibus, & per omnes orientis prouincias fidei semina inferentibus, quotiescunque signa cum Turcis collata sint, quæ sæpissimè certè fuerunt, quoties vrbs aliqua nobis obsessa, quotiens aut in campis, aut pro muris prælio decertatum, totiens fractos hostes, & tamdiu cæsos, quoad manus nostræ sufficere ad laborem potuerunt, cùm illorum aliquos numerus, non ipsorum virtus texisset, transitum nostris ad Aegyptum vsque per suorum cadauera corporum præbuisse: hæc ego omnia prætermittam, & si quæ alia eiusdem modi, quæ remotioris temporis sint: pauca tantùm recentia, atque omnibus nota commemorabo: quæ nuper facta sunt, quæ vel ipsi vidimus, vel proxima ætas sensit. Clara adhuc Mathiæ Regis inclyti memoria extat, atque omnibus grata: qui cum Pannonis præesset, regnumque obtineret: opibus tenue: copijs non ita firmum: solitudinibus propè desertum: perpetua nihilominùs cum Turcis finitimis bella gessit: quorum inimicitias vsque adeò appetiit, vt in eis persequendis gratam se rem Deo facere: fidem defendere, honori suo consulere se arbitraretur: robur autem eorundem & audaciam, ita non extimuit, vt cum sexaginta milibus equitum suum regnum quandoque ingredientes, ipse non ampliùs quàm duodecim militum milia ducens, Marte collato profligauerit: vtroque in eorum fines sæpe intrauerit: omnia populationibus & rapinis infesta reddiderit: quibus illi rebus territi, magni atque inuicti (vt ipsi aiunt) Asiæ & Thraciæ dominatores: legatos ad Mathiam regem miserunt: qui perpetuam pacem ab eo & fœdus certum postularent: qui tamen re inexorata, domum remissi sunt: cum Rex ille fortis atque magnanimus, dignus illo loco, & nomine, bellum illud, non periculo sibi, sed saluti, atq; illo-

rum inimicitias, non vexationem quietis suæ, sed alienæ gloriæ esse existimaret. Hic ego te, LVDOVICE Rex, non ad considerandam hostium ignauiam, sed ad inuenendam virtutem fortissimi Regis voco. fuit ille tibi nomine regio par, opibus, & potentia nequaquam coæquandus: virtus porrò vtriusque vestrûm, maximis in rebus perspecta, cognita: sed illius adhuc quidem ad communem beatitudinem aliquantò gratior, propterea quòd in iis rebus gerendis versata est, quæ ad Deum, & religionem, & salutem cunctarum gentium pertinebant. Tu vicisti populos auctoritate graues, copiis refertos, ditione præpollentes, longa & diuturna imperij dignitate memoratos. Sed tamen id bellum confecisti, quod exitum habuit illustrem, causam non iucundam: etenim vnquam bono consilio præditus, fidelium armorum deles sumpta comprobauit? Et sunt tamen quandoque ita sariò sumenda: vt tibi fortassis fuerunt: neque nos bellum ceptum reprehendimus: sed de necessitate belli conqueri Itaque virtutem & consilium & clementiam tuam laudamus quod non solùm scisti vincere, sed etiam parcere: postea requirimus, hoc est, in Deum gratam voluntatem: vt cùm quæ ad dignitatem & cautionem tuam pertinere putasti, ipso Dei auxilio confeceris, nunc quæ ad illius dignitatem amplificandam, religionemque pertinent, suscipienda tibi putes: cùm præsertim & ij hostes sint, qui non sint pertimescendi, & ille Rex eos sæpe vicerit, qui tibi nequaquam par villa in re, vel facultate habitus sit. Nam quid ego illam ad Belgradum Pannoniæ oppidum contra eosdem barbaros nostrorum victoriam commemorem? quæ eiusmodi fuit: vt cùm de paucitate nostrorum militum audiremus: vix credere possemus, vel admodum manum aduersariorum ab eis potuisse superari, cùm de infinita barbarorum multitudine intelligeremus, vix vllos nostros exercitus illis potuisse resistere arbitraremur: nónne eius illius exitu prælij, & nostrorum virtus, & hostium ignauia monstrata est? quod si occurratur, illam nobis victoriam Deorum immortalium munere fuisse donatam, quorum nullo vllo in prælio, aut periculo, neque fauor apertior, neque niuolentia in nos manifestior fuit: quandoquidem inermes minæ præeunte, crucis tantum vexillo illato atque obiecto stupefacti hostes, & diuino numine attoniti sese in fugam & stragem præcipitauerunt: quidnam est, quod aut grauius pere: aut libentius confiteri debeamus, quàm Deos immortales, qui sua vi, & potestate omnia gubernent, placatos nobis atque propitios, ad Græciam, atq. Asiam in ditionem nostram redigendam, suam opem & auxilium polliceri? An si pos-

tum

rum audacia ad tam præclarum facinus peragendum, Deorum nomine instincta, innumerabilem barbariam fundere, & profligare potuit, tui fortissimi exercitus robur, legionesque totidem ferè victoriis, quot præliis exercitatæ, ducibus eisdem Diis immortalibus, ignauissimos hostes, magisque ad fugam, quam ad pugnam paratos, ferre vim suam & grauissimam impressionem sustinere permittent? Quid illa Rhodiorum vrbis oppugnatio, quàm clara ad homines fuit, quàm animaduersa apud Deos: quanta clade hostium, atque ignominia notata? quæ Vrbs inuictissima, Deoque & sanctæ religioni fidelissima, cùm ad omnes barbariæ fluctus, tanquam scopulus opposita sit: eorumque immanes & furibundos impetus elidat sæpe, & reprimat: non ita multis annis, maximis Turcarum exercitibus terra mariquę obsessa est: quo quidem in tempore tanta Rhodiorum equitum virtus: tanta eius populi constantia & fortitudo fuit, vt cùm hostes ter magna vi irrumpere conati essent, ter essent repulsi atque eiecti, maximo suorum numero interfecto aut capto: reliqui salutem sibi fuga quærere sint coacti. Hic etiam dicent credo, quo de nostrorum laudibus detrahant, non hominum fuisse, sed Deorum illam victoriam, quod fulgore insolito cœlitus ad confirmandos nostros apparente, plerique Turcarum in acie sine vulnere, sine sanguine, sine vlla aperta vi conciderint: quasi verò quicquam sit, quo nos magis iure gloriari possimus, aut non ipsi citiùs impietatem suam nuncient, quàm nostram laudem minuant: Nulla præstantior virtus est, quàm quæ Deorum immortalium iudicio est probata: nec vllorum laus ad celebritatem insignior, quàm quibus laudem Dij ipsi immortales tribuere. Verùm nunc non de nostra laude, sed de illorum ignauia, & falsa opinione fortitudinis disputamus: qui in dissensionibus nostris locum insidiando, ac latrocinando sibi inuenerunt: qui pleraque omnia dolo & ferro subripuerunt: nunquam autem frontes nostras & nostrorum militum vim & impetum sustinuerunt: horum nos hostium, huiusmodi nos Barbarorum iactantiam, & minas, & crudelitatem perferemus? Hos diutiùs insultare capitibus nostris: hos agere, ferre fortunas nostras: ab his contemni Deum: ab his despici fidem: ab his sanctam religionem lacerari patiemur? O indignitatem non tolerandam: quid enim minus ferri, aut dissimulari potest, quàm fortes viros ab inertibus impugnari, sanctos à sceleratis, fideles à perfidis? At enim hæc nostrarum rationum argumenta sunt, quid? illi quódnam de se iudicium, & de sua virtute fecerunt? Operæpretium est cognoscere, vt intelligamus quantum illis terrorem nostra arma iniectura sint, cum cognouerimus eos armorum fama, & solo rumore no-

ſtri exercitus penè de imperio fuiſſe depulſos. Primus ad Ita-
liam, noſtra memoria trans alpes cum exercitu acceſſit Carolus
Rex ante te Galliæ: acceſſitus ab iis qui ſalutem ſuam illi
præſidio munitiorem fore putauerunt: venit armatus: bellum
pleriſque principum intulit: tantos autem, & tam incitatos cur-
ſus habuit vincendi, vt illum non vlla vis hoſtium bellica, non
rupes inuiæ, non munitiſſimæ vrbes, ſed oppoſitum mare, & al-
terius natura elementi, fluctus denique ipſi retardarint: quid
tum igitur, quid audiebamus? Quid erat certiſſimis conuicti &
literis allatum? nónne id quod etiam nunc recordantur intra
occaſionem è manibus amiſſam fuiſſe querimur? Regem vtrum-
cet Turcarum metu perculſum & territum, relinquendum ſi-
bi Epirum & Græciam putaſſe: præſidia ex oppidis omnia
deducta: copias omnes Byzantium fuiſſe reductas: claſſi ad
Helleſpontum adeſſe iuſſas: cùm non iam de obſidione pro-
ferenda, aut de vlla ratione reſiſtendi: ſed de fuga & traiectio-
ne in Aſiam cogitarent. Quod indicium de illorum timidita-
te certius quærimus, quàm quod ipſimet de ſe ediderunt? Il-
li Galliæ copias: illi Galliæ impetus ſuſtinere vt poſſint, qui
fama: qui nomine: qui rumore appropinquantis Gallici ex-
ercitus, in fugam ſunt traiecti? An tu Carolo Rege vlla re
inferior? num virtute: num auctoritate: num felicitate: num
prudentia? Ille Italiam curſu peragrauit: tu imperio compre-
hendiſti: ille reſiſtente nemine, quacunque voluit, iterſcit:
tu validiſſimos exercitus, qui obſtare conati ſunt cedere in
loco coëgiſti: nihil fermè illi, niſi fortuna: tu pleraque affec-
tus es conſilio: itaque illius extremi rerum exitus parùm fe-
ces: tui adhuc quidem clari & ſecundi: ſed ſi ad huius belli cu-
ram incubueris, quod certò de voluntate Deorum præuidemus
futuri etiam glorioſi: quod ſi Regis illius aliquantò inferiori
aduentum, vel inanem potiùs aduentus famam, Barbari ho-
ſtes vſque adeò extimuerunt, vt de relinquendo imperio cog-
tauerint, tua ipſius ſigna, qui auctoritate quidem illi, poten-
tia omnibus præſtas: tuos non auditos, ſed viſos exercitus, cum
non ferent. Sed quid iſta repetimus? aut cur tam longè argumen-
tamur, cùm quantum tu barbaris infidelibus omni facultate be-
landi pręſtes, clariſſimũ documentũ in manibus habeamus? Su-
muiſti Venetos, vrbem pręclaram, atq; omnibus rebus inſigni-
cuius diutinam potentiam, magnis ſuffultam copiis, omnino
raremur profectò, tam repentè, tamq; pręter expectationem, ve-
nius offenſione pręlij, in quo abs te victi & ſuperati ſunt, conti-
diſſe, niſi eodem tempore, & de tua incredibili virtute, & de Deo-
rum immortaliũ voluntate iudicaremus. Verùm iſta ciuitas, qua-
uis antea & firma, multis iam ſeculis cum Turcis bella geſſit, fe-
ctum

ſtum eſt periculum vtrorumque potentiæ, & maritimis ſæpe, & terreſtribus prælijs: cum mari ſuperiores ſemper Veneti eſſent: in terra ita ſe gererent, vt ab illis non vincerentur: id certè inter prudentes homines & bellorum gnaros conſtare intelligebam, nili Veneti ſuſpicionibus diſtracti, & finitimorum inimicitijs abducti ab ea cura fuiſſent, inque id bellum animo integro, & ab alijs occupationibus ſoluto intendiſſent, facile fuiſſe illos ex eam contentione barbarorum ſuperiores diſceſſuros: qui tamen tuæ virtuti felicitatiſque ceſſerunt: nec tuam tuique fortiſſimi exercitus vim perferre potuerũt: Turcas verò pluribus ſæpè prælijs terra mariq; vicerunt: qui ſi Venetis victis abs te & profligatis, pares bellando non fuere, tuúmne illi vt nomen, tot victorijs nobile & memoratum, tuam & præſentis maieſtatem & inuictiſſimi ac grauitatem, vocem denique tuam, vultuſque impetumque tuos vt ſuſtineant? non eſt credibile, non ſperandum, ne fieri quidem poſſe exiſtimandum. Quæ igitur mora & cunctatio huius belli reliqua eſſe debet: cuius facilitatem in vincendo hoſtium ignauia, gloriam eorum imperij latitudo, victoriam eius tibi & fortis & victor promittit exercitus? Enimuero hæc honoris & amplitudinis tuæ augendæ propria ſunt: quid illa quæ infamiæ propulſandæ? An grauior Regi clariſſimo cauſa videri debet ignominiæ vitatio, quam laudis ſpes? Veruntamen hoc vltimo inter Turcas & Venetos bello, cum Veneti abs te quod fœdere tecum coniuncti erant, auxilium petijſſent, idque, vt & amicitiæ & religioni tribuiſſes, claſſemque omnibus rebus ornatam miſiſſes: factum eſt in maritimo illo curſu & nauigatione, vt paucæ naues tuorum, cæterarum comitatu deſtitutæ & derelictæ, ad Lesbum appellerẽt: nec ita multi milites egreſſi, ad vrbem antiquã & nobilem Mitilenas vſque, quod nullam apertam hoſtium vim propter fiduciam virtutis metuebant, prædandi diſcurrerent: qua re animaduerſa hoſtes, quod aduerſis occurrere non audebant, ex circumuentione & inſidijs, atque ex locis ſuperioribus, qui mos ſemper pugnandi hoſtibus fuit, incautos oppreſſerunt: ita fortiſſimi milites non virtute, neque aduerſariorum vi, ſed fraude & dolis interfecti, atque omni immanitate ſunt necati: hic tu ſi publicarum iniuriarum vltor eſſe recuſaueris, priuatas non perſequere? Hic te dolor non tanget? hæc te iniuria non ſtimulabit? vt parentare militibus tuis, fortiſſimis viris, ſupplicio hoſtium, tuamque offenſam exiſtimationem vendicare contendas? Nam per Deos immortales quid putas illos miſeros (quamquam miſeri eſſe non poſſunt, qui cœlum ſunt adepti) veruntamen hoc vno miſeriæ & calamitatis parteſ fuerunt, quod non ita, vti decebat fortes viri à fortibus,

ſed ab ignauis & timidis ſtrenui necabantur, quid inquam
los putas, cùm iugulum hoſti dare cogerentur, cùm non
lùm enſibus & gladiis, ſed probris & contumeliis omnibus
peterentur, doluiſſe aliud, niſi ignominiam tuam? non mortem
illi ſuam deflebant, quæ pro mortali conditione vitæ æterni
tem illis eſſet allatura: non de exitio, non de ſanguine, non de
laceratione ſui corporis conquerebantur, quam ſibi non modo
toleranter ferendam, vt à fortibus, ſed etiam alacriter ſubeun-
dam, vt à Chriſtianis intelligebant: ſed ſui Regis maleſtum,
tuam inquam auctoritatem, ſplendoremque nominis tui minus
ea re, & violari, atque offendi illis in ſe acceptis contumeliis
cruciabantur: hic vnus erat gemitus: hæc vna doloris vox &
lamentatio, quam ab illis non mortis timor, ſed in ſuam ba-
gem beniuolentia exprimeret: ita cum cæteris mors ſumma
cerbitatis ſenſum afferat, milites tui mortem quidem illi ſuffren-
di optandam, ſed labem & vituperationem nominis tui gra-
uiorem ſibi morte putauerunt: quorum te per fortunas exim-
mæ illæ preces, & crebræ implorationes tui ad ſuſcipiendum a-
nimum Regis maximi moueant: vt gratus in fide tuorum, in
calamitate miſericors, in tua ipſius exiſtimatione vindicanda
acer eſſe videare. Quod ſi tu tuorum, id quod tamen in tanta
clementia naturæ fieri nullo modo poteſt, miſericordia non
tangeris: ánne illa quidem barbara inſultatio hoſtilesque con-
tumeliæ, animum tuum iuſta iracundia inflammabunt? Noli
enim Ludouice exiſtimare, vllas in vllis diſſimilibus feris, tam
acerbas inimicitias natura eſſe genitas, quàm tibi eſt genus il-
lud impium, infeſtum, atque inimicum: tum propter nobi-
liſſimum tuum hoc cognomen, quod ita præ te fers, vt de-
fenſor videare eius veræ religionis, quam ipſi auribus & ani-
mis non ſolùm reſpuunt, ſed etiam abominantur: tum pro-
pterea quòd potentiam tuam & formidatam habent & ſuſpe-
ctam: quippe qui habere in fatis dicantur & in antiquorum va-
tum prædictionibus, imperium ſuum à Rege olim Galliæ ex-
tinguendum eſſe: itaque neminem peius te neque grauius o-
derunt. Quapropter in illo graui tuorum caſu, occaſione ſi-
bi exercendæ crudelitatis oblata, nihil ſibi reliqui ad expro-
mendum odium ſuum aduerſus te fecerunt: cùm in illis for-
tibus viris, militibus tuis, ferro conficiendis, atque omni in-
manitate lacerandis, ſe contrucidare dignitatem tuam, ſe
abolere nomen tuum, ſe Galliam ipſam mactare exitio ſtu-
trarentur. Quas tu illorum tunc in te abſentem minas, quas
illuſiones fuiſſe putas? eſt hoc omnino abiectorum hominum,
metuque puſillanimum, vt in periculis timidi ſint, de reliquo in-
ſolentes: itaq; iidem illi barbari, qui tibi ita inſultauere abſenti,

vt in

vt iactationis & insolentiæ finem non facerent: si modò tua signa, & tuorum pilorum cuspides procul aspexerint, aut certe armorum, & equûm strepitum exaudierint, in fuga & in metu moderni sibi non poterunt. Hic tibi profecto videndum Ludouice est, vt labem hanc nominis tui eluas: teq; in orbis terræ opinionem vendices: nec inustam hanc tuæ maiestati vituperationem esse velis: nam cùm omnis contumelia grauis, tum illa quæ perfirmat, cum vindicari possit, habet non solum in re ipsa miseriam, sed multo magis in ferendo turpitudinem: videtur enim qui contumeliam patienter accipit, non solum alieno facto condemnari, sed etiam iudicio suo: itaque ingenui homines, ac liberali loco orti nullam vnquam fortiorem ad excitandos animos necessitatem, quàm metum ignominiæ putauerunt: vnus enim vel certe præcipuus dignitatis atque honestatis vindex pudor est: quem qui diligenter tenuere, ij in laude semper hominum, & in omni virtutis officio excellentius sunt versati. Iam regiæ huius potestatis atque præstantiæ, num quem maiorem fructum putas, quàm quod in eo loco constituta est, vt iniuria attingi, neque impune videatur posse violari? Quod si homines mediocri loco orti contumeliam omnem atque iniuriam quocunque modo queunt, de fama, de nomine, & ab existimatione sua propulsant: Tu cuius potentiam cognoscimus: cuius felicitatem miramur, cuius nomen ad socias nationes illustre, & amplum est, ad exteras terribile: quem armis: quem opibus, quem fortitudine: quem prudentia orbis Christiani longè principem omnes gentes populique confitentur: in quo ad summas res extollendo, fortuna videtur consensisse virtuti: cuius neque vim potentissimi hostes: neque consilium sapientissimi sustinere potuerunt: tu inquam ab hac auctoritate: ab hac amplitudine: ab hac sapientia, violatam existimationem tuam: nomenq; maximi Regis in vituperationem adductum, ab ignauis & barbaris hostibus patiere? Adde quod illorum res eum statum nunc tenent, vt nunquam nec imbecilliores, neque procliuiores ad delapsum fuerint: nam & is qui omnibus præest vnus, cæterisque imperat barbaris tyrannus, ita & senio & valitudine confectus est, vt neque mente iam, neque animo consistat: itaque eius auctoritas in constitutis quidem rebus, & inueterato more gubernandi, ad homines dicto parere solitos, alicuius fortasse momenti est: Siquid verò noui periculi & perturbationis accesserit, nec pondus vllum prorsus, nec grauitatem est habitura. Liberos habet, eosque nec numero paucos, & ætatibus firmos: quam ego rem si prudentia adsit, & æquitas in coniunctis amore voluntatibus, magnum imperij eorum mutamentum fore non negem, sed illorum hominum & generis illius proprium semper fuit, vt quia singulares in imperio qui te-

rum potiuntur esse volunt: id quod antiquitus ab illis ferè
vsurpatum: cæteros necessarios vt quisque sanguine coniunctis-
simus est, ita hostium loco ac numero habeant: eosque quacun-
que via possunt è medio tollendos curent. Quamobrem ipsi iam
fratres inter se exulceratis, vel suspicione, vel metu, vel etiã cæca-
tis cupiditate regnandi animis, nequaquã fraternis vultibus atq;
oculis intuentur: nec huic tanto eorũ malo quod remediũ adhi-
beri possit vllum reperitur. Quid enim eos in officio & pudore
contineat? mos ne maiorũ, at eo ipso instituti atq; formati, ver-
sari in clade & exitio propinquorum: haurire sanguinem suorũ,
nõ solùm licere sibi putant, verum etiã oportere. An patrimonia-
ritas & obsecratio? at is fratrem germanum suum adductum
dem obtrectatione regni & familiari vsu crudelitatis, vsque ad
persequi armis non destitit, quoad illi necessitatem attulit, ad
nos quos inimicissimos atque infestissimos sibi hostes rebatur,
exagitato fraternis armis odijsq; confugere: cum is hostiles ani-
mos placatiores sibi multo quam fratris fore existimaret: qua in
re intelleximus quanta in opinione apud eas gentes & auctoritate
sit Gallia, cum is qui prudentia & fortitudine excellere inter
barbaros dicebatur, dignitate certè erat, & nobilitate maximus,
cæteris principibus Christianis omnibus prætermissis, ad vnum
Galliæ Regem se contulit: illiusque potissimum opem & poten-
tiam implorauit: quem suis maximè sciebat formidini & terrori
esse. At enim si hæc parum valida eorum beniuolentiæ & conspi-
rationis præsidia fuerint, res eos communis, & periculi salutisque
coniunctio, discrimenque eorum status, & imperij concordia atq;
que amicitia illigabit: quî fieri potest? cum hoc ita reputent, &
hanc rationem subducant, bello suscepto atque contracto, si qui
eorum à nostris partibus steterint: suaq; cum nostris arma con-
sociauerint: maximam illis partem dignitatis propositam esse:
Si vero ad vnum quemuis eorum res omnis & imperij summa re-
dierit, vllam ijs ne fieri quidem spem reliquam salutis: ita quod
magnum hostibus præsidium fore videbatur, liberum Regiorum
ætas & multitudo, id contra in nostra causa vel præcipuum repe-
ritur esse adiumentũ. Reliqui sunt prouinciarum præsides & mi-
litaribus copijs præfecti, homines vt barbarorum opinio fert,
spectati bellicis in rebus: Sed si quid earum rerum peritis cre-
mus, nequaquam cæteris in hac laude præstantes: veruntamen
isti ipsi, vt hominum est genus dominandi cupidum, quod pe-
tua imperia non tenent, & in spem successionis liberos tollere,
gentemque constituere non queunt, ingratis Regis honoribus &
beneficijs vtuntur: vt coniecturam vehementem habeamus, si
qua illis ostentata spes fuerit perpetuandæ possessionis, statusque

& im-

& imperij in familias propagandi, esse eos & superstitionẽ suam, & præsentis fidem officij, nostræ & religioni, & amicitiæ post-habituros. Quid dicam de populis, qui cuncta Græcia atque Asia fere sunt nostri: rectam enim fidem cognoscunt: diuinis legibus obtemperant, barbarorumque & hostium communium neque imperia pati possunt propter crudelitatem, neque commercia propter superstitionem, ac illi incertas quasdam antehac, & nescio vnde inuentas spes aluerunt, recuperandæ aliquando salutis & libertatis: ita tamen vt omnes semper suas ad Galliam cogitationes retulerint, Galliam vt desiderijs: Galliam vt votis, Galliam vt voce ipsa & appellatione vsurparint. Sciunt enim Galliam in expeditionibus Asiaticis semper fuisse felicem: nec solum de virtute illorum hominum, sed etiam de opinione virtutis apud hostes quanta sit intelligunt. Nunc verò hisce rebus auditis, & celebritate tuæ victoriæ cognita, alacriore spe recti atque erecti, expectant quàm mox de tuo aduentu ad eas nationes aliquid optati rumoris afferatur. cupiunt enim tibi esse præsidio: operamque suam sentiri aliquam in tanta laude clarissimi operis volunt: neque diffidunt singularem tuam virtutem, quæ in his rebus, quæ ad fortitudinem pertinent, egregia de se documenta præbuerit, in eas dein quæ ad pietatem & religionem spectant maiore cum gloria se daturam. Atque his tot hostium incommodis & quasi vulneribus eorum reip. adhuc secundæres obtentui mirum immodum fuerunt: quod enim aduersarios non habuerunt: neque in certamen de imperio sunt adducti, iccirco minus contrectari à nobis illorum vlcera, & læsæ partes cognosci potuerunt. Sed vt in corpore humano, si sanitas, & recta valetudo adsit, membrorum vitia dissimulantur facile atque occultantur: sin autem morbus inuaserit, singulæ quoque affectæ suo loco respondent partes: si quid luxatum fuerit: si quid contortum: si quid aliqua re aut ratione læsum: sic si quod incendium in barbarorum fortunas conflatum, & periculum intentatum illis fuerit, erumpent occulta vitia, nec solùm virtute nostrorum, qua ipsi egent, sed etiam domesticis malis, quibus abundant, opprimentur. Quid? illud quanti? quod & si vulgo minus animaduersum est, in prudentium tamen consilijs, & in ipsa veritate est positum: quod eorum imperium auctum ad hunc diem atque ita aceruatum, vt ad fastigium hæserit, vertatur iam retro & ruina quadam cõcidat necesse est: præsertim quod nullos progressus virtutis habuerit, multos ac magnos fortunæ & temeritatis. Nam cum illa cõmuni mortalitati lex edicta sit, conditioq; imposita, vt ne quid omnino humanis in rebus stabile aut perpetuũ teneatur: tum ne diuturna quidem esse imperia queũt,

quæ

quæ non validis hominum & Deorum beniuolentiæ præsidi
muniuntur. Opinor enim vt tectorum firma fundamenta, sic vi
tutem ac religionem imperijs fundamento esse oportere: Hoc
autem ipsi vtro minus valeant, fortassis est dubitandum, qui nec
virtutis laudem vnquam tenuerunt, & propter superstitionem
Deo sunt infesti. Quid igitur in eorum rebus firmamenti, quod
roboris inesse potest? qui neq; concordiam habent, aut sapien-
tiam principum: neq; fida imperia Ducum: neque vim & virtu-
tem militum: neque beniuolentiam & studia populorum: Dei
autem immortalis iudicio & humanarum rerum vicissitudine,
ita ad occasum sunt vicini, vt eorum vires etiam sine adversario
infringi iam ipsæ per se ac debilitari, nec vltra in eisdem vestigijs
mansuræ videantur. Hanc igitur occasionem tantam, tam pau-
tam, tam expeditam cum tuæ virtutis materiem, Ludouice, esse
cupimus, vtrum te ad dubiam periculi aleam, an ad certam victo-
riæ laudem cohortamur? Etenim sic, quæso, considera tecũ ipse
& de tota ratione summam fac. Tua te & virtus & fortuna in edi-
tissimo auctoritatis loco, ex prouidentia Dei constituerunt: o-
mnium oculi in te sunt coniecti: liquidò patet, atque omnibus
constat, ex illiusmodi potentiæ fastigio, quocunque te miseris,
nullam vim, nullas difficultates, nullos obices, tibi motæ aut im-
pedimento futurum: quod omnia vi atq; armis perrumpere pa-
ratus es: hostes sunt ij, quos relinquere iniquum ac perfectum
est, opprimere, non solum sanctum, verùm etiam necessarium:
atque ij ita imbecilles reuera ac infirmi, vt minore aduersario ca-
suri facile sint: Tu in omni facultate tantus, vt grauiores longè
hostes valeas superare: reliqui socij atque amici, quorum per te,
& fortunis, & saluti est consulendum. Vident porrò omnes hoc
interesse inter casum, atque virtutem, quod qui auctore casu ma-
gna assecuti sunt, illi quæ reliqua sunt ad tuendam, vel amplifi-
candam laudem, nec cogitare sciunt, propter imprudentiam, ne-
que exequi valent, propter inertiam: quibus autem virtus splen-
dorem attribuit, ijs perfectum nihil videtur esse, si quid etiam
nunc restat quod sit faciundum: ita tui arbitrij est, vtrum malis
cunctarum gentium iudicio, ea quæ hactenus gessisti maxima &
præclarissima, per fortunam tibi collata, an per virtutem adepta
existimari. Quid dicam de nobis, qui quòd te salutatem fore Bo-
gem credimus, singulari in te beniuolentia conflagramus? Nos
enim putare, Ludouice, Gallicas nationes te amare, teq; in ter-
lis ferre, Italas autẽ in alia esse voluntate: fuere quondam vtra-
que gentes, vt locis disiunctæ sic voluntatibus: discrimenq; al-
pes faciebant non minus animorum, quam terrarum: nunc &
amicitia, & commercijs, & legibus coniuncti omnes sumus: o-
mniaq́ue eiusmodi discrimina sanctissimæ religionis iugo, atque

hac vna

hac vna fide, quod Deum, Dei filium veniſſe in terras noſtræ ſalutis cauſa recepimus, ſunt exæquata: hoc cœleſti vinculo illigati inter nos, & vincti ſtudijs eiſdem, & beniuolentia conſpirauimus. Quare cum illum habemus verum legitimumque principem, quicunque ex genere ſit, quacumque è regione, qui ſubditorum ſuorum commodis, & ſaluti ſtudet, qui populorum beniuolentia muniendum ſibi regnum ſuum putat, tum regem de cœlo miſſum arbitramur: qui ad tuendam religionem, quæ nobis multo vita noſtra eſt charior, & animo ſit, & copijs armatus. Itaque qua patet noſtra religio: qua diuina fides eſt cognita, omnes terræ: omnia maria: omnes gentes: nationes: principes populi: ipſa etiam littora: inſulæ denique omnes tuum vnius nutum intuentur: neque ad hoc præclariſſimum bellum expectant, & flagitant: de poteſtate tua ſciunt: de voluntate ſperant: non enim iam vlla in te facultas externa aut fortuita requiritur: non magis idoneũ tempus optatur: non Dux præſtantior ad communem ſalutem expetitur. Sunt iſta tam largiter & in promptu, vt facile appareat, non humano conſilio, ſed diuinitus tantas opportunitates in vnum locum, in vnum hominem, in vnum tempus collatas fuiſſe. Verùm hic totius rei nodus eſt: in hoc ſalus & ſumma Chriſtiuæ reip. conſiſtit, vt tu eam qui potes ſeruare etiam velis eſſe ſaluam. Cuius igitur opem ad tantam rem tamque difficilem obtinendam implorabimus? cuius opera vtemur? quæ nobis hoc vel fortuna obtulerit? vel tempeſtas aduexerit? aut quæ conſilia hominum expedient, vt tu ad iſtam voluntatem adducare? Rem enim poſtulamus difficultate grauem: conſuetudine inuſitatam: magnitudine laborioſam: imò vero qua nulla facilior ſit, nulla patatior: tui enim arbitrij eſt, non alieni: quæ ita ad laborem facillima eſt, vt tamen ad laudem ſit maxima. Etenim vel tempeſtiuare, totum virtutis eſt: poſſe autem, fortunæ: quod ſi illa quæ alienæ poteſtatis fuerunt, ita in te cumulata ſunt & coacervata, vt nemo te inter Chriſtianos Principes, aut nobilitate ſit, aut auctoritate, aut latitudine regionum, aut numero populorum, aut robore exercituum, aut firmitate imperij, aut denique omnium copiarum genere abundantior. Tu id quod in te ſitum eſt, & in tuo ſolo nutu poſitum, quod totum virtutis eſt & pietatis, deliberationem videlicet, & curam, ac voluntatem ſanctiſſimi belli religionis cauſa ſuſcipiendi non adiungas? reliquasq; opes tuas tot atque tantas, quæ ſuapte natura fugaces, lubricæ, caduæque ſunt, in vtilitate publica diſponendo, ad æternitatem nominis tui non deuincias? Equidem nihil intelligo ſubeſſe cauſæ, quominus ſtudijs deſiderijsque noſtris voluntas tua conſentiat: non enim te fugientem laboris, non inſolentem armorum nouitatis: non inertem: non ſegnem: non quietis potius & tranquillitatis,

litatis, quam & celebritatis, & famæ appetentem: quæ quando causæ multos ab hoc illustri munere, & omni reipublicæ cura deduxerunt: sed fortem, sed acrem: sed animi maximi: consilij sagacissimi: cuiusmodi extitere alias fortassis nonnulli, qui egregij facti à natura ad omnem excellentiam fuissent, nisi propensa illis in Deum & religionem mens defuisset: hæc vna voluntas cœlestibus consilijs dedita, discrimen semper fecit inter improbos Reges atq; probos: inter fortes & segnes: inter graues humano generi & gratos. Enimuero tu cum per hosce annos nostros traductis in Italiam legionibus, Insubres primùm: deinde quos postremò qui validissimi florentissimiq; fuerunt, Venenis bello appetiisti; maximisque facinoribus editis, fortitudinis & sapientiæ, Cisalpinam Galliam armis subactam, ad tuum imperium iniunxisti, quid consilij aut rationis secutus es? Quæro enim hoc loco: Iniuriásne ire vltum aliquas voluisti? an in tuo iure armis vindicando, tuę etiam & posterorũ tuorũ securitati prospicere? an imperiũ, an, qui fructus imperij maximus est, cõparare gloriam? Omnino video aut aliquod horum, aut omnia tibi fuisse proposita: atque illud vnà sentio, quæ causæ tibi huius belli socialis idoneæ visæ fuerint, eas multo iustiores esse in barbaros expeditionis. Ac de iniurijs quæro, vtrum maiore odio fuisse aduersum te putes, eos qui & maximis abs te beneficiis affecti aliquando fuerunt, & nonnulla ipsi in te sua merita queunt commemorare, an eos quibus cum tibi grauissimæ semper inimicitiæ, nullæ vnquam, non modò fœderum conditiones, sed ne inducturum quidem intercesserunt? eos qui propter aduentitiam, vel cupiditatis causam, vel suspicionis aduersarij tibi extiterunt, an eos qui ita natura tibi hostes geniti sunt, vt nulla omnino causa ad vllam beniuolentiæ coniunctionem possint adduci? eos qui partem aliquam tuorum finium diripere voluerunt, quam tamen haberent ipsi, non quam perderent, an eos qui ita crudelitate & sanguine delectantur: vt quæcunque de nobis ceperint non tueri, sed cruore & flamma delere gestiant? Denique eos qui semel tantummodo contra te exercitus eduxerunt, an eos qui & classem tuam tormentis, & fortissimos milites vulnerib. & te ipsum contumelijs absentem appetierunt? qui in maioribus olim tuis Asia expellendis, nullam acerbitatem odij neq; iniuriæ omiserunt? grauemque & generi tuo, & clarissimo cognomini notam fœditatæ sanctæ religionis inusserunt, cuius tu proprius ac legitimus defensor esse existimare? Profecto si illorum voluntas, qui tibi obesse conati sunt, id quod tamen non perfecerunt, merito punienda tibi visa est, horum non solùm voluntatem, vel efferatam potius rabiem nocendi tibi, sed & veteres & perpetuas illatas iniurias non est tuæ maiestatis relinquere impunitas. Nam

de

de iure quidem status & regni vendicando, quis dubitare vel minimum possit, quin non dicam equidem iustius, sed illustrius multo ac magnificentius, tui iuris sit Asia quàm Gallia Cisalpina? Primùm quod Regis Christianissimi propria est earum rerum recuperatio, quæ ab hostibus Christianitatis iniquissimè detinentur. Deinde quod Asiam bello subactam à maioribus tuis, & pluribus annis obtentam atque possessam, ad eum vendicare pertinet potissimum, cui hæreditas, non solùm Gallici imperij, sed & auitæ virtutis auctoritatisque venerit, vt non vana appellatione titulorum, quæ quandoq; perridicule à nonnullis iactata atq; vsurpata est, sed summo iure ac æquitate patrimonium idem tuum sit, & maiorum tuorum dignitatis, & veteris Asiæ possessionis. Quod si in eis rebus quas gessisti, id caput consilij tui fuit, vt vicinis grauibus summouendis, tuæ & posterorum tuorum quieti tranquillitatique prospiceres, finibusque tuis me tum alienæ seruitutis depelleres: non dico tota ratione aberrasti, sed ad breue tempus fortassis nonnihil, ad longinquum certe parum profecisti. Etenim si Venetis, qui per te debilitati admodum, atque eneruati sunt, vel crebris lacerationibus consumptis, vel repentino imperu oppressis, Turcæ sese ad te propius admouerint: locumque sibi aliquem in Italia ad vexandam orbis tertæ nobilissimam partem munierint, id quod futurum omnino est: nisi tu illorum vigilantiam, & insidiosos conatus, tua virtute anteuerteris, quid venturum est? Non dicam Regni tui finibus: qui quotidianis hostium incursionibus erunt expositi: non successoribus tuis, qui non se ornatos abs te beneficio, sed oppressos periculi onere arbitrabuntur: sed omnino nomini ac memoriæ tuæ? Qua in inuidia nomen tuum? quantis in omnium gentium luctibus & lamentis commemoratio tui versabitur? Quo autem dolore ardebunt animi populorum? cum sentient vnde tutelam sibi ac salutem expectauerint, inde vastitatis & miseriæ causam processisse. Sanè vniuersi siquid incommodi euenerit, quod summe Deus auerte quæso omen & detestare, cum lachrymis & gemitu diuinæ seueritatis acrimoniam obtestabuntur. Tu vero quocunque in loco tunc fueris, plorantium medius fidius execrationes, & procellas querelarum ferre non poteris. Namq; ante hosce annos, quotiescunq; barbari ad Italiam furore quodam & crudelitatis studio rapti sunt, totiens illis arma eorum, quos tu vicisti, & maritimæ Venetorum vires oppositæ obstiterunt: vt si horum cupiditas sæpe finitimis infesta, diligentia certe nonnunquam salutaris Italiæ fuerit. Nunc continens imperium tuum ad barbaros, parua tantummodo linea distinguitur: nihil inter te, atque illos intercedit mediũ, quod alicuius moræ sit aut momenti: an hoc nõ vides? an hoc nõ cogitas? ꝙ tibi nõ solùm animo insitum:

sed

ſed in oculis propemodum debet eſſe fixum? qui vnquam lo-
gius ſe abeſſe à periculo arbitrati ſunt, quam aut Græci cum
Ponti & Thraciæ fines à barbaris pugnaretur? aut Bulgari cu
ad Græciæ? aut Pannonij cum inter Turcas & Bulgaros cer
men verteretur? Atqui propter eorum omnium negligentiam
improbam ſpem propriæ ſalutis, alieno labore & periculo defen-
dendæ, omnia in eandem calamitatis ruinam ſunt detracta: nunc
in ratione haud abſimili ſumus: hoc nos etiam periculo propu-
res, quod tunc ad remotiorem quamque gentem tranſitus Tur-
cis per loca & ſyluis & armis impedita, vi ac manu faciendus erat:
nunc vna velificatione claſſium: aut paucorum dierum cursu
per Iſtriam, & Carnos equeſtres barbarorum copiæ ad nos vlti-
tur peruenturæ: quæ præſertim vaſtandi ac depopulandi ſuis,
non minore prope celeritate in imparatos tendunt, quam pa-
tos fugiant. Hoc loco omnes quibus Italiæ ſalus, & religionis
gnitas cordi eſt, tuam LVDOVICE, prudentiam non requirunt
ſolùm, ſed etiam obteſtantur: vt te in hanc curam & cogitatio-
nem conferas. Communis fuit noſtra tuæ felicitatis & victoriæ
gratulatio: Tum propterea quod virtuti tuæ fauimus, tum ve
maximè quod te duce & religionis ſignifero, in ſpem venimus
honeſtatem priſtinam recuperandi. Verùm (dicam enim quod
ſentio, id quod volo in bonam partem accipi) niſi tu vera animi
magnitudine, & fidei, ac pietatis ſtudio adductus, curſum hunc
tuum virtutis, atque fortunæ ad Aſiam vſque perrenderis, cæle-
ſtisque victoriæ trophæa Hieroſolymis in illo ſacro atque edito
colle conſtitueris, nec tu regno & poſteritati tuorum latis pro-
ſpexeris, & opinione ipſi, ac iudicio tuæ virtutis nos deceptos cõ-
quereremur. Eſt igitur ſapientiæ tuæ, cùm illud videre, Turcas
qui nunc terrore tui nominis, & inuicti Gallici exercitus mero,
finibus ſuis ſe continent, ſimulatq; te in diuerſam curam aliquam
occupationémve contuleris, continuo occaſionẽ nobis nocendi
arrepturos: tum ne id accidere poſſit prouidere: armaq; ea, quæ
ab illis in nos & caput noſtrum impendent, aduerſus illos ante
capere: vt fructus diuini beneficij tui, non ad poſteros tantum
tuos, & regni tui ſtabilitatem ac tutelam, ſed in omne genus ho-
minum gratus integerque perueniat. Iam imperij atque gloriæ
ſi hoſce tuarum dimicationum fines attendiſti, ea vis eſt, eaque
natura, vt alterum tibi diſſuadendum non ſit: alterum etiam
magnoperè alendum ac vehementiſſimè corroborandum. Mer-
cum appetitio dominatus excellentibus viris à natura ita infixa
ſit, vt auelli nullo modo queat, tum gloriæ cupiditas ſic cum no-
mi magnitudine eſt coniuncta, vt qui ſtudio laudis non ducan-
tur, nullam indolem virtutis ad maximas res idoneam videantur
poſſe retinere: Veruntamen ſi amplitudo imperij te delectat,

pa-

partémne tibi accessionem tuarum rerum proponimus Græciam atque Asiam? Quarum regionum altera propter nobilitatem quondam ingeniorum famamq; sapientiæ tanta etiam nunc apud doctos auctoritate est, vt maximo tibi fore ornamento tuis finibus adiecta videatur: Alteram ob copiam rerum omnis generis quæ ad vsus vitæ aptæ accommodatæque sunt, & magnitudinem vectigalium, veteres semper Reges potentissimique populi vel assumendam sibi, vel adiunctam omni studio conseruandam putauerunt. Neque enim vnquam controuersia fuit, quin & ipsius hominum, & frequentia ac celebritate vrbium, & feracitate soli, & vectigaliũ copia, & abundantia earum rerum omnium, quæ hominum commodis importari atq; exportari solitæ sunt, omnibus terris Asia antecelleret: eadem præterea tanta amplitudine est, vt dimidium orbis terræ suis spacijs comprehendere posse, tanta ad vincendum facilitate, vt non natiuis gentibus parata, sed inuadentibus semper fuerit exposita. Itaque & Galli antiquitus domo profecti, cum non iustis exercitibus, sed tumultuaria quodammodo manu in eas terras peruenissent, vniuersam tamen occupauerunt: pacisque conditionibus & legibus toti Asiæ latis: locum sibi ex vbertima copia in finibus Paphlagoniæ ad habitandum delegerunt: & rursum propinquioribus nobis seculis maiores tui clarissimi viri, Gallico exercitu in eas oras adducto, eandem Asiam detentam à Turcis atq; oppressam non minus fortiter quàm feliciter sibi & fidei nostræ recuperarunt: vt vtroque facto & vetus illius terræ ad resistendum Gallicis copijs imbecillitas, & præsentium hostium ignauia demonstretur. Sunt igitur tibi ad amplificationem imperij tui propositæ Græcia atque Asia: quæ ambæ regiones si vetustatem spectes nobilissimæ existunt: Si copias, opulentissimæ: Si vero causam iuris tui in eas tractare volueris, inuenies vtrasque, vt etiam diximus, proprias & tuas esse, eo vtique iure quod optimum semper fuit, iure, inquam, virtutis, iure religionis, iure hæreditatis. Nam illud quidem nequaquam dici hoc loco potest quod ad causam vitandi laboris ab inertibus animis prætendi est solitum: satis tibi amplos regni fines, satis iustam imperij magnitudinem esse: es tu quidem omnino & regionum spacijs & copiarum opulentia maximus ac potentissimus Rex, id quod ita perspicuum est, vt in oculis omnium sit. Veruntamen celsis semper ingenijs eminentibusque animis quantæ vis opum & fortunarum accessiones, non tam cumuli ad præteritam potentiam fuerunt, quàm gressus ad futuram: præsertim si qui ex regnis & potestatibus, non imperium ipsum finem, opusue imperandi, sed laudis & nominis celebritatem spectauerunt. Ac si verum sentire volumus, quod quidem rectè animi tui magnitudinem noui, postremum à me dictum,

ctum, primùm tibi arbitror propositum fuisse: finis rerum gr
darum, totq́ue & tantarum quas adijsti dimicationum, non
tibi fuit quàm gloria: hæc laborum tuorum solatium, hæc
culorum incitamentũ fuit: hæc virtutis maximum verissim
q́ue præmium. Quæ quidem ni adsit, vbi tandem istuc late
clarum atque magnum, quòd ex regnis atque imperijs tanto
quęrendum esse videatur? quo per fluctum & flammam, vt
contendamus? Quid est aliud Sisipheo more saxũ tollere, quæ
in ijs rebus tantum laboris ponere, quæ propter infirmitatem
inconstantiam labuntur continenter & fluunt? Quis autem
intelligat regnorum conditionem cùm semper incerta esse,
tum nullo modo constitui posse sempiternam? Maximam &
florentissima imperia quæ fuerunt, nulla iam sunt, & ut
stare pulcherrimè videntur, erit quando non erunt. Nihil
est aut manu factum, aut hominum consilijs diligentiâ
sum, cui non finem & exitium afferat aliquando tempore
turnitas. Itaque clarissimi olim reges summiq́; imperantes,
in rebus gerendis, non solùm animo magno, sed etiam
sunt versati, cum orbem terræ victorijs, & suarum virtutum
numentis complessent, successionẽ semper imperij, vt incertam
& caducam fortunæ dimiserunt: in quam verò fortuna
haberet, possessionem gloriæ sibi retinuerunt. Itaque illorum
bores & opera periere, fama non interijt. Hunc eundem
æternitatis, te quoque, LVDOVICE, & voluisse imprimis
ctasse arbitramur, fuit enim hoc tuum: fuit sapientiæ tuæ
enim credo imperium ipsum nudum concupiuisti, quod
riæ adsit iucunditas, oneri potius, & labori esse solet quam
ptati, sed ab imperio virtutis exercitationem & fructũ laudis
petiuisti, quod cum excellentium animorum proprium
fuit, tum tui maximi ac præstantissimi esse debet. Huc igitur
contendisti: idq́ue potissimum a te elaboratum est vt in
tatis fama versarere: Dij immortales quæ occasio honoris
ta gloriæ opportunitas, quàm alias inaudita, quàm nemini
quam concessa, tibi vni fato quodam diuino, & singulari
liariter tradita, prompta tibi sese offert atque expedita? Et
cum illam potissimum virtutem gloria comes sequatur,
sese exercet ac gerit, in eoq́; vim suam explicat, vt vniuerso
humano commoda sit, & maximè salutaris, quo operem
neque magnificentius, nec Deo similius reperiri potest
illi ex omni antiquitatis memoria fortissimi duces, qui
britatem nominis omni studio contenderunt: partim
quod volebant sunt assecuti: partim verò maximam a
veræ laudis itinere aberrauerunt. Suas enim resp. imperio
gerent conati sunt, id quod perfecerunt: at alienas resp. de

runt: at suos ciues dignitate honestauerunt: at alijs hominibus libertatem ademerunt. Ita illorum virtus paucis grata, pluribus incommoda & exitiabilis fuit. At verò in nouo quodam ac mirabili, & prorsus inusitato ducibus vincendi more, ad eos hostes debellandos deposceris, quos si intactos relinquas, vehementissime esnoceas: Sin autem eos armis & victoria domes: & spem illis & notitiam sempiternæ salutis afferas: qui nisi à te læsi fuerint, salui esse non possunt: neque ad gustum veræ felicitatis, nisi ab incommodo & calamitate peruenire. Atque illi qui nunc tibi & nomini tuo infestissimi sunt atque inimicissimi, teque aspernime grauissimeque oderunt, antequam vlla in re violati per te atque offensi sint: ijdem si mox illos victos atque perculsos ab imperio deturbaris: vique & metu subactos de nefaria superstitione ad pietatis cultum adduxeris: tuum secundum Deos nomen venerabuntur: teq; æterna laude & beniuolentia prædicabunt & colent: tibi gratias agere, te salutem suam appellare immortalitatemq; veræ ac beatæ vitæ, ad quam per te instructi, & edocti fuerint, tibi acceptam referre venturis vnquam temporibus non cessabunt. quod si victi hoc in te animo futuri sunt, quid facient victores? Quid vel optari in salute vel sperari in dignitate: vel in omutatione honorum ac commodorum excogitari amplum & præclarum potest, quod nõ ijs qui tecum vicerint, per te sit vberrime cumulatissimeq; deferendum? Quanquam (mirum enim fortè quod dicam, attamen verum) ipsa per te victoria ius suum incredibili quodam modo, & conditionem solitam commutatura est: cuius cum ea natura sit, vt diuersarum partium alteram lætitia & gratulatione compleat: alteri pernitiem afferat & calamitatem, tua ista omnibus commodis atque bonis, quæ in spem & cogitationem hominum cadere possunt, ad tuum & tuorum arbitriũ translatis, plus tamen aliquanto victis contulerit, quàm victoribus addiderit: Siquidem & gratius ad memoriam multò est, & præstantius ad salutem, liberati summo malo, quàm secundis rebus augeri. O admirabilem & imprimis commemorandam victoriæ conditionem, quæ cùm victoribus summam gloriam dederit: tum victis felicitatem est allatura: in qua non minus gloriari ipsi hostes deuicti calamitate sua poterunt, quàm nos prosperitate: nec minus ab illis belli offensio optanda, quam nobis victoria fuerit quærenda: hi sunt fontes veræ gloriæ, tibi parati & in promptu, si penitus intrare in illos volueris: antiquis ducibus clausi, qui veritatis lucem non aspexerunt: à nostris non animaduersi, propterea quod plerosque parua ambitio & iniquæ cupiditates, animusque ad sociorum iniurias paratior, quàm solitum in malas causas & detestandas cum ciuibus contentiones abstraxit. Ciues namq; omnes sunt: qui si minus eiusdem

ciuitatis mœnibus, at certè quæ sanctior necessitudo est, eis
religionis legibus coniunguntur. Atqui multos legimus, v
mus nonnullos è principibus nostris, qui cum in castris & in
lis, & in omni labore militari fortitudinem suam probarent,
men quod fidelibus populis & Christiano nomini, id quod
mè ab illis expectandum fuit, infesti immitesque fuerunt,
virtutem suam, nec consilium probauerunt: tantumque abest
id quod tantopere quærebant sint assecuti, vt illos a commo
voluptatibus vitæ mors: ab omni verò laude & beniuolentia
minum, ipsorum nefariæ cupiditates, & mens seditiosi con
lijs dedita abstraxerit: non enim omnis est laudanda victoria, sed
illa commemoranda, cuius initia æquitatem habuerunt, extre
ma religionem. Neque tu LVDOVICE hoc etiam dum adeo
es vt tui nominis commemoratio futura ad posteros in amore
laude videatur: paratum te quidem & armatum intelligimus
maximas occasiones assequendæ gloriæ: gloriam autem ipsam
nondum consecutum. Siquidem gloria est celebris & grata
æternitatem prædicatio, maximè alicuius virtutis in humani ge
neris vtilitate beneficioq; versatæ: tua verò gesta, quæ adhuc vi
dimus (dicam enim verè) si per se ipsa spectes, non vsque quaque
grata, si ad hunc finem sanctissimi in Turcas belli intenta fuerint,
etiam habenda sunt gloriosa. Sint igitur illa tibi ex maximis cla
rissimisque victorijs tanquam gradus quidam ad tanto insigni
rem victoriam facti & instituti, quanto quidem est & in inuicto
duce præstantius communes hostes superare quam proprios: &
in optimo rege magnificentius, publicas vtilitates priores ducere
quam priuatas: cum tamen & publicis periculis propria pericula
tua: & commodis communibus tuorum quoque commodorum
ratio contineatur. Nec vero mihi procrastinandum videtur esse,
nec in longiorem diem conferendum: sed occasio ipsa arripien
da: dum recens est terror: dum formidolosa hostibus tua virtus
& auctoritas: dum feruens amore laudis & consuetudine vincen
di audax ac sibi fidens tuus exercitus: dum denique cursus felici
tatis tuæ, & celer & secundus. An tu hostium ipsorum rationem
aliquam habendam putas? quasi verò cum eiusmodi aduersarij
res nobis sit, quos ex vetustæ societatis fœdere in aliquam cupi
ditatem & iniuriam prolapsos, ad sanitatem consilij reducere,
potius quàm armis vlcisci intendamus. Quid enim per Deos
nónne ij sunt qui insidijs freti & fraudibus & maioribus
tuis Asiam abstulerunt? & tibi occupauerunt? qui nomen tuum
odijs semper omnibus atq; execrationibus dilacerauerunt? in
ctissimũ verò nobilissimumq; cognomen nouis perpetuo ignominijs
& acerbissimis iniurijs dehonestauerunt? qui fortissimos
milites tuos non solùm vulneribus & ferro: sed illusionibus &

contu-

contumelijs miserum immodum mactauerũt? cum in illis tuam quoque maiestatem iugulare se, & annihilare dignitatem arbitrarentur? qui classem tuam defensoribus nudatam, nõ sine nominis tui macula atque labe domum remiserunt? qui sanctam & diuinam religionem, in qua omnes spem nostræ sempiternæ salutis positam habemus, inaudito furore & immani quadam crudelitate vexauerunt, fœdauerunt, conculcauerunt? cum interea tot tam seculis illi, tot rapinis, tot populationibus, neque auaritiæ suæ famem explere direptione fortunarum nostrarum: nec crudelitatis sitim sanguine nostro potuerint exaturare: qui ijdem, nisi pertę huiusce modi Hydra exincta, & capita serpentum resisa fuerint, annorum aliquot processu in tuos fines irrupturi sint: teq; vel posteros tuos: vel memoriam certè nominis tui, secùm immodum habituri, & in graue, vel salutis, vel laudis amittendæ discrimen sunt adducturi: vt præter honoris & dignitatis tuæ causam, quæ in hoc præcipuè consistit, vti tu tantus, & tanta opinione virtutis ac fortitudinis Rex, communem religionis causam suscipias, nominisque tui & amplissimi cognominis existimationẽ inuiolatam esse velis, maiorumq; tuorum vestigijs consectandis hæreditatem eorum, non minus gloriæ quàm imperij cernas, & in iure tuo Asiatici imperij armis repetendo, perpetuisq; iniurijs persequendis, contractam iamdudum nomini tuo maculam eluas: præter inquam, hanc laudis causam & amplitudinis, quæ semper honestis mentibus idonea visa est, quamobrem labores atque pericula minimè viderentur esse fugienda, necessitas tibi quoq; illa imponatur, si incolumem regni tui statum esse vis, præripere illis nocendi occasionem, & pericula inferre potius quàm repellere. Atq; hæ tot & tantæ causæ mihi quidem ad curam & deliberationem tuam inferendi iustissimi belli, tam ponderis videntur, vt si in humanis tantum modo rationibus insistere velimus, nihil quicquam sit præterea requirendum: quibus enim causis vnquam permouebuntur, qui his moti non fuerint, quæ pertinent ad salutem, pertinent ad dignitatem, pertinent ad securitatem? Verùm nos qui semper terrenis cœlestia antetulimus, & vnde beneficijs nostris vberrima & maxima præmia expectamus, eò quoq; potissimum consilia & cogitationes nostras referimus, vna religionis & gratæ in Deum voluntatis causam, maximè grauem ac prorsus necessariã iudicandam arbitramur, cæteris dimissis, & præ vnica pietatis ratione nullo penè in numero ductis: nam vt nullus sit honos: nullus periculi metus: nulla laudis appetitio, vt existimatio contemnatur, beniuolentia hominum repudietur: iudicia gentium, tot & tam egregia de te omnia reprehendantur: vt hæc inquam omnia prætermittantur, & quæ summa sunt fingantur esse nulla. Illud quoniã modo ferri,

aut per negligentiam haberi potest? quod tu simulatq; in cœlo oculos sustuleris, & Regis illius altissimi diuinam erga te liberalitatem recognoueris, exemplo cogites necesse est, te tantis propterea ab eo esse ornatum muneribus, vt sis ad referendam illis quanto illustriorem & vberiorem gratiam, non solùm voluntate paratus, sed etiam omni armatus atque instructus facultate. Sanè sumus omnes ab illo rerum omnium capite atq; fonte ita in naturam & in lucem editi, vt penes quenquã magnitudo diuini beneficij remunerationis locũ non habeat: sed sumus tamen dispari conditione atq; fortuna: neque omnibus par atq; idem officij munus est iniunctũ: communis porrò summis ac infimis fides: cõmmunis innocentia, cõmune pietatis, integritatis, & continentiæ studium. Sed ad has artes atq; virtutes in quibus quisq; pro virili sua agendis Deo gratijs versare debet ac exercere, vt imperia & opes, nõ necessariò requirũtur: Propterea quod sine ijs partes ipsæ frugalitatis & tẽperãtiæ haberi facile possunt. Sic quib. illa etiam vltro sunt tributa, ij non sibi tantũ probi, sed & omnib. pręterea cõmodi: nec solum quod ad ipsorum salutem pertineat attenti, sed ẽt in eo quod omniũ saluti opus sit, debeant esse vigilantes: vt quantũ in illis diuinę liberalitatis & beneficentiæ redundarit, tantũ appareat in suos ac debitos, tanq̃ absoluti officij & pietatis gradus esse distributũ. An verò tu in memoria non retines, id quod ex ore tuo, atq; verbis, in omnes terras diuulgatum, cunctorũ tibi studia & vota conciliauit? Cũ ita seuerares, te inter cęteras causas, quib. bellum Venetis indicendũ putares, hac potissimum adduci, quod his tanq̃ impedimentis e medio dimotis, vnde quieto animo finitimus nemo, & suarũ rerũ tranquillo, propter cupiditatẽ Venetorum esse posset: & quodammodo obicibus ac repagulis sanctissimi in Turcas belli diffractis atque reuulsis, liberos tibi & patentes aditus in perpetuos hostes fidei & religionis esse velles. Quid ergo, quid actum est? num surdæ Dei visæ sunt aures? num tibi ille vllo in loco aut periculo defuit? num benignitatem suam aduersum te clausit, quantum tu quidem ad rationem dignitatis tuæ ausus es optare? Quid est aliud voti damnatum esse, atque conuictum, quam propter quam causam quid à Dijs immortalibus postulandum duxeris, eo impetrato atque obtento, reliquum te deinde, cuius causa priora illa flagitata sint, iam Dijs ipsis immortalibus debere? Atque ego non dubito quin is, qui ex illis excelsis & peramplis celestis oræ regionibus, omnis suæ liberalitatis fontes tuis iniuriis, & commodis effudit, ab eisdem omnia illustrantibus, atque omnia prospectantibus locis, tuam nunc mentem obseruet animumque speculetur, quemadmodum in tantis cœlestibus beneficijs ad referendam gratiam te gerere studeas: an tot diuinis muneri-

meritibus pietas tua respondeat: nisi forte existimamus non esse Deo nostras res curæ: id quod impium est: aut si illum rerum omnium factarum, & earum quæ fiunt faciundæve sunt, auctorem confitemur, euentus tamen bellicæ victoriæ decusq; triumphi, abillius cura & potestate seiungimus, quæ ornamenta tanti fine consensione omnium, vt non in consilijs hominum posita, sed in quadam diuina sorte videantur esse constituta. Quanquam vel sine ijs mihi in ipsam regalem fortunam & dignitatem animo mento, in mentem venit existimare, neminem profecto fuisse nostri generis regem, ita cupiditatibus obsequentem suis: sic auersum à religione, & in omni vita crudelem ac nefarium, qui tacitis aliquando suis cogitationibus: aut in somnio aliquo monitus vel periculo: cum ad hanc meditationem accederet, quanis diuinitus ornamentis honorũ, & imperij affectus esset: quam ipse ingratus in Deum, ac cœlestis beneficentiæ negligens fuisset: quod se in fastigio excelsæ potestatis constituto, illius terrestre Hierosolymorum regnum seruire perfidis nationibus, pro sua parte sineret, quem ipse auctorem sui regni haberet: nemo, inquam, tam sæuus: tam impius: tam detestabilis Rex in hanc cuiam & cogitationem lapsus est, qui non exhorreret animo: non cunctis artubus contremisceret: Scilicet sedeat ipse in solio, sceptrumque manu teneat, auro amictus & purpura: abundet opibus, circumfluat delitijs, voluptates vndique conquirat, quibus suas possit libidines explere: seq; & metui velit, & ab omnibus usque quaque coli: cum interea ipse ille, cuius munere hæc omnia possidet, Deus summus & omnipotens, non solùm ab impijs gentibus contemptus, illusus, in contumelijs habitus: sed vetere etiam regno sanctæ ciuitatis, atque adeò orbis terræ imperio, propter huiusce modi regum negligentiam, spoliatus, ne sepulchrum quidem corporis sui à barbarorum spurcitia inuiolatum retinuerit: Et is se regem à suis coli, & salutari volet, qui monumentum sui, & omnium Regis, fœdatum atque pollutum prose pati non recusat? aut se dignum, qui multis gentibus imperet arbitrabitur, cum Dijs ipse immortalibus nolit obtemperare? aut denique hominum merito fuerit dominus, qui cupiditatum sit seruus? Quod si quis vel tanta importunitate naturæ extiterit, vt cum hæc videat ipsa, penitusque animo recognoscat, rapi se tamen in diuersa omnia, & salutis cogitationem præsentibus cupiditatibus superari permittat: vel tam duro, & pessimis in rebus obfirmato corde, vt in illius pectus illabi hæc cura, & pietatis cogitatio penetrare ad intimas sedes animi nullo pacto queat, illum vltimus vitæ dies, & extremi illi imminente iam morte cruciatus, aliquanto grauiores animi quam corporis expectant: cum omnia vitæ commoda relinquenda, & ad for-

midolosum illud tribunal adeundum: quo iniquos reges, ...
scelerum: & horribilis comes malè actæ vitæ, pœnitentia, ...
tusque infiniti supplicij consequetur: quo tum vultu adeas ...
te iudicem? aut quam malè miser trepidabit, qui cœlestium ...
neficiorum Rex dum viueret oblitus, cupiditatum & ...
greges, quos in vita charissimos sodales habuit, astare circum ...
acerrimos atque inimicissimos aduersarios, tanquam ...
ne circumuentus intuebitur? hiscere mediusfidius præ ...
in terrorem diuinæ seueritatis attollere oculos nō audebis; ...
si huc in tantam pœnæ vltionisque formidinem rei ...
ges, qui nomen tantum regale, nudamque cæteris ...
giam ipsam potestatem tenuerunt: quid existimandum ...
ximis præterea accessionibus adiunctis auctoritatis, ...
victoriæ? Quo tibi, Ludouice, vehementer contendendum, ...
vt cum aliis in partibus & muneribus vitæ constantiam ...
tuò, & æquitatem & clementiam, & optimi regis virtutes, ...
quasque rationes rectè, & ordine administrandi imperij ...
ris, hac quoque in causa religionis defendendæ, gratam ...
præstes. Cæteræ enim virtutes suas habent vnaquæque ...
resque laudes, pietatis autem gloria complectitur vniuersa ...
mnem in se continet humanam dignitatem, quod spectat ad ...
uinam: vt tibi in salute Christianæ Reip. constituenda ...
sit elaborandum, ne quod in te facultatis & potentiæ redundat, ...
suis partibus officij vacare videatur. Nam quid ego dicam de ...
casione? quæ tanta est, vt si nuncius aliquis delapsus è cœlo ...
datum tibi cœleste attulisset capessendæ huius expeditionis ...
lique in barbaros commouendi, non signis certioribus, ...
adeò clariore voce non vteretur, quàm hæc est tam parata ...
portunitatis vox quasi imperantis Dei appellatio: velle sese in ...
hanc ampliandæ religionis curam te totum discedere, cum ...
ipse scrupulos omnes ex animo tibi extraxerit: omnes ...
nes: omnes discordas: omnes finitimorum regum inimicitias, ...
quæ tibi cum illis acerrimè intercedebant, sedauerit: omnia ...
ad pacem & ad concordiam traduxerit: te non solum tranquillo ex omni obtrectatione domestica, sed firmissimis insuper præsidiis finitimorum munito. An tu in hac ipsa re noua mediusdius ac mirabili, imperium Dei immortalis non exaudisti ...
prouidentiam non intellexisti? Quid enim vnquam tam ...
ab omnium spe & expectatione fuit, quàm tot potentissimos, ...
micissimosque inter se Reges, veteres & diuturnis odiis ...
batas simultates deponere? deposuerunt: amicitiam etiam ...
re & societatem? coierunt: in commune consilia & rationes ...
conferre? contulerunt. Quid tam incredibile, quàm quas ...
rias vlcisci multi non cupiebant solùm, verùm etiam sperabant ...

eas derepentè & nouis fœderibus, & liberalitati suæ remisisse? ita remiserunt, vt eædem illæ iniuriæ causam coniunctiori necessitudini dedisse videantur. Quid verò tam vel ipso rei exitu notum, vel celeritate inauditum, quàm tot disiunctos animos, tam infestas inter se, dissentientesque voluntates, ita subitò ad veritatem reconciliatas fuisse, vt prius penè transactum audiretur quàm tractatum? sunt hæc omnia, quanquam diligentia hominum administrata, tamen per prouidentiam Deorum constituta. quod si ante actis temporibus, qui laborem huius sanctæ & memorabilis pro Deo & religione militiæ detrectabant, hac vna causa inertiam suam tegere nitebamur, quod odiis ac simultatibus finitimorum circumfusi, liberam non haberent bene de rep. cogitandi facultatem: profectò qui hanc causam, tanquam impietatis & negligentiæ latebram remouerunt, id poscere aperte Dij immortales, & flagitare videntur, quòd quò minùs antea fieret, ea vna causa allegabatur impedimento: non enim impedient iam qui antea impedire fortassis fuerant parati, sed etiam vtrò acstudiosissimè adiuuabunt. Atque huius rei effectum iam cognoscimus. Sentio enim ego ab vltimis terrarum finibus clarissimum regem ita in hanc curam sanctæ expeditionis, animo & desiderio intentum, vt apparationem belli quotidianis penè literis & nunciis vrgere non desinat, vt virtutis laudem nullam putet, nisi in qua se Deo & religioni exercuerit: quòd enim aliquot iam bella in fidei salutem confecit: nonnullas prouincias ad Christianam remp. adiunxit: gustu veræ beatitudinis semel percepto, inducias eius honestissimæ cupiditatis nullas habere potest. Ego te ad eandem industriam & pietatem adhortor & voco, cum Deorum beneficio, florentibus fortunis tuis, nihil circumcirca sit quod suspectum habeas. Hic ego regem neminem nominabo nisi Cæsarem: qui tibi & locis proximus, & in hanc expeditionẽ maximè potest esse vtilis. Is fortissimus Rex & summus Imperator, qui tecum ex maximis inimicitiis, in gratiam ita reconciliatus est, vt non maiores antea dissensionum causæ fuerint, quàm nunc amoris & necessitudinis sint: nec pluribus iamdudum suspicionibus animi abalienati, quàm hoc tempore beneuolentiæ conglutinati: communicare tecum in hac laude præstantissimi facti volet, nedum vt te vlla ex parte conetur impedire: cuius tibi beniuolentia & coniunctio, vt summo consilio quæsita est, sic constanter est retinenda. Nihil enim nec gratius Deo, nec ad animi fructum & tranquillitatem, hominumque famam efficacius, quam cùm in magno rege, & animi facultates quærantur & consilij, esseque is debeat non minùs lenitate, quàm virtute spectandus, mansuetudinem aduersùm eos qui legibus & religione coniuncti sunt exercere, virtutis autem & po-

tentiæ exercitationem inter ipsos hostes religionis quęrere: Nec verò absunt huic occasioni cęterę, quę ad cōparandos retinendosq; exercitus copię sunt opportunæ: de quib. disputarem eqdem subtilius, nisi tibi totam eius rei descriptionem explicatam esse considerem: nunc tantum id dicam: cum omnis conficiendi & alendi exercitus ratio, & genere ipso militum constet, & facultate stipendiorum: alteram partem quæ plus habere videatur difficultatis, quæ in ærario & pecunia posita est, largiter tibi & vectigalibus tuis, quæ & pro amplitudine imperij maxima semper sunt: & pro ratione belli tum fient vberiora, & decimis sacerdotiorum binis etiam, ternisué, prout tempus ipsum postulabit: voluntarijsq; præterea ciuitatum priuatorumque colonibus suppeditaturam: nam cum hoc fuerit egregium ciuitatibus publice tali casu, & apparatione sanctissimi belli, communi ciuium, & in Deum immortalem animū, & in suum regem beneuolentiam declarare: tum nemo erit tam auaro ingenio priuatus modo bona ad religionē mente sit pręditus, qui familiaris opes & facultates suas, potius suis cōmodis condere, quàm in fidei & salutis subsidium malit depromere. Quod verò ad milites exercitusq; pertinet: sunt tibi victrices tuæ legiones robustissimorum peditum, quæ auspicijs tuis exercitatæ prælijsque assuefactæ, eundem semper euentum & pugnæ, & victoriæ cognouerunt: neq; sciunt quid sit aliud conferre signa, nisi vincere, sunt alæ frequentes nobilissimorum equitum, qui perpetuis stipendijs tuis sacramento obligati, virtute perficiunt, vt tua in illis retinendis liberalitas & prudentia commendetur: erit eo tempore numerus nō mediocris euocatorū: vt n. quis animo & nobilitate præstabit, sic ad imperium tuum tibi erit pręstò: iubentisque auctoritatem voluntate præcurret: atque ad has militares copias tui inuictissimi exercitus, quas Turcæ ipsi & barbari, quo pacto sustinere vel intuendo possint, ne adhuc quidem comminisci rationem vllam queunt: accedet tibi cùm summa facultas delectuum habendorum, supplementique instituendi, ex strenuissimis maximeque gnauis ad prælia Gallicis nationibus: tum externa quoque & gratuita auxilia conuenient fortissimorum virorum: qui quidem complures numero, virtute & genere præcellentes, iam eadum in speculis sunt, animoque cupidissimo contemplantur, ecquis alicunde extet qui huiusce belli classicum aliquando canet: ecquis magnus Rex & Imperator patrocinium salutis publicæ & religionis causam suscipiat: cupiunt enim eam vitam, quam nunc suspectam perpetuo & meticulosam facit, opesq; diuino sibi beneficio datas, ac donatas impendere in vtilitatem reip. qui quod & frequentes sunt, & fortitudine præstant, non solùm numero cohortes tuas, sed etiam virtute victorias adaugebunt: vel enim

certo

certo mortis periculo proposito parati sunt animo libentissimo donare religioni, quod omnino debent necessitati: quod si Ioannis tuis castris omnes capere voluntarios milites posset, crede mihi Ludonice, id quod tamen vides ipse, non tu multitudinem & copiam, sed modum quærendo laborares: approperarent enim omnes vndique, qui aliquam animi & virtutis possessionem retinerent: neminem liberorum charitas, neminem domesticum ocium, neminem priuata prædia, neminem viæ difficultas & labor à tam præclaro studio retardaret. Etenim quis vnquam votis, ac desiderio illuc perueniendi suspexit in cœlum? aut quem cupiditas pulcherrimæ laudis assequendæ extimulauit? Quis denique summi Dei in nostrum genus merita, aduentum in terras, ortum, obitumque hominis facti, labores, sollicitudinesque nostræ salutis causa susceptas, grata & pia cogitatione recordatus est? Quin hac tali opportunitate oblata, occasionem sit arrepturus, & gratiæ Dijs immortalibus referendę, & nominis perpetuandi, & cœli adipiscendi? Ac illud quoque manifestum, ad hostium loca perueniendi duplicem tibi itineris rationem esse propositam: Siue enim terra exercitum ducere instituens, tuto tibi id facere amicissimis Germaniæ ac Pannoniæ regibus licebit. Sed erit longitudo eiusmodi viæ propter difficultates terrestres, aliquanto fortasse laboriosior: siue classe duxeris transmittendum, id quod probari à peritis & prudentibus video, præsertim cum & maritimæ opes tuæ dominentur, & hæc quoque ad belli gerendi opportunitatem naualis tota ratio necessaria sit, promptum tibi fuerit quodcunque ad littus appellere voleris, eo in littore castris locum munire: exploratisq; hostium consilijs decernere: Vnde potissimum exordiri bellum placeat: & quamprimum in partem virtutis tuæ impetus immitti. Quæ tibi deliberatio, tutis à tergo & placatis omnibus ob fœdus & amicitiam coniunctissimorum Regum: aut si qui nunc populi tibi sunt offensiores, ijs tum aut virtute tua perditis: aut clementia conseruatis, & ad beniuolentiam traductis: hoc etiam erit proclivior, quod ne suspicandum quidem est, hostes ipsos terra, marique tuas tibi acies esse opposituros: quod enim copijs parum ad prędandum idoneis, minime autem animi virtute valent: Ideirco nec imperium: nec salutis euentum suæ in ancipitem prælij fortunam sunt commissuri: quod ego tibi, & militibus tuis fortissimis viris molestum fore puto. Virtutis enim proprium est, & fortitudinis, eam appetere victoriam, non quæ per hostiũ ignauiam oblata, sed quę labore videatur esse parta. Veruntamen barbari, non signis conferendis, sed itineribus tuis insidiandis: subitisque terroribus ostentandis: eandem viam & periculi tui, & salutis suæ tentare aggredientur. Quorum tu fraudes, prudentia

tia tua, incursus constantia refutabis. Qui verò nodus in com-
peregrina militia rei frumentariæ, & reliquorum commeatuum
vel difficillimus videtur esse, eum tibi partim Græciæ & Thra-
populi expedient, qui imbutis Christiana religione animis, o-
mnes tibi futuri sunt præstò. Partem verò maximam suppedi-
tante Italia: prouinciis sumministrantibus, classe tua fortissima
atque instructissima legente semper oras propinqui littoris, ex-
ercitusque tui vestigia obseruante, omnium rerum copiam tuis
castris constabit. Quid dicam de sublationibus ciuitatum in
regionibus, seditionibusque populorum? qui aura propinquæ
libertatis à tuo exercitu eis afflante, ibunt ad arma profectò
contra eos quorum nefarium dominatum tot iam annis perfer-
re sunt subacti: vt Turcis consistendi nusquam locus, fatiscendi
respirandi libera nulla futura sit. Vnam illis rationem resistendi
in obsidionibus perferendis video esse reliquam, si neque segni
conferre, remque fortunæ permittere audebunt, quod propè ex-
ploratum nobis est: neque insidiis tendendis, commeatibusque
intercludendis quicquam proficient: quod nos cùm ad prudentiam
consilij tui respicimus, penitus vereri desinimus. Verùm in
hac ipsa re quanta illos incommoda cõsecutura sint animaduer-
te: primùm animos ipsi suos demittent, nostros exaugebunt. De-
inde genus latissimè vagari solitum, qua vna in re tota eorum vir-
tus & disciplina militiæ constat, inclusum muris & penè constri-
ctum, ne insolitam quidem pugnandi rationem conabitur exer-
cere: postremò vt & velint ipsi, & audeant insistere in meritis
munitionesque tueri, cùm paucissima habent loca manu tenen-
ta, in quibus spem salutis suæ si constituerint, de reliquis profectò
desperasse intelligentur: tum ne ipsa quidem illa tuorum mul-
tum virtutem, vimque tormentorum sustinere sunt idonea. Vna
est vrbs Constantinopolis, quæ propter amplitudinem ciuitatis,
mœniumque & loci situm, multitudinemque propugnatorum,
aliquantum moræ & difficultatis videatur habitura: Si animus
videlicet barbaris ad resistendum suppeditauerit. Hic tibi, in-
quam, fortassis quid tuæ possint imperatoriæ virtutes fuerit ex-
periundum, & id tamen tuus animi ardor, tuorum militum
fortitudo postulatura est. Sed ego quid planè velim satis con-
stitutum non habeo: optem tibi leuem eius vrbis expugnatio-
nem? nimium hostibus tribuere, & tuæ virtuti non planè
debor considere: difficilem cupiam esse & laboriosam: tuæ vir-
tutis laudem illustriorem optauero, at salutis communis cur-
sum retardauero. Tamen si ex veritate res, non ex fortissimorum
virorum & cupiditate pugnæ flagrantium desiderio iudicanda
est, ne eius quidem vrbis oppositus celeritatem victoriæ tuæ
remoraturus est. Nam cùm milites illiusmodi ex illo eque-

futi & fugaci pugnandi genere, minimè defendendis mœnibus sunt apti, tum crebris transfugijs Ducum, qui vel pristinæ religionis stimulo, vel præsentis periculi metu adducti, extremam belli fortunam non expectauerint, & amissione omnium rerum debilitatis remanentium animis, nec vires barbaris, nec consilia constabunt. Adde terrores intestinos Christianorum ciuiũ: quorum vrbs refertissima est, omnia ad seditionem & tumultum vocantium. Adde vehementissimam impressionem ingruentis extrà exercitus tui, quæ diuina ope & virtute incitata, viam sibi latissimè perruptura est: quandoquidem etiam non dubitamus Deum omnipotentem, astantem in illo sanctissimi laboris opere, & fauentem suis tonitribus de cœlo, si opus fuerit & frequente fulminum iactu in illorum ora vultusque: qui adesse in mœnibus defendendi causa instituerint, tormentorum tuorum ruinas accumulaturum. Etenim si Hispanienſibus bellis quæ aduersus Mauros pro religione gesta sunt, & in illis Belgradi ac Rhodiæ ciuitatis oppugnationib. præsens Dei numen affuit semper, victoriamque nostris concessit & adoream, num verendum est vt non adsit in illo amplissimo labore & certamine, in quo summa religio & orbis reip. dignitas versatura est? Igitur Byzantio recepta, & hoc obice reuulso ac deiecto, reliquus iam tibi nõ ad vincendum labor, sed ad peragrandũ Asiam cursus superfuerit. Quæ quidem prouincia nõ arma tibi & aduersos exercitus, sed pompas & celebritates, & festiuos dies aduẽtus tui latura obuiam est. In quo tuę iam sapientiæ est, cogitatione antecapere illius temporis, quam fore tibi gloriã & gratulationem putes. Nam si ex hac recenti victoria, qua Veneti imperio per te & vetere fortuna euersi sunt, tantum hilaritatis & lætitiæ ad animũ tuum peruenire sensisti, vt tibi pulcherrimus ille dies, & totius vitæ fortunatissimus sit visus, in quo intra imperij tui armis vendicato fortitudinis & felicitatis laudem aliquam meruisti, pietatis nullam: Quid tuæ spei propositum esse debet ab illa victoria, quæ tibi orbis terræ imperium, & gratulationes omnium gentium collatura est? in qua virtus tibi tua, veraque animi magnitudo & felix conscientia auctæ restitutæque religionis: Deus deniq; omnipotens & summus gratulabitur? Huc igitur te, huc inquam te, cum & dignitas tua, & optimi Regis munus deposcat cognomenq; Christianissimi, cum omnium gentium desideria atque vota, cum iniuriæ hostium veteres & acerbæ, cum salutis securitatisque ratio, cum ius, cum æquitas: cum maiorum virtutes: facta, exempla: cum imperij amplitudo: laudisq; splendor & gloriæ: cum imbecillitas hostium: robur tuorum exercituum, occasio temporum: opportunitas omnium rerum ad orbis terræ regnum tibi & sanctissimæ fidei subiungendum te vocet, cum deniq; Deus ipse immorta-

mortalis signis, indiciis, victoriis, imperio propemodum & tot
tuam ad hoc bellum virtutem voluntatemq; requirat. Tu qui
nam afferre causæ in hac cura subterfugienda, & tanto Deorum
hominumque consensu repudiando, in qua tandem latere cau-
satione queas? An quod liberos non habes? (Sic enim iactari in-
terdum audio) qui si adessent, impedimento tibi potiùs quàm in-
citamento essent: patria enim indulgētia & charitate victus, per-
difficiliter à tuorum liberorū conspectu & complexu dissolve-
re: nunc hęres tibi quidem non deest imperij: nominis autem tui
& virtutis hęredem posteritatis memoriam repudiare: ne est
profectò sapientiæ tuæ. An te itinerum difficultates, Bonarum
valetudinis tuæ deterret? quasi verò aut tibi tanto Regnorum
commoda leuandi laboris ratio, & fatigatio viæ valde nobis
esse possit: aut cùm perspicuum sit infirmitatem humani corpo-
ris fortuitis semper casibus & periculis obnoxiam esse, non ma-
gnæ virtutis sit singularisque prudentiæ in iis potissimum rebus
eam exercere, quæ cùm mortem longissimè fugant, tum verò ac-
cersunt & pariunt immortalitatem. Nam si te, id quod tantum in
magno Rege simile veri non est, tanquam perfunctum rebus am-
plissimis laboribusq; maximis: domus iam ipsa: aspectusq; tuorum
& ocium reliquæ ætatis: pax: quies: tranquillitasq; delectat: ea q;
iucunditatibus, quæ tibi in regno tuo suppetunt, cogitas esse con-
tentus. Primùm nec expectationi nostræ cumulatè, nec tuæ laudi
satis adhuc fecisti. vt enim sæpe iam diximus, virtus tua primum
hactenus vtilitates persecuta est, nondum attigit publicas: est au-
tem summæ virtutis, vereq; animi magnitudinis, nō tantùm quæ
propria sunt attendere, sed in commune potiùs consulere. Deinde
de hæc fruendarum voluptatum meditatio, à nomine, & laude o-
ptimi regis abhorret: non fructus est imperij voluptatum con-
quisitio, non otij desidia: non inertiæ studium: non vacatio operæ
& cessatio: Sed labor: sed splendor: sed publicæ salutis cura: sed
exercitatio virtutis cultusq; religionis. Ac eiusmodi quidem vo-
luptates: quæ per quietem & inertiam subijciuntur, fallaces po-
nitus ementitæq; sunt: quibus dolor comes est: quas subiturus fa-
stidium corrumpit: quæ breuem habent suauitatem, perpetuam
pœnitentiā. Virtutis autem & pietatis fructus sempiternus. Quod
si voluptatis studio tantoperè duceris, num tu maiorem eius
psius vsum vlla ex re percipi putas posse, quam ex virtutis opera-
bus, & defensione religionis? Etenim attende, attende Ludovice
percipe animo veræ voluptatis gustum: quam tibi non mortalis
vlla oblectatio, sed instar sempiternæ in cœlo beatitudinis dies
expresserit, quum tu tantis regionum spatiis terra mariq; emen-
sis, tot vrbibus & gentibus in fidem receptis, orbe terræ ad imperi-
um tuum adiuncto, immortalitate comparata, tebus iis gestis

quas

quas laudare pro dignitate poterit vnquam nemo, imitari ne sperabit quidem maximus omnium Rex: qui sint, fuerint, futurúe sint, in finibus ipsis sanctæ ciuitatis vestigia impones, eminentiúque procul tecta & Hierosolymorum turres aspicies. Quæ tibi tum diuinæ species occurrēt fidei cœlestis qua conseruati sumus, quæ incunabula ipsa intuenti? quam omnes præteriti labores pro nihilo in contentione tantæ iucunditatis æstimabuntur? Milites porrò tui, quibus tum clamoribus per vniuersum agmen sibilatis Hierusalem salutaturi, quo fletu excitato vrbem sanctā sint adoraturi? Conflagrabunt studiis. Vrgebunt signiferos, inferent gradum: Sua quenque pietas, suus ardor stimulabit. Nihil illis longius videbitur, quam dum in illis religiosissimis templis sanctissimisque delubris corpora sternere, & exoptatis amplexibus, iucundissimisque lachrymis satiare conceptam religione animi sui possint. Tu verò inter militares illas conclamationes, & gratulantium inter se gaudentiumque lachrymas, inferto ad sensum pietatis animo, inaudita quadam alacritate, & pio religionis horrore perfundere. Quid quum circumfusus corona procerum, regalique habitu insignis & equo, ad portas & mœnia Hierosolymorum conspicuus accedes? Crucemq; manu inferes? Crucem, quam nunc gementes & prostrati suppliciter deprecamur, vt tibi voluntatem huius belli victoriamq; contribuat, tunc parto iam triumpho ouantes adorabimus: Crucem inquam, quæ quondam humano generi salutem peperit, tunc ipsa vicissim per te seruata videbitur. O felicem & semper commemorandum illum diem, quem qui præsentes oculis hauserint, Deorum vitam fuerint consecuti: O iucunditatem non antea cogitatam: O gratulationem non enarrandam. Quis enim tanto ingenio, tanta eloquētia, qui explicare verbis, atq; adeò complecti cogitatione queat celebritatem spectaculi illius, quum tu armatus & victor, nondum abstersio itineris puluere & sudore: neque enim ardor tuæ cupiditatis siuerit, ante sanctissimum Domini nostri sepulchrum prostratus, & humi hærens, amplectendo, exosculando, pios gemitus edendo expleri nequiueris: tantò maior & excelsior Rex, quantò te summo illo Rege minorem prostrebere. Quod tuum tunc erit gaudium? quæ communis omnium lętitia: quantus & quam incredibilis fluxus lachrymarū? quum inuictum amorem & beniuolentiam erga te, vimq; illam summi gaudij animi hominum capere non poterunt. En cur nos reges esse optare debeamus: & cur fortunæ nonnihil deferendum putemus: non vt falsas voluptates consectando, quæramus libidini prædam & cupiditati, sed vt ad potentiam & copias magnitudine animi pietateque adiuncta: hos fructus veræ iucunditatis; hęc præmia æternitatis, vigilando pro communi salute & reli-

religione laborando, altè semper spectando consequamur. Nec
cæteræ quidem quæ temerariis opinionibus aluntur humanæ
spes & sollicitudines, plenæ somnij & vmbrarum simillimæ sunt:
vna extat religionis procuratio quæ ad immortalitatem ad-
scendam veritate expressa est. Atque ego qui natus in fortuna
nui, & in his temporibus versatus virtuti infestis, nec opinor me
aliquid, nec in mea auctoritate præsidij doleo esse reip. & eo ex-
iam magis, quod ita meæ fidei sanctissimæ amore ardeo, quam ti-
hi salutem dedit, vt libenter gladiis vitam obtulerim, si non san-
guine redintegrari vetus dignitas religionis queat, omnino qui a-
liquo in numero esse volunt, vel à fortuna locati, vel periodisti-
am constituti, in hoc ipso munere iuuandæ religionis tragoe-
re suadeo esse elaborandum. Non sumus ad ocium facti nobis
desidiam: nec nobis curriculum huius vitæ solutum à meta lit-
ra est. Sed omnibus dies dicenda est ab illo naturæ rege: quem
qui indulgentissimum parentem non agnoscunt, sæuerum iudi-
cem experientur: nec idem tamen postulatur ab omnibus, facul-
tatum gradus distincti sunt, operæ esse debent: vt tamen ab in æ-
qualibus fortunis, æquam vnusquisque voluntatem in commu-
nionem publicæ vtilitatis conferat. Ac si ingenium & literæ af-
fuerint, cohortando: Si auctoritas, admonendo: si vis, exequendo:
omnibus hic præclarissimus labor Christianæ reip. nauandus est,
vt propter quem ipsi honesti sumus præpotentis Dei hoc eorum
potissimum habeamus. Quamobrem cum hæc ita se habeant,
Ludouice: cum virtutis laus: officij ratio, pietatis meritum con-
stare tibi melius nusquam possit, quam in communis salutis pa-
trocinio & tutela religionis: respice aliquando ad te: & ad facul-
tates tuas virtutesque animi tui, ad omnium nationum desideria
accommoda: Recognosce qui sis: vnde ortus: in qua fortuna po-
tus: quid à te præstari reip. quam gratiam Deo referri conuenit.
Plane videmus omnes tantis te affluere fortunæ ornamentis,
quanta nullum adhuc regem ab antiquitatis seculis circumsta-
terunt. Sed illud quoque intelligimus, nihil in eis re ipsa præcla-
rum esse atque magnum, nisi iudicium & sapientiam dispensan-
tis, quis autem ad res perpendendas rectum consilium adhibeat,
vagam & inconstantem semper, volucremque fortunam non la-
boret nectere eis vinculis quæ æterna sint? quique non malitiam
tanquam exterioribus adminiculis nixus, tendere ad immortali-
tatem quam auctoritatis peculium quodammodo & potentiæ
in breuissimos vsus mortalis vitæ consumere? An non animaduer-
tis, quos adhuc beniuolentia nostra celebramus clarissimos ille-
los veteris memoriæ duces, nequaquam tantis ab radicibus qua-
tis tu niteris, ad orbem tamen terræ suis victoriis illustrandum
sola cupidine gloriæ fuisse excitatos? Iulios Pompeios: Scipiones

Trai-

Trianos: qui cum nequaquam parem tibi causam secuti fuerint: neque ad cœlestem finem aspirauerint: Tu tanto nobiliore & fini, & causa non illis par omni virtute fueris? Tu tam præclaram occasionem non agnosces? Tu omnium gentium iudicia refellés: Tua & tuorum salus: Te conscientia intimæ voluntatis: Te ipsa obtestatio laborantis reip. Te tui nominis sempiterna prædicatio ad Christianum genus in libertatem pristinam asserendum non vocabit? Minime: minime: non id esset magni ducis: non Christianissimi regis. Quin excute tandem aliquando temetipsum. Magnitudinem animi tui excita. Exurge in hanc excellam laudem: Ad immortalitatem contento cursu nitere: Deo immortali obtempera: Amplectere orbem terræ imperio: Cœlū animo: Æternitatem gloria: Humanum genus beneficio: vt nos, & qui post nos futuri sunt, quiq; in longa posteritate inerunt, virtutis tuæ merito honestati, laboribusq; conseruati, perpetuam nostram salutem, & dignitatem tuæ semper laudi & memorię acceptam referamus: Tu verò quantum terrarum spacii ad imperium tuum adieceris, tantundem tibi ad fruendam immortalitatem loci in cœlo compares.

FINIS.

IACOBI SADOLETI SACRÆ ROMANÆ ECCLESIÆ CARDINALIS, AD PRINCIPES populosque Germaniæ exhortatio grauissima, vt defectis & abiectis pestilentissimarum hæresium infinijs, in gremium Catholicæ & Apostolicæ Christi Ecclesiæ redeant.

MAXIME erat optandum, Principes populique Germaniæ, vt nos cuncti, qui Christianam fidem profitemur, atque in ea vna, spem nostræ salutis perpetuæ repositam habemus, vno ore atque corde eadem sentiremus, quodque inprimis à Domino nostro Iesu Christo nobis est imperatum atque præscriptum, omnes in ipso Iesu, & in eius patre summo Deo, sicut ipsi inter sese vnum sunt: item nos, & in illis vnum, & inter nos essemus, Quę recta & vnica ad salutem nobis est via. Sed quoniam prauis hominum cupiditatibus omnia miscentibus ac perturbantibus, facta est in Christiano populo magna dissensio, cuius isthinc ortus atq; initia deriuata in cęteros, maximis tamen incrementis in Germania aucta sunt, neq; solum à Christianæ disciplinæ moribus, sed à vetere etiam sanctæ religionis instituto variè discessum est. Visum est mihi, Deo adiuuante, pro eo amore quem erga istam fortem inuictamq; nationem semper habui, multis multa scribentibus, assilere, tanto meo in dolore, tandiu, sed pro mea virili parte, in medium aliquid proferre, quod cæteris vtile esse possit, mihi autem ipsi apud summum Deum, patrem misericordiæ, locum aliquem veniæ & facilitatis ad ignoscendum meis peccatis pariat. Quod mihi ab diuina illa bonitate & clementia contingere ita opto, si animo bono, si mente integra, si tantum studio concordiæque vnitatis adductus, nulla affectione improba, nullis cupiditatibus deuijs, nulla vllius præmij spe contaminatus & corruptus, ad hunc scribendi laborem me confero. In quo vos Germaniæ Proceres & populi, qui ab optimis partibus statis, qui consuetis

& pietatis vestræ clarissimũ lumen cęteris errantib. præferre non dubitamus, quorum virtute & sapientia & religione, veritas atque vnitas fidei Catholicæ in istis oris nondum etiam dissipata est, neq; (vt spero) dissipabitur, Oro atq; obtestor, vt & mea verba libentibus animis audire, & piam meam hanc voluntatem eõprobantibus studijs atq; authoritate vestra velitis. Ego enim etsi is sum, cui nulla eximia animi virtute, nullis præstantibus ingenij ornamentis prædirus sim: tamen in hac mediocri & dignitate & doctrina, quæ à Deo Opt. Max. mihi donata est, profiteor hoc assidue & præ me fero, nihil mihi magis cordi esse, quàm vnitatem & pacem, nulla me studia, nullos amores, nullas vtilitates ei cogitationi & curæ anteferre, quæ de concordia reconciliandæ sit, & ad tutandam ac propugnandam Catholicam fidem pertineat, quæque altemis querimonijs expostulationibusque extinctis, faciat eorum animos qui Christi sanctum nomen semel agnouerunt, in vnum rursus conuenire. Hac voluntate cum sim, cumque meus amor erga vos Germani, plurimis iustissimisque de causis diu ante susceptus, appetere me & optare dissidij aliquando finem, pristinæque fidem & communionem beneuolentiæ desiderare compellat: dignus certè sum, cuius à vobis non spernatur neque repudietur oratio. Præsertim si ea quæ dixero, plena æquitatis & summi in vos amoris visa fuerint, Amo enim vos, quod quidem ne temerè & sine causa facere videar, exponam vobis breuiter amandi & Germanum nomen magnificiendi causas. Ego enim (vt vetera omittam) quæ antiquorum monumentis nobis sunt tradita, in quibus de maiorum vestrorum fortitudine, de vita atque factis, de rebus gestis, de hominum multitudine atque frequentia, de ingenuitate morum, de seruanda fide, si qua à vobis data esset: de cæteris rebus permulta scripta sunt, quæ ad eximiam laudem generis vestri pertineant, quodque eo tempore Romani Principes, qui orbem terræ imperio complectebantur, vestræ semper amicitiæ & societatis erant appetentes: neque quemadmodum ipsi ex vobis crescerent, sed quemadmodum vos firmos in amicitia tenerent, præcipuè laborabant, Quippe qui & externa bella vestris inprimis auxilijs, & virtute vestra conficiebant, & in ciuilibus seditionibus, suum potissimum corpus vestræ committebant fidei, vt perspicuè appareret, quid illi iudicij de vobis facerent, tam in virtute animi, quam in fidei constantia. Vt hæc, inquam, omittam, quæ qui legerunt & didicerunt, non possunt aliquam non in admirationem de vobis ac Germanicæ nationis beneuolentiam adducere. Quæ sunt nostrorum temporum atque etiam multo superiorum affinia, libentius commemorabo. Vos enim Germani, cum primum Christi nomen inter vos palam prædicari cœptum est

quod quidem factum est duobus Romanis Pontificibus Gre-
rio & Zacharia, maximè procurantibus, Bonifacio Episcopo
minatim ad id negotium misso, homine & pietate & docti-
tam insigniter ornato, vt ei, quæcunque ille agere aut suadere
sisteret, & Dei omnipotentis gratia, & hominum prompta
obediendum voluntas adesset: cœleste fidei sanctæ lumen, & ve-
ritatis doctrinam protinus admisistis, viuamque in spem sa-
lutis æternæ regenerati, & de integro nati, quæ ab illo vtro san-
ctissimo atque optimo, eiusque deinde successoribus, huius san-
ctæ sedis Apostolicæ documenta vitæ atque præcepta quæ per
manus vobis tradentibus, didiceratis, ea inuiolata, atque ita fi-
delissimè custodijstis. Erant quidem etiam ante nonnulli, qui in
vestris oris & regionibus de Christo aliquid audierant, eiusque fi-
dem atque nomen suos inter necessarios familiaresque conte-
bantur: Verum ij tum pauci atque dispersi, tum nihil quicquam
publicè magnopere audentes. Quod autem nomen illud sanctis-
simum, in quo vno salus nobis consistit, neque aliud vllum in cœ-
lo aut infra cœlum est, in quo spem ponere possimus, vobis pate-
factum, declaratum, & in cordibus vestris per fidem inscriptum
est: hoc Romanis Pontificibus acceptum referre debetis, quo-
rum (vt in vetustis annalibus legimus) cura atque industria in
vobis conseruandis fuit singularis, vt si beneficium hoc magnum
sit, quod quidem tantum est, vt eo maius nullum, non modò ab
hominibus, sed ne ab ipso quidem omnipotente Deo possimus
expectare, gratia de eo aliqua in vestris animis remaneat necessa-
est, vt si quibusdam etiam Pontificum posteriorum infensi estis,
quod iniurias ab eis cœpisse vos arbitramini, ipsum tamen Pon-
tificium nomen colere, huiusque Apostolicæ sedis authoritatem,
grauem atque sanctam habere debeatis, è qua vestræ perpetuæ
salutis initia, vitæque diuinitus agendæ documenta in vos profe-
cta sunt. Sed vt redeam ad causas mei in vos amoris, Quid gratius
homini verè Christiano (qualem me ego esse etiam si sæpius
vita à professione discrepet, ipsa tamen voluntate & fide profi-
teor) quid optatius? quam videre, audire, legere, gentes magni-
tudine animi inuictas, multitudine innumerabiles, moribus &
studijs à consuetudine cęterorum alienas tam subito & tam fa-
lè audito nomine Christi, mansuescere, & quos nulla vnquam
hominum vis, nullæ minæ, nullus terror, ad parendum & obedi-
endum compellere potuisset, eos statim audito Dei verbo, [illegible]
homunculi oratione captos, colla cœlesti iugo supponentes [illegible]
[illegible]bijcere. Quæ vestra laus Germani penè est propria. Nam ceteræ
ræ gentes ac nationes, quæ ad fidem & ad Deum conuersæ sunt,
non generatim neque vniuersæ, sed partibus temporibusque di-
uisis, ad veritatis notionem sunt adductæ, vos simul atque intel-
ligere

ligete cœpistis, quid vobis proponeretur, regnumque Dei & vitæ melioris præcepta auribus & mentibus vestris concipere, non paulatim, sed cateruatim, Spiritu sancto afflante corda vestra ad cœlestis vitæ superioris studijs, ad Deum & ad Dominum Iesum Christum vos contulistis. Quæ vestra bonitas & facilitas, cui quæso Dominum eundem Iesum Christum pio animo colenti, non amanda sit & complectenda? Atque hoc etiam magis, quod cum præfactum tum fuerit, quo vos præpotens Deus amore complecteretur, qui vos suos facere & sibi tantopere studuit conciliare, necesse est, quos Deus tantopere diligat, eosdem à nobis qui Deū timemus & colimus, non diligi solum, sed plurimi etiam fieri. Quanquam illa Dei in vos beneuolentia, admirabilis quædam prouidentia fuit rerum futurarum, vidit enim ille & prospexit, nominis Christiani, quod præcipuè constituere ipse idque sibi proprium adoptare volebat, quodque iam tum in orbe ferè terrarum per nationes erectum increbrescere passim & frequentari cœperat, vos præcipuum quondam robur & fundamentum fore, quorum fortitudine præstantique pietate, Catholica Ecclesia & aduersus hostiles impetus tuta, & à domesticis factionibus eorum qui illam concerpere & lacerare conarentur, incolumis esset retinenda. Tale ergo Germani de vobis & tam honorificum iudicium fecit Deus, quod ipse æternò è principio cognitum sibi habuit, nos deinde comprobatum iudicijs hominū perspeximus. Nam cum imperium Romanum, quod ex Oriente in Galliam fuerat translatum, & Carolo Magno summo atque inuictissimo Regi, qui tamen è vobis originem ducebat, per Rom. Pontifices Adrianum, Leonemque delatum, secundum Ludouici tempora, qui Carolo successerat, imminui vehementer & labefactari cœpisset, neque vllam certam iam haberet domicilij sedem, sed regnorum in Italia contentionibus huc atque illuc traheretur: Videntes posteri Rom. Pontifices, nullam esse in ijs qui tanti honoris nomen sibi vsurpabant, excellentem dignitatem, imperium autem ipsi stabili in loco atque honorifico constituere cupientes, vt esset vnde aduersis in rebus præsidium, vel Italiæ Barbarorum aliqua incursione laboranti, vel vexatæ atque oppugnatę sanctæ Rom. Ecclesiæ, afferri posset, vestram illi potissimū Germani nationem, vestros Principes, vestros Duces delegerunt, quos idoneos iudicarent, quibus maximi in orbe terrarum honoris, & dignitas simul & procuratio committeretur. Itaque decretum à Gregorio V. Rom. Pontifice factum est, quo Cæsaris Regisque Romanorum creatio soli Germanicę nationi tradita, & ex Principibus Germaniæ perpetuò permissa est. Quo quidem decreto ad hæc vsque tempora, annos amplius septingentos, di-

Mira hic constituente sapientia Rom. Pont. & huius Apostolicæ

sedis beneficio ius summi imperij & dominatum orbis terrey obtinetis. Quod etsi consilio optimo tum ex ipso Deo, tum iam ab hominibus factum est, quandoquidem vos soli, prop virtutem animi, magnitudinemque regionis, & Principum strorum nobilitatem ac frequentiam, capere tantum hoc nomen, & ius firmare imperij perpetuumq; in vobis stabilire potratis: Tamen vnde hæc in vos profecta sunt, vnde vobis donata tradita, sanctam hanc Rom. & Apostolicam sedem, quæ pa tris officio erga vos functa est, pro naturę certè vestrę clemen & bonitate habere in honore, gratosq; vos illi ac memores dere debetis, neq; perferre tam negligenter, ac pati, vt quotidi illa factionib. apud vos tantopere oppugnetur. Sed quorum de his alius erit nobis conquerendi locus: redeamus ad ea quorum de virtutibus actionibusque vestris, tum de meo iure laudo erga vos virtutis causa amore constituta mihi ad commemorandum sunt: Vidimus enim præclarum Dei omnipotentis de bis iudicium: Vidimus Rom. Pontificum egregia erga vos merita, qui & salutis æternæ vestræ, de Principio, & post summi eius inter homines honoris auctores exiterunt. Nunc videamus, ecquid tantis honoribus & iudicijs virtus vestra respondeat, ecquem nos fructum ex vobis vtilitatemque senserimus. Atque hic, vt perstringam vetera, quoties videlicet à nobis bellum adtum Turcis & trans mare trauectum sit, quod factum est Vrbano II. primum Pont. Maximo procurante, annis ab hinc circiter quadringentis & quadraginta, cæterisque deinceps Pontificibus instantibus atque adiuuantibus, vos vestras partes in illis expeditionibus eximias & graues semper esse voluisse, cumque Itali & Galli magnam quoque ipsi laudem ex præliis illis reportarent, vos non minora virtutis & fortitudinis in eo bello opera edidisse, vestros deinde Duces, vestros Imperatores, illo nomine separatim ad id bellum esse profectos, Barbaras nationes non paucas, quæ vobis finitimæ existerent, armis per vos victas ad Christi fidem accipiendam fuisse adductas. Plurima denique per vos gesta, quæ & ad terrorem valuerint hostium, & ad salutem confirmationemque sociorum: vt hæc inquam vestera non obliuiscantur, hoc quod recens & postremum occurrit, quod ætate nostra factum est, in quo nos omnes, cum admodum primo de nobis & de salute nostra existimaremus, virtute ac vestra Germani, vestraque fortitudine, ac inuictissimi Imperatoris vestri Caroli singulari prouidentia atque consilio ex immani timore ad summam hilaritatem & lętitiam fuimus traducti? Quibus tandem explicare verbis, aut qua digna laude prosequi possumus? Venerat hostis superbus & insolens Rex Turcarum, cunctumque orientem secum, nec non è Gręcia,

cia, Thracia atq; Illyrio maximas manus adduxerat, trecenta millia equitum habebat in exercitu, totidem ferè peditum, Pannonas legibus suis obstrictos seruos magis suos, quam hostes numerabat. Viennam appetebat. Vrbem vestri nominis florentem atque amplam, quo capta ea, vt confidebat, atque oppressa, ac tanquam perfractis Italiæ repagulis, in nostras deinde oras irrumperet, illaq; colluuione maximi exercitus premeret vniuersa atq; obrueret. Ipse gloriabundus & præferox, quoad inter suos fuit, suarum magnitudine copiarum inflatus omnia sibi superaturus & facilè prostraturus esse videbatur. Erat summus omnium nostrum timor, summa expectatio, quo nam euaderet tanti periculi ingruentis tempestas, cum ille ad Viennam accessit, quam antea etiam, necquicquã obsidione tentauerat. At posteaquam cognouit Imperatorem ibi Carolum adesse, quem virtutis & sapientiæ gloria, pacisque & belli artibus consiliisque insignem, ipse grauiter reformidabat, magnasq; manus Germanorum conuenire, subsidij ferendi causa, intellexit, perculsus subito Germani mentem animumque vestræ virtutis, & in bellicis rebus fortitudinis fama, concidit totus, neque solum vestra arma non expectanda, sed ne ora quidem vultusque vestros sibi inspiciendos esse statuit. Itaque fecit similem fugæ discessum: quiq; tanto cum exercitu, tanta cum audacia, superbiaq; venisset, nullis conspectis aduersationis signis, nulla acie visa, terrore tantũ nominis vestri, meticulosus atq; pauens, turpiter in regnum suũ est reuersus. Hoc factũ vestrum Germani, cum omnibus nobis stabilitatem & salutẽ, vobis cum salute, præstantissimã etiam gloriã conseruati Christiani nominis attulerit: erit credo quisquam tam auersus à Deo, tam inimicus & patriæ & suorũ, qui non salutẽ suam vobis acceptam ferat? qui nõ agat pro virili sua facultate gratias? qui virtutẽ vestram charissimo animi affectu nõ prosequatur? Equidem, quod ad me attinet, cum omniũ officiorũ inprimis colens sim: cumq; eas mihi leges vitæ agendæ iam diu præscripserim, vt semper gratus in bene meritos, in eos qui virtutis laude antecellũt, propensus ad fauendum & diligendum sim. Quid est tandem gratiæ, aut eximij cuiusdam amoris quòd vobis à me non debeatur? Quos optime sæpe de Christiana Rep. meritos, & in omni bellica ciuiliq; virtute ab antiquis vsq; temporib. intelligo fuisse præstantes. Atq; hæc publica gesta, atq; facta, priuati quoq; vestri mores antea comprobauerunt. Sic enim ex multis audio, idq; mihi persuasum iampridem est, Germanos ante hęc turbulẽta tempora, q̃ aliquã profectò splẽdori vestræ nationis offuderũt nebulam, eis inditos morib. fuisse, nihil vt illis humanius, nihil erga hospites benignius, liberalius, cõmemorari posset, pace autẽ & concordia inter se, religione erga Deũ, in qua omnes vnũ atq; idẽ sentiebãt,

id ſcilicet quod à ſancta Eccleſia Catholica eis præceptum eſt
& demonſtratum, vſque adeò fuiſſe deuinctos, vt qui peregrinos
conuenæ per Germaniam iter facerent, templum quoddam pa-
tatis & officinam hoſpitalitatis, vbique videre ſe & experiri fu-
rentur. Audiebam ſæpenumerò multos, qui iſthic aliquandiu in-
ter vos commorati in patriam deinde erant reuerſi, Italos atque
Gallos, de veſtris moribus mira quædam memorantes, quos ego
libens auſcultabam: ea enim narrabant, quæ mihi pro me per-
petua in veſtrum genus beneuolentia, maximè erant iucunda at-
que grata: Cum illi ita dicerent, ſe ægrè atq; inuitos à vobis diſ-
ceſſiſſe. Nullam gentem eſſe, in qua pacatius & tutius vir poſſet.
Fidem ſanctam apud Germanos, hoſpitij ius inuiolabile haberi,
peregrinos & aduenas tanta comitate excipi, vt nõ propenſum
Germani videantur eſſe in ſuos, quàm ſint erga externos. Iura
& rapinis non eſſe apud eos locum. Ciues pace & concordia in-
ter ſe contineri. Dolos, fraudes, malitias ab Germanica natione
ita explodi & reijci, nihil vt grauius illi & vehementius auerſen-
tur. Contra bonitatem, integritatem, fidem, innocentiam, maxi-
mo apud eos in honore & haberi & coli. Deo autem & Eccleſiæ
& Chriſtianis cultibus ac ceremonijs ita eſſe deditos, vt in orando
obſecrandoq; Deo, ſeruandis Eccleſiæ præceptis, templis fa-
nisq; rei diuinæ viſendæ & audiendæ gratia, frequentandis, nulla
gens illis, neq; religionis ſtudio, neque humanitatis cultu, facilè
æquari poſſit. Hæc ego Germani ſæpius eadem audiẽs, flagrabam
non ſtudio ſolum & amore erga vos, ſed tacito quodam etiã deſi-
derio aliquando ad vos proficiſcendi, iſticque inter vos manendi
atq; degendi, quod iſthæc mihi vita maximè ad naturã eſt, eosq;
qui illam degunt, inprimis felices & fortunatos eſſe exiſtimo. Et
nimirum, quid eſt quod poſſit cogitari beatius, qui veſter ille tũc
ſtatus? cuiuſmodi vita? quanta & quã ſecura felicitas? quæ ani-
morum iocunditates, quæ delitiæ? An eſt quicquam præterea,
quod amplius optari à bonis & prudentibus poſſit? Equidem ni-
hil video. Illa mihi videtur eſſe ſumma conſiliorũ cogitationum-
que noſtrarum, ſi ſapienter & beatè vitam traducere velimus, vt
habeamus pacẽ inter noſtros, laudem apud alienos, vt ſimus cum
Deo fide, & pietate coniuncti, vt aduenas humanitate, bonos ex-
iam hoſpitio comprehendamus, & nec verſutia fraudibusq; in-
trectatorum diſſidia ſerentium, in aliquod ipſi iniuſtum odium
adducamur, neq; tamẽ eludi nos contemniue ſinamus. Hanc qui-
capere vitam exequiq; potuerunt, hi mihi videntur verè lectam
vitam, quoad ſcilicet homini conceſſa illa eſt, fuiſſe planè adepti.
Quæ vobis Germani omnium gentium penè ſolis domeſtica &
familiaris aderat. Vos enim armis ſemper inuicti, cum cæteris
omnibus terribiles nationibus eſſetis, vbi tamen primum arma
poſita,

posita, statim ad studia elementiæ atq; humanitatis, & ad proborum hominũ officia redibatis. In quo erat spectaculum mẽtibus hominum prudentium iucundum & admirabile, nempe videre homines eos, qui modò armati nihil terribile neque formidolosum emittebant, eosdem armis, vel victoria positis, vel pace dimissis, mansuetudine domi & humanitate erga omnes imprimis esse pacatos. Hæc fuit vestra diu peculiaris laus, hoc præstantissimum bonum, si tamen id perenne & proprium tenere potuissetis. Cõtigit enim nostra hac ætate misera plane atq; infelici (etenim sicuti modò de vestris laudibus loquẽs, alacritate animi & insigni lętitia quadam affici me sentiebam, sic nunc argumento mutato, cum de calamitatibus nostrorum temporum dicendum mihi sit, graui & intolerando dolore afficior atq; opprimor) contigit inquam proximis his & superioribus annis, vt ea de vobis Germani videremus, quæ videre sanè rati numquam essemus. Pacati antea & concordes inter vos viuebatis, nunc nulla vsquam atrocior est in vobis dissensio: Deũ & Diuos omnes summa cum pietate colebatis, nunc pietate extincta, studia veræ religionis apud magnã partem vestrorũ obsoleuerunt. In eis legibus continebamini, quę ad sobrietatem & abstinentiã à maioribus nostris, sanctis illis vitis & antiquis patribus latæ, omnium deinceps seculorum observantia acceptæ fuerant & comprobatæ. Nunc prostratis legibus, rerum discrimine sublato, remissis continentiæ frænis, omnia vobis libera & soluta voluistis. Summam apud exteras nationes modestiæ & religionis laudẽ obtinebatis, eam ipsam amisistis. Quãquam ego hæc quæ loquor, non vniuersè de Germanis dicta esse volo, sunt enim & erunt in ista fortissima inuictissimaq; natione, qui sustineãt veræ religionis causam, qui tueantur morem maiorum, qui à Deo & veritate se abduci nõ sinant. Neq; verò tu aliter ô præpotens & bone Deus, Pater summe omnium nostrum, permittas & patiare. Sunt inquã, multo maxima ex parte, qui & nobilitate & potentia & magnitudine animi, & pietate erga summũ Deum præditi, optimam rationem & foueant & tueantur. Quos vtinam nominare & meritis laudibus cunctos efferre licitũ mihi esset. Sed quoniam id effet infinitum, & eorum eximia præstansq; virtus, etiam sine mea & cuiusquam oratione, debitam gloriam possidet: Ego ad vos Germani, vniuersos etiã quidem, sed tamen præcipuè ad eos ex vobis qui aberrauerunt, & odio iracundiaque potius quam vlla honesta ratione incitati, Christianum nomen, & populos Dei fideles, tot & tam grauibus referserunt seditionibus: verba mea deinceps orationemq; conuertam. In quo id primum exponere conabor, Si tamen potero, quid sibi volentes, & quo sua consilia referentes, qui nouas opiniones in Ecclesiam Catholicam inferre conati sunt, nouisque moribus tam in vita,

quam in religione volunt esse distincti, minimè laborant, si pro-
pter ipsos, cuncta acerbis dissidijs, tanquam incendijs correp-
misceantur. Hoc enim primo aditu ad causam patefacto, facilè
deinde erit, vt arbitror, eorum dictis & rationibus respondere.
Qui ergo a more maiorum, à vetustis Ecclesiæ & sententijs &
ritibus, a seculorum consensu, sese abscindunt & amouent, ali-
qua id ratione suscipiant necesse est. Porrò nulla communior, ne-
que ad speciem honestatis ratio accommodatior est, quam dice-
re & præ se ferre, id, quod omnes isti præ se ferunt, & dicunt, sese
scripturas sanctas diligentius considerantes, habere in vnum
dam ad salutem nostram pertinentia loca certius sibi nũc hyla-
nius cognita, in quibus maiores errore fuerint decepti, hoc est, vt
eandem rem de integro proferam, sese melius intelligere scriptu-
ras, quàm tot sanctissimi patres, virique doctissimi, tot Dei acce-
ptissimi homines, neq; singuli solum per se, sed sæpe in vnum lo-
cum, maximis conuentibus coacti & congregati perceperint ac-
que intellexerint. Cum tamen illis antiquis diuinisque doctori-
bus tot sæculorum series, quantum videlicet à Christo temporis
annorumq; defluxit, tanta, & tam multa, tamque acuta ingenia,
quæ intercurrerunt, dent veritatis & sapientiæ & solidæ pietatis
testimonium. Hos verò nouarum opinionum repertores nemo
facilè accipiat, nisi idem simplex quispiam & imperitus sit, aut
odio aliquo & prauis animi affectionibus impeditus: nemo tan-
quam est, æquum modo ad cognoscendum afferens animum, qui
plus hisce tribuere possit, quàm tribuat veteribus illis, qui tot ab
hinc sæculis Christianæ fidei dogmata constituerunt. Qui cum
excellerent ingenijs, scientiaq; præstarent, flagrarent autem stu-
dio & pietate erga summum Deum, non suo instinctu solum, sed
Spiritus sancti numine afflati, diuinas posteris leges declarauerunt,
quas tueri & custodire vnica nostra salus est. Quibus qui-
dem tanta cum cura & diligentia in labore scribendi, quo nos re-
ctè instituerent, viamque nobis cœlestis vitæ aperirent, versatis,
tanquã parentibus multo potioribus, omnia pietatis officia de-
bemus, nedum vt veniat quispiam & dicat illos ignorasse de san-
ctis scripturis, quæ ipse melius certiusq; habeat explorata & co-
gnita. Etsi enim cæteris in verbis sententijsq; scripturæ, licitũ est
cuiuis ingenium periclitari suum, & noui quotidie aliquid inue-
nire ac proferre. Quod tamen sit in literis sanctis ita positum, vt
Christi primum Domini nostri auctoritate & decreto, deinde
postolorũ scriptis atq; sententijs, post sanctorum patrum genti-
liumq; Conciliorũ iudicijs ac interpretationibus, ad fundamen-
ta fidei constitutũ sit, ac diffinitũ, id attingere & violare omnino
modis est nefas. Quid ego hîc commemorem vetera Christianæ
religionis vulnera, Arrios, Nestorios, Euticetas, Eunomios, re-
liquos

gnosque quàm multos, qui dum suo plus ingenio, quàm bene sentientium monitis consiliisque nituntur, ad grauem impietatem lapsi & præcipitati sunt. Etenim iste ipse, quisquis est, qui se melius intellexisse dictitat, quàm veteres sancti, doctiq; viri fecerint, tedò cuius nititur consideratione & iudicio? suóne? At nemo in sua causa iudex esse æquus potest: propterea quòd amor sui, qui omnibus natura insitus ingeneratusque est, quod cuique iucundum exoptatumque est, id etiam verum facillimè facit videri. In quo est fons errorum falsarumque opinionum omnium. An si suam sententiam mulierculis hominibusque aliquot rusticis probauerit, idcirco magni sese faciet? permultumque ipse sibi videbitur adeptus? Sed quis non intelligat ab homine, fictam speciem gravis & religiosi viri præ se ferente, non esse magni operis, rusticos & mulierculas & similes his homunculos, in fraudem induci? Quod quidem magno illius sit scelere qui decipit, & maiore etiam malo. Sed tamen illa decipiendi circumueniendique facilitas, nequaquam ingenij aut exquisitioris doctrinæ est testis. Quid amentius Manichæis? Quid furiosius Donatistis proferri aut commemorari potest? qui cùm literas sactas penitus ignorarent, peruersè autem & præposterè omnia loquerentur, nullo ingenio, nulla constante, atque adeò probabili ratione freti: discipulos tamen & sectatores inuenerunt. Etenim quædam est apud leues homines, aut etiam sæpe malitia præditos, nouitatis voluptas, quæ his quidem quæstus spem & inanis gloriolæ falsum honorem subijcit, leuiores verò facilè tollit & suadet, vt commutationem sententiæ sapientiam maiorem putent. Sed quorsum hæc? Nempe vt intelligatur, eos qui in suo ingenio tam confidenter insistunt, vt cæterorum ingenia, præsertim doctissimorum & probatissimorum reijciant, atque aspernentur: hos aut mentis ratione orbatos, aut certè superbiæ inflatu tumidos & arrogantes existere, qui etiam ita dicant vetustos illos sanctos errare potuisse atque falli, quasi verò ipsi naturam nacti sint, omnis omnino erroris vacuam atque expertem. Porrò superbia, cuiusmodi crimen sit, quàm inimicum, quàm infestum aduersus Deum, ille nos docuit qui primus in oris cœlestibus pulcherrimus nobilissimusque creatus, hoc ipso bono concidit: quo omisso Deo, ad sui ipsius superbam admirationem est conuersus. Etenim nos, qui Christi nomine signati & salutaribus sacris ab Ecclesia imbuti sumus: non in superbia neque in arrogantia, sed in humilitate summissioneque animorum regnum cœleste obtinemus. Hæc virtus propria est Christiani nominis & generis: hanc qui non amplectuntur, nec adsciscunt: necesse est vt fateantur, se Christum frustrà confessos esse. Non debemus nobis ipsi

vsque

vsque eò fidere, vt cæteros contemnamus. Ingrata sunt Deo nostra omnia, quæ non ex imitatione sui dilecti filij, in nobis existunt. Ille cùm humilitatem & patientiam & tolerantiam omnium incommodorum nos docuerit, non solùm verbis & præceptis nos admonens, sed multò etiam magis re atque factis, suoque ipsius exemplo nos instruens, nos quantum ab humilitate & patientia eiusmodi discedimus, tantum à Christo nos remouemus. Quantò ergo satius est, non sibi vni omnia tribuere, non obtrectare antiquis viris, non reuocare in dubium, quæ sanctè & pie constituta sunt, non se nouarum rerum auctorem facere, quod maximæ sæpe seditiones & pernitiosa inter populares bella, qui solita sunt. Sicuti quidem in Germania sunt secuta. Non enim stragem illam hominum clademque inuectam populis Germaniæ, hanc vnam ob rationem, quòd extiterunt, qui nouarum, tam in fidei doctrina, quàm in consuetudine bonorum morum, concupierunt, possumus adhuc aut obliuisci, aut non grauiter dolere. Atque hæc perinde loquor, vt si isti ipsi qui suas introdere doctrinas auribus atque animis vestris Germani studuerunt, antiquatis atque abrogatis omnium superiorum sæculorum auctoritatibus & doctrinis: id tantum egerint confidentia ingenij, aut ambitione adducti, hocque solum spectauerint, vt peritiores cæteris apud vos & doctiores haberentur. In quo esset vt dixi, vel amentia quædam vel superbia reprehendenda. Non illi prorsus in hoc genere peccant, scio enim non parum multos in eo numero existere, qui & ingeniosi sunt, & bonis literis eruditi: quodque ad laudem non mediocrem Germaniæ cederet (si reliqua modò salua salutariter constituta essent) non mediocri eloquentia præditi: Quos fraterno equidem animo complecti cupio, neque mihi quicquam foret optatius, quàm vt liceret nobis conferre & communicare inter nos alternas rationes cogitationesque nostras: Verùm non certandi studio, sed animo veritati acquiescendi. Neque hoc quod nunc facio, vt fidem & fidei fundamenta, aut si qua etiam fundamentis adiuncta sint, tutari & sustinere conor: ad vllam cuiusquam vel minimam contumeliam referri volo. Mihi enim necessitas imposita est sic agendi, si Christum rectè professus sum, si ab ea spe nolo deijci, quæ mihi æternæ vitæ & salutis proposita est: Quæ maximè tum amittitur, si vel nos aduersus Ecclesiæ Catholicæ decreta constituta consurgimus, vel si insurgentes alios, illaque oppugnantes, pro nostra virili parte non repellimus. Conuitia autem & contumeliæ, & omne genus maledicti, abhorret à mea natura, alienumque est, nisi, sicubi id exprimat pertinax malè sentientium iniquitas. Quod interdum quoque à Domino nostro Iesu Christo omnis clementiæ & mansuetudinis fonte, necessariò legimus esse factum.

rum. Sed vt dicere incipiebam: non isti qui nouare omnia & permutare concupiuerunt, sola ambitione & studio acquirendæ laudis sunt adducti, peruersa enim illa esset via & longè in diuersum ducens. Neque istud ipsi nesciunt, sed multos illorum iracundia: plures auaritia: non paucos etiam cupido illa, excitauit quod vinculis legum Ecclesiasticarum exoluti, obsequi animo suo, & quæcunq; eis venissent in mentem iucunda & voluptuaria, ea persequi posse sine metu & cura potirique voluerunt. At quomodo hoc cognoscitur? Quomodo ex fructibus cognoscitur arbor (vt scriptum est) quomodo ex gestis & actionibus homo, quomodo ex frondibus & foliis propinqua æstas. Hi enim cùm se adeò Euangelicos esse prædicent, atque vni sese Euangelio fidem habere esseque addictos profiteantur: quid tandem agunt hac sancta Euangelij prædicatione dignum? Qui primum concordiam vnitatemque Ecclesiæ disijcere & lacerare aussi sunt, cùm scriptum sit in Euangelio, precante Domino, Pater sancte serua eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, vt sint vnum sicuti & nos. Qui vult ergo nos esse vnum, & simili quidem vnitate, atque ea quæ Deo patri suo cum filio est: quî potest protectos eos habere, qui tantarum in Ecclesia dissensionum velint esse authores? Nisi fortè isti à Deo patre Christo dati non sunt: nec in numero eorum, qui Christiana appellatione digni habentur, repositi. Neque verò his hoc licet dicere, sese veram & Catholicam Ecclesiam existere magisque conuenire cæteris, vt ad ipsos se conferant, quàm sibi, vt ad alios. Dicunt eorum nonnulli istue quidem, quod & impij Donatistæ facere solebant, vt sese prædicarent veram esse Ecclesiam. Sed non tam errore hi, quam impudentia feruntur. Norunt enim, aut certè facilè nosse possunt, constitutis iam rebus, & publica firmata re siue ea humana sit, siue diuina, qui miscere & nouare res studuerunt, eos semper turbatores pacis & concordiæ fuisse habitos. Quod si in hominum rebus publicis iure ita fertur & iudicatur: quantò plus Catholica in Ecclesia, quæ non humanis consiliis, sed diuina prouidentia iam inde de principio constituta est, eademque tam multis sæculis corpus suum syncerum solidumque retinuit, corrupta membra reiecit, optimo iure dicendum & sentiendum est? Nónne qui ab ea disiungunt se & auellunt, hi viuifico illo Spiritu Christi, quo corpus totum sustinetur, sunt priuati? Nihil ergo est cur Euangelium iactetur, si maximum mandatum Euangelij prætermittitur, quo præceptum inprimis est, vt omnes in charitate simus vnum: nullo enim pacto seditiosos, turbatoresque concordiæ admittit charitas. Sed, vt dicebam, non omnibus amoto, verùm permultis eorum iracundia, nonnullis auaritia animi æquitatem & vim rectè iudicandi eripuit. Quorum quidem

duorum

duorum, iracundia probabiles interdum videtur habere causas sese excitandi, & acrius omnia inflammatiusque agenda, etsi hoc quidem sapientibus, ac multò minùs Christianis est permissum. Charitas enim (vt scriptum est) omnia suffert. Auaritia verò, tum apud eos qui Deum verum nunquam agnouerunt, quàm apud nostros, qui ex Deo ipso sunt regenerati atque nati, quas quæso iustas aut probabiles potest habere rationes, cur sui quęstus & emolumenti causa omni penitus dimissa æquitate, per factiones & discordias in aliena inuadere licitum sibi esse arbitretur? Sed vt veniam ad ea commemoranda, quæ occasionem dederunt res turbare volentibus, & tanto incendio tantum faces subiectæ sunt. Confiteor ego Germani atque suspiciacerdotij splendorem multorum culpa dedecoreque possunt: resque Romanas, è quibus omnia omnium virtutum & omnis temperantiæ lumina in vniuersum orbem, & dimanârunt quondam, & semper fluere dimanareque debuerunt, nunc tanquam fuligine vetustatis oblitas, atque id quod natura in omnibus ferè fert rebus, spatio temporis senescentes, dimissoque veteris abstinentiæ sanctitatisque curriculo, ad studium conquirendæ pecuniæ aliqua ex parte conuersas: plerisque bonorum stomachum iracundiamque mouisse. Quod quidem Germani præcipuè vestra in natione contigit. Vos enim pro vestra animorum acrimonia, pro ingenuitate naturæ, pro studio vestræ tuendæ libertatis, non modò veras nulla ratione iniurias: sed ne speciem quidem iniuriæ ferre facilè potestis. Atqui vt confitear nonnulla in hac vrbe fieri, quæ minùs sanctè, minusque temperatè fiant (non enim mihi malas res defendere in animo est, neque agere id possum vllo pacto, neque debeo: semper enim mea natura fautrix iustitiæ & æquitatis fuit) vt confitear inquam nonnulla apud nos minùs bono more committi, quæ bonorum animos non sine causa offendant. Idem ego tamen affirmo, multò plura esse, quæ tum optimo iure sustineri, tum commoda & salutaria Christiano orbi debeant existimari: quibus etsi non condonari ea quæ secùs fiunt peto: nulla enim ratio est tolerare alicubi quæ fiant prauè, quoniam in eodem loco eademque ciuitate bene multa gerantur: Tamen ita vniuersè accersere omnes atque omnia in crimen, quod qui se abseiderunt a communi Ecclesia assiduè faciunt, omnibusque passim rebus quæ parantur sceleris notam inurere: ac propterea populos conuenire ad seditionem, clamare, vrgere, partem in peiorem cuncta interpretari, maledicta congerere, nunquam vt opinor, neque Christiani hominis, neque vel mediocriter sapientis viri habitum est. Cuius quidem rei indicium sæpiùs iam vos fecistis Germani. Qui in cõuentibus publicis, quos, communis Germanicæ rei statuendæ &

dæ & ordinandæ causa, habere estis soliti: & in quibus plurimi nobilissimiq; Principes, ex ordinibus item cæteris electi viri conueniunt, cùm grauamina quędam, sic enim appellatis, in mediũ proponeretis, quibus ab hac sancta Apostolica sede vos lędi arbitraremini: aliquoties iam moderatè admodum & persapienter de totius consilij sententia decreuistis, vt earum rerum expostulatio cum Rom. Pontifice fieret: peteretur q; ab eo omni cum reuerentia & modestia, vt grauamina eiusmodi aliquando tollere, & patria indulgentia satisfacere vestris desideriis vellet. Quibus ego grauaminibus, siue adeò postulatis in conuentu publico Augustæ, annis ab hinc 10. circiter editis: cùm ego tunc abessem ab hac vrbe, atq; in Ecclesia mea residerem: post reditum hûc meũ, legi responsiones, summa cum æquitate & significatione benevolentiæ, à Clemente VII. siue eius Legatis & Procuratoribus datas. In quibus non pauca vobis conceduntur, atq; in gratiam vestri remittũtur. Reliqua quæ ex bono & æquo retineri possunt, retinet & sibi seruat Apostolica sedes: verbis tamen humanissimis affert rationes, cur ea sibi seruanda & retinenda esse ducat: equidem vti miter, quod ad concordiam & consensionem in postulatis pertinet, rem adhuc non conuenisse, neque esse transactam. Quòd si Pontifice Clemente, res ad maximam æquitatem, & ad studium gratificandi vobis iam erat inclinata atque propensa: quantò eadem propensior & inclinatior futura est, Paulo III. Pontifice? qui nihil sibi magis habet propositum, quam vt Pontificatum gerat eo maximè modo, quo vnquam genti cum dignitate & cum iustitia potest. Itaque & solus omnium nostræ, superiorisque ætatis Pontificum, a factionibus Principum animisque tractandis abstinuit: Quod maximo quidem indicio omnibus esse potuit nihil eum extraordinarium neque appetisse neq; apperere, & quod anteriores Pontifices iamdudum ausi non sunt, Conuentũ publicum totius Christiani nominis, eumq; liberũ primus edixit, in quo agi de eis rebus, quæ ad fidei integritatem, & ad bonorũ morum præsertim in sacerdotib. restitutionẽ spectent, audacter ab omnib. & liberè liceret. Hoc Põtifice Germani nõ solùm bono, verùm etiã persapiente & graui, in vos quidem certè patria quadã animi benevolentia affecto omnia quæ voletis, vos obtinebitis, æquitatem modò animi affectatis vobiscũ, rationẽq; dare æquè & accipere sitis parati: Quodcunq; probatũ fuerit ratione atq; conclusum, vestris in eo postulatis & voluntatibus Pauli Pontificis benignitas iustitiæq; põ deerit: Neq; ego vos, si vestram animi virtutem & nobilitatẽ rectè noui, aliud arbitror esse postulaturos, quam quod honestum iustumq; sit: fuit enim semper hoc proprium generis nominisq; vestri, vt iniuriam & iniquitatem odio habereris, veritatem atque iusti-

iustitiam amore complecteremini, nec minùs abstineritis ab
ferenda iniuria, quàm abhorreretis ab accipienda: Quid igi
obstat, quò minùs, cùm hæc ita sint, cùm & vos ab æquitate
eo quod rectum sit in vestris postulatis recedere non cogitet
& Pauli III. Pontificis Max. benignitas erga vos sit propensa, ut
tota conueniat, pacatique & concordes animi cunctorum fiat
nisi quo propinquo in conuentu Vincentiæ indicto, cuius iam
appetere incepit dies, omnia hæc agenda, tractanda, conficien-
daque sunt, vt quod publicè propè in concilio orbis terræ factum
fuerit, id plurimorum conscientia teste, & arctioribus legum
vinculis inuiolatum & stabile teneatur. Sed quo argumento
instituerant, cùm vos Germani in vestris publicis conuentibus,
in quîs (vt dixi) tot & tam eximij Principes, tam frequentissi-
litas, tam multi ex omnibus ordinibus viri spectati & gra-
omnesque penè Germaniæ honestates dignitatesque intersi-
solitæ sunt: consilio compluribus diebus habito, re multum ex-
minata atque perpensa, actoribus auditis, de totius ferè Germa-
niæ sententia, petere Romano à Pontifice summa cum tempe-
rantia ac modestia, & quod ad postulata vestra attinet, rogare
atque obsecrare, vt consulere paci & tranquillitati omnium ve-
strûm velit, consueueritis: cùm hic mos moderatus atque con-
stans summisque in cœlum laudibus efferendus, domesticus fue-
rit nominis Germanici, vt omnibus videremini in rebus, non
impetu animi, nec cupiditate ferri, sed æquitate ac sapientia. De-
cuit ne? fuit ne rectum? priuatos homines, quibus insigne auctor
adesset, neque ad auctoritatem, neque ad prudentiam, sola ira-
cundia & calore animi percitos, totum eum morem peruertere ad-
jicere: & quæ vos publicè omni cum modestia agitis, priuatim
eadem ipsos & alia multò plura grauioraque immodestè admo-
dum & valde petulanter agere? Qui primùm verbis turpissimis
aduersus sanctam hanc Apostolicam sedem inuehi non dedignatur.
Deinde cùm scripti aliquid edunt, quod quidem quotidie apud
illos fit, tot infarciunt ingeruntque sacerdotali ordini com-
melias, vt statim appareat rectè iudicantibus, non eos exponen-
dæ rei causa, qua de re acturos se in inscriptione libri pollicen-
sunt: sed saturandæ iracundiæ, odij expromendi, & maledicto-
rum gratia coaceruandorum, eam scribendi prouinciam ad-
sumpsisse. Quodque mirabilius etiam, & ab homine nostri-
tissimo longè est alienum, hoc ipsi tum maximè faciunt, quum
eas commentantur literas, quæ a Spiritu sancto diuinitus infla-
tæ, hoc vnum semper præscribunt nobis atque præcipiunt, vt al-
ter alterius onera portantes, iniurias obliterantes, bona pro
malis referentes, vnitatem & concordiam inter nos teneamus.
Quid igitur potest habere auctoritatis ad docendum illius modi

facta

sacrarum literarum expositio, quæ plena stomachi & inimicæ voluntatis sit: quæ non ad pacem mansuetudinemq; suadendam, sed ad infringendam vnitatem Ecclesiæ, populosq; iracundia & seditione concitandos, inprimis sit suscepta? Non isti se norunt? Nónne intelligunt facere se repugnantia? Non in eo ipso, cum animo suo commouentur, tum corpore etiam perhorrescunt, si quicquam ex sancto codice sunt interpretati? Illæ enim cœlestes literæ, illi sensus, illa Dei omnipotentis oracula, admonent profectò eos & tacitè coarguunt, agere illos contra quàm tum profiteantur. Non enim patientiam intoleranter, neq; humilitatem arrogauter, neq; clementiam ac misericordiam Dei atrociter esse interpretandam, neq; verò cætera quæ in sacris literis aut præcepta nobis, aut ex Dei benignitate ostentata sunt atq; promissa, ita esse exponenda, vt etiam si linguam fortassis ad ea explicanda eruditam, mentem tamen immitem & immisericordem afferas. Quid ad hęc responderi potest? aut quid respondent isti? nisi id, quod iactatum diu, & identidem commemoratum est, sese indignitate plurimarum rerum, & sacerdotum prauis moribus commotos, Pontificiæ tyrannidis (sic enim appellant) iugum amplius ferre non potuisse, Quippe qui viderent quotidie & experirentur, Apostolicam sedem, vna cum his qui in ea essent præfecti, quam piam matrem antea Christiani populi existimassent, nunc charitatis pristinæ oblitam, nulla filiorum ducta ratione, quęstus sibi vberes ex eorum incommodis & conscientiæ suspicionibus instituisse: Quæ & olim leges perquàm multas edidisset iubendi quidem aliquid aut verandi causa, & alias nouas quotidie ederet, quibus populus teneretur, non vt legibus illis salutare quippiam efficeretur, sed vt animis hominum superstitione implicatis, quicunque legibus illis solui cupiissent, id sibi licere pecunia grandi redimerent. Hæc & alia multa his similia posteaquā commemorārunt, eaq; conuiciis referserunt & execrationibus, tum ad fontem omnium malorum illas, quas vocant indulgentias, reuertuntur, quibus Leonis Christi Pontificatu tota Germania perturbata est, Quas ego indulgentias, atq; adeò potiùs indulgentiarum illarum ministros, neq; nunc defendo, & tunc cùm decretæ illæ atque publicatæ sunt, recordor me & contradixisse, pro illo honore & gradu in quo tunc eram, & cum mea sententia nihil profecisset, vehementissimè doluisse, non quòd ignorarem indulgentias à Rom. Pontifice concedi, & eorum quæ peccatis nostris debeantur, suppliciorum spatia ac tempora, & contrahi posse ab eodem & penitus tolli: cùm clauium cœli potestas & administratio summo Pontifici Christi Vicario, diuinitus in Apostolo Petro sit data: Sed quia in indulgentiis tribuendis is modus seruandus est, qui nunc ab optimo Pontifice Paulo III.

summa cum cura diligentiaque seruatur: vt indulgentiæ p
concedantur, nullaque in iis fiat pecuniæ mentio: & vt Dei
gnitas & misericordia ære non ematur, aut si quid tamen e
dum sit erogandum, id in pietatis studia erogetur. Quam o
vitio iam omni quo offendebantur mentes hominum etia
gentiis, sublato atque exempto, de reliquis aliquid etiam di
dum est. Ego, vt paulò antè sum testatus, quæ in hac vrbe
rectè fiunt, defensurus ea non sum, & quidem non inficia
qua multa esse à vetere curriculo innocentiæ & integrita
sacerdotibus non mediocriter deflexa, quæ correctum
geant: quod cùm Pontifices aliquot sæpiùs iam tentare, e
tu tamen seueritatis suæ sunt frustrati. Nam & Clemen
næ, & Gregorius XI. Auenionæ, & Pius II. Mantuæ, d
in locis, leges de sacerdotum moribus in meliorem statu
stituendis, aut renouârunt veteres, aut nouas constituer
bus ipsis etiam tunc authoribus viuentibus, celeriter quo
stitutum fuerat, obseruari desitum est. Non enim facile
mores eos qui inueterauerunt, repente velle vertere & co
tare, vbi enim multitudo ad vitia est consentiens, & difficil
per, & interdum etiam periculosa est emendatio. Qua
bonorum morum corruptrix auaritia, in hac alma vrbe
obrepserit, resque ab initio aliquot sanctissimè ad salute
minum vtilitatemque institutas, longius aliquantò quam
tebat progrediens, paulatim peruerterit: neque ego in
res ipsa per se sat manifestum facit. Sed videndum tamen
trum hæc calamitas, Romani tantùm nominis aut cuncta
Sacerdotij, quemadmodum exprobrant multi atque obi
propria sit: an omnes ordines, omnia collegia, omne ho
genus penè iam comprehenderit. Qui enim locus in orbe
rum ab hac peste intactus relictus est? quod munus, quæ pro
ratio, quod officium, quæ potestas, non omissis iis propter
instituta fuerat, iam ad quæstum omnis intenta est atque
uersa? Qui porrò hi sunt, qui cùm aliena tam facilè repe
dant, sua ipsi & domestica minimè respectent, stipulam qu
alterius oculo extrahere volentes, trabem non animaduer
qua oculus eorum totus oppressus est? At enim turpior e
cerdotibus, quam in cæteris, auaritia. Quis negat? sed non
hoc Sacerdotali ordine, multi sunt sancti, & graues, &
viri qui criminis huius omnino sunt expertes. At in cæte
nibus item multi. Nempe, verum tamen exemplum alt
tem cæterorum in Sacerdotibus est illustrius. Sed, vt hu
concludamus quod concludendum est: confitemur, ad
& concedimus aliqua fieri in hac vrbe, quæ merito repre
denda sint: non pauciora tamen esse affirmamus, quæ

sint laudanda: Nusquam enim charitas, nusquam amicitiæ & familiaritatis fides, nusquam in egentes misericordia, neque sanctius colitur, neque maiore studio curáue exercetur. Ipsa verò ergà Deum pietas ac religio hîc maximè sancta & sempet syncera est. Sunt quidem vitia his intermixta permulta, quod necesse est, ex omnium penè gentium conuentu conflata hac ciuitate. Sed tamen in turba & colluuione vitiorum, multorum etiam virtutes eluceſcunt, quibus æquum profectò fuit parci ab iis, qui omnes & omnia in crimen atque in inuidiam vno nomine vocant. Etenim cùm Deus pollicitus fuerit Abrahæ, si in Sodomitis & Gomorritis, & in omni illa natione, decem soli boni viri extitiſſent, reliquis omnibus eorum causa veniam se daturum: Quid faciendum fuit his, ad quos cùm neque attineat (non enim ipsis data est correctio rerum, reiáque publicæ procuratio) neque ipsi satis puri atque mundi ab omnium criminum maculis sint: totum hi tamen, vna vituperatione, Sacerdotium, caputque Sacerdotij Romanam Ecclesiam, proscindere & lacerare non sunt veriti, cùm & aliis in locis probi quamplurimi grauesque sacerdotes: & in hac præcipuè vrbe permulti sint, qui hoc sanctum Sacerdotij nomen, quæque sunt huic nomini apta & consentanea, summa cum innocentia religioneque custodiant. Et tamen in hac vrbe, his quoque vrbanis vitiis, præsertim auaritiæ, in qua maximè populus offenditur, reprimendis ac moderandis, & ad veterem morem, castum illum ac modestum redigendis: accersiti sunt ab hoc sapientissimo & optimo Pontifice ex variis orbis terræ locis delecti viri, idemque in summo honoris gradu positi ab eodem & collocati, quo maiore præditi authoritate curam hisce rebus & diligentiam adhibeant. Et res quidem adhuc variis disputationibus extracta (non enim desunt, qui diuersas partes tutantes & propugnantes, aliquid aliquando boni & æqui dicere videantur) ad extremum appropinquanti iam conuentui, & in eo summi Pontificis consultissimæ, vna cum concilio, deliberationi reseruata est. Sed vt aliquando veniam Germani ad ea, quæ ab illis qui se à communi Ecclesia diſiunxerunt, odiumque & inimicitias contra Apostolicam sedem sunt professi, tum nobis obiecta sunt, tum etiam ab eis ipsis fiunt ac perpetrantur: Vos primùm, id quod æquissimum est, rogatos volo, vt verba mea attentè audiatis. In quo verò gratia præterea ac beneficium quoddam à vobis per me petitur, summoperè vos obtestor atque obsecro: vt donec animus meus erga vos fuerit perspectior, & planè vobis cognitus: quem res diesque ipsa quotidie magis magisque declarabit, aliquam de me interim vsuram bonæ opinionis suscipere velitis, meque amantissimum

tissimum nominis Germanici, studiosum vestræ laudis, pa
concordiæ cupidissimum conciliandæ, promptum ad ea
pro vobis & sentienda & suadenda, quæ pro loco hoc, pro
nore quem gero, agi & tractari & persuaderi per me pot
credere atque existimare. Quæ si de me opinio vos vnquam
let, tum tu Deus optime max. qui omnia cordium arcana
& perspicis, ita iubeto & agito, vt me quoque spes illa quam
tua erga me misericordia & benignitate habeo, decipiat atque
fallat. Non ego is sum Germani, qui alios decipere
quo ipso me maximè inprimisque decipiam. Didicimus
ri, & rectè colere Deum: à quo se maximè disiungunt, qui
alios maximè circumuenire student. Equidem sum
bus delictis pro humana fragilitate coopertus & pene
sus, sed tamen in his omnibus abest à me malitia,
ac voluntas quempiam decipiendi: proximo enim meo
affectus ferè vt mihi ipsi. Itaque quanto me affici dolore
ex his dissidiis ac dissensionibus, quæ tam perniciosæ & gra
in Christiano nomine excitatæ sunt? nostra illæ quidem
hil etiam culpa: sed tamen multò maiore eorum, qui
acerbum & inexaturabile contra nos cùm cepissent, quo
iectius iracundiæ frena laxarent suæ, omnes & diuinas &
manas leges, omnes veteres mores, omnes superiorum
inferiorum ordinum distinctiones, curationes, gradus
& confundere sunt conati: quantis vestris Germani
tis atque damnis, quóue Germaniæ malo, vos priùs
estis: nos paria nunc propè & similia inuecta vbique
hos eosdem ipsos omnium bonorum morum legumque
temptione sentimus. Qui primum ita dicunt: Rom. Pont.
non conuenire, neque id rectum æquúmue esse, vt is
accipiat emolumenti & commodi ex iis, in quibus vel
gibus homines, cùm illi sibi hoc concedi & indulgeri
causa petunt: vel qui priùs in leges commiserint, eos
stinam gratiam integritatemque restituit. Quam ego
stionem sæpiùs Germani ita vidi agitari, atque in vtramque
tem tot argumentis disputationibusq; defendi: vt nondum
iam planè constitutum videam, quid iudicandum sit. Qui
in eam ego partem fortè propensior sum, vt in solueni
bus maior mihi cautio adhibenda esse videatur: in re
quidem & in integrum reconciliando eos, qui contra
cerint, eritne quisquam tam iniquus ipse, qui neg
quum aliquam his mulctam pœnæ nomine imponi? Nam
de dimidiis partibus fructuum conqueruntur, quas in
rendis sacerdotiis Pontifex sibi reseruat, nullam in eo
intelligo esse iustæ querelæ causam. Quid enim summus Pont

qui hunc locum atque honorem ita sustinet, vt sit cunctorum causis precibusque audiendis & priuatim & publicè quotidie expositus: à quo omnis omnibus petitur, aut leuatio, si quis oniere conscientiæ se oppressum videat, aut consolatio, cùm ad spem æternæ vitæ quispiam, quem crimine suo amiserat, restitui sese per eum ipsum cupit, quem scit vnum in terris hac cœlesti potestate præditum esse, qui fauet ingeniis, qui virtutes omnia, attenteque considerat, ne qua ex parte integritas fidei Catholicæ, in qua potissimùm salus nostra consistit, aliculus culpa & scelere etiam in aliorum perniciem lædatur: qui omnibus beneficus, omnibus est salutaris: Iste inquam, qui laborat assiduè & vigilat, quò Christiana res in suo honore officioque contineatur, nullis ne commodis, nullis ne præmiis ab his eis ipsis quos tutatur ipse atque conseruat, dignus est iudicandus? Quis vnquam muneri vlli publico curationique præpositus est, quis in magistratu locatus, cui non de publico stipendia sint constituta? cùm nemo suo ære militare cogatur, cùm qui altari seruit, de eodem altari debeat viuere, & si spiritualia seminamus (vt verè diuinus ille doctor gentium inquit) num indignum est, vt metamus ea quæ ad victum cultumque corporis pertineant? Quòd si de fructibus sacerdotiorum, in quos magna est summi Pontificis potestas & iurisdictio, nonnulla tamen quorundam est querela, quid tandem isti Romano Pontifici quo decus ille & amplitudinem suæ auctoritatis retineat, esse indulgendum aut concedendum putabunt? At contrà ego dico, minus gratè multò minusque liberaliter à populis agi, gentibusque Christianis erga summum Pontificem quàm conueniat certè iustúmue sit: cùm appareat quid Iudæi Deo præcipiente (quod tamen præceptum ad nos quoque peruenit) suo Pontifici tribuere sint soliti. Qui primum decumas omnium suorum fructuum, quos annis singulis ager extulisset, ad sacerdotes suos & Leuitas qui suæ cuiusque tribus essent, fideliter omnino atque integrè deferebant. Vrgebat enim in eo præceptum Dei grauiter minitantis, si qui fraudem vllam aut deductionem in decumis fecisset. Tum deinde collectis & coaceruatis decumis, ex omni ea summa, decuma iterùm pars Iudæorum summo Pontifici erat assignata: Et præter hoc decumarum vectigal sanè pergrande & ad retinendam Pontificatus honestatem idoneum, victimæ præterea, & quæcunque dona templo offerebantur, quæ & opulenta admodum, & quotidiana penè erant, summo Pontifici sacerdotibusque cedebant, vt meliore illi aliquantò conditione, inchoatæ religionis atque adumbratæ fuerint auctores, quam nos perfectissimam saluberrimamque

administremus. At habet Pontifex terrenum multorum pop-
rum dominatum, ex quo viuat, & vnde honestè dignitatem
tur suam. Quid ciues qui patrimoniũ suum priuatim possi-
cùm ad rectionem Reip. sunt vocati, num ideo minùs pu-
mercede sunt honestati? Quod quidem optimo iure fit. Qu-
nim curare aliorum res, omissis suis coguntur, iccirco illis p-
mium publicè est constitutum, ne duplici damno afficiantur
solicitudine animi videlicet in rebus alienis, detrimento
suis. Quare Pontifici quoque max. huius ipsius gerendi Pontifi-
catus nomine, aliquid profectò vel inprimis tribuendum est ab
iis ipsis, qui eius vigilantia diuinaque potestate, pauca
tiamque cum Deo, & ad illius gratiam aditum habituros con-
sidunt. Nam quòd dimidiæ illæ partes ad bellum instituendum
contra Turcas, decretæ olim sunt, fuit quidem illa ratio de-
cernendi, Quod verò minimè in id bellum erogentur, sed
scribis & confectoribus diplomatum sunt assignatæ (hoc enim
aliquos audio queri) primùm quia non omni tempore occasio
est bellandi, tantisper illæ pecuniæ in tuto positæ sunt, neque
id absque vtilitate & emolumento publico: Deinde quando
bellum illud necessariò susceptum est, num quando Romani
Pontifices sumptui & labori suo pepercerunt, quo communem
rem Christianam eo in bello adiuuarent? Atque ego de ante-
quioribus Pontificibus nihil dico, totumque hoc ad illarum re-
rum scriptores reijcio: mea quidem ætate, quod ego scire pos-
sum, propterea quòd intimus fui duorum Pontificum consilio-
aureûm nummûm trecenta ampliùs milia in id bellum scio e-
rogata fuisse, cuius quidem erogationis commodum magna ex
parte Germania sensit: quam cum his proximis annis, intimis
propè cum manu & robore maximi exercitus Turcarum Rex
appeteret, vestra quidem ille inprimis Germani vi atque virtu-
te, sed magnis quoque submissis ab hac sancta Apostolica in-
de auxiliis, turpiter est repulsus: vt nemo de dimidiis illis par-
tibus iure iam conqueri possit, quasi illæ alios in vsus aliquos
sint, ac non eò quò institutæ fuerant conuersæ. At mali qui-
dam Pontifices fuerunt, qui & his ipsis vectigalibus & omni
diuina humanaque potestate detertimè sunt abusi. Tu ergo,
qui te à communi Ecclesia separas, & à Christianæ charitatis
veritate desciscis, argue illos si ita videatur, qui improbe fe-
serunt, in quo nostrorum quoque permultos habebis fortiores,
qui te collaudent & probent, iureque malos abs te repetendi
fateantur. Ipsum autem honorem summi Pontificatus, quem
cœlestem diuinamq; potestatem per quam cuncta certè Europa,
(vt de reliquis orbis terræ partibus nunc taceam) tuaq; inprimis
Germania, ad spem nequaquam ambiguam beatæ in cœlo ad-
quen-

quendæ immortalitatis olim erecta edoctaque est, iusta veneratione prosequere. Hoc enim sic agendo, & virili dolore permotus, & Christiana simul charitate videbere esse præditus. Propter odium autem quantumuis iustum aduersus quosdam, qui malè præfecti rebus diuinis, deterius etiam illas administrauerunt, velle eripere Pontificibus suum honorem, eosq; in ordinem cum cæteris Episcopis redigere, pugnareque vt eximatur è Catholica Ecclesia Principatus, quo vniuersus fidelium cœtus in fide & in officio erga Deum continetur, nunquam Christiani hominis habitum iri puto, cum tamen, quicquid dicant peruersi homines & pacis cõcordiæque inimici, Petrus huius terrenę Ecclesiæ fundamentum solus sit. Est enim illi peculiariter dictum, Tu es Petrus, & super hanc Petram ędificabo Ecclesiam meam, quod etiam in græca lingua planius atque lucidius intelligi potest. Non enim differt in ea, Petra à Petro, sed vtrumque verbum eadem significatione Petra est. Cum ergo Dei filius Simoni commutauit nomen, eumque Petrum voluit appellari, id illi nomen tribuit, quod maximè aptum & accomodatum fundamento est, quo neutiquam nomine cęteri Apostoli sunt vocati. Petrus itaque vnus Catholicæ Ecclesiæ fundamentum est, super quo tota consistit ædificatio, neque ea verba in Euangelio, quisquam vnquam Pontificiæ potestati obtrectans, aliter poterit interpretari, sit licet ille ingeniosus, sit astutus, sit vafer (quemadmodum quidem esse multi concupiuerunt) nunquam inquam, ita adornabit interpretationem suam, vt in ea æquis & eruditis mentibus satisfaciat, sunt alia quidem loca in Euangelio complura, quę hoc ipsum confirment & corroborent, quod etiam orbis vniuersus ab initio generis nominisq; Christiani perpetuò cõprobauit: sed nos orationẽ, non disputationẽ teximus: & vnus hic locus ad demonstrandum satis est, esse Rom. Pontifices apud Christum idem illud ipsum, quod apud eundem fuit Petrus: si quidem non vnus homo à Christo Pontifex factus, sed in homine vno institutæ Pontificiæ potestas est. Quod & in Saule factum legimus, in quo non hominis vnius honor sed regnum ipsum deinceps est Iudæorum nationi constitutum. Quæ cum ita sint, fuit ne æquum (vobis ego loquor, qui diuersa sentitis) Romanos Pont. tot onerare conuitijs, & tam multa probra in eos iacere, vocareque Antichristos, qui Christi ipsius certissimi Vicarij sunt? quorum si mores aliquorum parum vobis erant probati, debebat tamen vel Pontificatus dignitas, vel vestra moderatio, vel charitas Christiana, vos ab istiusmodi insolentia reuocare: cum præsertim in his quæ ad veram fidem, verumque Dei cultum maximè pertinent, in quo præcipuè salus nostra est posita: nunquam Pontifex Max. impiè sensisse, aut aliena

& praua statuisse intelligatur. Verùm, esto, concedatur vobis, ne
los maledictis, & verborum licentia esse conscindendos. Qui
probi? quid innocentes? quid religiosi? eisdem ne conuitijs vide-
tur onerandi? Qui verò nunc gerit Pontificatum & sustinet
hortator pacis & compositionis publicæ Paulus III. qui armis
semper abstinuit, quæ ex superioribus Pontificibus nonnulli (ne
grauius quid dicam) satis incommodè tractauerunt, inque eo ip-
so ostendit, se nullis factionum præmijs contaminatum esse,
nulla extraordinaria cupiditate transuersum agi, qui edixit com-
mune omnium gentium Christianarum Concilium, quod vos
maximè petere & flagitare solebatis, nunc posteaquam iniustum
& constitutum est, fugere illud maximè & declinare conuenit,
quem ad numerum vobis videtur esse aggregandus? Quam ob
cum causas in medium adduceretis, quamobrem ad concilium
non essetis venturi, reum vos facere velle professi estis: & id
verbum inhumanum & insolens, à quo quidem verbo mutuo
quondam Imperatores, & summi in terris Reges profectò sem-
per abhorruerunt, vos nequaquam eius authoritatis homines,
inconsiderata quadam mentis temeritate protulistis. Quam ob
quid ego disputem quo animo sitis erga Pontificium nomen, cū
videam leges & decreta, quæ à summis Pontificibus, quoquo tem-
pore facta & promulgata sunt, omnia à vobis vno ordine repu-
diata esse & abiecta? Et quò vestrorum animorum moderatio,
Euangelijque disciplina, quam sequi vos prædicatis, magis appa-
reret, in concione gregalium vestrorum ignibus etiam traditis.
Quibus tamen legibus & decretis, multa ad abstinentiam, multa
ad frugalitatem, plurima ad seruandam integrām atque incor-
ruptam in Deum fidem præcepta erāt & constituta, per quæ nos
illa cum custodissemus, & in hac vita sobrij atque casti, & ad be-
torum numerum in altera possemus esse asscripti. At enim so-
brietas ista & continentia minimè vobis placuit. Alios fidem
ne corrupissetis: nunc vestro exemplo, vestra imitatione, vestris
suasionibus, plurimi proruptis & conculcatis sanctis legibus
ad multa intemperantiæ genera se proripuerunt. Est enim facilis
vulgi inductio ac deceptio. Cum sub falso religionis nomine, cu-
piditatibus libertas & licentia proponitur. Quo in genere decipi-
endi ac circumueniendi, vos nimirum assidui & perdiligentes
istis. Iam ista sollicitatio vestra & curiositas fallaciæ plena ampli-
sidiarum, quo procliuior vobis atq; explanatior esset, dogma-
lud inprimis, tāquam propugnaculum causę vestrę proponitur.
Sola in Deum fide homines effici iustos, ad iustitiā in nobis con-
ficiendam bona opera nil referre. Qua quidem voce per popu-
los promulgata, authoribusq; auditis: quis non intelligat, maxi-
mos motus animorum, id quod factum est, necessariò fuisse con-
citatos

cirandos? Cum enim credere in Deum facile sit: difficile autem cupiditates suas temperare: nemo paulo mobilior atq; imperitior esse potuit, qui non exiguo illo credendi negotio, liberam suis cupiditatibus inseruiendi facultatem redimere sibi vellet. Quod sanè à vobis vafrè & malitiosè factum est: vidistis enim si maneret concordia in Dei Ecclesia, si status Germaniæ pacatus esset, si bonarum artibus ad aliquam dignitatem esset accedendum: Vos (de primis illis authoribus seditionum loquor) non eum fortasse locum quem cupisseris, habituros. Itaque in nouandis rebus, in patria gente vestra nationeq; perturbanda, omnem prorsus operam & industriam vestram posuistis: quóque frequentiores ad vos cõcursus hominum imperitorum fierent, solius doctrinam Euangelij popalis estis professi, sancta ô summe Deus præclaraq; professione, si tamen vobismet ipsi non repugnaretis. Nunc nihil Euangelicũ cognoscimus in vobis, præter ipsam vocẽ, siquidẽ sanctum Euangelium, vnicam Dei sponsam & immaculatam vult esse Ecclesiam, at vos & vnitatem ab ea & pudicitię omne decus vestris multis, pbris & conuitijs abstulistis: itẽ vult nos cõcordes in vno corde cunctos, & in anima vna esse, at vos odijs atque dissidijs omnia repleuistis: vult quoq; Christianũ genus vno Christi corpore totum comprehensum esse, at vos corpus istud ipsum cruenta in frusta iam complura, miseraque fragmenta discidistis. Etenim quot à vobis iam errantium sectæ, neq; Ecclesiæ Catholicæ consentientes, & à vobis quoq; ipsis alienæ, prodierunt? Quod quidem non iniuria accidit: vbi enim semel ab vnitate Ecclesiæ & ab vnius in ea rectoris authoritate discessum est, non est præscripta cuiquam neq; firma & rata lex vlla viuendi. Sed vt redeamus ad Euangelium vestrum: cuius vnius sectatores vos esse affirmatis: Fuit ne Euangelicum, tot serere dissensiones, rerum atque hominum ordines conturbare, dare arma plebibus aduersus rectores suos, totam Germaniã tumultu, discordia, direptione, cęde miscere & involuere? Nisi fortè illud vel maximè Euangelicũ est, (audite vos qui talia perpetrastis, maxima enim cum attentione & diligentia à vobis est curatum) quod bona Ecclesiarum diripuistis, possessiones occupastis: templa Deo immortali consecrata, solo æquastis, scilicet vt Dei ipsius omnipotentis non veneratio solum, verumetiam memoria in illis locis moreretur, quo solutiore animo vos ex manubijs non hostilibus, sed diuinis, vestræ auaritiæ & cupiditati suppeditaretis. In quo fuistis etiam Turcis hostibus crudeliores: Illi enim templa vero Deo dicata si quando vi & armis ceperint, in alterius ea vsum religionis conuertunt: falsæ quidem quis negat? sed tamen etiam si veritatem cultu amittunt, nomen tamen Dei & religionis retinent. Quod vos ipsum quoq; funditus sustulistis: nihilq; magis cupere vos o-

ſtenditis, quàm vt memoria hominum de ea re factoq; vnà veſtra omnis extingueretur, nempe vt obliuiſcerentur cuncti aliquid & neſcirent, loca illa quondam Dei ſacra fuiſſe, agros, poſſeſſiones, ædificia, prædia quę à pijs olim vereq; Chriſtianis hominibus ad victum ibidem deſeruientium Deo, & ad impenſam quotidiani ſacrificij aſſignata fuerant, per Euangelicos viros, ſcilicet vt Euangelio aliena rapere iubenti, ab ipſis obtemperaretur, fuiſſe interuerſa, atque horum malorum, aliorumq; compluriũ hoc dicto origo & fons inprimis fuit veſtra egregia illa poſitio, quam iactare ac proponere omnibus ſoletis, Fide videlicet in Deum SOLA, iuſtitiam nobis, non etiam bonis operibus acquiri. Hæc propoſitio aditum vobis ad commouendos ſimpliciorum animos, hæc occaſionem diripiendi patrimonij Eccleſiaſtici prebuit, à vobis ſimulatè & fallaciter iactata, à plurimis propter ſuperitiam atq; etiam ob licentiæ ſolutioris cupiditatem alacriter ſuſcepta. De qua quidem poſitione nobis dicendum eſt, vt quantum cum Dei ope poterimus, quibuſdam malitiæ fraudiſq; tegumentum, alijs falſæ errorem opinionis auferamus. Etſi ſunt inter vos nonnulli modeſtiores, qui temperatius agunt, atq; vt ego intelligo, etiam eruditius, qui bonis operibus aliquem relinquunt locum, & ea tamen opera à iuſtitia ſeiungunt. Quibus cum potiſſimum agendum mihi eſt, quod enim antea effuſè proſſis & petulanter, primis ab auctoribus huiuſmodi diſſenſionum, in populo proferebatur, fidem in Deum SOLAM iuſtos nos efficere, opera nobis bona ad iuſticiam nil prodeſſe, vel potius ea omnia peccatum eſſe, id iſti cautius & modeſtius tractant, bonaque nobis opera neceſſario ſuſcipienda eſſe dicunt, quò ſic præcipienti Deo in illis per nos obediatur. Ea tamen negant ad iuſticiam in nobis vllius eſſe momenti, quippe cum fide SOLA iuſti facti iam fuerimus: quam ego concluſionem, quo pacto confirmari & ſuſtineri poſſit non video. Primum ita quæro: Si quis opera non bona ſed mala efficiat, is ne fide SOLA erit iuſtificatus? Non accidet hoc, inquit, fidem enim ipſam bona opera conſequuntur. Atqui iſtud ipſum quæro: Sequantur ne fidem opera bona neceſſario, nec ne ſequantur? Si neceſſario ſequuntur, quid attinuit ab ea iuſtitia quæ per fidem imprimatur opera bona ſeiungere? cum ea ita complexa & cognata ipſa cum fide ſint, vt ſimul cum ea adſint, & ſimul cum ea iuſtificent, quam ad rationem fidei ſubſtantiamq; pertinentia. Quod enim ſtare per ſe ſine altero non poteſt, habet illud certè quo ſine eo poteſt eſſe, ad naturam ſuam penitus adiunctum: ſimile ergo eſſet, dicere fidem SOLAM iuſtificare, vt ſi diceret Iudæus, legem Moyſis SOLAM iuſtos nos efficere. Quod pronuntiatum plures haberet intelligentias, vel enim ſignificaret, extra

legem

legem Moysis neminem posse iustum esse, quod nos de fide Christi verissimè dicere possumus, extra quam qui sunt, tantum absunt à iustitia, quantum à veri Dei & eius filij notione: vel cum proferret legem, totam intelligeret, totamque ab ea nobis iustitiam asseueraret dari, cum videlicet non solum vnum Deum coleremus, sanctumq; ipsius nomen veneraremur: sed cum parentibus pietatem, cum proximis humanitatem, cum omnibus innocentiam, cuncta denique decalogi præcepta custodiremus. Quam nos sententiã eandem in fide Christi sequimur. Est enim fides amplum nomen & fœcundum, quod in se continet permulta, quæ & in credendo Deo & in agenda nostra vita seruari nobis præcepta sunt, quæ si compleamus, tum meritò iusti per fidem efficiamur, ita fide simul, bonisque operibus iusti sumus. Quòd si Iudæus vbi dixerit lege iustos nos fieri, non de vniuersa intellexerit, sed vnam aliquam ex ea decerpere voluerit partem, verbi causa, primum decalogi præceptum: & affirmauerit, si vnum tantum Deum coluerimus, nos fore statim iustos: hic ab ipsamet lege euestigio redarguetur, quæ extremis in execrationibus, quas cœlo & terræ, Deo & hominibus, auctor ipse legis, suæ adeo minister Moyses vult esse manifestas, eos omnes execratur, qui non vnum tantum hoc mandatum, quanquam præceptum id & maximum, vt vnum Deum colamus solum, sed qui non omnia ad vnum præcepta legis custodierint. Quæ execratio eam vim habet: vt quisquis quanquam vnum Deum colens atque agnoscens, in alio legis mandato offenderit, hic non modo non iustus, sed legis totius violator esse censeatur. Sic istos Sola ex fide iustitiam in nobis constituentes, hoc est delibantes ex Euangelio partem illam, quæ solum in credendo & Deo ipsi confidendo sita est, quasi in sanguine & cruce Iesu Christi filij sui Domini nostri Deus nobis omnia peccata nostra ignouerit: & ex hac nostra in Deum credulitate & fiducia iustitiam nobis, subito agnasci affirmantes, ipsum Euangelium pluribus quidem in locis redarguit, quæ loca a multis quotidie iactata & peruulgata nos in præsentia breuitatis causa omittimus. Vnum tantum ex Euangelio afferemus locum, in quo apertissimè maximeque appareat, quantum ad vim rationemque iustitiæ in bonis operibus situm intelligatur: etenim hoc arbitror efficit in nobis iustitia, quæ eadem in sacris literis bonitas & innocentia, & erga summum Deum pietas, in proximum fides, humanitas ac misericordia est, vt per eam digni cœlestibus præmijs reddamur. Quid enim aliud est iustificare, quàm facere iustum & bonum, in quo simul cum fide erga Deum sanctitas morum & omnis actio recta continetur? Cum ergo dominus Isaias supremum illum in Euangelio denuntiat iudicij diem, quo

omnes

omnes omnino homines, quicunq; sumus, fuimus, erimus, ante illud horribile tribunal constituemur: qua se voce vsurum, post quam iudicium fecerit, profitetur? Nónne ad bonos quidem electos ea, qua opera illorum misericorditer facta collaudatur, regnum se illis propterea perpetuum dare pronunciat? quia cum me videritis esurientem, inquiens, pane vestro recreastis & pauistis: cum nudum, vestijstis: cum in vinculis positum, vestro ad me accessu consolationeque fouistis. Ad impios autem, immisericordes contraria. Si ergo iustitiæ in nobis effectus, remuneratio regni est, atque id regnum, testimonio Iesu Christi operibus bonis est destinatum: quis erit tam auersus à vero, qui opera ad iustitiam bona conducere non putet? Quod si opera bona necessario fidem consequuntur: & ea sunt tamen propter mandatum Dei suscipienda (hæc enim erat altera diuisionis pars) in curro statim, itaq; insisto, cedò hominem igitur credentem quidem in vnum Deum & per Iesum Christum sibi ignotum putantem, licentius hoc autem & liberius cupiditatibus obsequentem suis, quod nihil omninò de iustitia quam per fidem acquisierit, detractum iri per mala sua facinora putat, Quod tum monstrum statim, quod prodigiũ mihi dederis? Quanquam huiusmodi quidem monstra permulta iampridem conflata in vestra Germania sunt. Atqui hoc quod ego peto, facile sanè est, idq; accidere quotidie potest, si quidem nõ est necesse opera bona cum fide omninò esse coniuncta. Tu verò qui iustitiam in fide SOLA constituis: si hunc cum talis sit, qualem ego descripsi, fide ex SOLA reputas iustum, nónne honorem sancti nominis iniquitati & intemperantiæ intelligis te deferre? At enim plura sunt elogia in sacris literis, quæ hoc ipsum disertè enuncient. Iustitiam fidei videlicet ab operibus seiungi: quod princeps ille omnis Christianæ sapientiæ Paulus sæpenumerò repetit, Arbitrabamur, inquiens, hominem iustificari fide, nõ operibus. Et alio loco: Gratia seruati estis per fidem, idq; non ex vobis, Dei donum est, non ex operibus, ne quis glorietur. Item quia scribit, quod iustitia nunc Dei sine lege facta est manifesta, ea iustitia scilicet, quæ sine legis operibus iustos nos facit. Quod magis vt confirmet, subiungit, omnes qui peccauerunt, & indigent gloria Dei, iustificantur gratis per ipsius gratiam, per eam redemptionem quæ est in Christo Iesu. Hæc ego elogia & verissima esse assentior, & a Sancto Apostolo diuinitus iudico fuisse scripta: Non tamen ex iis concludatur, fidem seorsum ab operibus bonis, nos SOLA iustificare. Ac quod opera quidem sine fide, quæcunque illa sint, nihil nobis conducant ad Christianam iustitiam, & confiteor plenè, & pleno ore pronuncio. Quod autẽ fides SOLA, nulla omninò habita ratione operum, iustos nos efficiat, id mihi videre

eidem Paulo & scripturæ esse contrarium. Christus dixit: Amici vos mei tunc eritis, si egeritis ea, quæ præcipio vobis. Et alio loco: Veniet filius hominis, & reddet vnicuique quòd suis operibus quisque fuerit meritus. Et Paulus: Gloria, & honor, & pax omni operanti bonum. Et alio item loco: Nos spiritu ex fide spem iustitiæ expectamus, vbi fides spem creat iustitiæ, non statim iustitiam ipsam. Quanquam quid testimonia in hanc operum partem colligo? cum cuncta nos ad bona opera adhortetur scriptura, tanquam nobis necessaria ad salutem, cui quidem parti operum consulendum etiam fuit, tum vt veritati satisfieret, & conscientiæ, tum ne spoliatis hoc decore rectis actionibus nostris, quasi eæ minimè ad iustitiam sint vtiles, illicitum improbis imperitisque daretur, non ex præcepto & lege, sed suo cuique arbitratu viuendi. Nunc ineunda nobis ratio concordiæ est, illudq; demonstrandum, alterna elogia ex scripturis nequaquam inter se esse contraria. Quod vt perspicuè magis pateat, ab aduersariorum confessione faciemus initium. Vos fide ex SOLA iustitiam nobis insinuari exponitis, ea re quidem, quòd vbi quis ad credendum hoc accesserit, neque ad credendum solum, verum etiam ad confidendum, quod Deus omnipotens pater omnis misericordiæ, in sanguine filij sui & morte, quam is pro nobis vt satisfaceret, nostraque deleret peccata, perpessus est, delictis nostris veniam dedit, remissioque in nobis peccatorum est facta, statim per Christi meritum vna hac fide, quæ non credulitatem nobis tantum, sed fiduciam etiam absolutionis nostræ & cum Deo ipso reconciliationis afferat, nos effici iustos. In quo ex vobis quæro, vtrum charitas cum hac fide iuncta sit, & societate iustificandi cum ea coëat: an hoc in officio à fide sit seiuncta? vos quidem eam repellitis, & ad alia opera illam reijcitis, cum hoc absurdum protinus eueniat, charitatem, quæ maior fide sit in effectione iustitiæ, qua nullum opus dari potest præstantius, nullam partem in nobis neque vim obtinere. Illud præterea docto homine indignum: quod, cum istam ipsam fidem, in qua vna hæretis, à spiritu sancto nobis conceditis dari, non videris eum in amore & charitate esse datam. Quid enim aliud Spiritus sanctus est, quàm amor? Quod etiam vt prætereatur, cum fidem esse fiduciam affirmatis, qua certo confidimus nostra nobis peccata à Deo per Christum fuisse ignota, spem, quamuis imprudentes, in hac fiducia inseritis: non enim sine spe potest esse fiducia. Quòd si spem, profectò etiam amorem, sic enim confidimus nostra peccata nobis condonari, vt non modo id speremus, sed etiam amando optandoque expetamus vt ita sit: quoniam omnis ratio spei atque fiduciæ, quacunque versetur in re, amore rei illius nixa est quam nos esse adeptos aut adepturos confidimus. Ita in fide vera spes,

ſpes, & charitas ſic implicita eſt, vt nullum eorum poſſit ab alijs diuelli. Quomodo igitur opera cum fide ſimul neceſſario iuſtificant? cum ſæpe abſque operibus faciat SOLA fides iuſtitiam, vt in latrone fecit, vt in alijs multis, quos ex hiſtorijs Eccleſiaſticis poſſumus colligere? Nempe, Quia habitus iuſtitiæ, quo ad bene operandum propenſi efficimur, fidei ipſi ab initio ſtatim propter amorem & charitatem eſt annexus, vbi enim amor Dei inest qui in vera illa fide protinus elucet, ſimul illa ſubitò adeſt propenſio animi & cogitatio: eſſe in actionibus rectis amori noſtro in Deum, & Deo ipſi ſatis faciendum, admonenti nos illi & docenti, ſi diligamus eum, vt mandata eius ſeruemus. Hic inteſtinus iuſtitiæ habitus, non conflatus ex operibus & actionibus noſtris, ſed cum ipſa fide charitateque coniunctim diuinitus nobis impreſſus, is ille ipſe eſt, qui iuſtos nos facit. Et ſanè conuenientiæ eſt, vt à iuſtitia iuſti, quàm à fide nominemur. Tametſi (vt dixi) omnia hæc in vnum connexa ſunt & cohærent. Hunc habitum præclarè exprimit Paulus diuinis illis verbis, quibus ad Ephe ſios vtitur, ſic ſcribens: Gratia ſeruati eſtis per fidem, idque non ex vobis, Dei donum eſt: Non ex operibus, ne quis glorietur, Dei enim ipſius ſumus effectio, ædificati in Chriſto Ieſu ad opera bona, quibus præparauit Deus in illis vt ambularemus. Ad Deum itaque per Chriſtum accedenti, ſtatim ad rectè faciendum præcepta facilitas quædam & voluntas bona agnaſcitur. Porrò iſte ipſe habitus iuſtitiæ tunc abſolutè in nobis perfectus eſt, cum explicat ſeſe, & exerit in ſanctas actiones: exercitationemq; continet iuſtitiæ cum ipſa exercendi voluntate coniunctam. Ipſo autem fidei initio, aut cum ſpatium non eſt rectè faciendi, licet totam perfectionem iuſtitiæ non teneat, idem tamen nobis poteſt ad ſalutem quod abſoluta plenaque iuſtitia. Quam quidem etiam diſtinctionem, alio loquendi modo ſcriptura ipſa denotat, vt cum loquitur de Abraam: Quòd credidit Abraam Deo, & reputatum eſt illi ad iuſtitiam, hoc eſt, perinde habitum in eo, ac ſi iuſtitiam totam iam impleſſet. Quod idem Paulus, credenti, inquit, in eum qui iuſtificat impium, fides hæc ea ipſa reputatur ad iuſtitiam. Quibus ex omnibus patere planè iam arbitror opera bona cum fide ad iuſtitiam conſtituendam in nobis ita eſſe neceſſaria, vt nihilominus Deus propter abundantiam bonitatis & miſericordiæ ſuæ, ſolo in nobis interdum iuſtitiæ habitu, quem ipſemet in nobis effinxerit, etiam nullis conſecutis operibus contentus eſſe ſoleat. Hac controuerſia imminuta (mihi vt videtur) reliquas quæ ſuperſunt, quæ ſanè plures exiſtunt & variæ, quoniam earum non eſt huius temporis tractatio: præſenti diſputationi, ſi quando congredi cum aduerſarijs dabitur, reſeruabo & relinquam. Nunc hoc dico, hanc poſitionem, quam vos, quibus

fide

fuit seditio, quàm patriæ vestræ quies iucundior, in medium protulistis, atque eam passim inter homines iactandam diuulgandamque curastis, videlicet ex fide SOLA iustitiam, non etiam ex operibus bonis constitui: facem extitisse tantorum incendiorum, quibus hoc tempore, instigatoribus vobis, correpta omnis Europa est. Quid? vos nè fortè pœnitet tantæ authores in Christiano nomine calamitatis fuisse? an si quando oculos in cœlum attollitis, atque illa regna diuina & immortalia quæ Christianis hominibus & cuncto generi nostro, à Deo parata & proposita erant, multis per vos intercluſa atque erepta cogitatis, nulla animos vestros attingit consideratio, non posse cœlum patere vobis ipsis, nisi per pœnitentiam fueritis restituti, quod cæteris per vos sit obseratum & clausum? Quid est quod grauius ferat pater omnium nostrum præpotens Deus, quàm esse astutos homines, qui sui quæstus, aut alicuius acquirendæ potentiæ causa, aut quò iracundiæ, aut quò intemperantiæ suæ seruiant, simpliciorum animos inducant in fraudem: eosque à præmijs cœlestibus auertant, quæ præmia talibus maximè prompta & proposita sunt? Legite Euangelium vestrum, in eo Christus vos docebit quod discere certè debuistis, quanti hoc ponderis scelus, quanti aditam Dei excitandam momenti crudelitas ista sit: si tamen vestrum est Euangelium, quod vos ad peruersè interpretandum legius, ad decipiendum alios proponitis, ad perrumpendum leges omnes, tanquam machinam quandam adhibetis, factumque est per vos fundamentum salutis nostræ, perpetui iam multa entij instrumentum. Nunc plebes Germaniæ, multique item ex illis, quos longe erat honestius suorum virtutem imitati moremque maiorum, quàm à pristina sui generis nobilitate religioneque deficere, quàm in præcipitem locum per vos sunt deducti? Quis iam confidat, quis sibi habeat persuasum, esse aliquod iter verè in cœlum nos ducens? si circumferendi simus omni vento doctrinarum, vt Apostolus inquit, si nouis quotidie opinionibus & commutationibus rerum vetustarum, imbuendi animi sunt? Atque ea quæ maiores nostri sanctissimi viri, ijdemque doctissimi, de vita Christiana, de moribus, de ieiunijs, de abstinentia ciborum, de pietate, de misericordia, de humilitate animi, de votis quibus Deo obstringimur, de cæteris virtutibus diuinitus scripta, posteris prodiderunt, nouitijs quibusdam auctoribus reprehendentibus illa, & quæ sensibus nostris magis blandiantur, in medium proferentibus, à nobis sunt repudianda? Nisi fortè credibile est, paucis trucibus, iracundis, impetu magis ad omnia quàm ratione delatis, in hoc extremo tempore, adesse Spiritum sanctum, qui tanto seculorum numero non affuerit tot patribus sedatis, grauibus, rerum diuina-

diuinarum scientia & sanctitate vitæ præclaris. At enim occi-
nem vobis omnia sic peruertendi, sacerdotum corrupti mo-
& Romana vitia præbuerunt (ferè enim semper huc reuertim-
& prætextum facinoribus vestris ex aliorum culpa & facinori-
sumitis.) Ego sacerdotium non exigua ex parte his temporib-
contaminatum esse fateor, & Romana vitia non probo: sed e-
tamen ad curandum dico esse faciliora, quàm iniquitatem eo-
rum, qui, vt hominibus detrahant, ipsa etiam diuina inuisa-
esse non sinunt. Etenim huic sacerdotum morbo, quæ est
à vobis allata medicina? qui si reprehensores vos morum &
rectores vitæ sacerdotibus esse profitebamini, debebatis
sine vitio vllo & sine reprehensione esse. Nunc neque nos
vllam in partem adiuti & subleuati sumus, & quæ manebant
huc in Germaniæ populis virtutes, humanitas, patientia, mo-
stia, quibus quidem virtutibus cum religione coniunctis, vel
ximè datum est rapere cœlum & possidere: hæ multis per vos
ereptæ penitus, aut certè magna ex parte turbatæ & labefactæ
sunt. Quo enim nos eramus (vt vos dicitis) auariores, hoc illo-
rum virtus humaniter ferentium, magis erat admiranda. Sed
de morum correctione agendum est, propè adest concilij de-
eaque appetere incipit, ad quam nos interfuturi publico in co-
uentu sumus, easque & vitæ & auaritiæ noxas, quæ nobis exp-
brantur, iudicio æquo subiecturi. Quod item vos facere oportet
vt veniatis, vestrasque de nobis querimonias coram exponi-
quo accusatores veri & integri, non falsi calumniatores esse v-
deamini: quod hoc commodius facere poteritis, quòd sumus ac-
cepturi perhumanè & comiter. Non enim odio ferimur, non in-
iuriarum memores sumus: donamus ista omnia & permittimus
Deo, vestram salutem communem, concordiam, honorem Ger-
maniæ, publicum Christianæ Reip. bonum expetimus. Ac quem-
admodum nos suscipimus & confitemur aliqua multa esse in hac
vrbe, quæ in his confectionibus diplomatum & concessionibus
sacerdotiorum antiquitus rectè instituta, paulatim postea deter-
tis passibus ad nonnullam culpam sunt prolapsa, quod ferè
tium & hominum & temporum semper est commune, eaque
randa & resecanda, vetustumque ad morem redigenda ceu-
cuius inprimis sententiæ, summus ipse Pontifex est: Sic do-
dum quidem nobis esset, sed tamen dolorem hunc moderan-
rimus, quod vos omnia passim nostra, vllo absque discrimine
culpam & crimen vocanda existimatis, cum (vt antea dixi) vir-
tutes in vrbe Roma vitijs multo sint potiores, & vos videntur
non magnis vestris virtutibus fretos, aliorum vitijs tam acer-
insultare. Expilari quotannis Germaniam, & in hanc vrbem ma-
rum transmitti, vociferamini. Quis vnquam interdixit nam
bus hoc

bus hoc commercium, vt quo quæque gens egebat, cum aliunde id expeteret, deferret ipsa vicissim quoque aliud quiddam ad illos indigentes vnde sibi suppeditabat? Et tamen nummus (vt ego prædicari audio) sponsor est rerum omnium quæ ad hominis vitam necessariæ sunt. Aurum ex Germania quotannis Romam? Quid ad cæteras Prouincias in quibus Germanica natio negotiatur? num ibi inueniunt gratis Germani quod secũ in patriam mercis & emolumenti reportent? quanquam non eadem nec vniusmodi omnis est negotiatio. Etenim videtur hæc querimonia pertinere vel ad dimidias partes fructuum ex sacerdotijs vacantibus, vt paulò ante dictum est, de quibus qui queruntur, queruntur iniuria, vel quod isti clamitant, quoniam in confectionibus expeditionibusque diplomatum circumuentiones & onera indies grauiora petitoribus sacerdotiorum imposita esse dicuntur, quæ ego ignoro cuiusmodi sunt, multos certè de ijs audio queri, neque nunc repugno, quin esse aliqua possint: iam enim fassus sum, nonnullorum auiditatem curriculo temporum longius progressam aliquantum quàm decebat, cui nunc retundendæ atque in legitimos finẽis coërcendæ, & consilia capiuntur à summo Pont. & concilium indictum est. Circumuentores verò, si qui sint, ij non publicè, sed priuatim improbi sunt, & fraudulenti. Quod vtinam genus hominum ex Christiano dispereat. Nam quod à vobis etiam prædicatum, & sæpenumero palam iactatum est, leges omnẽis pontificias, non virtutis neque continentiæ in populis informandæ, sed quæstus gratia fuisse latas. Leges illæ ijs temporibus latæ sunt, quibus nulla omninò erat in Pontificibus auaritiæ suspicio. Etenim, qui Pontificatum ita tum accipiebant, vt illum esse scirent pignus sibi certissimum ad cruciatũ & mortem pro Christo perferendam, valde illi videlicet pecuniam concupiscebant, quam etiam cum haberent, in pauperes statim & in egenos erogare erant soliti. Quorum si beatissimæ & constantissimæ in testimonium Christi & fidei mortuorum famæ obtrectatis, quid tandem esse potest, quod laudando comproberis? leges illi condiderunt, quæ non ipsis emolumento, sed omnibus saluti esse possent & felicitati. Non enim cœlum, vt videmini vos existimare, voluptatibus corporis acquiritur, nec per libertatẽ carnis cœlestis vita obtinetur, sed compressa carne, cum libertas spiritus eminet & reuincta est, tum est via nobis ad scandendum in cœlum ardua quidem illa semper, sed tamen facilior expeditis & magis parata, quam illæ viam nobis leges munierunt: neq; aliud sanctissimi illi viri spectauerunt, quàm vt carnalibus desiderijs, quæ nos deprimunt in terram, amputatis & recisis, planius iter in cœlum & solutius haberemus. Eas leges vos posteaquam proiecistis, & veluti cœnum pedibus conculcastis, libertati Christianæ

vos restitutos gloriamini. Nempe, veruntamen ei libertas
carnis est, & non spiritus libertas, & propterea etiam
Christiana. Et tamen cum hæc molimini & permiscetis, vos
profitemini esse Euangelicos, Scilicet nos profani, vos pij
Deum minus rectè colentes, vos veram illius colendi scientiam
vni habentes: à nobis scripturarum sensus absconditus est,
tus idem vobis & manifestus. Nos, qui veterum sententias &
stituta sequimur, & Catholicæ Ecclesiæ decretis obedimus,
norumque mille & quingentorum documenta à tot doctissimis
sanctissimisque patribus accipimus, quomodo scilicet
uendum sit, quid omnibus in decretis fidei, & si quæ
pendices decretorum illorum sint, tenendum ac sentiendum,
id spiritu sancto authoritate facimus, sed temeritate
ignorantia, quandoquidem in vos solos spiritus sanctus
est. Quod vtinam ita esset, non in solos quidem, sed si
sanctum in vobis haberetis, qui idem amor & charitas
probris profectò nos, non tam grauibus acerbisq; maledictis
tres in Christo vestros quotidie insectaremini? Quid enim
ritate & spiritu sancto est alienius? Quapropter, cum
libellos quotidie in vulgus spargitis, cum inuidiosas
de nobis haberis, cum leges sanctissimas ea vna de causa
læ per Rom. Pontifices inuentæ sunt, promulgatæ, latæ,
hominum inimicas vociferamini, num id ex Euangelio
doctiq; facitis? At in eo dictum est: Quicunq; dixerit fratri
fatue, reus est gehennæ. Et nos tamen omnia hæc patienter
mus, non contrà execramur, non maledicimus: nouimus
præcipuam in Christianis virtutibus esse, animi humilitatem
vt omittamus cætera, quid sibi ista tanta vestra curiositas,
sollicitudo, tamq; assidua & tam acris diligentia vult? Clamatis
de loco superiore in omnibus populis, omnia loca peruagatis
singulos aditis, appellatis, corrumpitis, componitis scripta
plurima, atque ea in nationes disseminanda curatis, felle
ferta, & inexpiabili odio: quod quidem legentibus statim
indicat, nec facit æquis & prudentibus hominibus fidem,
gus tantum ad iram & odium nostri inflammat. Cui etiam
tando & acrius cõmouendo, falsas fabellas, & eas lugubres,
fingitis, eorum quos à nobis iniquè atque iniuriosè dicatis
se damnatos: cum tamen illi & iure optimo damnati, & à
potissimum patribus auisque fuerint. Fuit enim iudicium
in Germania & per Germanos factum, cui vos iudicio,
rima affingitis. Sed respondete quæso mihi, qui vos appellatis
Euangelicos, num talia ista sunt ex charitate? Cur ergo
Paulus? Charitas tolerans est, charitas benigna est, non
non temerè agit, non inflatur, non quærit quæ sua sunt, non

strahitur, non accipit in partem malam, omnia contegit, omnia sustinet. Si vos nihil omninò horum quæ charitatis sunt, adhibetis aut agitis, etsi contraria omnia potius persequimini, an vos cum sustuleritis è vita charitatem, Euangelicos vos ritè potestis appellare? cum plus etiã in Euangelio charitati tribuatur, quàm in cœlestibus regionibus ipsi Soli. Vt igitur, si quis è cœlo Solem deiceret, minimè esset ipse cœlestis, sed cœlo potius infestus & inimicus: Sic vos, ablata ex Euangelio charitate cõtrarios Euangelio vos potius statuite. Quanquam maior etiam in his eorum est culpa, qui se Euangelicos eodem modo prædicantes, maiore quadam potentia præditi, Ecclesiarum bona corripuerunt. Illi enim vos summittunt, & vestro ministerio, vestrisque operis ad suam obtegendam iniquitatem, abutuntur, nempe intestino metu perterriti, qui iniqua perpetrantibus assiduus esse comes solet, ne si quando pax pristinaque religio locum & authoritatem suam recuperare cœperit: ipsi, amissa præda quam malè pepererunt, cogantur vltro reddere suorum malefactorum rationem. Itaque permiscent omnia & confundunt, istamque labem vitiatæ religionis, quàm plurimos in populos contendunt propagare. Sic enim statuunt & iudicant, quò plures secum socios assensoresque habuerint, & quò plura fœdera cum similibus suis coierint: hoc altiore vallo, aduersus minas iuris atque legum, fore se munitos. Qui tamen nihil agunt. Etenim vos credite mihi, qui templa Deo dicata & consecrata diruistis, qui agros & possessiones Ecclesiasticas retinetis, qui pacem & solatium fidelium mortuorum ad vestras iniustas cupiditates transtulistis, etiam si ab hominibus timendum vobis non sit, vos Deum tamen vindicem non euitaturos. Ille vestris mentibus, ille vestris animis scrupulos eos immittet, vosque angoribus ijs curisque extimulabit: vt non sit futurus vobis, ad quiescendum locus. Nullæ enim hominum excubiæ quicquã valent aduersus Deum, nulla est audacia, nulla animi firmitas, quæ vbi vulneribus occultis conscientię labefactata est, nõ agitetur assiduis terroribus & solicitudinibus angatur: Mala illa facinora, quæ conscijs animis occurrunt, & sese illis ostendunt formidolosè & minaciter: tanquã faces quædam furiarũ ardentes sunt, quibus exagitetur animus, grauiterq; perterreatur. Et nũc qua vos existimatione ac fama apud cunctas nationes esse existimatis, cum pateat omnib. & planè perspicuũ sit, vos non religione, sed auaritia, vt nouas quęreretis religiones, adductos fuisse? Quòd si illa delubra & sacra loca ab indignis tenebantur (soletis enim causam hanc auaritiæ vestræ prętendere) quæ nam in eo fuit vestra iudicatio? Detulissetis querelam ad legitimos iudices: institissetis vt corrigerentur, q. fuit hominũ & proborũ & nobiliũ, cum verò illorũ possessiones vos occupaue-

ritis, & Deo dicata deuotaq́ue bona, domum vestram auerte
Quis non intelligat, vos non indignitate possessorum ad ex
lendos illos, sed amore prædæ compulsos fuisse? Qui tamen
expelli eijciq́ue debuerunt, contra fas omninò contraq; omn
leges, non tamen bona illa ad vos, sed ad egenteis & pauper
fuerunt deferenda, quorum inprimis causa alendorum Eccles
diuitias possidet, quæ si minus interdum suo officio fungatur, eo
rum videlicet culpa qui præsunt, non ornamentis propterea fu
spolianda, sed ad id præstandum quod debet requirenda est. Sed
vt (his omissis) aliquando ad vos Principes populique Germa
niæ redeam, qui Deo melius obtemperantes estis, qui virum &
gloriæ maiorum vestrorum in vera pietate & religione palatè
respondetis, doleo vehementer & mœrore quodam animo
mea perpetua erga vos beneuolentia vexor atq; conficior quod
ista inuicta natio, quæ splendore quondam suo cæterarum gen
tium maculas eluebat, nunc aliquot ipsa maculis inusta & in
scata est, non bonorum quidem culpa, sed eorum qui nimis
mere nimisq́ue licenter in vestris regionibus, conniuentibus bo
nis impunè debacchati sunt, duoq́ue sunt præcipuè meditati atq;
conati: vt & religionis integritatem, & sanctæ Apostolicæ sedis
infringerent auctoritatem. Ac Deus quidem, cuius diuinam po
testatem & sapientiam effugere nemo potest, requiret ab vnu
quoque, tempore idoneo, sua cuiusque vitæ consilia atque facta.
Sedes autem Apostolica à vestris popularibus tam vehementer
exagitata, & in inuidiam adducta: ad vos confugit Germani, ve
stramq́; fidem & memoriam suorum erga vos beneficiorum im
plorat. Quæ si loqui per se posset, hæc profectò diceret: Ego vos
Germani, cum ab initio Christiani nominis atque generis, vide
rem à vero Deo auersos, falsis obsequi Dijs, & cultum illis ve
strum impendere, eamq́ue rem vobis exitio & perpetuæ damna
tioni esse animaduerterem, maximam cœpi curam, vt ad veni
tem & ad salutem vos ipsi reciperetis: Quo per Dei omnipotentis
gratiam, nostra assiduitate & industria, munere perfecto, ab
rà nostra fuit cura, vt rationem vitæ bene traducendæ in opere
moribus & sanctis legibus teneretis. Quibus dum estis obsequi
vestra inprimis laus, & Germanici nominis gloria, inter omnes
populos & nationes floruit: Eadem ego deinde, cum omnem
meam spem stabiliendæ ornandæq́: Christianæ Reip. in vobis
in virtute vestra reposuissem, qui potuit summus in terris [illegible]
honor, eum vobis potissimum habendum curaui, Romanæ
Imperij potestatem, & præstantissimam terrenis in rebus auc
ritatem, in vestro genere locare & constituere nõ dubitaui. Quæ
ex honore maximo atq; amplissimo plurimi deinde inter vos ho
nores & dignitatum gradus, orti & distributi sunt. Quid amplius
potui

potui pro vobis efficere, quàm feci? quæ & aditum vobis in cœlum, & orbis terræ principatum, largita sum, complura præterea, procedentibus sæculis, in vos à me beneficia, & priuatim, & publicè, profecta sunt, pro quibus profectò non commerui, vt hæc tam mala gratia mihi referretur. Nunc si quorundam ex illis qui mihi præfuerunt, vel inscitia gubernandi, vel etiam auaritia, aliquid aliquando incommodi perpessi estis, quæ mea fuit culpa? cur ego pro aliorum criminibus atq; peccatis rea subijcior? quæ semper eodem animo affecta sum, cupiens vt rectè vbique & ordine omnia gerantur: atque inprimis vobis vt Germani cuncta ex me honesta & iucunda eueniant. Amore enim vestri iam diu sum correpta, inque augendis vobis & quàm maximè ornandis, semper elaboraui. Quam voluntatem conseruo & seruatura sum, quinimò illos ipsos, qui me tam iracundè & tam crudeliter oppugnant, totque mihi immeritæ ingerunt contumelias: & resipiscere cupio, & materno complecti affectu animi sum parata. Illud postremum Germani vos rogo, & obtestor: vt si hominum injurias à nobis propulsare negligitis, Dei saltem honorem, & veritatem Christianæ fidei, è qua vna, vt ea à maioribus tradita est, vestra dependet salus, stabilem & inuiolatam custodiendam curetis. Hæc inquam Germani, si sancta Sedes Apostolica vobis loqueretur, & vobiscum sic ageret, nónne ea diceret, quæ, si æqui esse velletis, profectò comprobaretis? verum ego neque de virtute ac integritate vestra Germani dubito, & vos similes maiorum vestrorum semper fore confido. Deum tantum supplex oro, ac deprecor, vt qui & dissentiunt à nobis & vestri nominis gloriæ his dissensionibus officiunt, in vnum cor nobiscum, & in Germanitatem vnam copulentur. Quò cuncti vnà coniuncti in eodem pacis & Christi Domini Spiritu ac penè conflati, debitum Deo honorem, vnitatem Catholicæ Ecclesiæ, Germanico generi suam gloriam, cunctis qui in Christiano nomine censentur, concordiam & tranquillitatem, diuina ope redditam & restitutam gaudeamus.

FINIS.

ANTONIVS FLOREBELLVS DE AVCTORITATE ECCLESIÆ, AD AMPLISS. virum Iacobum Sadoletum, Episcopum Carpentoractensem, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyterum Cardinalem.

QVOD optare Sadolete antea, & precari à Deo Opt. Max. solebamus, vt huius proximi socialis belli, longe omniũ calamitosissimi, in quo & mœstitiam semper cognoui tuam, & meæ mihi ipse sum conscius, finem aliquãdo videremus, id superioribus diebus admirabili Dei beneficio, incredibili & nostra & omniũ lætitia factum est. Nam cum id bellum nõ modo extenuatum diuturnitate temporis fuisset, sed maiore etiam animorum contentione, quam vnquam antea, gereretur, iamque occasus Christiano nomini & exitium plane impendere videretur, incumbentibus etiam ad perniciem nostram externis, eisque potentissimis & crudelissimis hostibus, repente præter spem atque expectationem nostram, Deo Regum inter se dissidentium animos ad consilia pacis & concordiæ flectente, tanti, tam diuturni, tam longe lateque diffusi incendij scintillam reliquam nullam vidimus. Cuius diuinæ benignitatis erga nos magnitudinem quæ tanta ingenij præstantia possit, aut tanta orationis vbertas, & dicendi vis assequi? Neque enim hoc Dei erga nos beneficium ad res tantummodo humanas, ad bona, fortunas, domicilia, ad libertatem, ad salutem, ad incolumitatem nostram obtinendam spectat, sed, vt tu statim prudentissime iudicasti, ad religionem constituendam & æternam, quæ inde pendet, omnium salutem immortalitatemque pertinet. Quis enim ignorat intestinas hasce Principum Christianorum discordias, tanquam alimenta fuisse alterius longe miserioris belli, quod cum sacrosanctis mysterijs, cum vnius cerimonijs, cum Dei Ecclesia à turbulentis hominibus susceptum est? Quis est, qui nesciat illud ea re auctum esse, quod qui

tantam

tantum malum aut exortum opprimere, aut latiùs serpens reprimere potuissent, & profectò nō noluissent, bello grauissimo implicati, his de religione contentiones neque pro potestate discutere, neque Concilio ex auctoritate Pont. Max. conuocando sedare potuerunt? quos nunc cum abiectis armis reconciliatos inter se, nec solùm sanctissimo fœdere, sed etiam nouæ affinitatis pactione coniunctos esse videamus: quis dubitet, quin Deus, cùm bellum quod inter homines gerebatur, extinxerit, hoc sit etiam, quod cum ipso geritur restincturus? Ac mihi quidem sæpe ac multum non sine maximo animi dolore, de his Ecclesiæ difficilibus cogitanti, illud minus mirum videri solet, extitisse seditiosos quosdam homines, qui ocium & pacem Ecclesiæ perturbarent. Habuit enim ille perpetuus humani generis hostis paratos semper eximios aliquos, quibus ad excitandas seditiones huiusmodi, & homines à vera religione abducendos administris & adiutoribus vteretur: neque ignoro, qui mores hominum sint, & quàm grauis iam pridem sacerdotum ordo inuidia laboret. At verò illud multò magis admirari soleo, quod cùm isti nullam innocentiæ & sanctitatis opinionē haberent, non doctrina, non eloquentia excellerent, perinde tamen, ac si sanctissimi, doctissimi, eloquentissimi essent, quamplurimos deceperint. Quod ipsum tamen non tantoperè admirandum videretur, si leues tantùm & imperitos quosdam homines induxissent. nunquā enim imperita multitudo constans, nunquam considerata, nunquam non & voluptatum appetens, & studiosa rerum nouarum fuit. Sed quod non paucos etiam, ex his, qui doctiores & grauiores esse videbantur, corruperint, atque vt ipsis potiùs, quàm Ecclesiæ assentirentur, adduxerint: hoc verò multò admirabilius videtur, quod tamen ipsum, cum memoria vetera repeto, & humanorum iudiciorum infirmitatem considero, admirari desino. Quid enim mediocriter eruditos homines labi mirum sit, cùm vel sanctissimi viri, & longè omnium eruditissimi nonnullis in rebus erraverint? Aut quando vllæ in Ecclesia excitatæ seditiones sunt, quin earum aliqui docti quidem homines, sed doctrina ipsa inflati & humanæ gloriæ cupidi, auctores extiterint? & ad eas augendas alios item non indoctos homines adiutores habuerint? Verùm & si hoc non ita mirandum, tamen magnoperè dolendum videtur, eos, quibus præstantiora quàm multis aliis ingenia & maiorem rerum cognitionem Deus donauerit, diuinis abuti muneribus: cùm meminisse deberent, ea se à Deo bonorum omnium largitore accepisse ad defendendam ipsius Ecclesiam, nō ad oppugnandam: ad augendam religionem, non ad minuendam: ad fratres infirmiores fide & officio continendos, non ipsorum exemplo & auctoritate corrumpendos. Ipsi quidē, & si quod

ad vitæ rationem, & pręceptorum Dei obseruationem attine,
peccare nos persæpe, & de recto curriculo deflectere non nep-
mus: cùm tamen nunquam non nostrorum nos delictorum pe-
niteat, tamen quod ad fidem spectat, hoc gratissimo animo eius-
dem Dei erga nos beneficium agnoscimus, quod in sanctissimæ
parentis Ecclesiæ sinu & complexu ita inhęremus, vt nulla possi-
mus vi inde dimoueri atque abstrahi. Illa nos in lucem eduos ex-
cepit, in illius gremio & viuere, & mori deliberatum ac fixum
est. Atque vtinam quanto studio & pietate erga sanctissimam
parentem incensi ferimur, tantùm aduersus hostes eius, opis il-
li ac subsidij ferre in hoc tempore possemus. Sed tamen ea pri-
mum fortissimo propugnatore munita est, eo, qui est exercituum
Dominus, cuius præsidium & misericordia nec superioribus illis
temporibus defuit, nec hoc tempore aut in posterum vnquam
defutura est: Deinde multi ætate nostra viri, pietate, doctrina,
eloquentiaque præstantes, tecum vna pro illa fortissimè dimi-
cant: quibus ego etsi ingenio ac doctrina longè inferior (hæc e-
nim perexigua in me sunt) studio tamen & voluntate par, stans
ipse quoque Ecclesiæ propugnationem suscipere, pro qua quo-
mortem etiam, si ita accidat, oppetere dubitet? cùm pro ea mo-
ri, sit mortalem vitam cum immortalitate commutare. In quo
præclaro & glorioso certamine, etsi multi, vt dixi, strenuum illi
& fortem operam nauant: tamen vt in præliis etiam si militis
viribus dispares sint, non propterea tamen qui infirmiores sunt,
ociosos se spectatores præbere reliquorum debent fortissimè
pugnantium: ita in hac dimicatione non vitæ quidem mortu-
lis, nec bonorum terrestrium, sed æternæ salutis regnique cœle-
stis, nec me, nec alium quenquam à pugnando & laborando ab-
terrere debet aliorum maius ingenij robur, auctoritatisque pręs-
stantia. Atque ego quàm opportuna sit, & quàm firma hæc tan-
quam arx auctoritatis Ecclesiæ mecum reputans, sic statuo, si illa
& diligenter muniatur, & fortiter defendatur, nullum posse fir-
mius, nullum tutius ad omnes seditiosorum hominum impetus
propugnaculum opponi. Nam alterum, quod eis obiectum est,
sacrarum literarum munimentum, id captiosis illi interpretatio-
nibus tanquam cuniculis solent suffodere, neque vllum ferè pos-
sis testimonium diuinorum librorum tanquam telum in eos
torquere, quin illud declinatione quadam effugere soleant. Ni-
hil est enim hoc hominum genere captiosius, nihil in hac ex-
giendi & elabendi ratione agilius. At verò si hoc constituatur, si
teneatur Ecclesiam nunquam labi, nunquam in errore versari
posse, semper eam à diuino spiritu regi & gubernari, quacunque
ferè de re sermo disputatioque incidat, non possit dubium esse,
quid Ecclesia ipsa aut obseruet, aut sentiat: Ita & obtrectatorum

cui

eius amentia facilè conuincatur, & institutorum sanctitas, veritasque opinionum defendatur. Hoc igitur præsidium, Deo iuuante, munire instituimus, quoad quidem facultas nostra feret, eo consilio, vt cùm Ecclesiam minimè errare potuisse constiterit, ne rudes quidem homines, ab istis, qui omnibus locis occurrunt, ad circumscribendum & decipiendum parati, facilè corrumpi, & in errorem induci possint. Quem librum in tuo Sadoleto nomine edendum putauimus. Ad quem enim iustius hoc, quicquid est lucubrationis nostræ mitteremus, quàm ad eum, quem & propter summam vitæ integritatem, excellentemq; virtutem admiramur, & propter eximiam ac perpetuam erga nos beneuolentiam, singulari quodam amore, obseruantiaq; prosequimur? A quo non indigni habiti, cuius & intima familiaritate frueremur, & præceptis institutisq; formaremur, vt alia tua erga nos merita fileamus, tantum tibi eo nomine debemus, quantũ commemorare vix possumus. Huc accedit, vt de Ecclesia liber, ei iure optimo fuerit mittendus, qui cùm in illa honore ac dignitate antecellat, eius auctoritatem non minore studio & pietate, quàm doctrina & eloquentia solitus est defendere. Id quod scripta longè grauissima declarant tua, quæ partim emissa iam à te, circumferuntur, partim nondum edita accuratiùs limantur. Et si autem intelligo omnibus numeris absoluta esse debere, quæ ad te mittantur, tamen si in hoc minus iudicium meum tibi, at grata certa, vt spero, voluntas erga te, & animus erga communem omnium nostrũm parentem, pius probabitur.

Sed antequam Ecclesiæ causam agere incipiam, illud ab iis, quorum ad manus hæc nostra peruenient, deprecor, atque obsecro, vt tantisper dum ea perlegant, æquorum disceptatorum & iudicum personam induant, animi attentionem in cognoscendo, æquitatem adhibeant in iudicando. Neque enim leui de re agitur, sed nimirum omnium grauissima: quippe ex qua vel maximè salutis nostræ, & vitæ æternæ ratio apta atq; suspensa est. Nihil porrò inquirendæ atque indagandæ veritati tam aduersarium est, quàm obtrectandi cupiditas, quàm contradicendi pertinacia, quàm altercandi voluptas. Nam qui animos ad cognoscendum afferunt his motibus perturbatos, qui antequam contrariæ partis rationes cognouerint, iudicium fecerũt, & in eo pertinacissimè perstare constituerunt, eos nullius omnino quamuis grauis auctoritas, nullæ quamuis probabiles, quamuis firmæ, quamuis certæ rationes de sententia possint deducere. Hebetat enim eorum aciem iudicij contentionis studiũ, & mentis, vt ita dicam, lumina obstruit illa refellendi, quicquid contra, quamuis probabiliter dicatur, peruersitas, quæ si in minimis rebus vituperatur, tanta in re non turpis modò, sed etiam perni-

ciosa est. Neque est, quod quenquam à dimittenda, quam
tea probauerit sententia pudor deterreat, si ratio eam, si veri
conuellerit. Quid enim vnicuique aut veritate potiùs, aut salu
& incolumitate sua antiquius esse debet? Equidem me & quæ
aduersariis, quod ad hunc locum attinet, disputari solent, sic
cognouisse arbitror, & tam perspicuas rationes allaturum esse
spero, vt Ecclesiæ causam omnibus me probaturum esse con
dam, nisi si qui obstinatè cum illa bellum gerant, & nimi
tias inexpiabiles exerceant. Atq; hunc à me laborem suscepi
profiteor, non magis eorum causa, qui concordi animo & in
te nobiscum in Ecclesiæ communione permanent, quam
rum, qui ab aduersariis decepti, se à nobis remouerunt. Non
nim vllum ob eam causam in eos odium concepimus: sed
propter memoriam præteritæ necessitudinis, tum ob spem fu
concordiæ non & eos diligere & de ipsorum salute laborare
soliciti esse non possumus. Sed iam rem ipsam aggrediamur, atq
inde ordientes, vnde omnis disputationis initium duci debet, pri
mum quid sit Ecclesia videamus. Ecclesia græcum vocabulum
est, cui latinum nomen concio respondet. Significatur autem
nomine populus alicuius sciscendæ atque accipiendæ legis, aut
ob aliud aliquod negocium publicum vocatus, atque vnum
locum congregatus: Nostri autem illud, sicuti alia multa à Græ
cis mutuati, & ad religionem nostram aptissimè transferentes,
eorum multitudinem qui à Deo vocati, summi legumlatoris
Christi religionem & disciplinam asciuerunt, Ecclesiam nomi
nârunt. Ea commodè ita definiri potest: vniuersitas hominum
recta fide Christum colens, concordiam seruans, terrarum or
be diffusa, successione perpetua. Fides autem est constans & fir
ma mentis assensio eis omnibus, quæ hominibus sunt ipsorum
salutis causa diuinitus tradita. Huius sanctæ & religiosæ societa
tis originem non alienum est ab eo, de quo agitur, paulò altius
repetere. Nam cum primorum parentum nostrorum culpa, qui
Dei præcepto minimè obtemperârant, in omnem posteritatem
propagata, humano generi nõ solùm immortalitatis spem, beati
tudinisq; præcidisset, verùm etiam summas in hac vita ærumnas
post mortem autem grauiora etiã, eaq; æterna supplicia impo
tasset: Deus pro sua summa clementia hominib. statuit tum com
mune illud natiuumque peccatum, tum reliqua delicta omni
condonare, adeoq; placabilem se & lenem præbuit, vt quo eis
gnosceret, filio suo non pepercerit. Ergo is cùm redimendi gene
ris humani maturitas fuit, è sinu patris in terra delapsus, atq; hu
mana natura diuinitati suæ mirabiliter copulata, in terris al
quandiu versatus, discussa perniciosorum errorum, superstitio
numq; caligine, salutarẽ hominib. vetæ religionis lucem attulit,

& viam

& viam consequendæ immortalitatis demõstrauit, atq; ad extremum morte sua peccatis illorũ expiatis aditũ eis in cœlum patefecit. Quare omnes qui vel ante aduentum Christi diuinitus edocti, illum generis humani conseruatorẽ fore cognouerunt, eíque tanto ante salutem suam cõmendarunt, vel postquam is homo factus est, hoc tam admirabile diuinæ clementiæ beneficiũ grato animo acceperunt, & liberatori suo rite initiati sunt, in hanc diuinam ciuitatẽ sunt ascripti, cuiuscunq; generis, nationis, ac gentis extitêrint. Hæc n. ciuitas cùm ortu, tum diuturnitate par mundo ipsi atq; æqualis est, neq; vt reliqui hominum conuentus, muronum quodam ambitu circumscribitur, ac ne alicuius quidẽ regionis finibus terminatur, sed ab ortu ad occasum patet, à meridie ad septentriones pertinet. Sæpe enim sacræ testantur literæ nõ hos magis quàm illos homines gratos Deo acceptosq; esse. Omnes illum saluos esse cupere, omniũ salutis causa Christũ esse mortuũ. Nos tamen breuitatis causa testimoniũ vnum alterúmue duntaxat ex sacris literis proferemus. Est igitur apud Malachiam sic: Non est mihi voluntas in vobis dicit Dominus exercituum, & munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim solis vsq; ad occasum eius magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda. Item Esaias de ecclesia loquens: Lætare sterilis, inquit, quæ non paris. Erumpe & clama, quæ non parturis: quoniam multi liberi desertæ magis, quàm eius, quæ habet virum, dicit Dominus. Dilata locũ tentorij tui, & pelles tabernaculorum tuorum extende. Ne parcas, longos fac funiculos tuos, & clauos tuos consolida. Ad dexteram n. & læuam penetrabis, & semen tuum gentes hæreditabit, & ciuitates desertas inhabitabit. Atq; has quidem sanctissimorum vatum prædictiones ipse rerum exitus comprobauit. Cum n. discipuli Domini, quibus de prædicando omnibus gentibus euangelio præceptum fuerat, prouincias inter se partiti essent, factum est, vt quas quisq; eorum gentes ac nationes adijsset, eas à simulachrorũ cultu ad veram Dei religionẽ & Christi fidẽ pari felicitate conuerteret. Atq; vt reliquos omittã, quorũ hic ad Indos, ille ad Æthiopes, alius ad aliam gentẽ se contulit. Vnus Paulus Arabiam, Iudæam, Samariam, Syriam, Asiam, Macedoniam, Græciã, Epirum, Illyricum, ipsam denique prouinciarum tum reginam Italiam, & vrbem Romam totius fere terrarum orbis imperij domicilium Christi religione gloriaque compleuit. Longum est enumerare singulas nationes, quæ postquam Christi nomen increbuisse & celebrari cœpit, eius religione ascita in Ecclesiam conuenerunt. Illud tamen silentio minime præteriri potest, quod patrum nostrorum memoria contigit, ex quo vel maxime Dei bonitas & clementia in proferendis ecclesiæ suę finibus perspecta & declara-

declarata est. Nam quas nationes maiores nostri non modo
quam adierant, sed ne fama quidem cognouerant, ad eas no-
pridem Christi euangelium & religio diuinitus penetrauit.
populi moribus barbari, superstitione impij, multitudine in-
merabiles, locis remotissimi luce veritatis oblata, ad verum D
colendum conuersi ecclesiam auxerunt. Neq; aut regionum in
ginquitas, aut interiecti oceani vastitas, aut ventorum &
statum magnitudo, aut insolita nauigandi ratio obstitit, quo
nus illi quoq; cœlesti doctrina erudirentur, & diuinorum
beneficiorum participes. Sed quamuis tam antiqua sit, tam a
ge lateque pateat Catholica, quæ dicitur ecclesia, multi in-
terjectis populis, qui aut Christum nondum colunt, aut
corrupta & syncera fide colunt, minime cohærere videatur
ea multiplex tamen, sed singularis atq; vnica: de qua sancti
illi Pontifices, qui ad Nicænum concilium conuenerunt, vna
consenserunt, vnam esse confessi sanctam ecclesiam catholi
Et sane cũ ecclesia Christi corpus sit, & caput Christus eccle
vt vnius ea capitis est corpus, ita vnius caput ille coeperit
esse est. Quemadmodum autem ciuitas ex plurimis constat
lijs, quæ ad res suas obtinendas iure sunt ac legibus congre
ita conuentus omnes hominum, vnũ Deum, eundemq; colen
quamuis regionum locorumq; interuallis distent, consocia
ter se vnius fidei religionisq; vinculo, hanc diuinam ciuita
constituunt: quę hoc terrestre domicilium incolens, tanquam
altera parte respondet illi cœlesti beatissimarum mentium
cilio, eisque postquam hoc humili tanquam diuersorio exul
rit, ascribi, consociatique expetit, sicuti quidem quam plura
qui pie, sancteque vixerunt, in eum sunt iampridem coron
beneficio ac munere recepti. Atque vt illius cœlestis ciuita
multifariam distributi vnus princeps, moderator, atque
est summus ac præpotens Deus, ita ecclesia hæc, de qua
cum in plures ordines descripta sit, singulorum illa quidem
num præfectos eos habet, quos à speculandi & custodiendi
nere Episcopos appellamus: sub vno tamen tanquam instruc
mus exercitus imperatore meret Iesu Christo, eiusque nutu
cum infestissimo hostium genere, libidinibus, voluptatibus
norum, diuitiarum, opum cupiditatibus, reliquisque omni
vitijs, quæ animis nostris interitum afferre possunt, contra
bellum gerit: quo bello quicunque fidelem & strenuum opera
nauarit, ei salutis æternæ & immortalitatis præmium propo
est ac paratum. His de ecclesia præpositis, iam de eius auctho
te disseramus, quo nullus fructuosior, neque hoc tempore
necessarius locus tractari potest. Exorti enim quidam æta
stra sunt, qui ecclesiæ auctoritatem & consensum incessere

temerè aspernantur, atque repudiant. Etenim peruulgato more eorum, quicunque ab ea dissentire vnquam ausi sunt, illam iampridem in maximis erroribus versatam esse confirmant, & veritatem ex densissimis tenebris sua ipsorum opera erutam atque in lucem prolatam fuisse gloriantur: quos contra accurate à nobis differendum est, vt Ecclesiæ auctoritatem aduersus ipsorum calumniam obtrectationemque tueamur, & eorum disciplinam prauam ac pernicioſam esse doceamus. Nos enim maiorum nostrorum vestigijs insistentes, quos longe istis meliores & sapientiores fuisse non dubitamus, sanctissimam parentem nostram ea, qua decet, pietate veneramur, illi nos permittimus, illi credimus, illam audimus, illam secundum Deum ipsum veremur, quæ de diuinis rebus ipsa sentit, sentienda, quæ de humanis præscribit, facienda, quæ vetat, vitanda esse sine vlla dubitatione censemus, ab istis longe dissentientes, qui perinde ac si de anu aliqua delira, & superstitiosa, ac non de sapientissima Christi sponsa loquerentur, eam non modo errare posse insimulant, sed per multa etiam secula errauisse audent dicere. Qui primum bis impie faciunt. Etenim de Deo ipso, non solum de ecclesia detrahunt. Huius enim auctoritatem imminuunt. Illius clementiam, sapientiam, iustitiã omnem tollunt. Nam quid tam alienum fingi potest à cura & prouidentia Dei, qua rebus ille humanis consulit? quid tam dissonum cogitari ab illa eius admirabili clementia & misericordia, qua extremis mundi temporibus humanum genus filij sui sanguine redemit, quam vt tantæ hominum multitudinis, quanta per hosce mille annos extitit, salutem neglexerit? Quid est porro, quod in Dei sapientiam minus cadat, quam inconstantia? quam mobilitas? quam consiliorum indies mutatio? Cuius autem inconstantiæ fuisset, cum homines summis superstitionum erroribus liberauisset, & ad veram religionem conuersos adoptauisset, in tanto eos insistentes honore atque gratia repente sine causa destituere ac deserere, & quasi liberalitatis ipsum & beneficentiæ suæ pœnitere cœpisset, pati eos rursus diuelli à se, rursus pernicioſorum errorum caligine inuolui, rursus in malorum dæmonum potestatem dominationemque recidere? Postremo quid eodem iniustius, quid iniquius esset, si nos hoc demum tempore per istos interpretes tantarum rerum mysteria edocuisset, quæ patres & maiores nostros tam diu celatos voluisset? Nos illis videlicet probiores, nos innocentiores sumus? nos tanto Dei beneficio ac munere digniores? Quænam ista opinionum portenta sunt, quæ non solum res humanas permisceant, verum etiam Deum ipsum conuertant atque alium fingant, ex iusto iniquum, ex constante mobilem, ex benigno immisericordem efficiant? Ille vero contra atque isti eum videri volunt, & summe semper iustus est,

est,& summe sapiens,& summe misericors: neque ecclesiæ salutem vnquam negligit,neq; consilia indies mutat, neq; hominis,quàm illos diligit,nulli,qui summe bonus est,inuidet,omnes saluos esse & beatos studet.Sed vt pressius ad hunc locum accedamus, quid est cur cum euangelijs sine vlla dubitatione credendum sit,non par Ecclesiæ fides habeatur? Num Christus euangelia scripsit?num vt scriberentur ab alijs mandauit? Ille nec vnam literam ipse vllam reliquit: præcepta enim & instituta sua hominum animis inscripsit,vt ab Hieremia prædictum erat, non tabulis consignauit, neque vt literis disciplina sua mandaretur, sed vt concionando prædicandoque per totum terrarum orbem diuulgaretur, Apostolis suis, discipulisque præcepit. Hæc quidem illi libri statim sub eius ascensum in cœlum scripti sed multis annis post,alijs alij & temporibus, & locis, ac communi quidem Apostolorum consilio, sententiaque confecti. Quæ quidem argumento sunt, etiam si euangelia scripta non fuissent,manente tamen Ecclesiæ consensu, sicuti quidem necessario mansurus fuit, ipsam quoque Christi religionem ad eam plenam mansuram fuisse: quemadmodum ad quoddam tempus ante eorum librorum confectionem viguerat. Atqui si tanta Ecclesiæ consensio tantum habuisset auctoritatis & poderis, vt nulla desideranda fuerit scriptura, cur editis euangelijs minuta est auctoritas existimetur ecclesiæ? cum præsertim quantum quisque eius fide imminuerit,tantum sit de ipsorum euangeliorum auctoritate detracturus. Cur enim de rebus tam inopinatis, tam admirandis,tã non modo sensum, sed etiã intelligentiæ, & cogitationis humanę vim effugientib. quatuor omnino eorũ literarum auctorib.assentimur? cur neq; fallo quicquam ab eis scripti, nec unquam postea seculis affictũ, detractũ, immutatum ab alijs suspicamur, nisi quod,vt Augustinus ait, ecclesiæ nos ea probante? nunc auctoritas? Quod si ipsi euangeliorũ scriptores pauculis illis libellis vniuersa religionis nostræ mysteria, omnes ritus, omnes ceremonias, cuncta sacrorum mysteriorumq; solennia cõplexi, & persecutos esse testificati fuissent: istorũ causa ecclesiæ cõsulto negligentiũ aliquanto probabilior videretur. Nunc aperte Ioannes admonuit nos, & testatũ reliquit paucis illis literis tantum attigisse se potius, quàm sigillatim enarrauisse Christi Domini nostri acta. Est n. in extremo eius euangelio sic: Sunt autẽ & alia multa, quę fecit Iesus, quæ si scribantur per singula, nec ipse mundus caperet eos, qui scriberentur, libros. Testificatur quidem consulto à se fuisse prætermissa, quæ non modo egisset, sed etiam locutus esset Iesus. In eius n. sermonibus & concionib. memoran prodendis, multo plus operæ, quàm in factis cõmemorandis posuit. Sed quid Ioannis testimonium profero? noane Christus ipse

aperte testatus est, multa se spiritui diuino reliqua fecisse? cum ita dixit: Adhuc habeo multa vobis dicere, sed non potestis portare modo. Cum autē venerit spiritus veritatis, docebit vos omnē veritatem. Num potest igitur dubium esse, quin illis euangeliorum libris minime contineantur vniuersa, quę ad constituendā Ecclesiam, quæ ad fidem, quæ ad religionem, quæ ad ritus, cerimonias que pertineant? cum Christus ipse diserte neget se veritatē omnē docuisse, sed venturum Spiritum sanctum esse: cuius afflatu Apostoli reliqua edocerentur omnia, quæ ipsi, eorumq; deinceps successores per manus, vt ita dicā, ecclesiæ traderent. Atqui vbi illa tam multa perscripta sunt, quæ à se prætermissa Dominus, & spiritui diuino reseruata esse dixit? Num eo cōmentariolo, qui acta Apostolorum inscribitur? At is non modo non reliquorū Apostolorum, sed ne ipsius quidē Pauli, de cuius vnius rebus gestis scriptus videtur, omnia acta complectitur. Num ergo pauculis illis Pauli, & Apostolorum aliorum quorundā epistolis continentur? Primum quis id plane cōpertum atq; exploratum habet? Nusquā n. Paulus, nusquam reliqui earum auctores hoc scriptum reliquerunt: neq; se epistolas illas eo consilio scripsisse sunt testati, quo omnia, quæ edocti à diuino spiritu fuissent, illis epistolis consignarent. Deinde quis ignorat, illas scriptas fuisse ad corrigendos conformandosq; eorum mores, qui Christo initiati iam erant, & quæ ipsos credere & sentire oporteret, acceperant? ad stabiliendā in illorum conuentib. amicitiam atq; concordiam? deniq; in eam potissimum sententiam conscriptas, quā ipsorum, ad quos mittebantur, temporis ratio postulabat? vt si quæ inter eos altercationes, cōtrouersiæ, æmulationēsue excitatæ fuissent, sedarentur: si minus honeste & sancte viuerent, castigarētur: si à pseudoprophetis abducti ac decepti fuissent, ad rectā fidē reuocarentur: si ad fingenda charitatis officia segniores essent, incitarentur. Huiusmodi n. fere sunt illarum epistolarum argumenta. Scriptæ enim sunt vt dixi, ad eos, qui iam Christo credidérant, & quid credendum ac sentiendum esset tenebant. Id quod intelligi licet ex ipsis epistolis: tametsi multa quoq;, vel dicā plurima, in illis recōditiora attingi solent. Sed quæ illis literis significabantur interdum potius, q̄ explicabantur, ea ijdem Apostoli, quum cōuentū aliquē Christianorum hominum adijssent, vberius docere, & alia præterea multa tradere, viua, vt dici solet, voce, consueuerant. Id quod indicat ille ex epistola Pauli ad Thessalonicenses locus: Itaque fratres state, & tenete traditiones, quas didicistis, siue per sermonem, siue per epistolam nostram. Quibus verbis significat illis se tradidisse nonnulla, quæ non scripsisset. Idē ad Corinthios ita scribit: Cætera, cum venero, disponam. Et alio loco: Laudo autem vos fratres inquit, q̄ per omnia mei memores estis, & sicut

tradidi

tradidi vobis, instituta mea tenetis. Timotheo vero scribens, igitur, inquit, mi fili confortare in gratia, quæ est in Christo & quæ audisti à me per multos testes, hæc commenda fideli hominibus, qui idonei erunt & alios docere. Ea certe, quæ Thessalonicensi Ecclesiæ se tradidisse significat, tum instituens se, cum Corinthum venisset, ac traditurum Corinthijs polliceretur, scripta nusquam sunt: sicuti ne illa quidem, quæ Timotheo ab ipso accepisse scribit, neque omnino aliquid eorum, quæ ante multis ab se peragratis locis docuerat, constituerat, gessit. Quod vero Timotheo præcipit vt illa, quæ ab ipso didicerat, cæteros homines edoceat, alijs eadem deinceps traditurum: nonne ex eo intelligi licet multis de rebus, quæ literis mandatum erant, edoctam ab Apostolis recentem illam Ecclesiam fuisse, quæ Apostolorum successores Episcopi ab eis accepta ipsi rursus successoribus suis Ecclesiæque tradiderint? Id quod cum Ireneus, ille vir sanctissimus, in eis libris, quos aduersus hæreses conscripsit, tum alij locupletissimi auctores multi testati sunt: nempe Apostolos in ecclesiæ tanquam thesaurum, diuitias congessisse scientiæ suæ doctrinæque cœlestis: vnde perpetua succedentium sibi deinceps Episcoporum dispensatione omnis veritas promeretur. Itaque doctrinam illam institutionemque Apostolicam, certissimam veritatis regulam Apostolus & fidei normam constituit, & ab ea institutione recedi prohibuit, etiam si angeli cœlestis aliter docerent. Sic enim ad Galatas scripsit: Cæterum etiam si nos, aut angelus è cœlo, prædicauerit vobis euangelium præter id, quod prædicauimus vobis, anathema sit. Quemadmodum nunc diximus, & nunc iterum dico, si quis vobis prædicauerit euangelium præter id, quod accepistis, anathema sit. Non dixit, si quis vos docuerit, aliter quam Matthæus, aut Lucas, aut Marcus, aut Ioannes scripsit, scripturusue est, aut aliter quam ipsi scripsimus. Nullius scripti ille euangelij, nullius epistolæ mentionem facit. Quid ergo ait? præter id, quod prædicauimus vobis, hoc est aliter quàm coram vos docuimus, & concionando tradidimus vobis: & præter id, quod accepistis, hoc est audiuistis, & coram didicistis à nobis. Si igitur Christus cum discipulos suos instituens permulta reticuit, quæ spiritui sancto reseruanda putauit: atque omnia quidem, quæ illos docuit, literarum monumentis ab illa sacris historiæ scriptoribus sunt mandata: si ne Apostoli quidem, quæ aut à Christo acceperant, aut à Spiritu sancto hauserant, scriptura persequi singula curauerunt: sed ex ijs, quæ didicerunt, quædam sine scripto aliquo ecclesiæ tradiderunt: nonne ea, quæ in sacris literis aut omnino prætermissa, aut certe subobscurè posita forent, assentiri nos Ecclesiæ, eiusque testimonio credere, tum Christus, tum Apostoli diuino afflati spiritu voluerunt?

Nam

Nam si futurum erat, vt ecclesia ea, quę accepisset, non fideliter retineret, cur non aut Christus disciplinam suam mandari literarum monumentis iubebat? aut Spiritus sanctus Apostolos monebat, vt scribendo potius, quã concionando ecclesiam erudirent? Nonne negligentes euangeliorũ scriptores fuerint, inconsiderati Apostoli, Christus improuidus, Spiritus sanctus futurorũ ignarus si illos obtrectatores ecclesiæ audiamus? Quod si quis etiam pertinacius contendet, nihil in sacris libris omnino prætermissum fuisse, quod ab homine Christiano sentiendũ atq; tenendum sit: ita tamen concedere cogetur aliquẽ esse eorũ librorũ interpretem oportere. Etenim si aut eorũ scriptores adhuc viuerent, aut illi vocales essent, ac seipsos quotiescunq; aliqua de re altercatio oriretur, explanare possent: alium profecto interpretem nullum requirerent. Nunc auctoribus mortuis, vel potius meliore & beatiore vita fruentibus, nullam illi libri possunt explicandi sui causã vocem mittere. Muti enim atque elingues sunt, quare interpretem & tanquam lumen desiderant: vt quæ obscure posita in eis sunt, declarentur, quæ ambigue, distinguantur, quæ præcise & nimis breuiter, dilatentur: postremo vt quæ pugnare nonnunquã videtur, consentire ea inter se & congruere perspicuũ ac planum fiat. Hoc autẽ interpretandi & explanandi munus non erunt profecto tam impudentes aduersarij, qui Ecclesię id eripere conentur, etiam si ad Pontificem Max. eiusq; consiliũ pertinere negauerint: quippe qui vt reliqua fere huiusmodi hominũ genera, hostes sese illius sanctissimę sedis profitentur acerrimos. Atqui frustra hoc munere Ecclesia fungatur, nisi Spiritus sanctus ei semper adsit, qui illam errare nunquam sinat. Non est autẽ consentaneũ Spiritum sanctũ, qui minime labi patiatur ecclesiam in sacris interpretandis literis, pati eandẽ tamen superstitione opprimi, & vanis ac diuinorũ librorum sententię repugnantib. opinionib. imbui. Non n. hic illo minus turpis, nec minus perniciosus Ecclesiæ error sit. Ita eo, quo minime volunt, reuoluentur. Sequitur enim, vt etiam si quid Ecclesia teneat, quod non sacrarum literarum testimonijs confirmari posse videatur, eam tamen hallucinari nequaquam putandũ sit. Nefas n. id profecto est suspicari: neq; dubitandum est, quin sententiam illam Ecclesia ab Apostolis ipsis veritatem omnem diuinitus edoctis acceptam retinuerit. Quam multa enim sunt, quæ minime in controuersiam vocantur, cum tamen de eis nulla proferri ex sacris literis possint testimonia. Vbi enim scriptum est Spiritũ sanctum ex patre simul & filio procedere? Id tamen ne Lutherus quidem aut quisquam alius ex aduersarijs in dubium reuocauit. Quid? Mariam sanctissimam Domini nostri matrẽ post cœlestem illũ partũ, nullos liberos genuisse, virginẽ perpetuo mansisse ecquo loco scriptũ est? nullo profecto. Id tamẽ

Ecclesia credit, neq; ab ipsius consensu hac de re isti aussi fuerit sentire. Quid? infantes pueros Christo initiari posse num ab scriptum est? ne hoc quidem: eos tamen Ecclesia initiandos suit, ipsis etiam approbantib. aduersarijs, qui de hoc ipso vel ximè cum Anabaptistis dissident. Quid? eos quos semel hoc prauis de religione opinionib. infecti, & ea re ab Ecclesia segreti Christo initiauerint, iterum initiari non licere? nusquā ne hoc quidem habetur in sacris libris. Quod si confessione ipsorum uersariorum constat, & hæc & alia multa, quæ homini Christiano suscipienda atq; credenda sint, minime scripta esse, nunc fateri coguntur standum esse iudicio & consensu Ecclesiæ, etiam si non omnes illius opiniones & decreta perspicuis dimanent librorum testimonijs comprobentur? Aut si errare illam pro estimant, cur tantis de rebus fidem illi sine dubitatione vlla dam putant? Quid? quod si hac Ecclesia conditione sit, vt possit, omnium conciliorum acta & decreta infirmentur & ruant? Quid enim afferri potest, cur si Ecclesia errore duci possit non illi etiam sacerdotes, qui ad ea concilia conuenerant, & de rebus ad fidem ac religionem pertinentib. non solum ad gubernationem Ecclesiæ, perperam statuere, & iudicare poterunt? Nihil igitur actum fuerit Nicæno illo trecentorum & decem cto patrum concilio, nihil Chalcedonensi, nihil ijs, quæ Ephes. Constantinopoli, tot alijs in locis fuerunt habita, quæ partim totius Christiani nominis communia extiterunt: partim alicuius nationis propria: partim ex medio quodam genere: quorum actis in dubium reuocatis, quæ, bone Deus, ecclesiæ caligo, quæ nox, quæ tenebræ offundentur? quippe omnes enim, qui iam inde ab excessu Christi fuerunt, impiorum & turbulentorum hominum disciplinæ, illorum conciliorum decretis & auctoritate refutatæ atque extinctæ reuiuiscere poterunt: atq; adeo alijs temporib. reuiuiscent: cum nunquam leues & seditiosi homines defecturi sint, qui commutationem rerum cupiditatibus suis vel honoris vel gloriæ opportunā, & eorum quorum dignitati inuideant, inutilem fore sperent. Existat igitur aliquis, qui Arrij dogma defendens patrem filio maiorem esse dicat. Quid huic furioso homini respondebis? Num illum ab eo furore Nicæni illius auctoritate concilij deterrebis? at ille nihil sibi illius obstare auctoritatem, aut decreta dictitabit: & in eo sese vehementer iactabit, quod, cum vniuersa Ecclesia errare possit, multo facilius sacerdotes, minima Ecclesiæ particula, labi falliq; potuerint? verba etiam Christi secū facere dicet, quib. patrē maiorem esse confessus est. An distingues, & quæ sit illorum verborum sententia docebis? At is ea verba mordicus, vt aiunt, tenebit: negabit interpretatione esse opus: plana, aperta, perspicua esse vociferabitur.

rat. An proferendis alijs ex sacra historia locis illum refelles? At nullum proferre poteris tam apertum, tam facilem ad intelligendum locum, quin ille sese explicet, eiusq; loci sententiam captiosa aliqua & callida interpretatione nihil aduersari contendat opinioni suæ. Nihil est enim hoc hominum genere pertinacius, nihil pleriumq; versutius, & captiosius. Nec vero vllum praui alicuius dogmatis auctorem tam sacrarum literarum imperitum, aut tam rudem accepimus fuisse, qui non aliquibus cùm aliorum diuinorum librorum, tum ipsorum euangeliorum verbis impiam opinionem suam confirmare, & vt ita dicam, fulcire conaretur. Equidem nemini diuinorum librorum vel nomen sanctius, vel auctoritatem grauiorem, quam mihi videri arbitror: neque hoc, quod timide sum dicturus, ita accipi velim, quasi aut eorum fidem eleuare, aut homines ab illorum lectione velim deterrere. Non sum tam impius, ne tam imprudens quidem. Tamen hoc dico, nisi verissima eorum librorum interpres existimetur Ecclesia, fitq; eius in illis enodandis explanandisq; auctoritas, vt debet, grauissima, nihil fide nostra futurum instabilius, nihil opinionibus mutabilius. Etenim sacræ, quæ vt sunt, ita appellantur literæ, sunt illæ quidem ab hominibus diuino ipso exceptæ dictante spiritu, neq; illis quicquam esse potest auctoritate grauius, veritate syncerius: ad quas si quis intelligendas interprete ac duce vtatur Ecclesia, offendere ac labi nunquam possit. Verum si quis vastum hoc & scopulosum, vt ita dicam, mare infirmo consilsus ingenij suo nauigio ingrediatur, & in Ecclesiam tanquam in clarissimos scopulorum, & in portum peruenturum esse confidat, is modo ad scopulos appellatur, modo ad vada & breuia adhæresçat. Nihil eo est mari specie tranquillius, nihil temere ingredienti reuera periculosius. Nec alia profecto causa est, cur iam inde ab ortu religionis nostræ tam multi non modo illiterati homines atq; hebetes, sed summis ingenijs, & summa doctrina præditi naufragia fecerint, & horum studiorum tanquam gurgitibus voraginibusque demersi sint nisi quod ingenia sua magnopere mirantes, auctoritatem Ecclesiæ contemnentes, non vt meliores fierent, sed vt maiorem sibi eruditionis & sapientiæ gloriam cõpararent, ad hæc se studia conferebant. Sed vt eo referat se, vnde est digressa, oratio, si, quæ concilijs omnibus acta, decreta, dijudicata fuerint, in cõtrouersia vocabuntur, si ea firma, si rata non erunt: quod certe futurũ est, nisi grauis Ecclesiæ habeatur auctoritas, nõne obscura omnia, controuersa, dubia, incognita, incerta erunt? Nonne restat tanquam impietatis claustris repente seditiosorũ hominũ agmina in Ecclesiam erumpent: noui eã inuadent Arrij, noui se inferent Eunomij, noui existẽt Macedonij, noui exorietur Pelagij,

noui Sabellij volitabunt. Quid igitur istorum opinione, vel ipsa magis impium, vel exitu magis periculosum fugi poterit. Ecclesiam errare posse tam temere imprudenterque confirmant. Qui si humanis rationibus conuinci se, & refutari minime patientur; ne Christi quidem & Apostolorum auctoritate de loco praua impiaque sententia depellentur? An non Christus vna cum discipulis suis, hoc est vna cum Ecclesia se commoraturum esse, & mansurum vsque ad consummationem seculi spondet? Non idem discipulos suos paulo ante obitum suum hac est ratione consolatus? Ego rogabo, inquit, patrem, & alium paracletum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum, spiritum veritatis. Quod cum discipulis suis promittebat, non illis duntaxat una cum eo discubuerant, promittebat, sed cunctæ nimirum ætati in illius versabatur animo, pollicebatur Ecclesiæ. Illi enim non ad tempus victuri. Hęc autem vsque ad consummationem seculi erat permansura. Quid ille gentium Doctor, electionis vas, euangelij tuba, columen Ecclesiæ Paulus, qui in cœlum vsque erat, quæ in terris expromeret: nonne priore ad Timotheum epistola tantam Ecclesiæ auctoritatem attribuit, vt eam firmamentum & columnam veritatis appellet? Cuius igitur insciam ecclesiæ scitię autem? immo vero cuius impietatis, fidem Ecclesiæ Catholicæ abrogare, eamque insimulare iampridem erroribus infectam, & anilibus infectam superstitionibus fuisse: quam Christus nunquam deserit, nunquam relinquit? quam Spiritus sanctus, spiritus inquam veritatis afflare, fouere, vegetare nunquam desinit? quam Apostolus columnam, firmamentum, robur veritatis nominare non dubitat? quæ si iam diu errauisse, aut omnino errare posse censeatur, non solum de eius auctoritate, sed etiam euangeliorum fide, de diuina clementia, sapientia, iustitia detrahatur: euangeliorum auctores, Apostoli, Christus ipse, & Spiritus sanctus culpam grauissimam non effugiant: omnium denique conciliorum actis rescissis, summa disciplinæ, religionis, doctorum, perturbatio: summa diuinarum & humanarum rerum omnium confusio consequatur? His rationibus tetimeritas conuicti aduersarij concedant profecto necesse est tanquam errore duci posse Catholicam Ecclesiam. Verum aliam quandam ipsi commentitiam Ecclesiam, cum à vera descierint, non absimilem illi ciuitati Platonicæ introducunt. Ex quibus si quis scitetur, quęnam ea sit, & quibus regionibus tam diu abditam cognitaque latuerit, nonne ipsos pudere commentorum suorum oporteat? Negarunt eorum nonnulli illos, qui delineant, deesse in Ecclesia numerandos: quo quid imperitius dici potest? quid insita omnium animis Ecclesię notione alienius? Quis enim non Ecclesiam dici audit, non cœtum omnium Christo immorum

intelligitur sunt in eis plurimi non iusti plane, non continentes, non integri. Esto, quotus enim quisq; non interdum delinquit? non aliquando ab religione officij declinat? nunquã in hoc tam lubrico vitę mortalis curriculo, plabitur? Si dixerimus inquit Ioannes, quoniam peccatũ non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est. Quid? ecclesia non quotidie Deũ precatur, vt sibi debita, hoc est peccata sua cõdonet ac remittat? & quidẽ illa precandi formula ab ipso est Christo Domino nostro cõposita. Quid? Paulus, non ea epistola, quę est ad Corinthios, Corinthiorum Ecclesiæ mores & vitia, seueriſsima oratione reprehendit, cum eam tamen epistolam Ecclesię Corinthiorum inscripsisset? Quid? ea, quam ad Hębreos scripsit, nonne cũ illa verba ex Deuteronomio protulisset, Dominus iudicabit populum suũ, adiunxit: horrendũ est incidere in manus Dei viuentis? quos autem terrebat? quib. metũ injiciebat? nonne delinquentib. atq; improbis? eos tamen ipsos quoq; Dei populũ appellat. Quid sibi autẽ illæ Domini nostri similitudines volunt, regnũ cœlorũ (sic n. appellare solitus est Ecclesiã) modo decẽ virginib. partim fatuis, partim sapientib. comparãtis: modo verriculo pisces bonos & malos cõtinenti: modo segeti tritico lolioq; permixtę? Quid aliud intelligi voluit, nisi eam ex duob. hominũ generib. constaram esse, & cõstitutã, vno eorũ, quos electos vocamus: altero eorũ, quos reiectos dicere possumus, qui scelerũ suorũ æterna sunt supplicia depensuri: quos tamen, quoad viuunt, non ex hac Ecclesia sua ejicit, non exterminat mitis & misericors Dominus: sed retinet, & vt ad recte viuendũ præceptisq; suis obtemperandũ conuertantur, exoptat. Is enim qui dixit, nolle se mortẽ peccatoris, sed vt conuertatur & viuat. Quo ergo tẽpore boni separabuntur ab improbis? quando hic delectus habebitur? Tũ, quum summus ille & extremus dies venerit, quo iudiciũ de vniuerso genere humano futurũ est. Tum n. omnes vitę & factorũ suorũ rationem dabunt. Tum lolium à tritico secernetur. Tũ fatuę virgines segregabuntur à sapientib. Tũ pisces nequam à suauib. discernentur. Tum paleis, vt Ioannes inquit Baptista, cõbustis triticũ ipsum in horreo recondetur. Quod si ex solis electis Ecclesia constaret, ne infrequẽs admodũ esset? Multi n. vt est in sacris literis, sunt vocati, pauci vero electi. Deinde nulla satis certa nota agnosci posset, quo enim signo ij, qui salui futuri sunt, ab eis internoscantur, qui sint propter ipsorum scelera ad inferos detrudendi? cũ nec simulata viæ sanctas facile dijudicetur à vera: & eorũ, qui impure ac flagitiose ad quoddam tempus vixerint, nonnulli ad bonam se, vt dicitur, frugem recipere soleant, atq; ex pristinis vitijs diuino auxilio emersi, continentię specimen post, & integritatis existant? contraq; qui pertinaciter aliquãdiu vixerint, non raro immutentur, & anteactã

vitam retexant? Atqui Ecclesia non eiusmodi esse debet, q
gnoretur, & aspectum ac sensum effugiat: sed aspectabilis,
mnib. nota: quo concilia conuocari atq; haberi possint tem
bus Ecclesiæ postulantib. quo omnes, qui saluos esse se cu
cõmunem parentẽ, quęnam ea, & vbi sit, nouerint, ad q
gregare, cui consentire, cuius auctoritatẽ sequi, pro qu
stare cõmotis dissensionib. debeant: id quod tanti refert, I
priano, & alijs viris sanctissimis credimus, vt qui ab ea
sit, quamuis pie atq; integre viuere, quamuis constanter
fortiter pro Dei religione emori videatur, tamen salu
lumis esse nequeat. Quid, quod si vniuersa ecclesia ignit
ralis, qualẽ eam nonnulli finxerunt, ne singulares qui
siæ, quæ illius partes sunt, & tanquam membra, notæ
& notas esse, & quibusdam ex causis nonnunquã adire
ipse nos docuit. Si peccauerit inquit, in te frater tuus, vad
gue eum inter te, & ipsum solum, si te audierit, lucratus
tuum. Sin autẽ te non audierit: adhibe tecum adhuc vnum
os: vt in ore duorũ, aut trium testium consistat omne verbu
Si nõ audierit eos, dic Ecclesiæ. Quod si Ecclesiã non audier
tibi velut Ethnicus & publicanus. Cuiusmodi Ecclesiam
deferendæ quęrelę causa Dominus noster iubet? ignoram
aliquam, atq; incognitã, & eiusmodi, quæ ex innocentib.
xat, aut certe electis hominib. constet? At ad eã, quę nostra
quo pacto aspirare quisquã possit? quę puram inquinat
disciplinã & instituta retineat: optime. Verũ fac imperitum
piam ac rudem hominem consilium cepisse deferendi ad Eccl
querimoniam suam. Qui statuere poterit, num pura sta
lij disciplina ab illo cætu retineatur suo? Nã qui hoc vel diligen
perpendere, vel explorate iudicare possit: is nec mediocriter
ctus, & valde sapiens sit necesse est. Quid igitur agat? quid
capiet? Nẽpe conueniendus illi prius, & consulendus erit
ex istis verissimis, vt sibi videntur, euãgeliorum interpretib.
erudiatur, & discat, ea ne, quã adire velit, Ecclesia vera, an
rum cõuentus sit. Fac tanti esse ad quos potissimum tã pau
disciplinæ causa se conferet? neq; inter se de hac parte
sentiunt: sed vehementer digladiantur & pugnant, dum
puriores nimirum & doctiores videri volunt: qua de re
sensione alio agetur loco. Nunc concedant necesse est Chri
de illa Ecclesia minime locutum esse: quã ipsi sibi imagi
tione depinxerũt: sed de ea q̃ omnes nouerint, quę certo
sistat, quę cogi, quę adiri possit: ex qua ne illi quidẽ
pellendi & eijciendi sint, qui interdũ peccent, & iniurijs
fratres suos. Nã quod ecclesia Catholica, sancta, vt est,
re solet: admonendi sunt imperitiores homines, eius

verbi vis sit, ac significatio. Nam primis illis Ecclesiæ temporibus sanctivocabantur, quicunq; Christo nomen dedissent, eiusque Ecclesiæ ascripti fuissent. Indicant id verba illa ex extrema Pauli ad Philippenses epistola: Salutate omnem sanctũ in Christo Iesu. Et illa ex inscriptione prioris ad Corinthios epistolæ: Ecclesiæ Dei, quæ est Corinthi sanctificatis per Christum Iesum vocatis sanctis. Sanctos vocat Apostolus, qui Christi cultum ac religionem asciuerant: tametsi ex illis multi minus sancte intergreque viuebant: id quod ex grauissimis eius licet obiurgationibus intelligi. Idcireo autem tum a Paulo, tum ab alijs antiquis auctoribus Christiani homines hac insigni appellatione honestabantur, quod semel certe cum se Christo deuouerant, remissis sibi & condonatis omnibus sceleribus & peccatis, quæ ante sanctissimum illud cœlestis militiæ sacramentum commiserant, iusti & sancti effecti erant. Ecclesia item vacare macula, & ruga dicitur: non quin peccatorum sordibus inquinati in ea permulti insint: sed quod eorum fides nulla prauarum opinionũ labe aspersa infectaq; est. quanquam illo vniuersi generis humani iudicio facto proborum illud hominum electorumq; concilium, omnibus delictorũ sordibus expiatis expers macularum omnino rugarumq; futurũ est, de qua nimirum tam casta, tam pura, tam munda Ecclesia Paulus ea, quæ est ad Ephesios epistola mentionẽ his verbis facit: Viri diligite vxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam, & semetipsum exposuit pro ea, vt illam sanctificaret mundatam lauacro aquæ, per verbum, vt adhiberet eam sibi ipsi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam, aut quicquam eiusmodi: sed vt esset sancta & irreprehensibilis. Verum nos de ea in præsentia loquimur: quam Christus tum reti in mare iacto cuiusque generis pisces inclusos continenti: tum decem virginum choro, quarum quinque fatuæ erant, totidem sapientes: tum tritici segeti lolio distinctæ similem esse dixit: de ea, quæ nondum aut pro fide & rectè factis præmium accepit: aut pro delictis supplicium, ac pœnam subijt: quæ in hac mortali vita stipendia merere: quæ in acie stare, quæ pugnare dicitur: quæ fidei vinculo longe arctissimo capiti suo Christo annectitur. Cuius fidei tanta vis est, ac tanta dignitas: vt ne eos quidem, qui delinquere soleant: quibus illa modo insit, Spiritus ille diuinus indignos ducat, quibus munerum & donorum suorum vtatur dispensatoribus: quorum opera, & ministerio vel peccatis hominem liberet, per aquæ primum salutaris immersionem, iterum & secundo per solennem delictorum confessionem: vel cœlesti eos cibo reficiat: vel afflatu suo corroboret ac confirmet: vel matrimonij fœdere sociatos non dissolubilibus vinculis astringat: vel affectos morbo sacri vnctione olei lustret atque expiet. Quod

si propter ministrorum indignitatem diuina essent irrita an-
inania munera: nimis iniqua profecto & dura Ecclesiæ cond-
statueretur: neque id esset magis sacerdotibus ipsis, quam
quis, captiosum. Constituta igitur nō humanis solum argumen-
tis, sed diuinis etiam testimonijs auctoritate Catholicæ Eccle-
siæ, quam nec errare ipsam vnquam posse, nec alios in fraudem
impellere demonstratum est: omnes, quæ cuiquam offundi pos-
sent, errorum tenebræ facile discutiantur & euanescant: si mo-
do animus & mens semper ad columnam illam & firmamentum
veritatis Ecclesiam referatur. Vt enim lydio lapide aurum exple-
ratur, & probum ab adulterino facile internoscitur: in quo fi-
de syncerum, quid instituto rectum sit, quid contra, ex hoc sa-
sensu, consuetudineque intelligitur, ac sine vllo errore dijudi-
tur. Cum enim quid illa sentiat, & quæ instituta teneat, animad-
uertitur: quid probandum, aut faciendum: quid rursus damnan-
dum, aut fugiendum sit: obscurum nemini esse potest. Sed & si
perfacilis hæc obseruatio atq; animaduersio videtur: tamen cum
nouarum disciplinarum auctores homines fere esse soleant vasti,
astuti, callidi, ad decipiendos incautos & credulos homines sin-
gulari quodam artificio eruditi: ac modo religionis, modestiæ,
probitatis, beniuolentiæ etiam, in eos, quos inducere velint, si-
mulatione se insinuent: modo eloquentia, & disputandi exerci-
tatione, & sacrarum literarum locis captiose interpretandis offi-
ciant, vt probabilia eorum dogmata, & ad reprehendendum dif-
ficilia videantur: ad eorum dolos, insidiasque vitandas propen-
culi magnitudine animo paratum vnumquemq; & intentum es-
se oportet. Non enim fortunas illi nostras nobis ereptum eunt:
non hac terrestri patria eijcere nos conantur: non existimatio-
ni, non honori, non libertati, nō huic mortali vitæ insidias com-
parant: quæ tamen si nobis eripere conarentur, eorum profecto
consilijs obuiam iremus. Verum non ea petunt: at multo maio-
ra & veriora bona petunt. Id agunt, id moliuntur, vt ex comitatu
nos Christi Dei nostri & conseruatoris abducant: vt ex sinu san-
ctissimæ parentis Ecclesiæ auellant: vt ex cœlesti domicilio de-
turbent. Agitur fides: agitur religio: in qua spes omnis & ratio
æternæ salutis, immortalitatis, felicitatis nostræ sita & locata est.
Agitur, vtrum Dei filij, fratres Christi, mentium beatissimarum
consortes, cœli incolæ simus: an tam ingentium atq; admira-
lium bonorum spe assequendorum deiecti æterna apud infer-
impiorum supplicia subeamus? Quamobrem aduigilare, ascen-
dere, adesse animo oportet: si qua in re ad credendum & assen-
tiendum minimè procliuem esse conuenit: id quod semper sa-
pientis est habitum, in hac longe omnium maxima cautissimi &
consideratissimi esse debemus. Sed quo aduersus fraudes ac do-
los cal-

los callidissimorum & maximè insidiosorum hominum munitiores & cautiores simus: illa semper Domini nostri oracula in animo nobis & in intimis sensibus hærere, & infixa esse debent. Is enim de salute nostra sanctissimo suo sanguine redempta sollicitus futurum prospiciens: vt in Ecclesia sua pseudoprophetæ & pseudoapostoli omni tempore existerent, sedulo nos diligenterque præmonuit, vt ab hoc hominum genere caueremus: ne nos simulata eorum pietate induci, ne apposita ad fallendum oratione decipi sineremus: ne illis fidem haberemus: ne si mirabilia quidem facinora ac præter naturam efficerent: Tunc si quis vobis, inquit, dixerit, ecce hic Christus, aut illic, nolite credere. Surgent enim pseudochristi & pseudoprophetæ, & dabunt signa magna & prodigia: ita vt in errorem inducãtur, si fieri possit, etiam electi, Ecce prædixi vobis. Si ergo dixerint vobis, ecce in deserto est, nolite exire: Ecce in penetralibus, nolite credere. Pseudochristos & pheudoprophetas Dominus appellat turbulentos homines commentitiorum dogmatum auctores, & prauarum disciplinarum magistros: qui cum à Christo defecerint, eius tamen Apostolos se, & spiritus diuini interpretes esse ementiuntur: quorum furori obnoxiam fore Ecclesiam prædicit. Tunc si quis, inquit, vobis dixerit, ecce hic Christus, aut illic, nolite credere. Quam apte, cum imitatus eorum orationem est, tum etiam arrogantiam expressit? Semper hic eorum mos & consuetudo fuit, vt Christum alibi negarent esse, quam vbi eum ipsi monstrarent, ac docerent: vt se verius sentire, quam vniuersam ab ipsis dissentientem Ecclesiam dictitarent: vt etiam si vno tempore quamplurimi existerent quam maximè distracti inter se opinionibus ac lententijs, vnus tamen quisque eorum disciplinam suam reliquis omnibus rectiorem, sanctiorem, cum Christi disciplina iniustisq; coniunctiorem, & sibi ipsi persuasum haberet, & cæteris persuadere conaretur. An non nostris quoq; temporibus animaduertere licet huius generis hominum spiritus atque insolentiam? Quid enim Lutherani? nónne certos se esse Christi internuncios, veros Euangeliorum interpretes gloriantur? solis sibi Christum notũ, solis singulari atq; eximio Dei beneficio omnia, quæ maiores nostri ignorauerint, cognita atq; comperta? Nónue iam diu latentem atq; abditam veritatem sua ipsorum opera patefactam atq; illustratam dictitant fuisse? & humanum genus pluribus & inueteratis erroribus liberatũ? Hæc illi quidem gloriari reliquorum more pseudoprophetarum solent. At vanæ ipsorum & subdolæ orationi Dominus assentiri nos vetat: Nolite inquit, credere. Num verbis tantum? imò ne ostentis quidem atque prodigijs. Sequitur, Ecce prædixi vobis, hoc est, præmonui vos: nempe vt ab eis caueretis: ne vos magnificis & speciosis ec-

rum dictis, neu admirabilibus factis in errorem & fraudem in
pelli patiamini. Addit, si ergo dixerint vobis, ecce in deserto e
nolite exire: ecce in penetralibus, nolite credere. Quàm aman
ter, quam accurate præcipit, atque inculcat nobis, vt ne fallac
eorum & insidiosa oratione moueamur: vt ipsum nec in solitu
dine ac desertis locis latitantem: nec in tenebris atque angulis
abstrusum credamus esse: sed in clarissima luce assidue, & media
Ecclesiæ suæ frequentia cõmorantem? Quid hac admonitione
Domini amantius? quid prædictione porro verius dici potest?
Nónne simul ac ille in cœlum remigrauit, ea quæ de nouis do-
gmatũ auctoribus vaticinatus fuerat, continuò euenerunt? Nam
primum Simon ille Samarites exortus est, quod prodigium bone
Deus? quod portentum? qua superbia? qua arrogantia? qui se
etiam summum Deum existimari voluerit, & artium magicarum
præstigijs veneficijsq; perfecerit, vt complures decepti diuinis
lum afficerent honoribus. Hic princeps Ecclesiam nondum pla
ne constitutam vexare cœpit, & tanquam fax seditionum plu
marum fuit. Huic enim nec arrogantia, nec impietate inferior
discipulus eius successit Menander, à quo Menandriana orta est
hæresis. Ex eodem fonte manarunt Saturninus ille Antiochenus,
cuius sectatores Saturniniani sunt vocati, & Alexandrinus Basili-
des, qui cum nouarum ipsi quoque sectarum principes esse ma-
lent, noua opinionum portenta commenti sunt. His Gnostici in-
signi admodum titulo successerunt, quorũ auctor fertur extitisse
Carpocrates, quorũ disciplinam memoriæ proditum est maximè
flagitiosam: nomini minimè congruentem fuisse: quamquam
sunt, qui Gnosticos à Carpocratianis separent. In eadem Simo-
niana hæresi post Cerinthus fuit: tametsi noua is quædam eaque
maximè impia dogmata introduxit. Huius autem & superiorum
omnium absurda & detestanda commenta Valentinus nouis vo-
cibus fabulisq; confictis innouauit. Cuius ita inuentorum æmula
Ptolemæus & Secundus fuerunt, vt nonnulla ipsi quoq; monstra
pepererint. Extiterat autem iam ante illa imputorum hominum
secta, quæ sibi à Nicolao vno ex illis, qui ab Apostolis institutis
fuerunt diaconi, nomen imposuerat: cum eum tamen flagitiosæ
illius disciplinæ nequaquam auctorem fuisse quidam scriptum
reliquerint. Fuerant etiam Hebionitæ auctore Hebione, in quo
propter inopiam & imbecillitatem mentis illa fertur appellatio
maximè conuenisse. Inde aliæ exortæ sunt hæreses, quarum au-
ctores Cerdon, & qui huic successit Marcion Ponticus, à Mar-
cionis discipulus Apelles fuerunt, quorum sectatores sunt Cer-
doniani Marcionistæ, Apellitæ nominati. Secutus est Tatia-
nus, Encratitarum, vt quidam putant, auctor hæreseos, qui
cum Iustini Martyris doctissimi & sanctissimi viri discipulus
fuisse,

fuisset, tanti doctoris disciplinam dedecorans, Cerdonis & Valentini dogmata renouauit. Post hunc Montanus exortus est, quo nullum terrius monstrum fingi potuit. Is fidem & auctoritatem superioribus omnibus derogans, spiritum illum sanctum esse prædicare ausus est, quem Christus venturum, & discipulis suis omnia, quæ ipse reticuisset, enunciaturum promiserat. Itaque inuenta sua non mediocriter commendare conabatur: quippe quæ Spiritus diuini oracula existimari volebat. Atque illa tamen ostentatione tam stolida, non multos modò ab Ecclesia segregauit, sed funestis sacris suis vel maximum piis omnibus odium infamiamq; conflauit. Fecit Montani tam insignis & plane incredibilis arrogantia, vel dicam insania, vt præ eius secta illi ignobiles admodum & contempti fuisse videantur, Quintilliani, Artotyritæ, Alogiani Helcheseitæ, Theodotiani, & qui auctore Nouato Nouatiani dicti sunt: quanquam ne hi quidem mediocriter arrogantes fuisse videri possunt, qui sibi insignem Catharorum, hoc est mundorum titulum vendicârunt, & qui Catharis splendore nominis inferiores esse noluerunt, Apostolici. Cùm tot tamque impiæ seditiosorum hominum factiones Ecclesiam vexauissent, ac tandem aliquando eam constitui & conquiescere oporteret, noua excitata seditio est. Extitit enim Persa quidam, cuius sectam secutis Manichæorum nomen ex eorum auctore inditum est. Is disciplinam quandam ex insanis nefariisque commentis temperauit: quæ partim ipse confinxerat, partim à superioribus acceperat. Huius quoque teterrimi monstri furore perdiu infecta Dei fuit Ecclesia. Prætereo Sabellium, Paulum Samosatenum relinquo, & Paulianæ disciplinæ Photinum defensorem acerrimum. Omitto Nestorium atque Eutychen, illum Nestorianæ, hunc Eutychianæ sectæ principem. Ad Arrium venio, qui maius etiam quàm superiores omnes in Ecclesia incendium excitauit: quod quidem non Alexandriam & Aegyptum modò, verùm etiam Asiam, Bithyniam, Thraciam, Græciam, & magnam occidentis partem corripuit: cùm illius impias opiniones non solùm maximarum quarundam & primariarum ciuitatum Episcopi comprobarent: sed Romani quoque Imperatores Constantius, & post eum Valens acerrimè pertinacissimeque defenderent: adeò vt dissentientes Episcopos, proscriptionibus, vinculis, relegationibusque mulctarent. quo factum est, vt vniuersa Ecclesia diutissimè omni crudelitatis genere vexaretur. Diuisa post tam turbulenta & frequens Arrij secta est. Succedentes enim Arrio Eunomius Macedoniusq; Constantinopolitanus Pontifex, & Aetius, illius disciplinam variè immutatâ studiosissimè defenderût. Ita nouæ seditiones atq; hæreses Eunomiana, Macedoniana, Aetiana,

Arriana, illis sunt auctoribus concitatæ. Ex eodem fonte Arri-
næ impietatis vberrimo Apollinaris quoque suam hausisse
tur nefariam impiamque sententiam. Nec verò prætereundi
dentur ociosi illi & desides Euchetæ, propter insignem eorum
implicatam superstitione crudelitatem: quos ferunt non dispe-
tita, vt oportuerat, habuisse orandi Deum, agendique tempo-
ra: sed sine intermissione vlla ne de quotidiano quidem vitæ
laborantes, precari Deum solitos fuisse: quem illis errorem vel
superstitionem potiùs quædam Christi & Apostoli verba non
rectè intellecta attulerant: quibus credulitate nimia præcipue
runt, qui nudis semper pedibus ingredi sunt soliti, cùm illis
præceptum fuisse accepissent. Donatus initio se ab Ecclesia
taxat separarat. Pòst multis quoque erroribus imbutus ad
suam in Aphrica maximè frequentauit, cui Catholicæ Eccle-
nomen non dubitauit imponere. Priscillianus inde in Hispa-
Gnosticorum & Manichęorum portenta permiscuit: & alia qua-
dam de suo attulit. Ita disciplina quędam varia, multiplex mon-
struosa conflata est. Multæ & variæ post Hieronymi, Augustini-
que temporibus, Iouiniano, Luciferio, Vigilantio, Helvidio,
Pelagio ducibus impiorum hominum factiones Ecclesiam mo-
serunt: ex quibus Pelagiana factio tum ob frequentiam, tum
etiam propter Cœlestij, qui illius tanquam signifer extitit, in-
signem doctrinam atque eloquentiam, maximè nobilium est:
ad quas propulsandas, duo illi summi & sanctissimi viri Hiero-
nymus, Augustinusque, neruos omnes ingenij & eloquentiæ con-
tenderunt. Ex his igitur iam tot ac tam turbulentis, quæ in Ec-
clesia extiterunt, seditionibus, satis opinor intelligitur verissi-
mum illud Domini nostri de futuris pseudoprophetis oraculum
fuisse. Nos quidem perpaucas commemorauimus, plurimas verò
prætermittendas putauimus: non solùm vt satietati lectoris oc-
curreremus: sed etiam quòd propè infinitum videbatur singulas
recensere. Id quod vel ex eo conjici licet, quòd Augustinus eo li-
bro, quem de hæresibus scripsit, centum propè hæreses numerat,
quæ ad illud tempus post Christi in cœlum ascensum extiterunt.
Intererant autem anni tum circiter quadringenti inter Christi
ortum, & illam, qua Augustinus vixit, ætatem. Cùm autem mi-
le & quingenti iam ampliùs anni ad hæc tempora, à die natiuitatis
Christi intercesserint, existimari hinc licet, quantò plures pseu-
doprophetæ seditionum concitatores extiterint inter nos & ad
centum ampliùs annos, quot ab Augustini ætate ad hoc tempus
præterierunt: præsertim cùm tantum iam pridem de religione
ac pietate erga Deum remissum atque imminutum sit, quamprimis
mis illis quadringentis annis pubescentis (vt ita dicam) Eccle-
siæ, quibus vsque eò religio viguit: vt cùm homines à Christi cul-
tu, omni

ru, omni calamitatum & suppliciorum genere persæpe deterrerentur, inuenirentur tamen non dicam aliquam multi, sed agmina interdum hominum cuiusque generis, ætatisque maximæ, quæ certatim ad exquisita supplicia subeunda concurrerent potiùs, quàm à Christo desciscerent. Quod si hæc Ecclesiæ condicio fuit, vt omni ferè tempore huiusmodi in illa dissidia & seditione existerent: quid est, quod quisquam miretur hanc ætate nostra turbulentam tempestatem nonnullorum furore excitatam fuisse? cuius quæ causæ vt commoueretur, extiterint, paulò post exponemus. Nunc illud confirmare non dubitamus, huiusmodi Ecclesiæ perturbationes probis & constantibus hominibus propè exoptandas esse. Vt enim cùm ab iis, qui apertè hostes sunt religionis nostræ, Ecclesia oppugnatur, qui minis supplicijsq; propositis minimè exterrentur, eorum fortitudo & virtus à Deo cognoscitur & probatur: ita commotis huiusmodi tumultibus intestinis, & vexata domesticorum hostium dolis turbulentisque consiliis Ecclesiæ, qui prudentiam in cognoscendis insidijs, consilium in cauendis, constantiam in tuenda Ecclesiæ causa, quamuis multis ab ea deficientibus adhibuerit, is à Deo facilè in optimam partem cognoscitur eius virtus, grauitas, fides: quo perturbatior est Ecclesiæ status, hoc cùm insignis magis, tum ipsi est Deo gratior atque acceptior. Itaque Paulus epistola ad Corinthios: Oportet, inquit, hæreses esse, vt probati manifesti fiant in vobis. Sed vt ad hanc (quæ temporibus nostris exorta est) Lutheranam hæresin veniamus, repetat vnusquisque memoria obsecro illa verissima Christi Domini nostri auguria de pseudochristis & pseudoprophetis futuris, & ipsius amantissima præcepta recordetur. Ita subdola istorum oratio & speciosa vocabula plus valebunt ad detegendas insidias, quàm ad occultandas. Deinde reminiscatur & cogitet ante hos à Luthero conciatos tumultus, quinam esset status Ecclesiæ. Erat enim si non à bello ne à socialibus, vel externis, at ab huiusmodi certè seditionibus & turbis tranquillus maximè & quietus, confutata enim impietatis; damnata Constantiensi illo concilio Ioannis Vicleff, Ioannis Hussi, & Pragensis Hieronymi, trium turbulentissimorum hominum disciplina, sedatisque eis discordiis, quæ diu Ecclesiam perturbârant: Omnes iam occidentis & Septentrionum Ecclesiæ Italiæ, Siciliæ, Hispaniæ, Britanniæ, Galliæ, Germaniæ, Pannoniæ, Sarmatiæ, Noruegiæ, Gotthiæ, Suetiæ mirabiliter inter se consentiebant. Nulla omnino inter eas erat dissensio, nulla controuersia, nulla varietas, de mysteriorum vi atq; numero: de sacrificio: de tertio animorum receptaculo ad expianda delicta constituto: de ratione confitendorum peccatorum: de venerandis iis, qui cœlestium concilio ascripti fuissent: de eo-

de eorum imaginibus: de vita cœlibe sacerdotum: de principatu & iure Sedis Apostolicæ, omnes vnum idemq; sentiebant: Quis etiam vniuersa Gręcorum gens, & Asiaticæ Ecclesiæ sedatis pristinis controuersiis ad Sedis Romanæ auctoritatem redierant, quod idem Armeniorum natio fecerat. Non solùm autem Ecclesia constituta concordia coaluerat: sed iam etiam partum memoria, vt supra demonstrauimus, augeri propagatique cœperat, cùm quidem disiunctissimæ gentes eam terrarum orbis partem incolentes, quam maiores nostri ne habitabilem quidem esse putauerunt: Christi religionem, & ipsam Ecclesiæ Romanæ disciplinam diuino instinctæ spiritu asciuissent. Hic Ecclesiæ eius status, hæc tranquillitas, hęc quies: cùm exortus est Lutherus, qui tantam Christiani nominis pacē turbaret, consensionem quæ meret: qui elatus superbia (quæ omnis mater impietatis est) impulsus odio: quod iam diu in Pontifices Romanos conceptum continebat, repente suæ venenum impietatis euomuit. Eius turbulentam impiamq; disciplinam cum vitæ licentia, quam suis sectatoribus largitur: tum verò ordinis sacerdotum grauis & inueterata inuidia studiosis rerum nouarum hominibus commendauit. Nactus est autem tempus ad excitandam in Ecclesia seditionem opportunum atq; idoneum, propter intestinas regum principumq; discordias. Inuentorum porrò suorum eos habuit emulos, consiliorumq; adiutores, qui non modò illius audacia sunt & impietatem assecuti: quod tamen vix fieri posse videbant, verùm etiam superârunt. Ita repente Christianā disciplinam commutare atque dissoluere, Pontificum Romanorum leges abrogare, maiorum institura conuellere, diuina denique & humana omnia miscere, perturbare, confundere aggressus est, Christi corpus Ecclesiam discidit, ex Christiano populo concordiam sustulit, Sacerdotum inuidiam inflammauit atque auxit, Germaniæ maximam partem à piorum concilio separauit, reliquas nationes solicitare non desiit. Hæc ne obsecro cuiquam fanæ mentis eo auctore accidisse possunt videri, qui, vt Apostolus inquit, pacis est non dissensionis Deus? cui nihil quiete gratius, nihil concordia acceptius, nihil mutua populi sui inter se charitate beneuolentiaque iucundius. Potest ne dubium esse, quin perpetuus Ecclesiæ hostis Satan, per hos satellites & administros suos, has tantas turbas seditionesque commouerit? De quo tamen si quis etiam dubitet, num dubitare diutiùs poterit, si animum retulerit ad eas calamitates, quæ propter turbulenta Lutheri consilia fortissimæ illi, & quondam maximè piæ nationi inciderunt? Etenim cogitet, quoties eius gentis populi ob hæc dissidia ad arma ierint: quoties inter se collatis signis dimicârint: quoties campi humani sanguinis effusione redundârint:

rint: memoria repetat reliqua ciuilium dissensionum damna ac detrimenta, incursiones, vastitates, depopulationesque agrorum, oppidorum direptiones atque incendia. Veniant illi in mentem immania illa facinora, quæ non ad hominum iniuriam, sed ad ipsius Dei contemptionem à religiosis hominibus edita atque parata sunt. Sanctissima templa & contiguites illi sacerdotum domus compluribus in locis ab impia illa Lutheri manu primùm expilatæ atque direptæ, pòst aut inflammatæ, atque à fundamentis dirutæ, aut certè fugatis inde interfectisue sacerdotibus peruastatæ: virgines Deo dicatæ aut expulsæ, aut ex sanctissimis adytis ac penetralibus abstractæ ad nefandas libidines, incestasque nuptias. Quæ ego vidi teterrimi belli & barbarico quodam furore gesti vestigia, cum prorima ætate per Heluetios iter facerem: quo mœrore sum affectus, cùm oculis passim ruinæ templorum atque ædium sacrarum occurrerent? cùm imagines diuorum omnium deletas: cùm illius sanctissimæ crucis, quæ Christum pro salute nostra morientem sustinuit, monumenta fracta vbique, prostrata, conculcata, conspicerem? quo horrore perfusus sum, cùm animum vicissem, & templum quoddam pagi Tigurini primarium, si illud templum nominari fas est, sustinuissem me ingredi, vt oculis subijcerem ea, quæ credere audita non poteram: quæ tum mihi species? quam tetra? quàm horribilis obiecta est? cùm diu contemplans nusquam vllum aræ vestigium aspicere potui, nullam vestem, nullum ornatum, nullum lumen, nihil denique templi simile, præter tectum ac parietes, & pauca subsellia, vt ipsa etiam barbararum efferarumq; gentium delubra maiorem religionis speciem habere non dubitem. Nihil horum, ita Deus mihi propitius sit, à me fingitur, nihil oratione maius fit, quam quantum re ipsa sit. Nota hęc sunt & peruagata & illustria, neque aut testimonium cuiusquam desiderant ad probandum, aut orationis copiam ad augendum. Quo enim pacto illa augeantur? quæ ne pro rerum quidem atrocitate satis dignè deplorare quisquam possit? Erit ne igitur quisquam tam stultus, tam à sanitate alienus, qui tantorum malorum, tam grauium calamitatum, tam impiorum inauditorumque facinorum recordans illudi sibi diutiùs speciosis nominibus veritatis & doctrinæ Euangelicæ patiatur? non facta verbis potiora ad iudicandum existimet? vereatur ne Spiritus sanctus Lutherum ad has commouendas dissensiones impulerit? Quæ porrò istorum impudentia est? qui tantorum facinorum sibi conscij, tamen conuenticulis suis Catholicæ audeant Ecclesiæ nomen imponere? Vt omittam illa, quæ gesserunt. Quid Ecclesiam Dei terrarum orbis angulo inclusam & abditam esse censent? Vbi igitur

igitur illa sanctissimorum vatum oracula, qui eam toto terrarum orbe diffusam fore toties cecinerunt? Vbi Dei promissa, Abrahæ Isaac & Iacob polliciti benedictum iri omnibus gentibus, terræ & futurum semen eorum sicut harenam maris & puluerem terræ, & propagatum iri ad orientem & occidentem, septentrionem ac meridiem? Quid? quod ne tota quidem illa natio ab Ecclesia defecit, magna eius pars singulari Dei beneficio ab hac peste integra inuiolataque permansit: sunt eius adhuc gentis vel clarissimi Principes: sunt viri doctissimi: sunt populi plurimi rectæ fidei religionisque colentes, eiusque propugnatores, vindices, defensores acerrimi: quorum religio, grauitas, sapientia tantò eminet atque elucet magis, quantò se finitimarum eorum dissimiliores præbuerunt. Heluetiorum quidem natio cum diuisa in partes duas sit, ea, quæ in Ecclesia permansit, tantum impietatis odium præ se fert, vt non modò fortunas & omnia vim subsidia, sed vitam etiam, & sanguinem potiùs, quàm verò Dei cultum abiectura esse videatur. Sunt hæc impietatis Lutheri, & totius Lutheranæ disciplinæ argumenta imprimis probabilia. At verò illud vel maximè ad rem pertinet percunctari & quærere, ecquæ nam Ecclesia Catholica fuerit tot seculis, antequam Lutherus natus esset. Hinc enim facilè quiuis eius disciplinam, prauam, falsam, ac pestiferam esse perspiciet, nisi prauis iam antè opinionibus ita corruptus sit, vt à veritate cognoscenda penitus abhorreat. Quæramus igitur ex istis, vlla ne ante Lutherum Ecclesia fuerit: alterutrum respondeant necesse est, aut extinctam illam antea penitus & deletam, hoc demum tempore Lutheri opera reuixisse: aut pusillum aliquem gregem tanquam Lutheranæ Ecclesiæ seminarium mox futurum extitisse superioribus seculis: Si occidisse illam funditus & euanuisse responderint, vbi illa Christi promissa se vsque ad consummationem & finem seculi vna cum Ecclesia sua permansurum? vbi illa tanta fundamentorum Ecclesiæ firmitas, quæ vt Dominus in Euangelio inquit, ne inferorum quidem portæ possint labefactare vnquam atque conuellere? quæ sunt autem inferorum portæ, nisi hæreses? præclarè verò illa fundata super sedem Apostolicam fuerit, si mille abhinc & eò ampliùs annis, nulli ea sede Pontifices rectè desde sentientes sederint: si & ipsi superstitiosi atque impij fuerint, & cuncta vnà cum eis à fidei veritate aberrauerit Ecclesia. Sin superioribus temporibus semper exiguam aliquam fundam dixerint fuisse, quæ Lutheri disciplinam tantò antè, quàm in rerum natura esset, probaret: istuc ariolari & diuinare est. Itaq; vt exclamare omittam & requirere, vbi vaticinationes tot sanctissimorum vatum? vbi Dei pollicitationes de Ecclesia fuisse regionum spatio immensa, hominum multitudine propè infinita?

nita? Illud quæro, quænam hæc Luthero astipulantium turba fuerit? cur non nominant? cur non proferunt? Deinde, si singulari De beneficio ipsi minimè errabant, vtrum animaduertebant errare alios, an non? Si non, igitur ipsi quoque errabant, (nam ipsorum fides & vitæ institutæ aliorum dissimilia fuissent) ex quo ipso profectò, quantoperè errarent cæteri, cognouissent. Ergo ne ipsi quidem ex cœtu piorum erant: ita funditus Ecclesia extincta ac delera erat, quo nihil magis nefandum atque impium dici potest. Sin autem id animaduertebant, cur non ergo istos cæteris indicabant? Quid, eo ex grege nemo nunquã posuit, nunquam veritatem patefacere, nunquam indicare præclatam illam disciplinam ausus est? Cur non humano generi tam inueteratos errores eripere curauit? Cur hoc venturi Lutheri beneficium esse maluit, quam suum? Si gloriam contemnebat, tam erat durus, tam immisericors, tam maleuolus, tam contemptor & negligens præceptorum Domini, vt nõ fratrum suorum cùm posset, saluti consuleret? vt eos pernicioſis superstitionibus oppressos esse negligeret? Si inuidiam metuebat: tam meticulosus erat, tam timidus, tam diffidens Deo: vt vllo periculo deterritus officium desereret? Dei & religionis causam suscipere atque agere non auderet? Sin in Deum culpam conferent, vt ferè faciunt, cùm exitum reperire non possunt: præclara erit & pietatis plena defensio. Rursus igitur quæro, vbi Dei bonitas? vbi rerum humanarum prouidentia? vbi beneuolentia? & misericordia erga humanum genus? cur veritatem tot & tantarum rerum per tot secula ignorari & latere voluit? hac demum ætate Martini Lutheri opera inuestigari & percipi voluit? cur tantam hominum multitudinẽ interire est passus, cum veritate patefacta & cognita posset conseruari? Age si Ecclesia illa hoc nomine, quam isti Catholicam dicent fuisse, sibi quiescendum putabat: quid ita opposita illi altera, quam impietatis & inueteratæ superstitionis insimulant, etiam ipsa quiescebat? Cur Romani Pontifices, quos tyrannos fuisse videri volunt: omittè iuris ac dignitatis suæ semper retinentes fuerunt, tam æquo, vel potiùs lento patiebantur animo illum hominum cœtum cum Romana, cui ipsi præsidebant, Ecclesia dissidere? Cur non ob eam causam concilia conuocabant? Cur de concordia nõ agebant? Quando enim vllum hominum genus aut tam numero exiguum, aut tam locis dispersum ab sede Apostolica discessit: cui non Romani se opposuerint Pontifices & aut adsciscendorum animos Dei auxilio sanauerint: aut in sententia pertinaciter manentes grauissimis eos decretis confixerint? Somnia ista sunt, ridiculaque commenta fuisse superioribus seculis Ecclesiam nescio quam, quam nominare non possunt, nec

docere: ex quo hominum genere constiterit: quemadmodum descripta fuerit: quam orbis terrarum partem incoluerit: cum disciplina, fide, mysteriis Lutheranam Ecclesiam congruere & concordare, quæ si vlla vsquam fuisset, aliquid de ea memoriæ proditum, aliquid annalium monumentis mandatum fuisset: quæ eius alicubi reliquiæ superessent: aut suo illa ipsius iudicio aut aliorum inuestigatione deprehensa fuisset, ac cognita: neque non similia atq; his temporibus, tum quoq; inter Ecclesias annulas extitissent certamina. Quod si hoc, quo aduersarij vtuntur, defensionis genus probabitur: si ad eleuandam Ecclesiæ Catholicæ, & Christianorum populorum contra ipsos stantium auctoritatem & fidem, licebit eis ad Ecclesiam quandam nouo modò inauditam, sed ipsis etiam incognitam confugere, illam esse Catholicam Ecclesiam dictitare, illam esse quæ à diuino spiritu regatur, quæ minimè errare possit: cuius vnius grauis eloquentia debeat. hanc verò nostram, quam nos, patres, auri, proui nostri, ac tam multorum seculorum antiquitas Catholicam dixerit, errare ipsam, & errauisse iam pridem: neq; Christi esse, sed Antichristi Ecclesiam: si in hac inquam commentitiæ Ecclesiæ calumnia delitescere eis licebit, ne apertè impij ac furiosi existimentur, si sine dissimulatione vlla ab Ecclesia Catholica dissentiant: de concordia, de pace, de otio, de quiete, de tranquillitate Ecclesiæ in perpetuum actum est: non hoc modo tempore, sed in posterum etiam seditiosissimus quisq; ad arbitrium suum Dei Ecclesiam perturbabit. Nihil est, quod quisquam speret à dissidiis illam & contentionibus conquiescere vnquam posse. Aliæ ex aliis dissensiones orientur, sine vllo earum remedio. Quid enim turbulentos homines ambitione, ira, odióue peteitos, & instinctu Satanæ concitatos, à vexanda Ecclesia deterrebit? quis impediet, quò minùs vt cuiq; eorum libitum fuerit, sedinones, tumultusque dogmatis alicuius nouitate commoueant? Sacrarum ne literarum testimonia? At sacris ipsis literis aliter atq; Ecclesia sentiat, interpretandis, quis ignorat solere hoc hominum genus summa cum pertinacia suorum dogmatum imperatum tueri atque defendere? Quid enim Arrius? quid Macedonius? quid Eunomius? quid Sabellius? quid Eutyches? quid Pelagius? quid Heluidius? quid Iouinianus? quid illi Cerdones? Valentini? Manichæi? quid tot aliarum sectarum principes? ad confirmandas impias opiniones suas, quibus tandem aliis nisi diuinorum librorum nixi sunt testimoniis? An verò sanctorum patrum scriptis & auctoritate refellentur? At illos ipsos veteres scriptores quantumuis licet doctrina, & vitæ sanctitate excelluerint: in sacris explicandis literis, ac dijudicandis fidei controuersiis hallucinatos esse contendent. Illorum sententiam Catholicæ neg-

bu-

bunt Ecclesiæ consensum fuisse. Num ergo ad concilium vocabuntur? Enimuerò concilio habito ipsi omnes, qui ab eis dissenserint, ac eorum disciplinam improbarint: iniquos iudices iurabunt: perperam iudicatum fuisse: circumuentos se & iniuria damnata eorum dogmata clamare, & vociferari non desistent, Pontificem Maximum eiusue legatos, qui illi Concilio maiorum exemplo præfuerint: Episcopos, qui conuenerint, negabunt numerandos esse Catholicæ Ecclesiæ sacerdotes: eoq; minimè mirum esse, si errauerint: negabunt sacras literas rectè ab eis interpretatas atque enodatas fuisse: vt aliud habeatur Concilium, & ipsorum causa de integro cognoscatur, postulabunt. In quo si illis mos geratur, in infinitum res serpet. Semper enim de Concilij superioris actis, seditiosis hominibus postulantibus, nouum habendum erit Concilium. Ita nihil explicari nec transigi vnquã poterit: neque quid de quaque re credendum sit, constitui ac definiri: tantumque aberit, vt conciliorum auctoritate veteres discordiæ tollantur: vt etiam nouæ de ipsis Conciliis futuræ sint controuersiæ. Reliquum igitur erit vt huiusmodi hominum temeritati atque imprudentiæ, Catholicæ Ecclesiæ per terrarum orbem diffusæ opponatur auctoritas. At illi fatebuntur quidem grauem ipsis esse auctoritatem Ecclesiæ Catholicæ. Verùm si illius auctoritas eis obstiterit: veram illam esse, & Catholicam minimè concedent: & istorum exemplo commentitiam quandam Ecclesiam inducent: illam secum facere: cum illius fide & institutis dogmata sua congruere affirmabunt. Hic si quis, quæ nam ea Ecclesia sit, ex ipsis requiret: & vt ea sibi commonstretur, postulabit: operam perdet, quorum ea hominum sit, scire se negabunt: aut certè aliquam impiorum hominum sectam iam priorem damnatam extinctamque proferent: quam veram & germanam defendent Ecclesiam fuisse. Quid igitur fide nostra incertius? quid institutis mutabilius? quid Ecclesiæ statu futurum est perturbatius? si dimissa vera Ecclesia, inducatur commentitia? si pro ea, quæ nota sit, ascisca tur incognita? Quid Origene porrò, quid Tertulliano, quid Irenęo, quid Augustino, quid Hieronymo, quid aliis tam multis, tam doctis, tam sanctis viris fuerit insipientius, qui impiis temporum suorum hominibus nihil magis, quàm Catholicę Ecclesiæ consensum opponendum putarint? Næ illi facilè, ac nullo negotio poterant repelli: si eam, cuius auctoritate ipsi tantoperè nitebantur, veram esse aduersarij Ecclesiam negauissent. Hoccine defensionis genere isti vtentur: & hanc inanem ac nugatoriam Ecclesiam inducerent, si ex animo concordiæ studerent: si quietam in posterũ Ecclesiam essemperent? cum ea defensione leuissimo cuiq; aditus ad illam vexandam, oppugnandã, perturbandam patefiat: cũ illa susceptа

commentitia Ecclesia, nihil inuestigandæ veritati, nihil
interpretandis literis, nihil tollendis dissidiis loci, nihil
Ecclesiæ ad tuendam dignitatem suam præsidij reliqua
jiciendum igitur, aspernandum, respuendum est à pio
minum animis atque autibus Ecclesiæ huius incogitat
tum: quo nihil nec vanius, nec ad commouendas & alend
ditiones aptius fingi potest. Quid ergo? dixerit aliquis, negat
superioribus temporibus quenquam inuentum fuisse, qui
gmata Lutheranorum defenderet ac probaret? Ego verò
hoc do, & concedo. Fateor permulta istos à variis
gmatum auctoribus transtulisse. Neque enim tantum
& solertia valuerunt: vt excogitare omnia ipsi, & com
potuerint. quiddam à Berengario didicerunt: multa etiam
Vicleſi eiusque discipulorum fontibus deriuârunt. Nonn
iam atque adeò multum Patauinus illos Marsilius adiu
enim mira hominum facilitas in inuentis perditissimi &
sissimi cuiusque approbandis: diligentia in transferendis
ego extitisse quenquam arbitror multis abhinc seculis
temptum atque ignobilem prauæ alicuius sententiæ auctorem
cuius ex scriptis summa diligentia perquisitis non
cerpserint. Nec tamen parum multa ipsi suo vt dicitur
cogitârunt & repererunt: ne si omnino alieni fuissent
tardo videlicet extitisse ingenio viderentur. Verùm
satis est, id quod neminem arbitror negaturum, hoc
alterumue, aut plura etiam dogmata ex his, quæ Lutherus
que sectatores defendunt, vni fuisse alicui hominum
quando probata. Vt enim partem aliquam istius
nuerit, modò non omnem: nihilominus ab Ecclesia
set. Illa, quam tantoperè iactant, & verbis defendunt
lant: illa, inquam, Euangelica doctrina vniuersa
eo hominum cœtu retenta fuerit, quo is vera existimetur
sia fuisse. Nominent igitur nationē aliquam, si
ctam Lutheranam istam disciplinam probauent
dem eandem illam, atq; Euangelicam esse contendant
quam eadem, quæ Lutherus, senserit: quod ad ritus
monias, quod ad sacra, quod ad instituta, quod ad
tinet: nulla de re omnino dissenserit. nullum, non
genus, sed ne singularem quidem hominem poterunt
Sed quæ nam ab aliis isti acceperint, videamus: ac
sanctissimo Christi corporis mysterio agamus. Extitisse
nis abhinc circiter quingentis Berengarius quidam
rioribus omnibus seculis, ex eo tempore, quo Christus
rat: tot, tamque impiorum & audacium hominum
tissent: nec tamen quisquam tam præceps, tam

cleſiæ cuiquis inuentus fuiſſet, qui illud ſanctiſſimum myſteriũ, vel verbo violare auſus eſſet: cumque panem illum & vinum, poſt conſecrationem non iam panem & vinum, ſed verum corpus, & ſanguinem Chriſti eſſe ſanctiſſimi viri, auctoresque locupletiſſimi in diuerſis orbis terrarum regionibus commorati vno ore conſtaſſent ac ſcriptum reliquiſſent: Cyprianus, & Auguſtinus in Africa: Hilarius in Gallia: Ambroſius, Leo, Gregorius in Italia: Chryſoſtomus in Thracia: Theophylactus in Mœſia: Ioannes Damaſcenus in Syria: Origenes, Cyrillus & Athanaſius in Ægypto: ex quo illum haud dubiè vniuerſæ Eccleſiæ conſenſum eſſe intelligi liceret. Cumque Chriſti verba illud inſtituentis myſterium adeò perſpicua & aperta eſſent: vt neque auctoritatem cuiuſquam, neque interpretationem requirerent: repente furioſiſſimus Satanæ adminiſter opponere ſe grauiſſimis auctoribus, repugnare conſenſui Catholicæ Eccleſiæ, aduerſari ſacris Euangeliorum verbis cœpit: & panis illius ac vini naturam contendit poſt conſecrationem minimè mutari. Non manârat tamen malum iſtud longiùs. Nam & doctiſſimi viri ſtatim hominis amentiæ obuiam ierant: & poſt eiuſdem furorem concilia quædam damnauerant. Extiterunt aliquot poſt ſeculis Ioannes Vicleſus, eiuſque aſtipulatores, Ioannes Huſſus, & Hieronymus Pragenſis, tres ſeditioſiſſimi homines, qui alia quadam ratione violare myſterij illius ſanctitatem auſi ſunt: quibus tum quoque Catholica ſe oppoſuit Eccleſia: frequentiſſimoque Conſtantienſi Concilio eorum impietatem condemnauit. His portentis tantò pòſt ſucceſſit Lutherus: qui Conſtantienſi Concilij auctoritatem repudians, perpetuumque totius Eccleſiæ conſenſum pro nihilo putans, incredibili temeritate omnes populos, gentes, nationes, Italos, Hiſpanos, Gallos, Germanos ſuos, vniuerſam denique toto terrarum orbe diffuſam Eccleſiam auius eſt ſimulachrorum cultus, ac ſummæ ſuperſtitionis arguere. Hic trium ſeditioſorum hominum Lutheranæ impietatis ſuffragatorum commemoratio, vtrum ad iſtam diſciplinam commendandam valebit? an ad condemnandam? aſſentietur Luthero erit, quia Vicleſi, Ioannis Huſsi, Hieronymique Pragenſis impiam ſententiam reuocârit? an non potiùs ob eam ipſam cauſam diſſentiendum, quòd eos huius ſui dogmatis auctores laudet, quos vniuerſa iam pridem Eccleſia condemnârit? Nonne cum illi damnati ſunt, vno eodemque tempore in Lutherum lata ſententia eſt? iſq; impius hoſtisq; Eccleſiæ eſt iudicatus? Quid aliud eſt Chriſtum in deſerto loco, in ſolitudine, in ſpelæis quærere? niſi eum in Huſſitarum grege, in Valdenſium conuenticulis, in huiuſmodi ſectarum latibulis veſtigare? Nam quod moderatiſſimus homo & concordiæ pacisque amantiſſi-

tissimus, vniuersam Ecclesiam in rectores à Deo constitutos ne-
citare, populos regesq; Christianos seditiosissimis & scriptis
concionibus inflammare in Romanos Pontifices, eorumq; o-
sedem Apostolicam, hoc est, fundamenta Ecclesiæ labefacta
atq; euertere conatus est, in eo furorem audaciamque Patauio
Marsilij renouauit. Ille enim quo se in Ludouici Bauari gratiam
insinuaret cum Pontifice Romano graues inimicitias gerentis, &
vt ex obtrectatione Pontificum Romanorum crescerer, librum
edidit, quem pacis defensorem inscripsit: quo libro egregius pa-
cis defensor, quantũ in ipso est, Romanos Pontifices circumscri-
bit, & cum diuinis decretis, tum humanis legibus concessa ipsis
iura extorquet: atq; omnem illi augustæ sedi dignitatem mœrha-
temq; detrahit. Quod verò Lutherus, & quidam eius discipuli,
omnia fato & necessitate fieri: nihil in potestate nostra fuisse:
agi nos, non agere à principio dixerunt, cùm idẽ senserunt, quod
nonnulli quoq; veteres Philosophi: tum Viclefi illius sui Laurentiiq.
Vallensis opinionem impiam & humano generi permiti-
sam reuocârunt: huius tamẽ postea impietatem dogmatis, quod
eam intelligebant nimis apertam atq; inuidiosam fore, quadam
ex parte correxerunt. Ex quo ipsorum disciplinæ inconstantia a-
nimaduersa est. In ea tamen sententia perstiterunt, vt negent vo-
luntatem nostram esse, quod ad rectè agendum, & diuinis præce-
ptis obtemperandum attinet, liberam. Ita cùm in maximis rebus
& ad salutem animorũ necessariis libertatem nobis eripiant, in
minimis & ad rerũ caducarum administrationem pertinentibus
relinquunt. Quod contemnendã esse docent auctoritatẽ Eccle-
siæ: abstinere nos statis diebus quodam ciborum genere iubentis,
Iouinianum huius impietatis auctorem secuti sunt. Quod ieiunia
tollunt: quod negant orari Deum, nec rem diuinam fieri oportere
pro mortuis, quadam ex parte Aerianam illam, cuius supra me-
minimus, hæresin excitârunt. Quod sacerdotium peruulgant:
neq; sacerdotum ordinem ab reliquis, qui sacris initiati nõ sunt,
separant: in eo non Aerij quidem amentiam innouant: sed multò
profectò vehementiùs insaniunt. Ille cùm sacerdos esset, neque
pontificatũ, quem concupierat, assequi potuisset: repulsæ dolo-
re factus, vt Augustinus significat, Aerianus, sui credo consolan-
di causa, repentè disputare & confirmare cœpit, nihil inter Epi-
scoporum & reliquorum sacerdotum ordinem ac dignitatem in-
teresse: idq; non vt pontificiam dignitatem abijceret: sed vt ma-
norum sacerdotum extolleret. Isti verò non Aerij modo, sed Vic-
lefi etiam illius impietate superata, sacerdotium cum omnibus
omnino prophanis hominibus communicant. Ita sacrosanctum
honorem multò etiam vehementiùs violant, atque dedecorant.
De imaginibus porrò eorum, qui propter sanctitatem & in-
nocen-

nocentium vitæ, in cœlestium concilium sunt relati, ipsam Iconomachorum tot seculis post hæresim sunt secuti: cũ tamen eam non ignorarent primũ frequentissimo Romæ habito ob eã causam concilio, deinde Niceno posteriore esse ipsum illud dogma confutatũ atq; damnatũ. Atq; hæc, & alia non pauca (q̃ breuitatis causã omittimus) dogmata, ab alijs impiarum disciplinarũ magistris accepta & iampridem explosa retulerunt. Illa vero eorum peculiaria, & vt ita dicam, sunt vernacula: quod negant sacerdotium, negant matrimonium, negant confirmationem, quæ dicitur, habenda esse mysteria: extremam vero sacri olei vnctionem etiam verbis petulantissimis irrident. Ita ex septem illis sacrosanctis mysterijs, quæ iam inde ab Apostolorum temporibus vsq; ad nostra tempora sancta Catholica summa cum cerimonia semper vsurpauit Ecclesia, sublatis quatuor, tria omnino reliqua faciũt: de quibus tamen ipsis ne cum ecclesia quidem prorsus consentiunt: ne nimiũ credo, ecclesiæ consensui tribuere viderentur. Tantũ eos rerum nouandarum studiũ inuasit: tanta Christianę disciplinæ cõmutandæ cupiditas: tanta obtrectandi & aduersandi ecclesiæ Catholicæ libido tenet: nouos quosdam ipsi ritus tũ initiandi homines Christo, tũ agendi salutaris illius instituti à Domino nostro conuiuij: nouam rationẽ confitendorũ peccatorũ impetitæ multitudini gratam admodum, & plausibilem inducunt. Quinetiam multi eorũ (ó inauditam impietatẽ) sacrificiũ ipsum quotidianum ad colendum, orandum, placandum Deum, atq; vsurpandam grato animo assidue Christi pro salute nostra in cruce immolati, memoriam comparatum, omnibus locis summa cum cerimonia semper factum: quod tanto antequam Christus nasceretur, Deus ipse Malachiæ ore testificatus est, tantopere gratum sibi & acceptum fore: illam inquam puram & mundam (sic enim Malachias appellat) oblationem, vt rem prorsus inutilem & superstitioni affinem repudiant. Pręterea epicurei theologi improbant sacerdotum, & aliorum, qui sacris initiati sunt, vitam cœlibem: hoc etiam Iouiniano illo, cuius supra meminimus, intemperantiores, quòd is cũ vitę cœlibi matrimoniũ ęquaret, gratũ illud tamen vitę genus Deo esse non negauit: atq; etiam ipse vixisse cœlebs traditur. Isti vero nec valere quicquã hanc vitę rationem ad conciliandũ nobis & placandũ Deum asseuerant: sicuti ne vlla quidẽ alia recte facta: & tantũ abfuit, vt cœlibem vitã degere voluerint: vt eorum plurimi doctorem suum Lutherum inuitati, cum sacerdotes fuissent, & se cœlibes perpetuo victuros esse vouissent: sine vlla religione ductis vxoribus fidem Deo datam obstrictamque violarint. Itaque sodalitates eorum: qui Deo suo ipsorum deuotione consecrati quasi in familijs diuorum quorundam numerantur, illis ipsis Apostolorum temporibus insti-

tutas, vel maxime hoc nomine vituperant: quòd illis ascripti ... paupertatis & obedientiæ: tum etiam vitæ cœlibis, perpetuæ continentiæ votum suscipere soleant. Et quod vitæ genus Basilius, Chrysostomus, tot alij sanctissimi viri vel maximis laudibus extulerunt: vel etiam sunt secuti: ipsi Basilio, Chrysostomoque videlicet sapientiores vehementer damnant atque improbant. Sunt quidem aliæ quoque non paucæ propriæ eorum peculiaresque sententiæ: nos tamen eas breuitatis causa prætermittimus: quanquam horum quoque ipsorum, quæ commemorata sunt, dogmatum nonnulla videri possunt à Ioanne illo Vicleffo dedicisse: quem tamen temeritate, audacia, impietate superauerunt sunt. Sed quid plura de eorum arrogantia & cupiditate nouarum rerum commemorem? qui tanquam in illud summum Christi tribunal ascendissent: ita quæstiones exercent: iudicia faciunt: non singulares homines, sed gentes vniuersas Ecclesia ejiciunt: stultitiæ, superstitionis, impietatisque condemnant: non extra modo nationes, Italos, Gallos, Hispanos: sed suos etiam ipsorum maiores, atque vno verbo vniuersam Ecclesiam à Christo iampridem desciuisse pronunciant: ad arbitrium suum omnia reuocant: præscribunt ac decernunt, quæcunque eorum fert libido: Leges veteres antiquant: nouas sanciunt: totius Christiani nominis consensum repudiant: conciliorum auctoritatem aspernantur: sanctissimorum virorum vetustissimorumque auctorum eleuant testimonia: Nouam ipsi Ecclesiam, nouos ritus, nouas ceremonias, noua sacra, nouum sacerdotum genus introducunt: quid credendum, quid sentiendum, quid agendum sit, tanquam vna cum Apostolo in cœlum rapti fuissent, ita se certum, compertum, exploratum habere profitentur & dictitant. Quis statuere possit, vtrum impudentiores detestabilioresque sint, quod dogmata aliorum impietatis iampridem conuicta & explosa reuocarint, an quòd ausi sint noua ipsi, & post hominum memoriam inaudita portenta confingere? Et cum tam multa defendant, quæ tot sanctissima antiquissimaque concilia summo & perpetuo totius Christiani nominis consensu damnauerint, non hoc ipsum reliquæ eorum disciplinæ fidem abrogabit? aut quisquam tam excors erit, tam à mente consilioque alienus, vt quæcunque isti confinxerint, ea Spiritus ipsius sancti oracula esse censeat? quæ vero celeberrima frequentissimaque concilia Spiritu sancto instinctu decreuerint, quæ grauissimi auctores memoriæ literisque tradiderint, quæ Catholica Ecclesia semper secum ipsa consentiens & concors senserit, ea præ vnius Lutheri, eiusque sectatorum commentis despiciat atque contemnat? Ac si inter se tamen consentirent: minus aliquanto manifesta eorum impietas tenerent. Nunc non nobiscum magis, quam ipsi inter se digladiantur & diffidentur

quo

quo nullum afferri certius argumẽtum eorum impietatis potest. In quibus nimirum idem vsu venit, quod alijs sectis huiusmodi contigisse non paucis memoria proditum est. Sic ille Simonianæ vaęquam fons hæresis in multos riuulos dimanauit: sic Arriana secta in Eunomianã, Macedonianam, Aerianam sectam est discerpta. Pari igitur ratione impiorum & seditiosorum hominum in Germania factio, in Anabaptistas, Lutheranosque diuisa est. Quæ dum inter se manus non disputationibus tantum, altercationibusque certarunt: sed armis etiam & prælijs dimicarunt. Nec vero Lutherani diutius in vna constiterunt eademq; sententia. Ausi enim quidam sunt à Luthero haud leuiter dissentire ipsorum magistro ac principe. Itaque auctore Oecolampadio & eius subscriptore Zuinglio, ea rursus scissa est factio. Atque vt exempli causa vnam in primis maximam & grauissimam proponam, de qua inter se dissentire cœperunt: Lutherus, & qui ipsum secuti sunt, censuit in pane naturam vtramque panis & veri corporis Christi post consecrationem coniunctam esse. Oecolampadius vero, & qui ab eo fuerunt, Christi corpus negarunt ad naturam panis accedere: sed panem illum etiam post illa solennia verba effatis nihil aliud quam panẽ esse censuerunt. Ita vna eademq; de re, & ea quidem longe grauissima in magna sunt varietate & dissensione constituti. O disciplinam mutabilem, variam, inconstantem: modo hoc, modo illud defendunt. Atqui hæc sunt falsę eorum impięq; rationis, non obscura, non adumbrata, sed expressa signa ac perillustria. Veritas enim haud quaquam esse multiplex potest, sed vt spiritus diuinus est vnicus, ita verum, quod illo docente cognoscitur, singulare atque vnum est. Quid ergo, si quispiam ab eorum causa minime abhorrens, illis se in disciplinam tradere cogitet, quo nam eorum vtatur doctore ac magistro? ad quem se conferat? quem cæteris anteponat? Lutherum ne? Istius ille quidem cum dissensionis auctor, tum præclarę disciplinę magister fuit, princeps ille ætate nostra, vt gloriari solet, ista enunciauit & patefecit iampridem ignorata incognitaque mysteria. A tribus discipulum abduxerint Oecolampadius & Zuinglius, neque passi fuerint probabiliorem Lutheri sententiam videri quam suam. Quantas igitur illi misero offuderit tenebras istorum inter se distractio, & opinionum dogmatumque varietas? Nonne ergo ex hac quoque sententiarum dissimilitudine disciplinæq; mutabilitate quiuis intellexerit, quàm isti à vera Ecclesia longe absint? Nunquam enim ea à se discrepat, nunquam dissentit, ac ne accidere id quidem pacto vllo potest. Cum n. firmamentũ illa & columna sit veritatis, vt diximus, nec plus vno verũ, neq; plus vno quidẽ rectum esse possit, semper sibi ista necesse est constet, mirabiliterq; consentiat. Isti vero tantum abest, vt

diutius inter se congruere potuerint: vt eorum plerique ipsi sem-
rebus alias aliter senserint. Euenit igitur eis, quod viu venire vi-
torib. soleat, si quando ab recto itinere aberrarint. Vt n. illi alias et
alijs semitas ingredientes vagantur nullum secuti peritum regio-
num ducem. Ita isti duce Ecclesia carentes, quam reliquerunt, cū
de recto fidei religionisq; curriculo temere decesserint, alias et a-
lijs diuerticula impietatis ingressi sunt: neq; vlla alia fere in re, ni-
si sentiendi contra atque Catholica Ecclesia sentiat, pertinacia
permanent. Itaque vna aliqua de re eorum opinionem redargues,
& prauam esse falsamq; doceas: non illi in Ecclesiæ sententiam
transeant: sed continuo pro ea, quam refelleris, aliam nō mi-
absurdam reprehendendamq; substituant, hanc quoq; ipsam a-
firmes ac reprehendas: ne Ecclesiæ quidem ita conuicti adsen-
ant, sed vt sunt in comminiscendo ingeniosi, atq; vt falsæ opi-
nes vna eademq; de re possunt esse cōplures: cum veritatis non
simplex sit: aliud quoddā statim portentū excogitēt. Deinde, quā-
uis anfractus & tramites quamuis arduos deuiosq; persequan-
tur po tius, quā in rectam & planā viam deducente Ecclesia red-
ant. Quamquā quid est, quod quisquam eos miretur cū Ecclesia
pertinaciter pugnare: quibus ne ipsis quidem inter se videat con-
uenire? Sed tamen vis est magna veritatis. Hęc illos tanta animo-
rum obstinatione sibi obsistentes nonnunquam rapit & ad agni-
tionē sui reluctantes attrahit. Velut in ea quæstione, quę de fide
est, & adeptione iustitię, aduersarij initio ducē & doctorem sui
Lutherum secuti, & quicquid ille effutisset, Pythagoreorum more
defendētes, iustos per fidem solam nos effici persuasum habebāt.
Fidem autem is intelligi volebat, per quam confideremus remit-
ti nobis à Deo peccata omnia: & in eius gratiam nos recipi: idq;
propter mortem, & satisfactionem Christi. Non ille amorem &
charitatem erga Deum, non detestationem superioris vitæ, non
studium seruandi diuina præcepta in posterum requirebat. In v-
na illa confidentia, & summa securitate animi totam salutis &
iustitiæ nostræ rationem locabat. Eam vnam qui afferret: iustum
illum, & pium, & sanctum effici dicebat: atq; ab omni lege soluti
& liberum ac salute accepta, vt eius vtar verbo, saturum, quęcun-
que postea recte faceret: ita facere, vt nihil omnino de salute sua
amplius solicitus esset, atque anxius. Nec mirum, si recta facta ha-
peruacanea ducebat: cuius hoc decretum fuit inopinatum sane
atq; admirabile, omnia recte facta re vera esse peccata. Atq; ita-
men in ea definiēda fide minime sibi constitit, sed vt est inconstans
& varius: cū multos variosq; libros ediderit: alibi eam aliter de-
scripsit: cum in definitionibus eius magna insit non verborum
solum (nam id quidem ferendum esset) sed, quod turpissimum est,
sententiarum etiam varietas. Is in hanc sententiam impiam &
ac-

inciderat ipse: & sectatores suos adduxerat: propterea que quod aliquot huiusmodi sententiæ in sacris literis occurrunt, fidem fuisse, quæ alicui salutem attulerit: credidisse quempiam, & ea re iustum fuisse, & Dei gratiam assecutum. Quamquam ipse existimauerim potius vafrum hominem, cum nosset homines natura propensos esse ad voluptates corporis, & ad vitæ luxum atque licentiam: & simul intelligeret, quam maximè recte facta, piasque cogitationes & cõsilia nostra abiecisset: tam maximè visum in Dei largitate & misericordiam extolli eiusmodi excogitauisse dogma: quod ab improbis & flagitiosis hominibus, propter viuendi licentiam libenter susciperetur: Ab imperitis & rudibus inconsiderate propter speciem quandam modestiæ probaretur. Repugnabat huic eius decreto apertissimus ex epistola Iacobi locus, qua scriptum est, nõ ex fide tantum iustificari nos, sed etiam ex operibus. Homo impudentissimus, cum nullam excogitare captiosam eorum verborũ interpretationem posset: totam eam reiiciebat ab vniuersa Ecclesia omni tempore comprobatã epistolam. Erat hæc opinio de adeptione iustitiæ absurda, falsa, perniciosa. Omnibus enim fere locis sacrorum voluminum scriptum est, seruari oportere præcepta, si quis saluus esse, & vitam æternam assequi cupiat. Deum vnicuique aut pro peccatis supplicia, aut pro rectè factis præmia redditurum: nequaquam satis esse Christo credere, cum ipsi etiam credant & contremiscant Dæmones: etiam si quis fidem omnem habeat, charitatem autem non habeat, nihil eum esse. Cum his, & alijs huiusmodi sententijs & cohortationibus ad rectè viuendum, & Dei præceptis obtemperandum Euangelia, epistolæ, sacri libri omnes pleni ac referti sint: non potuerunt isti tot diuinorum testimoniorum pondus & grauitatem diutius sustinere: ne tam aperta eorum impietas, summa insciția coniuncta fidem reliquæ ipsorum disciplinæ abrogaret. Itaque in nostrorum sententiam transierunt: & fidem per quam iusti efficiamur, viuam esse, hoc est cum charitate iunctam oportere confessi sunt. Non est omnino hic huius modandæ atque explicandæ rei locus. Tantum eos, qui hæc nostra legent, admonendos putauimus, vt præter certissimã illa sacrarum literarum testimonia Catholicæ Ecclesiæ sententiam cum Lutherana illa sententia conferant, & vtra earum ad coercendas hominum cupiditates, ad refrenandas libidines, ad reprimendam iniustitiam: eosque, vt castè, vt modestè, vt piè viuant, incitandos, accommodatior sit, atque aptior: diligenter perpendant atq; considerent. Sic enim vtra earũ cautior sit, vtra probabilior, & verior, facile iudicabunt. Atqui Lutherus fidem manem duntaxat, ac potius confidentiã quandam requirens, hoc sentit (neq; enim ne nũc quidẽ, qui in eadem sunt opinione, hoc dissimu-

dissimulant) eum, qui semel per eiusmodi fidem iustus ex iniusto effectus, & à Deo in gratiam receptus sit: quamuis & crebro, & grauiter postea vsque ad supremum vitæ diem deliquerit: nunquam tamen ex iusto amplius iniustum effectum iri: neque vllum omninò quamuis atrox ab eo admissum scelus, capitale illi atq; exitiosum fore. At hoc quibus hominibus persuasum sit, eos haud dubie ad turpiter, obscæne & flagitiose viuendum horretur, atque alliciat: quippe qui vtcunque vixerint: saluos se vtiq; & beatos futuros esse nō dubitent. nec vero eos delictorum suorum vere, atque ex animo pœniteat: qui se illorum impunitatem ac licentiam adeptos esse confidant. At vero Ecclesia non idem ociosam, & solitariam: sed cum spe & charitate, præclara quadam societate copulatam, atque connexam, semperque ea agere meditantem: quæ Deo grata, acceptaque sint, vt iusti efficiantur requirēs, eiusmodi nobis vitæ licentiam omnem præcidit, & corporem, securitatemque excutit, cauta enim est, & sapiens: neque diuina nos clementia & lenitate abuti: sed Apostoli præceptorum memores esse vult admonentis, vt cum timore & tremore saluti nostræ consulamus: & vt qui ex nobis stat, videat ne cadat. Ergo segnes, ignauosque & desides homines Lutheranorum dogma ad rectè agendum reddit: ad delinquendum vero & cupiditatibus obsequendum non intemperantes solum, sed eos etiam, qui modestiores sunt, incitat. Ecclesia contra à vitijs, pœnarum & suppliciorum metu nos deterret: ad vitam piè honesteque, atque vti à Domino nostro præscriptum est, degendam præmiorum spe allicit, vt dubitari minimè oporteat: quin Lutheri disciplina quàm perniciosa, tam falsa sit: Ecclesiæ vera, & salutaris. Nam quod boni quidam viri verentur: ne si paululum modo nostris rectè factis tribuerimus, in Pelagianæ arrogantiæ vitium incidamus: minimè id quidem verendum est. Etenim rectè facta ipsi omnia gratissimo animo Deo ipsorum auctori accepta referimus: quippe sine cuius instinctu atque auxilio nihil rectè agi à nobis, ac ne institui quidem posse persuasum habemus. Vt vero rectè viuendo æternam vitam promereamur, non id vis, & natura ipsa nostrorum rectè factorum præstat: sed diuinæ benignitatis abundantia, pias actiones & voluntates nostras, quantulæ eæcunque sunt, tanto præmio compensantis. Sed alias fortasse hunc locum subtilius vberiusque Deo iuuante, tractabimus. Nunc ad Lutherum reuertamur. Is primo censuit atque ædito libro affirmauit, esse tertium illud animorum receptaculum: in quo animorum sordes ac maculæ expientur: in quo quidem & Catholicæ consentiebat Ecclesiæ, & grauissimis vetustissimisque auctoribus Origeni, Eusebio, Cypriano, Augustino, multisque alijs assentiebatur: tametsi de pœnæ & cruciatus genere nouum quiddam

tam cõmouebat: vt facile appareret, ne piè quidem sentire eum sine impietate posse. Nunc an ipse sententiam mutauerit, ignoro, quamquam hominis lenitas facit, vt mutauisse existimem. Cæteius discipuli de hoc vel maximè ab Ecclesia dissentiunt. Quid ergo istorum disciplina instabilius? quid decretis mutabilius? quid tota ratione inconstantius dici potest? Nunquam fere in vna eademque sententia permanent. Huc & illuc eorum mentes vagantur & fluctuant: ab Ecclesia dissident: à magistro sæpe desciscunt: ne inter se quidem cõgruunt, aut si ad quoddam tempus congruere se simulant tegendæ dissensionis suæ causa, paulo post tamen altercantur & pugnant. Vnde hæc tanta inconstantia? vnde hæc tanquam fluctuum, sic opinionum tam crebra mutatio? Si diuini Spiritus internuncij sunt atque interpretes, vt videri volunt, selecti ab eo, ad hæc humano generi fundenda oracula: cur in decretis suis tantopere vacillant? cur tantis de rebus tam vatiè & scribunt & sentiunt? Sin illo minimè afflati sunt, vt res ipsa indicat: quid eis arrogantius dici potest? qui commentis suis maiorem quam perpetuo Ecclesiæ Catholicæ consensui fidem haberi velint. Hanc corũ vt dixi, disciplinæ inconstantiam, & sententiarum opinionumque repugnantiam, ac summam varietatem, qui diligenter secum considerarint: quod illustrius & grauius illorum impietatis indicium ac testimonium requirent? Quod si vel maximè inter se consentirent: parum ne ex his, quæ diximus, perspicuum est, quid de vniuersa eorum disciplina sentiendum sit? Primum enim docuimus Ecclesiam, à qua isti dissentiunt, nunquam errare posse, sed veritatis eam & Religionis magistram vnam esse certissimam. Tum ostendimus, cum Lutherus pacem ex Ecclesia sustulerit: inimicitias, odia, dissensiones in gentibus, in ciuitatibus, in singulis propè familijs conflarit: tumultus domesticos, ciuiles seditiones, socialia bella excitarit: cædium vbique, rapinarum, incendiorum, sacrilegiorum, nefandarum libidinum, atque impuritatum licentiam, & casum attulerit: horum illi perditorum consiliorum, nefariæque disciplinæ nequaquã clementissimum Deum auctorem extitisse. Satanæ illum malorum omnium facinorum impulsori administrum se, & venturo Antichristo satellitem præbuisse. Deinde eorum deduximus, vt aduersarij alterutrum defendere coganturant ante Lutherum Ecclesiam defecisse, aut vbi ea latitaret, & ad quos redacta esset, obscurum atq; incognitum fuisse: quorum verum dixerint, falsum ac nugatorium futurum, ac ne accidere quidem potuisse. Postremo demonstrauimus, id quod ad rem vehementer pertinet, de maxima Lutheranorum dogmatum parte iam ab Ecclesia iudicium factum esse, falsa illa & praua & impia iudicata, & multorum conciliorum iampridem auctoritate

tate condemnata. Reliquum est vt ex Lutheri persona & moribus quidnam de eius disciplina existimandum sit, coniectura capiatur. Inuitus me hercule in hac oratione versabor. Nihil enim tantopere abhorret à natura ac moribus meis, quàm vt cuiquam etiam si lacessar, etsi id & iure possim & verè facere, maledicam. Verum cum susceptа sanctissimæ parentis Ecclesiæ propugnatio, & communis salutis studium hoc postulet: vt & de auctore illius perniciosæ disciplinæ aliquid dicatur, officij ratio me, vt spero, a petulantiæ suspicione vindicabit. Nec tamen de homine plura dicam: tantum omnes admonebo, vt quoniam ad faciendam fidem permagni refert, quis cuiusque dogmatis author sit, Lutheri vitam moresque considerent. Scurrilis enim hominis petulantia & incredibilis arrogantia ex omnibus eius scriptis facile possit perspici. Illæ vero eius innuptæ nuptiæ, nefariæ cuiusdam libidinis testes, iampridem peruagatæ & omnium sermone hactenus celebratæ sunt. Tum cogitent, num vsq; eo graues & integri in Dei populo defecerint: vt neminem spiritus sanctus Luthero potiorem nec magis idoneum inuenire potuerit disciplinæ publicæ correctorem, veritatis magistrum, oraculorum suorum interpretem? Num adeo effœta fuerit Ecclesia, vt nemo tota Italia, Gallia, Hispania, Germania ipsa tot alijs in prouincijs hoc illo castior, modestior, probior, at certè minus impurus, minus procax, minus improbus superesset? Qui si etiam egregiè moratus, & summe sanctus atque innocens fuisset, continuò ne cum de æterna cuiusque salute agatur, fides illi habenda? continuò propter vnius hominis auctoritatem discisc endum ab Ecclesia? cõtinuo patres, maiores nostri, tota antiquitas summæ damnanda superstitionis atq; impietatis fuit? præsertim cum non vna illa rem alteramue mutaret, sed totam Christiani hominis disciplinam perturbaret, omnium animis insitas, & penitus inustas opiniones euelleret, vetustissima instituta deleret, pontificias leges rescinderet, conciliorum decreta infirmaret, vniuersam denique Christi Ecclesiam vnus oppugnaret homuncio? Non in mentem venit, quanta sit humanorũ ingeniorum infirmitas? quam multi summa sanctitate homines & pari doctrina præditi, temporibus etiam antiquis errauerint? Quis ex antiquitate omnes commorari potest, Cypriano pietate sanctior, auctoritate grauior, doctrina eruditior? Is tamen tantus tamque excellens vir, tam non minima errauit. Quantum Tertulliani ingenium, quanta eloquentia, quantum defendendæ religionis nostræ studium fuerit, illius grauissima, quæ extant, scripta declarant: eius tamen nonnullæ iure sunt reprehensæ improbatæque sententiæ. Quid? Origenis illius Adamantij, quam admirabilis ingenij magnitudo? quanta cùm reliquarum disciplinarum omnium cognitum in

vum in primis sacrarum literarũ fuit? quanta porro apud omnes propter insignem eius vitæ sanctitatem, & propter innumerabilia pene ingenij monumenta, auctoritas? quanta nominis celebritas extitit? Ne is quidem tantus vir non in errores aliquot grauissimos incidit? Atque vt multos alios omittam, quem Augustino vel ex græcis, vel ex latinis auctoribus acutiorem prosecto doctioremue possumus? Is tamen tanta vel ingenij præstantia, vel vitæ sanctitate vir & se errare posse ingenue est confessus, & sua ipsemet errata multa correxit. Quod si illi tot & tam clari Ecclesiæ proceres labi & errare potuerunt, sicuti quidem eos errauisse non est dubium, quis seditiosissimum hominem, Vita vt ferunt, impurissimum, ingenio certe & eruditione nequaquam cum illis summis & clarissimis scriptoribus comparandum, minimè errare potuisse existimet? Forsitan quærat aliquis, quid ita tamen multi ab eo inducti atque decepti sint? Cuius rei causas supra attigimus: quas tamen repetere hoc loco non alienum videtur. Nam mihi quidem consideranti, cur tam multi illius dogmatũ æmuli & sectatores inuenti sint: tribus id de causis potissimum accidisse videri solet. Nouitatis studio, viuendi licentia, sacerdotum inuidia. Primum enim disciplinæ suæ splendidissimum prætendere cœpit nomen doctrinæ, vt ipse dicebat, Euangelicæ. Veritatem gloriabatur se ex densissimis tenebris eruisse. Maiores nostros nullam sacrarum literarum intelligentiam habuisse dictitabat, quarum ipse videlicet perfectam esset cognitionem singulari Spiritus sancti beneficio consecutus. Est autem hæc humani ingenij natura, vt cùm speciosis facile decipiatur vocabulis, tum rerum nouitate maximè capiatur. Id adeo cùm multis alijs ex rebus intelligi, tum vel ex eo maximè iudicari potest, quod superioribus seculis nemo vnquam tam absurda, tam inaudita, tam apertè sacrorum librorum testimonijs repugnantia, tam à communi hominum notione ac sensu abhorrentia dogmata, potuit fingere, & comminisci, quin aliqui disciplinam eius non modo probauerint, sed tanquam diuinitus excogitatam suspexerint. Quæ enim illa Cerdonis? quæ Valentini? quæ Manichæorum? dogmata ne dicam, an somnia, fuerunt? quæ tamen tantum abfuit, vt continuo exploderentur, vt etiam plurimi diuina illa esse arbitrarentur oracula. Quid hoc in sacrarum literarũ studio duntaxat vsu venit? ac non cum in alijs disciplinis, tum imprimis in ea, quæ est de natura rerum, philosophia contigit? quæ enim cogitari sententia tam absurda, ac tam inopinata potest, cuius non aliquis & exiterit auctor & plurimos sectatores ac defensores inuenerit? Quid enim tam cõmentum, quam illa Anaxagoræ homoeomeriæ, hoc est, particulæ similes, & Sphærus (sic enim ille diuinam mentem appellauit) in eis

in eis secernendis occupatus? quid tam incredibile, quàm Democriti corpuscula indiuidua, eaq; varia & multiformia, ex quorum concursione mundi conflarentur innumerabiles, quorum alij occiderent, alij orirentur. Quid tam inopinatum, quàm illi mens singularis Auerrois, quæ omnium cogitationibus semper præsto esset? Non est necesse antiquorum philosophorũ omnia absurda opinionum commenta, de Deo, de mundo, de rerum initijs, de animi natura, de bonorum ac malorum finibus, de alijs rebus cognitione dignis persequi. Fuerunt enim propè innumerabilia. Nec tamen defuerunt, qui illa quamuis apertè falsa atq; irridenda, & verissima esse existimarent, & summo studio pertinaciaq́ue defenderent. Ex quo intelligitur, quàm proclites homines sint, & plerumque præcipites ad assentiendum nouum disciplinarum & sententiarum auctoribus. Ergo nouitas primum Lutheranæ disciplinæ suffragata est. Huc accessit vitæ voluptatumq́ue licentia, cuius imprimis appetens atque auida est imperita hominum multitudo. Itaq; cum Lutherus & eandem ipse viuendi licentiam cõcupisset, & sectatoribus suis proponeret: easq́ue maiorum nostrorum leges tolleret: quæ sunt de ieiunijs, & carnium ac ciborum quorundam statis anni diebus abstinentia, ad coërcendam carnis lasciuiam constitutæ, & illas quæ sacerdotum ordini & reliquis Deo consecratis viris ac fœminis matrimonio interdicunt: cumq́; rectè facta omnia pro nihilo putans, in vna fiducia ac securitate animi omnem salutis nostræ rationem positam & constitutam esse assereret: grauissimumq́; vt dictabat seruitutis iugum hominum Christianorum ceruicibus excuteret: sectam suam hac in re Maomethis calliditatem imitatus propter has sensuum illecebras & delinimenta frequentauit. Cum vero in Pontifices Romanos & cunctum sacerdotum ordinem, quem iampridem odio inuidiaq́; flagrare intelligebat: turbulentissimis scriptis & concionibus dicacissimus homo inuehiretur: nihil eius inuentis plausibilius, nihil disciplina probabilius videbatur. Quamobrem tum rerum nouarum studium imperitis hominibus natura vel maximè insitum, tum licentiæ cupiditas, tum Pontificum & reliquorum sacerdotum inuidiosæ iampridem opes, offensaque propter multorum vitia existimatio, plus apud multos valuit, quàm maiorum auctoritas, quàm consensus Ecclesiæ, quam vetustatis vis, quàm pontificatus, sacerdotijque maiestas. Verum hæc ipsa, quæ vulgus ad tumultuandum impulerunt, prudentes & graues viros hortari ad quiescendum debent. Primum disciplina istorum ob eam ipsam tantum quod noua est, pijs debet & consideratis hominibus suspitionem mouere, ne non probanda sit. Maiores enim, non nostri modo, sed etiam istorum, quorum nos auctoritate nitimur, cum ipsi ab

illis omneos impiè reprehendant, longe profecto plus viderunt, & maiore erga Deum religione præditi fuerunt. Est autem arrogantium hominum, maiorum suorum auctoritatem aspernari, & sesillis ingenio, vel sapientia anteponere. Quod si in ijs cœtibus, quæ cuitates dicimus, seditionibus excitatis, eorum, qui a rerum nouarum consilijs abhorrentes, præsentem statum Reipublicæ defenderunt: merito semper fuit laudata constantia: nónnein Ecclesia quoque, qui simili grauitate atq; constantia ocio, quieti, & concordiæ consulunt, meliores iudicandi sunt, quàm eii eius statum turbulenta ratione commutant? Nam quod à Luthero maior voluptatum fruendarũ potestas sectatoribus suis permittitur, id tantum abest, vt sapientes homines allicere debeat, vt etiam maximè debeat deterrere. Non enim illa animorum simul & corporum immortalitas ac summa felicitas oblectatione sensuum & viuendi licentia, quam isti falso libertatem vocant Christianam, paritur: sed continentia, sed frugalitate, sed vigilijs, comparatur. neque illud tam eximium præmium Dei misericordia ignauis & cessantibus, sed currentibus, laborantibusque largitur. Inuidiæ vero ratio sicut magnam ad animos imperitorum inflammandos vim habet: ita ad grauium & moderatorum hominum mentes impellendas infirma & imbecilla esse debet. Hoc enim ipsum, quod isti faciunt, quàm maximè Pontificum Romanorum & sacerdotum inuidiam augentes: indicat eos, quod causæ suæ minimè confidant, ad hoc perfugium non minus necessario, quàm libenter descendere. In quo nimirum oratores astutos & callidos imitantur: qui si quando causam minus bonam defendendam susceperint: odio, inuidia, & huiusmodi animorum motibus excitandis, iudicibus imperitis errorem obijcere conantur. Nihil autem minus in sapientem virum cadit: nihil tam ab eius grauitate & cogitata ratione alienum est, quàm vlla animi motione perturbatum ad iudicandum impelli. Aliud vero est sacrosancta religionis nostræ mysteria tollere: aliud corruptos sacerdotum mores reprehendere. Aliud leges optimas antiquare: aliud eorum vitam, qui legibus minimè pareant, vituperare. Aliud denique Pontificum aliquot Romanorum, qui potestate à Christo permissa forsitan aliquando abusi sint, facto damnare. Aliud eos summos fuisse Pontifices, & summa potestate præditos negare. Hæc secerni, distinguique oportet, quo minimè error obijciatur. Ac ne quis, quæ reprehensione correctione digna sint: aut non animaduerti à me, aut etiam probari existimet: non faciam, vt sigillatim enumerem instituta, quæ magnam neque omninò iniustam sacerdotum ordini inuidiam conflauerunt. hoc in vniuersum de sacerdotibus, dolenter quidem, sed tamen ingenue dicam & fatebor: factum esse mul-

torum vitijs & peccatis, vt cunctus iampridem ordo malè audit & deesse putetur officio ac dignitati suæ. cum tamen ne nostri quidem memoria pauci in illo ordine insint, probi & integri vt quibus nullam oratione mea labem aspergi volo. Itaque vehementer à Deo optandum est: vt corrigenda sacerdotum disciplina, hæc pars Reipublicæ Christianæ, ægra conualescat. Id quod Deo iuuante, bonis adnitentibus, futurũ esse minimè desperandum est. Non enim hanc morum & disciplinæ correctionem aduersarij magis verbo efflagitant, quàm optimus quisq; ex nostris reuera expetit. Neque ego istos eo nomine reprehendendos, quod seculi nostri vitia minimè sibi reticenda & dissimulanda putauerint. Id enim proborum & ingenuorum hominum, & vtilitati publicæ consulentium fuisset: si ea modo, quam oportuit, ab illis adhibita fuisset moderatio. Sed quod tanta verborum procacitate id egerint, tam petulantibus maledictis, tam grauibus Sedem Apostolicam & cunctum sacerdotum ordinem conuitijs, sine vllo bonorum, improborumque discrimine, sine modestia, sine grauitate: hoc vero magnoperè reprehendendum & conquerendum videtur. Quod vero ob eam causam & defectum ipsi ab Ecclesia: & alios ad defectionẽ solicitare, & diuina omnia atque humana miscere instituerunt: cuius id tandem futuris, cuius temeritatis fuit? quo id bonorum & prudentium virorum exemplo factum? quo Christi? quo Apostolorum præcepto? Ecquando Christus præscripsit, vt in Ecclesia sua turbæ cierentur? commouerentur tumultus? seditiones excitarentur? Ecquando iussit, vt oues Pastorem ab ipsomet impositum incesserent? illum insequerentur? illum oppugnarent? Quoties ille? quàm accuratè? quàm sedulo nos admonuit, vt paci omni tempore studeremus? vt concordiam & mutuam charitatem coleremus? quo studio Deum patrem est precatus, vt vnum essemus inter nos, quemadmodum ipse & pater vnum sunt? Quid? cum principi Apostolorũ oues suas pascendas summa cum potestate regendasq; commisit, & in eius persona summum pontificatum instituit, quo qui fungerentur, ipsius essent Vicarij: nõnne quatopere parendum eis, atque obediendum esset, apertè indicauit? Quæcunq; enim scripta sunt, ad nostram, inquit Apostolus, doctrinam scripta sunt. Cum igitur Ecclesiæ illæ Iudaicæ, quasi mulachrum & forma Ecclesiæ Christianæ fuit, vnus præesset, ita tum princeps sacerdotum, tum summus sacerdos & pontifex dicebatur: cumq; ij qui amplissimo illo sacerdotio præerant, nonnunquam ita viuerent vt eorum mores nequaquam cum oratione congruerent: num Christus eos ex illa sede deturbari, num eijci, num priuari sacerdotio voluit? Ille vero discipulis suis disserte mandauit, vt etiam talibus pontificibus obedirent. Sæpe

cathedram Moysi, inquit, sederunt Scribæ & Pharisæi: omnia ergo quæcunq; dixerint vobis, seruate & facite: secundum opera vero eorum nolite facere. dicunt enim & non faciunt. Quod si illius admbatis Populi Hebræi Pontificibus, etiam si Scribæ & Pharisæi essent, tantam auctoritatem tribuit, tantumq; ipse, cum Deifilius esset, honorem habuit. quid nos, quantopere tandem domini ac Dei nostri Vicarios, Petri successores, vniuersæ Ecclesiæ principes, audire & colere debemus: præsertim cum omnis à nobis habitus illis honos, Christo, cuius personam sustinent, habeatur? neque sperni possint, quin is à quo constituti sunt, summus Deus & præpotens, contemnatur. Nulla est homine Christiano dignior virtus, nulla Deo gratior, quam modestia, & humilitas, ac demissio animi, quæ dicitur. Hac virtute affectis, beatitudo à Christo, qui fidem fallere non potest, & domicilium cœleste promissum est. Beati, inquit, pauperes spiritu, quoniam illorum est regnum cœlorum. Quid? illius vita, quam in terris vixit, quæ nobis ad imitandum est proposita, nónne huius virtutis specimen atque exemplum fuit? Cuius enim animi humilitatis fuit, hominem fieri, qui Deus esset? seruum, qui omnium dominus? infimis hominibus parere, per quem reges ipsi imperarent? denique si qua in re hæc modestia cernitur, in obtemperando Magistratibus, & superiores colendo, maximè cernitur: quibus quidem vt pareamus, cùm alibi Paulus, tum ea quæ est ad Romanos Epistola, præcipit. Omnis anima, inquit, potestatibus supereminentibus subdita esto. Non enim est potestas, nisi à Deo. Quæ vero sunt potestates, à Deo ordinatæ sunt. Itaque quisquis restitit potestati, Dei ordinationi restitit: qui autem restitent, ipsi sibi damnationem accipient. Quod si cuiuis potestati, cui subiecti sumus, obtemperare & dicto audientes esse debemus, summum sacerdotem, cui cuncta Ecclesia commissa & commendata est, negligamus? Mores eius non fero. At Deus, & illum ferat, & te, fortasse ipso deteriorem. Eius institutis offendor. Quid? Deum tu vitijs & delictis tuis magnopere delectari putas? Collocauit ille ea sede sacerdotem, qui moribus præesset tuis. Non à quo tu rationem vitæ arroganter reposceres, qui tibi quæ agenda essent præscriberet. Non cui tu ad arbitrium tuum imperares. Quis es tu, qui seruum tam arroganter iudicas alienum? Domino suo ille stat aut cadit: eique vni vitæ suæ & pontificatus commissi rationem debet reddere. Verum vt dixi, alia morum ratio est, alia religionis. Aliud est sacerdotum & pontificum vitam accusare. Aliud fidem & auctoritatem Ecclesiæ derogare. Neque ego cuiusquam vitia defendo: verum inique & impie facere eos censeo, qui propter corruptos hominum mores cum sanctissima parente nefarium bellum gerant.

Scelus est: parricidium est, eam violare matrem, quæ nos in lu-
cem ediderit. quid? illam, quæ editos in spem cœlestis hæredi-
tis iterum generauit: quæ tot diuinis beneficijs ornauit atque
auxit: quæ Deo nos vero patri nostro restituit: quanto maius
scelus ac parricidium est oppugnare & deletam extinctamq; ce-
pere? Quam autē isti spem habent? quid se profecturos putant?
Non vident cœci: non ex diuinis oraculis, non ex rerum euentu
intelligunt, se eam impugnare aggressos esse, quæ etsi concuti
quidem, & vexari ad quoddam tempus potest: tamen expugnari
atque opprimi non potest. Apud Esaiam enim Dominus hæc Ec-
clesiæ dicit: Sicut in diebus Noë istud mihi est, cui iurauí, ne in-
ducerem aquas diluuij vltra super terram: sic iuraui, vt non ira-
scar tibi, & non increpem te. Montes enim commouebuntur &
colles contremiscent: misericordia autem mea non recedet ab
& fœdus pacis meæ non mouebitur, dixit miserator tuus Dom-
nus. Christus vero apud Matthæum: Super hanc inquit petram
ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt al-
uersus eam. Et alio loco apud eundem auctorem ait: Ego vobis-
cum sum omnibus diebus vsq; ad consummationem seculi. Num
igitur hominum consilijs deleri Ecclesia potest? cui Dei semper
misericordia præsto est? quæ ita Apostolicæ inhæret sedis crepi-
dini: vt nihil aduersus eam portæ valeant inferorum? quæ Chri-
sti sponsi sui præsidio fulta atque munita est? Quid Neronis illi,
quid Domitiani, quid Diocletiani, quid Decij, Romanorum im-
peratorum crudelitas obfuit? quid Constantij furor? quid Va-
lentis impietas? quid Iuliani perfidia nocuit? Nónne quanto
immanissimi tyranni vehementius in eam sæuierunt: tanto illa
celebrior, splendidior, amplior, effecta est? Vbi nunc Arrij? vbi
Macedonij? vbi Nouati sectæ? vbi tot aliæ domesticorum ho-
stium factiones, tam infestæ? tam frequentes? Nónne deuictis
ac superatis illis victrix egit Ecclesia Dei gloriosissimos trium-
phos? Atqui vt ex omnibus superiorum temporum certamini-
bus incolumis euasit: profecto in posterum quoque Deo iuuan-
te, salua permanebit: nec quæ tot alia portenta vicit ac supe-
rauit, vnius Lutheri furori audaciæque succumbet. Quamobrem
omnes, qui ab illo corrupti deceptique sunt: etiam atque etiam
obsecro, considerent, quam reliquerint, quem sequantur. Ante-
ponant vnius hominis temeritati, auctoritatem totius, quæ nun-
quam errare potest, Ecclesiæ. Anteponant Lutheri discipulis sin-
ctissimos illos Patres auctoresque grauissimos, Basilios, Chrysos-
tomos, Athanasios, Leones, Gregorios, Hieronymos, Augusti-
nos, Ambrosios, Cyprianos, & quoniam labi ac decipi humanum
est, redeant iam in viam, redeant in sinum & complexum sanctis-
simæ parentis: ad quos illa excipiendos summo cum desiderio
passis

passis malibus occurrit. Non agitur, vt sæpius admonui, de huius mortalis vitæ subsidijs: non de opibus contenditur: non de fortunis disceptatur. De immortalitate animorum & corporum, de sempiterna felicitate, de illa cœlesti sede domicilioque decernitur: quæ omnia rectè viuentibus ita sunt proposita, si in Ecclesia permanserint. Ab ea vero seiunctis segregatisque nulla reliqua est spes nec beatitudinis, nec salutis. Vt enim quo tempore terrarum orbis eluuione est obrutus: qui extra nauem illam Noë fuerunt, eorum saluus & incolumis esse nemo potuit: ita qui Ecclesiam uere exierunt, nequeunt nisi in eam redierint, conseruari: nec potest Christo Ecclesiæ capiti annexus esse, qui sit ab Ecclesia ipsius corpore separatus. In quo vt omnes qui ab eo diuisi sunt, iterum coniungantur: & constituenda concordia omnes contentiones ac dissidia tollantur: suppliciter Deum, omni animi studio oro atque obsecro.

FINIS.

ANTONII FLORE-BELLI MVTINENSIS AD GERMANOS ORATIO de Concordia.

CVm pro mea summa pietate erga Christianam Rempub. Germani, vehementer de belli, quod ad Budam gerebatur, euentu sollicitus essem, atque anxius, neque me hercle magis extimescerem aduersis, quàm sperarem secundas: repente perculsus sum atrocissimo nuncio, Ferdinandi regis Romanorum copias ab hostibus circumuentas, atque deletas: oppidum Budam, & totam inferiorem occupatam esse Pannoniam. Quæ Reipub. ac sociorum clades tantum mihi luctum, tantum mœrorem attulit, vt nihil mihi ipsi luctuosius, nihil acerbius accidere potuerit. Ego enim is sum, Germani, qui communibus periculis, & calamitatibus, præcipuo quodam animi dolore & sollicitudine afficior, atque angor. Nec dubito, quin item vos tanto Reipub. detrimento vehementer perculsi, & commoti sitis. Est enim hominum, Christianam pietatem colentium, in rebus suis aduersis, atque asperis, adhibere sanè animi æquitatem, atq; constantiam: communibus verò miserijs, & periculis, vehementiùs commoueri. Equidem ipse memoria repetens superiores Reip. calamitates, quæ multæ sanè, & imprimis graues fuerunt, hanc duco omnium esse maximam, atque grauissimam. Vt enim hominum sæpè & grauiter ægrotantium posterior morbus solet esse superiore periculosior, ita omnium, quas vnquam Respub. accepit, recèns hæc clades grauissima iudicanda est: eoque grauior, quòd ad superiores accesserit. Proxima enim quæque hostium victoria quantopere eorum spiritus atque opes ad Rempub. oppugnandam augeat, tantopere animos nostros viresq; ad defendendam imminuit. Quis est autem, qui non intelligat, quantum ea hoc tempore, & quam graue acceperit vulnus, amisso maximo non solùm ornamento dignitatis suæ, sed etiam præsidio salutis? Erat enim Pannoniæ regnum ita hostibus obiectum, vt eius oppositu, tanquam vallo

quo-

quodam & aggere septa esset, ac munita. Ea porrò fuit omni tempore Pannonum virtutis in re militari, fortitudinisq; præstantia, vt in hemp. animus, antequam bellum inter Ferdinandum, & Ioannem reges existeret, vt nullum vnquam pro salute & religione communi periculum recusarint: Bellum continenter ferè cum hostibus nostris, & quidem magis animo parati, quàm opibus, & facultatibus instructi gesserint: sæpe ingentibus eorum copiis pauca manu superatis & fusis, clarissimas Deo opt. max. iuuante, nobilissimasq; victorias reportârint. Atq; hanc ego impendentem Reipub. ac sociis nostris tempestatem, Germani, tanquam ea, quæ oculis cernuntur, multò antè vidi, atq; prospexi. Nec verò quisquam tam rerum imperitus est, qui hoc, quod factum est, non potuerit futurum esse, prædicere. Quid enim erat, quod quisquam dubitaret, cùm attenderet, quantæ, quàm diuturnæ, quàm propè inexpiabiles inter nos dissensiones essent, quin hostis eam, quam semper captare consueuisset, arrepturus occasionem esset vexandæ, & lacerandæ Reip.? Nunc pro vestra prudentia intelligere debetis, cùm salus omnium Christianorum hoc tempore summo in discrimine versetur, vestram tamen præcipuè salutem, ac libertatem agi: quippe cùm hostis tanta victoria sublatus, & feror, occupato finitimo regno vobis immineat. Vos tamen minimè oportet, propter quos reliqui Christiani fortiores esse debent, ipsos ob hanc Reip. plagam, quanquam sit grauissima, animo deijcere: sed patriam virtutem, ac verè Germanum animum capere debetis: & cùm fortiter hanc calamitatem ferre, vt magnas ac fortes viros decet, tum consilium inire, quo pacto fortissimorum virorum militum & sociorum vestrorum necem vlciscì, inultam vestro nomini ignominiam delere, salutem & libertatem tueri, aras, sacra, templa ex imminenti periculo eripere, & cõservare possitis. Et quoniam salus vestra cum cæterorum omnium Christianorum salute coniuncta est, æquum est, quicunq; vobis consultũ volunt, eorum vos studium minimè aspernari: sed quid afferant, benignè ac diligenter audire. Nam de me sic habetote, Germani, Me, quæ dicam, non sine summo vestri omnium amore, & vestræ salutis ac libertatis cura esse dicturum. Amaui enim vestrum ego nomen omni mediusfidius tempore maiorem in modum: vosque & imperio, & omni laude, atque honore dignissimos iudicaui: ea fuit maiorum vestrorum in rebus bellicis gloria, earum gestarum amplitudo: tanta cùm in vniuersos Christianos, tum in Pontifices Romanos beneficia, ac merita: tum honorifica atque ampla ipsorum Pontificum de principibus vestris, ac tota ista natione decreta atque iudicia. Nec verò virtute, ac magnitudine animi, vos non maiorum vestrorum similes extitistis, quos etiam optimarum artium studiis, atq;

omni liberali doctrina superastis. Equidem negare non possum (vos appello, qui Christianam disciplinam commutatam vitis) non possum inquam negare, quin vos paulò fuisse moderatiores optauerim: loquar enim ingenuè, vt natura & consuetudo mea postulat. Sed & si vestra non omnino consilia, nec sententias approbo, ita a vobis tamen dissentio, vt vos minimè oderim, nõ maledictis, non conuitiis insecter. Quin etiam quosdam ex nostris hominibus paulò fuisse doleo intemperantiores: in quibus etiam si mentem eorum optimam agnoscam, modestiam tamen illam, Christiano homine maximè dignam, interdum requiro, atque desidero. Nihil enim arbitror homine Christiano alienius, quàm petulantiam, quàm verborum immoderationem, quàm contumelias, quàm maledicta, quàm iurgia. Sed vt ad vos redeam, quod ego & vos antea de fide, de religione, de sacris, de cerimoniis idem omnino sensimus, & adhuc, etiam si plurimis maximisque de rebus dissentimus, vnum tamen & eundem Deum colimus, vnum Christum seruatorem nostrũ agnoscimus & veneramur, Christianam disciplinam aliqua ex parte eandem tenemus, magnaque in spe sum, vobis ad æquitatem & moderationem delabentibus, breui nos esse consensuros: propterea vos in fratrum loco diligo, Deumque vobis item, vt mihi ipsi placatum esse cupio, atque propitium. Quare & vobis, & reliquis Germanis, quos pari studio & beneuolentia prosequor, id consilij dabo, quod cùm vniuersæ Reipub. tum præcipuè vobis non solùm honestum esse intelligo, sed etiam salutare. Nam ego vestrarum magnitudinem virium, Germani, mecum ipse considerans, gentem hodie in terris aliam esse nullam iudico, quæ hostem victoria exultantem magis comprimere, & spiritus eius, ac ferociã frangere, ac debilitare possit. Siue enim finem vestros intueor, regionum magnitudine sunt latissimi, vrbium, oppidorumq; frequentia celeberrimi: siue genus hominũ specto, & natura est, & exercitatione robustum ac bellicosum: siue opes cogito, & copias, cùm publicè, tum priuatim pręter cęteras gentes dites, atq; opulenti estis. Vnum est, quod pręterea requiratur, vt & vestram salutem ac libertatem tueri, & Reipub. præsidio esse possitis: quod si aberit, non est sanè, cur magnoperè aut opum affluentia, aut virorum multitudine, aut rei militaris gloria confidatis. Quidnam illud est? Consensio, Germani, atque Concordia. Etenim vobis consentientibus, & ad repellendum communem hostem communi consilio, & ope mutua paratis, confirmare audeo magis esse posthac illi de tuendis imperij finibus, quàm de proferendis: de salute sua, quàm de nostro exitio cogitandum. An ego verear, ne quæ gens vna ex omnibus orbis terrarum nationibus aduersus populum Romanum illum potentissimorum

merum regum, maximarum & bellicosissimarum gentium vi-ctorem tanta nominis sui laude & gloria libertatem suam defendere, quæ Romanas sæpe legiones bellandi arte, atque vsu præstantissimas superârit: quæ à tot, tantisque Imperatoribus populi Romani nunquam subigi tota, & pacari potuerit: ea collectos, & maiore ex parte Asiaticos Turcarum formidet exercitus? equidem quantaslibet copias penè inermium, peditum quamuis magnam, sed imbellem multitudinem, ac tumultuariam, paucas denique illas cohortes prætorias, quæ robur hostilium copiarum esse censentur, luxu & delitiis effœminatas minimè sustineat? & quorum magnos exercitus Pannones antequam intestinis dissensionibus vexarentur, sæpe fuderint, iis Germani nec virtute, nec rei militaris disciplina Pannonibus inferiores, numero autem, atq; opibus longè superiores, pares esse non possint? Ego verò consensui vestro ne orbem quidem terrarũ arbitrarer posse resistere. Sed me vestrę Germani intestinę discordiæ, vestræ simultates, vestra terrę dissidia, & cùm de vestra, tum de Reip. salute vehementer anxium, & solicitum esse cogunt. Iam pridem dissidetis inter vos, dissidetis nobiscum: maius vobis & Reip. à vestris dissensionibus, quàm ab hostium multitudine periculum impendet. Hostis perattentè discordias nostras obseruare, & speculari solet: his gaudet, his confidit, has sibi opportunissimas ad totam, quod iam pridem animo agitat, subigendam Europam iudicat. Quare sic sentio, Germani, cùm vestra salus & libertas, è qua vniuersæ Reip. salus pendet, in summũ, ac planè extremum discrimen adducta sit, nihil esse tam necessarium, quàm vitiæ, quæ vos à vobis, & à nobis distrahunt, dissensiones & discordiæ tollantur. Nihil enim profectò eis potest vobis & Reip. esse perniciosius. Id adeò ex superiorum temporum calamitatibus licet intelligi. Etenim quascunque superioribus temporibus clades, & calamitates accepimus, propter nostrarum pertinaciam dissensionum accepimus: quæcunq; regna, quæcunq; Reip. propugnacula, quæcunq; præsidia communis salutis amisimus, propter nostras discordias, si rectè ratiocinari volumus, amisimus. Victi, quod dicere puder, victi, non magis hostium viribus, quàm nostris contentionibus sumus. Amissa est Constantinopolis Græcorum sedes imperij. Quid ita? nempe quia inter se Græciæ principes dissidebant, & cui hosti, si inter se, vt debuerant, consensissent, coniuncti hauò dubiè resistere potuissent, singuli pares esse minimè potuerunt. Amissa paulò pòst Græcia, Epirus, Macedonia, Mœsia. Nempe quia, quos reges callidissimus hostis vniuersos superare non poterat, eorũ discordiis obseruatis singulos oppressit, reliquorum auxilio destitutos. Amissa nostris temporibus Rhodus insula. Nempe iccirco amissa est, quia regibus Christianis

inter se dissidentibus eius occupandæ occasio hostibus obla-
est. Quid? patrum memoria principibus ac ciuitatibus Italiæ in-
ter se pugnantibus, nónne Turcæ Hydruntem oppidum maxi-
mum Calabriæ occupârunt? quo quidem tempore, nisi eorum
esset Rex mortuus, hodie Turcarum imperio pateret Italia. Nec
verò hac in re, singulari fato nostra fuit Respublica, omnibus
hoc idem contigit rebus publicis, semperq; continget, vt propter
intestinas dissensiones in maximas incidant calamitates, & ad ex-
tremum etiam corruant. Quid enim aliud causæ fuit, cur nobilis-
simæ & clarissimæ Græciæ ciuitates priscis temporibus ei, quam
aduersus innumerabiles Persarum copias tam fortiter mutuæ e-
rant, libertatem amitterent, & sub Philippi atq; Alexandri Ma-
cedoniæ regum imperium ac ditionem redigerentur, nisi ipsarum
inter se bella, atq; discordiæ? Quid? Romanos toto pene terra-
orbe subacto, cum nulla iam vi externa superari posse videretur,
nónne bella ciuilia, & intestinæ ipsorum dissensiones afflixerunt,
& florentissimam omnium, quæ in terris vnquam fuerint, ac
maximè memorabilem Remp. euerterunt? Possem multas alias
ciuitates, multa regna proferre, quæ tum antiquis temporibus,
tum memoria nostra propter intestinas discordias labefactaeri, ac
funditus euersa sunt. Sed in re perspicua nihil attinet plura ex-
empla colligere. Quid est autem, quòd miremur rerum publica-
rum venenum ac pestem esse dissidia, cùm etiam priuatas domos
seruet, augeatq; Cõcordia, pessundet, euertatq; discordia? Quid
si quis tam stultus atq; amens est, vt vllum aut regnum, aut Rem-
publicam discordiis perturbatam, ac seditionibus stare posse exi-
stimet diutiùs, is illud quoq; nimirum opinabitur, nauigiũ nau-
tis & inter se, & cum gubernatore pugnantibus, nihilominùs et
fluctibus ac tempestatibus ereptum iri, eoque, quò cursus fuerit,
incolume peruenturum: quo quid cogitari potest amentius? An
non, vt exercitus, militibus imperio ducum modestè parentibus,
ipsis ducibus inter se consentientibus, facilè hostilem vim, & im-
petum sustinent, militum autem & ducum seditionibus nullo
negotio vincuntur: ita Respublicæ summa principum, & reli-
quorum ciuium concordia gubernatæ facilè salutem & liberta-
tem tuentur suam, dissensionibus labefactantur, & concidunt?
Quòd si cui vnquam ciuitati, aut nationi summo studio fuit re-
tinenda concordia: quibus, obsecro, studiosius ea fuit, quam
nobis, qui Christiani & esse, & haberi volumus, confessimus?
Quid est, quod aut nobis sit dignius, aut Christo nostræ salutis
autori, & appellationis acceptius, quàm pax? quàm fraternus
quidam, & mutuus inter nos amor? quàm summa sententiarum
omnium, voluntatumque consensio? Pacem ille in ore habebat
semper, cùm in terris nobiscum versaretur, & præcepta nobis,

atque

atque exempla degendæ vitæ, & consequendæ immortalitatis dare: Pacem, quamcunq; in domum introibat, vt eximium quoddam, & summè optandum bonum, ei domui precabatur: Pacem discipulos & sectatores suos, vt & ipsi retinerent inter se, & cæteros retinendam præciperent, diligentissime monebat. Et sanè quid dicitam absurdum potest, quam cùm ecclesiæ tanquã corporis vnius caput Christus sit: nos, qui eius membra corporis essedicimur, simultatibus inter nos, ac dissensionibus diuulsos, atque disiunctos esse: Fieri posse censemus, vt membra, nisi inter se iuncta, atque connexa sint capiti apte cohæreant? aut in discordes animos, & odio ac simultate suffusos, Spiritus ille diuinus illabatur, & influat? Atqui, si memoria vetera repetamus, nullum vnquam fuisse tempus reperiemus (magno hoc dico cum dolore) quo maiores quàm tempestate nostra, in Republica dissensiones extiterint. Nam vt bella ciuilia, quorum adhuc finem nullum videmus, omittam, tametsi inducijs inter duos maximos reges in aliquot annos Pauli Pont. Max. consilio & auctoritate factis Respub. paulisper conquieuit. Fuit quidem hoc ei propè dicam fatale, vt varijs extiterint temporibus, qui varias de fide ac religione controuersias excitarent, multaque ob eam causam à maioribus nostris viris sanctissimis ac religiosissimis habita scimus esse concilia, quo eis dijudicandis Remp. constituerent, atque componerent. Verum antiquis illis temporibus vna, aut altera de re, paucis certe de rebus, controuersiæ & altercationes oriebantur. Nostra autem ætate quàm multis, bone Deus, & quàm magnis de rebus ambigi cœptum est, & summa contentione disceptari: De enuntiandis coram sacerdote peccatis, de sacrificio, de baptismo, de ritibus, de sanctorum virorũ, qui consecrati sunt, cultu & imaginibus, de expiãdorum post mortem peccatorum locis, de fide & recte factis, de ieiunijs, de sacerdotum officio, potestate, cõnubijs, de sacerdotijs, de iure ac dignitate põtificis Romanorũ: quid multa? verè hoc mihi videor esse dicturus, in cunctis temporum superiorum concilijs tot, ac tantas res agitatas non fuisse, quot, & quantæ res, ætate nostra in controuersiam sunt vocatæ: de quibus etiam, quod meminisse horret animus, ferro iam aliquotiens, ferro inquam, & instructis vtrinq; copijs, maxima hominum Christianorum strage, sed multo maiore Christiani nominis dedecore, acerrime dimicatum est. Quo spectaculo quid sol vnquam vidit indignius? Quis igitur tot, tantasque cõtentiones, quibus ecclesia dissipata atq; discerpta est, diutas ali, atq; inueterascere, non, quam hostibus optabile, tã vobis & Reipub. fore perniciosum videt? Etenim per Deum immortalem, Germani, quo in statu sitis, & quanto in periculo cæterorum quidem etiam Christianorum, sed maxime vestra salus versetur,

tur, quæso diligenter attendite. Turcarum rex Christiani nominis non voluntate solùm, sed etiam natura hostis acerrimus, quo nulla est fides, nulla humanitas, nulla clementia, non magis noster, quam nostræ religionis hostis atq; prædo, cum infinita equitum & peditum multitudine Pannoniam ingressus, dum inter vos in concilio concertatis, dum de sacris, de cerimonijs, de maiorum institutis altercamini, dum attentiores ad vos invicem refellendos, quam ad hostes repellendos estis, neque festinando regi optimo quidem in Remp. animo & excellenti virtute, sed haud magnis viribus, ea quæ debebatis, auxilia subministratis, facile illius exercitum oppressit, & eam sociorum partem stragem edidit, quam sine summo animi dolore, ac gemitu commemorare non possum. Buda oppido munitissimo, & totà inferiore Pannonia, per causam ferendi regulo auxilij, in potestatem suam contra fœdus & pactionem redacta, aditum sibi in Germaniam patefecit: cùm recenti victoria, & perpetuo rerum secundarum cursu, tum vestris dissensionibus spes eius subigendæ illiberatæ est. Etenim quos consentientes formidaret, nec bello temere esse lacessendos putaret, dissidentes sanequam despicit, atque contemnit. Ferdinandum regem toties à se victum, toties cæsum exutum, non de renouando bello amplius, sed de fuga cogitare: vobis cædem, liberis vestris seruitutem, coniugibus stupra, virginibus, agris depopulationem, ac vastitatem, oppidis excidium, atque inflammationem minatur. Vestras de sacris & religione concertationes non decretis, neque sententijs more maiorum nostrorum, sed instituto suo sacerdotum interemptione, templorum spoliatione, atque incendijs se dijudicaturum esse denunciat. Per Deum immortalem vtrum ego desipio, an periculum vobis nobisque imminens maius etiam multo est quàm quantum a me esse dicitur? Vt superiorum calamitatũ obliuiscamur, nonne recenti clade magnum documentum cepimus, quo cum hoste nobis res, atque certamen sit? vel potius, quo cum portento atque prodigio? qui quocunque peruadit cum illa infinita gentium ac nationum barbararũ colluuie tanquam rapidissimus torrens, aut incendium ventorum vi diffusum, longe, lateque omnia prosternit ac proterit. O miseram Christianam remp. quam hodie non tam propter magnitudinem virium suarum, quàm propter pertinaciam contentionum nostrarum vexarunt omnia tempestates ac lacerarunt. O nos amentes, quos innumerabiles propemodum nondum etiam admonuerunt, quàm nostræ nobis sint cùm intestinæ exitiabilesque discordiæ. O stultos, qui Deum nobis ea diffidia nostra iratum, infestumque esse minime sentiamus: longe verò stultissimos ac dementissimos, si cùm id intelligamus, temen in contumacia perseuerantes illum posthac in nos leniorem,

rem, ac non multò seueriorem, & vehementiorem existimamus futurũ. Nunc vos appello Germani, qui studio corrigendę Christianæ disciplinæ (sic n. præ vobis fertis) cum reliquis Germanis & nobiscum dissentitis, quæso me studio Reip. & vestri amore compulsum, paulo vobiscum seuerius agere sinite, & ea quæ dicam, in optimam partem accipite. Externis bellorum tempestatib. concussa est iampridem, & vehementer labefactata Respub. Cur eam, quam fulcire vestrum erat, vestris contentionib. pertinacibus labantẽ, & proclinatam impellere? Quid non intelligitis, si ea (quod Deus omen auertat) collapsa erit, nullos amplius fore sacerdotes, quorum mores & disciplinam corrigatis? nulla maiorum instituta, nullas cerimonias, nullas leges, quas abrogetis: nullam, quę commutetur, Remp. Vos deniq; qui cõmutetis, nullos fore? Ruere & perire vobiscum hæc omnia mauultis, quàm cum reliquis Germanis, ac nobiscum consentientes, vno animo, & communi opere atq; auxilio tueri salutem, tueri fortunas, tueri libertatem communem? Deniq; aras, templa, Christi seruatoris nostri religionem tueri? Quanto est sapientia vestra dignius, quanto vobis gloriosius, exitium incendium, antequam latius serpat, extinguere, quàm committere, vt vestris contentionibus augeatur, eoq; paulo post tota conflagret, ardeatq; Germania? Quod quidem mihi credite futurum est, nisi cum fratrib. vestris omni contentione, & simultate deposita, in gratiam redeatis. Fratres n. & consanguinei vestri sunt, qui similitudine morũ, atq; institutorum, qui religionis & sacrorum cõmunione, qui omnis & diuini & humani iuris societate vobiscum sunt coniuncti: qui eundem, quem vos in cœlo patrem habent, qui deniq; eodem Christi sanguine in spem æternæ ac cœlestis vitæ iterum sunt generati, atq; orti. Turcæ vero communes omnium nostrum hostes, qui præterquam quòd speciem hominum habent, cæteris rebus omnibus nobiscum dissident, disciplina, studijs, moribus, institutis, legibus. Nos libertati nati sumus. Illa barbaries seruituti. Nos ex rebus humanis fidem: ex diuinis iusiurandum sanctissimum putamus. Illa gens fallax, perfidiosa, periura, fœdifraga est. Nos Dei filium Christum seruatorem humani generis colimus, ac summa religione veneramur. Illa Christi religionem ex mortalium animis penitus euulsam cupit. Nostri reges erga populos suos benigni atq; clementes sunt. Eorum rex superbissimus omnes, qui sub eius imperio ac dominatu sunt, seruorum loco, & vilissimorum mancipiorum habet. Nostri reges bello victis non patriam, non agros, non libertatem eripiunt. Ille captos plerunq; omnibus supplicijs affectos necat. Deditis modò vnà cum libertate patriam & fortunas adimit, modò patrijs sedibus exturbatos in longinquas solitudines, tanquam pecora, abigit, ac traducit. Illius teterrimæ atq; immanissimæ

nissimę belluæ superbissimum dominatum nónne etiam ſi vos viuere liceret, tamen qui & liberi, & Christiani nati ſitis, mortem præoptaretis effugere? Atq; is vestris nunc mirum in modum lætatur, exultatq; discordijs, quas quàm maximè sperat, optatq; de se diuturnas. Contrà fratres vestrã diuturnam ab se abalienationem iniquissimo animo ferentes, vt sibi primo quoq; tempore reconciliemini, votis omnibus expetunt. Vósne hosti potius, quam fratrib. salutis, libertatis, gloriæ vestræ cupidissimis, obsequium animum inducetis? Ille id optat, quod vobis turpe, quod nefarij, quod exitiosum est. Fratres, quod honestum, quod salutare, quod pium. Plusne apud vos hostis optata nefaria valebunt, quàm fratrum preces iustissimæ: obsecro vos, obtestorque per Domini ac Dei nostri IESV Christi mortem, quam propter vitam & humanitatem nostram æterno Dei patris decreto & voluntate homo natus obijt, consentite cum reliquis Germanis, conspirate nobiscum, subuenite Reip. communi saluti, libertati, religioni succurrite. Siqua facta est propter diuturnas dissensiones animorum vestrorum offensio, eam Christo seruatori nostro libentes remittite, & condonate. Postremò quoniam commune Christianorum concilium conuocari placet, atq; adeo necesse est, & quidem primo quoq; tempore, siue illud in Italia, siue in Germania habeatur, neq; n. debet hac de re esse contentio, modò is locus deligatur, quò tutò & commodè accedi possit, ad id vos non contentionis cupiditate commoti, sed studio reconciliationis, studio concordiæ adducti conuenitote. Confido tantam fore in amplissimo ecclesiæ Romanæ senatu grauitatem, atq; virtutem, tantam in pontifice maximo moderationem ac sapientiam, tantam in Carolo Imperatore maxime religioso ac pio, reliquisque ecclesiæ principibus cõpositionis cupiditatem atq; concordiæ, vt facile in conuentura Respublica. Quod quidem faxit Christus, quem supplex precor, vt vestras, & principum omnium Christianorum mentes ad studium reconciliationis impellat, & ecclesiam suam difficillimo, ac miserrimo tempore pro sua summa clementia, misericordiaque conseruet.

FINIS.

ANTO-

ANTONII FLORE-BELLI MVTINENSIS, AD PHILIPPVM ET MARIAM REGES, de restituta in Anglia religione Oratio.

QVOD bonorum omnium votis maximè expetebatur Optimi & Religiosissimi Principes, & abs te Regina, simulac regnum adepta es, cœptum fuerat, cùm nõdum Maximo huic & Clarissimo Regi nupta esses: id iam pio amborum studio ac pietate perfectum videmus. Nobilissima hæc Anglorum natio, quæ nefarijs eorum consilijs à quibus opprssa tenebatur, ab Ecclesia Catholica fuerat seiuncta, & a vera religione deducta: cùm singulari Dei beneficio ac misericordia, tum vestris consilijs, curis, laboribus, auctoritate sublato dissidio, ad pristinam pietatem reuocata est. Post tot, & tantas Christianæ Reip. calamitates, tot populorum defectiones, tãtam diuini cultus diminutionem facta, hoc primùm Ecclesiæ vulnus sanatum est, hîc primùm est restituta religio, hi primi populi ad Ecclesiam Catholicam sunt reuersi. Inueterauerat iam hoc malum, & ita corroboratum fuerat, vt actum hîc prorsus de religione, actum de huius gentis salute videretur. Dolebant boni omnes veræ lucem religionis ereptam huic nationi, quæ ab aliis olim ipsa gentibus maxima sua cum gloria, impietatis tenebras depulisset. Lugebat Ecclesia è sinu suo abstractos tot quondam adeò pios, & sibi obsequentes filios. Acerbissimè verò sedes Apostolica ferebat, hos populos, quibus Christi cultum & religionem ipsa tradiderat, quosque non solũ propter ipsorum erga se pietatem, sed etiam ob sua in eos beneficia eximiè diligebat, à se alienatos fuisse. At vos simulatque inter vos matrimonio iuncti estis, nihil antiquius habuistis, quàm vt in regno, quod à Deo accepissetis, ipsius Dei religionẽ instauraretis, adhos vestræ fidei ab illo commissos populos, ad matrem ipsorum Ecclesiam reduceretis. Cùm tantã ad rẽ perficiendam multæ vobis opponerentur difficultates, & magna obstarẽt impedimẽta: nullis

nullis nec laboribus retardari, nec periculis deterreri à pio vestro sanctoque consilio potuistis. Hæc cura vna maximè vestris animis infixa fuit: hac de re inter vos estis multos menses assiduè cõmentati periculorum vestrorum immemores, memores verò diuinarum erga vos beneficiorum, memores Regij muneris, insignumque cognominum. Itaque non antè conquieuistis, quam ad optatum exitum adducta, suus in regno hoc vestro fuerit Christo cultus, suæ Ecclesiæ filij, sua Christi vicario auctoritas restituta. Habet hoc grati animi vestri testimonium Deus optimus, hoc pietatis erga se signum Ecclesia, hoc pignus obseruantiæ vestræ Romanus Pontifex: postremò hoc gentibus omnibus documentum dedistis vestræ sapientiæ, virtutis, atq; constantiæ. Verum illud in Christianam Remp. beneficium cùm per se maximum sit, tum hoc etiam maius, quòd iam sperare videmur fore, vt Germaniæ Principes ac liberi populi tam insigni exemplo communi malo colligant, & suæ saluti aliquando consulant, atq; prospiciant, eò magis, quòd iam experti sunt, quantas ipsis calamitates intulerit perturbatio religionis, & ab Ecclesia Catholica defectio. Quod quidem si fecerint, quemadmodum sanè & optamus omnes, & à Deo precamur, vestrum eò latiùs beneficium patebit. Sin saluti simul & quieti suæ consulere, ac veterem pietatis laudem recuperare neglexerint, vestri tamen pulcherrimi facti laus & memoria nunquam interibit. Et si enim vos quidem, vt Christianis Principibus dignum fuit, vnius Dei gloriam, & huius grauis salutem spectauistis: tamen vt Lucij Regis nomen in Ecclesia celebratur annalibus: quo auctore Britannorum natio, quæ tum hanc insulam incolebat, omnium prima publicè Christi cultum, religionem que suscepit: ita qui res gestas horum temporum literis mandabunt, religionis in hoc primum regno, post diuturnum dissidium vestra opera restitutæ, eiusmodi vobis profectò testimonium dabunt, quod nulla poterit nec diuturnitate temporum obscurari, nec posteritatis oblitione deleri. Quos enim hac de re omnibus iam in locis sermones haberi? qua prædicatione quisquam laudibus vos in cœlum ferri? quas hoc nomine Deo gratias non putatis à pijs omnibus? Ipsa profectò templa, quæ in hoc regno sunt, & lætari videntur, & vobis gratias agere conari, quòd ipsis sanctitas, suæ imagines, suæ aræ, sua sacrificia fuerint restituta. Quid illos beatos cœlitum choros atque ordines? quos tum gaudio? qua exultare lætitia? quos hymnos Deo canere credam? Etenim si vel vnius hominis causa, quem peccatorum suorum pœnituerit, tantam in cœlo gratulationem fieri, Christus Dominus noster dixit: quid tanta natione ad pristinam pietatem reuocata, quantopere tandem cœlum exhilaratum putatis, & quam lætas gratias Deo agentium vocibus personare? Præclare igitur Basilius

ellis tum Catholicorum Principum, tum Fidei defensorum offi-
cio, quæ cognomina, vt omnes augurabamur, & vt res declara-
uit, inter vos non sine diuino quidem consilio cõmunicata sunt.
Pietate & pietati vestræ constitistis, & eorum, à quibus orti estis,
laudibus respondistis. Nam vt de patre, & maioribus tuis priùs lo-
quar lectissime: Ecquis plures pro Christiana Rep. labores
suscepit? ecquis pluribus pro religione periculis caput suum ob-
iecit, quàm parens tuus Carolus Imperator? Ille Turcarum Regis
impetum, cum innumerabili equitum & peditum multitudine
Pannoniam superiorem petentis, repressit, ac turpiter eum suos
sese in fines recipere coëgit: Ille Arriadeno Turcarum duce vna
cum ingentibus Afrarum & Numidarum auxilijs in Africa deuic-
to, ac Tuneto recepto, viginti & eo amplius Christianorum mil-
libus libertatem restituit. Ille iterum in Africam traiecit, vt Ar-
gieram vrbem maritimam, firmissimum hostium aduersus Chri-
stianos præsidium expugnaret, cuius vrbis propè iam captæ op-
pugnatione desistere coactus propter sæuissimas tempestates, &
repentinum illud nauium incommodum, tantam tamen in illa
obsessione magnitudinem animi declarauit, vt plus ferè auctori-
tatis ipse ex aduersis rebus adeptus sit, quàm cæteri soleant ex se-
cundis. Postremò ille vt Germanos Ecclesiæ reconciliaret, pluri-
mum semper laborauit: ad extremum autem cum nihil proficeret, grauissimum ob eam causam susceptum bellum, & si felicissimè Deo iuuante confecit, tamen non sine maximo gessit & regnorum suorum, & capitis discrimine. Quid proaui tui Ferdinan-
dus Regis Hispaniæ? quid eius vxoris Elisabethæ? quàta, & quàm il-
lustrium Ecclesiam merita extitere: qui non in Hispania modò religionis nostræ fines protulerunt, verùm etiam gentes ab his, quæ notæ sunt, orbis terrarum partibus, vastissimo Oceano diui-
sas, & in alterum cœli verticem spectantes, nobiscum religionis & sacrorum communione iunxerunt. Quid Lusitaniæ reges Io-
annes & Emanuel ille auus tuus maternus, hic proauus? nónne missis vsque in vltimas oras Indiæ classibus, & Christi illuc religione aduecta perfecerunt, vt contrario itinere sol iam alter ex his occidentis partibus in orientem, & quidem multo splendidi-
or, & saluatior commearet? Nam quid de te ipso dicam? qui tam pie, tam religiosè iam indè à puero vitam instituisti: tantum di-
uini cultus studium, omnibus dictis & factis præ te tulisti: tanto denique sacerdotes in honore semper habuisti, vt catholici co-
gnomen non tibi à maioribus traditum, sed à te ipso inuentum & partum fuisse videatur. Nihil tu igitur pietate tua alienum fe-
cisti, nec patri & maioribus tuis minus, quàm ab eis acceperis, pietatis reddidisti, nisi fortè minùs bene de Ecclesia mereri cen-
sendus sit, qui amissas prouincias ei restituat, quàm qui nouas

adiungat: aut Ecclesiæ minùs intersit, hæreses, quæ æternum ni-
mis exitium & interitum afferunt, extingui, quam hostibus, qui
corporibus tantùm nocere possunt, resisti: aut Christianis hom-
nibus minùs optabile sit ex satanæ faucibus eripi, quam ex hom-
num vinculis liberari. Quid verò tu Regina? nónne matris tuæ
sanctissimæ Reginæ? nónne eorum quos modò commemoraui,
Hispaniæ Regum, à quibus ipsa quoque orta es, nónne tui in
primis ipsius similis fuisti? Quis ignorat, quam tu constanter in
vera & syncera Christi religione, & fide erga vicarios ipsius man-
seris ex eo tempore, quo Romanorum Pontificum subiata hic
penitus auctoritas, Christi vero non commutata fuit, sed prostra-
ta, & funditus euersa religio? eorum iussu, qui tum dominabantur,
qui quidem postea meritas impietatis suæ pœnas dederunt, inno-
centissimi homines cuiusq; generis atq; ordinis, quòd apprehendere
recusabant tanta illa in Deum & homines scelera, alij ad supplicium
rapiebantur, alij conijciebantur in vincula. Cùm tibi ante
oculos versaretur illorum sanguis pro Christo morientium horū
squalor in carcere habitantium: cùm tibi ipsi (ò rem indignam)
custodes apponerentur, tamen nullius te periculi metus, nullæ
contumeliæ, nulla interdicta à vera religione & pristina pietate
tua deducere potuerunt. Quin etiam ad eosdem subeundos casus,
si tantū illi facinus in te ausi essent, paratā te fore ostendebas, ac
passuram te potiùs ipsam Deo immolari, quàm tibi sanctissimū
illud à Christo institutum sacrificium eripi. Vt Christum autem
in tuo castissimo pectore semper inclusum habebas, ita deceptis
custodibus præsentem eum in Eucharistia, & summa cura ac dili-
gentia in cubiculi tui pariete asseruatum, sanctissimè colebas. Eo
tu vno in calamitatibus tuis, & illa indignissima vexatione per-
fugio atq; solatio vtebare. Itaq; cùm illo turbulento tempore re-
gij virgo generis, antiquam & veram religionem tam constanter
& fortiter retineres, non minùs tu quidem vel Christi nomen il-
lustrabas, vel bonorum animos confirmabas, quàm illi, qui aut
vinciri se, & perpetuis mandari tenebris malebant, quam ipsis ap-
probantibus Sacramenta tolli Christi amoris erga nos vinculi,
& diuinæ misericordiæ pignora, aut præcidi sibi capita patieban-
tur, ne suum Ecclesijs Angliæ caput abscissum viderent. Non di-
cuit autem tibi tuum pro Christo sanguinem profundere, quòd is
te nimirum sibi ad hæc ipsa tempora reseruabat, vt suum per te
nomen rebus secundis redderetur illustrius, quod iam illustrā
fuisset aduersis. Atque hoc Dei fuisse consilium, rerum exitus a-
pertissimè declarauit. Tam miris rerum euentibus & regnum ni-
tio is ad te detulit, & idem postea conseruauit: quę quidem admira-
bilia eius in te beneficia iuuat pia non modò memoria, verùm et-
iam oratione prosequi. Quis n. apertiùs quam tu vnquam Rex ab

eo con-

eo cõiurus fuit, & in regali solio propè ipsius manu collocatus? Venerat aduersus te simulac frater tuus est mortuus, Dux Northumbriæ, qui regnum istud viuo etiamnũ fratre tuo, spe deuouerat. Magnas secum copias equitum & peditum adduxerat. Maximos aditus intercluserat, non modò vt ne qua ad te ex Belgis auxilia mitti possent, sed vt ne effugere quidem tibi ex Insula liceret. Habebat secum plerosq; Angliæ principes, quos in verba sua iurare coëgerat: qui & si causam tuã probabant, & hominẽ ob impotentem eius dominationem, atq; intolerandam arrogantiã oderant, tamen nefarijs eius conatib. aduersari nec poterant, nec audebant, tantus ob eius potentiam timor omnes inuaserat: tenebat ærarium, tenebat vrbẽ hanc regni sedem atq; arcem. Quis non actum de regno, & de salute tua existimasset, cum & sola esses, & à rebus sane omnibus imparata? Qua rum boni omnes de te solicitudine? quo timore? qua cura afficiebantur? quæ vota faciebant? cũ salus tua & religionis causa simul tanto in periculo versaretur. Actu in tanta rerũ omniũ inopia, tantoq; discrimine, præsidium ab animi tui magnitudine petijsti: & regnum quod armis recuperare nondum poteras, literis ac nuntijs in omnes regni partes dimissis, tibi, vel Deo potiùs repetere, ac vendicare minimè dubitasti. In primis verò ad ipsum Deum supplex confugisti, multis eum cum lachrymis testata, quò tua consilia spectarent. Iam ea, quæ secuta sunt, eiusmodi fuerunt, vt hostis ipse superbus, Deũ à te stare planè senserit, & temeritatis eum suæ serò pœnituerit. Cùm enim excitato illo incredibili populorum erga te studio, maxima vndiq; ad te cuiusque hominum generis auxilia confluxissent, subitò desertus ab omnibus, & captus vnà cum liberis, in potestatem tuam venit. Ita sine vlla non tuorum modò cæde, sed ne aduersariorum quidem, quos ipsos seruare, non perdere cupiebas, recuperato regno, vrbem hanc regiam victrix maximo plausu & gratulatione omnium ingressa es: Quam vnquam admirabiliorem victoriam? quem clariorem triumphum? quam vllius Regis speciem pulchriorem accepimus? O rem omnium annalibus & literis celebrandam? ò insigne diuinæ seueritatis in improbos, beneuolentiæ in pios homines, testimonium? Quàm illustri atque mirabili exemplo, Deus docuit in sua esse potestate regna atque victorias: consilijs suis nullas posse humanas opes obsistere: impiorum res secundas, fluxas esse: irrita consilia, spes inanes: seruos verò suos à se nunquam deseri: curæ sibi eorũ esse non salutem modò, verùm etiam dignitatem. En, qui tantas super opes & copias habebat, qui tantùm consilijs, tantùm affinitatibus, tantùm clientelis suis confidebat, qui tantùm auctoritate valebat apud exteros, tãtopere verò ab omni Anglia metuebatur, ab inermi virgine deuictus subitò ita concidit, vt eius no-

men eodem, quo corpus tumulo fuerit obrutũ ac sepultum: cui verò sola, quę calamitosa, quæ ab omnibus nuda præsidijs hominis erat, in tam alto repentè honoris ac dignitatis gradu ab ip Deo est collocata, vt nullius iam Reginæ sit toto terrarum o be nomen illustrius. At quantam in rebus tam secundis moderationem animi adhibuisti? Alij Reges deuictos hostes, præsertim à quibus adducti in summum capitis periculum fuissent, acerrimè vlti essent, idque sibi & diuino & humano iure licere existimassent: tu vt in periculo fortis, ita clemens in victoria fuisti: cepto enim tanti sceleris principe, duobusque alijs, de quibus supplicium sumptum fuit, & quidem multo leuius, quam ipse commeruisse faterentur, omnibus qui contra te armati erant, maximo, & regio verè animo pepercisti, neminem inuitum ex tot hominum millibus interfici passa es, neminem priuari, neminem vlla omnino in re violari, quin etiam multorum, qui Northumbriæ ducem secuti fuerant, in grauem humiliaritatem tuam receptos, honoribus ac beneficijs auctis, quorum postea strenua sanè & fideli opera vsa es, quore animo futuram in illos, qui in officio ac fide mansissent, declarasti, qui in illos, qui contra te steterant, tam mitis, tam misericors? misericors autem? imò verò tam benefica fuisses? quàm porrò ergo Deum grata, quæ hominum iniurias beneficijs rependisses? Atque hoc loco, silentio præterire non possum tuam mirumè celebratam vocem. Nam nonnullis, quibus consilium tuum tunc aperueras, optimum illis quidem animum tuum laudantibus, tamen quòd eos amor videlicet timere omnia, & de salute tua sollicitos esse cogebat, vt cautiùs ageres, & vt nescio quam temporis maturitatem expectares hortantibus respondisti, vt Deus ipse minimè cunctatus esset in custodienda salute tua, & regno tibi reddendo: ita nec tibi in sua illi restituenda Religione esse cunctandum, neque timidè & diffidenter eius causam suscipiendam, quam tam apertè defendisset: ò commemorabilem & præclaram responsionem, testem pietatis tuæ, indicem constantiæ. Itaque non procrastinasti, non moram vllam interposuisti. Sed continuo omni animi impetu, & tota mente ad instaurandam in regno tuo religionem eius & cultum incubuisti. Cuius rei præclara iam fundamenta ieceras, cùm perpetuus ille humanæ salutis hostis, & diuinæ gloriæ obtrectator, excitato in Cantio per audaces quosdam hominem tumultu, tam sancta salutariaque consilia impedire conatus est. Erat res in maximo discrimine, cum & hostis tam propinqui essent, & eorum in dies numerus augeretur, cooptatis plurimis, quos rerum nouarum studium & prædandi cupiditas rapiebat: nec verò paruum periculum a coniurationis ducibus imminebat, qui remotiores regni partes petierant, vt diuer-

sis in
sane
cidis
ria,
mens
sum
fracta
num
& cel
tas, c
tione
um e
desis
mor
freta
rè te
cessi
requa
adue
stabat
ad qu
fuit,
indic
occu
tam
fuisse
pate
fine
popu
hact
tissi
stulas
que a
cudu
mum
popul
maxi
nauis
aucti
quos

dis in locis alios vno tempore tumultus excitarent : ipsa autem sanequam imparata eras, cùm id præter opinionem omnium accidisset, ac mirarum : quis enim tanta nuper abs te parta victoria, sublato Northumbriæ Duce, reliquis omnibus partim cleuentia tua, partim liberalitate deuinctis, cùm iam regnum summo omnium consensu obtineres, futurum quenquam tam audacem, tam amentem, tam furiosum existimasset, qui nouas turbas commouere conaretur : Itaq; in maximum rursus boni omnes timorem de te, & solicitudinem adducti erant. At tu cæteris tam repentino tuo periculo perturbatis, animo ipsa minimè fracta, ac debilitata es, sed ita te gessisti, vt omnes & prudentiam tuam admirati sint, & animi magnitudinem agnouerint. Nam & celeriter tanta præsidia, quanta temporis patiebatur exiguitas, comparasti : & populum hunc graui & illi tempori apta oratione confirmasti. Appropinquante verò huic vrbi iam hostium exercitu, cùm tui te hortando & obsecrando vrgere non desisterent, vt in arcem te reciperes, ne tum quidem vllum timoris signum misisti, non tam copijs tuis nimirum, quàm Dei freta præsidio. Neque verò spem is tuam fefellit, neque obscurè te ex tanto periculo eripuit, fusis illa memorabili pugna, cæsisque hostibus, capto eorum duce, reliquis coniuratis antequam moliri, & turbare quicquam possent, repentino tuorum aduentu oppressis, ex quibus is qui & opibus, & auctoritate præstabat, ò rem penè incredibilem, ferarum indicio captus est, ad quarum latibula confugerat. Tanta enim causæ tuæ pietas fuit, vt illi feræ etiam ipsæ fauerint, & hostes tuos, quos verbo indicare non poterant, latratu prodiderint : latebræ verò non ad occultandos eos valuerint, sed ad detinendos. An erit quisquam tam cæcus, ac potiùs tam impius, qui Deum tibi manifestò adfuisse non videat ? qui aut tantam coniurationem tam celeriter patefactam, aut tantum tumultum tam feliciter sedatum fuisse, sine diuino auxilio & numine existimet. Ecquo in bello Deus populum olim Hebræum ab ipsius hostibus apertiùs, quàm te hac tempestate aduersus tuos tutatus est ? Agnouisti sanè ipsa gratissimo animo cœlestis amorem Patris erga te, quidq; is à te postularet, tam insigni beneficio ipsius admonita intellexisti. Itaque ad opus illud, quod iam institueras, absoluendum & perpoliendum, curam omnem & cogitationem tuam contulisti. Ac primùm cùm pro tua summa prudentia intelligeres nihil esse tam populis salutare, quam bonos & idoneos illis præesse pastores, maximam in eo diligentiam adhibuisti, vt Ecclesiæ quæ in regno sunt, à pijs & doctis Episcopis regentur : in eorum locum, qui aut decesserant, aut ex Pontificijs legibus abdicare se illo sacerdotio coacti fuerant, suffectis ex Pontificis Maximi auctori-

tate viris spectatæ pietatis, & sacrarum literarum scientia præstantibus. Cùm autem tui te assiduè hortarentur, vt nuberes idque à populis, qui sub imperio tuo sunt, desiderari, & ciuis regni quieti, tum etiam Religionis causæ expedire dicerent, quòd seditiosi homines ad res nouas molitendas solitudine tua incitarentur: tu & si expertem nuptiarum vitam libenter egisses, vt DEO liberiùs seruires: tamen quò facilius & ipsius DEI honori, & commissorum tibi ab eo populorum saluti paciq; consuleres, socium tibi & adiutorem tuarum sanctissimarum actionum, hunc potissimùm Regem asciuisti, quo nemine sanè vel pietate, vel iustitia, vel probitate, vel clementia tui similiorem deligere potuisti. Quas nuptias vnquam sanctiores? quas à DEO magis approbatas fuisse censemus? quas Religionis amor tantummodo, & publicæ vtilitatis studium conciliauit & iunxit? quo autem ex matrimonio sobolem vestræ parem, ac similem ortam esse accepimus? ex aliorum enim nuptijs corporum filij nascuntur. Vos, quot homines Deo & Ecclesiæ reconciliastis, tot Religionis filios suscepistis: vt ac filius quidem, quamuis sanctæ virginitatis gloria sit cum vestri coniugij fœcunditate conferenda. Quanquam pro pietate nostra DEVS Optimus, dignam quoque profectò vobis prolem dabit, cui regnum hoc sitis, postquam illi vos diutissimè præfueritis, tradituri. Iam beneficij vestri erga nationem hanc magnitudo, ex miserijs, in quas propter suam ab Ecclesia, & a CHRISTI vicario alienationem inciderat, facilè potest intelligi. Qui enim à CHRISTI corpore, quod est Ecclesia: & ab eius vicario, qui Romanus est Pontifex, seiuncti fuissent, a CHRISTO quoque seiuncti erant, & ea re omnibus eius beneficijs carebant. Nihil ergo illis CHRISTI mors, nihil ab eo instituta mysteria, nihil vlla omnino ipsorum rectè facta proderant: tantumque aberat, vt qui ex hac vita decessissent, cœlestem illam hæreditatem possent cernere, vt æternas ad inferos huius ipsius dissidij pœnas luerent. Quid hoc eorum statu miserius? quid hac vitæ conditione horribilius dici aut cogitari potest? At nunc Ecclesiæ iterum adscripti, atque ita cum CHRISTO eius capite coniuncti, omnia CHRISTI beneficia ac munera recuperarunt. Nunc ex CHRISTI morte, nunc ex sanctissimis Sacramentis, nunc ex pietatis officijs, fructum, vtilitatemque percipiunt. Nunc illis DEVS pater est, quoniam quem matrem ipsi Ecclesiam agnoscunt. Nunc illis denique aditus in cœlum patet, quoniam ei reconciliati sunt, cui ab ipso CHRISTO, claues cœli traditas fuisse, quemque eius in terris esse vicarium vniuersa semper consensit Ecclesia. Nónne igitur illi iure ac merito parentes vos suos appellarint, quando hac necessi-

tudine

vudine nulla maior est inter homines, neque sanctior, quibus plus etiam quam ipsis debent parentibus? Ab illis enim ea acceperunt, quæ cùm caduca sunt atque fragilia, tum in eorum, qui superioribus annis in hoc regno dominabantur, erant sita libidine: quemadmodum quidem varij & luctuosi plurimorum casus, & indignissimæ calamitates docuerunt: quorum alijs libertas, alijs bona, alijs patria, alijs vita per acerbissimos cruciatus erepta est. At iam non ea modò securi vobis Regibus obtinent: & si qua præterea suo ipsi labore pepererunt vt honores ac dignitatem, verùm alijs verioribus & multò maioribus bonis beneficio vestro perfruuntur. Per vos enim illis Deus reconciliatus atque placatus est: per vos cœlestis illis ciuitas reddita: per vos omnia illis diuina restituta sunt munera: per vos denique ita renati sunt, vt qui à parentibus geniti sunt & mortales, & maximis miserijs obnoxij, iam immortalem & beatissimam vitam sibi possint comparare. Quibus vos tantis honoribus prosequi? quibus tam præclaris decorare monimentis poterunt? vt vel pro minima tot & tantorum erga se meritorum parte, satis gratum in vos animum queant declarare? O felicem te Anglia, cui ex tot nationibus ab Ecclesia segregatis, vni post diuturnas tenebras tanta diuinæ misericordiæ lux affulsit: & post illa miserrima & calamitosissima tempora, Rex & Regina à Deo dati sunt, tanta pietate præditi, & salutis tuæ tantopere studiosi? Vos verò beatissimos Oprimi post hominum memoriam Reges, quibus hanc mentem & facultatem DEVS dedit, vt tantum in hos populos beneficium conferretis. In quo maiore nimirum DEI benignitate ipsi vsi estis, quàm cùm regnum istud eiusdem estis munere consecuti. Non modò enim Angliæ regnum, quamuis nobile & amplum, atque opulentum sit, sed ne totius quidem terrarum orbis imperium cum hoc, quo functi estis, erga DEVM simul & homines, officio est comparandum. Nam regnorum quidem possessio, item vt ipsa hominum vita, breuis & fluxa est, multasque secum molestias & curas affert. At verò istius officij fructus æternus est, & sempiternæ efficiens beatitudinis. Etenim si maxima illis merces est proposita, qui vel vnum hominem ab impietate ad religionem & cultum DEI traduxerint: quod tandem præmium vobis in cœlo paratum esse censetis, qui innumerabili hominum multitudini, quæ in hoc regno est, ad veram pietatem reuocatæ, salutem pijs vestris consilijs attulistis, neque eos modò conseruastis, qui sunt hoc tempore: sed posteritatem eorum omnem beneficio vestro complexi estis? Quorum igitur Regum, Imperatorumque res gestæ tam amplæ vnquam ac tam magnificæ & gloriosæ fuerunt, vllæ cum vestræ huius actionis pietate, amplitudine, gloria

comparandæ? Admirari solent plerique vel maximè Res à Ontifredo Boëmundo & Balduino clarissimis Ducibus gestas, qui cum ingentibus olim copijs ex his occidentis partibus in Asiam profecti, victis ac superatis Christiani nominis hostibus, vrbem Hierosolymã, & sanctissimum illud Christi liberatoris nostri sepulchrum receperunt. Et sanè illi optimè de Christ. Repub. meriti fuerunt, neque aduersus hostes res vlla vnquam à Maioribus nostris gesta est gloriosior, atque præclarior. Verum meo quidem iudicio factum vestrum gloriosius est, atq; præstantius. Illi enim Christianis hominibus, siqui peregrinari Religionis causa vellent, ad Christi sepulchrum iter patefecerunt. Vos tantæ huic nationi aditũ ad cœlestem patriam & ad CHRISTVM ipsum aperuistis. Illi loca illa, quæ fuerunt tanquam nostræ Religionis incunabula, Ecclesiæ reddiderunt. Vos Ecclesiæ, magnam ipsam & nobilem in primis partem, quæ amissa fuerat, reddidistis. Postremò illi res eas maxima Barbarorum quidem illorum, sed tamen hominum cæde gesserunt: vos hosce populos, qui propter ipsorum ab Ecclesia disiunctionem iam perierant, ad vitam reuocastis. Et si autem tantam rem sine exercitu, sine vi, sine armis, pietate tantùm, & consilio, atque auctoritate perfecistis: tamen maximam à vobis & à bonis omnibus laudem merentur, tum lectissimi homines cuiusque ordinis, qui communi huius gentis consilio à vobis conuocato interfuerunt, quòd tanto studio ad instaurandam religionem consenserint, & ius suum atque auctoritatem sedi Apostolicæ ac Romanis Pontificibus reddiderint: tum amplissimi viri, quorum consilio in administrando regno vtimini: qui non solùm consilia vestra, vt primùm hac de re cum eis communicastis, approbarunt, verumetiam egregiam postea vobis operam pro sua fide nauarunt. Nam Iulij quidem Romani Pontificis ea in vos studia fuerunt: ea paternæ erga hos populos voluntatis signa, vt nulla sanè maiora esse potuerint. Qui vt primùm in spem venit huius regni sibi & Ecclesiæ reconciliandi, omnem mentem, curam, cogitationem suam in hac sanctissima actione fixit ac locauit, neque vllum optimi Pontificis munus prætermisit, vt & Christi, cuius in terris locum obtinet, honori, & vestræ quibus maximè fauet, gloriæ, & huius quæ à Romanis Pontificibus semper eximiè dilecta fuit, nationis saluti consideret. Itaque vt, quod sibi de pietate vestra pollicebatur, efficerent præstare possetis, & nuptias vestras auctoritate sua studiosissimè comprobauit, & omnem in hos populos fontem suæ benignitatis effudit. Legatum verò eum potissimùm ad vos misit, cuius incredibilis pietatis in Deum, amoris in patriam, fidei in te Regina viginti & eo amplius annorum exilium, & acerbissimi suorum casus, ac nobilissimæ familiæ euersio testis esset. Tantum enim illi ani-

illi animi robur à Deo, tanta fuit data constantia, vt illo turbulentissimo tempore, quo nefaria consilia inibantur contra religionem, contra Romanos Pontifices, contra te Regina, non modò præmijs, quæ sibi proponebantur, amplissima, à fide officioque deduci non potuerit: sed & patriam, & fortunas, & matrem sanctissimam fœminam, & fratrem eximia pietate atque virtute, & fratris liberos sibi iucundissimos amiserit, omnesque acerbitates pertulerit, ne causam tuam, causam patriæ, causam Religionis desereret, ac proderet. Cuius in fungendo huius legationis officio curam, studium, laborem, industriam, diligentiam commemorarem (etenim harum rerum testis sum optimus) nisi & ipse vererer, ne hæc illum offenderet oratio, cuius omnia, facta, dicta, consilia ad DEI honorem referuntur, & vos ipsi alijs testes esse possetis. Quem nunc post tam diuturnum exilium, post tot, & tam graues calamitates, tot pericula, cum tanta omnium lætitia, tam honorifico vniuersi Anglorum concilij decreto, tanto vestro studio reductum in patriam videamus, & reductum ob eam ipsam religionis causam, propter quam discesserat: nónne præter alias res quamplurimas, quæ in hoc regno contigerunt, quibus vim & prouidentiam suam Deus apertissimè declarauit, vel hoc maximum, & in primis perspicuum est, ipsius prouidentiæ signum ac testimonium? nónne hoc quoque vel maximè omnium bonorum studia debet accendere, vt quibuscunque rebus possint, eius honori consulant, à quo videant bene de Religione ipsius, Ecclesiaque merentium non modò custodiri salutem, verumetiam augeri dignitatem? Quid verò illum vos? quo studio flagrare censetis, vt & Deo, à quo tot beneficia accepit, gratum se præstet: & cùm vestræ, qui tantam in eum beneuolentiam declaraftis, laudi, tum patriæ, à qua tam honorificè & amanter exceptus est, cõmodis semper inseruiat? quæ quidem omnia præstare facilè poterit, si modò, quoniam hac legatione iam functus est, ad illam alteram fungendam, quæ pertinet ad extinguendum maximi & calamitosissimi belli incendium, quod inter Cæsarem & Regem Galliæ tam diu geritur, vobis, vt sperat, adiutoribus vtatur. Quamobrem pergite Clariss. Reges Dei honori seruire, vt omni tempore fecistis: pergite cùm de his populis, tum de vniuersa Christ. Repub. quàm optimè mereri: videtis quanto illa in periculo versetur propter bellum tam graue, tam diuturnum, tam longè lateque diffusum. Non quæro, vtrius causa sit melior: non quæro, vter initium belli fecerit, & alterius finibus prior inuaserit. Hoc dico, Christianæ Reipublicæ opes quotidie magis exhauriri, vel potiùs iam esse exhaustas atque consumptas. Ruere eam, nec diutiùs stare posse confirmo, nisi à vobis, qui & potestis & debetis, celeriter ei subueniatur. Subuenire

per Deum immortalem, per Christi mortem, per illam sanctiſſimam crucem, in qua is pro ſalute noſtra pependit, ſubuenite illi, veſtram fidem, veſtram opem atque auxilium implorant. Valebit profectò apud Cæſarem optimi filij voluntas, & piæ matris preces. Valebit apud Regem Galliæ, duorum tantorum Regum auctoritas. Reliquum hoc opus eſt, quod à vobis efficiendum ſit, & quidem id vel maximè conuenit huic rei, quam geſſiſtis: vt quemadmodum diſſidium, quod inter hanc nationem & Eccleſiam erat, per vos ſublatum fuit: ita bellum hoc, quo concutitur Chriſtiana Reſpublica, veſtra auctoritate & opera componatur. Quod ſi perfeceritis, vt hæc natio a vobis conſeruata, ita vniuerſæ Chriſtianæ Reipublicæ ſalutem omnes vobis acceptam referent.

FINIS.

POEMATA

IACOBI SADOLETI CARD. DE LAOCOONTIS STATVA, QVÆ ROMÆ in Vaticano spectatur.

Ecce alto terræ è cumulo, ingentiq; ruina
Visceribus iterum reducem longinqua reduxit
Laocoonta dies: aulis regalibus olim
Quæ stetit, atque tuos ornabat, Tite, penates.
Diuina simulacrum artis, nec docta vetustas
Nobilius spectabat opus, nunc celsa revisit
Exemplum tenebris rediuiua mœnia Roma.
Quid primum, summis ue loquar? miserumne parentem
Et prolem geminam? an sinuatos flexibus angues,
Terribilis aspectu caudasq; irasq; draconum,
Vulneraq; & feros, saxo moriente, dolores?
Horret ad hæc animus, mutaq; ab imagine pulsat
Pectora, non parvo pietas commixta tremore.
Prolixum bini spiris glomerantur in orbem
Ardentes colubri, & sinuosis orbibus oram
Ternaq; multiplici constringunt corpora nexu.
Vix oculis sufferre valent, crudele tuendo
Exitium, casusq; feros: micat alter, & ipsum
Laocoonta petit, totumq; infraq; supraq;
Implicat, & rabida tandem ferit ilia morsu.
Connexum refugit corpus, torquentia sese
Membra, latusq; retro sinuatum a corpore cernas.
Ille dolore acri, & laniatu impulsus acerbo,
Dat gemitum ingentem, crudosq; auellere dentes
Connixus, luuam impatiens ad terga Chelydri
Obtcut: intendunt nerui, collectaq; ab omni
Corpore vis frustra summis conatibus instat,
Ferre nequit rabiem, & de vulnere murmur auhelum est

Al ser-

At serpens lapsu crebro redeunte subintrat
Lubricus, intortoq; ligat genua infima nodo.
Crus tumet, obsepto turgent vitalia pulsu,
Liuentesq; atro distendunt sanguine venas.
Nec minus in natos eadem vis effera sauit,
Implexuq; angit rapido, miserandaq; membra
Dilacerat: tamq; altertus depasta cruentum
Pectus, suprema genitorem voce cientu,
Circumiectu orbis, validoq; volumine fulcit.
Alter adhuc nullo violatus corpore morsu,
Dum parat adducta caudam diuellere planta,
Horret ad aspectum miseri patris, hæret in illo:
Et iam iam ingentes fletus, lachrymasq; cadentes
Anceps in dubio retinet timor. Ergo perennis
Qui tantum statuistis opus iam laudentes,
Artifices magni (quanquam & melioribus actu
Quæritur æternum nomen, multoq; licebat
Clarius ingenium ventura tradere fama)
Attamen ad laudem quæcunque oblata facultas,
Egregium hanc rapere, & summa ad fastigia.
Vos rigidum lapidem vivis animare figuris
Eximit, & vivos spirantis in marmore sensus
Inserere aspicimus, motumq; tramq; doloremq;:
Et panè audimus gemitus: vos extulit olim
Clara Rhodos, vestræ iacuerunt artis honores
Tempore ab immenso, quos rursum in luce secunda
Roma videt, celebratq; frequens: operumq; vetusti
Gratia parta recens. Quanto præstantius ergo est
Ingenio, aut quouis extendere fata labore,
Quam fastus, & opes, & inanem extendere luxum.

DE CAIO CVRTIO ET CVRTIO LACV.

IRE per æternos avi venientu honores
Conspicuum meritis & tuga viuere fama
Fas illum est, quem fata vocant, cui pectore præsens
Excubat, atque animum cœlo adjecit ignea virtus:
Cuius sæpe sagax trepidis prudentia rebus
Vestigauit opem, docuitq; haud sera Senatum:
Siue armis ille & dextra, seu morte cadentem
Seruauit patriam, atque hostes in funere vicit,

Nec

Nec tamen est decorum tantorum maxima merces
Laude hominum, aut positis triuio spectanda trophaia,
Quamuis longa datum struerent in sæcula nomen:
Verùm illuc melior spes euocat, vnde recepti
In lucem sumus, ac patrios renouamur ad ortus,
Cùm cœlum superosq; lares, axemq; serenum
Suspicimus, rapido circum qui sidera flexu
Torquet, & immensos altis ciet orbibus orbes.
Hunc pater omnipotens alterna luce micantem
Constituit, nec vos pulcra in spectacula claris
Ignibus & multo stellantem insignit auro
Dignam sedem animis præstantibus illa Deorum:
Illa domus nobis patria est. hic nobile magna
Accipiunt pretium, regnantq; per æthera mentes.
Sed fuit hoc olim, superas euadere ad arces
Regia tecta Deûm, cœtu meruere frequenti,
Magnanimi heroes, prisci quos extulit annis
Tyne, cum larga ducum fundebat semina tellus.
At nunc (quandoquidem hæc turpi consumpta veterno
Iam pridem infelix, inhonoratq; iacuit ætas,
Et cecidit decus & dominatum more sinistro
Exitium ingenium, virtusq; facessere iussa est)
Nos veterum facta haud segnes repetamus auorum
Fortia, & ad priscum curam hanc certamus honorem
Qua fortuna sinit, quantum est concessa facultas.
Sitq; prior, quem non metuo, & grauis ira Deorum
Terruit, abyssa non monstra immania terra,
Quin facto egregio infernis se tradere aris.
Nam siue infensis Capitoli, arcisq; Lyceæ
Præsidibus supuris, clausi seu turbinis æstu
Mota loco tellus spatij discrimine vasto
Abstiterat, medioq; foro patefacta vorago
Abrupta in præceps, immensa, orciq; profundi
Immotas reserans fauces (trepidabile visu)
Tartaream ad noctem, ac sedes penetrârat auernas,
Intuleratq; diem, cœloq; refuderat umbram.
Prodigium horrendum, ceu nigro abduntur hiatu
Tanara, Cumeæq; domus latebrosa Sibyllæ
Extemplo excitis monstro populusq; patresq;
Concursu approperant magno, & de collibus altis
Densi adspectantes, Stygij & portenta sepulcri,
Atq; atram videre luem, rimosaq; circum
Æquora, & immani tam tam diruptа barathro,
Perculsis stupuêre animis, tum frigidus artus

Concus-

Concussit tremor, & subitò per membra cucurrit:
Nec iam stare gradus, aut tumulis sublimibus audent.
Sub pedibus latè scindi, insidiumq; labare
Omne solum, collesq; ipsi subsidere summa
Tartara, & obscura mergi sub nocte videntur.
Iamq; metu trepidos, subitaq; redire volentes
Inde fuga fallit conatus, agra receptum
Genua negant: gelido concretus sanguine fibris
Nec vires membris notæ, nec vox sonat ore.
Ac veluti si quando truci sub imagine somni
Declivi è scopulo vipaue horremus ab ara
Præceptem casum: refugit calor ossibus omnis
Et voces & membra cadunt: non anxia vocem
Verba sonant: pressos sopor, & timor alligat artus:
Haud secus Æneadæ gelida formidine tardis
Implicuere gradus, nec vis sua tollit euntes,
Spectantesq; fugam, prorsusq; extrema trementes.
Tandem ubi gliscentis grauis est mora visa pericli
Incubuitq; malum violentius, & metus altior
Excussit stupidos, ac mentis reddidit usum:
Quærere opem rebus summis & retier omni
Auxilio, raptimq; cauas explere latebras
Aggere protecto, & congestis molibus instant.
Incassum labor omnis, & irreparabile damnum
Humanam contemnit opem spes vna superstes.
Si quis apud diuos venia locus, ergo per omnes
Ire aras pueri & matres, timidaq; puellæ
Supplicibus votis certatim exposcere pacem
Numina sancta Deum, cæloq; extendere palmas
Nec minus interea Tyrrhena gentis aruspex
Fata aperit, sic diuinis monstrantibus exta
Ore canens. O Dardanii spes inclita Iuli
Mars pater, astrifero genus & cui nobile cælo,
Et virtus fidem, & præstantibus astruit armis,
Non hæc cælicolum graue, & implacabile numen
Nunc portenta mouat, sed hianti luridus orco
Eumenidum dolor & rupta discordia terra
Insigni redimenda bono, quo maximus usus
Imperii ad columen, famaq; sequentis honorem.
Hanc fati obscuram vocem, monitusq; Deorum
Concilio exceptos, non vnus mentibus omnes
Accipere: ambiguis sensus, diuersaq; patrum
Murmura: nec cunctis eadem est sententia linguis.
Acer erat bello, & primis spectatus in armis

Catius

Curtius eductum Curibus quem antiqua vetustis
Nobilitas laude, & serie decorabat auorum.
Namque ferunt, vrbis iaceret cum prima superba
Fundamenta, pater, captaq; ex arce Sabini,
Fœminei vltores raptus, iam valle subirent,
Conferrentq; aciem, atq; anceps fortuna duelli
Ambigeret: facinus clarum longeq; fuisse
Egregiam laudem, & nomen memorabile Curti.
Ipse diem, postquam ad pacem versa arma ducesq;
Imperii iunxere fidem, dextrasq; dedére
In partem merito patriæ & præclara vocatus
Præmia, nec studio deinceps, nec defuit vsu
Romulidis, longamq; dedit descendere prolem.
Tali ortus genere, & proauiti nominis heres
Curtius ardenti sæpe in certamine victor
Quæsieratq; manu decus, & virtute tenebat
Exuperans animi iuuenis: siue arduus alto
In pugnam se ferret equo, seu Marte pedestri
Aduersum exciperet collatis ictibus hostem
Huic pater ætheriam superi conuersor Olympi
Immittit subitò mentem, reseratq; latentes
Fatorum ambages, ipsumq; in funera posci
Submonet, & dubiæ quæ sit via recta salutis.
Ille ardet, largosq; alti bibit ætheris ignes
Diuinum spirans: nec iam mortalia cordi
In patriam quippe & pietas & funeris atri
Exequiæ laudum æternæ, multusq; suorum
Vrget amor: tandem velut acri concitus æstro,
Irrumpit medios testatus numina diuum.
Nec mora, pro patria infernis se destinat aris.
Arrectæ mentes cunctorum, omnisq; recessit
Pectoribus timor, & cæcis lux reddita rebus
Magnanimi iuuenis fato inferiusq; propinquis.
Curritur, effusiq; senes, & vulgus inundant,
Agglomerantq; foro: & si qua despectus in vnum est
Aedesq;, tumulosq; & culmina Pallantea
Tarpeiamq; arcem, & diuum fastigia latè
Conuentu cumulant pleno, addensantq; coronas.
Iamq; aderat longa senior cum veste sacerdos
Funereis mœrens vittis: sacrumq; litabat
Plutoni Stygio: ast alii nigrosq; iuuencos,
Et furuas iugulant pecudes: ipse ordine vota
Nuncupat & iuuenem spargit fluuialibus vndis,
Voce cieni triplicemq; Hecaten, magnamq; parentem,

Tert

Tergeminosq; Deos: tum numina dira precatur
Eumenidum, populoq; grauem depellit Erynnym
Stant taciti circum, linguisq; silentibus vnum,
Vnum omnes fixi obtutu, immotiq; tuentur
Armatum extantem, atque ærata luce coruscum.
Ille autem (nam fata premunt, longasq; recusant
Ferre moras) coram vacuum progressus in æquor,
Vt stetit abrupta titubato in margine ripæ
Pallidus, inq; atram deiecit lumina noctem:
Rettulit os rursum cœlo, sublataq; tendens
Brachia, in has supplex exsoluit pectora voces:
Dii patrii, quorum auspiciis stat maxima Roma
Et pater omnipotens, & nostri sanguinis auctor
Bellator Mauors, Vulcane paterq; Quirine
Vestalésue fori, Ianiq; biuerticis ora;
Audite hæc, faustumq; precanti aduertite numen.
Si qua, nefas, virtutem odit crudelis Erynnis
Ad pœnamq; vocat: fraus hic communis abesto.
Vnus ego haud segnis dextra, nec frigidus armis
Hanc animam, inferno vmbrarum Regi, & Stygiis Diis
Deuoueo, lucemq; volens, aurasq; relinquo:
Tantum dura mei fugiant discrimina ciues.
Hanc spem, quam patriæ incolumis dant fata sepulcri
Et mortis comitem posco, ac mecum ire sub vmbras.
Tum vos infensi Manes, queis Romula virtus
Displicet, inuidiamq; mouent ingentia facta:
In me omnes conferte iras, & quicquid acerbum est,
Vertite ab excidio patriæ, exitioq; meorum:
Ipse luam. simul hæc dixit simul abstetit olli
Conspicuusq; auro, & Massuli pelle leonis
Arce fremens bellator equus, quo tendere in hostem
Primus & obstantis incursu rumpere turmas
Suetus erat, subitaq; acies turbare procella.
Hunc vbi terga premens dorsoq; exceptus amico
Impulit, & notis habilem tremefecit habenis
Nil mortale putans animiq; interritus heros:
Visa hominis maior facies, procul ære refulget
Sanguineo galea & flammis rutila arma coruscant.
Interea cœlo superum Rex magnus ab alto
Vrbem Dardaniam aspectans, sæuæq; superbum
Contemptorem animum mortis, dabat inclyta facti
Præmia, secum animo voluens, curamq; fouebat:
Cùm lacrymas promptumq; ferens mæsto ore dolerem
Tristis sic medio cœli super axe Quirinus

Alia

Alloquitur: O cuncta pater, qui fata gubernas,
Aeternumq; regis: in quo spectata tuorum
Incidit, aut quali damnatur funere virtus.
Non hæc exactis olim sperauimus annis,
Cum sedem hanc terræ regno, externisq; triumphis,
Romanumq; tuo sancibas fœdere nomen:
Atq; antè hostili virtutem opponere ferro
Vnum opus, & labor vnus erat, pretiumq; laboris
Imperium patriæ, aut lethi sors clara ferebat.
Nunc iam quid superest, aut quam fortuna sinit spem,
Si manes rigidos etiam, & fera tartara contra
Bellandum est? num dicta retrò mutata recurrunt
Fata tibi? aut cœpti piget, & sententia versa est?
Et nunc iste quidem iuuenis capite improba rerum
Detrimenta luit, vnusq; immittitur Orco
Iustius vllius culpæ sic digna rependis
Præmia, virtuti genitor hæc gratia prompta est?
Si quod conceptum est, in te facinusue, scelusue
Aeneadis generiq; meo, te verius ipsum
Tela dare & septem repetitis ictibus arces
Fulmine dejicere, ac sedes abolere nepotum
Sin autem & castæ sunt res nec iustius vlla
Relligione, pater coleris, sub numine semper
Roma tuo, purosq; tibi meditatur honores:
Parce tuis, pacemq; refer: sic Romulus orsus
Tum pater ætherio pellit qui nubila vultu,
Talibus it contra; Nec te dolor iste timentem
Sollicitet, mea progenies, neue aspera tingas
Fata tibi, & cœptos animi dimitte labores.
Vrbi Romuleæ late debetur ab ortu
Quicquid ad occasum rerum iacet, & vaga quicquid
Tethys obit, refluoq; adlatrant æquora ponto,
Stat fixum hoc nec fluxa retrò sententia nutat
Quin iam aderit, cum tu Romana in sceptra videbis
Hesperiamq; omnem & gentes transire remotas,
Imperiumq; genusq; tuum, ne triste querare
Supplicium egregii iuuenis. non ille sub vmbras
Tartareas Manesue cadens descendit ad imos.
Hunc animum, has mentes, hæc corda excelsa tuorum
Esse velis, fretosq; sua virtute Quirites
Et conferre manum Fortunæ, & temnere mortem
Sic etenim via siderias quæ ducit ad arces
Et famæ meritum steterit decus. his vbi mœstum
Leuiit omnipotens dictis gemitumq; repressit,

Continuo tacitus secum maiora volutat.
Stant Iouis ad solium geminæ super astra sorores
Mente satæ æterna, queis cætu est cura Deorum
Adlegisse pios, humanaq; nectere diuis.
Harum vnam pietatem alto descendere ab axe
Imperat & Curti manes adsistere sacros.
Illa Ioui parens, nimbo fulgente per auras
Cuncta volat, longamq; citò dat tramite lucem:
Qualis sæpe polo saliens sub nocte serena
Stella fugit cursus subitò traiecta volucres
Et iam Tarpeii supra fastigia templi
Astitit, inq; arce extrema delapsa resedit:
Cum iuueni visa est mentem maioris imago
Ascendisse Deæ. iuuat ire in funus, & omnes
Præcipitare moras: sonipes sub pondere
Ardet inexpletum exsultans, iamq; ardua iactat
Brachia, iam pede tundit humum, hinnitusq; canoris
Suscitat, & viuos scintillat naribus ignes.
Est locus extructo suggestu & molibus extans,
Parte fori aduersa celeber, quem nomine noto
Rostra vocant: primi vnde duces plebisq; magistri
Affari populum atq; edicere scita solebant.
Hinc iuuenis freno & ferratis calcibus acrem
Egit equum lora effundens: hinc feruidus illum
Impulit; attoniti primo motu fremituq;
Diriguere omnes, mens & calor ossibus hæsit.
Ille rapit medium campi cursuq; citatum
Quadrupedem vastæ immittens in aperta ruinæ,
Dat se in prærupta, atq; ingenti rupe secuta
Inuoluensq; ruensq; specu descendit ab alto.
Ac velut aerio præceps cum monte reuulsum
Saxum ingens in prona ruit, molesq; subactas
Voluit & assultu rapido latera obuia rumpit:
Dant gemitum lateq; fragor geminatur in auras:
Sic tellus, sic præcipiti pulsata ruina
Contremuere fora, & longas referentia voces
Templa sonant. stetit obtutu stupefactus, & amens
Intento populus circum, immotusq; pependit.
Magnus eques vsq; attonitis, horrorq; feroxq;
Procursus, cladesq; viri suprema moratur
Ante oculos: etiam arma tonant, etiam auribus ingens
Insultat fragor, & torpentia pectora pulsat:
Currentemq; diu trepidant horrentq; cadentem
Vt primum sonitum, atq; vmbras discussit inanes

Redd

Redditamens, cœloq; dies oblata sereno est:
Emotæ extemplo curæ, cunctiq; reuersi
Ereptum ad iuuenem sensus. Viridis subit ætas
Digna Deûm potiùs venia, fatisq; secundis,
Et decor, & mores placidi: tum clara recursant
Facta animis, tantæq; recens pietatis imago,
Verbæq; supremæq; preces: quo funere certus
Occiderit, patriasq; cadens seruauerit arces
Vltrò morte obita, & pallentes missus in oras.
Cùm tamen hunc miserum spes desolata parentum,
Coniugis & caræ fletus, natiq; vocarent:
Dilecti ad curam laris antiquosq; penates,
Tantum illum patriæ & generi tribuisse suorum,
Vt sese exitio & fatis communibus vnus
Traderet. hæc inter linquentia pectora dulcis
Stringere amor, lacrymæq; sequi & crebrescere voces
Laudantum, ac sortem miserantum mortis acerbam.
At iam confusum diuerso ex agmine murmur
Attollit magis atq; magis: iam sparsa solutis
Turbæ ruit cuneis: fremitu tonat arduus æther
Ceu quondam in siluis leui cum flamine primum
Offensæ crepitant frondes, & lenta susurrant
Murmura: mox valido si turbine fortior auster
Incubuit, stragemq; dedit, strepit omne tumultu
Confusum nemus, & populata cacumina iactat,
Consternitq; solum ramis: it strider ad auras
Iamq; patres primiq; ducum, lectiq; senatus
Fatorum augurio proceres, quiq; alta gerebant
Imperia, aut sacros ornabant vellere canos
Incessu tacito coeuntis ad ostia terræ
Adueniunt, cinguntq; lacum: tum cætera circum
Turba premit, cœtusq; implet stipata profundos
Et nunc hac, rursum hac impulsum fluctuat agmen.
Dant fruges tumulo lætas, & munera prima
Apponunt, pars incensis altaria flammis
Constituunt, peraguntq; preces & ritè sacratos
Describunt fines lituo, frontemq;, latusq;,
Vltimaq; & meritos gnati testantur honores,
Certatim effusi in laudes: hinc nota frequentant
Militiæ decora, & murales sæpe coronas,
Defensumq; manu ciuem, sociosq; receptos,
Indomitumq; animi Volscum vel comminus ense,
Eminus aut iaculo atque irarum vindice dextra
Prostratum, spolia inde cauis astantia tectis:

Vt non consilio inferior quàm fortibus armis
Sæpe locum insidiis deprenderit, ad iuga, sæpe
Inclinatam aciem turbataq́; signa suorum
Acrius intulerit pugna, turmasq́; morantes
Vi iunctæ virtutis equoq́; obnixus ab alto
Impulerit: tu nos hostili cæde tepentes
Sternere agros, nos magnanimum præferre trophæis
Martia dona ducum, laudis metamq́; modumq́;
Esse tuæ decorúmne sinis: tu sæua refutas
Portenta, & Stygium præclara morte furorem
Te diri stupuere amnes: te sancta cadentem
Concilium ad superúm, cernentis & omnia cæli
Extulit & pietas, & vitæ prodiga virtus.
Salua certa salus patriæ: tibi præmia mille
Sidereis collata locis: nec plura mereri
Fas homini est, aut si fato quis maior eodem
In terram Deus ille alto demissus Olympo.
Et tamen humanæ quantum tibi reddere laudes,
Quantum animi linguæq́; valent, non gratia deerit
Non amor officióue decus: celebrabere grati
Voce æui, generisq́; tui seruator & vrbis.
Nec minùs interea locus hic quem funere magno
Implesti moriens facti immortalis honore
Perpetuum sanctumq́; tuum & memorabile nomen
Proferet, æternæq́; aram virtutis habebit.

AD OCTAVIVM ET FEDERICVM FREGOSOS, GENVENSES.

Dii, vobis grates refero & pro numine vestro
Supplicibus veneror palmis cælestia templa,
Quod me ad fallaces fortunæ mobilis auras
Vela expandentem dudum, & malefida legentem
Cum populo vada nauifragis repetistis ab vndis
Seruatum in portus & sæuo ex æquore raptum.
Scilicet haud tanti est dites, vel carpere ramos
Extremorum Arabum, flauisq́; insistere arenis,
Hermus vbi, aut multò qua circum turbidus auro
It Tagus, vt tantos æstus durosq́; labores
Et motus varios animantum in pectora diræ
Exacuant curæ, penitusq́; Cupidine cæco

Inconsulta abeat sæclis fugientibus ætas:
Et dirum inuergat capiti nox atra soporem:
Hæc est en potior quantò & magè tuta periclis
Vita coli? modico & contentum viuere paucis:
Hæc est & Diis & votis comitata secundis.
Si non regificos incendit purpura cultus
Bis saturata ostro, Tyriis bis mersa venenis,
Nec matutino regalia limina circum
Concursu innumeros ingens capit aula clientes,
Ampla nec Inachiis insurgunt tecta columnis
Nec domus est luxu thalamisq; ornata superbis
Ac tutam dulce est crebrò oblectare quietem
Secessu placido, & viridantis gramine ripæ.
At nescire dolos, & nullos nosse tumultus,
Armaq; nec tepido spumantes sanguine campos.
Absunt hic fraudes periuræ, artesq; nocendi,
Insidiæ, & simulati actus. & liuida cura:
Consciaq; haud molles excludunt pectora somnos.
Atque equidem sic euentus felicia ducant
Numina fortunentq; meos, primum ardua nitar
Astra sequi, & causas rerum explorare latentes:
Quis superûm rapidis discreuerit orbibus axem
Ingens ingentem & passim consperserit auro:
Atq; idem immensos quo concitat agmine motus,
Vnde per obliquum contra eluctantia tendant,
Et septem imparibus discurrant sidera signis:
Qui terris status, & refluus qua exuberet humor,
Quæ ventis ratio ac nebulis, nec adire pigebit
Ortusq; rerumq; obitus, vitasq; animantum.
Quin iam nunc amor est iucundis pascere curis
Spem tantam, & cœptis instare. Eia omnis abesto
Caussa moræ vocat en flagrantis regia cœli
Diuinusq; aures complet sonor. O vbi celsis
Sideribus qui me, & lato deducat olympo
Singula mirantem circum spectacula, quiq;
Suadeat infectas terrai exscindere pestes,
Et purum ætheriæ mentis tutarier ignem?
Felix ille operum longè, egregiusq; laboris
Et decoris, qui non ignauo pondere pressus
Corporis euicit molem, culpasq; morantes
Reppulit, atq; illum diuum indulgentia maior
Excepitq; polo, & nitidis superintulit astris.
Hanc vitam veteres olim tenuisse parentes
Crediderim, studiisq; agitasse in talibus æuum:

Cùm primum terris hominum præclara propago
Extulit os, positisq; pedem post Lemnia furta,
Vulnificosq; ignes, factumq; insigne Promethei
Ille quidem & nostros glebaq; & flumine vultus
Finxerat effigiem ad diuum. Tritonia Pallas
Affuit & generosa artis mirata laborem
Iussit Apollineis simulachra accendere flammis.
Quæ simul ac contactu ignes hausere superni,
Flagrantemq; animam, subito (mirabile dictu)
Contremere & trepidare nouo spirantia motu.
Atq; oculis primum vigor extitit: inde per omnes
Paulatim rigida descendere corporis artus,
Ossaq; corripere, & membris inferre teporem:
Hinc homines mundo immisit, quos stirpe recenti
Progenitos, similesq; Deum volucresq; feraq;
Ipsi amnes, ipsa obstupuerunt æquora ponti
Ceu reges venerata suos: tum Dædala tellus
Nullis versa iugis nec duro exercita ferro
Sponte sua in Cererem campus se effudit apertis
Dulces suffectura cibos. Verum ocyus illi
Vt libo facili, aut pendentibus arbore baccis
Naturam explerant, & puro fluminis vnda,
Vertebant orbes oculorum ad sidera, & alto
Mentem affectabant cœlo prope littora rubra
Tethyos, aut fuso qua Nilus adfluat amne,
Et patriæ memores recolebant nomina gentis,
Astrorum incessus varios, Solemq; potentem
Constantesq; vias, solennesq; ordine motus,
Ipsumq; æthereum regem omnipotentis Olympi.
Hucme & iam stimulis nimio præstantibus altum
Parnassi aduersis sub rupibus, aura quanquam
Sit via, & erectis hinc atq; hinc ardua saxis:
Tum pondus graue me valles detractet ad imas.
Primaq; pene ipso titubet fiducia gressu,
Hæc tamen ignea vis animi rapit, & cupidam in eam
Vrget amor, adest Cyrrha Latonis ab alta,
Collectosq; æstus lymphaq; umbraq; leuabit.
Sin hæc non molles mi abdicunt flamina Parcæ,
Meq; labor primo subigit desistere cœpto
Ast ego te haud vlla cunctantem fraude locorum
Adspiciam, Federice, alacrem, peruadere, & omnes
Exuperare moras, arcemq; potisser altam:
Cui noua me virtus sæclis incognita priscis
Dulcis amicitia sociatum fœdere sancto

Alb.

Addidit ò cordis merito pars maxima nostri,
O gentis Fregusæ decus, & spes digna tuorum,
Aspice quæ coeant tibi numina: Cynthius auctor,
Pieridumq; chori, Dryades, Nymphæq; sorores
Dona ferunt, violisq; & purpureis hiacynthis
Spirat humus: sed enim ante omnes Iouis inclyta virgo
Attonsæ foliis inuertit tempora oliuæ,
Dilectumq; sacra permutat ab Ægide pectus.
Porro ego inspiciens insignem lætus amicum
Gratabor, festosq; dies hoc nomine ducam.
Ipse legam Paphias vicino à littore myrtos
Aut capiti decus, aut vmbram: viridesq; Naxæas
Non illaudato reuocabo ad carmina cantu.
Fortunate animi, largo cui prodigus æther
Munere diuitias menti indidit, & bona magnis
Intellecta dies, populo ignorata nocenti.
Fortunate animi (neq; enim est obscura premitq;
Fama fidem) non te ventosi gloria vulgi
Abstulit, in præcepsq; dedit: non terrea somnos
Rupit auaritia atq; auri custodia pallens.
Accumulant alii quæstus, precioq; superbos
Inuadunt fasces, aliena ad littora tendunt
Mille sub insanis freta peruoluentibus Euris.
Hic bellum & subitas accendit in arma cohortes,
Non dextræ memor, & iurati numinis olim.
Plausum alius plebisq; auras meditatur inanes.
Hic varios sumit vultus, dominoq; potenti
Blanditur, grauis hos cura, & crudelis adurit
Ambitus: inuidiæ stimulis torquentur amaris,
Et tacito optatas inhiant in pectore mortes.
Interea non fas solenne, suusq; pudori
Dignus honos: gaudent superante libidine ferri,
Et nescire modum, finesq; habuisse refixos.
Qualis sæpe noua nimium dulcedine captus
Inuectus curru biiugo, vt dimisit habenas
Auriga, atq; ardens nota bis voce vocauit
Atq; acres animauit equos, illi agmine raptim
Prosiliunt, spatiisq; ingentibus æquora aperta
Per vacuum nunc sublimes nunc pectore proni
Corripiunt, certantq; fuga post linquere ventos.
Acrius hos stimulis agitator feruidus instat
Infrenemq; adigit currum: non ille pericli
Fortunæq; memor, nec iam sudoris anheli:
Donec fraude soli scopuloq; offensus iniquo

Præcipites proturbat equos: cadit alter & alter
Continuo consors, lapsu correptus eodem:
Corpora humi fœda impellunt: ruit ærius axis,
Et currus super, atq; rotæ vertere gementes:
Fit sonitus, crescit sublatus in æthera clamor,
Ipse volutus agro cupidæ temerarius artis
Non plausus iam, nec laudes vocesque fauentem,
Sed passim effusos risus inimicaque sentit
Sibila: quam vellet prensis nunc parcere habenis,
Adductosque manu melius frænare iugales?
Non sic qui casus rerum & Rhamnusia secum
Fata agitat, metuitque cauens aduersa secundis,
Nam quem non strepitus vani, fortunaq; blanda
Fluctiuagas solido traxerunt littore in vndas?
Dii terris geniti, ac magno pietatis honore
Euecti ad superos, tuque ò sanctissima virgo
Sæpe humiles nostrum solita exaudire vocatus,
Hunc iuuenem seruate pii: sunt omnia in illo
Si prorsum egregia ingratis male cognita sæclis:
Et date inoffensos annorum extendere cursus
Fratrem etiam: neq; enim Octaui nos maxima fratris
Esse salus curæ debet, mortalia quando
Ille animo factisq; supra: quis nobile & altum
Virtutis decus, atque viri præstantia corda
Nesciat? ac dignos laudum non reddat honores?
Vtque fidem sæuis stabilem inuictamque periclis
(Testes vmbræ, arces, flumenque insigne Metaurum)
Præbuerit? tanta est nullius gloria facti.
Cum ferus Ausoniæ prædo, cum raptor Iberus
Ferrum ignemq; ferens euerteret oppida muris,
Regnaq; concuteret bello, stragesq; cieret
Infandas: primum imparibus se obiecit in armis
Octaui dolor, absenti tutatus amico
Spem rerum extremam, & montis iuga celsa Feretri
Nec metus hostilesq; minæ, morbiq; famesq;
Visque infida intus mentem domuere, nec ipsa
Fœdatura oculos crudeli funere mater,
Mater quæ misera è vallo captiua tyranni
Tendebat nato palmas: stetit aspera contra
Omnia & ipsa suo tenuit se robore virtus.
Quid narrem solio (indignum) vt turbatus auito
Aduersos placide casus gerat? illa virorum
Genua ferax, pelagisq; potens ingaunia tellus
Magnus & aëria qui prospicit æde Monæcus

Nunquam

Nunquam animum talem claras sub luminis auras
Effudere sibi hic non se, sed ciuibus ortum
Esse suis putat, & patriæ præstare salutem
Ante suam mauult: nec regni insignia tantum,
Quantum iustitiam ac veras sibi poscere laudes,
Macte ambo virtute noua, concordia fratres
Pectora, qui dulcem inter vos spiratis amorem.
Sicut Amycleos vulgata est fama gemellos
Consociasse animas: quorum cum Castor adempta
Luce grauem traheret stygijs sub vallibus vmbram
Regna inamœna habitans infernique atria Ditis,
Fratrem animi totas septem per deuia lunæ
Errasse in solis siluis: non luminis ille
Phœbei aspexit radios, non suetæ relegit
Armamanu: squalent desertis cæstibus arua,
Nec cætus pusillum cursus agitantur equorum.
Tantum homines, lucemq; auersus, & immemor auræ
Fletu indulgebat, & tu carissime frater,
Te surgente die, te sera nocte vocabat,
At quoties illum secreta in valle cientem
Ex alto gemitus, quoties suspiria cæptis
Turbantem lacrymis tacito cum flumine lapsus
Audiit Eurotas: questu nocturna relugent
Taygeta, & late vicinia mœsta Terapnes.
Quin (vrebat enim penitus præcordia mœror)
Ante louem tales fertur fudisse querelas.
Hunc ne mihi pater, hunc vitæ immortalis honorem
Ingratum tribuisti, vt fratris acerba viderem
Funera nec tantos finirem morte dolores?
Et nunc quid iam optem iucundum aut dulce sine illo?
Solus ego tendam terras vbi vulnera præsens
Hauriam, & assiduus tractem? post sedibus addar
Calicolum, ille absit stygijs diuersus in oris
Vnanimis? quid me ante tuo de sanguine cretum
Profuit? aut quæ digna mali solatia tanti
Dis nato pater omnipotens: heu iungere curas,
Nec capere affatus alternaue verba licebit
Amplius? issem imas fratri comes ipse sub vmbras.
Non me tantus edat vitium dolor: aurea turo
Sidera non vllam caleo sperare quietem,
Quod te per genua atq; tuum venerabile numen
Per si qua est lacrymis mens non aliena precantum
Obtestor, nati genitor miserere, mihiq;
Aut fratrem redde aut (hanc si via nulla finit stem)

Ne permitte solo: paribus da occumbere fatis.
Dixit & in gemitum ac fletus prorumpit amaros,
Multa querens, crebroq; appellans nomine fratrem
Qua motus pietate & magno victus amore
Iuppiter, à tenebris fratrem reuocauit Auerni:
Sideraq; amborum cœlestibus addidit oris.
Qua non tantum æther, sed pontus & alta sonantis
Æquora Neptuni norunt: quin sæpe videntur
Opportuna polo, vi tempestatis & atro
Turbine deprensis præsentia lumina nautis.

FINIS.

IACOBI SADOLETI EPISCOPI CARPENTORACTIS, INTERPRETATIO in Psalmum, Miserere mei DEVS, S. M. M. T.

IACOBVS SADOLETVS EPISCOPus Carpentoractis, Ioan. Matthæo Giberto, Episcopo Veronæ, S. P. D.

SÆPE in sermonibus nostris, quos amicissime, & suauissime inter nos habere soliti sumus, incidit mentio de literis sacris, quibus tu, pro tua præstanti in res Christianas voluntate, mirificè deditus es: cumque laudares vehementer Psalmorum volumen, deque eo ita sentires, nihil esse virtuti religionique conducens, quod non in illo libro præclarè scriptum & præceptum esset: memini assentiri me tibi, iacereque præterea significationem eiusmodi, cupere me, si vnquam otium essem nactus, interpretari volumen illud, & commentarios conficere, in quibus commouendis legentium animis ad amorem rerum sacrarum & studium veræ pietatis, omnem meam curam & diligentiam ponere cogitarem. Quibus te meis verbis recordor commotum suspirasse aliquanto contentius, atque vt facile tua proba mens & animus erga Deum propensus appareret, institisse petere à me, vt si minus omnes, saltem psalmos aliquot in præsentia sumerem interpretandos, quò tibi maximè sitienti eorũ, quæ in his inclusa & abdita sunt, mysteriorum meam opinionem & sententiam aperirem. In quo, etsi vincebar omnino amore tui, tuæq; voluntati non parêre nefas ducebam, tamen quòd tibi mea occupatio ipsa denegabat, reieci te ad scriptores veteres sanctissimos homines, quorum plures ac variæ in id opus lucubrationes extant egregiè scriptæ, ex quibus posses intelligentiæ haurire tantum, quantum velles. Quos omnes tu

cum

cum optime haberes cognitos, dixisti, probare te quidem scripta illorum & maximi facere, sed quòd eorum nõnulli ieiunius scribant, quàm tantarum rerum videatur explicatio postulare, quidam propositis sententiæ finibus egressi, alieniora quandoq; colligant, cupere te in alteris quidem aliquanto plus vbertatis, in alteris minus redundantiæ. Suscepi igitur tuo iusto desiderio & beneuolentia adductus, vnius Psalmi munus, non tam interpretandi nunc quidem, quàm exempli in eo edendi; ad quod meo quidem iudicio, omnem huiusmodi interpretationem tractari oporteret, non eadem fortassis vbique copia, sed eundem admodum, quò sensa illa mystica & diuina, non solum scrutantibus patere possent, sed adhiberentur animis quoque ad amorem Dei & huius cœlestis scientiæ cultum accendendis. Nam qui in vnam sistunt litera, aut qui moralem sensum duntaxat, quique mysticum, allegoricúmve suscipiunt, ij mihi videntur in eo corpore, quod tractandum totum est, sectiones facere minimè necessarias: vt si in Phidiæ statua, cum integrum simulachrum cognoscere aueremus, basim ipsam tantummodo, aut aliquod seorsum membrum niterentur demonstrare. Neque ego hoc, quòd ego omnia putem confundenda. Quî enim id liceat, in tam immensa Spiritus sancti copia, cuius momento in vniuersa permeans vis est? Sed quod vt captus erit intelligentium, vtiliora quæque, & præclariora statuam non oportere postponi. Verum de hoc meo iudicio, tuum mihi Giberte doctissime, futurum est iudicium. Elegi autem Psalmum hunc, qui mihi maxime & meis fortunis aptus est, qui in his vitæ mortalis fluctibus enauigandis obtueret planè, infirmo admodum & debili meæ virtutis remigio, nisi ad misericordiam Dei tanquam ad portum meæ spei & salutis receptum haberem: ad quam quidem poscendam atque implorandam, hic proprie Psalmus ordine quinquagesimus, videtur esse factus. Hanc verò ipsam lucubratiunculam, tibi potissimũ & nomini tuo dedicaui, multis quidem de causis, vel doctrinæ tuæ, vel virtutis, vel summi inter nos amoris. Nam cum nullum par duobus nobis in hac ciuitate amicitia est coniunctius, tum tua virtus eiusmodi est vt penè incredibili & inaudita laude, neque maximarum multitudine occupationum de bonarum literarum studijs aliquid imminuat, nec propter literas quicquam patiatur negotijs esse detractum, fructus quin ipsos etiam doctrinæ ac scientiæ, præclaros & vberes, ad res gerendas transferat. Addeque vel caput est necessitudinis nostræ, quod eidem Pontifici nimmo ambo operam nauamus, cuius mens præcipuè ad res sacras propensa est. Qui cura, labore, consilio, sapientia ad fulciendas Christianitatis ruinas a domino Deo electus, tam admirabilem præstat integritatem ac diligentiam, vt in hoc vno, illa longè

eminens,

eminens, & cæteris multum prælata pontificia dignitas, virtute ipsius tamen ac religione valde inferior esse videatur, cui dum inseruimus, satis nos beatos esse iudicamus. Sed hæc hactenus. Tu vt munusculum hoc à me gratè accipias, magnoperè à te mi Gibene iucundissime peto. Vale.

IN PSALMVM, MISERERE, Argumentum.

DAVID Isai Bethleëmitæ filiorum natu minimus, decorus & pulcher aspectu, cum quotidie greges patris sui ductaret ad pascua, muniente iam Domino ad liberationem humani generis viam in Christo Iesu filio suo ex sanguine Dauidis: eodem Deo Samuelem Prophetam ad id operis legante, inopinantibus omnibus, inunctus in Regem est. Quæ vnctio erat certissimum indicium futuri principatus: Reges tunc palàm in populo suo Israël creante Deo, quod nunc in omni natione facit occultè. Itaq; haud multò pòst accersitus in aulam Saulis Regis, ac deinde ad exercitum factis fortibus cognitus, nobilitatus fama, diuino etiam consilio de eo diuulgato, pro successore Regis haberi vulgo cœpit: ob quæ suspectus primo infensusque Regi, atque eidem sæpe reconciliatus alterna nunc gratia, nunc inuidia, postremo quæri ad mortem ab eo cœptus est. Ita sæpe insidijs & periculis agitatus, ac quandoque penè circumuentus, Deo tamen inimicorum consilia aduersus seruum suum ad nihilum redigente, incolumis seruatus est, donec Saule & filio Saulis Ionatha à Philisteis in prælio interfectis, regnum Iuda primum, pòst totius Israëlis obtineret. Quod cum administraret virtute quadã egregia, gereretque sese aduersus Deum piè, erga homines prudenter: præsenti quoq; Dei auxilio, & magnis promissionibus confirmatus, qui perpetuaturum se Dauidis semen in Regni æternitatem spoponderat, auxit, & stabiliuit imperium, hostibus finitimis circumquaque perdomitis, re & gloria domi parta. Verum, vt sunt hominum ingenia procliuia ad delinquendum, quorum sæpe virtutis neruos secundæ res dissoluunt, quos aduersæ intenderant, in facinus & scelus, abalienato à Deo animo, libidine cæca lapsus est. Obsidebat ea tempestate Rabba oppidum vicinæ Syriæ, duce exercitus Ioab Saruiæ filio, ipse domi manens: vbi forte die otiosiore, cum inambularet in perula excelso & circumprospectante loco, aspexit repentè è regione mulierem honesta facie & liberali, Bersabeam nominatam, vxorem Vriæ viri fortis, & tunc in exercitu pro Regis fama & victoria dimicantis. In ea

subitò

subitò commotus Rex, accersitam compressit, grauidaque facta, cum cerneret periculum illi à viro, à cæteris ignominiâ in proemptu esse, missis ad Duces suos literis, Vriam hostibus prodendum in prælio, & interficiendum curauit, ipse Bersabea potitus est. Non tulit hanc iniquitatem iustus Deus, missoque Propheta Nathan, denuntiauit vltionem Dauidi à domesticis stuptis & cædibus, ab ipsius fuga, filiorum morte. Percussit ilico Regis animum peccati deformitas, & pristini status momordit recordatio, cum cogitaret iam confusus mente ac perterritus, in quem locum sese imprudens demisisset, & è quo diuinæ gratiæ gradu præcipuè abruptum vitiorum datus esset. Igitur vrgente vi pœnitentiæ, & horrore sceleris insuper instigante atque etiam desiderio reconciliandæ Dei voluntatis augente dolorem, in huius sancti & vtilis salutaris Psalmi gemitum prorupit: peccatum quod sedulò occultarat, apertè confitens, supplicium quod comminatus fuerat Deus, non recusans, ipsius tantum misericordiam & peccati sui remissionem & veteris quoque gratiæ restitutionem implorans. Qui Psalmus cuncto generi humano peccatis flagitijsque contaminato præcipue conuenit. Sed is nunc nobis ex Dauidis persona interpretandus est. Qui etiam Latinis & Græcis, in finem inscribitur, quoniam sensus eius & prophetia ad vlteriora transit tempora.

MISERERE *mei Deus, secundum magnam misericordiam tuam: Et secundum multitudinem miserationum tuarum, dele iniquitatem meam.*

Statim de principio apparet facinoris grauitas, & pœnitentiæ vis, ac doloris magnitudo, magnam enim continuo implorat misericordiam. Prætermisit autem narrationem culpæ, quam admiserat, vel tanquam aduersus Deum, cui omnia aperta esse intelligebat, vel secutus effectum communis naturæ, quod scilicet, qui aliquo intolerabili malo ita oppressi sunt, vt necessitas auxilij non recipiat moram, demissis cæteris, illud ipsum vnum iterare clamando, quod efflagitant. Sic Dauidi maximum erat malorum, & morte longe peius, alienum à Deo esse. Itaque misericordiam protinus implorat, excutere quippe à se conatur pondus peccati, quo deprimebatur, vt redire possit cum Domino in gratiam, vnde vnius criminis culpa fuerat repulsus, ac deiectus. Ideo in Dauide quidem hæc geminata, & vsque adeò vehementissimæ misericordiæ efflagitatio declarat, vim doloris, pœnitentiam criminis. Populo verò in captiuitate posito, & nobis miserè afflictis, quodammodo necessaria est: qui non vno crimine conuicti sed vno vix, aut altero in vita rectè facto continuata scelera distinguentes, hac spe sola diuinæ misericordiæ salui esse possumus.

Neque

Neque expetimus eam tamen, & obstinati pergimus, ceu fluentum ex fluctu, sic peccatum ex peccato inuenientes. At magnus ille Dauid ita paulò antè apud Deum gratiosus, vt maximi promissi eo dignus habitus esset, quique ipso vtebatur Deo & patrono & consiliario, nunc prostratus & gemens, Miserere mei Deus, inquit. Tantumne? imo, secundum magnam misericordiam tuam. Nam magnum suum intelligebat peccatum: ad vulneris porrò magnitudinem, par medicinæ vis adhibenda erat. Itaque oleum cœlestis misericordiæ totum in se effundi orat, & omnis miserationum fontes immergi, vt deleantur penitus criminis sui vestigia. Cui si tanta vis miserationis necessaria erat, quæ satis erit nobis? nisi quòd Dei misericordia infinita est, infinitum est quod offendimus peccando, doleamus modo hoc ipsum nos peccare, infinitum est quod parcit miserendo.

Et *secundum multitudinem miserationum tuarum, dele iniquitatem meam.*

Multiplex peccatum non vna miseratione contentum esse potest, & sanè multis modis deliquerat Dauid. Nam & libidinosus, quòd non suam: & iniustus, quòd alterius toro castis nuptijs ligatam mulierem violauerat: & crudelis, quòd innocentem sanguinem mandauerat effundi: & ingratus, quod homini de se bene merito, cruentam mortem obtulerat: quam excetram tot delictorum ab vno libidinis facinore prouenientium, mulcitudo quoque diuinarum miserationum debuit extinguere. Multæ sunt, inquit alio loco, miserationes tuæ domine: quæ nisi valde multæ essent, nec ita multis ignosceretur, nec ita sæpe, neque ita multum. Tantæ autem & tam multæ sunt, vt si in vnum locum conferantur, omnium hominum quot sunt, fuerunt, erunt, iniquitates & peccata, quarum multitudo nullo contineri numero videtur, longè tamen sint plures miserationes Dei. Proinde nemo in diffidentiam cadat, sed ad multitudinem iniquitatum suarum tollendam imploret multitudinem Dei miserationum, & paucas secum lachrymas symbolum humilitatis & veræ pœnitentiæ afferat. Sit quantumuis coopertus sceleribus, sit & peccatis obrutus: tamen immensum illi è vestigio pelagus diuinarum miserationum ad abluendum, delendumque peccata patebit.

Amplius lauа me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me.

Amplius. Quid est hoc amplius? num parum fidis Deo dilecto Dauid, te ipsius esse misericordiam cõsecutum? atqui eius tu pœnitentiam qui cum familiariter propè versatus es, naturam nosse Dei po-

Dei potes, plenam clementiæ & miserationis. Dedit iam tibi ille ne verere, veniam deprecanti: & peccatum tuum transtulit, cum animum & studium tribuit deprecandi. Sed pudebat optimum Regem vlceris sui: vlcus enim animæ, peccatum est, quod etsi capitale non sit, si vel periculo iam euasit, vel ad periculum non accessit, fœditate tamen sua & purulentia odiosum est. Hoc vlcus, quod mortiferum modò vulnus Dauidi fuit, cœlestis nunc medicina misericordiæ in spem certam sanitatis reuocatum, fœtoris adhuc multum, horrorisque retinebat: propter quæ sibi ipse displicens Dauid, etiam atque etiam, laua me, inquit, ab iniquitate mea. Licet enim hæc sceleris mei plaga, Domine Deus, tuæ misericordiæ dono ad mortem non sit: est tamen ad deformitatem, à qua mundare me velis, atque eiusmodi in me sordes omnes abstergere, vt in conspectu tuo mundo prodire liceat. Et sanè quo emersus iam è barathro ad Dei lucem & pulchritudinem magis appropinquat, hoc eum offendit magis peccati deformitas. Orat igitur se ab iniquitate lauari, quod homicidium est, & à peccato mundari, quæ libido est, vt ne signum quidem admissi criminis appareat. Ac nimirum pristinam Dei gratiam appetit, quæ mundis datur, qua fruebatur ipse in primis, antequam tanto errore inuolueretur. Ad hanc anhelat, huc suspirat, nec qui nuper ex illius gratiæ fructu beatus fuit, sola nunc medicina, quæ ad salutem sit, potest esse contentus: aliud enim est ignosci errori, aliud, honorem haberi fidelitati.

Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum contra me est semper.

Publicanus qui orabat in templo, nec audebat oculos attollere in cœlum, cum ita precaretur, Deus ignosce mihi peccatori, non ex illo gestu, aut illa deiectione oculorum, neque item ex eis, quæ ore proferebat, verbis, iustificabatur: sed quia in intimo corde suo se peccatorem agnoscebat atque indignum se iudicabat. Non enim in eo quod loquimur, sed in eo quod sentimus, iustificatio est. Sic Dauid verbis quidem ad obsecrandum vehementibus, misericordiam Dei suppliciter deprecatus est. Sed verba illa eatenus valent, quatenus indicia & notæ intestini dolor sunt, quem dolorem contrahit peccati recognitio, & eundem imprimit in sermonibus humilis delicti confessio. Vbi ergo ipse dolor? Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, inquit, & peccatum meũ contra me est semper. Ista iam sunt cordis verba potius, quam oris, & quidem eadem vera arma sunt, quibus vincimus iram Dei, & ab eo misericordiã extorquemus. Sit ille quantumuis iratus, quantumuis furore ardens, quantumuis acer ad vlciscendum & paratus, vt iam distrinxerit gladium seuerissimæ

fuæ: agnosce peccatum tuum, & illud tibi aduersarium constitue omnem subitò Dei iram & impetum perfregisti. Dixi confitebor aduersùm me iniustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei. Et ipse Dominus in Euangelio: Iudica temetipsum, inquit, & non iudicaberis. Et Paulus: Si nosmetipsos iudicaremus, non vtique iudicaremur. Vnde obsecro tanta vis huius est cognitionis & iudicij, quo quis aduersus se sententiam fert? nempe ex eo, quòd qui seipsum condemnat iusto iudicio, iustus iam sit, vt si prior iniquitas pœnam commerita erat, posterior hæc iustitia, suo non sit præmio fraudanda: vel eò etiam magis, quòd pœnam illi iniquitati hæc iustitia attulit: hæc enim illam condemnauit, hæc pudorem & pœnitentiam & dolorem prioris admissi dedit: passa est iniquitas aliquod supplicium: quis nunc mercedem reddat æquitati, nisi illam Deus in se benignitatis gremium recipiat? Vtinam nunc omnes nostra ipsorum seueritate condemnemur, ne inexorabili ad extremum Dei iudicio puniamur. Miserere ergo mei ô Deus, Dauid inquit, effunde super me omnẽ misericordiam tuam, amplius laua me & munda ab iniquitate mea. Magna est comprecatio, & quidem ergà magnum Deum. Sed hactenus est rogantis. Quod verò sequitur, vt impetrare debeat, iam etiam est cogentis. Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, inquit: Si enim propter crimen damnandus sum, ego ipsum me condemno: si pœna inferenda, & ferturus sum, & do in præsentia pœnarum satis, dolore opprimor, verecundia flagro, dissidium tuum non fero, & quotidianum, perpetuumque supplicium à peccato mihi aduersante exigo. Noli obsecro tu Deus potenti manu tua augere hæc, & grauiora facere: habent ista per quod fiant. Non conuenit naturæ tuæ, nõ consentaneum est omnipotentiæ, vt contra folium quod vento rapitur, ostendas potentiam tuam, & stipulam siccam persequare. Tu fac ea potius, quæ nemo potest, nisi tu. Miserere tu Deus, quia alius nemo est qui misereatur. Dele omnem iniquitatem meam, quod facere alia nulla potest, nisi cœlestis tuæ misericordiæ medicina. Laua & munda me, quoniam tua hæc est, & non alterius potestas: solus enim tu, ex immundo facere mundum potes. Ego enim iniquitatem meam cognosco. Quid ista cognitio: quò spectat? vt fiat iustum, seuerumque iudicium. At non intulit mentionem iudicij, ea re quidem, quoniam idem est cognoscere peccatum & condemnare: non enim cognoscit, qui sibi aliqua nihilominus boni specie id admittit. Nec verò sensus careret, si quid illis asperum & noxium offeratur, sentiunt illud simul & refugiunt, & mens tanto sensibus nobilior, vbi id cognouerit, quod eam maximè corrumpit, non reijcit illud à sese & repellat: nam nec sensibus illa ipsa, quæ fugiunt, nocentiora sunt,

quàm peccata animabus. Subiunxit autem quod ex iudicio et damnatione peccati sequitur, Et peccatum meum contra me est semper. Infestum enim, aduersarium, inimicum maximè peccatum fit, postea quàm illud tibi displicere cœpit: nam antea quidem dum tibi blandiebatur, dum assentabatur, dum te venenatis inescabat voluptatibus, gerebat inimicitias nihilominus, sed occultas, & te proditione nefaria oppugnabat. Laruatum enim erat, præ se ferebat faciem blandi ac venusti, intus verò horribilis effigies erat. Posteà verò quàm agnitum à te & repudiatum est, quasi direptis laruis, quæ iam nulli vsui sunt, ad apertam vim versum omnem suam tibi offert monstrosam informitatem: urget, terret, angit, quo te cunque verteris, obuertitur, tique nec vigilantem, nec in somnis patitur requiescere. In quo tamen rigore atque ærumna constituti, qui verum in Dei clementia refugium non nouerunt, temeritate quadam inconsiderata in sibi ipsum irruentes, quod fugere debebant, desperationi sese deiudere. De quibus trophæum miserum atque infelix, à peccato vel à patre potius peccati Diabolo est constitutum. Qui verò melius sibi consuluerunt, opem atque auxilium petierunt ab inimico peccati, videlicet Deo: nam nihil inimicius est, nec magis infestum inter se, quàm peccatum & Deus: vt nullo pacto possint in vnum conuenire. Peccatum tecum est, contra te est Deus: aduersus te est peccatum, Deus tecum est. Donet ergo ille nobis, hostibus semper esse peccati, vt sub ipsius excelsæ dexteræ patrocinio possimus & securi degere, & beati.

Tibi soli peccaui, & malum coram te feci, vt iustificeris in sermonibus tuis, & vincas cum iudicaris.

Hic locus valde anxios habuit expositores, & multæ quidem ac variæ interpretationes sunt. Sed quæ apte cohæreat, nõ facile reperietur. Sunt enim qui ex prophetico spiritu, longe præuisum in posterum & Regem Dauidem ad Iesum dominum faciant loquentem, cui soli peccatum est, quia solus ille sine peccato: iustificatus autem in sermonibus suis, vel quia dolus ac mendacium nõ est in eo inuentum, vel quia venerat vocare peccatores, idemque iudicatus & damnatus morte sua mortem & mundum vicit. Pia hæc & vera sententia, sed neque tota inter se cohærens, nec loci huius: quomodo enim cum his coniunctum est peccatum Dauidis, & dictio illa, VT, quomodo quasi causam significat, vt iustificatus sit & vicerit iudicatus? Alij propius ad verba sensum accommodantes inquiunt, iustificatum fuisse Deum in sermonibus suis quando seruauit Dauidi, quod fuerat pollicitus, licet homines arbitrarentur propter scelus commissum, mutatam esse Dei voluntatem, quod quasi iudicium de Deo fieri videbatur.

Sed in

Sed in hac quoq; sententia scrupulus idem est, an ideirco Dauid peccauit, vt iustificaretur Deus. Quem scrupulum nonnulli effugere volentes, dixerunt, subintelligi oportere: peccaui, ignoscimihi, vt iustificeris. At & de ignoscendo iam sæpius rogatus fuerat Deus, & non fuit Dauidi difficile, id planius ipsum hoc quoque explicare in loco, vt ignosceret quo iustificaretur. Alij magis in vniuersum accipiunt peccasse Dauidem, & ad pœnitentiam peccati conuersum fuisse, vt iustificaretur sermo Dei dicentis: Nolo mortem peccatoris, sed potius, vt conuertatur &c. Quacunque hora ingemuerit peccator, non recordabor amplius eius omnium iniquitatum. Vera ista sunt, sed vbi est iudicium? aut quis vnquam exprobrauit Deo, non esse apud eum peccatori veniam? Græci alio modo: Vt iustificeris, inquiunt, in sermonibus tuis, & vincas cum iudicaris. Positis enim in contentionem & quæ in ergà me benignè fecisti Deus, & quæ ego impiè atque ingratè aduersùm te egi, in comparatione & velut iudicio hoc clarior magis & splendescit iustitia & benignitas tua: vt iudicium accipiunt cum perpenditur quantùm quasi interfit inter bonitatem Dei, & hominis prauitatem. Hoc vt laboriosius astruant, negant, vt, hoc loco esse iudicium causæ: non enim vt iustificetur Deus a Dauide peccatum est, sed quia peccauit Dauid, iustificatus est Deus. Nos hunc locum ex ipso historiæ textu, & veris sacri codicis proprijs intendimus interpretari: illud primo asseuerantes, in his verbis maximæ humilitatis & verissimæ pœnitentiæ, ac incomparabilis amoris erga summum Deum, certissima signa atque indicia Dauidem dedisse, cuius pietatis merito continuo ad veteris gratiæ fructum, & futurorum præuidentiam cœperit vocari. Tibi soli peccaui, & malum coram te feci. Vera & indubitata expositio est, solum fuisse Deum conscium Dauidici criminis: Primum quia ipse solus maximè cordium inspector est, è quibus vis & ratio & tanquam substantia affluit peccati. Quod dominus in Euangelio: Ex corde veniunt, inquit, cogitationes malæ &c. Vt penè dicere verò possimus, omnium criminum Deum vnum esse verè cõscium. Deinde peccatum certè Dauidis occultum hominibus fuit, ac adulterium quidem Bersabeæ, pauci fortassis Dauidis familiares & domestici quorum ipse ministerio necessario vtebatur, suspicari magis, quàm cernere potuerunt. Cædem autẽ Vriæ quis nouerat à Dauide profectã? Populus non: bellici enim casus culpam hanc sustinebant. Duces ad quos fuerat scriptum, imperium quidem Regis exercuit fuerãt, sed suspicati sunt iusta aliqua de causã Regis iram fuisse concitatam. In summa, ordo, & series, & peccati ratio obscura omnibus fuit, præterquam soli Deo. Ab hac sententia alieni qui sunt, sancti & graues viri, audiant quid per Prophetam

suum dominus Dauidi minitando nuntiet: Dabo, inquit, uxores tuas proximo tuo, & dormiet cum eis in oculis solis huius. Tu enim feciſti in abſcondito, ego autem faciam verbum iſtud à conſpectu omnis Iſraël. Manifeſta igitur à Deo pœna occulti crimini Dauidis per Prophetam eſt nuntiata. Hoc nunc peccatum profitetur & inuulgat ipſemet Dauid: Tibi ſoli peccaui, & malum coram te feci. Quod hic CORAM, paulo ſuprà, CONTRA: & peccatum meum contra me eſt ſemper. Græcè enim vtrobique eſt, ἐνώπιον, cui par Latinum eſt, aduerſum: & vtrumuis amborum affinis ſignificatio. Hic autem & ſi recitè, tamen nonnihil tamen etiam, contra: nullum enim peccatum non contra Deum. Vt iuſtificeris in ſermonibus tuis, & vincas cum iudicaris. Videamus nunc de Deo iudicium, & quomodo iuſtificetur Deus, in quo incredibilis quædam huius magni Regis humilio, & in conſpectu Domini humilitas deprehenditur. Quam enim non ſolum nota erat, ſed etiam in populo celebris omnipotentis Dei in Dauidem ſuum beneuolentia, quòdque eum de gregibus & paſcuis ad regnum vocauerat, omnium illi patriarum victoriam donauerat, finitimos in ditionem ſubiunxerat, feceratque nomen eius illuſtre & glorioſum in omnes nationes: & quod multò maius hiſce omnibus erat, ſpopondérat ei perpetuitatem generis, æternitatem principatus, gentiumque & nationum hæreditatem omnium. Quoniam inquam hæc cuncta nota erant, & diuulgata, atque exitu ipſo rerum bona ex parte comprobata: ideirco ſucceſſuris paulò pòſt contrarijs admodum ſignis & euentibus, quod & filij aduerſus Dauidem conjuraturi erant, & eius vxoribus vim allaturi, populi ab officio & fide deſcituri, ipſe extorris & profugus laribus ſuis, & vrbe illeſta Hieruſalem cariturus: omnia deniq; illi, quæ comminatus fuerat Deus, tanquam ſectiones & cauteria abolendo carcinomati peccati euentura, miraturæ procul dubio erant ignaræ gentes & emiſſuræ vocem eiuſmodi: Quid ita ſuum Dauidem inſequitur Deus? quæ hæc eius mentis aut conſilij mutatio? num eum pœnitet eorum quæ fecit illi, aut quæ pollicitus eſt: Hæc populi admurmuratio quodammodo Deum vocatura in iudicium erat, cum inquirerent in eum mutationis conſilium, & cauſam illam tanquam dicere cogerent. An hoc nos non quotidie facimus? nónne vbi quid euenit nobis minus ex ſententia, Deum ipſum quodammodo inſiſtimus reum facere, tanquam iudicium illi cauſæ dictionem intendentes? Quid ita mihi hoc? cur iſta nam tempeſtas? vnde hæc vis morbi? veluti ſuccenſentes non eſſe conſilia noſtris ſtultis opinionibus accommodata. Ignari & dementes, vt ſi lutum contra figulum exſurgat, & dicat opus ſuo factori ſuo; non intelligis, iraſcimur ineptè ſerui aduerſus dominum

gium, mancipia contra regem, vermes ante summum Deum. Quid autem in admurmurationem & inquisitionem huiusmodi aduersus Deum venturus erat populus, audiamus ipsum met Dominum loquentem Salomoni, posteaquàm ædificatum & sanctificatum esset templum: renouatis enim erga illum promissionibus, quas patri ipsius Dauidi fecerat, si modo esset paterna iustitiæ & veræ pietatis ac diuini cultus vestigia persecutus: mox si diuertisset à recta semita, atque ad alienos deos colendo se contulisset, cùm alia multa & aspera, tum amissionem regni, generi eius, ac templi illius ipsius desolationem minitatus est: Dominus, inquiens, hæc erit in exemplum: omnis qui transierit per eam, stupebit & sibilabit: & dicet. Quare fecit sic dominus terræ & domui huic? Ecce iudicium in quod vocatur Deus, cum ex eo ratio facti quæritur: & respondebunt, quia dereliquerunt dominum Deum suum, cuius tot habebant beneficia, & secuti sunt deos alienos. Ecce iustificatio, vt iam in eiusmodi iudicio Deus victor factus sit. Simile ergo in se euenturum Dauid videbat, vtin disquisitionem vocaretur Deus. Quapropter qui & verus amicus Dei, & seruus fidelis erat, quique Deum & dominum suum, Deique honorem & nomen, sibi honorique suo & nomini anteponebat, vt iustificaretur in sermonibus, & in iudicio vinceret Deus: Tibi soli peccaui, inquit, & malum coram te feci. Quid autem? num vt Deus iustificaretur, peccauit Dauid? Nequaquam: sed vt iustificetur & vincat Deus, peccatum suum apertè profitetur. Quasi ita dicat: Peccaui equidem tibi soli, & malum coram te feci: sed hoc ipsum testor palàm, & confiteor peccasse me, vt omnes intelligant iustum supplicium mihi abs te illatum fore: vt tui sermones quibus mihi tot ærumnæ & calamitates nunciatæ sunt, iustificentur. Causam enim illis, non tua mutatio, sed scelera mea tribuerunt. Et vincas cum iudicaris: vel, vt ex Hebræo est, iudicaberis. Vt cum inquiretur in te, quid me tam acerbè insequare, pateat omnibus, non hoc repentè abs te factũ, sed mihi aliquanto antè denuntiatum. Denuntiatum autem ideo, quoniam grauissimè aduersum te per me esset peccatum. Pateat, inquam, omnibus me iniquum esse, vt tu cognoscaris iustus: me multò asperiora meritum, vt tu intelligare non acerbus. Tantapium hunc regem Dei honoris cura & sollicitudo detinebat, vt vellet afferri ac publicari suam ignominiam iniquitatemque, quò magis ac magis splenderet Dei iustitia & misericordia. Quid huic addi humilitati potest? quid cum hoc amore erga Deum comparari? Num supplicium suum recusauit? num pœnam deprecatus est? num quò iram Dei ostenderet iniustiorem, peccatum suum leuius fecit? Imò contra, in medio ipso metu & horrore imminentium acerbitatum, de Domini sui, eius ipsius à

quo tam grauiter plectebatur, honore & fama sollicitus est, si quid ei per populum stultum & imperitum detrahatur. O cor memorandum omnibus seculis verè amantis Deum pietatis, humilitatemque: quàm illa eximia in tanto rege fuit, quæ vis in quoquam etiam infimo homine quandoque est mediocris. Hoc nimirum est diligere dominum Deum suum ex toto corde suo, & ex tota anima, & ex omnibus visceribus suis: hoc illius gloriæ cum cætera omnia, tum semetipsum posthabere. Hac submissione animi, & in ipsum Deum omnipotentem amore, nulla est tanta iniquitas peccati, nulla sceleris enormitas, quæ non continuò aboleatur. Hæc illa est humilitas, quæ in cœlum vsq; intimissimis radicibus innititur, quæ Deo coniungitur, quæ immensis honoratur, cuius mercedem Dauid è vestigio vberem & consecutus: interposita enim excusatione necessaria, ad occultam diuinæ sapientiæ contemplanda, & ad fruendum gaudium pristinum erga se gratiæ Dei statim sublatus est.

Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccato concepit me mater mea.

Non matrimonium accusat, nec coniugalem matris suæ thorum, legitima enim ista sunt, & sanctissimis ceremonijs confirmata: sed primordia peccati arguit, quæ ab Eua in omnem posteritatem dimanarunt. Propterea matris facit mentionem, quia mater coniunctio matri cum filijs est. Gignit enim in semetipsa consimiles, deriuatq; magis in illos sanguinis & carnis peccatum. Quemquam & Adam vxoris suasu in idem erratum incidit. Ab illis certe generis nostri parentibus, vniuerso generi humano patefacta ad delinquendum via est, eaque deinceps vsu communium frequentissimo trita, & quasi radix & procliuitas peccandi, in perpetuam posteritate propagata. Nisi enim illi sic deliquissent, non carnis sed vitijs, morbisq. animorum obnoxium genus hominum. Hoc autem subiunxit ad superiora Dauid, vt quoniam quod proprium & suum scelus fuerat, humilitate & pœnitentia aboleuerat, ille aspiranti ad pristinam Dei gratiam ostendat obstare non debere, quòd ex eo genere sit, quod ad peccandum & ad delinquendum est procliue, cuius procliuitatis à primis parentibus proditæ non propria cuiusquam sit, sed generis culpa communis: sic enim quasi argumentatur: Ecce ego quidem cum hac naturæ imbecillitate conceptus sum, & generatus ab ijs, qui eadem infirmis debilitate laborauerunt, vt in decliui semper ad delinquendum pendeamus. Quod tu Deus cum optime nosses, communicasti nihilominus mihi arcana cõsiliorum tuorum, & rursus manifestis beneficentiæ fontes aperuisti, ex quibus in omnem posteritatem meam, æterna tuæ liberalitatis gratia esset dimanatura. Hoc

Hoctu, qui verax vnicè es, cuius verba non præterfluunt, quando tu mihi pollicitus es, si peccatum meum proprium, partim tua magna misericordia remisisti, partim iustis suppliciis es expiatum: ne te, quæso, auertat & abducat à promissionibus tuis, hæc nostræ infirmitatis culpa communis: sed te in illis potiùs veracem tua confirmet.

Ecce enim veritatem dilexisti: incerta & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi.

Iam fruitur gratia, iam alto illo prophetiæ spiritu in abyssō diuinorum consiliorum lætus immergitur, peccati tantisper & doloris oblitus. Nam quò ista pertinent, rogo, nisi ad ea quæ tot seculis posteà secuta sunt, & in Christo Iesu terminata? quæ enim est sapientia patris, nisi verbum: quod consilium Dei est, idemque filius: per quem omnia facta sunt? Quid porrò occultius, magisue obscurum? Nam illud, INCERTA, obscura melius, vtin Græco est, ἄδηλα, & si verbo verbum reddere volumus, immanifesta. Quid inquam occultius, obscurius, immanifestius, quam id quod ne posteà quidem quam esset factum, vlla humana mens potuit penetrare? Cùm enim vertex Apostolorum Petrus respondit Iesu: Tu es Christus filius Dei viui: Meruit audire à Domino: Beatus es Simon Bariona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus qui in cœlis est. Si ergo iam facta atque præsentia reuelatione Dei patris indigebant, vt cognoscerentur, quantò magis immanifesta sunt etiam nunc futura? Et hæc tamen Dauidi patefacta fuerant: nam & propter honorem, quem vni Deo inuiolatum perpetuò habuit, nec eius cultui ob alienos Deos vnquam præuaricatus est, dignus est habitus, quem inprimis diligeret, & confoueret Deus. Et quia ad eum maximè pertinebat, quod ex eius semine hic cœlestis omnipotentiæ Dei partus, redimendo ab interitu mortis ac peccati humano generi in lucem hanc nostram producendus erat, mento diuinorum arcanorum factus est particeps. Hæc Dei arcana & consilia antea intelligens, & Prophetæ spiritu ad futurorum prescientiam illuminatus, mox ab illa arce felicitatis & beatitudinis suæ, peccati violentia deturbatus fuerat: in quo casu præcipiti & periculoso, offensioni summi Dei tanquam saxo impactus, velut mente dimotus, in obliuione & cæcitate aliquandiu commoratus est. At vbi resipiscere cœpit, & damnum suum recognoscere, tot repentè circumuallatus angustiis, horrore sceleris, pœnitentia peccati, dolore amissæ Dei gratiæ, expectatione pœnarum, quæ acres illi & asperæ denunciatæ fuerant, ad certissima subsidia confugit, humilitatis in se, veritatis in summo Deo: cuius vtriusque adminiculo iam restitutus in gratiam,

& ad priorem participationem sapientiæ Dei reuocatus, quæ ia nunc sua voluptate, quo fructu iucunditatis in illa excelsa præscientiæ specula, vnde ventura tam longè contempletur, insistere existimandus est? Perseuerat igitur quid ad eum venturum sit, ex his quæ præclara & mirabilia tantò antè cernebat, commemorando & postulando a Deo repetens.

Asperges me Domine hyssopo, & mundabor, lauabis me, & super niuem dealbabor.

Hoc haud dubiè ad baptismum spectat. Nam quod aliud est lauacrũ, quod purificet & abluat, & candidius niue faciat, nisi baptismus? Hac se baptismi vnda vult Dauid lauari, & huius gratiæ fonte optat purificari: vt illud ipsum quod paulò antè deprauerat, de fragilitate humani generis, & protopatrum peccato, eleuatur in se: quò niue purior & splendidior factus, in Dei amore stabilius roboretur. Complectitur tamen vtriusque legis, & veteris, & nouæ mysteria, ac præsentibus futura coniungit, quod peculiare est prophetiæ donum. In veteri enim lege, aliquæ per hyssopum aspersiones fiebant, ad quas mysticè sanè adhibebatur hyssopus, cuius quoniam propria naturæ vis est, cutem æquabilem & bene coloratam continere, vt tumoribus & impetiginosis ægritudinibus minùs obnoxia sit: transfertur ad æquitatem animi internam & ad virtutis constantiam ista significatio. Itaque & leprosis præcipuè aspersio ex hyssopo adhibebatur. Per baptismum autem infunditur perfectæ gratiæ & mundinæ nitor. Ita Dauid præsentia quidem & præterita non contemnit, sed multò etiam vehementiùs expetit futura: quorum quidem differentia ex ipsis optantis verbis satis aptè indicata est. Quantum enim interest inter aspergere & lauare, inter mundare & candidius niue facere, tantum inter veteres expiationes, & nouum hoc interest baptismi sacramentum. Hanc tam efficacis sacramenti vim & præuidebat Dauid, & sperando cupiendoq; ad eam festinabat, optabatq; denuò audire ex Deo, quæ sibi & generi suo gloriosa & mirabilia iam pridem audierat euentura.

Auditui meo dabis gaudium, & lætitiam, & exultabunt ossa humiliata.

Nihil certè iucundius auditu, nihil lætabilius cognitu auribus suis poterat percipere Dauid, quàm si audiret Dominum itentem promissiones, quas antea fecerat: quando per eundem Nathan Dauidi sic locutus est: Suscitabo semen tuum post te, quod egredietur de vtero tuo: & firmabo regnum eius: Ipse ædificabit domum nomini meo, & stabiliam thronum regni eius, vsque in sempiternum. Ego ero ei in patrem, & ipse erit mihi in filium. Et

paulò pòst: Et fidelis erit domus tua, & regnum tuum vsque in æternum ante faciem meam. Dicant quæso hunc Domini sermonem, hanc prædictionem mirabilium tantorum, in quo vellet tacta, & euentu ipso comprobatam, perfectamque fuisse, qui Christianæ veritati detrahere conantur: qui non idem sentientes quod Petrus, Christum Iesum Dei filium inficiantur esse. Nam quo in alio regni æternitas? in quo fidelis perpetuatio veræ gloriæ Dei, de quo dedit testimonium pater? aut quis se patris filium esse alius testatus est? cui dedit alij in hæreditatem Dominus gentes & regna? Nam domus, & ædificatio, & templum, & thronus, figuram quidem corporis in veteri lege habuerunt, sed revera in spiritu intelligenda sunt. Quomodo enim alioqui possunt esse æterna, vel quomodo potiùs fuerunt? Nónne quæ corporis extitere, prostrata, consumpta, ad nihilum redacta sunt, spiritus autem permanet in æternum? At etiam dum venturus est, in quo tam magnæ conquiescant promissiones. Sic enim occurrunt à Iudæis, quibus ingenitum est pertinaciam amplecti libentiùs, quàm veritatem. Cur ergo iam in ipso Iesu Christo completæ sunt, cuius nomen & fidem orbis propemodum terræ vniuersus, eo animorum & voluntatum instinctu, atq; adeò impetu secutus fuit, vt liquidò appareret, diuinum illud esse quod operabatur, non humanum? Cur hic qui venturus est, tam graue præiudicium autoritati suæ, & tantò antè inferri passus est? Patriarchæ porrò fuit Iacob prophetiã quomodo tuebuntur? qui in ipsa morte filiorum cuenta prospiciens, vt venit ad Iudam: Nõ auferetur, inquit, regnum de femore Iuda, donec veniat, qui mittendus est. Atqui regnum quidem ab Iuda ablatum iam diu est: nec dum apparuit si quis expectandus est, his quidem impiis & peruicacibus, & fide menteq; orbatis. Nam nobis iam dudum apparuit, atq; secum & Dei patris promissa omnia, & salutem humano generi, ac liberationem. Hæc diu antè spiritu Dei edoctus Dauid prædidicerat, beatamq; illam spem inenarrabili cum gaudio intus in animo continens, easdem pollicitationes iterari sibi nunc cupit, spem suam renouari, gaudium confirmari, promissiones illas gloriosas & admirabiles petit instaurari: Auditui meo dabis gaudium & lætitiam, inquiens, & exultabunt ossa humiliata. Hic per ossa intelligit metaphorica quadam locutione firmitatem pristinæ fidei & amoris, quem habuit erga Deum, quam infregerat tamen peccatum. Vnde hic ex Hebræo vertunt quidam: Ossa quæ confregisti, quæ dicit humiliata, hoc est, ad infimum redacta. Alij per ossa indicari volunt illud, quod in nobis maximè affixæ terræ est, & propterea ad delinquendum paratius. Verùm quocunque modo accipias: tanta erit vis diuinæ huius gratiæ, quam audiendo & experiendo hauriet, vt non solùm spiritum

& animam, quæ cœlestibus coniunctiora sunt, verùm etiam terrestria maximè, & in ipsam humum prona, cuiusmodi ossa sunt, ad gaudium & claritatem possit excitare. Atque vt est Spiritus sanctus, cuius ipse Dauid largo haustu factus erat particeps, in omnia statim & vsque ad extremum permeans, hoc loco Doctores mystico sensu corporum nostrorum resurrectionem denotari volunt, quæ vna cum animabus in altero Christi aduentu in ratam partem resurgent, vel gloriæ, vel pœnæ. Hauriet tunc gaudium & lætitiam, qui auditu tubæ illius ad vltimum iudicium cientis sono, tuti ac fidentes conscientiæ suæ, quam hic atque abstinentia, quoad fuerit datum, a noxiarum libidinum immunem custodierint: aut per repudiationem omni fructumque pœnitentiæ mundauerint, resurgent alacres, & aut conspectum iudicis festinabunt se offerre.

Auerte faciem tuam à peccatis meis: & omnes iniquitates meas dele.

Mordet eum rursus peccati recordatio, quippe quod nondum per supplicia debita fuerat expiatum: & illud quoque extimescit, bene iam cognita, & magno malo perspecta fragilitate sua, ne rursus ei peccandi & contra Dominum delinquendi adnascatur occasio: quod quidem post curriculatemporum etiam factum est. Restincto enim huius prioris criminis memoria, in cuius pœnam magnis periculis & detrimento affectus fuit, ac penè regno & finibus extorris actus, recuperata non potestate & autoritate pristina, in elationem superbiæ prouectus est. Voluit enim haberi censum vniuersi Israëlis, & capitum numerum ad se referri, vt magnitudinem imperij sui & vim potentiæ sibi ipsi gratularetur. Quam eius insolentiam statim Dominus vltus est, immissa in populum pestilentia, quæ septuaginta amplius hominum milia paucis diebus absumpsit: tum eo ipso, in quo peccandi inuenerat occasionem rex Dauid, grauiter eum Deus puniit, vt videret & intelligeret, Domini esse orbem terratum, & qui habitant in eo, non autem regis. Qui ergo iam & in graue erratum aduersus Deum inciderat, & ne rursus caderet, pertimescebat, iterum ad orandum & obsecrandum Deum conuertitur, alternis versibus: tum vti deleat peccata omnia, tum vt spiritum in eo rectum & sanctum innouet, aut constituat: cuius munitus præsidio, perpetuam innocentiam possit retinere. Quam cautionem & stabilitatem virtutis, non a nobis ipsis possumus, sed a Domino Deo debemus postulare. Ea est humanæ fragilitatis cõditio, vt nullo modo valeamus (si admirabilis virtus Dei nobis astiterit) nostram fluxam & labem

tem ad delinquendum naturam iustitiæ & temperantiæ vinculis coërcetenam habet hoc nostra mortalitas, vt in vnam partem obicibus bonę voluntatis coërcita, sępe more aquæ fluentis in alteram erumpat. Auerte faciem tuam à peccatis meis. Nequaquam à me, inquit, sed à peccatis meis. Si enim non auertat faciem à peccatis Deus, subsequetur illud quod alibi inculcat: Vultus Domini super facientes mala, vt perdat de terra memoriam eorum. Et omnes iniquitates meas dele. Vetera enim delere necesse est, vt vitiorum fibras omnes euellere, stirpes elidere, semina flagitiorum extinguere, antequam de integro sementem facere & virtutes inserere, atque conserere in animis hominum pias & sanctas rationes queas. Quamobrem rectè subiungit Dauid:

Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innoua in visceribus meis.

Ecce hæc quoque omnia solus baptismus efficit: vtrunque autem erat saluum & incolume à peccati labe conseruari, & corpus & animum. Non enim eum latebat, quæ futura esset in resurrectione nostra animæ & corporis communio ad pœnam eadem, vel gloriam. Cor quippe corporis principium est, spiritus verò animi: quorum vtrunque innouari in se vult, tanquam prioribus per contagionem peccati infectis & contaminatis, vi vehementiore cœlestis sacramenti ad innouanda ea opus sit. Quivtiq; Baptismus est: illo enim hæc omnia verè reparantur in nobis, cor mundum, spiritus rectus, æternæ beatitudinis firma spes, diuinitatis participatio. Siquidem per baptismum, filij Dei efficimur, qui serui nati sumus.

Ne proijcias me à facie tua, & Spiritum sanctum tuum ne auferas à me.

Hic perspicuè apparet Spiritum sanctum Dauidi, hoc est, spiritum prophetiæ, qui à Deo est, iam fuisse restitutum, neque expectatum finem orationis, quæ in hoc Psalmo coram Deo effusa est. Non enim suppliciter Dominum precantibus, illius benignitas ad annuendum, indulgendumque est cunctantior. Sed quem iam recuperauit, eo rursus vt ne spolietur, obsecrando postulat, & nimirum tota hęc comprecatio, non tam ad prioris peccati veniam implorãdam, quàm ad munimentum futuræ stabilitatis omnipotenti Deo porrecta est. Ne proijcias me a facie tua. Proiecit eum à facie sua Deus, cuius tutelam, custodiamq; dimittit: quod quidem malorum extremum est: cui enim id accidit, in eum irruit statim malorum omnium turba. Proiecit à facie sua Deus, non ipsum quidem Iob, sed substantiam & liberos illius, non multũ tempus est extrema pernicies ac calamitas illorũ interitum

teritum remorata. Proiecit pòst vrbem totam Hierusalem, nam & ipsa filium Dei à sese proiecerat. Quid illi infelici, atque ammnosę ciuitati, miserię & calamitatis abfuit, quod si abfuisset, infortunatior vllam in partem & calamitosior dici posset: Hoc nos quoque intelligamus ipsi ad nos pertinere, cum malis multis vrgemur inuiti, cum vel incommoda ea sustinemus, quæ iniquo animo ferimus, vel ad ea ipsa viam per longè deteriora & nocentiora commoda, luxum videlicet & auaritiam, nobis facimus, proici nos à facie Dei, vt causas illas amoueamus, per quas proiecti sumus: & discedamus à fœdere peccati, ac salutare cum Deo fœdus ineamus. Et Spiritum sanctum tuum ne auferas à me lux enim semel eum à me abstulisti: quod iure quidem factum mihi est. Vitio enim meo, tanto bono fueram priuatus: nunc quatenus per gratiam & clementiam tuam restitutus sum, ne quatenus eadam Domine in id rursus infelicitatis, vt & facie & spiritu tuo, quibus ego viuificor solis, merear spoliari.

Redde mihi lætitiam salutaris tui, & spiritu principali confirma me.

Et hic locus altiorem habet intelligentiam: itaque placitum sanctis viris est, per salutare Dei intelligi Christum Iesum, à quo salus est omnis & omnibus. Spiritum autem quoniam ter videmus continentibus versibus nominatum, annuntiatam in eo & tanquam figuratam esse diuinam trinitatem: ita vt spiritus rectus, filius sit, circumscripta tamen hominis persona, quoniam spiritus corpus non est: spiritus verò principalis, significetur pater: nam Spiritus sanctus suo vocabulo apertè est demonstratus. Hæc sententia vt vera sit, sicuti quidem est, & his quoque verbis à Spiritu sancto comprehensa: quoniam per eius infinitam vim intelligentem omnia, innumerabiles res eodem prolatu verborum & mentiũ conceptu quæ ab eo ipso inspiratæ sint, cõprehendi possunt. Nos tamen quæ planiora sunt & propinquiora ad communem intelligentiam, & adsciscimus libenter ipsi, & cæteris proponimus. Nam sicubi sensus ipse verborum recta via ad futurorum enarrationem nos deducit, insistimus in eo potissimum, vt paulò suprà fecimus, de occultis sapientiæ Dei, de lauacro baptismi, de resurrectione corporum. Illic enim Propheta restitutus ad Dei gratiam, & ad præuidentiam venturarum rerum, procul omni dubitatione instinctu Spiritus sancti, ad extremumque percurrens, fit eius ipsius felicitatis præsciendo & præuidendo particeps: ad quam deinde experiendo, posteri per Dei & Domini Iesu Christi beneficentiam vocati fuere. Hoc autem loco commodius nobis videtur contexere præsentia proxime præteritis, vt perseueret Dauid id petere, ac deprecari à Domino Deo,

quod

quod sibi ad fruendam ipsius gratiam maxime intelligit esse necessarium: stabilitatem videlicet in recta voluntate, & in operibus iustam actionem. Hoc ille alternis versibus facit: nunc auersionem vultus Dei à peccatis suis, & iniquitatum suarum abolitionem: nunc innouationem recti & incontaminati spiritus, ac firmitatem constantis in Deum voluntatis expostulans. Sed vti plane constet & appareat, quoties innouari & rectum dari spiritum, imperiumque rationis in se petit confirmari, toties & denotat eum, & appetere sacrosancti Baptismi verè cœlestem gratiam, per quam maximè omnipotenti Deo, depulsa labe peccati, quod ex origine primorum patrum traximus, in amicitiam atque adeò in affinitatem iungimur. Redde mihi lætitiam salutaris tui. Hoc salutare verè & propriè iustitia est, & eius maxime illa pars quæ directa est erga summum Deum, quæ eadem pietas & religio est, in hoc toto iustitiæ genere ita princeps, vt sit etiam sola. Qui enim tribuunt Deo quod suum est, nullam in se partem iniquitatis possunt accipere. In Psalmo item CXXXI. cum alia multa postulans à Domino Dauid, tum hoc quoque deprecatur: Sacerdotes tui, inquiens, induantur iustitia, & sancti tui exultent. At Dominus paulò pòst annuens postulatis, & concedit benignè cætera filio Dauidi, magnasque illas & diuinas confirmat promissiones, & de sacerdotibus ita respondet: Sacerdotes eius induam salutari, & sancti eius exultatione exultabunt. Totidem verbis, quot supplicarum fuerat, suo omnipotenti nutu supplicata roborans. Petita autem fuerat iustitia, datur salutare: atqui hoc loco idem est salutare, & lætitia hæc illam refert exultationem. Nonagesimo quoque Psalmo & VII. Notum fecit dominus salutare suum, in conspectu gentium reuelauit iustitiam suam. Et paulò infrà: Viderunt omnes termini terræ salutare Dei nostri. Quanquàm in altero hoc Psalmo apertè & perspicuè de Christo significatum est. Quid autem? iam reconciliato in gratiam Dauidi, iam reuocato ad cœlestia Spiritus sancti dona, & in præscientiam futurorum restituto, nondum reddita fuerat huius salutaris lætitia. Certè nondum. Hæc enim lætitia, & hoc salutare, non ex vno, aut ex altero pietatis opere percipitur: sed in continente & perpetuato habitu pie semper agendi posita est. Quam constantiam habitus in Dauide, quoniam grauis delicti atrocitas perfregerat, iam experimento doctus, & minus sibi ipsi fidens, Deum rogat, vt firmitatem, ac stabilitatem rectæ voluntatis, ac sanctorum operum largiatur. Quo pacto etenim poterat lætitiam possidere salutaris Dei, quam & perpetrati sceleris dolor, & bene iam in se notę fugitatis metus corrumpebat? Reddi igitur sibi illam orat, eamque si obtineat, vniuersum genus iustitiæ planè est possessurus: quando huic parti diuinæ, ac excellenti pars etiam iustitiæ humana

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

mana famulatur. Dare enim honorem Deo, velle illius magnum & gloriosum nomen, vereri ipsius potestatem, agnoscere omnipotentiam, coram eo humilem & summissum se gerere, illum eundem toto pectore amare & venerari, vera hæc & summa iustitia est, verum salutare, quod intelligere, sola sapientia est, agere virtus, nauare & perpetuare vnica & æterna beatitudo. Huic sapientiæ & virtuti, diuina illa & admirabilis, quæ omnem sensum exuperat, omnemq; in comparatione sui offuscat voluptatem, lætitia agnata est. Quam qui potiuntur, humanas iustitiæ leges quin conseruent, dubitandum non est: nisi amouentque quandoque dextram suæ protectionis Deo, incursu subitæ & vehementis cupiditatis à mente, consilioque deijciantur. Quod tamen patitur diuina prouidentia, vt non in nobis ipsis, sed in eo solum spem reponamus, vt sit fidentibus metus, laborantibus auxilium, fidelib. spes, lapsis reparatio: atq; vt magnitudo misericordiæ ipsa omnibus ostendatur. Itaq; nec Dauidem continuit ruentem in graue scelus, nec Simonem Petrum immunem à peccato & abnegatione filij Dei conseruauit. Nisi n. peccarent aliquando iusti & sancti viri amici Dei, quis esset de populo peccator, quin desperata venia negligeret confugere ad misericordiam Dei, quam nullam esse putaret? Et spiritu principali confirmante: Spiritus principalis, ratio est: cuius finis intelligendo veritas, in agendo iustitia est, vt huius virtutis nomine, reliquas quoq; virtutes comprehensas intelligamus. Statui porrò in agendo quid bonum sit, nequit: nisi in speculando cognoscatur, quid verū: vt aduertant animum quantum possint actionibus suis confidere, qui verū Deum ignorant. Habet autē ista ratio imperiū animi, eademq; ductrix & moderatrix appetitionum omnium est, & hoc natura, vt vero etiam vsu, moreq; imperet: nec contumaciam sentiat, nec seditionem aduersantiū sibi in animo cupiditatū. Hoc iam omnium humanorum operum longe maximum & difficilimum est: quod nauare soli possunt, quib. à Domino Deo data gratia, & vis multo maior, quàm imbecillitatis nostræ possit esse, tributa est.

Docebo iniquos vias tuas, & impii ad te conuertentur.

Rectè & ordine firmari se in habitu virtutis & iustitiæ prius petijt, vt deinde possint alij per ipsum vias Dei edoceri: aliter enim docentis autoritas nulla est, si quos retrahere à vitijs optat, eorum ipse æquè est vitiosus. Itaq; dominus: Qui sic fecerit, inquit, & docuerit homines, is erit maximus in regno Dei. Quod ergo qui fecerunt prius ipsi, deinde alios docuerunt. Quod nos, qui assequi minus possumus, qui vacillamus ancipites, & in vacilli inter bonam quandoq; voluntatem & prauam consuetudinem, saltem secunda linea id agamus, vt edoceamur, atque ita

intel-

intelligamus viarum Domini multiplicem doctrinam esse, per quam iniqui corrigantur, & conuertantur impij. Aut n. continuantib peccata, proponitur metus pœnę, & acris denuntiatio seueri iudicij Dei, quod crebris in locis scripturę sacrę vehementer expressum est: Aut, si voluerint, qui in viam se dederint peccatorum, emisso exitiabili vsu delinquendi, redire ad pœnitentiam, & ad clementiam Dei confugere: paratũ illis ostenditur Dei misericordię gremium, quo ille veterũ offensionũ penitus immemor, humanè & grataṅter excipit se recipientes ad bonam frugem, neminemque benignitatis & misericordiæ suę expertem patitur discedere. Hoc vtrunque Dauid ex semetipso docere & demonstrare poterat, cuius peccati facinus non impunitũ exstiterat, sed pœnitentia ad misericordiam non solum Dei, sed ad pristinam etiã gratiam fuerat admissa. Tertia autem via Domini longè præstantior, sed vsu & celebritate rara, & commeantium itineribus infrequens: in qua ipse Dauid perdiu institerat, vt eius illam demonstrantis habitura esset autoritatem oratio. Diligentibus enim Dominum Deum, & ad illius honorem ac laudem omnia referentibus, quàm ampla præmiorum merces, quis fructus beatæ vitæ propositus & paratus sit, ipse propemodum vius ad id temporis poterat edocere. Qui vero animus nec supplicium metu frangitur, & misericordiæ ac veniæ ipe oblatæ non flectitur, tantorum quoque præmiorum atque bonorum, quæ piè Deum colentibus promissa sunt, desiderio non vincitur: is plane ex eo impiorum numero est, de quibus est scriptum: Non sic impij, non sic, sed tanquam puluis, quem proiecit ventus a facie terræ, qui non resurgunt in iudicio, neque apparent in iustorum concilio.

Liberame de sanguinibus, Deus Deus salutis meæ: & exultabit lingua mea iustitiam tuam.

Sunt qui referant ad Vriæ cædem & aliorum, qui occasione illa interempti fuerunt, quod nunc precatur Dauid, vt de sanguinibus liberetur: & hoc confirmant esse peccatum, quod is dixit contra se esse semper. Alij de domesticis cædibus volunt intelligi, quas denuntiarat Dominus per Nathan, dicens: Nõ recedet gladius de domo tua in æternum. Sed neq; de primo sanguine liberari iam poterat: patratũ enim facinus illud erat, & quantum ad remissionem & veniam, à Domino fuerat iam de eo liberatus. De nouis verò cædibus, nullum in tota oratione hac deprecandæ pœnæ causa verbum cernitur emisisse: Nam cum decretum Dei omnipotentis iustum & debitum præsertim immutabile esse intelligebat: tũ de integratione & gratia apud Deum laborabat sua, quà modo assequeretur, nihil sibi acerbu, aut triste ducebat.

Quare

Quare ea potius adsciscenda sententia est, vt petat liberari de sanguinibus, hoc est, de vitijs fragilitatis nostræ, quorum origo causa, caro, sanguisque sunt. Nam neque caro & sanguis sapere quicquam possunt sublime ac supernum, suntque in terram semper prona: & Apostoli quoque testimonio, caro & sanguis regni Dei non possidebunt, dum erunt morti & corruptioni scilicet obnoxia. Sed postea cum induerint ex mortalitate immortalitatem & ex corruptione incorruptionem, possidebunt regnum Dei vna cum spiritu & anima, si modo ad tantam & tam nobilem vocationem fuerint electa. Quo quidem euentu, erit laus Dei ore ipsorum in secula seculorum, amen. Hæc cum præuideret David, & se comitem electorum iam faceret, totusque exultaret in se illa & cogitatione: quod serè reliquum est Psalmi, ita paulatim temperat, vt quæ sibi in rem esse putat, præsentia postulet quidem, verum illa tamen non separet à futuris. Itaque liberari se de sanguinibus postulat, hoc est molliciem & facilitatem in peccandum, quo caro prona est, quo sanguis effluit, vinculo diuinæ opis & gratiæ frenari, ac coërceri: & si hoc fuerit factum, tunc non solum misericordiam Dei est laudaturus, sed iustitiam etiam exaltaturus, hoc est, cum lætitia & gratulatione celebraturus. Nam adhuc quidem nequaquam implorauit iustitiam summi Dei, sed clementiam. Vt autem habeat suam laudem clementia, gaudium & exultationem certè non habet, neque enim lætando, exultandoque, sed lachrymis fundendis & gemitibus emittendis, quos peccati dolor expresserit, Dei clementia & ignoscentia fit impetrabilis. At si frenatis & compressis Dei munere cupiditatibus, quæ ex carne & sanguine referuescunt, placatus & tranquillus in posterum, ac perturbationibus liber præcepta Dei custodierit fructu suæ pietatis percipiendo: laxabit linguam suam in exultationem laudis iustitiæ Dei, cuius sibi donatæ tunc causa erunt tanquam immaculato, & innocenti. Et quidem omnium diuinorum munerum hoc esset maximum, si liberaret nos de sanguinibus Deus, & à peccati periculo redderet securos: quam postulati magnitudinem vt declararet, ingeminauit appellationem Dei, & salutem suam in hoc potissimum consistere significauit. Deus, Deus salutis meæ, inquiens. Cur enim non bis appellauit Deum tanta de causa, quem eadem ratione ter rogauit Psal. 41. Nam & ille de sanguinibus vt liberaretur, dominum precatus est, quando legem in se carnis sentiebat repugnantem legi quæ erat instituta mentis. Sed & quod petit Dauid nunc in corruptione, præuidet sibi mox datum iri in incorruptione, cum à superstitione dicio Dei ad immortalitatem & gloriam, sine contaminatione amplius peccati, ipse quoque consurrexerit.

Dauid

Domine labia mea aperies, & os meum annuntiabit laudem tuam.

In illa etenim surrectione suprema cum corporibus, etiam immortales erimus facti, & dominus labia ipsius aperiet, & os eius annuntiabit laudem Dei, cuius & exultabit lingua iustitiam: proprium enim hoc & maxime peculiare erit illorum, qui resurgent in gloriam. De eis enim scriptum est: Beati qui habitant in domo tua Domine, in secula seculorum laudabunt te: proprie quoque illorum labia aperiet Deus. Nam hic quidem dum sic sumus, & corruptibilem vitam viuentes seculi huius tempestatibus agitamur, affectionibus propè infinitis animorum, tanquam fluctibus, ventisque obnoxij: aut clausa tenemus labia nostra, ad annuntiandum laudem Dei, quippe obligante linguam peccato, opprimente vocem, obturante os: aut si aperiuntur ea aliquando ad proferendum nomen Dei, non tamen illa aperit Deus, sed vel spes aliqua nostra, vel desiderium, vel dolor, vel metus. Cum autem opem Dei, aut clementiam, aut in periculo præsens auxiliũ, aut in optatis assequendis benignitatem imploramus: ita aperiuntur quidem nonnunquam ad Deum labia nostra, sed non ea aperit Deus. Quando ergo illa aperientur à Deo? tũc cũ de sanguinibus liberati: & fluore carnis ac labilitate cõpressa immortales restituti, nihil habebimus propositũ desiderijs nostris præter solum Deum: cũ ille vnus amor erit nobis, vnus lætitia, vnus beatitudo, cũ in illum vnum vota, oprata, cogitata nostra, & referẽtur omnia, & in eo ipso consumentur. Neq; erit tũ quicquam, quod oculos nostros in partẽ aliam diuertat, aures auocet, palatum alliciat, mares inuitet, transiloucat tactũ, mentem & intelligentiam impleat, nisi solius gloria & pulchritudo & infinita maiestas summi Dei. Quę quidem nobis ita ingeret se largè atq; abundanter, vt non modo omneis angulos, tum omneis q; inanitates sanctæ illius & beatæ tunc q̃ maxime hiantis cupiditatis nostræ expleat ac referciat: sed vltro etiam addat vires & robur, ad cupiendum, capaciores q; efficiat: quo satiari affatim diuinæ illius voluntatis æterna & inenarrabili lætitia possimus. Nostra igitur tunc verè ora aperiet Deus, cum & ab eo aperientur, & in eo, & ad eum: cum ille vnus erit nobis omnia, & cũcta extra eum nihil, soloq; eo beati & contenti erimus: quod vtinam dono illius assequamur, ac sua faxit ipse bonitate, vt ad tanti boni participationem electi ab eo, & prædestinati simus. Qui quanquam indignè desideramus istud, quanquam peccatis sæpe auertimur, & ab eo quasi deficimus, multitudine quoque delictorum, & tanquam mole cooperti, oppressiq; sumus, credidimus illi tamen, spemque salutis nostræ vnicam in ipsius benignitate & clementia reposui-

mus. Aperiat quæsumus nunc, Dei ipsius dono, ora nostra digna pro nostris sceleribus dolor, vt implorem⁹ eius misericordiam, quò postea in gratiam recepti, & in tegni cœlestis societatem asciti, apertis ab eo labijs nostris possimus prædicare & annuntiare illius laudem. Hoc iam tum Dauid adesse sibi cupiebat, iam tum Spiritus sancti edoctus præuidentia, Christiana mysteria intelligebat, atque in eis spe certa & expectatione insistens, præ illis repudiabat iam & parui faciebat Iudaica, satis gnarus, illa vmbram esse, in nostris veritatem.

Quoniam si voluisses sacrificium, dedissem: holocaustis non delectaberis.

Petita à Deo liberatione de sanguinibus, quam solus, ipse dem in hac vita vix cuiquam, in futura verò ijs quos sibi ipse ingerit, daturus est Deus, postquàm repromisit Dauid in tanto beneficij gratiam se exultaturum iustitiam Dei, & ipso aperiente labia sua, laudem eius annuntiaturũ: subiungit daturum etiam ille quidem id quod in eo erat, sacrificiũ & victimas fuisse: Sed quoniam huiusmodi sacra & hostias aspernetur Deus, dare se illi dicare verum & iustum sacrificium, quod est spiritus humiliatus, & cor contritum, quod vnum sacrificium gratè & libenter ab omnibus accipiat Deus. In quibus quidem verbis ita perficitur, vt hæsitationi locus non relinquatur, vtriusque legis & veteris & nouæ ceremoniæ, ac mysteria comprehensa sunt: at repudiata quidem Iudaica, Christiana vero & significata, eum adscita. Nam in illis multum sacrificijs & holocaustis populus insudabat Hebræorum, magnoque apparatu & studio, eiusmodi sacra cruenta plane, plenaque turbæ & tumultus procurabat, magis illa opes offerentium indicantia, quàm opem Dei promerentia. Quæ quanquàm præcepta fuerant ab ipso Deo, & per eius seruos instituta Mosen, & Aaron, tamen tanquam corticem eorum, quæ illis inuolucris contecta, spiritu & veritate merum continebantur. Populum autem illum durum atq; tardum, vt tractabat & erudiebat Deus, vt si minus occultorum mysteriorum multorum atque magnorum existeret capax, teneretur tamen nihilominus in cultu & veneratione vnius Dei, vt ne ad falsos & ementitos elaberetur Deos. Ad quod quidem transfugium mobilitate quadam animorum, pronus erat. Neque defuit tamen quandoq; per ora prophetantium denuntiare palam & significare id quod requirebat. Vnde enim illud? Misericordiam volo, non sacrificium. Et in proximo XLIX. Psalmo? Non accipiam de domo tua vitulos, neque de gregibus tuis hircos. &c. Nunquid ego manducabo carnes taurorum? ac paulò post exponens quid velit: Immola Deo sacrificium laudis, inquit, & redde altissimo

tissimo vota tua. Quænam vota iuste, caste, integreq; viuendi. At qui tale nos sacrum, talia vota offerimus, & habemus quidem ipsaque hostias, verum cœlestes, quæ ab ipsa iustitia & castitate distinctæ dari non possunt. Non enim taurum aut hircum, sed filium patri in altari offerimus, Deum Deo, omnipotentē omnipotenti, qui cum patre & Spiritu sancto non duo, vel tres, sed vnus est Deus: atq; is quoniam ex hominis persona caput nostrum est, nosq; ipsius membra coalita cum eo & cohærentia, nisi peccatis reglutinati diuellamur, in oblatione capitis nostri, nos quoque ipsos Deo omnipotenti offerimus, idq; in Spiritu sancto, in puritate & cōstantia fidei, in ardore charitatis, in spe futuræ beatæ immortalitatis. Hoc inducto vero & aducto sacrificio, ac veluti nucleo legis retecto cortex abiectus est, vmbræq; & simulachra veritati concessere. Hæc igitur in lege veteri apud vulgus occulta, prudentibus tantum viris & sanctis patriarchis illis ac prophetis reuelabantur: ex quibus præcipui istam apud dominum gratiam tenuere Abraham & Dauid. Qui quidem Dauid, quanquam ipsum illum corticem & ritus patrios sacrificandi etiam tum more & vsurpatione retineret, voluntate iam tamen (vt ex verbis hisce apparet) ac sententia repudiabat, totumq; sese ad hæc nostra & Christiana conferebat: Neq; aut in sacrificijs cum mactatur ante altare Dei victima, aut in holocaustis, cum flammis hostia tota adoletur, spem suam reponebat, sed in vero & acceptabili sacrificio, quod est,

Sacrificium Deo spiritus contritus, cor contritum & humiliatum Deus non despicies.

Spiritus cōtritus fides est, per quam planè credimus in Deum, præceptisq; ipsius obtemperamus & libenti animo paremus, eusq; institutis ac legib. facilè acquiescimus, sapimusq; non plus quam oportet, sed sapimus ad sobrietatē. Nam qui ingenijs arrogantib. præditi, altius & liberius volunt euolare, ac sibimetipsis confidunt, ij non spiritum contritum, sed vagū & tumentē in se possident, maximoq; sunt in periculo constituti, ne velut in fabulis Dedalus pennis cera compactis ex alto in præceps corruant. At illud Deo gratum; acceptumque sacrificium est, quod in fide pura illi offertur, & in animi humilitate: nec tamen quidquā est huius tā conficiens humilitatis, q̄ fides. Quis n fidem habet, & facile alij credit superbus? Ac pars quidē hominis potior mentis & rationis, cuius spiritus substantia est, viuit ex huiusmodi fide, per eam enim maxime Deo coniungitur. Altera autem posterior pars, quæ sensus & cupiditates omnes continet, quorum cor huius est & origo, vt totum hominem indicet sacrum Dei esse, & totum illi offerri oportere, per pœnitentiam & dolorem peccatorum

torum conteritur, ac sub obedientiam Dei & ordinem redigitur. In quo quidem sacrificio, grato atque placabili, humanitatis nostræ expressa conditio est, qui nulla carnis aut sanguinis necessitate compellimur, quo minus fidem integram & stabilem teneamus, spiritumque erga Deum contritum, hoc est, non durũ, non contumacem, non repugnantem illius legi. Ab eadem vero carne & sanguine imbibimus (de illis non loquor, si quos Deus in hac vita præpotenti manu sua à labe perniciosorum criminum illæsos conseruat) vt simus ad delinquendum proni atq; proclives: cuius tamen erroris emendatio est, delicti pœnitentia. Ita spiritus quidem contritus subiectionem fidei & voluntatem facilem ac solutam ad credendum indicat, quæ nulla obdurescit adversus Deum contumacia. Cor vero contritum & humiliatum dolorem facinoris admissi coarguit, quod salutaris expiat pœnitentia, quo nullum Deo gratius, nec minus despicabile à nobis est sacrificium.

Benigne fac Domine in bona voluntate tua Sion, & ædificentur muri Hierusalem.

Dixit de sacrificio, nunc loquitur de loco sacrificij, sed ita vt quemadmodum verum sacrificium non in tauris & victimis, sed in spiritu & corde esse voluit: sic verum sacrificandi locum in spiritali Sion & Hierusalem intelligat. Nam quid spiritui cum mœnibus & operibus manu factis potest conuenire? ac consonat quidem historiæ temporum hæc extrema orationis huius comprecatio. Non enim à Dauide, sed à filio Dauidis Salomone constructa mœnia Hierusalem, atque vrbs illa trino murorum ambitu cincta fuit. Templum quoque domino mirabili opere fuit ædificatum, quod eius condendi potestas ablata à Dauide fuerat propter bellorum vndiq; imminentium impetus, atq; vt omnẽ Domini ædificationem, opus pacis esse appareret. Sed vt ista quoque optaret tunc & designaret Dauid, quem sępe iam diximus in toto ferè Psalmo hoc, ita describere præsentia, vt multo magis inhæreat futuris: quod quemadmodum rerum index oratio est, ita res illæ erant tanquam imagines & argumenta meliorum lõgè, quæ venturæ erant, rerum: vt inquam desideraret Dauid muniri Hierusalem: templum extrui, adorationes & sacrificationes & sacrificia ibidem celebrari, tamen in illis corporum simulachris, quæ morti & ruinæ obnoxia intelligebat, non immorabatur, ita proposito fini, sed longius spe ac desiderio progrediebatur, atq; ad hæc perfecta iam & vera atq; æterna contendebat, spiritalemq; sacrificium, ad spiritalem Sion, & Hierusalem referebat. Quem sensum eius prophetico spiritu tanto antè futura prospicientem Christus Iesus in Euangelio, ipso exitu rerum iam comprobatum

decla-

declarauit cum Samaritanę mulieri, apud fontem Iacob perconctanti verum ibi, an in Hierusalem adorari Dominum oportet, his verbis respondit: Mulier, crede mihi, venit hora & nunc est, quando neque in monte hoc, neque in Hierosolymis adorabitis patrem, sed veri adoratores adorabunt patrem in spiritu & veritate. Nam & pater tales quærit, qui adorent se. Spiritus est Deus, & eos qui adorant eum, in spiritu & veritate adorare oportet. Et reram Sion, retamque Hierusalem. An magis possunt congruere ista inter se? aut maius testimonium quærimus, Dauidem pronuntiasse futura, quæ ijsdem propè verbis Dominus noster demonstret facta? Ille sacrificium & victimas Deo aspernabiles esse inquit: hic patrem eos quærere, qui adorent in spiritu. Ille spiritum & cor, verum & gratum Deo esse affirmat sacrificium: hic veros adoratores adorare Deum in spiritu & veritate. At enim Christus Iesus & montem & templum respuit, quæ ille sibi optat. Sed & Dominus repudiat corporeum: & ille adscisçit & designat spirituale. Benigne fac Domine in bona voluntate tua Sion. Sion, si corpus quæras & materiam, mons est, in quo Iebusei ciuitas condita fuit, quam Dauid sibi in regale domicilium electam voluit esse Hierusalem. Si vero intelligentiam, atque mysterium, Sion, speculatio est: Hierusalem, visio pacis: Muri porrò Hierusalem spes, fides, charitas. Bona autem voluntas verè illa est præsertim in Deo, quæ ad benignè faciendum immutabilis & perpetua est, quam illi ex cæmentis & materia constructæ Hierusalem, profectò cernimus non contigisse. Benignè ergo fac Domine in bona voluntate tua Sion, & ædificentur muri Hierusalem: isti quidem etiam mortales & interituri, staturi & ipsi tamen quoad licebit, quoad tua voluntas tulerit: verum illi multo magis æterni & incorruptibiles, qui excitabuntur ex spiritu, per quos cœlestis tua & vere spiritalis ecclesia munietur, in qua nomen sanctum tuum in spiritu & in veritate adorabitur. Cuius ecclesiæ fundamenta atque initia, consecranda sunt sanguine filij tui vnigeniti à nobis quoque oriundi: qui ex semine quidem nostro humanitatem accepit, ex te vero æterno patre semper habuit diuinitatem, ac per diuinum illud & incomparabile sacrificium augurato condendo, ad immortalem gloriam tui nominis sempiterni. Cui tu Sion, & cui Hierusalem maxime benigne facies, cum filium trades tuum, in quo peccatum non erit, pro illis qui peccarint, in ara crucis immolandum: vt illius morte & sanguine redempti omnes, & à graui iugo captiuitatis liberati, quo domiti antea & seruati, principi tenebrarum exitialis militiæ nefarium sacramentum dixerant: ad sancta & legitima munia cœlestis militiæ reuocentur, viasque eodem præeunte filio tuo edoceantur, & veritatis, & salutis, & immortalitatis.

Tunc acceptabis sacrificium iustitiæ, oblationes, & holocausta: tunc imponent super altare tuum vitulos.

Constructis mœnibus Hierusalem, & ædificato templo, ex omni quidem Iudæa, atq; adeò ex finitimis quoq; nationibus confluebant, qui Deo sacra facere & immolare hostias instituerant: eratq; celebre & frequens multitudine adeũtium, in templo Domini sacrificium. Sed hæc paulò antè sacra, hæc holocausta repudiauit, neq; illis delectatus est Deus. Quo pacto igitur ea mox est acceptaturus? aut quomodo loquitur Dauid non repugnantia? Animum aduertamus, queso, & cum Propheta ipso intelligamus, quænam sacrificia acceptaturus Deus sit: ac quantum nouimus tum est, ea illi, & corde & opere offeramus. Nam si solitum, ac simpliciter sacrificium dixisset, erat ratio & locus dubitandi. Dixit autem, sacrificium iustitiæ: quo verbo, omnis ambiguitas ablata est. Non enim errat Spiritus sanctus, non labitur, non discrepantia & pugnantia effatur. Iustitiæ sacrificium est, sine tauro etiam & victima. Taurum autem & victimam, & in vniuersum illius modi sacrificia aspernatus fuerat Deus. Sacrum verò iustitiæ, quid potest aspernari? Acceptat ille id semper & appetit, & odoris eius sentit suauitatem. Illud videamus, vtra magis in Hierusalem, & vtro in templo sacrificium illi iustitiæ offeratur. In illine materiali & corporea, an hac, quam Christus Iesus extruit, cœlesti & spirituali. Nam si vetusta Iudæorum sacrificia attendimus, inueniemus in illis non iustitiam, sed simulachrum quoddam potius & vestigium leuiter impressum iustitiæ exitisse. Quæ enim ratio, aut quod est æquitatis argumentum, vt tu grauiter delinquas, & morte victima plectatur? blandiri hoc est, & assentari nobis ipsis. Quid commeruit ouis, animal sine fraude doloque, vt Poeta verbis vtar, si tu facinus commisisti? aut qua spe putas, cum fraus tuo damnum aut contumeliam feceris, posse te scelus illud cæsarum cruore victimarum expiare? Prorsus nil veræ, absolutæque iustitiæ in sacrificijs talibus inesse potest. Quid ita ergo à Domino instituta fuerunt? diximus iam, vt populus per hæc sacra in vnius Dei cultu teneretur. Primum enim vicinitas, deinde etiam contubernio, Ægyptiorum moribus assuefactus, vel etiam in ipso humani generis primordio, cum adhuc rudum mysteriorum capax esset, ab Deo ipso edoctus, cum sacrificijs deditus esset, iustius vtique Deo viuenti sacrificaret, quam fictis & mortuis dijs. At cur eum quoque morem sanctissimi prophetæ, quibus arcana Dei reuelata fuerant, sequebantur? cum non erat fas, quod præceptum omnibus & multo maximæ partis causa statutum erat, paucos declinare, singularesque ritus colendarum religionum habere velle. Atque illi tamen qui vera sacrifi-

sacrificij vim & rationem ac futuram spiritalem Sion nouerant, venerabantur illam iam animo: cumque vsum communium sacrificiorum populo concederent, veritatem & intelligentiam sibi retinebant. In illis itaque Iudæorum sacrificijs, non in ipsis quidem, sed eatenus, quoad legi scriptæ & maiorum obtemperabant auctoritati, iustitia erat, vel iustitiæ potius imago, atq; vmbra quædam. Cum enim quis peccatum commisisset, quod mortem pœnam reposceret, dabatur quidem mors, sed per sophisma quodammodo & deceptionem, non hominis qui deliquisset sed emittebat hirci, qui nihil commeruisset. Illud vnum verè sanctum in eo sacrificio atque iustum, quod in honorem Dei viuentis immolabatur, & illius nomini gratiæ tamen agebantur. In nostra verò spirituali Hierusalem, in qua solum adoratur Deus in veritate & spiritu, non modo iustitiæ sacrificia assiduè offeruntur, sed ea ipsa iustitia propitium Deo est sacrificium. Non enim deriuamus pœnas delinquentium in ignaras delicti & innocentes hostias: sed illud ipsum mactamus & immolamus Deo, quod peccauit. Siue enim exarsit libido, ieiunio & continentia illam iugulamus: siue iracundia incitata est, frangimus eam diuinæ offensionis metu. Tumorem quoque animi & arrogantiam, & effusas omnium generum cupiditates æquanimitatis & temperantiæ legibus coercemus: atq; harum veluti belluarum, si quæ paululum modo perfractis vinculis, ac ruptis obicibus modestiæ, ad facinus aliquod proruperint, legisq; ac rationis imperium violauerint, adest continuo vltrix perpetrati sceleris pœnitentia, quę illas obtrusas ante altare Dei hoc sacrificium iustitiæ maximè volentis pio & debito mactet supplicio: quarum cruor, lachrymæ sunt: balatus, Dei misericordię imploratio: mors ad immortalitatem se recipiens, vita. Hoc iustitiæ sacrificium verè acceptat Deus, hæc illi grata, hæc propitiabilis est victima, quam Iudæi in externa imagine & simulachro, nos in spiritu & veritate offerimus. Ac vt in omnibus rebus appareat, illos vmbras rerum: nos res ipsas complectos esse, illi sæpenumero falsis inanium deorum opinionibus depravati, quas pecudes & hostias Deo debebant offerre, fictis dijs offerebant: quodque vnum in sacris suis iustum & salutare habebant, honorem videlicet & nomen omnipotens Dei, id vltro ad perniciem & ad iniquitatem conuertebant. Nos in intestino sacrificio vero & spirituali, si Dei honori & nomini victimas illas deferimus, nihil sanctius, nihil iustius, nihil salutarius. Vim enim totam pietatis & iustitiæ prorsus assequemur. Si verò hominum existimationi & laudi, & vel ambitioni nostræ, vel emolumento, atque vtilitati immolamus, vt illud Deo gratissimum sacrificium: sic hæc pessima & exitiabilis est idololatria, tanto Hebraicis illis aureis vitulis, Dijs gentium deterior, quanto

magis impium est corrumpere ipsammet iustitiam, quàm fun
Iachrũ iustitiæ peruertere. Hoc in Dauide Spiritus sanctus opi
me prouidens, non solum oblatum iri sacrificium iustitiæ De
dixit, idque Deum grate acceptaturum, sed oblationes etiam ad
didit, quæ sunt Græcè, ἀναφορὰ, quasi dona, quæ propter virtu
tem quidem & in præmij loco hominibus deferuntur. Sed ab eis
dem postea ad Deum referuntur, postibusque in sacris ac parietí
bus figuntur, vt sicuti ex virtutis merito, & quod cupiditates suas
egregie vicerit, laus ab hominibus tributa est, ad eam ipsa non
modo vt ad finem non contendat, neque ipsi in virtute animo
elaboret, sed illam quoque præterea ante Deum suspendat, tan
quam coronam & præmium publicè acceptum, secum via Deo
bonorum omnium largitori consecrans. Et holocausta, holo
causta, inquam, vera sunt, cum correptis mentibus nostris amore
erga summũ Deum & voluntate eodem studio inflammata, tu
tum ex ignibus illis charitatis flagrat incendium, vt cupiditates
quoque amissa contumacia & tanquam lasciuienti consumpta
viriditate, eisdem flammarum globis & verticibus hauriantur, ac
in amorem Dei omnes penitus conuertantur. Tunc imponent
super altare tuum vitulos. Quoniam veræ iustitiæ partes duæ
sunt: vna amor, & cultus, honorque summi Dei: altera benevo
lentia, & curatio proximi. Perfecta parte priore, & verè cœlesti
sacrificio ex ea Deo oblato, quando ex holocausto nihil omnino
relinquitur, quod Dei honori consumptum non sit, non omittet
etiam posteriorem, quæ amore & charitate in proximum tota
continetur: vt sacrificium iustitiæ plenum, atque perfectum pe
nitus haberemus. Cuius quidem iustitiæ posterioris vim, atque
exercitatio tam sæpe, tantoq; opere, in nouo & veteri testamen
to præcipitur, tantisque condecoratur laudibus, vt facile appa
reat, hac vna re potissimum, & charitate erga propinquos, di
gnos effici, qui Deo esse curæ & cordi debeamus. Dimittimus
enim debitoribus nostris, si volumus nobis dimitti: & misericor
diam impartimur, vt misericordiam impetremus: terrenamque
opem egentibus impendimus, vt vili sanè pretio, atque exigua
opella cœlestem illam ipsam opem demereamur. Vitali quippe
veluti delitiæ armentorum & exuberatio quædam est, vnde be
nignè alijs faciendi copia suppeditat: his videlicet qui oppri
paupertate atque inopia, subsidio indigent quotidiano: quos
admirabili dispensatione magni Dei idcirco sæpe necessarios
sunt: vt tu, qui diuitijs abundas, sumministrando illis, & vitæ,
incolumitatique eorum suppeditando, liberalitatis & humanita
tis, & eius quæ omnium virtutum caput est, charitatis, meritum
& fructum consequare: tum etiam vt ij qui alienam opem exo
ctare coguntur, virtutũ vnam maximè perfectricem patientiam
meli

melius adipiscantur. Præclarum quidem esset, & ipsis angelis penè par, largiri ipsa etiam armenta, omneinque prorsus substantiam & corpus integrum patrimonij in pauperes erogare, solo Christi nomine & amore contentum, negligentem in semetipso punctum eam, quæ lutea, fragilisq; est: illam verò perpetuam, ac sempiternam vnam attendentem, illi vni vacantem, atq; inseruientem, per quam, si rectè ea curata nobis sit, supra hominem euchimur, & similes Deo euadimus. Sed si in tam diuerso vsu, & vsque adeò distractis à sensibili mundo opinionibus, hæc durior vitæ plerisque videatur esse conditio, saltem quæ exuberant tibi, saltem quæ superfluunt, quæ à te in delitijs & ad redundantiam habentur, illa inquam saltem pauperibus tribuantur. Habes armentum, hoc est patrimonium, quo omnes à tuo capite necessitates, omnes propulsare difficultates potes: quid amplius opus est? Certa tibi vectigalia & vitæ adiumenta non desunt: da egenis atque inopibus superflua. Verum ita da, vt in altari Domini vituli abs te imponantur: vt prædixit Propheta Dauid, id est, vt apud Deum gratia, fructusque meriti huius non apud homines ponatur. Da, inquam, quærens Deo vni, non vlli humanæ affectioni, nec carni aut sanguini satisfacere. Neque id ex tristitia aut necessitate: Ob quod etiam vituli nominati sunt, tanquam iugo adhuc nullo domiti & subacti, sed sicut sponte destinati in corde tuo & in propria voluntate: Hilarem enim datorem diligit Deus, cui hoc oblato iustitiæ minoris sacrificio, gradum nostris facile extruimus ad apicem & fastigium diuinioris etiam iustitiæ perueniendi: quam cognoscimus nos quidem, laudamus, expetimus, admiramur: facultatem quoque nobis dari eius assequendæ intelligimus: nec beatius quicquam reputamus, quàm Deo penitus esse & amore & studio coniunctum. Quo minus verò id agamus, & operam nauemus, quod nauandum esse comprehendimus intelligentia: quænam obsecro causa, aut vis est, quæ nos auertit & abstrahit? Qui obex, quod impedimentum, quæ intus, & in animo inclusa seditio? Cur ego, sana mente cum sim, & iudicio integro, non ago sæpe ea tamen, quæ sani hominis & rite iudicantis esse videantur? Quomodo iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus graue grauatæ sunt super me? Putruerunt & corruptæ sunt cicatrices meæ à facie insipientiæ meæ? Vsque eó ne prolapsus sum, vsque eó ne relangui & defeci in memetipso, & ab omni viri virtute, constantiaq; discessi, vt stare his tandem quæ decreui ipse sæpe, quæque à me toties constituta sunt, nondum etiam possim, nec Deo meo, meo, inquam, vni bono adhærere? O beatos qui potuerunt, felices qui adhæserunt. Quando ego vos ô sancti & beati, non laudabo scilicet, verumetiam aliqua ex parte imitabor? Dolet: dolet cordi

meo, cum intelligo qui sim, & quis nimirum essem, si Dei in me dona recognoscerem, atq; eius singularibus beneficijs, mea grata & constans debita pietate voluntas responderet: quæ velle tamen hoc agere videtur, sed quod vult, nequaquam efficit: propter importunas quidem reclamationes, & dissidia intestina obluctantium cupiditatum, quibus adhuc pares esse non possumus. Circumuenti, circumuenti, inquam, ab illis fuimus, hinc ignari ab initio quid ageretur, siue etiam negligentes. Quarum nunc ex acerba & tristi obsidione, vt nosmetipsos eximere & liberare possimus, non a nobis ipsis, sed ab eodem Domino Deo auxilium nobis est præsens expetendum. Domine ante te omne desiderium meum, & gemitus a te non est absconditus: qui si vero dolore expressus est, si hæ lachrymæ solent tuâ inenarrabilem clementiam ad ignoscendum miseris & ad iuuandum commouere, vilæ peccatum commissum lauent: etiam in me obsecro atque obtestor omnipotentiam tuâ, semen ipsum peccati & totum plantarium impuræ conscientiæ meæ proluant, vt omni mala furpe radicitus euulsa, semen verbi tui sanctum & salutare fructum in animo meo cum sexagesimo, aut quando benignitatis tuæ modus non est, etiam cum centesimo possit. Ac posteaquam misertus mei secundum magnam misericordiam tuam fueris, postquàm peccata mea diluueris, meque vltro etiam spiritu principali confirmaueris, docere possim iniquos vias tuas, & laudem tuam pleno ore annuntiare, ac illud tibi offerre sacrificium iubitus, quod supra omnia in conspectu tuo gratum, amabile, acceptabile, desideratumque est: per quod & salus nostra perpetua, & tua sempiterna gloria apud nos constituitur. Qui viuis & regnas in æternum, & vltra,

Trinus, & Vnus, Amen.

FINIS.

IAC.

IACOBI SADOLETI EPISCOPI CARPENTORACTIS IN PSALMVM XCIII.

Deus vltionum Dominus; Interpretatio.

IACOBVS SADOLETVS EPISCOPVS Carpentoractus FEDERICO FREGOSIO Archiepiscopo Salerni S. P. D.

QVOD diu ac multum optaueram, Federice Fregosi, vt mihi exoluto Reip. curis, & eis occupationibus, quæ me nimium diu in Romana aula, apud summos pontifices districtum tenuerunt, aliquando liceret in otio esse, & sacrarum literarum, omniumq; artium optimarum studio, ac vera delectatione perfrui: id nunc demum, Dei immortalis beneficio propè singulari, videor consequutus: atque cuiusmodi diuina dona esse solent, nihil fermè habeo amplius, quod requiram. Nam quum in his locis constitutus sum, in quibus me maximè esse conuenit, vel officij Deo præstandi gratia, vel pacis & tranquillitatis in animo retinendæ: in Ecclesia mea videlicet, quam mihi cœlestibus nuptiis copulatam, omni à me ope ac studio curari & consoueri est debitum: tum verò cætera cum mea ista voluntate sic omnia consenserunt, vt facilè appareat, non solùm integrorum atque innocentium, sed eorum etiam qui labe aliqua peccati infecti sunt, quorum de numero nos sumus, pie tamen in eo spes suas collocantium, salutem & veritatem Deo esse curæ. Quanquam quod ad ipsius Dei infinitam atque immensam bonitatem pertinet, maior nostra esse debet,

bet, quàm vt huic orationi & tempori conueniat, prædicatio de hominibus aliquid dicendũ est, quorum mihi ad ocium & literas properanti, benignitas simul & iustitia est suffragata: quorum equidem nomen atq; memoriã grata recordatione semper prosequar. Nam quum Romæ (vt tute scis) interiorib. consiliis à Clemente VII. Pont. Max. adhibitus, summã illius erga me humanitatem, summã beneuolentiã obtinerem, meamq; ille inprimis fidẽ operamq; probaret: tamẽ quòd diu antè intellexerat, me ad hoc ociũ, & solius iam Dei seruitutẽ aspirare vt vidit, cæteris honoribus præmiisq; posthabitis, quæ mihi ab eo multa parata erant, in sententia nihilominùs permanentẽ, non est ad extremũ voluntati meæ aduersatus, precibusq; concessit: ægrè ille quidem, amorem vt cognosceres, sed concessit tamen. Atque vt est incredibili quadam animi moderatione præditus, qua omnes suas appetitiones, omnia desideria sub leges æquitatis & temperantiæ redacta esse vult, maluit se opportunitate operæ meæ, quàm me optato euentu consilii mei carere: cuius ego etiam nunc beneuolentia & liberalitate sic fruor, vt patris in eo indulgentiam, cum maximi principis iustitia ac prouidentia quotidie absens experiar. Restabat altera molestia, & alterum meæ quieti impedimentum allatum, quòd vetustis quibusdam agris atque fundis, noua nonnullorum iniuria ac violentia, meæ Ecclesiæ ereptis, id quod maximè à meis moribus abhorret, ire mihi in litem tamen fuerat necesse. Quæ quum in senatu Tholosano causa ageretur, remq; aduersarii variis calumniis extraherent, non est passum diutiùs illud grauissimum sapientissimumq; consilium, veritate causæ perspecta, me meo iure, Ecclesiam suis possessionibus fraudari: fidemq; suam, & insignem iustitiam, quam omnibus paratam exhibet, mihi quoque illam imploranti, haud grauatè præstitit. Quapropter ego his tot Dei & hominum beneficiis, pacem animi iam & ocium adeptus, ingratus plane sem, si non reliquum tempus vitæ quod superest, in agendis Deo omnipotenti gratiis, & in hominum bene de me meritorum memoria ac laude recolenda, omne consumerem: nec ad eas conuerterer potissimum actiones, per quas gregi meo primum, & populis meæ fidei creditis, deinde cæteris omnibus qui hac modo expe-

tenda

rendæ dicunt, aliqua ex meis studiis atque vigiliis vtilitas pareretur. Quæ vt cunctis abundantior venire possit, egoq; in eo præsertim elaborem, quod & mihi honestissimum, & reliquis possit fructuosissimum, ad meditandas atq; explanandas scripturas sanctas sum conuersus: in eis enim maximè fontes illi inesse scatere non desinunt, è quibus quantum vnusquisque velit, tantum ad cognitionem Dei atque sui, & ad beatam sibi viam alendam atque irrigandam potest deriuare. Igitur quum superiorib. proximis diebus commentariũ in Psalmum XCIII. concepissem, quumq; iam ædere ac vulgare opportunum visum esset, statui Federice Fregosi, nostra insigni amicitia & vetusta familiaritate dignum tibi huius lucubrationis opus & tanquã ecti nostri primitias deferre. Noui enim te in his sacrarum literarum studiis ita intentum dies & noctes, vt alium cultum vitæ fere his nullam esse ducas. Mihi porrò ex eo tempore quo Romæ mansimus vnà velut vnanimes, eodem conuictu, domicilio studioq; coniuncti, annis ab hinc, si rectè recordor, fermè septendecim, ita inhæsit in animo tuarum præstantissimarum virtutum admiratio, & iucundissimæ consuetudinis memoria, vt quanquam postea vsus noster multa varietate temporum interruptus, & interualli locorum etiam distractus fuerit, manserit tamen idem amor, & à mea parte castè integreq; seruatus, & ab tua signis iam pluribus declaratus. In quo ego & si plures & grauiores causas semper habui colendi & complectendi tui, quòd excellentem tuam virtutem, quòd prudentiam, quòd moderationem animi conspiciebam, religionem autem erga summum Deum etiam venerabar: tamen tu, quæ semper fuisti humanitate præditus, parem meam conditionem tecum in nostra amicitia esse voluisti, statuistiq; eodem honore & loco esse debere, & virtutem ipsam & bonam ac propensam ad virtutem voluntatem. Accedit quòd ambo grauibus fortunæ iniuriis sæpenumero agitati detrimentisq; mulctati, alacres tamen animo sumus, eademq; spe & fiducia nitimur, quam habemus directam erga summum Deum, cuius munere & beneficio, quum maiorum multò veriorum, bonorum possessio nobis sit donata, & in quibus nullam iam fortuna habet potestatem, eorum egregiam

vtili-

vtilitatem & diuinos illos vberes opulentosq; fructus ex his p-
tißimùm libris literisq; percipimus, quæ vti sunt, sic nominan-
tur sacræ, in quibus & tu summa cum laude versatus es, & ego
totum dedere me cogito: verùm alia quidem aliàs. Nunc huius
interpretationem psalmi, nisi me fallit, ad communem vitam
non minimum accommodatam, eo animo accipies, quo omnia
nostra solitus es accipere, amico beneuoloq; videlicet: neq; amo-
re & studio tuo iuuare non desines, vt quæ ex me in hoc genere
exitura sunt, talia sint, per quæ omni recto mori, & fidei san-
ctæ, Catholicæ, nil vnquam detrahatur: sicut & ego in-
primis propositum mihi habeo, & tu fideli tuo consilio,
præstanteq; doctrina mihi plurimum prodesse
semper potes. Vale.

IACO-

IACOBI SADOLETI EPISCOPI CARPENTORACTIS, IN PSALMVM NONAGESIMUMTERTIUM Interpretatio.

MVLTA incumbunt, & grauia onera, in ceruices nostras, qui Ecclesiasticis administrationib. præsumus: præclara eadem, & vitæ beatæ efficientia, rectè si gerantur: si secus, nihil esse illis potest perniciosius: neque nouis tantùm, sed cunctis populis, & nationibus, non solùm fidei nostræ commissis, verùm etiam in nos vndecunq; inuentibus. Sumus enim nos sacerdotes ad exemplum & normam viuendi omnibus hominibus propositi, vt quales nos fuerimus, tales reliqui efficiantur, moresque suos de moribus nostris conforment, & ad imitationem nostri instituantur. Quo autem quis honore & ordine est antecedentior, hoc magis in eam curam & cogitationem debet inuigilare, vt non suam solùm præstet, sed alienam etiam exigat, quantum in eo quidem est, & modestiam, continentiamq; vitæ, & erga Deum religionem, ac fidem. Hæc vna ratio, verusque viuendi modus, quamdiu quidem valuit ac seruatus est, tam diu fausti dies, fortunata tempora, felices rerum omnium euentus in Christiana Rep. simul floruere: duces enim tum erant ad bene beateque viuendum sacerdotes. Idem, vt quisquis in populo peccasset, tanquam peccatum ipsi in se recipientes, multis ad Deum precibus, lachrymisque intercedebant. Extorquebant sæpe irato tela de manibus, pacemq; & veniam ab eo hominibus impetrabant. Ergo hos, tali virtute & sanctitate præditos, principes gentium, & reges reuerebantur: ceteri ab illis tanquam à sanctissimis parentibus omnium bonorum morum, omnis puræ veræq; religionis exempla sibi expetebant: erat cum Deo in amore & gratia humanum genus, & terrena cœlestibus charissima necessitate deuincta erant: Illamque tanti, & tam beati fœderis societatem, non vlla impia vis labefactare, non hostis æternus noster, palam iam distrahere amplius audebat. Postea verò quam leonis facie dimissa, in qua parum potuisse sibi visus erat dæmon, idem insidiosus, & versutus, & fal-

& fallax, quemadmodum de Proteo in fabulis narratum est, fla-
mam & fraudem draconis est indutus, arteque agere cœpit, &
venenum clàm spargere, quod sine violentia, necem tamen a-
ferret, delinitis & captis paulatim intestinis cupiditatibus etiam
molliri & flecti ratio cœpit, tanquam per causam humanæ im-
becillitatis non omnia voluptatibus denegari possent, sed tamen
vt seruaretur quidam modus: sic enim videbantur illæ ipsæ vo-
luptates nos cogere, vt modicè sumptæ cùm essent, & sine qua-
quam iustam causam peccandi habuissent, haberent tamen iu-
stam ignoscendi: hactenusq; laberemur tanquam homines, si
non penitus vt deberemus Deo affixi, atq; inhærentes, attamen
non omnino diuisi ab eo, neque seiuncti, & quibus ad medici-
nam pœnitentiæ confugientibus, misericordia Domini facilè
esset parata. Pòst autem, crescente vitiorum dominatu, cum pe-
doris & religionis repagulis dimotis, quæ voluptatibus ipsis im-
peditaret, quotidie magis pecunia quæreretur, isq; in hominum
mentibus quasi auaritiæ morbus increbresceret, diuitiarum in-
finita cupiditas secuta est, quæ & turbaret ordinum coniunctio-
nem, & omneis bonos mores, velut pestilentia quadam depopu-
laretur: Ita qui homines antea Deo & pietati apprimè dedit,
sacerdotes ipsos in amore, in honore autem sacerdotium habe-
bant, mox tanquam genere diuisi, studiis dissentientes, odio ini-
micitiaq; dirempti, machinari contra illos, inque vitem ab illis
metuere sibi, cauereque cœperunt. Ex quo factum est processu
temporum, vt timor Domini, quod est omnis virtutis sapien-
tiæque principium, sensim de cordibus hominum dilapsus, pax-
que & humanæ societatis fides, sacerdotalis quoque autoritas &
veneratio tota ferè sublata sit: in quo tanto malo, & si complu-
res semper fuerunt è numero sacerdotum, itidemque honor
sapientiaq; præstantes, qui hominum cupiditates intra fines of-
ficij ac modestiæ cohercitas esse vellent, decusque & sanctita-
tem sacerdotij, quoad possent, tuerentur: aliis tamen ad contra-
riam vitæ partem magis inclinantibus, & sibi suisq; volunta-
bus nihil obstare cupientibus, tantus omnium penè mortalium
mentes inuasit furor, eaq; rerum secuta est perturbatio, vt effre-
natis hominum cupiditatibus, & inflammatis habendi rapi-
diq́ue studiis, non lex, non mos, non ratio, non patriæ charitas,
non Dei omnipotentis metus posset modum imponere: non re-
gitatio suæ perpetuæ vitæ ac salutis, non Christiani nominis re-
recundia. Quin vidimus ipsi pontificem maximũ, eum quoque
est, voluntate & natura eximiè propensum ad publici boni pro-
uidentiam, cùm corrigere mores prolapsos, pacemque referre,
& reuellere tela è corpore Christianæ Reipublicæ summopere
conaretur, quæ varia multorum culpa infixa erant, cumque ille
plures

plures ex ordine amplissimo, & cæteris deinceps ordinibus doctrina prudentiaque insignes assisterent, nos quoque ipsi tunc adessemus, ablatum tamen, hominum pacem aspernantium tumultu atque turba, suorum optimorum consiliorum exitus nullo reperire potuisse. Quo quidem turbine, & bellorum & temporum, vrbs Roma, Italiaq; omnis, ita nuper oppressa est, vt humanissimæ maximeque hospitalis, & imprimis fidelis Deo & Christianæ religioni Gallicæ nationis multa ex eo incommoda, & grauia detrimenta sentire potuerimus. His nos tantis communibus damnis, quicunque sacerdotio, & sacro illo honore sumus præditi, omnes ferre opem pro virili nostra debemus, ordinemque eum, propter quem ipsi honesti volumus esse, nostris quoque operibus & meritis decorare: custodire in populis nostris charitatem, docere mandatorum Dei obseruantiam, omnem ipsi auaritiæ suspicionem fugere, propulsare hominum iniquorum arrogantiumque iniurias, aut si id minus poterit as nostræ sit, gregem tamen nostrum, quoad possimus, in patientia, & bona erga Deum spe continere debemus, & consolando singulos, & cum illis æquè mœrendo: vt quemadmodum in Ose Propheta scriptum est: Si fornicaris tu Israel, non delinquat saltem Iuda. Duplex est porrò in hoc genere doctrina & consolatio: aut enim eos qui suis incommodis anguntur, fœminique ægrius, tanquam immerito suo illa patiantur, docere, & commonefacere oportet, ista homini bono esse: Dei consilium & prouidentiam, qua ad salutem hominis referatur, in his fere consistere: his nos plerunque adigi & compelli, vt omne perfugium salutis nostræ, in Dei ope atque auxilio melius constituamus: aut quos hominum impiorum secundæ res in aliquam de Deo & prouidentia Dei injiciunt dubitationem, hos vehementius etiam reuocare ab hoc errore necesse est, illudque demonstrare, longè miserrimam esse eorum vitæ conditionem, qui prosperis rebus elati, tanquam nil planè cum Deo illis sit, nullaque eos lex, nullius iudicij metus teneat, ita in omne facinus, & quò libido traxerit, dant sese præcipites, in quo sæpe acris virorum obiurgatio aduersus improbos ipsos necessariò suscipienda est. Quibus rebus omnibus, cùm ex volumine psalmorum, diuino illo atque præclaro, psalmus nonagesimusterius nobis maximè appositus esse videretur, eum sumpsimus interpretandum: omnes enim dolore aliquo animi, ægritudineq; laborantes, atque eos præsertim, quicunque in fide nostra sunt, & docere & consolari cupimus, ac nosmetipsos quoque pressius & coniunctius ad Deum applicare. Quorum in vtroque probè scitoque conficiendo, quoniam nostra nobis plurimum impediunt, & propria peccata obstant, ipsique nihil omnino sumus,

 veniant

veniant qui aliqua ærumna, aut dubitationis scrupulo vrã sunt, vel suarum rerum aduersarum in animo, vel secundarum quæ prauos comitantur, in cogitatione & fide, vt copulatim mnes procidamus & ploremus coram Domino, qui fecit nos, quia ipse est Dominus Deus noster, nos autem populus eius, & oues pascuæ eius: psalmumque illi nonagesimumtertium decantemus, qui quam vim habeat & consolandi & confirmandi, quoniam iam non nostra, sed spiritus sancti dictata nobis exponenda sunt, ex sacra illius lectione magis operæpretium est cognoscere.

DEVS *vltionum Domine: Deus vltionum ostende.*

HOC EST manifestum vltorem te fac, aperte age. Vertim & Aquila Hebraicam vocem Græco verbo interpretatus est ἐκδικήσεων. Sanè congruentius, & magis apto sensu, quam quem vulgata æditione circumfertur, liberè egit. Et hoc idem, alia germana ex Hebræo in Latinum translatione, Hieronymus approbat. Hic Psalmus apud Hebræos ἀνεπίγραφος fertur, hoc est, sine historiæ & temporis argumento. Sunt qui eum Moysi attribuant, nos Dauidis esse nil hæsitantes credimus, secuti eorum sententiam, qui omneis psalmos, quos Ecclesia sancta canit, attribuunt Dauidi, præter paucos, qui nominibus autorum suorum prænotati sunt, vt Moysis, vt Annæ. Nam Asiph & Chore, & socij, quorum in psalmis quandoque præponitur nomina, cantores fuerunt, illis concinendis ante Deũ in tabernaculo à Dauide constituti. Alios quidem aliorũ psalmorũ autores extitisse reor, sed in obliuionem temporũ adductos, ñ eos, tum eorum quoq; scripta & opera, præcipuos autẽ Dauidis permansisse: nam & egregius ipse fuit psaltes, vt sacræ de eo loquuntur historiæ, & primus illis in Ecclesia decantandis ordinẽ autoritatemq; constituit: suosq; tradidit legendos, & pauculos quosdam superiorum temporum: Ita qui secuti postea sunt psaltæ minores, nec eandem vim spiritus habere potuerunt, nec similem suis scriptis populo approbandis autoritatem. Omnino quidem, & in magis regis virtute, & in Dei veri honore atque cultu, & in gratia apud eundem Deum, & in sapientia, & in spiritu, scientia ac prophetia ante alios præcipuus fuit Dauid: Idque singulari Dei prouidentia, quando ex illius semine fuerat promissus, qui orbem impletorum his omnibus virtutibus, & cœlestibus donis impleturus esset: cunctosque secum vnà ad fruendum regnum Dei, fide & veritate imbutos, vocaturus, cuius natiua ex Deo patre generatio non excluderet aliorum filiorum adoptionem, nec ipse suam hereditatem minui esset arbitraturus, si eam cum plurimis communicasset: quem liberatorem suum Iudæi etiam nunc expectant, nos nostrum iam pridem & omnium agnouimus. Merito ergo

Dauid

Dauid, in hac quoque psalmodia, cæteris antelatus est: nam quum hoc genus scripturæ valeat ad vtrumque, & ad homines optimis moribus, veraque erga Deum religione imbuendos, & ad futuras res prouidendas, ac prænunciandas, neque præceptis utilitas ab vllo potuit maior, quam ab rege esse, neque futurorum prædicatio certior, quam ab eo, qui esset ipse eorum quæ præmonstraret quasi radix quædam, seminariumque futurus. Quapropter nos psalmum hunc Dauidi, cui item cæteros omneis attribuimus. Quod verò velut ἀνεπίγραφος receptus sit, id nos quoq; historiam temporum perpendentes, facilè intelligimus, argumento non carere. Est enim à Dauide tunc confectus, quum cum insequens Saul, qui fugientem illum recepperant, quanquam ignaros & innocentes Achimelech sacerdotem, & alios cum illo quatuor & octuaginta item sacerdotes, ferro iussit interimi: Nobe autem sacerdotalem ciuitatem, cum omni populo, nullo ætatis aut sexus habito discrimine, ita & crudelitate incitatus, vniuersam ad interitum dedit. Hęc nimirum iniqui regis tanta atrocitas, Dauidem, qui suæ etiã vitæ vim atq; insidias ab eodem quotidie intentari intelligebat, ad pangendum psalmum hunc compulit: quo se primum, deinde reliquos omnes horratur, & confirmat, vt improborum iniuriis agitati, Deũ nobis rectorem affore confidamus: ipsumq; humana omnia intueri, curamq; gerere de omnibus non dubitemus, vt ne nos conturbent prosperæ aliquando hominum impiorum res, eorũ autem contrà qui boni sunt, habentúrue, nimiũ asperæ interdum, atq; acerbæ: Deum enim iudicaturũ & correcturum esse omnia, quietemq; his qui laborauerunt, gaudiũ qui doluerunt, impiis autem & sceleratis, quorum est in vitio & iniquitate tota exultatio, multiplices ærumnas pœnasq; redditurum: sępe quidem & in hoc seculo, in illo autem altero atq; æterno, certo & ineuitabiliter. Siquidem apud Deum nullum habet locum, nullam sedem iniquitas: quem profectò haberet, si non per eum fieret iusta & æquabilis omniũ cõpensatio. Atq; hæc psalmi huius sententia est: Qui etiam canebatur apud Hebræos quarta sabbati, nec id absq; mysterio, ad cuius intelligentiã nos multa cogitatione peruenimus: canebatur hic in Ecclesia illa vetere psalmus feria quarta, in hebdomadis medio, quòd erant vices & tempora, tum eorũ qui in templo sacerdotes & cantores statis diebus deseruiebant Deo, quotidianasque illi laudes & gratias celebrabant: tum eorum erant, quæ concinebantur: quæ suis quæque diebus distributa accommodabantur ad Dei opera, quæ quoque die constituisset Deus. Huius distributionis & ordinis non omnes psalmi indicium præ se ferunt, quòd multa sunt in eis die ipsa & vetustate obscura: in quibus autem etiam nunc extat, hi perspicuè indicant,

hoc pacto se rem habuisse, vt verbi causa, in psalmo vigesimo ter-
tio: Domini est terra, & in nonagesimosecundo, Dominus re-
gnauit, decorem induit: quoniam in his sit præcipua de creatio-
ne terræ mentio, ambo prima sabbati cantabantur, quo die ab
Deo condita fuit terra. Hic autem noster, quem habemus in ma-
nibus, in quartam sabbati descriptus est, nempe quòd die illo
fuit tempus inductum in rebus, & institutum. Porrò autem psal-
mi huius vtilitas & ægrotantibus medicina à tempore & patien-
tia ducta est, expectare enim iubemur tempus quo Deus nos de
manibus iniquorum vindicaturus est, ipsis autem improbis &
iniquis mercedem suorum scelerum cumulatè relaturus.

Deus vltionum Domine: Deus vltionum ostendere.

FORTASSE videatur parum conuenire homini probo, &
pietatem colenti, instare apud Deum tam acriter, vt se ostendat
in impios vltorem, & eum, tanquam cunctantem & pro-
crastinantem, excitare. Sed hæc precatio rectè accipienda est:
non enim illud, nec precatur Dauid, nec precandum à nobis
est, vt improbos ita vlciscatur Deus, quemadmodum homines
ira & odio incitati, suos sæpe vlcisci inimicos solent, sed vt sua
diuino more modoque puniat. Est autem Dei vltio plerunque
malorum medicina: nostra verò, interitus aliquando etiam bo-
norum: Ideoque verè Dominus vltionum ipse solus est Deus.
Nam nos quum pœnas sumere de inimico nos putamus, longè &
re & opinione nostra fallimur. Quid enim nobis corpus inimici
obfuit? in quo tamen malè mulctando, si contingat omneis no-
stras acerbitates expromimus. Quod te læsit, affecitque damno,
aut ignominia, animus fuit inimici, quem tu apprehendere &
retinere non potes, potest autem Deus: solusque ita potest, vt
nullo modo possit vim Dei & potestatē animus deuitare. Quan-
tumuis sit subtilis & velox, & ad elabendum paratus: quo se cun-
que fert, in manus Dei tamen incidat, necesse est. Ipsi igitur de
vindictam, & ipse retribuet: Quod sibi vt permittamus, ipsemet
nos est cohortatus, ne si vindices ipsi velimus esse dolorum iniu-
riarumque nostrarum, noceamus nobismetipsis aliquantò ga-
uius, quàm inimico: illum enim cùm vlciscimur, quod ipse
vile est, minimique pretij, corpus illius scilicet affligimus, & vo-
lamus: in parte autem nostri optima & preciosissima, hoc est
in animo, altam contrahimus labem, quod virtute inde, ignomi-
nitateque exempta, culpas interdum in eo expiabiles susceptas.
Quapropter oretur Deus, vt ipse nostrarum iniuriarum vltor sit,
qui solus rectè scit potestque vlcisci: atque ita sit vltor, vt illud
ipsum tantum quod nocuit, plectatur. Auarus aliquis pecunia
te circumduxit, puniat in eo auaritiam: Superbus contumelia

liam irrogauit, occidat ſuperbiam: Flagitioſus attulit in domum ſuam dedecus, extinguat illi libidinem. His peſſimis animi & rationis conſultoribus ſublatis ac peremptis, mentem & rationem ipſam in diem & lucem veritatis reſtituat. Hæc eſt vindictæ ingeniſſima a Deo quæ exerceatur, à nobis quæ poſtuletur: quamdiu tamen in animo delinquentis aliqua etiam nunc bona remanent materies, quæ mereatur conſeruari: dum eſt adhuc in peccando doloris aliquis morſus, & facinoris pœnitentia: dum non eodem modo ſemper agitur, habenturque alterna recte & prauè faciendi interualla, & iuxta propheticum illud, Quum ceciderit, conſurget: quum ſederit in tenebris, Dominus lux eſt: aliqua enim etiam tum reſidet ſpes in delinquente ſanitatis apud Deum clementiæ. Vbi verò ventum ad extremũ eſt, omnibusque vitiis & omni intemperantiæ imperio ratio tota iam conſenſit, eaque in naturam & vim improbæ cupiditatis commutata eſt, alienosque induit vultus, nec ſeſe quid ipſa eſſet amplius reſpicere voluit, hoc homine, vel non homine potius (Quid enim in eo iam hominis reliquum eſt?) quid faciundum ſit, videat Deus. Nos id tantum oremus & omnibus precibus obtestemur, vt ab horum talium furioſa dominatione, ſi fortè plebibus aut populis præſidere iuſſi ſint, fideles ſuos liberet dominus. Hoc item Dauid precabatur & poſtulabat, non Saulis ſanguinem, nec cruentam mortem. Quis huic illius voluntati teſtis? Ipſemet. Etenim videamus quid egerit, quando facta certius teſtimonium perhibent, quàm verba: habuit Saulem perſequutorem ſuum, & eundem autorem illius cædis crudeliſſimæ, poſtea bis in poteſtate, ſemel in ſpelunca, quo in loco illi ſe incoxanti partem paludamenti abſcidit: iterum in tentorio ſuo dormientem, vnde cum haſta & poculo regio eſt regreſſus, libera ei vtrobique ciuium interficiendi facultas, & ſeſe ab illius infeſto odio & quotidiano vitæ ſuæ periculo eximendi: illum ipſum tamen, quem ſibi hoſtem implacabilem, Deo & hominibus infenſum, nunquamque eſſe intelligebat, traditum ſibi ab eodem Deo in manus, non ſuſtinuit occidere: quem maxime formidabat, contra quem paulò ante huius oratione Pſalmi Deum vltorem tam vehementer aduocarat, quem ſi interemiſſet, erat ipſe non ſolum ab omni errore & fuga conquieturus, ſed ad regnum aſpiraturus, cum ipſum inquam, non modo non occidit, ſed nec mali quicquam attulit neque noxiæ: Quin incitantibus qui cum eo erant, & vt ſumeret de hoſte infeſtiſſimo pœnam adhortantibus, hos reſpondere perſeuerauerit. Non ſibi, ſed Deo tale iudicium conuenire. Ergo illo facto Dauid ſuum hunc Pſalmum egregie ipſe interpretatus eſt, cuius nos moderationem animi quoad poſſumus imitantes, eundem Deum contra impios cum pietate

inuocemus: ne si acerbitatis illi velimus esse suasores, repetit primum in nobis, quod iure asperius debeat vlcisci.

Exaltare qui iudicas terram: redde retributionem superbis.

HIC iam fidei Christi & aduentus eius ac iudicij elucent mysteria. Etenim sciendum est, eos Prophetas omnes quos spiritus sanctus impleuerat, habuisse propositum mentibus suis aduentum Christi Domini, mortemque illius & gentium liberationem, tantoque antè prospexisse concursum omnium nationum ad meliorem fidem amplectendam, regnumque Dei illud, quod iam non circumscriptum tempore, sed æternum futurum esset, constituendum: Quum hæc cuncta animo præuiderent, tum de magno illo Dei iudicio, quo orbis terræ & plenitudo gentiũ omnium, in veritate & in æquitate & iustitia erat iudicanda, non solum cognoscebant, sed crebrò & palàm & passim loquebantur, vt ex omnibus scripturæ veteris locis promptum est cognoscere. Hæc illi cuncta præuidebant, sed vt solent qui procul aliquid intuentur, aliquantò obscurius, quanquam erant qui magis etiã clarè dilucideq; cernerent, quod iustiore, vt diximus, Dei dono assequebatur noster Dauid. Ac quod contingit interdum, valde aliquid desiderantibus, vt earum rerum, quarum in expectatione sunt, quamuis eas nouerint longè post futuras, cupiant tamen sibi lætitiam & commodum repræsentari, crebroque illas votis precibusque exposcant: & tunc cùm maximè si vsus veniat, vt admodum opportunæ & necessariæ esse videantur. Sic (alij alibi) hoc loco noster Dauid, exaltationem Domini & aduentum eius, vimque & potestatem iudicantis adesse, iam iamque atq; instare postulat: ad refrenandam Saulis crudelitatem, & ad populum ab illius truci dominatu vindicandum. Sed quęrendum hic primò, quur rogetur Deus vt exaltetur in terra, qui Dominus est terræ, quiq; eam continet vnus & conseruat, vt sit in ea semper ipse solus altissimus? In quo dicendum, Dei amplitudinem illam quæ in ipso infinita est, in cœlo & in terra semper eandem esse, in his verò quæ extra ipsum quodammodo sunt, in cœlis quidem perpetuum & immutabilem statum retinere, in terris aliquando minui. Maximus semper in seipso est Deus, item in cœlo maximus apud illos beatos regni æterni incolas, in terra autem tunc magnus, quum qui penè Domini terrarum, hoc est vicem Dei gerentes homines, mandata ipsius præcipuè custodiunt, debitosq; illi habent, & perpetuos honores. Transfer hoc idem in regem aliquem, & eum statue virtute & sapientia pręstantissimum, cuius tamen imperium & voluntas habentur leuior: erit ille in sese magnus, in populo multò minor. Item in orbe terrarũ quum vitia dominantur, quum luxuria exultat, qui

extollitur superbia, quum populatur & diripit omnia auaritia, tũ minore efficitur Deus, neque illius eminet tribunal, neq; ampla & grauis autoritas habetur: si vero ipse attollat sese, exurgatq; in altum, & se conspiciendum vindicem formidandumq; ostendat, sicut spirare incipiente Aquilone, contrarij venti noxij & insalubres, necnon nebulę nubesq; omnes, & quicquid prius turbidum aut corruptum erat, facessit continuo è medio, purgaturq; in serenum aera, & integram lucem intaminatamq; relinquit, Sic in sublime efferente se Deo, vitia peccataq; confidunt, improbi homines meru comprimuntur, plerique etiam pœnitentia purgantur, inferni tenebrarum rectores prodire palam non audent: lux, iustitia, veritas, mansuetudo charitasque dominantur. Hanc exaltationem domini & iudicationem terræ cum precabatur Dauid, habebat ille quidem recentem in Saulem iracundiam, qua aduersus illum, vt dominum inuocaret, fuerat incitatus: verumtamen non tam stricte, nec tam angustis finibus iudicium terræ & sublimationem Dei circumscribebat: sed animo & spiritu spectabat aliquid amplius, illudque iudicium, & illam exaltationem potissimum intuebatur, quæ illi maxime in animo lucebat, ad cuius omni desiderio ipse æstuabat: parua enim terrarum portio Iudæa est: nec si in ea, aut pro ea tantum exaltetur Deus, idcirco sit in orbe terrarum sublimis, nec Iudæam iudicare, iudicare terram est, contraque potius vniuersi iudicij, & in toto terrarum orbe Dei exaltationis Iudæa futura erat accessio. Itaque illud est visum spectatumque iudicium, illa exaltatio efflagitata, qua Deus filiũ suũ aliquot post secula tanquam signũ sustulit, vniuersis nationib. ad vitam & salutem æternam omnib. ostendendam. Quo tẽpore dominus Iesus de seipso dixit, Quum exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me: Atque idem de iudicio ita est loquutus, vt tunc maxime mundi iudicium fieri, tunc principem mundi exturbari foras diceret. Et is quidem tempore illo vsque adeo fuit exturbatus, vt aliquibus seculis expulsa impietate, repressisque omnibus vitijs, per quæ maxime Diabolus oppressum mundum tenebat, fides & veritas omnia obtinerent, tantaq; essent concursus cunctarum gentium ad Christi fidẽ veramq; religionem, & prioris vitæ errorisque pœnitentiam, vt liquido pateret, diuinum illud consilium diuinam vim esse. At enim reditum est postea in eadem quæ prius, & deteriora etiam mala: ergo alterum iudicium, alteraque Dei sublimatio orbi terrarum proposita est, quę quidem postrema futura est, nec erit vltra quicquam quod iudicetur. Quam quidem Dei sublimationẽ, quodq; iudicium, quo animo expectẽt qui vitio & scelere perditi, vni tantũ seruiunt libidini & cupiditati suæ, æquitatẽ autẽ & iusticiã, & omne fas recusumq; puertũt, prorsus intelligere nõ queo: nisi forte

hoc ita fore non credunt, de quo alio loco erit disputandum. Nunc nos, qui ea futura certo credimus, agamus Deo & domino nostro Iesu Christo gratias, quod exaltatus fuit, & iudicatur, precesque & vota Dauidis prophetæ sui, sua benignitate est subsecutus: illa prima exaltatione videlicet, & iudicio, quo vetere homine culpæ totius reo, in crucem secum affixo, nos noui, vt alui perpetuo esse possemus, accepimus facultatem: Et quæ nunc maior superbis retributio fuit, quàm humilitatis patientiæque doctrina? Nam & ipse dixit, Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde. Quis porrò magis idoneus ad docendum, quam Deus? Quis grauior autor? Quis magister melior? quamis, quomnium natura summus, sponte sua ac volens vsque eò factus est humilis, vt proposita sibi humani generis salute, graues iniurias, indignissimas contumelias perpessus sit, mortem denique vltro in suo corpore exceperit: quò nos doceret, quæ gradus nobis ad cœlum, & ad gloriam faciat, non superbiam eam esse, sed humilitatem: regnumque mundi quod dicitur, superbiæ esse: quod autem Dei, humilitatis. Huc Dauid sua vota & desideria intendebat: nō enim expetebat Saulis sanguinem, sed illius vim & iniquitatem reprimi, populumque ab iniusto illius dominatu cupiebat liberari. Itaque prosequitur & instat.

Vsquequo peccatores Domine, vsquequo peccatores gloriabuntur?

Hæc verborum geminata pronunciatio, ad indicendum animi interiorem motum vim magnam habet, & ad alterius animos item concitandos, præsertim cum est interrogando facta: vehemens est enim interrogatio, eademque animos audientium maxime attentos facit, propterea quòd eodem temporis puncto, & quid tu quæras intelligunt, & quid respondeatur expectant. Vehementer igitur Dauid commotus, nec tam peccatis improborum (interdum enim peccare humanum est) quam perseuerantia in peccando, & quod extremum malorum omnium est, etiam gloriatione in peccatis, quasi instat Deo, & nimiam illius patientiam incusat, quòd ferat & toleret tam diu istorum insolentiam: Atq; idem ipse, qui eũ fortem, & patientẽ, longanimũ, & multum misericordem laudare, & prædicare erat solitus, nunc ipse ad festinandum incitat: hac nimirum de causa, vt quam multi multi de populo in vias impias abeant, & discedant, quam multitudinem ipse cernebat iam collectam circum Saulem corruptam domini imitatione & exemplo, vt Doëch Idumeum, & complures alios: ergo vrget & instat, vt auferatur impijs potestas, & gloriatio, vt ne dominentur, vt ne potentiam obtineant, neue quam viaticum vberius suæ iniquitatis: atque huiusce modi gloriatio-

riatio-

riationem quid mali sit, magis etiam enucleate ostendere est exequutus.

Quousque peccatores Domine, quousque peccatores gloriabuntur?

Loquentur, & prædicabunt iniquitatem: loquentur omnes qui operantur iniusticiam?

Hæc est gloriatio, quæ in tota mole vitij summum locum obtinet: Loqui enim voluntatis est, operari potestatis, gloriari autem his præterea quoque, iam fastigium est, & intemperantiæ, ac vitio extrema manus apposita. Igitur his duobus adminiculis, & velut substructionibus, tota subnixa est prauitatis ædificatio: nam & qui loquuntur gloriantur, neque gloriarentur nisi facerent: Quæ ambo cum coniuncta sunt, nihil abest vitio, quin plene & cumulate sit vitium: sin autem diuisa & separata sint, leuius vtrumque multo, & minus graue efficitur. Nam qui loquuntur, ea mala quæ facere ipsi non possunt, hi stolidi potius & leues, quam scelerati ducuntur: Qui vero faciunt, & à prædicatione abstinent, mali illi & improbi, non tamen extrema iniquitate cumulati sunt putandi: retinent enim adhuc pudoris & modestiæ aliquod vestigium: Vbi vero vtrunque adest, & super vtroque extricta & exaggerata gloriatio: Vbi expugnatio alienæ pudicitiæ, non tam grata est, quamquam fuerit ea multo studio elaborata, quam prædicatio exhausti laboris & operis: Vbi auarum & rapacem non magis raptus, quam fraus in rapiendo adhibita delectat: Vbi iniqua iudicia fiunt, fidesque venalis habetur: vbi fas confunditur, ius violatur: vbi intemperanter & luxuriosè viuitur, atque insuper hæc omnia in laude & in gratia gloriando ponuntur. Quis vllam inde abesse partem sceleris, improbitatis, & impudentiæ putet? Quid præterea quid agit ista gloriatio? Nónne contagem donat vitijs, virtutibus exilium indicit? Nónne non solum pudicitiam corrumpit, sed pudicitiæ nullum relinquit locum? Nónne non modo ipsa rapit & furatur, sed implet omnia furibus & raptoribus? Quorum proh sancte Deus, quantos interdum greges conspicimus, atque hos quidem nos huiusce modi homines, in hominum numero ponere vix videmur posse: qui si non essent aut non fuissent, dispersi multis in locis, vel omnia prope modum sæpe obtinentes, O fides Christi, quæ æternæ salutis viam omnibus credentibus aperuisti: O sancta illa & mundo toti salutaria Iesu Dei præcepta, sanctæ leges, sanctæ institutiones: quæ si rite seruatæ, & diligenter fuissetis, atque vt fuerat cœptum in honore habita, vberiore multo fructu cœlestium bonorum semina sparsissetis: quanto

esset vobiscum, & cum humano genere præclarius actum: quibus bonis abundaremus? Quantarum cladium fuissemus expertes? Nunc vobis spretis & contemptis in quæ præcipitauerimus mala dicendum non est: Illud dicendum, & sedulo rogandum, vt à prauorum & impiorum hominum potestate plebes suas liberet Deus. Illis vero vt pœnam inferat, & damnationem? Nequaquam, sed vt lucem eis potius suæ clementiæ, si capere ipsi possint, offerat, atq; ostendat. Atq; vt appareat necessario rogari Deum, vt populos suos eripiat ab illis, videamus quantum agant malorum, cuiusmodi scelera committant.

Populum tuum Domine contriuerunt, & hæreditatem tuam vexauerunt.

Viduam & aduenam interfecerunt, & pupillos occiderunt.

Ex historia à Saule hoc in Nobensem ciuitatem perpetratum facinus est, in qua nullius vitæ omnino pepercit iracundia regis, neque vlla fuit, quo minus omnes ferro trucidati occumberent, ætatis, aut sexus aut generis facta distinctio. Sed ad omnes illiusmodi rectores & impios præsides extenditur, non enim arctatur angustijs Spiritus sanctus, neq; terminos habet intelligentiæ suæ, nec regionibus circumscribitur, sed permeat in omnia: hocque in sacro volumine, quod ipsomet dictante, totum è cœlo, & cœlestibus diuinæ doctrinæ consilijs haustum, & expressum est, plura & longe maiora comprehenduntur, quam quanta capere potest hominis mens: quæ propterea tamen absistere non debet, nec spe intelligendi defici, sed niti potius scrutando, inuestigandoq;, vt quotidie accipiat aliquid amplius. Paululum n. quicquid percipitur, quantulumcunq; sit, non paruum momẽtum ad beatam vitam affert. Quod de beato Pambo, in Ægypti solitudinib. Deo inseruienti, literis est traditum: qui cũ accedens ad Doctorẽ, vt librum psalmorũ ab eo addisceret, audisset primum versiculũ psalmi XXXVIII. Dixi Domino, custodiam vias meas, vt non delinquam in lingua mea: eo contentus versiculo, discessit, annisq; triginta ad vitam recte instituendam illa vna sententia est vsus. Igitur aduersus Saulem ista quidem potissimum intenta est expostulatio: Sed valet aduersus similes cæteros. Atque is quidem quum ita & crudelitate incensus, vniuersum populũ illum missis gladijs trucidandum dederet, per causam, quod receptum Dauid primo, mox exitum ad fugam præbuissent: Quid poterat dicere, quamobrem id esset, non dico iure (nullum enim ius suffragatur crudelitati) sed mediocri saltem iniuria factum? Si illos egisse maliciose, odio vel contemptu sui existimabat, cognosceret causam,

sum, daret spatium iræ, quoad nocentes ab innoxijs segregarentur. Sed fac ciues omnes fuisse nocentes, qui tamen neutiquam erant, num etiam viduas, & aduenas, & pupillos oportuit occidi? Qui profecto miseri, ab omni non modo culpa, sed etiam suspitione culpæ remoti erant, & omnes tamen eandem acerbissimæ mortis subierunt pœnam, contra omnia & Dei & legis Mosaicæ præcepta, in qua his maxime generibus hominum humanitatis officia impendi iubentur. Ita quibus ira etiam hostilis, vrbibus in bello captis per vim, parcere solet, eis non pepercit in pace iniusta iracundia Saulis. Iam hic mos est animi effrenati & consuetudine excitati, impetu ferri in id quod collibuerit: hæc improbarum cupiditatum vis & natura, vt satietatis in se finem non inueniant, earepusque excurrant, quatenus non tam ipsa etiam voluptas, quàm cæca quædam temeritas prouocat, & qua defatigatio, non voluntaria illa interspiratio constituit terminum. Hoc tum Saul in crudelitate: Quid in auaritia, quid in intemperantia quàm multi? Quid in iniustitia & iniquitate? præsertim si qui in imperio & iurisdictione constituti, vim illam muneris ac potestatis suæ, non ad tranquillitatem & commodum populorum, sed ad suas explendas cupiditates conferunt. Hi sunt domine, qui populum tuum conterunt, qui diuexant & lacerant hæreditatem tuam. Tua enim hæreditas, tuum dilectum & charum patrimonium, fideles populi sunt: in quorum bonis moribus diuitiæ tuæ, in quorum pietatis & nominis tui cultu, clara est & opulenta possessio tua. Qui quum in pudore & pudicitia corrumpuntur, quũ ad intemperantiæ studium exemplis turpibus prouocantur, quum exagitantur iniquis iudicijs, iniquis imperijs, iniquis direptionibus, in eis tum nimirum hæreditas tua vexatur. Atque vt hæreditatem alieno ære mersam, qui ex testamento aut ab intestato successuri sunt, facile solent spernere & recusare adire: sic vehementer verendum nobis est, ne tu quoque Deus hanc tuam hæreditatem, culpis & vitijs contaminatam, multa penè desperatione à te ipso alienatam, recusses cernere. Sed miserere Deus, miserere, & auerte iram tuam à tuis, in eosque potius conuerte, qui nec tui esse ipsi volunt, & alios, vt ne sint, abstrahere conantur, conteruntque plebem tuam: non vt publicis rebus consulant, non vt aut iustum bellum inferant, aut refrenent hostium ingruentium impetus, non vt statum & dignitatem suam tueantur: hæ enim causæ in summis regibus ac principibus, nunquam optandæ illæ quidem, sed aliquando necessariæ, semper ferendæ cum modestia & patientia sunt. Verum isti suam vt expleant auaritiam, vt suppeditent intemperantiæ, vt seruiant ambitioni. Qui si etiam tales interdum aut honore potestateque videlicet, vt illis æquitatis omnisq; abstinen-

ſtinentiæ ac integritatis curatio fuerit demandata, ea vero longe porrò ad contrarios effectus recidunt. Hi ſunt domine, qui non ſolum conterunt populum & vexant hæreditatem tuam, ſed vi quadam maiore crudelitatis & iniquitatis viduas & aduenas interficiunt, pupillosq́ue occidunt, in re quidem & corpore: quod vt quis minus eſt ab ope propinquorum auxilioq́; munitus, hoc magis eſt iſtorum iniuriæ cupiditatiq́ue expoſitus: & quæ potiſſimum valere cauſæ ad excitandam fidem & diligentiam præſidis ſolent, orbitas, viduitas, peregrinatio: hæ turpes maxime inflammant cupiditates, vt tanquam ad paratiorem prædam ſe conuertant. In anima autem & myſterio, videamus quæ ſit iſta enim viduarum & pupillorum internecio: Vidua, anima eſt, quæ auxilionem nullam, aut eam imbecillam & inconſtantem habet: Vir enim animæ ratio eſt, aut ſi eſt maſculo nominis genere vindum, quando Græce dicitur λόγος, nos dicamus tantiſper conſilium. Eſt igitur conſilium vir animæ, quod ſi abſit, aut infirmum, debileq́ue ſit, vidua anima eſt. Quid enim intereſt ad viduitatis naturam, habere virum inutilem, aut omnino non habere? Veruntamen huiuſmodi animæ, quo per ſe ipſæ imbecilliores ſunt, hoc magis rectoribus & præſidibus ſunt, ac fidei eorum commendatæ & concreditæ, vt quod non habent domi, illorum prouidentia accipiant, quotidianum videlicet adiumentũ ſalutis ſuæ, vt in integritate virtutis, & in bonorum morum bona valetudine teneantur: Quæ ſi cõtra exemplis turpibus corrupta, ac velut imbecilles, facile abductæ in viam interitus, tetram peccati obeant mortem: tibi ô quicunque & vbicunque iniquè præes, viduarum huiuſmodi adſcribitur interfectio: tibi occiſio aduenarum & pupillorum: maiore etiam crudelitate, quàm ſi eorum bona & fortunas diripuiſſes, quanquam ſit quidem ſæpius vtrumque, ſed grauiore multo in hanc partem ſcelere: Nam ad idem exemplum aduenæ ſunt, qui ignari morum & hominum, cum ſe aliquò conferunt habitatum, nouæ patriæ moribus inſtituere ſeſe ſtudent, qui ad præclaram certe perueniunt tuæ diſciplinæ regulam. Pupilli vero hi, quos tu flectas & fingas quemadmodum velis, in quibus penitus tui moris & voluntatis formam imprimas, quos habeas deinceps, quibus confidas maximè, tanquam filios vero orbatos patre, te patrem iniquitatis ſuæ vnum agnoſcentes, quos ſtatuas in omni tua libidine & cupiditate emulatorios. Hos tu interficis & mactas vniuerſos, his ferrum ipſe & pigam & interitum affers: Quod non faceres, aut certè nonum effuſe, neque tam paſſim faceres, ſi Deo exiſtimares iſta eſſe cura. Nunc quæ nam iſta eſt ratio & inteſtina cogitatio tua? Legamus prophetam, tua arcana conſilia nudantem, tuas abſconditas cogitationes in lucem proferentem.

Et ſicut

Et dixerunt, non videbit dominus: nec intelliget Deus Iacob.

VIDEN' vt deprehensus es nefaria cogitare? Et nimirum radix, & origo omnium vitiorum est, falsa ista & longe mentiens de Deo persuasio: tanquam aut nullus sit, aut si sit Deus, nihil curet omnino res humanas. Duplex hic error, & quidem re duplex: quanquam verbo videantur qui alterutrum ponunt, de altero non contendere, necessario tamen in vtroque offendunt. Nam qui curare hæc nostra negant Deum, verbo Deum esse confiteri videntur, quod est longe secus: Qui vero ex omni eum natura penitus tollunt, non habent necesse dicere Deum inferiora ista non curare, quod tamen re ipsa astruunt: non enim oratio apta est, quum de eo quod nusquā est, ita dicatur, quasi quædam sint, quæ illi non sunt curæ. Sed Deum nihil omnino esse, paucissimi disputauerunt: quorum vnus, nescio qui, Διαγόρας etiam dictus est: Aufert enim omnibus hominibus sensum & conatum sic censendi & cogitandi, Lux ista diurna, & nocturnorum luminum aspectus, tantusque, & tam admirabilis ordo rerū pulcherrimarum, quæ dum alternis temporum interuallis occurrunt, & redeunt semper ad idem, vicissitudinesque illas conficiunt, per quas salus continetur vniuersi, neque vel tantulum ab præstitutis semel cursibus motibusque deflectunt, ipsæque diuersæ inter se, & plerunq; repugnantes, in vnum tamen concentum, & vnam concordiam omnes finiunt, declarant profecto & prædicant aliquid esse, idque summum omnium atque vnum cuius omnis lege & imperio moueantur: quod & vbique, & in sacris literis præcipuè, nominatur Deus. Cœli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annunciat firmamentum. Hæc vox naturæ, Deum esse clamantis, tanto quoquo versum sonitu diffusa est, vt omnium gentium aures, omnium mortalium mentes, cordaque impleuerit, etiam nolentium & reluctantium: vt si paulum modo animum aduerterint in cœlumque suspexerint, esse quendam Principem & Dominum naturæ totius fateantur. Quare Deum nihil omnino esse nemo aliquo præditus sensu plane potest affirmare. Ignorari autem ab eo, aut certe negligi res humanas, tam multi sibi ipsis persuaserunt, vt horum multitudine terrarum orbis laboret. Hi dicunt in cordibus suis, inquit Sophonias propheta, Non faciet bene dominus, & non faciet male. Hæc est persuasio, fons scelerum omnium, incitamentum flagitij, arx totius intemperantiæ & iniquitatis: à qua qui decurrunt, quo in omne flagitiū, omnemq; cupiditatem præcipites ruant, nihil habent pensi, neque moderati: quorum quidem est deterrima & perniciosissima natio: Primum, quia multitudine ipsa est robustior, nam illi Deum vspiam esse negantes, improbi sanè, &

pœna

pœna magis, quàm verbis refutandi, attamen aliquot seculis fecit sunt singulares: Deinde, illi ingenij iactandi gratia agere id videntur, isti intemperātiæ & iniquitatis potius exercendæ. Postremo, illi & raros aut nullos habent assensores; & ab ipsis diuinis operibus facile refelluntur: isti cum sui imitatione plurimos corrumpunt, tum præbent suis factis & operibus occasionem de Dei prouidentia ac iustitia aliquando dubitandi: Ac si penitius magisque introrsum istorum impietas inspicienda est, hi sunt, qui aliquanto etiam efficacius Deum auellunt è rerum natura, quàm superiores illi, quum tamen eum verbo relinquere videantur, quod factis aduersus eum, non oratione pugnant. Quoniam quæso relinquis in natura Deum, si illi adimis prouidentiam: An tu rem vllam, nedum rerum omnium principium & caput, intuis esse posse in natura expertem eius muneris & functionis, quæ rei illius propria sit? Fieri hoc nullo modo potest, vt sit, vt sit, vt locū habeat: vt enim, si ignem des quidem, & concedas in natura esse, eum autem neges calefacere, simul illi & actum suum, & naturam, hoc est, totum ipsum ignem è rebus tollas: sic qui prouidentiam & iudicium Deo auferunt, Deum ne esse quidem in rebus patiuntur: nec tamen in hoc fini insistunt, vt quasi cognitionis duntaxat & disputationis causa videantur iustitiam Dei è rebus tollere, sed fenestram sibi ad omneis libidines, & omnia scelera patefacere nituntur. Visne videre rem ita se habere? Accipe ex eisdem sacris codicibus oraculum, Dixit insipiens in corde suo, non est Deus. Hoc est, nobis non est, neque mortalium vllis, non inspector, non punitor facinorum nostrorum: Nam hoc & insipienti illi sat erat, & quo posito tamen, sequebatur etiam id quod modo diximus, Deum omnino nusquam esse: Verum ille non tam id quærere subtiliter laborabat, ad tactum, & gustatum, & corporea oblectamenta properabat, quibus vt posset frui liberius, hoc vno erat contentus, Deum sibi non esse. Itaque alio loco hoc idem ostendens de impio Psalmographus, Non est Deus, inquit, in conspectu eius. Et item, Dixit in corde suo, oblitus est Deus: auertit faciem suam, ne videat in finem. Quæ persuasio eam habet vim, vt omni obice pudoris & religionis emoto, vniuersum vitiorum flumen irrumpat. Ergo similiter dixit insipiens in corde suo non esse Deum, quid sequitur? Quid? Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in iniquitatibus, non est qui faciat bonum. Igitur effectus istius persuasionis, omnis corruptio & abominatio est. Etenim non possent, qui se totum sceleri & intemperantię dedunt, tota mente in id vacare, si Deum curare ista, & vindicare arbitrarentur. Quapropter illo sese primum metu liberant, quoad tamen possunt: nam quid assequuntur, alio loco fortassis erit disputandum. Conantur quidem certè se li-

se liberare, ac exoluere. His nunc hoc animi morbo vehementer affectis, & vel suo scelere & intemperantia, vel alienæ improbitatis exemplo in hanc pestiferam opinionem demersis, ex hoc Psalmi saluberrima lectione affertur medicina, si capere eam velint, & sapientiori credere, Deo ista esse curæ: retractemus prius morbum, vt aptius post possimus apponere medelam.

Exhixerunt, non videbit Dominus.

Dixerunt, de eo quem nos Dominum habemus, ipsi vero non habent: Qui enim habeant pro domino, cui esse curæ familiam negant? Dominus enim esse sine domo non potest, porrò domus est, non tam domicilium ac tectum, quàm ipsa liberorum atque seruorum sub vno rectore & magistro ordine instituta collectio.

Non intelliget Deus Iacob.

Deus Iacob, Deus verus est, cæteri Dij gentiũ, ficti & ementiti. Quòd si verus Deus hæc nostra non intelligit, cæteri quomodo intelligant? Et simul attende omnem omnino Deo auferri cognitionem, quando & sensus illi, & intellectus eripitur, neque solum in præsentia, sed in posterum etiam auferri: non solum enim non intelligere, sed nec intellecturum affirmant Deum, quod idem est, ac dicere, eum ad intelligendum facultatis nihil habere, vt sicut dicit Apostolus, peccatum peccantius fit, duplexque maledictio duplicato proferatur, & in re geminata, & in tempore. Quid? Isti videntne aliquid Deo in natura rerum præter cassam vocem & nomen inane relinquere? Vidimus grauem morbum. Nunc ad medelam morbi, vna cum Psalte nostro, Deo freti, conuertamur.

Intelligite insipientes in populo, & stulti aliquando sapite.

Hæc vehemens increpatio cum indignatione prolata, magni præceptoris indicat autoritatem, estq; ad vtilitatem doctrinamque, eorum qui errant & falluntur, suscepta. Facit enim attentos, & ad expectandum aliquid magni, aures & animos audientium erigit. Sanè increpat vtrosque, & eos qui de populo, hoc est, de simpliciore hominum genere capti inductique sunt, vt propter felices impiorum successus, & sæpe contrarios piorum, existiment ab his rerum gubernatione & cura abesse Deum, & qui ipsi impietate & scelere principes erroris & prauæ opinionis sunt: Prioribus illis attribuit insipientiã, quæ est ignoratio, doctrinæ non repugnans: Posterioribus his stultitiam, quæ est ignoratio, doctrinam omnem repudians. Insipientes sunt, qui ita nesciunt, vt si quis eos doceat, possint iam scire, quæ antea

antea ignorauerunt: Stulti sunt, qui ita nesciunt, vt scire sibi optime, & callere omnia videantur: qua quidem scientiæ falsa persuasione inflati & tumidi, aditum amplius ad veræ scientiæ non relinquunt. Hæc ignoratio, captis & orbis omni lumine oculis, comparata est: illa prior, conniuentibus. Igitur cum appellauit insipientes in populo, & inuitauit ad intelligendum, genus hominum vocauit, quod simplicitate potius, quàm consilio, in dubitation is scrupulum de Deo, & diuina prouidentia adhæsisset, nec spone sua, sed imitando alios, multaque quotidie boni moris & ordinis expertia intuendo, semetipsum quoque in eandem foueam erroris demisisset, & esset adhuc tamen dispsinabile. Qua autem est, Et stulti aliquando sapite: illo increpuit, quorum est prope salus & correctio desperata, qui habitum iam & callum terrimæ ignorationis induxerunt: propterea-que verbum apposuit, Aliquando, quod idem valet fere, ac fieri potest, si vlla reliqua spes est, si quod à vestra voluntate obtinere iam nequitis, aliquando à die & tempore accipiatis.

Qui plantauit aurem, non audit, aut qui finxit oculum, non considerat?

RATIO physica est eadem cum interrogatione, tanquam telum contorta, vt vim habeat ad refutandum maiorem: de qua nos breuiter quidem, sed aliquanto accuratius differemus, vt Spiritu sancto nos adiuuante, aliquod lumen possimus cœlestis philosophiæ errantibus attollere, per quod, omnia inuentem & intelligentem Deum, ipsi quoque intelligant. Sanè vis tota huius argumenti est, maiorem effectorem, eo quod efficitur esse. Quòd si tu quum non abs te ipso, sed aliunde sis, habeaque autorem tui & effectorem Deum, his facultatibus tamen, & viribus præditus es, videndi videlicet, audiendi, cæterarumque omnium: quid ita non putas easdem potestates & habere Deum & melius quàm te præstantiusque habere? An quòd oculi carne in Deo non sunt, iccirco ab eo vim videndi segregas? At non hic modo Iob, qui cum Deum optime videre sentiat, carnem tamen & oculos separat ab eo. Quum enim sic interrogat, Numquid oculi carnei sunt tibi: aut sicut videt homo, & tu vides? Idem refert, ac si diceret, non sunt carnei, neque ita vides, sed acutius multo, & præstantius vides. Et recte ille quidem: Nam oculi caro ad id potius valent, non vt videatur, non enim vbi oculus est, ibi statim est visio: sed vbi oculo adest visus, vt in contracte & finite videatur: Nam videre ipsum per se si in actione spectes, amplum in immensum & pertinens est. Vnusquisque oculus quisque terminum habet, quo summum in videndo potest peruenire, alius alio vegetior & magis prospicax, sed omnes

omnes tamen in hac facultate finiti, vt insistant alicubi in videndo, nec vltra progrediantur, quàm quatenus spatijs & terminis, quæ est corporum omnium natura, eorum vis & potestas sit circumscripta. Illud autem ipsum quod est videre, sua ratio videlicet videndi essentia, nullo impedita corporis, & propterea immobilitatis vinculo, in ea mente profecto tota est, vnde in hos singulares oculos continenter est accersita: eademque infinita, hoc est, nullis omnino huius facultatis intersepta terminis, quã nihil earum prorsus rerum, quæ sub sensus illius notionem cadunt, vllo modo potest præterire, aut effugere: nihil vllis infuscatur aduersus eam tenebris, nihil corpore obtenditur, nihil interuallis & spatijs absconditur: corpus enim non est in Deo, cui alio corpore obstrui, aut quod terminis possit circumcludi, sed vis mentis, omnium effectricis & dominæ, ab omni mole corporea absolutæ: ideoque omnia facillimè administrantis & regentis, in qua cunctarum facultatum & virium, quæ in rebus factis infinitæ sunt, tanta est abundantia, tam infinita, inexhaustaque vbertas, vt non solum omnibus & oculis, & auribus, & animis inde suppeditetur, quod illis satis superque suarum facultatum sit, sed si infinities totidem prodeant in natura rerum, quot prodierunt antea, vel post prodituri sunt, abunde tamen paratum omnibus, quod illinc hauriant, sit futurum. Ille ergo, qui totam vim videndi, & id ipsum quod purum & absolutum est videre, in se continet, quum illud dispertit in tot oculos, tantamque artem & rationem adhibet in fingendo & collocando: quid agit ipse, profecto videt, semperque vidit: neque est bono ædificatore inscientior, qui quas opportunitates in domo bene ædificata disponit ipse atque aptat, habuit in mente & ratione sua prius, & exactius etiam habuit. Siquidem descriptionibus, mensurisque rationis non possunt corpora ad amussim respondere. Atque hic mortalis & imbecillus est, non Deus, sed Dei similitudinem gerens, qui tamen ex ea arte, quam intus habet, & ratione illa ædificatoria, si corporis natura, implicatioque non obstet, afferatque difficultatem, innumerabiles quotidie domos possit extruere. Quid ille summus, & æternus, & omnipotens, nullo inuolucro corporis irretitus, & propterea vocans ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt, in quo omnes omnino rerum omnium rationes, quæ sunt ipsæ essentiæ ac naturæ, & hæ absolutæ, perfectæ, vniuersæque insunt, quæ innumerabilibus ex sese rebus formandis & constituendis semper sufficiunt: quæ quum promantur quotidie, non exhauriuntur, quum delibentur, nunquam tamen decerpuntur. Quid ille inquam existimandus est? Non videre ne? qui visum cæteris præbeat: aut non audire, qui donet aliorum? An verò alio sensu vllo, intellectuue carere est putan-

dus, quem quæ sentiunt cuncta, quæque intelligunt effectores sensuum suorum, & creatorem confitentur? At enim vt videa fortè, inquiunt, & intelligat hæc inferiora, nihil ea curat tamen. Quando quidem si curaret, quum eius vim & potestatem nulla res effugiat, suo cuncta ordine, recteque gererentur, quæ nunc agi plurima, & fieri perperam, nullo ordine cernimus. O caput omnium fontemque malorum, prauam hanc & peruersam de Deo opinionem: quas illa strages in humano genere, quot prædas & rapinas quotidie agit? Cui si primo hac responsione occurramus, falsò istis ita videri hallucinarique eos in his quæ eis praue & perturbate geri videantur: Deum autem recte cernere, & disponere suo ordine omnia: quid tandem contra proferant? Audeántne sese & visionem suam cum Deo comparare? Auleant contendere, rectius se quàm Deum de hisce iudicare? Non, opinor, sint vsque adeo impudentes: De illis dico, qui se docent sinunt, qui fortuitò, non certa sententia in errorem hunc deuenerunt. Nam illi alteri, ne primas quidem huius orationis syllabas, in animum suum patiuntur introire. Nondum Christianæ arma capimus ad refutandum: Adhuc in communi scientia versamur, Prophetæque verbis & sensis inhæremus, qui quum dixit, Qui finxit oculum non considerat? Miro profecto consilio considerationem à visione non disiunxit, vt si conuincerentur videre Deum, eundem considerare cogerentur fateri. Quid enim est visio, si non consideres? sine quo oculis sæpe apertis & vigilantibus, si quid offeratur & occurrat, ne cernitur quidem: vt appareat animi esse, & non oculorum videndi iudicium. Ipsa porrò attentio animi & consideratio, si curam cogitationemque non affert, quo pacto munus suum officiumque tueatur? Quanquàm non in Deo eodem modo, quo in nobis, sed illaborata in eo, & expedita est. Neque hoc argumento ad refellendum contentus Dauid, prosequitur amplius, & instat.

Qui corripit gentes, non arguet? qui docet hominem scientiam.

DVPLEX hic curæ & prouidentiæ Dei modus: aut enim admonet edocetque quid sit faciendum: aut declinantes à præceptis corripit & castigat: qui vtrumque horum agat, eum curare & prouidere quicquam qui negat, profecto ipse quid sentiat nihil omnino videt: Atqui vtrunque manifestò agit Deus. Agentes primum communiter ad nationes, deinde ad electos Dei & nostros conuertemur. Est enim eò intenta hæc ratio, vt si quas communi quadam scientia erudit gentes, eas tamen aberrantes corripit: multò id magis in nobis sit facturus, quibus edocendis præter leges, præceptaque naturæ, etiam peculiarem doctrinam prophe-

propheticæ legis, & semetipsum postremò doctorem exhibuit. Videmus igitur, quæ sit ista scientia, quam communiter omnes homines edocet Deus: atque vt planius de ea loqui possimus, similitudinem primò illius in oculo exponamus: Dicimus enim interfectio munus, functionemque videndi docuisse nos Deum, propterea quòd quum in nobis oculos effinxit ad videndum ipsos, & ea quæ hoc sensu visionis percipienda erant, proposuit ante illos clara ac illustria, lucemque adhibuit, quæ colores, vanitates, distantias, motusque cunctorum patefaceret: nos eadem sæpius intuendo, artem videndi & peritiam quandam acquireremus, per quam quid esset iam, & quid valeret id quod cerneremus primo ipso iactu oculi motuque admoneremur. Item facit in animo hominis Deus, longeque in eo præstantiorem constituit mentis oculum, ad intelligendum aptum, cui cuncta quæ fecerat, & semetipsum cognoscendum proposuit, vt ministerio sensuum primo nixus, deinde per semetipsum gradus sibi instruens, atque ab alio ad alium sublimius semper se erigens, in cœlum tandem se inferret, ac diuina illa & immortalia contemplatus, vbi illorum considerasset ordinem, Deumque effectorem omnium adorauisset, tum rediret ad sese, conaretque, quantum quidem in eo esset, ad illorum exemplum & imitationem semetipsum formare, atque instituere. Hanc omnium scientiam omnes homines docet Deus, non humano sermone eos erudiens, sed voce illa, quam alio loco cecinit Dauid Propheta, Cœli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annunciat firmamentum: Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat scientiam: Non sunt loquelæ istæ, neque sermones, quorum non audiantur voces eorum: In omnem terram exiit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.

Vides ergo, & intelligis, homines à Deo scientiam esse doctos. At quam scientiam? Hoc enim iam demonstrandum est, quæ sit ista, & cuiusmodi scientia, cuius doctorem Deum meruerit habere humanum genus. Nec tamen dubitandum diutius est, quin IVSTITIA ea sit: Lex naturæ videlicet perpetua & immutabilis, per quam quod suum est vnicuique custoditur, ita præclare in cœlo descripta, in cæteris rebus impressa, vt qui eam non inde in suos animos hauriunt, animum non habere, aut ne homines quidem esse videantur. Porrò suum cuiq; tunc custoditur, quum non solum locus, honos, officium, munus, functio denique sua vnicuique integra inuiolataque seruatur: Sed etiam vbi lapsum aut titubatum aliquid fuerit, & vel oppressione subsederit, vel accretione intumuerit, quum id in statum & ordinem pristinum mutatur, præmiumque & merces sua cuique pro operibus &

factis digna rependitur. Illud primum, in æternis & incorrupti-
bilibus locum habet: hoc alterum, in fluxis & caducis. Hæc ipsa
Iustitia, quæ in Deo consilium, & sapientia, & prouidentia De-
est, quod quidem postremum nomen Iustitiæ imprimis cogna-
tum est, & familiare: neque enim vlla est iustitia non prouidens
eadem si eam tanquam sponsam de thalamo progredientem in
cœtum hunc præclarum tot rerum, tantarum, & tam variarum
deducas, ipsamque ad illas applices, & in illis constituas, iam ita
illa ordinis & nomen & rationē adipiscitur, vt iustitiæ non amit-
tat. Est enim ordo nil aliud, quàm in rebus collocata & inflexa-
ta iustitia: Quæ simul atque enituit, in creatis rebus, & nihilo-
minus in ipso Dei consilio menteque permanens, radium suæ vir-
tutis in omneis res explicuit, ordinemque distinxit: tum admi-
rabilis iste ornatus emicuit tam superorum corporum quam in-
ferorum: suisque partibus & muneribus distinctus totus, locis-
que dispositus, complexum hunc mundi constituit ingentem,
eumque circumcirca in globi speciem tornauit: nimirum quod
ea forma, quoad corpori fas est, ad similitudinem sui effectoris
proxime accederet. Quo etiam magis intelligitur & à Deo fi-
ctus, & illius prouidentia perpetuò conseruatus. Eadem enim
quæ effectrix, eadem inspectatrix est creationis suæ, Dei bonitas,
& iustitia, & prouidentia: conseruatque quod creauit, ordinem-
que tuetur in primis: qui si deficeret, aut permisceretur cuncta
hæc, quæ tanta mente perfecta sunt, ad inane omnia euestigio
conciderent. Ordinem igitur præcipue & maximè diligit Deus,
eoque teneri cuncta vult, nec potest vacuus esse voluntatis suæ.
Proinde & iustitiam productricem ordinis, in omneis æquè res
adhibet: Non enim in eo accidit, quod interdum in hominibus,
imbecilla facultate præditis, vt hunc ipsum ordinem, hancque
Iustitiam in magnis rebus adhibeat, in paruis negligat: Sed vt in
quaque arte & facultate, eiusdem est rationis, quæ sub illam ar-
tem facultatemque succedunt, pari cuncta studio, minima, me-
diocria, maximaque curare: nec medicinæ ars id agit, vt cum ca-
put hominis, thoracemque curauerit, minora cætera mendo,
partesq; alias negligat, sed omnibus æquam & similem adhibeat
diligentiam curationis suæ. Structoria vero aptandis coagmen-
tandisque lapidibus, sic paruos vnà cum magnis componit & in-
terserit, vt neget alteros sine alteris probum opus & firmum effi-
cere posse. Item de Deo necessario est intelligendum, quoniam
sit infinitæ potentiæ & sapientiæ compos, quum omne quod est,
aut etiam esse potest, illius numini & voluntati præsto sit, ordi-
nem autem ipse in primis Iustitiæ filium diligat, quo pacto pe-
tandus est eum quidem ipsum ordinem in summis & maximis
adhibere, in inferioribus alijs negligere? Quod si faceret, non
tam ex-

tam enim ille, quàm res quaſdam adamaret: neque tam illi ordo, quàm confuſio eſſet in rebus accepta: niſi fortè propter deſidiam & inertiam ab huiuſmodi cura vacare, aut propter inuidiam curare nolle, eſt exiſtimandus: quorum vtrumque quum ſit, ab immenſa Dei bonitate longe abeſſe neceſſe eſt. Cuncta igitur, & prouidet, & ſuo ordine omnia regi vult Deus. Sed non omnium parem conditionem eſſe voluit. Itaque in cœleſtibus ordo iuſtitiæ ita præclarus eſt, atque conſtans, vt quamuis corpora illa numero multa ſint, effectionibus diuerſa, motibus contraria, nihil tamen vnquam ibi titubetur, nihil peruertatur, nihil diſſentiat. In his autem quæ inferiora & corruptibilia ſunt, alio quodammodo elucet diuinæ iuſtitiæ & prouidentiæ ordo. Nam vt medicinæ ars bifariam diuiſa eſt, & vna ſui parte ad conſeruandam bonam in corporibus valetudinem accommodata, altera ad eandem, ſi amiſſa aut labefactata ſit, reſtituẽdam: Item in Deo fectrix illa & cõſeruatrix ordinis Iuſtitia, aut eum ipſum ordinem perpetuo & immutabiliter continet, in ijs quæ ita facta & ordinata ſunt, vt alienam naturæ ſuæ conſtantia mutationem nullam recipiant: aut ſi varietati & mutabilitati ſint obnoxia, quod deprauatum eſt, ſemper corrigit, & omni ratione amiſſum reſtituit. Mutabilitatẽ autem illam, & fluctus, æſtusq; quodammodo reciprocos, quotidianasque ſeditiones rerum corruptibilium, etiam ad bonum iubet redundare vniuerſi. Itaq; & elementorum ita inter ſe, alternaque populatio, huius mundi inferioris vegetatio eſt: & plantarum animantiumq; genera, quæ ignobiliore loco, & honore inferiore conſtituta ſunt, ita in ſingularibus individuisque corporibus commutantur, vt ſaluo in vniuerſum ſemper genere, pro qualitate ſubiectæ materiæ, iuſtitiæ & ordinis in illis quoq; lumen appareat: magno illo præcipue Dei prouidentiæ argumento, quòd quę illorum ad nocendum armatura ſunt, cara in natura, & infrequentia exiſtunt: quæ vero innocentiora, maiore multo numero genus ſuum frequentãt. Homo reſtat vnus, in quo maxime deſideratur & quæritur hæc diuinæ prouidentiæ ac iuſtitiæ perſpicua monſtratio: Nam & quum ſint e numero hominum complures, qui confuſo in ſemetipſis & turbato ordine, eum vbique & in cæteris omnibus confundere ac perturbare maxime nituntur, abeſſe ab his profecto cernitur illa ordinis ſeruatrix Dei iuſtitiæ ac prouidentiæ ratio. Quum vero etiam præterea impijs & nefarijs ſecundi euentus rerum permittantur, poteſtasque vltro & autoritas attribuitur, qua liberius poſſint & copioſius flagitijs, & improbis ſuis cupiditatibus indulgere, inde quoque correctrix illa, & emendatrix prauę factorum Dei Iuſtitia procul abeſſe creditur: hic, vt opinor, totius difficultatis nodus eſt, hæc maxima dubitatio, ad quam, quan-

tum nobis inspirante Deo licitum fuerit, dissoluendam (quoniam hæc à nobis doctrina populo Dei, multis vbique affectis incommodis & difficultatibus sumpta est) accedere non grauabimur. Hic illud primum affirmabimus, non dici posse, quippiam esse in rebus omnibus, quod non possit Deus, est enim omnipotens: nec ordini eum & iustitiæ non fauere: est enim bonus infinite, & sapiens: neque vero propter desidiam atque segnitiam ab ijs quæ illi grata sunt prouidendis illum abhiberi, quum sit omni omnino summa virtute præditus, atque omnis idem contrarij vitij penitus expers. Ex altera porrò parte, haud ita quaquam de homine est sentiendum, tanquam ex genere rerum sit, quod propter inutilitatem ignobilitatemque putetur esse contemnendum, est enim in toto ordine rerum primum propè nobilissimum ac præstantissimum: nec, quòd sit eximi ordinis, prouidentiæque ratio non insit, minimum propter id iacturæ ac damni vniuerso eueniat. Ordine enim ab hominum genere ablato, ipsum primo hominum genus, deinde totum penè terrarum orbis, & omnia ferè reliqua animantium genera confundantur, & conturbentur necesse est: quòd hæc regantur ab homine, ille colitur & illustratur: & si hominis cultus eraque absit, illa interire plurima & corrumpi, hunc florescere & inhabilem ac inaccessum esse necesse est. Nec verò in hominem, tanquam in alienum, curam & prouidentiam suam non conferet Deus, quum sit Deo homo similitudine cognatus: nec tanquam in ignarum, quum intelligens: nec tanquam in ingratum, quum sit idem Deo, vbi recte instituens est, omni studio honoris ac pietatis maximè deditus. At enim cur istiusmodi suam ac prouidentiam illam, conseruatricem dico, quam adhibet in cœlo, ab hoc tanto & tam præclaro genere amouit? Quur eum declinare & ruere in diuersa passus est? Quia, vt inquit Salomon, reliquit eum in manu consilij sui: quia hominem non seruum voluit esse, sed liberum: Quia ipsius honoris & dignitatis maiorem multo, quàm cæterarum rerum, rationem duxit. Nam posteaquam direxisset Deus ornasseque cuncta ordine sapientiæ suæ, posteaquam legem posuisset aquis, certaque ægre vallasset abyssos, æthera firmasset sursum, terram autem & montes in infimo mundi loco graui mole constituisset, atque ita omnia suis animantium generibus incolisque refersisset, postremo demum loco ad creandum & faciendum hominem conuersus: quod extremum manuum suarum opus esse voluit, hoc quòd perfectius, magisque nobile cæteris futurum erat, quòd omnis in ipso fini perfectionem quærit actio, siue vt cæteris esse rerum omnium esse finem, qui fuisset & principium, quando post cæterarum productionem rerum, quæ longius ab eo

vide
& a
rent
gen
to g
dent
post
hiert
rerue
quum
idem
beri
cont
eum
Om
finer
hole
in te
erec
rect
tibi
varu
inci
mun
& pr
tem
quod
cuiu

videbatur dissimilitudine discedere, ad semetipsum postremò, & ad illam similitudinem in vltimo suo opere exprimendam est reuersus: seu etiam quòd cæteris creatis à se omnibus, quam legem ipse ordinis iustitiæque edixisset, quum eam idem esset peruicacius prouidentiæ suæ in illis conseruaturus, vt nulli omnino generi à præscripto semel ordine & diuinæ legis præcepto deerrare aut recedere liceret: hominem, quem omni huiusmodi necessitate solutum voluit esse & liberum, æquum fuit post cætera, quæ continenti serie necessitatis vinculis astricta essent, vltimum procreare: Quem effecit vnum potentem arbitrij sui, vt necessitate nulla, sed suo potissimum iudicio moueretur, liberasque omnium rerum voluntates haberet. Itaque quum cætera omnia ferreis vinculis contineat Deus, hominem vnum aureolis habenis regendum sibi instituit, vt suasione quidem apud eum vtatur, vim autem nullam, nec asperum ac vehemens imperium adhibeat: Ac tanquam beneficiis vincere eum aggressus, præfecit etiam inferiori mundo, vicesque suas illi tradidit, alterumque penè Deum, & alterius orbis constituit conditorem. Hunc in tanta insistentem gloria, contemplatus alio loco Propheta, in admirationem illam prorupit, Quid est homo quòd memor es eius, aut filius hominis quoniam visitas eum? Minuisti eum paulò minùs ab angelis, gloria & honore coronasti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum: Omnia subiecisti sub pedibus eius, oues & boues vniuersas, insuper & pecora campi: Volucres cœli, & pisces maris, qui perambulant semitas maris: Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in vniuersa terra? Ex his enim, ô Deus, quæ in nostrum genus tot & tanta tuæ beneficentiæ dona contulisti, crescit maximè & eminet tui nominis admiratio. Nequaquam ergo mirum est, si tuæ conseruatricis prouidentiæ vinculo constricti non sumus, quum vim propriam ipsi, & intelligendi quid rectum sit, & id agendi custodiendique teneamus, si modo voluntatem nostræ te habeamus propositum, si tibi placere, si morem tibi gerere studeamus. Nam si secus sumus animati, quando ad veram libertatem paratum est nostræ voluntatis arbitrium, in eas pestes incidimus, quas abominabile est referre. Et tamen ista hominum ordini libertas ipsius bono est data, vt scilicet maior sui ipsius, & præstantior effici possit: quod vsuuenire non poterat, nisi eodem se etiam fieri posset deterior. Nam quum cætera genera, id quod sunt, necessariò semper sint: homo vnus, si libertatem voluntatis suæ fixerit in Deo, angelis par efficitur: si eandem in infima deiecerit, impiam coit cum spiritibus immundis, & studiorum, & naturæ, & ordinis societatem: horumq; mauult, quàm cuiusquam illorũ nobilitatis ac dignitatis esse particeps. Iã igitur

apparet ratio, & perspicua est, quamobrem illa conseruata Dei prouidentia in homine est interrupta: nempe, quoniam in ea potest homo suo arbitrio solus declinare, ac deficere. Restat altera, & alterum iustitiæ munus, quod ad corrigendum quæ depraua ta sunt, & collapsum ordinem in rebus restituendum paratum debet esse: Videtur enim, simul vt quis eò est iniquitatis intemperantiæque lapsus, vt facto & exemplo lædat, populum, extemplo eum diuinæ iustitiæ gladio feriri oportere, quò & tantum quamprimùm è medio tollatur malum, & cæteris eadem diuinæ vltionis metu finibus modestiæ atq; officij contineatur. Hoc poscunt homines, qui conqueruntur Dei iustitiam nostris rebus abesse: hoc requirunt, nec altum Dei ipsius intelligunt consilium. Accedant ergo ad cor altum, & exaltetur Deus hoc est, nos quidem cuncti ascendere nitamur, Deo adiuuante, quoad possumus ad intelligendum ipsius cor Dei: Verùm ita agitemus, quantumuis altè ascenderimus, Deum tamen inde altius & sublimius se sublaturum: Vt nullo vnquam pacto ad illius summum cor, altissimumque consilium valeamus penetrare, & tamen ea quæ sunt nobis inspirata, loquamur. Omnes hi, quos a honoribus superbos, in licentia intemperantes, in potestate rapaces, in cæteris vitiis flagitiisque exultantes, posse populos, & eos conqueritur nimium diu impunitos manere, dare cunctis pœnas improbitatis suæ. Sed non hoc multitudini satisfacit, non enim intelligit eas pœnas, quæ intus in discordibus animis longè quidem grauiores & acerbiores insunt, illas postulat, quæ impellunt oculos, quæ iram exaturant, quæ obscundunt crudelitati. Itaque illud poëticum, vt ille saxis vspiam affixus asperis, euisceratus pendeat, spargens saxa tabo, sanie, & sanguine atro: hoc volunt & flagitant, atque huiusce modi supplicijs purgari facinora impiorum ab Dei iustitia vindicari oportere: illis enim opibus & familiis, illis triclinijs & comessationibus, illa frugula & varia veste, argento, mancipijs, cantibus symphonijs, cæterisque rebus inducuntur in errorem: neque putant qui sic viuant, eos miserè & infeliciter viuere. Esto, concedatur hoc illis, nihil in eiusce modi vita incommodi & mali esse, quando ad hanc sapientiam non omnes perueniunt, neque illud pomum, per quod boni maliq; internotio data est, tam accurate gustarunt; fateamur aliud supplicij genus, atque aliam pœnarum acritatem requirendam esse. Quid ergo? quot ex isto hominum numero incolumi salute ac honore ad senectutem accedentem titur Deus? vt non omnes ferè offendant in cursu, & aut ferum Dei hominúmue iudicijs, aut acerba morte, aut graui ignominia, aut fortunarum amissione, truces pœnas luant improbitatis suæ: aut certè (id quod nos ipsi in maximis semper versari re-

bus

bus planè cognouimus) perpetuo metu solicitudineq; suspensi, & demum ad desperationem adacti teterrima morte conficiantur. Non allegabo exempla, innumerabilia enim sunt: neque ea ex libris & monumentis veterum repetenda, sed quæ nostra vidit ætas: in quibus ita manifestè apparuit Dei ira, & præsens sceleratorum hominum vltio, tamque atroces pœnæ ab illis expetitæ sunt, vt ijdem homines, qui anteà vehementissimè oderant, ad misericordiam pòst commouerentur: quanquam iustis quoque & probis nonnihil quandoq; allatum est incommodi, quod in capite Ecclesiæ nuper accidit, & in quibusdam partibus, quo eas, tanquam aurum igni, sic ærumnarum grauitate purgatas in splendorem maiorem daret Deus: namque nefarij & impij non ea ratione ad supplicium vocantur, vt boni fiant, sed vt pereant male. Habet igitur, habet illa Dei vltrix correctrixq; Iustitia in his quoque locum: At non semper habet, sunt enim aliquando aliqui, qui hanc Dei animaduersionem tamen effugiunt, & in lectulis suis senes pacatiq; moriuntur. Quid ergo? Num nam ęquũ est, quoniam hoc vsuuenit in paucissimis, idcirco illam Dei prouidentiam, illam Iustitiam, quam obeuntem & dirigentem omnia, & ea quæ sunt lapsa restituentem agnouimus, mancam putare esse & minùs perfectam, vt grauem patiatur ipsa iacturam muneris sui, neq; in omneis omnino res pertinere existimetur? Nonne illud æquius, te existimare & credere, quòd rari hic quidem homines nocentes, sed tamen aliqui impuniti dimittantur, altiore id Deum consilio facere, non quòd propter imbecillitatem conficere nequeat hęc pauca, qui potest vniuersa, sed ratione vt animum aduertas atque intelligas, alium esse locum, aliud tempus, aliud tribunal, quò ista omnia deferri atque vbi iudicari & puniri sit necesse. Siquidem ineluctabilis Dei Iustitia est, nec potest vitari, nihilq; omnino est vel magnum vel paruum, quod illius examen animaduersionemq; effugiat, eademq; in se absoluta atq; perfecta, vt in hoc diuinæ iustitiæ, & summæ veritatis lumen intuentibus appareat immortalitas animorum nostrorum: quæ ex hoc impiorum, hic pœnas non pendentium, argumento, per quod maximè diuinæ iustitiæ obtrectari videbatur, apertè est, & perspicuè collecta atq; confecta: aut enim immortales nostros animos, aut Dei prouidentiam ac iustitiam oportet imperfectam esse. Quòd si in Deo nulla omnino est imperfectio, in nobis necessariò est immortalitas. Igitur ita iudicia hic sua attemperauit Deus, & moderatus est, vt maiorem multò partem sceleratorum hominum in hac vita puniendo, adimat tibi causam de ipsius prouidentia prauè sentiendi, partem autem aliquã, quamuis paruam, in aliud tempus rejiciendo, det etiam occasionem de immortalitate cogitandi. Hanc scientiam, & hasce naturæ vitæq;

leges omneis nationes, & omneis homines edocuit Deus, qui modò dociles esse voluerunt, duasq; tabulas perdiscendas proposuit, quarum vnam in cœlo, alteram autem descripsit in terra: vt superiora illa, atque immortalia contemplantes, ad eorum similitudinem ac imitationē nosmetipsos conformaremus. Hanc ipse legem Iustitiæ & ordinis in magnis Dei operibus elucentem Dauid cantu magnifico est prosequutus: Lex hic Domini inquiens, immaculata conuertens animas: testimonium Domini fidele, sapientiam præstans paruulis: iustitiæ Domini rectæ, lætificantes corda: pręceptum Domini lucidum, illuminans oculos. Et quod ex huius legis ac præcepti cognitione consequitur, Timor Domini sanctus permanet in seculum seculi: Iudicia Domini vera, iustificata in semetipsa: desiderabilia super aurum & lapidem preciosum multum, & dulciora super mel & fauum. Hic diuinæ sapientiæ iustitiæq; indiciis, vetus illa & nobilis gentiis philosophia, & inducta primò in notionem hominum, & post maximis doctissimorum ingeniis planiùs perscripta & demonstrata est: quam nos ita non repudiamus, vt ad beatam vitam traducendam magni momenti esse etiam experiamur. Non quin satis sit CRVX, & lignum illud quod Dominum sustinuit, ad euangandos huius vitæ fluctus, & illum cœlestem portum capessendum, si illi prorsus recteque innitamur, & si eo vno confidamus. Sed vt sine cruce inutilis philosophia, sic si cum ea sanctum illud fœdus, quod pura fide continetur, ipsa coierit, pioq; ministerio sese illi vtendam regendamq; tradiderit, dat potestatem tam in hac vita, quæ cum morte semper coniuncta est, cœlestem illam vitam immortalemq; viuendi, nosq; postremo illuc introducit, ad fruendum Dei lumen longè paratiores. Nec solùm hanc naturalem communemq; scientiam iustitiæq; legem homines edocet Deus, sed eam etiam corrumpentes ac transgredientes pœnis afficit, nec singulos solùm, sed vniuersas nationes. Quot enim iam regna, qui populi, quàm multæ opulentæ, illustresque nationes, quòd a cultu iustitiæ defecerant, imperio, libertate, sedibus suis expulsæ atq; exterminatæ, miserrimas pœnas dependerunt temeritatis suæ? Iuberem legi historias, nisi tantum nobis exemplorum suppeditaret nostra ætas, vt aliud non sit quærendum. Sed qui gentes & homines communibus tantùm legibus, & naturali scientia instructos arguit tamen aberrantes & corrupt Deus: Quid nobis facturus est? & ipsis Iudęis quoque, in quos diuid inuehitur, quum vtrumq; populum nō contentus docet communiter, peculiaribus etiā legibus, sanctioribus pręceptis, omnibusq; suæ beneuolentiæ indiciis argumentisq; erudierit: tot tantisq; pręterea affecerit beneficiis, vt semetipsum illis ducē ad acquirenda terræ regna, infinitasq; difficultates, quæ obstabāt, per-

rum-

Tum prædas atq; amouendas: nobis vero multo diuiniore dono et-
iam interim primo, ac demum præcursorē ad possidendum cœlū
patriæ, regnumq; patris sui omnipotentis, de IESV CHRISTO
filio Domino nostro nunc loquor, illamque æternam & so-
lam optandam hæreditatem, quæ ad eum vnum tota pertinebat,
nobiscum sic fraterne & liberaliter est partitus: quoque nos à
morte æterna liberaret, vitam suam ipse nobis condonauit. His,
tot tantis donis, his beneficijs, his summi erga nos amoris in-
dicijs & significationibus effecit, vt durior nostra, si ingrati & im-
memores pergamus esse, futura sit conditio: ac Iudęis quidē mer-
ęs digna suorum scelerum ac impietatis, iamdudum à Deo red-
dita est: nobis vero ne quid simile eueniat, aut in grauius aliquod
etiam exitium, si fieri potest, cōcidamus, eheu quam pertimescē-
dum est. Quid enim sibi aliud ista perpetua iam arma, quid discor-
dię implacabiles, quid cædes, quid rapinæ, quid populorum & vr-
bium interneciones volunt, quid diuinarum humanarumq; re-
rum sibiarum omne discrimen, ipsius Dei & eius mandatorum
contemptus, boni recliq; perturbatio, iustitiæ exilium, domina-
tæ iniquitatis, quid inquam aliud agunt ista & moliuntur, nisi vt
summa calamitatem Iudæos cernimus venisse, in eandem ipsi
nolumus, hoc etiam acerbius, quòd ex maiore Dei indulgentia
ergà nos, quandoquidem ingrati sumus, maiora à nobis suppli-
cia reposcuntur: O male nos paratos, & ad vniuersum excidium
properantes, nisi tu nos fulseris & sustinueris ô Deus. Et tamen
populus tuus sumus Domine, & oues pascuæ tuæ. Nunquid in æ-
ternum proijcies nos? aut non appones, vt cōplacitior sis adhuc?
Aut in finem misericordiam tuam abscondes in generatione &
generationem? Aut obliuiscetis misereri? Aut continebis in ira
misericordias tuas? Ne memineris quæsumus Domine iniquita-
tum nostrarum antiquarum, cito anticipent nos misericordiæ
tuæ. Adiuua nos Deus salutaris noster, & propter gloriam nomi-
nis tui Domine libera nos, & propitius esto peccatis nostris pro-
pter nomen tuum. Hanc itaque tantam Dei seueritatem, omneis
scrutantem peccatorum latebras, omnia abscondita cordium
nostrorum in iudicium palam & ad pœnam euocantem, erunt
etiam qui requirent? & iustitiam eius desiderabunt? ac prouiden-
tię deterere conabuntur? neq; intelligent stulti, eam etiam acri-
us ac vehementius, quàm cuiquam optandum sit, apparere: quum
alios vlta iam sit, alijs mox impendeat. Iam qui hoc sibi parauę-
runt suorum flagitiorum scelerumq; perfugium, vt Deum negent
esse quam horū mortalium curare, suisq; interea cupiditatibus
seruiant, quum circūsonare omnia bellorū strepitu, ruinisq; vr-
bium & populorum audiant ac videant, quumq; intelligāt vbi-
que gentium homines ferè fame inarescere, pestilentia vastari,
quid

quid habent firmi in sua spe, aut muniti? vt non ingruens hi turbinum procella eos quoque peruertat: Nunquid se latere Deum, aut suas se habere probe exploratas & sibi reconditas cogitationes existimant? Atqui scrutator cordium ille est, & omnium abditissimarum cogitationum intimus inspector.

Dominus scit cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt.

Non solum videt, audit, nouitque omnia quæ in aperto, palamque sunt, quę patent, sed ad intimas, penitusque abditas hominum cogitationes illius facile penetrat cognitio: vanitatem humanarum opinionum intelligit: finxit enim ipse singulorum corda hominum, & intelligit omnia opera eorum. Quæ ergo? Num vanæ omnes sunt hominum cogitationes? Vanæ, si in homine insistunt, & humanis rebus finiuntur: illæ porrò neutiquam vanæ, quæ tendunt ad summum Deum, & illum sibi finem constituunt, quò & desiderijs & studijs & votis omnibus feruntur. Hæ enim iam non hominis, sed Dei cogitationes sunt: diuinæ inquam, non humanæ, si quidem ab extremo sito atque ima omnis & nomen & rationem acquirit sibi actio. Reliquæ non vanæ solum, sed si aduersus Deum faciunt, si contra eius præcepta, mandata, legesque suscipiuntur, impiæ etiam, & exitiabiles. Etenim quis est tam occultus & tectus, qui illum veluti omnia intuentis Dei oculum latere, aut tam sibi fidens, qui eiusdem vim posse se fugere confidat? quum ille vbique præsens adsit, idque omnibus, & semper: non solum spectator eorum quę aguntur, quæque cogitantur omnium, sed vindicator rerum & iudex. Videt ille te, ò auare, quum pauperem circumuenis, quum pecuniam malis fraudibus comparas, obscurus sis quamlibet & cautus, tuasque illas iniquas pactiones, falsas promissiones, veras circumscriptiones tenebris omnibus inuolues tam rerum quam verborum, videt ille & perspicit: nec solum quæ fiunt aut quæ facta sunt, sed illos ipsos primos exortus cogitationum tuarum, illa fraudum diuerticula, malitiæ argumenta, simul vt existere cœperint, astans continuo spectat & intuetur: nec quicquam primo animo intus productum, quam in Dei oculo subito est intimum. Videt te ô Iudex, qui fidem venalem & iusiurandum habes, ad iura pretio, non æquitate describis, qui veritatis & iustitiæ administrandæ facultatem, occasionem tibi ad quæstus nefandos existimas, labemque eam in animo concipis, quæ abluta nunquam possit: non enim sordida aut lutulenta aqua, sed sanguine pauperis penitus est infecta. Videt te inquam, & mutatque acerrime contra te commouetur: etenim illo ipso quoque iudicandi munere, illo officio gloriatur. Itaque fert aegre,

quod sibi ipse reseruauit tanquam eximium, & in quo terribilis ac
potens in fine seculorum est apparituru s, a te id seruo nequam
& homunculo improbo corrumpi interim & contaminari: nec
suos statim atque euestigio distringit contra te seueritatis suæ
gladium, idcirco te euadere est passurus: sed maiore tuo malo
poterit pœnam, vt vehementior deinde illa & suo tempore gra-
uior in te recidat: interea sanè fruere præda egregie parta, & cru-
mentis illis manubijs, quas ex sudore pauperum & lachrymis com-
parasti, vt quotiescunque illas videris, toties tibi tuorum scelerũ
& peccatorum veniat in mentem. Hos vero qui rapiunt etiam
propalam, qui omnium bona & fortunas prædam suam putant,
num non videt Deus? Atqui vultus eius super facientes mala, vt
perdat de terra memoriam eorum. Quid ni autem videat? quum
ita sint aperti, vt maiore prope voluptate ex odio hominum, &
ex rumore infamiæ, quàm ex rebus ipsis iniustis affici videantur.
Videt ista, & intuetur, & in libro sui monimenti, vt sacræ literæ
inquiunt, omnia describit Deus: res, homines, cogitationes, ope-
ra, momenta, tempora, omnibusque iustus & sapiens, & prorsus
ineluctabilis adest iudex, partim laturus iamiamque sententiam,
partim in illum supremum diem dilaturus: quò qui reiecti sunt,
hi cumulatam recipient mercedem, vel integritatis, vel iniquita-
tis suæ. Vanæ igitur hominum opiniones, & cogitationes vanæ,
quæ Deum ista non videre, aut saltem non curare, & negligere o-
pinantur, atque adeò impiæ illæ quoque: cuius impietatis auto-
res hi sunt, qui quò suam liberius expleant intemperantiam, pro-
uidentiam Dei è medio conantur tollere. Nam qui istorum de-
inde fugitijs sceleribusque permoti, aliquid de Deo perperam
sentiunt, accedunt quidem ad vanitatem impietatemque, non-
dum in ea tamen penitus sunt infixi. Videamus quid ad vtrosque
loquatur Deus, & discrimen aliquod interesse inter eos intelli-
gamus: Ac primum ad hos mitiores ex Malachia propheta. Hi
sunt qui laborare faciunt dominum in sermonibus suis, in eo
quod dicunt, omnis qui facit malum, bonus est in conspectu do-
mini, & tales ei placent: aut certe, vbi est Deus iudicij? Et rursum,
Vanus est qui seruit Deo: & quod emolumentum, quia custodi-
uimus præcepta eius, & quia ambulauimus tristes in conspectu
domini exercituum? Ecce nunc beatos dicimus arrogantes: Si
quidem ædificati sunt, facientes impietatem, & tentauerunt De-
um, & salui facti sunt. Quid ad hos Dominus, prosperis improbo-
rum euentibus turbatos, & propterea lapsos in hæsitationem, ad-
huc tamen medicabiles? Conuertimini ad me, inquit, ne recedi-
te, & videbitis quid intersit inter iustum & impium, & inter ser-
uientem Deo, & non seruientem: Ecce enim accedam ad vos in
iudicio, & ero testis velox maleficis, & adulteris, & periuris, & qu

calu-

calumniantur mercedem mercenarij, viduas, & pupillos, & opprimunt peregrinum, nec timuerunt me. Nam illis improbitatibus ex Amo propheta grauius multò comminatur, Auaritia in capite est omnium, & nouissimum eorum gladio interficiam: Non erit fuga eis, fugient, & non saluabitur ex his qui fugient quisquam: si descenderint vsque ad infernum, inde manus mea deducet eos: & si ascenderint vsque in cœlum, inde detrahentur: Et si absconditi fuerint in vertice Carmeli, inde scrutans auferam eos: Et si celauerint se ab oculis meis in fundo maris, iussero serpenti, & mordebit eos: Et si abierint in captiuitatem coram inimicis suis, ibi mandabo gladio & occidet eos: ponamque oculos meos super eos in malum, & non in bonum: Quicunque ego dominus, & non mutor. Hunc igitur dominum tantæ, tamque omnipotentem, eiusque oculos lustrantes, & perspicientes omnia, reuereantur potius qui sapiunt, & eius iustitiam præsentiamque reformident, nec in falsas de eo opiniones inducantur: sed vbi aliquod peccatum intestina cogitatio cœperit parturire, illum statim adesse, & intueri occulta haud quaquam vana persuasione existiment, dicantque cum Psalte nostro, Si discessero a te, si in leges tuas commisero Deus, si voluntatem tuam læserò: Quò ibo à spiritu tuo? & quò à facie tua fugiam? Si ascendero in cœlum, tu illic es, si descendero in infernum, ades: Sumpsero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris: Etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua: Et dicit, forsitan tenebræ conculcabunt me, & nox illuminatio mea in delicijs meis: Quia tenebræ non obscurabuntur à te, & nox sicut dies illuminabitur, sicut tenebræ eius, ita & lumen eius. Vane ista non sunt, nec cogitata, nec dicta, sed quæ verissime conteantur nulla nec spatiorum interualla: nec mœnium aut castrorum munimenta: nullas aut cauernarum, aut gurgustiorum, aut noctium latebras, nullam altitudinem, profunditatemque, nullam vim nec potentiam, nulla nec bellitarma, nec fraudum & maliciarum machinamenta, aut Dei oculis subducere, aut potestati illius eripere nos posse.

Beatus homo, quem tu erudieris Domine, & de lege tua docueris eum.

Qui enim abs te fuerit eruditus, & de lege tua edoctus, numquam ille in prauas de te opiniones discesserit, nequaquam iustitiæ & prouidentiæ tuæ detraxerit, sed erit ex eo numero, quos dicitur, Timete Dominum omnes sancti eius, quia nihil deest timentibus eum. Quibus autem nihil deest, hi certe beati sunt. Est enim beatitudo omnium bonorum cumulata possessio, quorum tamen cunctorum Deus est caput, vel vnus ipse potius omnia quæ

ab his tenetur, à quibus pie colitur. Hoc loco Dauid, qui erat ipse Domino eruditus, & in lege Dei eximie doctus, quanquam in angustijs & periculis versaretur, appetitus toties inimicorum iniustis, agnoscens tum beatitudinem suam, & quòd internum suum gaudium illa externa incommoda non corrumpebant, hoc exemplo commonet cæteros, vt huius velint esse beatitudinis studiosi, cuius dum fidem habuerint Deo, & eius præcepta custodierint, omnes compotes fieri possunt: Itaque reprehensis supra conuictisque illis qui Dei curam atq; iustitiam ex humanis rebus exterminabant, conuertit se ad alteram scholam, vt eos in fide patientiaq; confirmet: qui iniurijs, damnis, contumelijsque vexati, quum nihil horum sibi meriti esse videantur, in indignas quandoq; de Deo cogitationes, & asperiores voces solent prorumpere. Qui probi quidem sunt, sed interdum cedunt iracũdię, succumbunt fragilitati: Quippe qui habent instigantem Satanam, suum semper negotium gerentem, & cupientem trahere illos ad sese, qui sedulo molitur & instat, vt augeat crebris imaginibus eorum malorum quæ perpetiuntur indignitatem, & cogitationibus illorum subijciat se esse ab Deo, quo vno maxime confidebant, in media turba malorum planè derelictos. His admodũ necessaria est Dei eruditio, & diuinæ legis disciplina, illa propior videlicet strictaque magis, quæ æquitatem animi, & bonam in Deo spem, non solum docet, sed etiam facit. Etenim triplex est ab summo Deo generi hominum eruditio ac doctrina: Vna communis, qua omneis homines gentesq; edocuit Deus, lege in cœlo, vt supra diximus, proposita: in terris imitatione trãcsscripta, ordinem iustitiamq; imprimis colendam esse. Qua lege qui erudiebantur, vitam in terris quidem tranquilliorem ornatioremq; degebant, ad Deum autem ipsum possidendum, qui solus prima & vera est beatitas, spe & cupiditate nulla erigebantur. Altera iam restrictior, quæ non passim, nec vniuersis, sed delectis nationibus, Iudæis primò, mox Christianis, ab ipsomet Deo & scripta & data est: per quam magis de propinquo, præceptisque expressioribus, ad colendum vnum Deum, amandumque vterque populus inuitaretur: Quanquam longo & beneuolentiæ Dei & præmiorum interuallo. Nam Iudæis quidem, mandata Dei seruantibus, terræ felicitas, nobis cœlestis beatitudo est promissa. Illos Deus per Moysen & Aaron sapientes homines quidem, & pietate summa præditos, seruos suos tamen: non per filium vnigenitum, qui idem esset & Deus, voluit esse edoctos: Vt perspicue pateat huius secundæ legis, quam Deus peculiaribus suis nationibus institutionis adhibuit, inchoatam in populo Iudaico, in nobis absolutã eruditionẽ fuisse. Sed qua lege tamen non cunctis datum sit, omneis cuincere intestinos animi motus & immaculatos penitus se

custo-

custodire ab hoc seculo. Etenim acres multæ repugnant, & vate
cupiditates, obstant dolores, prohibent iracundiæ, ipsa blandissi-
ma meretrix Voluptas, nobis corrumpendis sedulum ministerii
domino suo Satanæ semper præstat. Quibus in tantis animorũ
nostrorum fluctibus, tantisque agitationibus, quum petamur
semper alicunde, omnibusque insidijs, & quotidianis prælijs ex-
posita sit vita nostra, difficile est, vel impossibile potius (nos enim
quod Græce ἀδύνατον, Latine sic conuersum non repudiamus) ad-
uersus inimici tela, omni tempore, atque adeo temporis puncto,
fide & patientia semper esse munitos. Ergo tertia Dei doctrina,
lexque accedit suis electissimis seruis, quos ex vtroque populo
præcipuos delegit Deus, in quibus hanc admirandam vim suæ
virtutis potentiæque ostenderet, vt essent constantia & firmitate
cæteris superiores: Qui in illo cœtu veteris legis sat frequenter, in
CHRISTI autem populo infiniti innumerabilesq; extitere, quos
non ocium, non delectatio, non voluptatum appetentia, rursusq;
è contraria acie, labores, contumeliæ, vincula, cruciatus, neces,
non modo non mouerunt, vt vllam Deo aduersariam suscipere
cogitationem, aut ad impatientiæ vocem laberentur, sed firma-
runt etiam magis, vt cum lætitia & gaudio gratias agerent Deo,
quòd se tanquam aurum igne, sic illis doloribus & tormentis
pertentatos explorare voluisset, an esset eorum fides & constantia
ipsius amore digna. Beati ergo hi, vereque & maxime beati, qui
Deum communem omnium Doctorem, peculiarem magistrum
habere meruerunt. Sed vt hi beatissimi, sic nos qui CHRISTI po-
pulus sumus, si euangelicam & apostolicam eruditionem fera-
mus in pectore, eiusdem beatitudinis bona ex parte possumus es-
se participes. Legamus modo scripturas & diuina illa sensa per-
scrutemur, voluntateque & studio ad obediendum parati simus,
sæpiusque intra nos, & cum animis nostris cogitemus, ista quæ
nos maxima ducimus mala, filium Dei sponte instituisse patiendo
lorem videlicet, contemptum, contumeliam, mortem, vt fili-
nos ab errore eriperet, exemploque suo edoceret, neque aliquam
recte bonum à nobis desiderari, nisi solum Deum: neque aliquam
malum iure, nisi alienationem à Deo euitari: Cætera bona mu-
láue, vt in seipsis fortasse gradus varietatesq; habeant, si ad alte-
trum horum respiciendum sit, esse inter se omnino paria. Nec
dubium erit, quum sanctam illam crucem respexerimus, illa
brachia aperta, quæ complecti mundum omnem, non solum pa-
rata, verumetiam cupida sunt, quum ceruicem domini doctum,
oculos clausos, latus vulnere apertum, quin ita ratiocinemur in
nobis ipsis, quin aliquo dulci cum suspirio ita proferamus: Iste
quidem Dominus omnium summus & omnipotens, cuius ad
nutum mors & vita præsto sunt, qui vnus continet omnia, ita se
tractari

tractum, ita lacerari sustinuit, quum verbo virtutis suæ posset suos inimicos disperdere, vt mihi ad immortalitatem aditum, patientiæ virtutis exemplo patefaceret: Ego, quia pecunia mihi ablata, quia nos iniquum est dictum, quia contumeliam sum passus, absque Deum efferar, & iniquo animo tolerabo? Deique iustitiæ ab improborum pœna abesse contestabor? Imò vero habeat quicunque vult pecuniam sibi iniuria partam, exerceat iniquitatem, mergatur voluptatibus, in omne genus sceleris intemperantiæque se inuoluat, ego Deo IESV meo me consolabor, documentique patientiæ ab eo ipso petam, spemq; illam confouebo, si in illo firmiter hæsero, fructus mihi lætitiæ & felicitatis, sicut ipse pollicitus est, vberrimos post prouenturos esse. Hæc lex domini, & eruditio ac doctrina, vel communi & prorsus ad omnia aspera fortiter ferenda animum, vel saltem valebit.

In leniendo eum à diebus malis, donec fodiatur peccatori fouea.

Minus enim ægre feret, certe & spe bona nitetur, & suæ leuandæ calamitatis, & alienæ improbitatis aliquando ab Deo cohercendæ. Atq; hic iam versus totam vim ferè huius psalmi indicat: & quamobrem in quartam sabbati canendus Domino erat descriptus. Affert enim ad consolandum rationes ab expectatione & tempore, dum iubet leniter ferre nos, legem Dei interea meditantes, iniquorum hominum & improborum iniurias, donec fodiatur peccatori fouea, & quoad iustitia cõuertatur in iudicium: Atque vt in medio ferè operum suorum creatis cœli & siderum errantium motibus, tempus induxit Deus, sic pro portione, loco penè eodem, in hoc medio psalmo ex ratione temporis inducta est consolatio. Magna enim profecto vis est temporis magnum opus, magnum mysterium, per quod Dei omnipotentis virtus & sapientia, quæ in se infinita & vniuersa consistit, in rebus factis explicatur & tenditur. Dei enim consilia, quæ in semetipsis æterno ex principio, atque adeò omne ante principium rata, firma, stataq; sunt, tempore ad nos euoluuntur: Dei beneficia in nobis tempore collocantur: Nec si Deus immensitate virium & potentiæ suæ omnia vno momento potest efficere, etiam nos sine spatio & tempore capere illa possumus. Quapropter suis interuallis & locis omnia dispensat tempus, idq; operatur & efficit, vt quæ ante acerba intempestiuaq; acciderent, suo iam tempore matura concoctaque proueniant. Cuius tamen temporis, & momentorũ in eo omnium vis atque oportunitas ad quasque res, in actum & naturam intromittendas apta, nobis quidem aliquando ex aliqua apparet parte, Deo autem soli plene & penitus est nota. Nemo sit ergo tam præceps ad iudicandum, tam præfestinus ad Dei

iustitiam seueritatemque efflagitandam, vt simul atq; visum ipsi sit, ad suum nutum existimet alios hominum plecti, sublevari eos statim oportere, sed ad Dei consilium sapientiamque respicit. Qui in summo omnium consistens, perspiciensq; simul & vsquequaque omnia, ordinemque intuens ac fouens vniuersi, satis planè cognoscit & prouidet, quid singulis conducat, quid quarumq; rerum suo loco & tempore, quoq; pacto sit collocandum. Itaque exacte, & adamussim omnia coagmentat, vt nulli omnino poenae aut præmij quàm debeatur minus, plus quidem certe gratiae suae benemeritis ac liberalitatis impartiat. At enim dum malefacis hominibus puniendis ista maturitas temporis expectatur, boni interea & pauperes affliguntur: Ergo Dei lex, cœlestisque eruditio consolandis illis est confirmandisq; adhibita. Ac vt praetermittam eas nunc edisserere rationes, quæ & si verissimæ sunt, ab animis tamen spe ac metu exagitatis non facile admittuntur, omnes istas quæ casu, aut ab hominibus importantur calamitates, aerumnas, oppressiones, salubres animæ esse, virtutem animi maxime in infirmitate existere, plus vrgeri, & grauius opprimi mentē hominis prospere affluentibus rebus, quam eisdem aut aduersis, aut perdifficilibus: ab illis enim omni cupiditati excursus liberos tribui, ab his intra fines modestiæ & continentiæ cupiditatem omnem coerceri: vt hæc inquam præteream, quæ multa & varia oratione illustrari possunt, illud vtiq; dicam, quod certe nullis non concesserit nemo, quo plus in hisce rebus perpetuandis laboris, indignitatis, molestiæq; pertulerimus, modo patientiam teneamus, & bonam in Deo spem, ampliora nos deinde præmia, & vberiorem mercedem ab eodem Deo esse reportaturos: vt non videatur esse fugiendum, breuibus nos hic premi angustijs, atque damnis, quo sempiternæ & beatæ vitæ fructum possimus melius acquirere. Leniunt igitur ista animos nostros, legem Domini nostri IESV CHRISTI & præcepta meditantes, qui non verbo docuit tantum, sed factis comprobauit, esse in aduersis constantiam fidei ac spei retinendam, vt scripturis sanctis eruditi, per patientiam & consolationem earum, æquiore animo feramus dies malos, & graduque consistamus, donec fodiatur peccatori fouea, in quam ipse corruat præceps, nos autē erecti celsiq; remaneamus. Quod non vsueniret, si cuncti vna, ille scelere suo, nos impatientia nostra consideremus: si ille iustitiam & prouidentiam Dei sui impijs facinoribus refellere conaretur, nos in eandem opinionem ex aliena impietate discederemus. Etenim fouea tum ne est, quum aliqua portiuncula terrę in imum desidente eminet, quod est circumcirca, & superstat. Quod ipsum quoq; late si consideret, iam non fouea tum quidem, sed agrorum esset ruina ac vastitas. Qui ergo durant & perferunt, aguntq; id vt ipsi ne cadant, [illegible]

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ferè semper eadentiũ in præceps nefariorum hominum, etiam in hac vita, alpiciunt ruinas: nã in illa altera, quin in æternę damnationis cadant foueam, dubiũ esse non potest. Sed nõ sępe in diem eternũ illum reijciuntur, hic dant facinorum & sufferunt grauissimos. Sic enim de his est scriptũ: Qui malignantur, exterminantur, sustinentes autem dominum, ipsi hæreditabunt terram. Et adhuc pusillum, & non erit peccator, quæres locum eius, & non inuenies: inimici enim domini mox vt honorificati fuerint, & exaltati, deficientes quasi fumus deficient. Et rursus: Expecta dominum, & custodi viam eius, & exaltabit te, vt hæreditate capias terram, quum peribunt peccatores videbis: Vidi impium superexaltatum, & eleuatum sicut cedros Libani: Et transiui & ecce non erat: quæsiui eum, & non est inuentus locus eius. Atque hæc quidem ex scripturis sanctis, & vetusto codice. Quæ quemadmodum à communi vita quotidie comprobentur, non grauaremur explicare, nisi inane videretur studium, Dei testimoniũ humana fide astruendi, & tamen è medio exempla quę petãtur proposita omnibus sunt. Proinde nos expectemus Dominum, agamusq; viriliter, & confortetur cor nostrum, sumus enim & erimus pedis sua illi curæ.

Quia non repellet dominus plebem suam, & hæreditatem suam non derelinquet. Quoadusque iustitia conuertatur in iudicium.

HIc iam de secundo aduentu Domini loquitur Propheta, in quo iustitia ipsa Dei, quæ cum Deo eadem, & idem quod Deus est, conuertetur in iudicium, quo extremo tempore videlicet, omnes à CHRISTO Domino & viui & mortui iudicabuntur. Est enim iudicium actus ipse iustitiæ extra se progredientis, & in alijs speciem dignitatis suæ atque ordinis imprimentis: tunc quum contigit distorta, penitus autem corrupta & deprauata abijcit, infimoq; & fœdissimo loco, vt a rebus bene constitutis procul absint, iacere perpetuo iubet: ibi est fletus & stridor dentium. Illa vero quæ honorem sui generis, decusq; naturæ conseruauerunt, ac quatum eis fuerat datum, per virtutem ac bonorum operum gradus & adminicula applicare sese ad Deum, atq; illi diuinæ iustitiæ inhærere studuerunt, collocabit penes se, atque in splendidissima rerum naturæ parte, felicitate sempiterna præcipiet collocare. Quod igitur hoc eueniat, quod statuto apud Deũ tempore omnino euenturum, CHRISTVS ipse denunciauit, Prophetæ præuiderunt, prædicauerunt Apostoli, omnis scriptura sancta passim commemorat: nequaquam interea populum suum repellit Deus, dum suus velit esse, dum ab eo non desciscat, neque

prauis de Deo opinionib, aut cupiditatibus iniquis contra Deum efferatur: sed inter ipsos mundi huius fluctus & æstus, quanquam iniurijs aut infortunijs agitatus maneat tamen in patientia: in partemq; bonã accipiat: & expectet beatam spẽ iustitiæ, & prouidentiæ summi Dei, quæ illũ postremo neutiquam decepturã est. Atque hæc quoque ad consolandum ac confirmandum tanto valde opportune à Dauide est apposita. Poterat enim occurri a plebe Dei, & sic dici: Non recusamus credere iudicem cunctorũ Deum fore, iampridem illi huius rei fidem, ac cæterarum habuimus. Veniet, referet vnicuique & præmij & pœnę pro eo quantum quisq; fuerit meritus. Esto, hæc nobis certa & firma est expectatio. Sed tamen longum fortasse ad illud supremum tempus iudicij ineruallum est: Ac quandiu quidem hæc permanet vita, & bonum fortè qui nos diuexant & lacerant deterior causa sit, in quantum Dauid hæc asseueranti credimus, nostra tamen non admodum optanda est conditio: Illi enim cupiditatibus effrenatis distracti præcipites aguntur, nos in angustijs & metu arctari sumus: illi quotidiana conscientiæ vulnera perpetiuntur, nos ex illis grauia detrimenta sentimus: In infamia illi & odio omnium hominum constituti sunt, quod ne floccifaciunt quidem, nos sane obscuri atque abiecti viuimus: sua illos mala mens & voluntas, nos aliena improbitas exagitat: deniq; ita illi misere plerunq; & infeliciter tetram obeunt mortem, vt nos quoq; in eiusdẽ mortis plagas tamen incidamus. Veruntamen sit adhuc aliquod inter nos discrimen nostręque in eo potiores partes, quòd nos legem Dei & promissa attendentes, æquiore animo, & meliori spe viuimus: Quod inter obitum mortis, & diuini iudicij statum illum diem, nõnne medium quod intercidit tempus idem ambobus & par est, idq; coæquat bonos & malos, vt nihil tum inter se differre videantur? Minime vero hoc vtiq;, inquit Dauid, nec vllo vnquam tempore plebem suam ab sese, & ab ope sua repellet Deus, nec hæreditatem suam derelinquet, quam post ea quam semel adijt & creuit, suæ iam diuinæ constantiæ ac immutabilitatis iudicat eam perpetuò tenere & conseruare: nec bono patrefamilias est indiligentior, vt quæ semel in bonis numerauerit, patiatur illa post incuria negligentiaque corrumpi. Illud ipsum tempus quod inter mortem iudicijque diem interfuturum est, suo bonos & pios homines non fraudabit Deus, nec rursum debito impios supplicio: Sunt nim in eius domo mãsiones multæ, ad varias hospitũ receptiones accommodatę. Ac quemadmodum humanis institutis [illegible]ribus, in quibus quod recte ordineq; fit, cœlestium institutionum & diuini ordinis est imitatio, qui capitis summique supplicij damnandi sunt, tetro tantisper asseruantur carcere, vt malã rem [illegible]seri, peiore spe anteueniant: Quibus autem honos & dignitas est decreta,

decreti, ludum comitiorum adueniat dies amœno interea loco, honesto comitatu lectissimorum hominum diuersantur: sic tempus illud, quod secundum mortem, vsque ad iudicij diem intercedit, plebem & hæreditatem suam Deus non solum non derelinquet, sed accurabit etiam indulgentius: dabitque in splendorem & pulchritudinem, quo sibi postea cum maxima gloria, & in omni maiestate ad iudicandum viuos & mortuos venienti, ingressui multò ac exornatior occurrat. Confidant igitur omnes qui seruiunt domino, & qui custodiunt mandata eius: Quoniam mane Dominus dies immaculatorum, & hæreditas eorum in æternum erit: Non confundentur in tempore malo, & in diebus famis saturabuntur: Quia Dominus amat iudicium, & non derelinquet sanctos suos, in æternumque conseruabuntur. Cæteraque omnia probis & iustis à Domino fient, quæ sunt in Psalmo XXXV. diuinitus enunciata. Quocirca in omne tempus & vitæ & mortis, perpetua erit Deo cura seruorum fidelium suorum: quoad usque iustitia conuertatur in iudicium. Quid autem quum factum iudicium fuerit, num tum demum derelinquentur a domino? Imò animum quæso omnes aduertant, qui testimonia Christi ex sacris codicibus indagare nituntur, & attendant, quam apte & quam perspicuè paucissimis verbis Deum hominem effectum, eumque iudicaturum viuos & mortuos Dauid nouerit. Est enim acris dubitatio, Non deseret Deus hæreditatem suam, quoadusque iustitia conuertatur in iudiciũ. Quid postea facto iudicio, num tanquam tuto in loco iam constitutam tandem deseret? Accipe quam amplo & sempiterno honore eam est prosequuturus.

Et continentes illi omnes recti corde.

Sic enim Latine reddi necesse est, & non quod vulgatum est: Et qui tenent eam omnes recto sunt corde. Græce enim ex Hebræo expressum à Septuaginta, quibus nos maximam fidem habemus: Quanquam enim in paucis quibusdam, quæ reuelato post Christi mysterio apertiora facta sunt, nonnulli plus aliquando viderint, certe isti quòd & linguam vtramque probe nouerint, & singula verba accuratissime perpendentes, de consilij sententia omnia conuerterunt, qui summam inter omnes obtineant autoritatem sunt digni. Est igitur ab illis hoc modo Græcè scriptum.

καὶ ἐπόμενοι αὐτῇ πάντες οἱ εὐθεῖς τῇ καρδίᾳ.

Hoc est Latine,

Et continentes illi omnes recti corde.

Hæc tuæ, inquit, ab illo supremo iudicio summa erit bonis mer-

ces, & maximum honoris ac beatitudinis præmium, quòd simul cum eo ipsi erunt qui iudicabit, ita copulati illi perpetuò, atq; adhærentes: vt alienæ naturæ medium nihil interueniat. Continentia enim sunt, quæ ita se assequuntur, suntque inter se coniuncta, vt extremitates suas habeant cohærentes: Continua vero, quorum extrema vnum & idem sunt: sicut Græce ἐχόμενα κ. σύνεχη. Quod igitur continuum facit in corpore, continens facit in ordine, continentesq; sunt, qui cum eo prorsus coniuncti sunt cui cõtinentur. Quid autem ista iustitia? nónne ipse est Deus? aut quid aliud indicatum est per hęc verba; Quoadusq; iustitia conuertetur ad iudicium, quam quoad Deus conuertet se ad iudicandum. Ad exercendum inquam iudicium illud se conuertet Deus, quod in scripturis sanctis tam sæpe, tantaq; voce & admiratione pronunciatum est, vt videantur iam nunc aures nostræ, iudicis illius aduenientis strepitu ac tumultu maximo personate: de quo quidem iudicio dignatus est Dominus IESVS planius nobis explicare multa, cuiusmodi futura sint: & secundum IESVM vas delectum ab ipso, quod Spiritu sancto impleretur Paulus, de eodem iudicio non pauca loquutus est. Sed nos in scriptura vereri nunc iustamus, per quam hæc, quæ nondum facta erant, futura tamen prædicebantur: porrò autem in ea nihil omnium est, neque tam frequenter, neque tam grauiter prædicatum ac proclamatum, quam est illius iudicij expectatio, & venientis iudicis maiestas. Ac vt de aliorum testimonijs & prędicationibus propheticum nunc sileamus, in hoc ipso Psalmorum libro, quoties est, & quam præclare ac magnifice, ab Dauide nostro huius iudicij celebratio decantata? passim illa fermè & in omnibus locis. Sed in V. VI. VII. supra X C. psalmis etiam illustrius: Vbi enarrata grauissimis verbis ac sententijs maiestate summi Dei venientis ad iudicandum, iudicium orbis terrarum futurum in iustitia, & populorum in æquitate, veritateque describit: quo iudicio quin omnes viui mortuiq; iudicandi sint, nulla reliqua in quoquam residet dubitatio. Huic igitur tanto & tam præcelso iudici omnes recti corde tum continentes erunt, & in ordinem vnum cum eo & in vnam conuenientiam copulati. Quod quum homines nos simus, ipsum tem Deus, in tanto interuallo, tantaque inæqualitate naturæque præstantiæ, nequaquam vnquam fieri potuisset, nisi hominem vti nos sumus, ipse factus esset Deus. Nam nobis quidem licebat fieri dijs, non id nostrarum virium, non nostræ potestatis, infimi enim ad summum, ignobilis ad summe nobile nullo germanitatis vinculum, nullam coniunctionis tam arctę applicationem habere poteramus, per quam illi contineremur: qui si etiam in honore habiti fuissemus, & in eius conspectu ac regno collocati, non fuissemus tamen illi continentes: multi enim ordines,

multa angelorum agmina inter nos & Deum intercessissent, quæ abstinent textum continentiæ: locisque honoratioribus, & magis propinquis ad Deum captis, nos longius ab eo ac remotiores constituissent: vt ergo congermanesceremus, vt continereremur, ipse qui omnia potest tanquam vnus è nobis homo factus est, mutuatusque à nobis humilitatem & mortalitatem nostram, dedit nobis ipse postea quod proprium ipsius est, naturam immortalitatis, atque immutabilitatis: & vt cum eo in vnum quasi corpus coalesceremus effecit: cuius quidem ipse corporis esse caput, nos vero eiusdem corporis membra in CHRISTO IESV Domino nostro. Atque vt magis appareat quanta cum Deo homine iam effecto, eodemque futuro orbis terrarum iudice nobis futura sit coniunctio, quàm arctis vinculis necessitudinis & continentiæ illi astricti futuri simus, eo ipso teste de quo iamdudum loquimur CHRISTO IESV: non solum erimus illi in cœlo & regno continentes, sed in ipso munere honoreque iudicandi, sedes nostras proxime ad illius sellam constitutas habebimus, illud idem iudicium nos quoque pro parte nostra exercentes, tanta germanitatis cum Deo, & consanguinitatis fiducia, vt non homines solum, sed quemadmodum prædicat Paulus, angelos etiam ipsos simus iudicaturi. Hunc tantum honorem, hoc tam excellens & incomparabile præmium daturus est illis Deus, qui recto fuerint corde. At qui nam hi sunt? Est enim operæ pretium & de his intelligere: Recti corde sunt, qui cor suum dirigunt & intendunt ad solum Deum: qui siue quid faciendum est, tuorum factorum rationes & fines ad illum referunt, siue quid credendum aut existimandum, vnius eius maxime credunt auctoritati. Nam qui de Deo & diuinis rebus, quemadmodum ista se habeant, ex humanis quærunt rationibus cognoscere, si nihil in illis inueniunt, aberrant à Deo semper, abeuntque in diuersa: sin inueniunt, & ex illis postea ad Deum reflectuntur, non tamen recta a principio, sed sinuosa & angulosa tendunt via: neque recto corde feruntur ad ipsum Deum: ita fide maxime opus est, & credulitate, quam ipse Dominus maxime & semper exigere erat solitus, sibi enim credi volebat, nihil credenti difficile, fidei virtutem maximam omnium esse assidue prædicabat, qua vel montes in mare transmoueri possent: quum tamen ipse diuinitatis suæ, quam præcipue volebat credi, miracula tanta æderet, atq; argumenta, vt nõ modo fidem suadere, sed necessitatem ad agnoscendum Deum afferre videretur. Recto igitur corde Abraam fuit, quòd statim & perfacile credidit Domino, reputatumq; est ei ad iustitiam, & tanto honore dignum habitũ, vt in eadem credendi Deo pura & sancta simplicitate, omnes tanquã patrem Abraam recognoscerent nationes: proinde qui Deo fidem habuerunt,

qui missis ab eo, & inspiratis diuinitus hominibus crediderunt, & quæ hominum syllogismis & argutis ratiocinationibus inqueunt concludi, ad animum suum tamen, & ad persuasionem admiserunt, hi vere recti sunt corde, digni cum eo qui contineantur, cui summam habuerunt omnium rerum fidem, iustitiaque & charitate in primis colenda, illi dicto fuerunt audientes. Hic iam cernimus, quot & quanta mysteria fidei nostræ, hic paucis verbis à Dauide comprehensa sint, quamque ea arcte & significanter: non enim loquebatur perperam Propheta, non aberrabat: sed illustratus & monitus à Spiritu sancto, quæ præuidebat futura, diu ante testabatur: neq; aliter tamen poterat hijs memoratæ dubitationi occurrere: At dixit aliquanto compressius, nempe quòd alijs Prophetia data est, alijs ab eodem Spiritu sancto sermonum interpretatio. Et Dauid quidem oraculorum more locutus est, nos autē ad excutiendum scripturas, & ad CHRISTVM IESVM Dominum in illis inuestigandum, quantum ipse nobis donat, debemus esse diligentes: neq; ita prorsus, vt omnia vetera facta atque dicta huc obtorqueamus, sed vbi emicat Spiritus sanctus, vbi feruet mysterium, vbi partutientis scripturæ est conceptio, ibi obstetricum more animum & curam adhibeamus, reuelemus quæ inuoluta sunt, partumque præclarissimæ diuinitatis pio & sedulo officio in lucem educamus: neque enim si non omnia omnibus aperientur, non erit tamen vnicuique pie indaganti aliquid patefactum. Sed vt ad eos reuertamur, è quibus digressi sumus, Agnoscant & intelligant, qui premuntur angustijs in hac vita, & qui iniquorum iniurias graues perferunt, si in Deo spes & voluntates suas constituerint: ipsique fidentes vni, sua animi solatia ab illius iustitia & prouidentia duxerint, quæ, quot, & quam ampla eos præmia consequantur. Primum in hoc seculo licet fluctuentur, anchora tamen iacta suæ salutis & firmitatis in Deo, pessum ire non possunt: quum aspiciant eos qui ventis & remis omnibus (vt dicitur) velificantur nefarijs suis cum cupiditatibus, in scopulum sæpe ignominiæ & clamitatis impingere: deinde morte obita, quam ipsi semper bona cum spe, scelesti vero & impij cum desperatione acerba, semper opponunt, omne illud tempus, quod ad supremi iudicij intercessit diem, cum Deo eos fore, ab eo nunquam derelictum iri: neque iam tum fructum illos suæ patientiæ probitatisque percepturos esse: Deinde posteaquam factum iudicium, & omnium sententiam fuerit decreta, maximum honorem & præmium adeptum: vt cum eo ipso Deo omnia iudicante, vnus ipsi ordo, vna societas sint, coniuncti cum eo, & planè cohærentes, vno corpore, vna regno, vna immortalitate, vna gloria, in qua tamen CHRISTVS caput sit futurus: vt si hæc subiecerint cogitationibus suis, & animi

mo ac spe sæpius contrectauerint, præ tanti honoris ac præmij expectatione & gaudio, omnia sibi humana pacate & leniter ferenda esse arbitrentur.

Quis consurget mihi aduersus malignos: aut quis stabit meum aduersus operantes iniquitatem?

Hæc iam ambigua sunt, & quadrant ad vtramque partem: siue auxilium petat ad reprimendum crudelitatem inimici regis, siue suæ vitę ab illius iniuria defendendæ postulet præsidium, & in vtroque tamen Dominus adiutor recte inuocatur, verum in posteriore magis: iustius enim est salutem suam, quàm pœnam aliorum domino commendare: Quam ob rem nos ad hanc partem potius interpretationem nostram adiungemus. Igitur hæc tropolatio, & in aduersis rebus circumspectio, si quid opis alicunde & auxilij appareat, ex affectu communi humanæ conditionis apte est expressa. Est enim natura sic constitutum, vt quum in aliquo vitæ, aut honoris, aut rei alicuius charissimæ amittendæ periculo positi sumus, circumspectemus animo & oculis in omnem partem, si qua nobis forte auxilij affertur aura, si fidum aliquem comitem, aut si quod perfugium tutum inueniamus: simulque præterita animo recolentes, vt quemque aliquo in periculo nobis accordamur opitulatum fuisse, ad mentionem illius suspiremus, eumque nobis optemus tunc potissimum dari. Hoc tunc ipsi Dauidi vsu veniebat, qui redactus in angustum, obsessus, penè circumuentus, cum sanguinem suum ab infesto rege quæri, vitam ad supplicium peti intelligeret, simul ex illa Nobensium calamitate inexpiabile eius odium erga se pendens, formidabat maiorem in modum, ne destitutus omnium ope, in inimicas manus incideret. Itaque qui magnis antea multorum amicitijs & familiaritatibus erat ornatus, & dum valeret apud regem gratia magnas sæpe militum manus sub signis duxerat, prælia multa confecerat, victorias reportarat, in exercitu honore & autoritate antecesserat: Is nunc illa omnia repetens animo, & secum tacitus implorans amicorũ & commilitonum fidem, requirit opem ab absentibus, postulat auxilium ab ijs, quos suis benefactis plurimos sibi arbitraretur debere esse deuinctos: quos omneis tamen, vt res humanæ sunt, mutata regis aduersus Dauidem voluntas, & ad contrarium odium conuersa, secum auerterat: solus illi filius regis Ionathas egregiam amicitiæ præstitit fidem: nec pauem tamen potuit, quanquam omnia conatus, ab illa praua voluntate deducere: Ac erat tum quidem cum Dauide militũ manus strenua atque fortis, ducem eum secuta, cupiens rerum nouarum, quæ spes & rationes suas in eo collocauerat: sed neq; ea sat pollens ad tantum periculum propulsandum, & formidanti

ac suspicienti omnia, nihil vsquam satis fidum, neque tutum pa-
terat videri: Atque hactenus communi more, & humanæ imbe-
cillitatis vitio trepidabat, & conturbabatur, vt auxilia hominum
desideraret ac peteret: sed quum ad veram rationem & mentem
se referebat, certissimum perfugium intelligens solum Deum,
tanquam nauis paulisper fluctu & vento agitata, cui statio esset
in proximo, celeriter ad littus portumq; refugiebat. Hæc nobis
documento esse debent, hæc exemplo, vt vitæ nostræ præsidia, nõ
in opibus hominum, aut principum gratia & familiaritate, sed
in Deo, & virtute constituere debeamus: Illa enim fallacia, lu-
brica, incertaq; sunt: firmum autem & perpetuum præsidium vnus
est Deus. Recte ergo admonent scripturæ, Non in principibus,
neq; in filijs hominũ, sed in Deo rationem salutis esse, & vita con-
stituendam: Ad quem ex omni quidem turba ac periculo confu-
gium habent paratũ, qui non suo crimine, sed aliena culpa & sce-
lere opprimuntur. Qui verò suis nefarijs vitijs atque factis malo
atq; infortunio digni efficiuntur, qui fodiunt sibi ipsis foueam, &
dum in potestate sunt, ius, æquitatem, misericordiam, non ab sese
solum & ab animo operibusq; suis, sed ab omnibus qui circum
eos sunt: & ab omni publico munere reijciunt, & amoliuntur: ij
rebus cõmutatis, quod quam crebro accidat debemus cõsidera-
re, quod tandem habent solatium, aut leuamentum calamitatis
suæ? Licet pertentent omnia, licet experiantur, frustrantur tamẽ
in omnibus: Atque vt in vetustis parietibus putres iam structuræ
solent eos qui se apprehenderint nitendi adminiculandiq; causa
non solum non sustinere, sed insequi etiam & obruere vitio: sic
quodcunq; isti comprehenderint ad opitulandum, id illis maio-
re malo obest, obstruente præsertim consiliorum exitus domino,
& inopinatos casus inferente: sicut in Amo Propheta scriptũ est,
Quòd adueniente die Domini, qui tenebræ est illis, & non lux,
fugient à facie leonis, & venient domum, & ibi illis vrsus occur-
ret: A quo vt euadant, innitentur manu sua super parietem, & eis
manum coluber mordebit: Nunquid non tenebræ dies illa Do-
mini, & nõ lux: caligo & non splendor: Quid autẽ Esaias? Vel,
inquit, qui condunt leges iniquas, & scribentes iniustitiã scripse-
runt, vt opprimerent in iudicio pauperes, & vim facerent causæ
humilium populi mei: vt essent viduæ præda eorum, & pupillos
diriperent. Quid facietis in die Visitationis & calamitatis de-
linquo venientis? Ad cuius cõfugietis auxilium? & vbi deli-
quetis gloriã vestram, ne incuruemini sub vinculis, & cum mor-
fectis cadatis? Ac tales quidem isti suarũ improbissimarũ actio-
num spectant exitus, carmenq; hoc, angore, periculo, metu tam
exagitati, repetunt: Quis cõsurget mihi? quis stabit mecũ? Sed
imperfecte, non enim opem postulant contra iniquitatẽ, sed pro

sanctitate: in quo non modò populus, sed qui illis antea familiarissimi coniunctissimique fuerunt, consurgunt & astant: verùm non vt tueantur, sed vt prosternant illos, cum plausu & lætitia illorum fœditatem ignominiamque spectantes. Non sic enimverò Dauid, nec qui Dauidis similes pietate, meruerunt, vt ut confiderent Deo: ad hos pertinent enim ea quæ sequuntur.

Nisi quod Dominus adiuuit me propemodum adhabitasset in inferno anima mea.

MAGNA in his tribus deinceps continentibus versiculis fidei quoque nostræ mysteria, magna sacramenta denotata sunt: quæ quamquam Iudæi etiam ex parte aliqua cognoscebant, inchoate illi tamen, nos autem perfectius & plenius obtinemus: & ea hic spiritus sanctus non tam verbosè, quam perspicuè indicat: gradu ille quidem posito primum in affectibus humanis, sed inde statim ad altiora diuinaque sublatus: neque enim qui hominem & ex homine enuncians, fermè omnino finit sine humanis cœlestia existere. Iam qui ipsi ad tantum munus electi erant, vt ventura viderent, populisque & regibus antè prædicerent, aliquo prius spectaculo earum rerum, quæ tum gerebantur, permoti atque excitati, quum argumentum illinc dicendi Dei instinctu arriperent, siue conquerendum & redarguendum esset quippiam, siue gratulandum, humano dato initio, pòst volente spiritu, ad remota, sublimia, futuraque prouehebantur: Quorum & si ipsi non autores, sponte neque prædicatores, postea tamen conscij & memores etiam erant. Atque vt aues grauiore corpore antequam efferre sese in sublime, & volatu capessere summum æra possint, cursu ptiùs pedum, alarumque agitatu se incitant: sic in hominibus illis, supera diuinaque consilia ex humanis plerunque affectibus excitabantur. Hoc ipsi Dauidi tunc contingebat, qui in illo terrore & fuga, quum pericula multa adiisset, plurimas animi molestias & sollicitudines graues excepisset, in omnibus præsens Dei auxilium expertus, dat testimonium illius erga se benignitatis: sed ita dat, vt non magis profectò præsentium sit testimonium, quam futurarum rerum diuinarumque mysterium. Nam prior hic versiculus, illud planè demonstrat, omnis omnino virtutis, omnis salutis atque incolumitatis effectorem nobis Deum esse. Alter verò & tertius insequentes, ipsum pœnitentiæ complementum sacramentum, sicut manifestum fiet procedentibus. Ita humilitas ac pœnitentia, quæ Christianorum hominum aut primæ sunt virtutes, aut expiatione criminum reditus ad virtutem, his tribus versiculis expressæ sunt.

Nisi

Nisi quod Dominus adiuuit me, propemodum adhabitasset inferno anima mea.

Ad hunc enim modum transferendum potiùs fuit ex Græcis codicibus, & ex Septuaginta: est enim ab illis sic scriptum,

εἰ μὴ ὅτι κύριος ἐβοήθησέ μοι, παρῳβραχὺ παρώκησε τῷ ᾅδῃ ἡ ψυχή μου.

Et sanè aliud Adhabitare, aliud Inhabitare est. Adhabitāt, qui in proximo sunt: Inhabitāt, qui in eodē incolunt domicilio: quorū priores vicini, hi domestici iam, aut contubernales nominantur. Volens igitur Dauid Dei beneficia erga se recensere, & illi ferre acceptū, quòd saluus & sospes esset, prædicat nisi ab illo fuisset ipse adiutus, se adhabitaturū inferno fuisse: hoc est, ad infernum proximè accessurum. Et hic quoq; ambiguū est: aut enim corporis & vitæ suæ incolumitatem acceptā Deo fert, aut animæ & cōscientiæ: Ac corporis quidem, quòd quum eum Saul sæpiùs interficere esset conatus, etiam antequam apertas indiceret inimicitias, lancea in eum bis térue coniecta, & rursum capto ad eum interficiendum die, quo tempore Ionathas filius regis ope & consilio suo Dauidem saluum emisit, omnium illorum periculorum suorum amotorem & propulsatorem confitetur fuisse Deum: Animæ verò, quòd palàm iam oppugnatus & expulsus, omnibusque viis appetitus ad mortem, quum difficillimam haberet rationem suæ custodiendæ salutis, non tamen propterea in desperationem vllam, aut prauam cupiditatem lapsus est: nō ad cędes & rapinas intendit animum, non vastitate & interuecione hominum est delectatus, non cuiquam immerenti fuit exitio, non denique cum externis & hostibus populi Israelitici vllam aduersus populares suos coiuit societatem: ad quæ omnia facienda, quum & animo & viribus esset aptus, iniuria etiam inimicorum, crudelitateque impelleretur, tamen integrum se ab his, & innocentem conseruauit, Deo illum in omnibus & fouente & dirigente. Vtroque igitur illi modo perfectum à Deo est, vt ne adhabitaret inferno illius anima, ne in propinquis ad infernum locis incoleret. Quanquam videri possit fortasse, si fuisset occisus, non adhabitaturus inferno, sed in eo inhabitaturus potiùs fuisse: quod tamen non ita est, neque carent verò mysterio: illis enim Patriarchis & Prophetis etiam morientibus infernus (hoc enim ex scripturis vtimur vocabulo) receptaculum non erat: vt infernum capiamus malorum dæmonum domicilium, & sedem, vnde regressus iam non est: Sed loca quęsum inferno propinqua, in quibus positi aduentum expectarent extracturi eos illinc, & restituturi Deo, Christi. Ita illi ne mortui quidem ad infernum introibant, sed adhabitabant inferno.

Vitam

Viuentes verò, qui sunt corrupti & contaminati vitiis, quo pacto assiderent inferno, & nisi Deus adiutor assisteret, quemadmodum humana omnis illuc delaberetur mortalitas, paulò altiùs à nobis est exponendum. Omnis natura hominis, vt sacra pluribus locis historia testatur, vsque eò prona & procliuis ad malum est, vt sine Deo ex nobis boni nihil, Apostolo affirmante, ne cogitare quidem valeamus. Ac ante diluuium quidem ipsemet Deus hoc generi humano sceleris & malitiæ probrum obiectat: propter quam causam etiam ad abolendum ac extinguendum illud humore aquarum iratus adducitur. Post illam autem stragem & vniuersum cunctorum interitum, solo Noë, homine iusto, & eius familia ad propagationem generis conseruata, quum increbresceret denuò hominum genus, & frequentaret orbem terræ, populique & nationes de integro constitissent, lege ab Deo per Mosen lata, iudicibus Prophetisque missis, regno Israëlis stabilito & aucto, quum omnibus lumen diuinæ bonitatis alluceret iam posset, nunquid pœnituit homines culparum veterum suarum, per quas tam atrox antea supplicium erant meriti? Imò tenebris ad peiora vsque eò sunt, vt ne vnum quidem ex eis iniquorum immunem seligere liceret. In quo Paulus insistens adducit scripturæ testimonium: Dominus prospexit de cœlo super filios hominum, vt videat si est intelligens, aut requirens Deum: Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum. Idem & Hieremias, cum Dominum inducit ad populum sic loquentem: Quid vultis mecum iudicio contendere? Omnes dereliquistis me. Igitur hoc tanto recidiuo morbo, quo orbis totus ægrotabat, ne ad summum interitum peruenirent homines, filius Dei carnem nostram assumpsit, susceptaque in se veterum omnium peccatorum nostrorum pœna, pro nobis hostia, & placabile sacrificium Deo patri suo oblatus est: cuius quidem tum mysterij ac diuini erga homines beneficij tanta vis fuit, vt quod nunquam antea fuerat visum: Fides, & Charitas, & Innocentia, & omnium virtutum chorus imperium orbis terræ diu obtinuerint. Paulatim rursus deinde dilabi Dei ille amor ex cordibus hominum, & veritatis ac iustitiæ deseri cultus cœpit: quum tamen diuina non defuit prouidentia, ad sustinendos aut reuocandos sponte sua in rectum prolabentes homines, alternis nunc pœnis, nunc beneficiis, sanctis etiam & ab se inspiratis hominibus per interualla temporum ad arguendum, monendum consolandumque missis: Vt planè constet, genus hominum, nisi Dominus aliquorum auxilium iam tulisset, procliuitate sua, qua fertur ad peccandum, adhabitaturum inferno fuisse: hoc est, in maculis & sordibus peccati inhabitaturum: vnde ad infernum postea propinquus

quus transitus est: Atque hoc in commune. Quid in singulis? Nónne eadem est ratio? Nisi enim Dominus adiuuet nos, adhabitat inferno anima nostra. Ope enim Dei priuati ac destituti, peccatorum & vitiorum sentina sumus, seruituti diaboli addicti, atque in proximo illi adhabitantes: Quod qui faciunt qui sibi illas sedes eligunt ad domicilium, iam nunc viui, & onus etiam corporis portantes, eandem penè vitam, eosdem & dolorum & voluptatum sensus cum dæmonibus ipsis suscipiunt vna, & experiuntur: quanquam vna his sola est & præpostera voluptas, quòd peccato delectantur, maximumque tunc experiuntur fructum, si plurimos sui similes possunt efficere: de reliquo quidem, quid est quod verè sentiant iucundi aut grati? Breues [illegible]tes, & eas inanes, aliquando capiunt: At longos mœrores, animi morsus assiduos, at fastidia præsentium semper voluptatis, desiderium absentium, vagationem quoque mentis, instabilitemque, sæpe etiam amentiam: malas spes in animo continent, terroresq; simul & seditiones: omni strepitu perturbantur, omnem lucem reformidant, omnium hominum liberorum aspectu vocemque exterrentur, ipsi in animo incerti dubiiq; semper, nihilq; habentes quo nitantur firmum atq; securum, præbent se impotentibus cupiditatibus distrahendos: Hoc statu qui sunt, verè adhabitant inferno, qui sedem sibi propè ad infernum constituerunt, iam commercium mutuum cum dæmonibus habentes, ad illos pòst paulò in totum migraturi: iidemq; viuentes, nec adeò minùs quam dæmones humanæ societati exitiabiles atque incommodi. Nam vt illuc ad infernum propè interdum etiam accedant probi & electi, errore & peccato compulsi aliquo, sedem tamen non statuunt, domicilium non collocant, celeriterque ad suam larem primum & ad viciniam cœli reuertuntur. Mirabile illud est & propè diuinum, vt quis non aliquo laboret vitio, etiam eorum quæ perniciosiora sunt: summoque Dei beneficio afficitur, cui puritas ista tanta donatur: sed in peccatis qui nec tacere in sorde, nec volutari in turpitudine lætantur, qui cupiant emergere, qui ad Deum manus precesque tendunt, vt subleuentur, vt adiuuentur: qui in ea commissa incidunt, quæ videantur eis non voluntatis & naturæ prauitas, sed mortalis potiùs fragilitas expressisse, habent hi paratum, vbi volunt, venire & indigentiæ apud Deum locum: confidant illi modo, & spem suam eo collocent, instentq; lachrymis & orationibus, conatusque quòd liberari cupiant, & salutem suam quum fuerint [illegible], totam ab illo agnoscant: aderit Dominus sic coram eo [illegible]jicientibus, ac prosternentibus, & ad ipsum vnum expectantibus ope conuersis, gratumque sibi & celsitudini conueniens [illegible] illorum humilitate constituet tabernaculum: quam quidem [illegible]

militatem virtutum saluberrimam, in veteri lege adumbratam, & in Euangelio clarius expressam, amplectamur præcipuè omnes qui firmis deorsum radicibus actis, in cœlum volumus melius faciliusque consurgere.

Si dicebam, motus est pes meus, misericordia tua Domine adiuuabat me.

LVCET iam hîc & apparet confessionis sacramentum, Spiritu sancto, vt diximus, futura præsentibus coagmentante, quæ cuncta ipsi præsentia tamen sunt: Quid enim hoc ad periculum illud propriè Dauidis? Quid ad misericordiam in eo Domini pertinebat? cuius cùm implorabat Dauid auxilium, non ita opinor necesse habebat loqui, & sic exprimere, Motus est pes meus, offendi, impegi: vt hoc cùm dixisset, Domini illum misericordia continuò sustineret: potiùs hunc versum sic pronunciaret & scriberet: Si motus erat pes meus, misericordia tua Domine adiuuabat me: Vt quum in omnem vitam & tempus illud totum periculi subsidium petiisset, tum vt aliquis casus inciderat grauior, in singulas res, singulare sibi à Deo adfuisse testaretur auxilium: quando etiam congruentiùs de auxilio, quàm de misericordia loqueretur. Auxilium enim à Deo aduersus alterius peccatum & iniquitatem, non suo peccato misericordiam postulabat. Quòd si in alterum sensum mens Prophetæ interpretanda est, quando iam diximus ambiguas esse horum versiculorum sententias, & ad vtramque partem valere, siue Deo det testimonium suæ ab eo conseruatæ salutis in corpore, quòd non est inimicorum crudelitati ipsius vita donata: siue in anima, quòd Deo illum rectiùs dirigente, nequaquam ipse est ardore iracundiæ & studio vlciscendi ad vllam iniquitatem crudelitatemque prolapsus: planius etiam in hoc posteriore sensu confessio est significata: Etenim hoc modo loqui, Si dicebam, motus est pes meus, misericordia tua Domine adiuuabat me: apertè est dicere, confessionem proprij erroris ad prouocandam misericordiam Domini maximam vim obtinere: vt perspicuè appareat, Dauidem a peculiari sua causa, ad generis humani communem, & à corporeis offensionibus, ad spirituales, præeunte Spiritu sancto digressum esse: Cuius tamen in confessione, totaque pœnitentia veri mysterij sensum nos Christiani soli plenè retinemus: Nec dubitamus, quin non in animæ solùm abluendis expiandisque maculis, sed in corporum etiam periculis, diuina ope deuitandis, magnum momentum nobis afferat confessio: per quam à peccati vinculo soluti, & Dei gratiæ ac beniuolentiæ restituti, illo patrono & defensore melius confidimus. Hanc confessionem quicunque explodere, & ex hominum cordi-

cordibus ac moribus delere voluerunt, hi vinculum pudoris
continentiæ dissoluere conati sunt. Quęrit enim pudorem quen-
dam, verecundiamque non seruilem, sed homine libero dignam,
in proferendo crimine confessio, in qua satis pœnæ insit ad ab-
luendum peccatum, & misericordiam Domini promerendam,
quòd voluntariè suscepta est, & est tamen proborum, & non a-
lienorum à virtute, illa pudoris affectio peculiaris. Neque enim
nobis, vt Iudęis, terrore multo, grauitateque pœnarum, ac dici-
tate execrationum, lex est à Deo composita atque perscripta: sed
amor, pudorque propositus: vt quum præcipuè nos diligeret
Deus, conciliaret sibi, non necessitate seruos, sed benignitate
filios: pro quolibet autem magno peccato, paululum supplicij
sat est patri. Ac peccatum quidem ipsum per se etiam, in morbis
& nefariis hominibus, morsum doloris interiorem habet:
stimulantur enim & punguntur necessariò qui peccant: quòd
suum malum intus, & maximum detrimentum, non potest non
sentire anima: nec tamen ex eo vllum iudicium aperitur, melio-
ris eam frugis in posterum fore. Vbi ergo elucet pudor, vbi pro-
bitas, vbi ingenij bonitas & naturæ? Tum, quum is qui peccauit,
onus illud ferens grauiter, peccati quærit in confitendo & com-
municando medicinam, adhibetque intercessorem, qui sibi ad
Dei conspectum, quem læserit, prodire cupienti, adiuti sit fidenti-
tior. Est igitur signum imprimis euidens salui intus animi, & pra-
uitate nulla adhuc corrupti, hæc commissi erroris voluntaria
prolatio: indicat enim inuitum cum peccasse, qui fuerit lapsus,
& nolentem in morbum incidisse, qui morbo remedium volens
quęrat. Quod quidem tantã vim habet, & semper habuit, quòd
populi quoque gentium, qui optimas leges condidisse existima-
ti sunt, quum hæc sancta & mystica nihil dum cogitarent, ipsa
admonente impellenteque natura, latis legibus sanxerunt, eum
qui seipsum criminis alicuius vltrò detulisset, aut omnino aut
magna ex parte liberatum à supplicio dimitti debere. Atque vt
est ingenui animi & recti, confiteri peccata sua, & errores agno-
scere, quęrereque aperiendo & communicando medicinam, sic
qui illa occultare, & abdere in tenebris student, fugiuntque, qui-
ad possunt ex confessione & communicatione remedium [illegible]
tanquam filij bono ingenio præditi, sed velut serui nequam
fouere & alere peccatum intendentes, malitiamque & simulati-
nem veritati obtendere, dignis seruili suo ingenio pœnis [illegible]
ciendi sunt. Quocirca rectè & ad Christianum verumque [illegible]
Salomon, Qui abscondit scelera sua, non dirigetur, inquit: qui
autem confessus fuerit, & reliquerit ea, misericordiam consequi-
tur. Enimuerò illa abscondi Deo non possunt: ergo vult Salomon
ea ad hominem necessariò proferri. Item & alio loco Dauid, [illegible]

xi coe-

xà confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei. Atque vt non confessionem solam sine homine, quæ à Iudęis etiam nunc confitentibus vsurpatur, sed hanc Christianam & nostram, qua sacerdotem nobis adsistimus significaret, protinus addit: Pro hac orabit ad te omnis sanctus, in tempore opportuno. Pro hac inquit, iniustitia, orabit, vt mihi abs te Deus ea dimittatur: Quo autem pacto orabit sanctus, si cum eo non fuerit communicata? Nam si ad Deum solum est confitendum, quid est sermone in confitendo opus, aut quid refert verbis exprimere animi sensa: quum Deus statim cognitor cordis sit? Quòd si confessio ore prolata & verba id faciunt, vt refellatur magis redarguaturque peccatum, sanumque consilium in animo, & mens antè impedita melius expediatur, hoc maximè pręstat in confessione sacerdos. Deinde, quis confidat certò, sua sibi peccata penitus esse cognita, quum sit scriptum: Delicta quis intelligit, ab occultis meis munda me? Quæ quum adhibetur, sacerdos quo cum & quæ aperta claraq; sunt, & quæ occulta aut dubia omnia communicentur, vel nihil lateat eorum, quæ animaduertenda sunt, vel si quid enim lateat, humilitate ipsa & diligentia Deo est satisfactum. Itaque ipsemet, Vbi duo fuerint vel tres vestrûm in nomine meo congregati, statim in medio sum, dixit Dominus. Digrederis igitur tu confessione facta, non tua persuasione, quæ fallere te potest, sed sacerdotis fide absolutus: quam si ipse minùs rectè prositeret, peccatum tuum transfert in se, pro teq; obstrictus Deo relinquitur. Ac ne illius quidem quęstionis laqueis Iudęi, & qui Iudeorum in hoc genere sequuntur sententiam, non implicati astrictiq; tenentur: Quòd non possunt rationem reddere, quamobrem cùm cętera sacrificia omnia, quibus expiare semetipsos, & placare Deum instituerint, per manus sacerdotis Deo offerant, hoc vnum confessionis sacrificium, imprimis sanctum, maximeque expiabile, existiment ritè se Deo sine sacerdote offerre. Nam & à Dauide suo sic expressum est: Sacrificium Deo spiritus contritus, cor contritum & humiliatum Deus non despicies. Quo quidem in sacrificio tantam inesse vim ad placandum Deum, Dauid idem confirmat, vt nunquam id non Deo gratum acceptumq; sit, spretis sæpe etiam & repudiatis cęteris sacrificiis. Iure igitur & piè, ac necessario ad salutem ritu, sancta nobis confessio, à Deo & ab Apostolis indicata, à communi Ecclesia constituta, à Christianis fidelibus semper vsurpata est. Cuius vim gentes, natura duce, cognorunt, Iudæi lege & more quadam ex parte complexi sunt, nos plenè ac perfectè totam obtinemus. Quam si ostenderet non solùm purgandis animi morbis, sed corporis etiam & vitæ periculis propulsandis vtilem & sospitalem esse,

Spiritus sanctus, idcirco Dauidem de quotidianis vitæ periculis tunc maximè dimicantem, in hæc Christianæ confessionis & lubris aduersus omnia mala remedij proferenda verba compulit.

Si dicebam, motus est pes meus.

Qvod ad liberandum à periculis attinet. Si indicabam illud, qui me circumstaret & obsideret terror, quò incautius essem progressus, vbi me in plagas & retia inimicorum dimisissem, tua statim Domine misericordia me adiuuabat, & in tuto per te sistebar. Quanquam hoc minus propriè videatur dictum, nam inter indicare illa dicendo opus erat Deo, cui cuncta patebant, adeoque ipse præsens Dauidi aduocatus: & in periculis eiusmodi præsidium potentiæ magis, quàm misericordiæ summi Dei aduersus iniquam vim intentantes conueniebat implorari. Sed tamen declarari voluit Spiritus sanctus, ex confessionis Sacramento, propugnaculum nobis diuinæ misericordiæ aduersus omnia mala ac pericula præcipuè paratum esse. Sin autem ex illo altero sensu, quò minus ipse in aliquam iniquitatem & crudelitatem incideret, ad quam animi impetu quodam & feruore iracundiæ interdum ferebatur, Dei misericordiæ Dauid acceptum referebat: planius est iam nobis, & magis recta via indicata confessio. Sanè pedem motum esse, apta similitudine est in eiusmodi peccata incidere, quæ ambulantibus in hac vita obuiam necessariò habenda sunt, arridentq; ab initio vitam ingressis, & suauitate sua, antequam dijudicatrix & expultrix aduentet ratio, ita sese adiuuant, vt pòst vix multo studio & labore, nec sine Dei ope queant eluis sed quæ tamen misericordia digna sunt. Itaq; & illa lauandis discipulorum pedibus releuit Dominus. Nam si non pes, sed caput sit permotum, ipsaq; dominatrix animi ratio ac voluntas, à recta ita demota, vt non tam fragilitatis sordibus, quàm clauis atque vulneribus auaritiæ, iniquitatis, superbiæ tota confossa sit: Quis sperari possit de misericordia Domini, incertum est: Illud non dubium, ab insequentis versiculi intellectu ac fructu, per quem iucundæ bonorum spes, & beata etiam in periculis ac laboribus vita indicatur, huiuscemodi homines repulsos esse.

Secundum multitudinem dolorum meorum in cordem, consolationes tuæ lætificauerunt animam meam.

Dvo genera doloris intus in animo oboriuntur, & utrumque genere dolores penè innumerabiles. Vnum genus est, quod à natura & veritate nobis est inuectum, quum perpetrandis committendisque criminibus naturam intus animi ac præstantiam violamus: quæ in eum modum natura est constituta, vt sit domi-

na-

na ratio, reliquæ illi cupiditates omnes seruiant. Hunc ordinem quum perturbamus, itaque peruertimus, vt præficiamus cupiditatem rationi: quod tunc euenit, quum quæ sequi obtemperareque debebant, trahunt ipsæ, & trudunt iam rationem affectiones, non solùm loca & munera partium animi commutamus, sed naturalibus illius actionibus sublatis, & aliò versum transductis, ipsam etiam eius naturæ confundimus substantiam, quæ in recto illo ordine præcipuè elucebat: vt videatur ferè animus desinere esse animus, aut certè ex humani animi nobilitate ac specie, in alteram effigiem quandam abhorrentem ab homine, & monstri potiùs affinem transeat. Quod quum accidit, naturalis quidam euestigio simul emergit dolor, tanquam naturæ suum casum deplorantis, multumque se afflictantis, quòd se eat perditum, & lumen suæ præstantiæ veritatisque amittat: Atque hic dolor longè maximus omnium & grauissimus est: est enim veritate subnixus, & verè maximi mali compos. Siquidem deficere & discedere à semetipso omnium rerum cuique est miserrimum: sed hunc dolorem acrius illi sentiunt, qui rarius peccare & difficilius sunt soliti: qui partes longè plureis sanitatis quàm morbi in animo intus possident: nam & fructum ac lętitiã animi bene se habentis, & sani integriq; diutiùs hi perceperunt, vt ipsa ex comparatione magis admoneantur, & multò plus in se retinent quod vim ad sentiendum vegetam habeat, quàm quod oporteat sentiri: Etenim quod corruptum est, neq; seipsum, neq; quod integrum est, agnoscit, ipsum autem ab integro incorruptoq; agnoscitur. Ita fit, quò animus intus efficitur corruptior, minus minusq; suum ipse malum & detrimentum intelligat: abit enim ad corruptionem, quam omnis dicimus sui ipsius sensus expertem esse: in qua & si aliqua etiam nunc radice naturalis substantiæ animus teneatur, fructus tamen suos ornatusque, & omnem suæ dignitatis speciem, omne decus amittit. Sed & si non sunt tam acres doloris morsus in impio, qui iam diuturna peste peccati & tabe totus disputruit, quàm in probo & pudente esse solent, qui sanus etiam nunc, multò maxima ex parte acerbius sentit doloris ex peccato, non morsus, sed vulnera: tamen grauius in impio illud ipsum malum est non sentiendi, quam si asperrimè dolores eos sentiret: conclamatum enim de eo esse iam indicat stupor ille animi, teterrimum suum malum minimè agnoscentis. Quod item accidere in morbis corporum videmus, in quibus pessimè affectæ valitudinis signum est, vim morbi non sentire: nec minus miseret nos eorum, qui abalienato sensu in morbo grauiori læti etiam esse videantur, quàm qui lamẽtis iactationibusque se afflictant. Quantũ enim interest inter oblanguentem iam demoriẽtemque, ac eũ qui fortis adhuc & validus, cruciatib. inge-

miscat, quòd hic etiam nunc sentiat quæ dolet, ille est iam mo-
bo confectus, atque victus: tantùm inter planè nefarium, & pi-
doris adhuc ac probitatis interest retinentem. Atque hoc genus
doloris primum & certum maximè est, quod ex summo proce-
dit malo: estque hic verè & nauiter dolor, non falsa aut vana
opinione susceptus, sed veritate naturaque inductus: Alterum
verò doloris genus, persuasionis & opinionis fermè totum est.
Quum enim externa fortunæ incommoda, & corporis damna
detrimentaque dolemus, propter eam causam dolemus, quòd
mala illa esse opinamur, quæ plerunque mala non sunt, sed bo-
no nostro à Deo nobis data atque inuecta: Quidenim mali es-
se in eo potest, quod si animo æquo accipiatur, parum in no-
bis optimam efficiat meliorem? Aut si sit ea contaminata gra-
uiter & corrupta, spoliet eam tamen vitiorum instrumentis, ut
tamen familiæ ruinas, filiorum orbitates, molestias morborum,
discrimina mortis, existimationis pericula, cæteraque damna
& detrimenta iure deuitamus. Nempe vsque eò, quoad illa sub-
terfugere officio non repugnat. Quòd si in eum locum res ad-
ducatur, vt alterutrum duorum, mortem vel dedecus suscipi se
necesse, qui veram vim boni constantiùs tenuerunt, vitam po-
tiùs quàm honestatem, non dubitauerunt amittere: grauius e-
nim tormentum verissimi doloris ex scelere sibi, quam ex morte
subeundum esse iudicauerunt: Itaque illud vitauerunt potius.
Qua in laude virtutis animique magnitudinis multi etiam apud
priscos, in Christiano autem nomine innumerabiles reperti sunt.
Iam naturæ consilio & arte quadam mirabili sic est dispositum,
vt animus pessimè in se constitutus, minimum sua illa mala in-
teriora & propria sentiat, hæc exteriora & alieniora maximè: si
autem in eo bona sit constitutio, contrario se habeat modo ad
sentiendum, maximè illa sua, minimum hæc: quòd suo naturali
bono plenus ac refertus, omneis externos incommodorum ap-
pulsus leuiter contemptimque accipiat. His sic expositis quæ
fuerunt præmittenda, videamus dehinc qui sit animus bene
constitutus, & qui iure possit huius cantum verficuli, & gratiæ
cœlestis fructum vsurpare. Triplex animi bona est constitutio
à tribus mortalium sectis sua cuique animaduersa atque indicata.
Vna est, quam Philosophi veteres, summis prædicti ingenii ho-
minibus prodidere, rationibus confirmatam & argumentis, per
quæ quid nos ipsi essemus, & quæ in nobis præstantissimum, et
qui actus hominum proprij, quæ beatæ vitæ ratio, eiusque ob-
prio, copiosissimè est demonstratum. Quemadmodum in vna
animi natura arcem obtinet ratio, cui etiam animi imperium
est permissum: quam appetitiones inferiores colere & obser-
uare, ad nutumque eius omnia agere debeant. Quod in quo ea
fiat,

fiat, vi veritatis ordine legeque est præscriptum, verè eum virum dici, fingique hominis munere atque officio: in quo autem naturam & confusum sit, hominis hunc figuram quidem & ideam essentiæ rationem retinere, re autem vera in agendo non videri hominem, beatam porrò vitam in illo conseruando nunquam existere: Quem habitum animi, rectè omnia appetendi, continet ratio, pluribus iam dudum actionibus operationibusque exercitata atque confirmata, quæ eadem sit virtus beatæ vitæ præcipua effectrix. Hæc cùm Philosophi magna, atque egregia hominibus traderent, argumentisque ea subtilissimè cõfirmarent, omnino reliqua præclarè, in eo tantùm defecisse visi sunt, quod caput huius virtutis & beatitatis, nimis profectò debile infirmumque posuerunt: statuerunt enim summum hoc hominis bonum, rationis duntaxat humanæ arbitrio quæri, cõstitui, comprobarique debere: vt nosmetipsi essemus nobis tanti boni & adipiscendi autores, & adepti iudices. Quasi verò nunquam filii hominis ratio possit, aut ea non sit varietati opinionum, commutationique sententiarum, prout sese variæ & diuersæ dant res, semper exposita: Quæ etiam si quod rectè semel acceperit, in eo sit firmiter constanterque permansura: sui tamen vnius iudicio & gratulatione contenta esse non potest, quæritq; semper alteri maiori & grauiori iudici seipsam ostendere & probare, è quo & auxilium in laboribus, & firmamentum in periculis, & in re gerenda consilium, in bene gesta gratulationem, in omni autem cursu, actu, munereque totius vitæ, ex societate & communicatione omnium rerum, iucunditatem animi & lætitiam sibi esse paratam intelligat. Hæc enim præcipuè ex commercio & communicatione iucunditas solet nequaquam incommercio nec idoneam solitudini, sed societatis & communicationis omnimis appetentem naturam hominis pleno ex bonis rebus fructu lætitiaque cumulare. Nimirum philosophiæ illi & institutis hominibus ex illa hæc defuerunt, quæ prima spectanda sunt: neque enim poterat fieri vt quum aliquis virtutem instituisse acquirere, quò per eam sibi ipse constaret, fieretq; in omni casuum humanorum varietate firmior, rursus suæ ipse virtutis & capor solus & firmamentum esset. Itaque cogente natura, quæ in solitario vnius iudicio, & singulari conscientia non conquiescebat, requirebatque adminiculum potentius, quo niteretur, sustentaretque semetipsam, atque in eo melius & perfectius se noscceret: qui ex philosophia nomen virtutis potiùs, quàm veritatem sectati sunt, in celebritate famæ, & opinione hominũ in beatitudinis fructum, approbationemque posuere: lucem eam quærebant, per quam cernerent etiam semetipsos, nec potuerunt apprehendere eam quæ vera lux est: Nam & Deũ quum

cognouissent, non vt Deum tamen sunt venerati. Ergo Iudęorum natio meliùs erudita ad animum bono rectoque more excolendum, & firma ratione ad virtutem astringendum, ampliùs addidit ipsummet Deum: eumque approbatorem virtutis & iudicem, caput denique esse voluit totius humanæ felicitatis: titubantemque hominis & imbecillam per sese rationem, ad rationem illam alligauit, qua nec sapientius quicquam, nec in omni æternitate solidius esse potest: vt neque falli deinceps posset, diuinis illis præceptis edocta, neque labi in aduersis, & sibiipsi diffidere, eiusdem Dei ope auxilioque munita. Sed neque Iudaica gens summam rei prorsus assequuta ipsa est: mercedem enim sibi ex Deo, mandata illius custodienti, fructus terræ potiùs annuos, & mortale regnum, quàm immortalia, & cœlestia bona expetebat: ad eumque finem sese illi probabat, vt esset in frugibus suis capiundis, & in liberis familiisque propagandis fortunatior: ita veneratrix cœli effecta præmium potestatis suæ in terra requirebat: timore etiam magis quàm amore ad colendum Deum mouebatur. Et sanè cum illis agebat Deus aliquantò seueriùs: magnus adiutor in periculis, & beneficiorum largus donator, idem, vbi deerrassent à via recta, pœnarum nihilo remissior exactor: ac denique populum illum, ex quo diuina erat progenies mundo oritura, ita tractabat, vt tanquam rudem massam paulatim perpurgaret, quò plenitudine temporis adueniente, posset formam diuinæ bonitatis & veræ pietatis melius accipere. Hoc ipsi etiam Iudæorum Principes, Patriarchæ, Scribæ, vatesq; intelligebant: etenim fatebantur, imperfectum esse, quodcunque lege eorum esset traditum, expectabantq; perfectorem, quem magni consilij angelum affuturum ex Deo, impleturumque omnia, & regnum illis perpetuum stabiliturum prędicabant. Qui iam dudũ quum venerit CHRISTVS IESVS Dominus noster, filius Dei, & eiusdem ipse cum patre diuinitatis compos, haud tamen est ab illis nec agnitus, nec receptus: ea re quidem, quòd quum gens verorum bonorum ignara diuitias, & opes, & terræ hęreditates primarias existimaret, speciem Dei in figura humili occultam, & fructum ex eo cœlestium bonorum non potuit intelligere. Hunc Deum, filium Dei admisimus, & ei ita credidimus, vt crederemus etiam in illius cuius aduentum, diuinamq; virtutem tegumento carnis obuiatam, in seipsa prępotentem, in nobis & nostra specie manifestatam, humilitatis, patientiæque magistram, tanto consensu omnes gentes adorandam, colendam, venerandamq; suscepere, vt inter multa admiranda, quæ ab illo facta sunt, orbis ille conuersus, ad confitendũ filium Dei, foret mirabilior. Is itaq; IESVS filius Dei, Dominus noster, tertiã in nobis, longè absolutissimã, & ma-

xime perfectam, inseruit animi constitutionem, per quam veræ beatæ vitæ, & cœlestium gaudiorũ fieremus participes. Nã primo aliquot partibus generibusq; virtutis indicatis, atq; illatis, quas præterita ætas, & philosophia ipsa ignorauerat, superbiam penitus excidit ex animo: æmulationis autem, & peruicaciæ, & plus labendi cupiditatis, tam in honore, quàm in pecunia studium, inuagnatum iam hominis naturæ, vt auelli posse non videretur, nisi eò elisit, charitate introducta, quam nouã, & principem cęterarum, virtutẽ ab eo solo didicimus, vt qui prius homines trahere ad se quærebant, & nitebantur omnia, ijdem post libentius alterius commodo ob amorem Dei, quàm vtilitati suæ deseruirent: Atque animo hominis per has virtutes constituto & confirmato, totius huius constitutionis & ordinis semetipsum caput custodemq; apposuit, vt in eum ipsum semper intueamur, nostra ad illum acta consiliaq; referamus, illius fidamus ope in aduersis, secundas nostras res cum illo gratulemur: qui fallere non potest, qui deesse non solet, qui sic est in iuuando omnipotens, vt in parcendo etiam, & lapsis ignoscendo, sit facilis ac benignus: in communicando vero & versando nobiscum ita dulcis, vt fratris, ac penè dicam, sodalis non videantur officia in eo desiderari. Amauit enim videlicet, amatq; nos, non amore mediocri, sed incredibiliter: quod eo planè ostendit, quod sanguinem suum pro nobis non dubitauit effundere. Quem nos contra si redamauerimus, si toto cum animi sensu, voluntatis studio, affectione cordis fuerimus amplexi, vt illi nos probare, vni illi satisfacere, cum eo semper esse in omnib. dictis factisq; nostris, & in omni tẽpore studeamus, cũ admirabiles quædã intus in animo lætitiæ: & inauditæ existũt iucunditates: paucis illæ perceptæ: atq; intellectæ paucis. Quis negat? quando præsertim etiam virtutis & pietatis iampridem studia obsoleuerunt, sed vt si quis eas gustare vel paululũ potuerit, percipiat statim ardorem illius sanctissimi amoris, & gustum suauissimæ voluptatis supra hominis sensus cogitatusque existere. Iam quod in hac Christiana & prorsus absoluta bene ornati animi constitutione, per IESVM CHRISTVM facta, primarium maximumque est, non ille lætitiæ nostræ fructus, non virtutis præmia, non honorem pietatis, ad terrena & mortalia voluit esse relatum, sed Deum, & semetipsum vnà cum Sancto spiritu Deo patri comparem, finem & præmium nobis proposuit: vt quum semel ad cœlum nos ipsos erexissemus, beatissimam illam vitam atque immortalem spe cõplexi, nequaquã amplius inde ad terram declinaremus: neq; alibi mercedem fidei integritatisq; nostræ, quàm in cœlo, & Deo possidendo, cõstitueremus. In quo Iudęi turpiter ignari, pertinacesq; sunt: redemptorem quippe suum etiam nunc expectant, qui terrenum illis re-

gnum, & pristinam libertatem restituat: è quibus si quæram: Ap ô Iudæi, memorate nobis quid vobis tandem boni iste, a vobis tantopere expectatus Messias est allaturus? Quid possint quæsi respondere? Si illud dicant, allaturum eum omnia ista esse, quæ iam attulit nobis CHRISTVS IESVS, studia veræ virtutis videlicet, & vere beatæ vitæ præmia, firmam aduersus Deum fidem, inter homines charitatem, adeptionem quoque postremo regni cœlestis & immortalis, Quid iam amplius illo est opus? facta sunt hæc, & monstrata, & donata, iam adita cœlestium bonorum hæreditas: neq; melius præterea quippiam est quod possit dari: vt sit illius nimium ociose in via ambulantis accessus, atq; aduentus superuacaneus futurus: sin autem idcirco venturus est, vt vos congreget dispersos, reducatq; in regionem vestram, & regnum illic vobis stabile posthac constituat, faciatque fructibus terræ & copijs vos vberes ac beatos: vos vero habete vobis ista præclara dona, & terrena munera, quæ sine inuidia vlla teneatis, quando meliora ac præstantiora multo ab IESV nostro nos accepimus: Nec sanè vestra ista vnquam existimauimus digna, quę vel ab Deo tantopere denuntiarentur, vel ab hominibus, bene animo & virtute constitutis, tam vehementer expeterentur. Igitur vt ad Dauidem redeamus, hunc versiculum;

Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificauerunt animam meam:

SOLVS animus Christiana constitutione exornatus potest verè decantare: iis enim percipit, & experitur vnus, quæ sint lætitiæ, quæ offendunt & obruunt intestinos dolores: nec sua ipsius solum fiducia conscientiaque nititur, sed habet præsentem semper adiuuantem, & consolantem Deum: illudque identidem secum commemorat, Signatum est super nos lumen vultus tui Domine, dedisti lætitiam in corde meo. Nec verò Dauid hoc non intelligebat, qui ex prophetia & diuina gratia, cuius ipse sancti germinis tanquam radix esset futurus, profecto iam tum præuidebat CHRISTVM IESVM, eumque gaudens venerabatur, particepsque iam tum erat huius in animo Christianæ iucunditatis. Quacunque porrò de causa isti multi & magni oriuntur in animo dolores, statim cœleste consolationis & lætitiæ præsto adest medicamentum: siue enim pœnitentia commissi criminis, & læsæ Dei voluntatis acerrimo morsu doloris contrahit animum, teque ad lachrymas, & ad confessionem peccati, petendamque veniam ab Deo compulit, ille ipse qui læsus ait est CHRISTVS IESVS adstat tibi continuo sedulus consolator, ignoscitque & reuocat in amicitiam pristinam, iubetque te benignitati suæ confidere, vlcusque ex peccato in anima contractum,

oleo

olentiæ misericordiæ suæ inuigit. Qua ex offensione, eoque cæteris probiores natura & voluntate sunt, tanta Dei erga se humanitate compulsi atq; victi, acrius sæpe exiliunt ad amandum, eumque maiore ad pietatem referuntur, lachrymisq; delictum lauant, quæ iam lachrymæ sunt, non doloris sed voluptatis, lauræ inquam lætiores multò, quàm istorum sint risus, qui nullos vnquam istiusmodi ex pœnitentia dolores ad animum summoroite sunt passi. Quòd si dolores extrinsecus inuecti sunt, in re, aut in fama, aut etiam in valetudine & corpore damnum aliquod factum, & calamitas accepta est, si auditæ charissimorũ, aut spectatæ mortes, si discrimen mortis est aditum: Quid ista omnia, quid nam valere possunt ad intestinas illas lætitias corrũpendas, quum animus bonis cœlestibus refertus, Deoq; sibi præsente ad spem certam immortalitatis erectus, hęc accipiat omnia ad exercitationem atq; approbationem virtutis suæ: aut si obeunda sit mors, breue iam iter ad migrandum in cœlum æternumque regnum cum Deo perfruendum superesse sibi etiam gaudeat.

Numquid adhæret tibi sella iniquitatis formans laborem in præceptum?

Nehuius quidem versus recta videtur fuisse conuersio: est enim à Septuaginta sic scriptum.

Μὴ συνάψεται σοι θρόνος ἀνομίας ὁ πλάσσων πόνον ἐπὶ πρόσταγμα.

Hoc est,

Ne simul adsit tibi sella iniquitatis, formans laborem in præceptum.

Et meritò hic multum laborauerunt interpretes. Latini ferè illam migtam secuti translationem, interpretationes varias excuderunt, ingeniosæ nimirum & piæ omnes: sed nos in eo potissimum ducimus insistendum, vt cum præteritis apte præsentia cõrerentur, quod nos curare præcipue oportet: dedimus n. ipsi huic Psalmo argumentum historiæ & temporis, firmis rationibus inuenies, quòd Dauid necdum rex: Non enim inueheretur tam vehementer in iniquitatem, quæ ne vigeret, si regnum ipse tenuisset, omnis illius futura erat potestas: & is in metu ac periculo tunc quum maxime versabatur, Saule illũ omni conatu & insidijs ad mortem conquirente: aperte quoq; illam cædem Nobensiu, in omnes ciues & incolas illius vrbis insignem crudelitatem Saulis vituperatur exprobrare. Quapropter sic se habet res, & in eodem argumento ac ratione insistere Dauid est existimandus, vt propositam quidem habeat sibi coram Deo causam, quæ illi cum rege esset ab humanis curis, præsentibusque cogitationibus profitenterim, atque euehatur spiritu ad diuina, & ea quę ventura

sunt præuideat. His sic positis, antequam nos nostram ad expo-
tionem veniamus, exponemus prius quid Græci hic senserint,
quorum est imprimis probata sententia: Acipsi quidem omissa
mentione historiæ ac literę, ad declarationem mysterij omnes
conuersi sunt, bifariamque diuisa illorum interpretatio: Alij e-
nim, quorum caput Hesychius, sellam iniquitatis diabolum esse
dicunt: sella porrò magistratuum sedes est: In diabolo autem, ve
in sua sede & sella considet iniquitas, quasi regnum sum eius im-
perium in eo obtinens: qui & ipse iudex iniquitatis est, non u-
quam iniquitatem condemnans, sed iniqua potius decernens.
Hic in omne Dei præceptum, vt ab eo custodiendo nos arcens,
labotem nobis, ęrumnam, difficultatemque subijcit, cęteris
nibus nostris amœnitatem & segnitiam, velut gratiora elici-
menta, identidem proponens. Et nimirum laborem in præ-
cepto obseruando voluit inesse Deus, non vt maiore difficul-
nos afficeret, sed vt maiora obseruantibus præmia imparti-
nus enim quisque secundum laborem suum, suam idoneam me-
cedem est acceptarus. Hic itaque iudex iniquitatis in illo supre-
mo iudicio nequaquam aderit: simul neq; assistet summo Deo.
At angeli aderunt, sed angelorum iste vt retinuerit substantiam,
amisit tamen dignitatem. Quid ita vero non assistet: Quia Deus
iusti iudicator est, iste iniqui. Deus cum iustitia adiunget misera-
cordiam, tanquam bene affectus erga hominum genus, ille, cui
hominis nomen maxime perosus est, cum iniquitate adiunget
& crudelitatem: quod sequentia, inquit, etiam indicant, quæ de
diabolo eiusque ministris & apparitoribus sunt dicta. Symma-
chus, & qui eum secuti sunt, alio modo. Nam & versum hunc al-
ter scripserunt.

Μὴ συναφθήσεταί σοι θεὸς ἐνιχείας πλάστιγξ πλανωμένων τῶν
πρόσταγμα. Quod latine est,

Non coniungetur tibi sella calumniæ, formans miseriam per
præceptum.

Hoc est, non patiere tu Deus participeps esse eum his, qui iniqu
iudicant, & qui contrariam tuis mandatis ac legibus ferent sen-
tentiam, quæ tu præmio videlicet decernis digna, pœna ipsi of-
cientes: & quæ tu pœna, ipsi præmio: illam, quæ hinc admissa
postea illis & aduenit, contrahunt miseriam perpetuamq; ca-
mitatem. Sellam enim calumniæ iniquos & præpositos eius
appellauit. Hæc, vt dico, peregregia vtiq; sunt, & summo ani-
genio ac pietate indagata: Verum nos ad nostrum argumentum
pristinum reuertentes, quod vsquequaque in omnibus eorum
conuenire, dicamus ad Saulem hoc primum pertinere, & in eum
præcipue intentũ esse, refundi deinde & dimanare in omnes, qui
in pe-

in potestate cuiusq; modi cōstituti, iniquis iudicijs & calumnijs, & iurisdictione improba delectantur: quorum quidem de numero diabolus inprimis est, vel ipse potius omnium iniquorum caput. Itaque Dauid, qui Dei opem in periculis, solatium in doloribus cōmodum sibi affuisse erat testatus, & qui omnibus fidentibus Deo simile ab illo auxilium paratum esse confirmauerat, conuersus nunc ad Deum, & causam suam, cæterorumq; qui iniuria oppressi sunt apud eum agens, rogat & orat, vt præter solatia & adiumenta, quæ ab eo plurima sperantibus in illum sunt, hoc etiam accedat, vt à prauis rectoribus, probi & innocentes quam primum liberentur, quo syncerum gaudiū, & minime interpellatam angoribus ac molestijs animi lætitiam, in Deo ipso possint retinere, quam præterrumpebat non ipsorum solum miseria & difficultas, vt qui essent quotidianis iniurijs contumelijsque vexati, sed aliquanto etiam magis, quod vere Deum amantium est propriū, ipsius Dei legum & præceptorum violatio, per quam Dei timor atque honor in populo quotidie leuior fiebat. Oprat igitur, petitq; ab eo, vt ne patiatur sibi sellam iniquitatis assistere. Etenim populum primo quidem & maxime gubernat Deus, summumq; illi imperium in omnibus est: Sed adhibet ipse sibi postea ministratores & vicarios, muneris sui tanquam hypodidascalos, se primario magistro & præceptore, sellam suam ad ipsius tribunal apponentes, quos ipse singulis nationibus populisque præficit eisq; præscribit, vt diuinas imprimis leges & præcepta iustitiæ curent obseruari: Qui si amentia & scelere compulsi, contrariam Deo & gubernandi & iudicandi ineant viam, non iniquitate solum, sed proditione etiam, & perfidia sunt detestabiles. Sanè male atque incommode euenit populis illis, qui rectores habent, & iuri dicundo præfectos, contraria Deo ac repugnantia procurantes: Quod vbi contingit, orandus est Deus, vt ne patiatur ad tribunal iustitię suæ, sellam iniuriæ iniquitatisq; assistere. Porrò videamus cuiusmodi ista sella sit, & quid ex ea Dauid velit intelligi: etenim nusquam intelligemus vim & speciem primariam iniquitatis melius ac lucidius, quàm in paucissimis his verbis expressam esse: vt discant etiam admirari & colere hæc sacra, qui in humanæ sapientiæ studijs operam omnem consumendam arbitrantur: formare laborem in præceptum est, cognitis & bene examinatis hominum, qui reguntur abs te, studijs & facultatibus, eas potissimum leges, eaque edicta promulgare, quæ illorum vtilitati ac commoditati maxime contraria sint, vt quum ferre onus illud non possint, neque grauitatem imperij tolerare, in eos pœnarum laqueos incidant, per quos in deinde possis vel crudelitati vel cupiditati tuæ pastum & prædam copiosius suppeditare. Tale fuit præceptum Pharaonis

popu-

populo Iudaico, vt in opere faciundo corpora oneribus subijceret, quod qui non nauiter faceret, flagris admoneretur. Item & illud, vt qui filium masculum Iudæus genuisset, continuo illum deferret ad præfectos, in flumine Nilo demergendum. Quasquã horum exemplorum plena vita est, nec eorum ex libris & vetustate promenda memoria, quum videamus quotidie eos, qui lepide se magis scire furari putant, ad hæc vt plurimum edicta mandaraque decurrentes, vt vel iubeant fieri aliquid, vel vetent, quod in vtranque partem magno sit populis labori ac detrimento: quo aut miseri redimere ius suum pretio, aut in acerbas pœnas incidere cogantur. Quòd si iniquitas illa permagna est, qua quis contra leges facit, & aduersus illarum præceptum sententiamque iudicat, quanto hæc maior tetrior, exitiosior, quæ assertorem & patronam iniquitatis constituit ipsam legem: nimirum non vt, & planè absoluta iniquitatis species his paucis verbis expressa est, ideoque illi insigne magistratus sella est attributum: vt apparuit dominari hanc & principem esse. Sicut Esaias de ea scribit, Vrbi, inquit, qui condunt leges iniquas, & scribentes iniustitiam scripserunt: vt opprimerent in iudicio pauperes, & vim facerent causæ humilium populi mei, vt essent viduæ præda eorum, & pupillos diriperent. Viduas enim & pupillos, simpliciorem omnem populum, egentem opis alienæ atque auxilij vocat. Tales retinent & præsides, ac in vniuersum omnes eos, qui in imperio aliquo & iurisdictione positi, iure potestatis ad iniuriam abutuntur, meritò repelli optat, rogatque Dauid, vt eorum ne sit sedes ad domini tribunal iuncta, atque apposita: vt vicarij non sint diuinæ potestatis, quòd non iustitiæ ac voluntatis Dei in populo seruandæ, sed iniquitatis potius & impietatis existunt autores. Quod idem nos rogamus, ne defectio nos teneat, pro peccatoribus derelinquentibus legem Dei: Vt qui vias Domini rectas insistere, participesque esse Deum timentium cupiunt, cum tranquillo ipsi animo, pacatoq; viuere, tum gaudere ac lætari possint, leges & præcepta summi Dei, quæ ad beatam vitam, & immortalitatis præmium per laborem splendoremque virtutis directa sunt, eis legibus non interrumpi, in quibus seruilis labor, & maxima iniquitas populis est perscripta: quæ nullam aliã ad rem excogitatæ sunt, nisi ad illaqueandos iustos & innocentis sanguinis damnandi occasionem quærendam: Sicut Dauid clarius testatur, dicens:

Captabunt in animam iusti, & sanguinem innocentem condemnabunt.

IAM perspicue apparet, cuiusmodi leges istæ sint, quæ eorum peruersitas atque malitia: quòd qui in eas committunt, iusti tamen sunt: & qui illarum sententia condemnantur, nihilominus inno-

nocentes, ac iustiores & innocentiores etiam, quàm si illis parerent, & quæ leges non sunt, arbitrarentur esse leges. Nam quú legum ferendarum, quæ leges iure debeant appellari, duæ species sint: Vna quæ æternas Dei leges imitans, veram semper iustitiam, peramq; ex ea iudicandi rationem amplectitur: per quam, quod cuiusque est, & quid cuique conueniat, semper bene perspecta ratione iudicatur: Altera, quæ ad congregandos, & coercendos, quosdam hominum cœtus, quas ciuitates appellamus, inuenta est & constituta: ad quam iura ista ciuilia, & iures accommodatæ sunt ciuium constitutiones, vtriusque harum specierum sua est iustitia, & suum ex his iusto nomen. Nam qui illam diuinam, immutabilemq; custodiunt, de qua scriptum est, Iustitia tua Domine, iustitia in æternum, & lex tua veritas: hi vere, & proprie, & semper vocantur iusti: Qui vero in illa ciuili communi hominum, conuentuque ciuium patrias leges obseruant, iusti quidem sunt, non simpliciter tamen, neque absolute, sed cum ea exceptione iusti, quatenus ex ciuitatis illius institutis & moribus nomen iustitiæ adipiscuntur. Etenim vsuenire hoc potest, vt non omnino ciuiles illæ leges, legibus diuinis æquatæ concordesque sint, propter dissensionem quidem, & variam vbique gentium interpretationem iustitiæ, quæ causas cunctorum exceptabiles facit: qua in varietate multi sæpe & varij errores intercedunt: sed tamen vt qui ciuis bonus sit, quique ex seipso perceptam atq; exploratam non habeat summam iustitiæ rationem, atq; illis patrijs institutis obediat, iustus non iniuria possit dici: qui si contra leges faciat, iure etiam plectitur: nam & communi commodum ciuitatis egisse iudicatur, & violatæ fidei reus, qua se patriæ obstrinxerat, quum in ea ciuis esset adscriptus, patrias leges, & maiorum instituta obseruaturum esse. Hoc vero tertium genus legum ferendarum, quod eiusmodi est, vt non ad salutem & ad commodum ciuitatis, nõ ad retinendam virtutem ac dignitatem, sed ad alicuius improbissimi quæstum, aut paucorum libidinem tantummodo spectet, in parte ne vlla æquitatis & iustitiæ numerandum est? Ne sinat Deus: cuius sanctis rectisque legibus hæc lex, vel omnium potius legum, interemptio maxime est aduersaria. Dei enim leges, & quæ illas imitantur humanæ constitutiones, virtute & ordine ciuitatem exornant: Hæ & vitium inferunt, & turbam præterea, ac confusionem: ex illis in animis cunctorum libertas, lætitia, fiduciaque nascitur: ex his timor, solicitudo, desperatioque ingeneratur: illæ ad conciliandos inter se & concordia constituendos cœtus hominum inuentæ sunt, istæ ad dissipandos: in quibus etiam, vt diximus, arx totius iniquitatis est collocata: paratas enim habent ad tendiculas bonitati, laqueos innocentiæ, omneisq; ad exitus, &

tus, & ad opportuna omnia loca, sic retia apponunt, vt in ea fuit etiam necesse habeant incidere, quemadmodum est scriptum, Me expectauerunt peccatores, vt perderent me. Et rursus, Posuerunt peccatores laqueum mihi. Et, Quoniam gratis absconderunt mihi interitum laquei sui, superuacue exprobrauerunt animam meam. Quod sæpe Dauid ipse magno suo cum periculo fuerat expertus, quum illius vitæ insidians Saul, in omni bellico labore, vbi plurimum esset periculi, illum potissimum aduersus vim hostium maiorem opponebat: quum desponsa illi minore filia sua Michol, sponsalia ab eo & tanquam dotale munus, nec & toties præputia Philistæorum exigebat: quibus tamen ex laqueis & quotidianis vitæ insidijs, domino adiuuante, non fructus solum, sed cum laude & gloria ad populares suos fuerunt uersus, sicut ipse testatur dicens:

Et factus est mihi Dominus in refugium, & Deus meus in adiutorium spei meæ.

OMNES qui in hac acie mortalis vitæ, & quotidianis operibus actionibusque versantur, si non penitus vagi animo, & dementes sint, statim de principio illud cogitant, quemadmodum possint instrumentum sibi idoneum ad traducendam commode vitam comparare: Hoc instrumentum, tanquam fundamentum reliquæ vitæ, alij certa quadam in arte, certoque opificio posuerunt, cuius vsum & tractationem quum essent labore & industria consequuti, facile ex eo deinde, quæ ad victum cultumque corporis necessaria sunt, parare sibi possent: Alij non tam certum genus vitæ vllum, nec definitam artem spectauerunt, quàm ea sibi à principio quæsiuere præsidia, quæ ad omne genus viuendi variasq; actiones iudicassent opportuna: qui videlicet, non hanc vel illam nominatim sectam aut artem, sed totum, & vniuersum quod vita est, animo sunt complexi: atque vt vtriusque generis exempla aliqua ponamus: Qui rem & familiam imprimis sibi proponunt, id primum curant, vt vxore, domo, agrisque comparatis, certum annuum sibi constituant vectigal, quo constituto, procreationi deinde liberorum, & amplificandis domesticis facultatibus solutiore animo vacare possint. Qui verò literarum & doctrinæ studia præcipue adamauerunt, in supellectili librorum conquirenda potissimum elaborant, vt illo instrumento adiumentoque connixi, queant facilius thesauros sibi eruditionis & sapientiæ in animo congregare. Ad eandem rationem fruitur militiæ, equos sibi & arma: Agriculturam sectantes, arma, & tauros, omneq; rusticum, ad faciendum opus, instrumentum imprimis comparant: In regno autem & dominatu qui sunt, quando hi quidem ad plureis & longe periculosiores casus humanarum

rum sunt expositi, Vnum aut plura oppida sibi deligunt, quæ cum loco & natura munita sint, tum ipsi arte & manu efficiunt munitiora: vt in eis paratum habeant, & præsentis imperij fabulamentum, & in aduersis rebus perfugium. Iam qui in instrumento & supellectili conquirenda non certum aliquod vitæ genus, sed vniuersam vitam potius spectauerunt, in varias ferè ipsi quoque abiere sententias. Alij enim regum & principum gratias & familiaritates, firmissimum esse putauerunt ad vitam, commode & rutò degendam, fundamentum: Alij nobilitatem, clientelas, cognationes: In robore corporis alij, plures in opibus & diuitijs omne præsidium vitæ collocauerunt, Quidam bonam de se famam, & opinionem populi sunt aucupati: Multi in fraude & malitia, & arte quadam, peritiaq; fallendi non parum adiumenti ad vitam commode agendam positum voluerunt: Quorum omnium tam horum, quam superiorum illorum, ac cæterorum enim quicunque similiter his senserunt vita atque sententia, tanquam in mare vastum atq; immensum infirmo nauigio, imperito gubernatore, inutilibus armamentis se cõmittentium, in primo ferè aut medio, vel certè postremo in cursu destituta & collapsa est: ea re quidem, quòd quibus quasi fundamentis aut ancoris stabilire sese reliquam omnem vitam arbitrati sunt, ea ipsi labilia & infirma sunt fundamenta: quæ vt aliquod aliquãdo tempus super extructiones reliquas deferant, ad extremum tamen adueniente calamitate aut morte, vnà cum eis etiam ipsa collabuntur. Soli qui studia sua in Deo collocauerunt, hocque totius vitæ fundamentum posuere, quod vnum solidum immobile sempiternumque est: Ac deinde ijdem actiones eas & illa opera, quæ huic fundamento maxime congruebant, gerere sedulo & suscipere sunt conati, vt prima & potissima spectarent in agendo quæ vera bona sunt, pietatem, iustitiam, misericordiam, fidem: hi neque opinione & spe sua vnquam decepti sunt, & vere arcem munitissimam sibi constituerunt, quò nec mali flagellum aliquod, nec fortunæ temeritas aspirare posset: sidenesque semper & alacres, magnum hoc mare, quod laboribus & doloribus, tanquam diurnis & nocturnis fluctibus perpetuo agitatur, tuto nauigio sunt traiecti. Nam qui virtutem etiam & iustitiam absque Deo complexi sunt, quòd se in studio recti hominibus approbarent, licet minus errabunde quàm alij hoc vitæ salo nauigauerint, nunquam tamen, neque quo cursu præcipue ferri deberent, nec quem portum tutissimum petere, sat certa ratione constituere potuere. Solus ergo Deus, & sola illa studia quæ cum Deo coniuncta sunt, à fortuna & casu immunia sunt, ac libera, sola inquam illa certa, sola stabilia, sola sempiterna: quæ beatos faciunt eos, quibus sunt cordi, extraque omne

illos

illos periculum, & formidinem periculi etiam ponunt: nec ob-
ciunt solum, vt pelagus hoc vitæ turbulentum pacate iuxta Dei
enauigetur, sed vt ad portũ cum fuerimus peruecti, vitæ ibi bea-
tæ, eximiæque felicis, perpetuum domicilium constituatur. Atque
vt in illis artibus alijs sectisque viuendi, quarum exempla su-
pra retulimus, quædam est in ipsis earum artium fundamentis
instrumentisque fiducia, & quædam in animo cuiusque posita
spes, vt dum illa salua permaneant, quæ possunt tamen animi, nõ
videatur reliquarum dissipatio fortunarum frangere positus ho-
minis animum & ad desperationem eum abijcere posse: Sic in
isto Dei amoris & gratiæ fundamento tanto amplior inest spes,
& lætantis animi securique fiducia, quòd & hoc longe vna præ-
sidium præstat cæteris, & ita firmũ est, vt nullis fortunæ aut cor-
poris iniurijs vnquam possit labefactari. Forsitan dixerit aliquis,
Ego in Deo quidem meas spes repono, habeoque illi fidem, ni-
nis præmia, malis supplicia denuncianti, quantumque in me est,
& meæ imbecillitatis sinit fragilitas, ab illius omni offensione &
iracundia caueo quàm diligenter: nec intelligo tamen, quid mi-
hi hæc pietas in hac vita prosit: nam in altera vita, quin mihi vo-
hementer sit profutura, equidem nil dubito: interea vero dum
hic sumus, dum hanc mœrorum & ærumnarum incolimus val-
lem, miseramque vitæ mortalis conditionem sustinemus, nun-
quid minus propter hanc in Deo spem mœrores & dolores ad
nos perueniunt? num minus iactamur, impellimur, laboramus?
num nõ inducti nos sæpe in laqueum, positæ turbationes in doc-
to nostro, impositi homines super capita nostra? minusq; multis
improborum hominum iniurijs, aut cæteris calamitatibus sa-
mus expositi? O quot sunt, semperq; fuerunt, qui cum in Deum
spes suas contulissent, ab hominibus tamen, & fortuitis sæpe cas-
bus male accepti, tractatique fuere, neque vllam in sua munien-
da salute, huius tanti perfugij vim, vtilitatemque senserunt. Ho-
rum sic sentientium vocibus, & ductis errore mentibus, pro-
sunt respondenda: primumque dicendum, non omnes eos spe
suas posuisse in Deo: quas si vere prorsusque posuissent, nihil ipsi
vnquam præter spem & voluntatem suam fuissent passi. Quod
qui stare quum posset in littore, fluctibus & mari committi
maluit, is deinde queratur tempestatem se & naufragium perpessum
esse, huiusque sui incommodi culpam in alium reijcerat, aut in-
nor iniuriose. Sic qui à Deo longius ipsi abscedunt, sese in hu-
manas altius immergunt cupiditates, hi si quid postea iniquo
offenduntur, quod acerbius & ægrius ipsi ferant, iniquè in Deo
profecto, & de sua spe irrita in Deum conqueruntur. Verum vtrum
tota melius intelligatur, euidentiusque patescat: quale & quan-
tum sit istud in Deo perfugium, quando quidem in his degentis

locis,

locis, atque ei gregi præfecti sumus, quem & accendere in amorem Dei, & firmare in bona spe ac patientia cupiamus, sic aliquãtum alius ordiamur: Anima hominis, vt quæ multis & præclaris virtutis facultatibusque prædita, apprime est vegeta, & prouida, & fugax: id semper agit, vt quod maxime semper appetit bonum suum, in eoque, vbi sit, inuestigando plurimũ elaborat, aliquando id tandem inueniat & consequatur, summum videlicet illud vnum, quod quum fuerit potita, in illo demum plena & contenta conquiescat. Hoc signum omni humanæ animæ propositum est, quò naturale vocat desiderium: naturæque instinctus, & nobis in lucem æditis, agnata statim additaque appetitio: quæ eadem nos inquietos facit rursus & prorsus omnia pertentantes, si forte in id, in quod amore maxime ferimur cuiusque inuestigandi certam rationem non habemus, casu aliquo & euentu felicioreincidamus. Itaque quod solet contingere nouum amorem sentientibus, qui antea bene & pudice educti, tum primum patris imperio liberati sunt, vt quod adamauerunt, quodque tantopere auent ac desiderant, si id ignorent vbi sit, animi oblectandi & distrahendi causa, in varia studia ferantur, stimulati illo amore & perciti, nec possint vllo in loco consistere: Item omni euenit animæ, vt natura duce, omnes appetant bonũ, cuius amore & desiderio incensi rapiantur: quod quum non cognouerint vbi sit, nec qua ratione illis sit inueniundum, quærendo illud & vestigando, ad multas se, ac diuersas dedunt vitæ actiones, quodammodo explorantes, num fortè insit, in eo quod delegerint studio, bonum illud quod aliquando adepti, possint animum suum placare atque explere. Itaque opes alij ac diuitias, honores alij, multi voluptatem corporis, nonnulli virtutem animi pro summo bono appetiuere: Quorum quidem superiores tres illæ sententiæ, re magis etiam quam verbis, semper reuictæ & confutatæ sunt: statim enim vel paululum intuentibus fit manifestum, mali in illis nihil omnino minus quam boni esse, plenasque laborum & sollicitudinis esse eorum vitas, qui ambitioni & auaritiæ tantum seruiunt: præsertim quum nunquam sine periculo sæpe cum damno ac ignominia, semper cum timore amittendi quæ habentur charissima coniunctæ sint. Voluptatem porrò corporis necessario fastidium sequitur: nec vero vlli ad dolorem & calamitatem procliuiores sunt, quam qui sua studia in eis rebus reponunt, in quas magnam habet & variam fortuna potestatem. Virtus animi sola obtinet boni partem, sed ita, si caput suum recognoscat, figaturque in ipso Deo, nec ipsa velit sibi esse caput: quo vno modo tantum a priscis philosophis cognita & tractata est. Quibus tamen aspirantibus ad inueniendum veritatem, & ingenio ac ratione semetipsos adminiculantibus, verum

delabentibus ad hominum iudicia & opiniones, defuit manu
Dei illos subleuantis: quam ipse maluit simplicioribus seru
suis Abraam, Isaac, Iacobq́ue protendere: moxq́ue ex eadem
prosapia non paucis, post vero Christiano nomini generique
etiam abundantius, quando non solum nos ad se studuit trahe-
re, sed ipse vltro carne hominis suscepta, ad nos peruectus est:
quodq́; longe ante prædixerat Hieremias, in terris visus, & cum
hominibus est diuersatus. Virtus ergo ista quæ ad Deum ipsum
se inclinat & applicat, eiq́ue innitivni & adhærere vult, purgatio
est animi, omnem extra se sordem, omnem labem eijciens, &
tum demum Deum inuitantis hospitio, quum nihil intus man-
serit immundum aut pollutum, quod tanti hospitis oculos læ-
dat: in domum sic paratam atque ornatam quum ingreditur
Deus, templumq́ue suum sanctum illam efficit, quod facit ille
quidem hilare ac libenter, tum est vere summi boni anima com-
pos, tum nihil habet amplius quod desideret: impleta enim to-
ta est, suosque tandiu cupitos & exoptatos amores tanta cum ru-
cunditate complectitur, vt voluptatis, lætitiæ, beatitatis non
capiat modum. Itaque totam Deo se agglutinat, illum respicit
solum, soli placere vult, soloq́ue eo plurimum & maxime con-
tenta est, nec aliquid curæ aut cupiditatis alienæ ad cogitationes
suas patitur introire: quod quantum de hac vna dulcissima cu-
ra, & beatissima cogitatione detrahit, vt conferat in alias curas,
tantum sibi de perfecto illo gaudio, summaq́ue lætitia intelligit
detrahi, quamobrem non committit vt in illum errorem inci-
dat. Hic mihi nunc dicant, qui se fatentur non intelligere mo-
lestis in rebus, cuiusmodi sit istud & quantum in Deo perfugium,
quo minus dolores iniuriasque sentiant, quibus quum se turbari
experiuntur & affici, verbo quasi tenus à sanctis & doctis viris
censent esse vsurpatum, laborantibus & periclitantibus adiuto-
rem Deum adesse: quum si cum hominis statum, quem modo
adumbrauimus, nam planè exprimere facultatis nostræ non est
diligentius cogitent, facile intelligant talibus viris aut nihil ac-
cidere omnino posse aduersi, aut si quid contingat, etiam eorum
quæ durius vulgò accipi solent, præ magnitudine tamen inte-
rioris gaudij & familiaris iam beatitudinis, ne minimum qui-
dem turbationis ac molestiæ ad illos peruenire: Atque vt ma-
tius & planius prosequamur, Hi quum sint maximi ac verissimi
boni possessores, nequaquam cum populo veniunt in certamen
propter cupiditatem bonorum opinatorum, nō diuitijs moueri-
tur, non honores ambiunt, nihil moliuntur cum offensione cu-
iusquam, nemini se opponunt, nihil contrà petunt: tantum quæ
abest vt aliena desideria impediant & interuertant, hisque se fal-
lacibus & vanis implicent bonis, vt contrà bonum id, quod ipsi
sum-

summum in se possident, cæteris omnibus cupiant impartire: quod quidem bonum ex eo genere est, vt distributum semper & integrum fiat maius, neq; decerptione vlla diuisioneq; decrescat. Hos quis corporis morbus temperatissimam vitam agentes, aut hominũ inuidia humanissime conuiuentes, quis improbum impetus, quæ insanorum peruersitas, qui inimicorum dolus, quæ iracundiæ conabuntur peruertere? quum nihil ab eis eiusmodi in quempiam, nihil offensionis proficiscatur: non enim opes alterius auaritiam, non contentiones inimicitiam, non elatio odium sit prouocatura? Quin contrà potius propter pietatem, & iustitiam, & religionem quam obtinẽt, in amore omnibus sint, in honoreq; habeantur: fiantq; reliquis in omni turbine rerũ & tempestate, quod ipsis Deus factus est, paratũ perfugium: nec sine his quisquam mœrorem animæ, quo intabescebat, & antiqui onus peccati deponere cupiens, aditum sibi patere arbitretur ad summũ Deum. Quæ vitæ ratio atq; sententia, cum ista opinione hominũ beneuolentiaq; coniuncta, nostro ordini potissimum nobis inquam sacerdotibus maxime conueniebat, si nos eam tenere & conseruare voluissemus: sed & si vsque eò sit à nobis in virtute iustitiaq; profectum, vt sanctum templum suum, quod nos sumus, incolat Deus, præsensq; auxilio & ope sua nos communiat, tamen non est eius nobis defensio tam ad euitandos casus aduersos, quàm ad fortiter subeundos ferendosque parata. Hoc enim dici potest ab his, qui nisi oculis viderint Deum, è mediis nos calamitatum aut mortis periculis manu extrahentem, vtroq; collocantem, istuc perfugium in Deo cuiusmodi sit, nequeunt intelligere, quasi verò id parum sit, roborari atq; firmari, aut inpabiles repente isti, & immortales fieri velint, qui se nosse debeant, ad mentem & corporis variã offensionem esse natos: qui quidem indicant profecto nimium vitæ se cupidos, & amantes corporis esse, quod Iudæi etiam non intelligebant, quum fumo diurno, flammaque nocturna præeuntem agmini suo, in illa vasta solitudine Deum, quotidie cernerent, & hostium sæpe ferocissimorum impetus, quò minus Iudaico populo nocerent, suo præsenti numine ad nihilum redigentem. Veruntamen & ad hos dicendum est, damna, incommoda, pericula, quæ his afferuntur, qui iam toti in Deo sunt, & in illis Deus, non modo nullum ad dolorem, sed ad summam lætitiam, & incredibilem animi voluptatem illis valere: sic enim maxime ipsi arbitrantur, se amorem suum, & studium suæ voluntatis, ex illis incommodis Deo approbaturos. Quòd si ijs, qui honoris & celebritatis acquirendæ causa pericula libenter appetũt, etiam aliquid pati detrimenti est tacendum, quò iustius videantur in laude hominũ commemoratione q; versari, Quid de nostris dicendum est, qui nõ inanem ho-

minum rumorem, non famam populi, quæ celeriter interitu
est, non illa insignia honoris ventosa atque fugacia, sed perpetu-
tatem vitæ, sed fructum æternum felicitatis, sed adeptionem Dei
& summi boni, sempiternamque cum eo coitionem sunt conse-
quuturi? Denique quod est suauissimum, & in comparatione
omnium voluptatum cunctis multò præstantius, id experiuntur,
vt demerendo quotidie aliquid, & se in illis laboribus ærumnisq;
ostendendo, potiantur fructu & actu amoris erga Deum sui:
Quod sic natura est comparatum, vt nihil omnino sit quod cu-
piamus ardentius, quam vbi quempiam amauerimus, agere expe-
ririq; omnia, quò ardorem animi, & studiũ nostri erga se amoris,
is ille ipse qui amatur intelligat. Hoc amore rapti olim, atq; in-
flammati, qui IESV CHRISTI Dei beneficia recolentes, sese
totos illi, suamque omnem vitam voluntatemque deuouerunt,
non modo non cedebant periculis, nec infringebantur dolori-
bus, nec formidabant res asperas, nec principum minas terrore-
que extimescebant, sed parati erant, alacri corde & animo, omne
membrũ corporis, quod impietas expetiuisset, pro nomine Do-
mini IESV CHRISTI dare, atq; offerre: neq; hoc tantum sed
vitam etiam ipsam, sanguinemque profundere, quò dilectum sibi
nomen IESV, mysteriumq; beatæ redemptionis, quod ex cruce
extitit, cum salute credentium in populis & nationibus late fre-
quentaretur. Ex eo fuerunt numero, qui quum carbonibus in-
censis cogerentur pedibus nudis insistere, affirmabant nihil in-
teresse, vtrum per carbones illos, an per rosas humi sparsas sibi
esset ambulandum: Et qui quum flagris neruisque cæderentur,
dictitabant, vt triticum nisi bene exculcatũ & purgatum in hor-
reo, sic animam in cœlo, nisi sic excussam & perpurgatam, digne
stare non posse. Quanquam ad recensendum quæ innumerabi-
lia sunt, & ad celebrandum quæ omnem admirationem vincunt,
oratio nulla suppetit. Verum si quis huiusmodi athletarum &
militum summi Dei labores & certamina, quæ ab illis exantlata
sunt, voluptati illis & lætitiæ, non vlli acerbitati extitisse, velit
planius cognoscere, præter rerum gestarum historiam, legat et-
iam Apostolum, qui non tam ea quæ facta fuerant, quam in fu-
ctis martyribus futura prospiciens, mille suppliciorum modos
& pœnarum in illis tormenta enumerat: Quorum vnus ipse
iam, & quidem præcipuus erat factus: ac vt demonstret habuisse
eos sibi illa corporis incommoda non ad dolorem animi, sed
iucunditatem, ipse quoque cum quadam voluptate commemo-
rat, quæ sibi aduersa & molesta accidissent, seq; libenter in infir-
mitatibus suis prædicat gloriari, vt in se inhabitet virtus CHRI-
STI. Quæ nam autem virtus? Munientis, roborantis, protegen-
tis, ac propterea præmium etiam maius donantis Dei, suis amicis

atque

atque illectis per IESVM CHRISTVM Dominum nostrum, cuius nos in persona Deum omnipotentem maxime adamauimus: nam & ille nobis in filio sui quoq; erga nos amoris indicia omnia præbuit, quantiq; nos faceret ostendit, quòd vnigenum suum sinum pro nobis hominem voluit fieri: Atque is fraterna eiusdem charitate quũ venisset ad nos, & tanquam vnus nostrum esset factus, quò nos vitam perpetuam & veram felicitatem inueniremus, permutatione quodam modo facta, alternisque diuinitatis & humanitatis vicibus inter se nexis, non huius ipse vitæ labores & discrimina, non inuidiam, non mortem, non sepulcrum recusauit: De quo eiusq; æqualitate cum Deo Patre & omnipotentia, quum illa certissimum perhibent testimonium, quæ ab eo multa & admiranda facta sunt, cæcorũ illustrationes, surdorum exauditiones, claudorum erectiones, mancorum integrationes, Mortuorum suscitationes, ipsa eius resurrectio, in cœlum palam ascensio, mundi ad eum properantis tanta & tam noua conuersio. Tum vero illa charitas CHRISTI, quæ exuberat in cordibus nostris, & diffusa est, ille in Deum amor omnib. antea ignotus seculis, quo nos inflammati sumus, quo ferimur toti in illum, acc ritam sine eo optabilem iudicamus, maximum & apertissimum est argumentum, nos nunc quasi quodam Deo fœdere per IESVM CHRISTVM esse coniunctos: neque tanto ardore amoris conflagraturos fuisse animos nostros certò credimus, nisi diuinitatis faces accendissent. Quam ob rem hunc IESVM nos maxime sectemur, hunc amplexi teneamus, huic inhæreamus vni, animumque ei nostrum, vt habitet in eo, domicilium exornatum ac paratum præbeamus: omnibusque nostris rationibus salutis ac perfugij in eo vno repositis, nil vereamur, vt ea quæ extrinsecus illisa in nos fuerint incommoda atque damna, nos admodum perturbent: Quæ si quos forte etiam sic commoueant, intelligant illi quicunque turbantur, nondum etiam se præsidium vitæ suæ in Deo penitus constituisse. Qui enim fieri potest, vt qui amissam aut ereptam pecuniam lamentatione & desiderio prosequitur, non aliquam etiam nunc contineat inclusam in animo auaritiæ labem? Aut si ob contumeliam ira fit accensus, non propter superbiam iniquo animo ferat? Nam dolores animi aut corporis quum mollius impatientiusque ferunt, aperte demonstrant robur omnium virtutum fortitudinem: b. s. Quam ob rem si Deo deditus quispiam, religiosusque admodum, & ab iniuria omni abstinens, in hæc incurrat incommoda, quæ ipse ægrius ferat, agnoscat is & fateatur, superesse etiã nunc in animo suo quod sit eijciendum: quod quum vitium sit, nullo aliud modo fouere & tueri vult Deus, sed facile patitur manifestum ipsi fieri, qui suæ constantiæ in rebus molestis periculum

tunc facit, vt intellecto vitio, quod fortasse prius ignorabat, cu-
fugiat ad medelam, templumq; illud melius verrat, quod habi-
culum mundum cupit esse Spiritus sancti. Itaque non modo no-
conquerendum, nec expostulandum est quippiam rebus duri
obtingentibus, sed gratiæ insuper Deo agendæ: ille enim nos
tum præcipue docet, & instruit, educitq; velut in aciem, vt claro
aliquo facinore perfecto, coronam & laudem illustriorē in poste-
rum assequamur. Et tamen vt de illis summis vereq; diuinis præ-
mijs nunc taceamus, quæ in altera vita proposita bonis & fideli-
bus sunt, & omnem hominū cogitationē longè superant, ad quæ
cōtendere per ignem & aquam, hoc est labores doloresq; omnes
etiam est optandum, sicut scriptum est, Transiuimus per ignem
& aquam, & eduxisti nos in refrigerium: vt sileamus inquam de
nunc, nónne plurima sunt auxilia & admiranda præsidia, quæ-
pe seruis suis in huius mundi periculis & calamitatibus extra-
dinem affert Deus? quum eos à morte, à carcere, ab ignomi-
ab inimicorum manu atq; ferro, à vi tempestatis, à similibus pe-
multis nouo, & insperato, & inopinabili modo liberat? Quum
quidem plena & vita & historia est: sed melius secū poterit vul-
quisq; recognoscere, qui nostra hæc legens animum attendere,
modo is sit qui fidem habeat in Deum, num quod ipse nouerit
testimoniū, quod proferat, aut suam, aut alterius salutē manifeste
Deo fuisse curę: num quod incommodum, quod prius malum &
damnosum sibi existimarat, postea tempore edoctus, cognouerit
bono sibi potius, quàm vlli detrimēto fuisse? Quod nos quidem
in nobis ipsis crebro iam experti, vere possumus maximas semper
Deo agentes gratias commemorare: non enim semel aut bis, sed
profecto iam sæpius mortis aut captiuitatis certo impendentem
nobis periculo, diuina bonitate & prouidentia sumus liberati.
Quod non prædicaremus, si vlla ex parte meritis nostris, ac non
totum potius summi Dei benignitati adscribendum esset: sumus
enim ex illis etiam nos, qui vt aliquid hauserint, habuerintque
Deo bonæ voluntatis ad recte operandum, ipsis tamen operibus
& factis etiam nunc vacillant, iactamurq; humanis curis & cog-
tationibus, & quanquam ad littus tendimus, nequimus adhuc
men in vado consistere. Sed quò nostra ingrata mens, & iniqua
multa, indigniores nos facit, hoc Dei præstantius erga nos do-
mirabile magis est beneficiū: cui perpetua obligatione reddi-
dæ gratiæ, obstricti profecto sumus. Qui si mihi & similibus
sui præsentis in rebus aduersis auxilij vim & vtilitatem sæpe
tam esse vult: Quid faciet sanctis & electis, qui in illo & cum illo
prope familiariter viuunt? Fit ergo, procul omni dubitatione,
Deus illis perfugium, qui sese ad illum student applicare, & ipsis
illorum adiuuat, quorum est ipse Deus: hoc est, qui ipsum Deum
suum

suum amant, & venerantur. Sicut Dauidi ipsi spes ac refugium fuisset: Quem sic coniectis à Saule insidiis, vt non vitari videretur posse, manu etiam armatorum oppositâ, quæ omnes circumcirca ad effugiendum clauderet exitus, è mediæ tamen mortis periculis ereptum, incolumem toties præstitit.

Et reddet illis iniquitatem ipsorum, & in malitia eorum disperdet illos Dominus Deus noster.

Hæc vltio Domini contra penitus iniquos ita acerba & grauis est, vt eam optare ne inimicissimis quidem, non pietas ipsa, sed nec humanitas ipsa permittat: quando nihil est omnium malorum omnino terribilius. Nam in quibus inuetescit iniquitas, & successione temporis, quotidianaque operum vsurpatione indies fit auctior, gradumque sibi è gradu ad vteriora semper extruit, O infelicem & calamitosam istorum vitam, cæcamque penitus mentem, qui ad hoc tanti mali, extremique exitij deuenere: quàm illis satius esset, nunquam fuisse natos: quanto minore suo malo, vt Dominus in Euangelio testatur, molam asinariam ad collum alligati, in mare præcipitati, ac demersi essent: quorum est vita reliquis quidem etiam perniciosa, ipsis autem omni morte longè tetrior. Etenim, vtram tu execrationem in impios, & malorum imprecationem atrociorem esse putas, illámne Hieremiæ, quam is verbis vehementibus & violentis sic iaculatur, Da filios eorum in famem, inquiens, & deduc eos in manus gladij: Fiant vxores eorum absq; liberis & viduæ, & viri earum interficiantur morte: Iuuenes eorum confodiantur gladio in prælio, audiatur clamor de domibus eorum. Adhæcque super eos latronem: & cætera quæ sequuntur. An Danielis, cum in LXVIII. Psalmo paucis sic effatur, Appone iniquitatem super illorum iniquitatem, & non intrent in iustitiam tuam. Ego verò milies malim omneis cruciatus corporis, mortesque perferre, quàm introitu ad diuinam iustitiam esse priuatus. Quid enim hoc atrocius fingi aut cogitari potest? Vt enim oculus, cuius propria est actio & naturæ eius vis ipsa ad functionem officiumq; videndi cœlestis luminis participatio, si mentis & cogitationis fiat particeps, nullo vnquã pacto, nulla proposita voluptate, nullo honore, nullis præmiis ad eam conditionem adducatur, vt cætera omnia accipiat, careat autem vsu actuq; videndi, & communicatione diurnæ lucis: contraque potius, si necesse sit, omnia in se morborum genera accipiat, omnibus tumoribus ac doloribus toleret se affici, quàm bonum suum, quod est lux ipsa, lumenque deperdat: Sic anima hominis, in qua certe inest ratio ac cogitatio, si non excæcet ipsa semetipsam, nec intelligendi cognoscendiq; officiũ mente emota vltrò abijciat,

quoſuis libentiùs perferat animi corporíſque dolores, quam quòd abſit à bono ſuo, quod eſt illi veritas atque Deus, & à receptaculo in ſe boni quod in illa eſt iuſtitia atque ordo. Quòd ſi in illam amentiam inciderit, vt ipſas ſolùm tenebras iam diligat, lucemq; ſit peroſa, ſemperq́ue in diuerſum ab Deo longiùs cæcitatis, & malitiæ, & inanitatis nocte inuoluere ſe percipiat, vſque eò, vt ſuum iam malum, ſuam vltimam peſtem nequeat ipſa ſentire, neque cognoſcere, quis erit extra poſitus animum, vel paulum attendens, tam immiti ingenio, qui non miſericordia aliqua moueatur infelicis illius animæ, ſummam iam & cumulatam intuens miſeriam ac calamitatem? Longeq; cum ea infortunatiùs actum ducat, quam ſi eſſet eadem aliqua ſaltem ex parte iuſtitiæ & veritatis compos, maximis angorum cruciatibus tormentisq́ue lacerata. Itaque lumen omnis ſapientiæ Paulus, qui non ex vulgari ſenſu, ſed vera ex ratione, hominum bona malaq́ue perpendebat, peccata illa, quæ pœnam merita eſſent, pœnarum quaſi caput effecit: hominesq́ue flagitiis ſceleribusq́ue pollutos, in reprobum ſenſum affirmauit dari: hoc eſt, Deo penitus, & propterea omni bono, relinqui orbatos: quo funeſtius nihil, neq; exitioſius homini poteſt accidere. Et ſanè cętera tormenta ſuppliciaq́; omnia hoſce etiam ſequuntur: verum ad cruciatorum eſt acerbiſſimum, per quod illa ipſa ſunt mortis, ipſum videlicet facinus atque peccatum: non quod in ſingularibus actibus operibusq́ue ſpectatur, ſed quod cum anima tota commiſcetur, atque adlinitur: omniq́ue ſpiritu animali penitus corrupto, atque in ſemet tranſmoto, nulli bono iam ſpiritui intus relinquit locum: quod quidem peccatum in Spiritum ſanctum illud eſſe credimus, in Euangelio à Domino ſignificatum, quod nunquam remittitur. Etenim aliud eſt fluctuare hominis ſenſum & ſtatum, quum aliquando ad malum appellitur, interdum ad bonum ſe recipit, aliud eſt in peccati ſcopulo conſidere: Prius illud non tam malitiæ, nec certæ obſtinatæq́; ſententiæ videtur eſſe, quàm fragilitatis: hoc verò poſterius data iam opera in Spiritũ ſanctum inuehitur, indicitq́ inimicitias, nec vllam partem illi reliquam in humana anima eſſe ſinit. Ergo illi qui in libidinem & intemperantiam vitæ toti effuſi ſunt, vel morbo auaritiæ immiſericordiæq́; penitus corrupti, aut qui vtrumque, quod eſt elegantius, iugatum inter ſe complexumq́; tenuerunt, tanquam Cobdes, in freto aliquo voraginibus hiantes, aut Scyllæ famelicis canibus multis eminentibusq́; ſuccinctæ, ad populandum eadem & obſidendum vias atq; itinera tranſeuntium, omnem ſuam famem & rabiem edendi fraudibus & violentia armatam intenderunt: Sed iſti dum metuuntur, dum fugiuntur, dum in horrore & abominatione omnibus ſunt, multò ipſi tetriorem & funeſtiorem

rem degunt vitam, quam illi ipsi, si qui eos pertimescunt: Atque iidem quum ad suas turpissimas se referunt voluptates, quum se minimè arbitrantur iucundè & suauiter viuere, aut quum iniuriferendis, alienisq; rapiendis soli ipsi potentes atq; opulenti esse volunt, tunc maximè reuera sunt miserabiles: iacent in lustris luteum instar, volutantur in sordibus, ac veluti in stercore & fimo perditi adhærescunt: oculos autem ad cœlum, quod maximè conspectabile, animum ad Deum, qui maximè est amabilis, nequeunt attollere: quodque cunctorum est illis miserrimum, caueant fugiuntq; præcipuè, ne suum ipsi statum, suum morbum, tam tantam pestem possint cognoscere, nihilque aliud vehementiùs, quam mali sui medicinam & sanitatis spem reformidantataq; non vocem vllam audiunt indicatricem veritatis, non vultus liberos ferunt, non autoritate, non exemplo, non ratione vlla permouentur: Qui si in potestatibus & iurisdictionibus etiam constituti, cœnum illud & lutum, in quo intemperantissimâ & spurcissimam degunt vitam, pauperum & impotentium sanguine potuerunt conficere: ipsique eo inquinati ac fœdati, terribiles se & metuendos plebibus suis ostendunt. Hem horum infelicem & imprimis detestandam vitæ conditionem, consiliaque prauita, & cogitationes omni bona spe & rationis lumine orbatas. Qui enim his potest aut cœli lumen iucundum, aut consuetudo hominum grata esse & optabilis, quum illud eos detegat, atque in conspectum producat, turpitudine dedecoreq; notatos, in verò illos execrentur, & prorsus ab illis abhorreant? Cui deniq; tri viunt? Quibus cum versantur? Quam habent aut stabilitatis suæ pactionem cum casibus humanis, aut cognitionem sui, vt non tanquam somnio quodam, sed vera aliqua ratione perfui vita tamen, & aliquid esse in rebus videantur: quum penitus à Deo auersi sint, & Satanæ destinati: quum à veritatis luce abhorreant, in falsitatis tenebras quotidie magis inducantur. Quid est aliud, esse iumentis insipientibus comparatos? Nónne in hos scriptum est, Obscurentur oculi eorum ne videant, & dorsum eorum semper incurua? Imò inhient prædæ, spolient pauperes, incumbant auro quoad possunt, cultumq; & gloriam omnipotentis Dei ad simulachrum fusile conuertant, fraude, inhumanitate, immisericordiaq; delectentur: Reddet illis Deus iniquitatem illorum: hoc est, redder iniquitatis pretium quidem, etiam quod flagitiis illorum sceleribusq; debeatur, non soluet tamen, neque purgabit eorum iniquitatem, vt manente perpetua in eis labe, supplicia illa quoque perpetùa remaneant: & in malitia eorum disperdet illos Dominus Deus noster. Illos disperdet, inquit, non illorum malitiam: nam quæ malitiam pœnæ disperdunt, vtiles semper sunt, ac salutares: quæ verò homines

in ipsa disperdunt malitia, quasi mucronem pœnæ totius ipsius constituunt malitiam: ita vt non supplicium sit quàm ipsa supplicij causa nocentior: Etenim quos mactabit Deus æternis suppliciis mortuos, hos culpa ipsa peccati, quæ quidem grauissima est pœna, mactat etiam viuos. Quam ob rem viui isti & mortui sempiternis pœnis & cruciatibus ab omnipotenti Deo mactabuntur. Quæ quum ita sint, quum in duobus extremis huius psalmi versiculis vtrasque vitas, & bonorum & improborum, à Dauide propositas liceat contemplari, & statum suum quenque in eis, tanquam in speculo, recognoscere, per Deum immortalem illum ipsum, qui & nobis est omnis virtutis autor, & idem peccatorum vindex est futurus: cuius voluntas salutis nostræ ipsius aduentu ad nos, & morte propter nos suscepta, planè est nobis demonstrata, atq; perspecta, si qui sunt, qui nondum etiam in totum profligati, nec contaminati vsquequaq; vitio, aliquam in se etiam nunc obtinent melioris spiritus partem, nec Spiritui sancto penitus sunt rebelles, hi tandem aliquando iam cogitent, sese ab instituto itinere peccati, & illo ad mortem cursu reuocare, cursumq; suum reprehendant, & subductis diligentiùs intra se rationibus videant quò peruenienduin deniq; sit, si illa altera perguat via, quæ ad interitum & damnationem prona ac deiecta est: & quum animaduerterint, falsa se spe, & imagine boni sinuosa illectos, prauum iter institisse, illud etiam cogitat, quod fuerat ipsis vt assequerentur propositum, num id satis fuit aut aliquam eius partem saltem consequuti. Bonum enim, credo, consectabantur, quod cùm adepti essent, satiato tum demũ animo & contento viuerent, sedatisq; omnibus solicitudinum aculeis, curisq; placatis, lętam in posterum degerent vitam. Quid ergo pacis illis in animo auaritia, quid impietas, quid superbia, quid intemperantia, quid in proximum odium, quid liuor & obtrectatio, quid deniq; vitium vllum, ipsaq; omnis iniustitia potuit conciliare? Scrutentur omnes intus latebras cogitationum suarum, excutiant sensus animi intestinos, libram & lancem ad expendendum adhibeant, plúsne illis mali an boni, solicitudinis, an pacis, molestiæ an lætitiæ iniquitas ipsa auaritiaque obtulerit: Quod quum intellexerint, longè plureis ex eo causis mœrendi quàm lætandi esse, sese quietem appetere, nec quiescere tamen vnquam: cupere saturari, & fieri quotidie magis satiabiles, porrò autem nihil solidum tenere, nulla re sytiam gaudio perfrui, nunquam soluto animo & libero esse: vigilare ipsis in animo perpetuam obiurgatricem in malefactis conscientiam, quæ nullam eis propriam peccati voluptatem esse sinat: quum hæc inquam bene examinata & perpensa animaduerterint omnia, abjiciant quæso tandem aliquando opera tenebratum,

brarum, & induantur arma lucis, conuersiq; ad dominum IESVM, expandentem in cruce brachia sua, ac semetipsum totum illis aperientem, nec aspernantem illos, eo quòd peccatores sint, sed vltro cupientem & affectantem trahere eos ad se, ac sese illis primũ, deinde cœli regnũ, quod suum ipsius est, benignissime cõmunicare, pulset vnusquisq; manibus pectora, & pristinum crimen, veterenq; errorem suũ confitens, veniãq; & pacem exposcens à Deo, in hos gemitus erumpat: O tot meos ante frustra susceptos labores, O inanes curas, O infaustas solicitudines: Quid enim ego volui mihi miser, quid paraui: Pecuniam appetiui, quæ mihi habendi sitim extingueret, non quę accenderet, & illa nunc magis multò est inflammata: Alienas domos spoliaui, vt meam exornarem, & nunc ornata domus, ego dehonestatus sum. Pauperes circumueni, fraudaui, oppressi, & illi quidem coacti bona aduentitia amiserunt, ego amens sponte natiuis & proprijs sum orbatus: neq; ex omnibus his tamen aliud quippiam acquisiui, præter tristitiã quandam animi, & nubem in eo perpetui mœroris, quam excutere à me non possum, insidet enim & vrget, meumq; cor trucibus curis exedit. Non vigiliæ mihi lætę, non pacatus somnus, nõ moderata insomnia: Sed cuncta hæc atrocia, formidolosa, turbulenta. Et aurum quidem atque opes extra me sunt, neque ego illis adglutinari possum: quod autem vere sum ego ipsemet corruptus, contaminatus, perditus, medicinam tanti mali non reperio. Quò enim fugiam? Ad quem me conferam? Ad diuitiás ne? At illæ mihi hoc mali solicitudinisque contraxerunt: nec vero exinanito me intus & vacuefacto verissimis bonis, fide, iustitia, bona spe, lacunam illam animi possunt ipsæ explere. An ad homines? at hi me male oderunt, infestisque me oculis & animis intuentur: nam verba illa blanda, illæ assentationes, illi honores, quæ mihi coram subijciuntur, plena ludibrij & delusionis sunt: Metuimur enim, non diligimur, cauentque sibi homines à perfidia nostra, atque ab auaritia, non delectantur fide, neque sperant in beneuolentia. Quid si ergo ad dominum Deum, & hunc filium Dei, qui mitis & misericors semper habitus est, IESVM CHRISTVM confugiamus? Quem ne ego toties tam grauiter læsi, cui fui inimicissimus, cuius contra honorem ac voluntatem plurima semper dixi atque feci? Et tamen ad hunc cõfugiendum est, nusquam enim alibi est salus. Ibo igitur, ibo: & quoniã ipsum affari, oculosq; ad eum non audeo tollere, parabo mihi precatorem, hanc venerandam CRVCEM, hoc salutare lignum, hanc tabulam inquam, quam ego in vastum hoc errorũ pelagus ingressus, à principio despexeram, naufragus nunc complectar, neque diuellar amplius ab ea, illa me secum deferet, ex fluctuque & salo liberabit, reddetque me Deo conseruatori meo. O bona

Crux

Crux quæ summi Dei filium morientem sustinuisti, qui idcirco in te mortuus est, vt ego possem viuere. O bona crux quæ signum sustulisti omnibus laborantib. & peccatorum onere depressis, vt inniterentur tibi, tuoq; fulti subsidio, iter hoc mortalis vitæ alacriores conficerent. En ego supplex & infimus, accedo ad te, tuã opem postulans, & quærens per te Domino reconciliari meo. Multa mea sunt peccata, grauia scelera, innumerabiles iniquitates, sed quibus omnibus tamen huius in æternum viuentis mortui, quem grato pondere fers, misericordia sit maior. Hic etiam, hic est qui similib. mei, peccato & scelere obrutis, quò salui fieri possemus, corpus & sanguinem & vitam suam condonauit. Hic pœnas nobis debitas, pro nobis vnus excepit, huius hoc tanti & inauditum beneficium, proprie ac peculiariter fuit nostrum. Cui ego tamen ingratus & impius, inimicam gratiam retuli. O me infelicem, & omnes promeritum pœnas, illisq; iam deuotum, nisi mihi ab isto ipso quem violaui, aliqua salus sit. Inclina quæso te eum parumper ad me, fac pedum saltem amplectendi & contrectandi potestatem, dignabitur ipse neq; complexus meos, quæquam peccatoris & polluti refugiet. O pedes, O claui, O vulnera, O beate sanguis, accipite me, ne aspernamini mea oscula, ne repudiate meas lachrymas, meos arctos & cupidos amplexus ne repellite, dolens, mœrens, gemensq; venio ad vos, vt cum immundus sim, mundus per vos fiam. Abite à me diuitiæ, recedite pecuniæ male comparatæ, redite ad eos vnde ereptæ estis, satis ego diu à vobis spe falsa lactatus sum, expergiscor iam & resipisco, in vobis quærebam solatium animi & requiem, & ea in ligno erat. O Crux bona, quanta est in te ad consolandum vis, ad ferendum opem miseris facultas: leuari iam sentio me illo onere, quod grauissimum modo in anima insidebat: ab his doloribus, ab his gemitibus, ab hac lachrymarum copia & vbertate lumen opcitæ spei, & lætissimæ cuiusdam iucunditatis mihi intelligo intus aperiri: quod vt tenere valeam, vt possidere, vt id in me perpetuum manere possit, tibi Crux sanctissima & pendenti in te Domino ac Deo meo omnes deuoueo posthac meę vitæ rationes. Hæc & similia his plorantem coram Deo, suorumq; veniam delictorum exposcentem, arguentem sese peccati ac iniquitatis, humilẽ corde, prostratum animo, vnum in Dei misericordia auxilium reuenientem, grate ac benigne accipiet, & à mortis interitu ad hanc vitam vindicabit IESVS CHRISTVS dominus noster, qui cum patre & Spiritu sancto viuit & regnat Deus in secula seculorum, Amen.

FINIS.

IACO-

IACOBI SADOLETI EPISCOPI CARPENTORACTIS IN PAVLI EPISTOLAM ad Romanos commentariorum

LIBRI TRES.

AD FRANCISCVM GALLIÆ REGEM Christianissimum Iacobi Sadoleti Episcopi Carpentoractis dedicatoria commentariorum in Paulum Epistola.

QVOD virorum bonorum semper esse duxi, eorumq; qui Dei veri colentes & Christianæ religionis studiosi essent, vt cum eam ipsam religionem nostra hac ætate nouis quotidie seditionibus agitatam, & multitudine oppugnantium vehementer laborantem cernerent, pro sua parte quisque ad ferendam opem concurrerent: Idem ego quoque Rex omnium maxime ac Christianissime Francisce pro mea facultate iamdudum facere meditatus, sæpe ea de cogitatione variationibus depulsus sum. Nam nunc me ingenii mei paruitas, interdum tanta ista temporum perturbatio dehortata est: nonnunquam etiam ille metus, illaq; suspicio animum meum retardauit, quod intelligebam, id quod videram iam accidisse permultis, quodcunq; ego scripsissem, quãuis id pie ac religiose scriptum esset, nõ eos solum, qui palàm sunt aduersarii, nam hi quidem minus pertimescendi sunt, sed socios etiam mecum eiusdem & voluntatis & sententiæ maleuolos aliquos interpretes meis scriptis non defuturos, quo non leuiter vitio nostra ætas infecta est.

est. Postremò in tanto numero eorum, qui aut scripserunt antiquitus, aut quotidie scribunt partim sanctissimorum hominum ac doctissimorum, partim calliditate magis, & versutia quadam, quam pietate vera Christiana scripta tractantium (nam qui apertam impietatem præ se ferunt, eos in doctorum numero non duco) existimaui meum nomen neq; adepturum authoritatem inter tot egregios, neque habiturum pondus ad reprimendum insolentes. Quòd primum illud insignem quandam, & omni ferentem orationis copia doctrinam postulat, quam ego in me esse non agnosco. Posterius autem sine priore nullius omnino ad coercendum & comprimendum momenti est. Sed etsi tot caesis, & tanquam obicibus à scribendo sæpe iam deterritus, tamen reputans identidem ipse mecum omnia à nobis prorsus liberi Deo, cuius cœlestibus diuinisq; beneficiis non solum cum humano genere communiter, verum priuatim ego etiam, & proprie multis magnisq; sæpius affectus sum, nihil sum ritus valere apud animum meum oportere, quod me ab exercendæ pietatis studio retraheret. Etenim si ingenium præcipue à nobis Deus requireret, petere id videretur, quod non est nostrum: quicquid enim valemus ingenio nostrum vnusquisque à Deo totum obtinemus, nullaq; nostra in ea re quidem existunt partes. Verum ille à nobis non tam ingenium quam voluntatem bonam postulat, quæ aliqua ex parte est etiam nostra: hac enim & pietatem sanctitatemq; sponte colimus, & per hanc ad Deum, ipsius iuuante gratia, proxime nos adiungimus: cuius nostra Deo voluntatis oblatio cum libera nobis sit, cum aliàs semper, tum hoc tempore potissimum in honorem illa & cultum eiusdem Dei à nobis adhibenda est: temporum autem perturbatio ea ipsa est, quæ hoc maxime exigit, vt in hanc curam, & studium iuuandæ religionis totos nos dedamus. Moueri porrò obtrectationibus maleuolorum, infirmioris animi est, quæ vt videatur virtus Christiana, & erga proximum charitas posse concedere. Quod vero tam multi ijsdem de rebus & perpserint olim, & quotidie scribant, deterrere nos non debet. Siquidem neque ij, qui ante nos extiterunt, fuere ipsi deterriti. Quapropter cum iustiores multò, & grauiores causæ sint agendi

mihi aliquid quæ cessandi, non dubitaui ad extremum ea, quæ
intra domesticos parietes multis diurnis, nocturnisq; lucubra-
tionibus, multa cura, vigiliaq; elaborata mihi essent, quæ qui-
dem ad aperiendum fidei CHRISTI mysterium, & ad do-
ctrinam beatæ vitæ pertinerent, in vulgus publiceq; proferre, tua
præsertim secundum Deum præstantissime Rex virtute, sapien-
tia, autoritateq; confisus. Etenim tu cum eis maioribus sis or-
tus, qui omnia sibi pro fidei ac religionis tutela, ac propugna-
tione, & facienda semper & subeunda esse duxerunt, ad hanc il-
lorum præclarissimam mentem, cum cæteris ipse rebus quam-
plurimis, tum occasionibus temporum superior accessisti: fuerint
licet graues sæpe antea motus, & multorum dissensionibus infe-
sta tempora, virtusq; maiorum tuorum in illis tum temporibus
spectata atq; eminens: nunquam tamen neq; tantum extitit, in
Christiana fide dissidium, quantum hodie extat, nec tanta vir-
tute animiq; magnitudine obuiam itum est, quãta tu maxima-
rum nunc nationum quæ sub ditione tua sunt & pericula eius-
modi propulsas, & mederis incommodis. Nec vero solum auto-
ritate, & imperio, & magnitudine potestatis Christianæ fidei
consulis & religioni: sed comitate etiam & hortationibus tuis
facis, vt nos qui leniorem illam viam docendi scribendiq; sequi-
mur, tua libentius causa ad hæc studia nosmet conuertamus. Me-
ministi enim profecto, & quo tempore primum fratris mei fili-
um officii ad te causa salutatum misi, & postea cum bis, Lugduni
primò, mox Auenione eodem egomet munere apud te functus
sum, mihi omnia mea studia tibi deferenti, te fuisse autorẽ, vt in
his potissimum insisterem argumentis & literis, quæ Christia-
næ rei possent esse vtiles: meq; opus, quod in Pauli epistolam ad
Romanos in manibus tunc habebam, ocyus vt absoluerem etiam
hortatum esse. Quod feci sane accurate quoad potui, confectumq;
librum & absolutum tuo nomini, Rex fortissime, inscri-
psi, ac dicaui: non id quidem spectans, vt ex illo quicquam in
tuam laudem redundet, siquidem neque ex flammulis quæ è
lychnis prælucescunt, Solis lumen fit clarius: Sed vt mea scri-
pta, quod suis opibus ipsa non queunt, tui nominis gloria opi-
nionibus legentium melius commendentur, sintq; ad cõserendas
in men-

in mentibus hominum pias & sanctas rationes efficaciora. Nu quo illa splendidiore titulo, aut qua grauiore ornari authoritate possunt, quam eius regis, in quo amplitudo maxime potestati magnitudini animi nequit esse par? qui altitudinē fortunæ suæ, humanitatis, & liberalitatis laude superauit? cui tot & tanta adsunt à Deo bona? & quæ præterea ipso eodem adiuuante Deo sibi comparauit, plurimarum artium rerumq; scientia, multarum etiam vsus in maximis rebus & suscipiendis & administrandis animus, consilium, comitas, eloquentia. Quæ insuper omnia cunctarum domina virtutum pietate erga Deum religioneq; exornantur: quam nos in te diuinam imprimis eximiamq; virtutem Francisce Rex spectantes ac venerantes, cum hactenus nunc damus, quæ adhuc nobis effecta sunt, tum alia quoque, fruta suppeditauerit, sumus daturi, ad hunc eundem religionis honorem & defensionem Christianæ veritatis pertinentia. Quandoquidem neque mihi quicquam magis conandum & contendendum est, neque tibi præstandum atque efficiendum, quam ut incolumis cultus præpotentis Dei, & quæ sine eo cultu constare rite non potest, iustitia, continentia, pietas, hominum mentibus & studiis iam prope dimissa, restituatur. Quod Dei primum ope, tuaq; deinde Christianissime Rex virtute aliquando factum iri sperare iure omnes & possumus & debemus.

ARGVMENTVM EPISTOLÆ.

COntentio erat orta inter Iudæos & Romanos, qui Christo erant initiati, quorum vtrique alteros contemnebant. Iudæi de operum meritis gloriabantur quod datæ sibi legi seruiissent, & ex hoc euangelicam gratiam tanquam debitā meritis suis percepissent: quare eam nolebant dari gentibus tanquam indignis propter idololatriæ cultum & alias vitæ sordes, nisi Iudæa sacramenta susciperent. Contrà verò Romani se Iudæis præferebant propter Philosophiæ & prudentiæ humanæ studia, & propter vocationis singularem gratiam, qua Christus Iudæis verbum suum respuentibus conuersus

uerſus eſt ad gentes, tum etiam propter rationem imperij, quo Deus populum Romanum præ ceteris gentibus illuſtraſſet. Quas controuerſias Apoſtolus Paulus hac Epiſtola dirimere conatur, & neutros eorum ſua iuſtitia iuuem meruiſſe oſtendit, ſed vtroſque grauiter peccaſſe. Iudæos quidem, quod per præuaricationem legis Deum nõ honoraſſent: Gentes verò, quod cognitum de creatione creatorem non vt Deum coluiſſent, ſed eius gloriam in manu facta mutaſſent ſimulacra, & ſeruiſſent creationi creatore prætermiſſo: Verum vtroſque à Deo veniam conſecutos, æquales & pares eſſe demonſtrat. Quare eos ad pacem & concordiam & vnitatem in Eccleſia tuendam hortatur.

Meminit huius ſui Commentarii in Epiſtolam Pauli ad Rom. Iac. Sadoletus Epiſtolarum lib. III. Epiſt. 5. & 6. lib. IV. Epiſt. 9. lib. VI. Epiſt. 7. & 9 lib. IX. Epiſt. 9. & 10. lib. XIII. Epiſt. 2.

IACOBI SADOLETI EPISCOPI CARpentoractis in Pauli Epiſtolam ad Romanos commentariorum

LIBER PRIMVS.

SÆPE mihi cogitanti de Chriſtianæ fidei primordiis, & ipſo ortu religionis noſtræ, quę à cruce, & morte, & ab eis denique initijs profecta, quę maxime contraria, plurimumque repugnantia humanis ſtudijs, & opinionibus ſunt, in eam nihilominus creuit amplitudinem, vt cunctam fermè terrarum orbem quodam tempore ad cultũ ſui, venerationemq; conuerterit: cum vis ipſa cœleſtis numinis & bonitas præpotentis Dei verſatur ante oculos, quæ hoc maxime mirabili, imprimisque inſolito genere ſe oſtendendi patere voluit: tum vero duas reperio virtutes, humilitatem animi videlicet, alteramque Charitatem, quarum neutrius vim cognouit antiquitas, huius præclari operis & inſtitutrices initio fuiſſe, & ad hoc tẽpus eſſe conſeruatrices. Atq; harum quidẽ, quas dicimus virtutũ, & quid laudem, ac decus & cõſtitutæ, & auctę Chriſtianę religioni aſſcribimus, hoc & ignorata apud veteres, & nobis, qui ad veram Dei cognitionem acceſſimus, facilis, & prompta fuit indaga-tio, quod illi ea, quę gerebant, quæque meditabantur, omnia ad

opes sibi comparandas, ad cupiditatem, ad dignitatem, ad positiam suam reuocabant, studiumque omne suum in eis cognitionibus ponebant, per quas & valere opibus præter cæteros, & excellere industria prudentiaque existimarentur. Nos vero Doctoris nostri CHRISTI exemplo, monitisque edocti, in humilitate animi magnitudinem nostram, & in procuratione aliorum vilitatis posthabita nostra omnem spem adipiscendæ felicitatis posuimus. Ac nequis sacrarum imperitus rerum forte miretur, qui stent ista simul, possintque in vnum cohærere, magnitudo in humilitate videlicet, & in neglectu propriorum commodorum beatum esse, cum hęc pugnare potius, & inter se esse aduersa videantur, is conuertat animum ad ea intuenda, quæ in Christo IESV Domino nostro incredibili modo facta sunt: deinde mirari profectò hanc congruere in membris discrepantium, cum capite ipso tantam rerum omnium maxime contrariarum concordiam inter se, consensionemque aspexerit. Etenim si quid maxime diuersum, & remotum sit in oppositione extremitatis, quid est à terra, quã cœlum disiunctius: & quã ab homine deus, aut quid absurdius est quam velle mortem cum vita coniungi, gloriam cum dedecore, infirmitatem cum potentia? Quæ omnia in illo sic omnia coierunt, vt ad ea bona, quæ is & humana & immortalia est adeptus, ab his extremis, & contrarijs multis fuerit gradus, vel potius ex istis illa exiterunt. Neque ipse tantarum hæc, quæ suapte natura sunt disparata, coniunxit, fecitque eaque in nobis voluit coniungi, vt cum ipsius ingressi vestigijs insistitissemus eadem adepti bona, nouiq; ciues, & incolæ cœli effecti terram in medio astrorum collocaremus. Sed quoniam de his aliud ad dicendum dabitur tempus, satis de eis sic in præsentia dictum. Ad illas deinceps veniamus virtutes, qũ rum modo a nobis facta mentio est. Etsi enim hoc tempore non ad nostrum [illegible] mus arbitrium, sed in aliorum diuinitus scripta commentarium, tamen de eis aliqua præfari virtutibus, quæ præcunt nobis, & ingressæ sunt ad beatam vitam non cognitione solum, atq; scientia verum etiam vsu, & fructu comprehendendam non nihil [illegible] quidem, quod instituimus pertinet. Ac humilitatis quidem primum & præcipuum donum est quod diuinarum notionum rum absque ea habere non possumus. Credere enim est [illegible] eum, qui ad eas velit intelligentia penetrare. At nemo id [illegible] git, qui sit sibi ipse confidens. Porrò cæteræ artes & scientiæ ipsum postulant, vt qui ad eas ingressurus sit, callido ingenio, atque magno, nullique rei facilè assentiatur, sed rerum tionem in omnibus, argumentationemque requirat. Nostra hæc, quæ sola veram in se continet sapientiæ facultatem, [illegible] rum rerum, literarumque cognitio, tametsi ea summis, [illegible]

tissimis diuinorum consiliorum mysterijs referta est, nullis tamẽ
iugijs, nisi credulis, atq; simplicibus percipiendam se præbet,
quæq; nouo instituendi, & docendi prius persuasos vult esse se-
ctatores sui, quam aliquid illis ipsa persuadeat: prius vt credant,
quam doceantur: prius vt ament, quam nouerint planè, quid il-
lis sit, quod ante omnia illis est amandum. Eadem quoq; elatos
animos, & appetentes gloriæ imprimis aspernatur, & repellit. A-
stutiam, audaciam, confidentiam ne intuetur quidem. Simplici-
tem amat, huic sese dat: hanc benignissime complectitur. Hu-
militatem ipsam, & puros, credulosq; bonarum mentium cogita-
tus adhibet libenter ad secreta sapientiæ suæ, omnesq; illis the-
sauros suos ostendit, atq; offert. Ad quos qui illo fidei, & humili-
tatis aditu intrare meruerunt, ò semper illam quidem eximiam
ac præstantem, sed nunc in hac ratione benigne faciendi singu-
larem profectò, & inauditam Dei beniuolentiam erga nos, ac ve-
re in omni genere infinitam bonitatem, quantum illic cœlesti-
um diuitiarum, atq; opum? quantum ad explendos animos læti-
tiæ, summæq; iucunditatis abundat, & affluit? vt cætera tunc o-
mnia pro nihilo sunt: vt quæ ad humanam pertinent sapientiam,
leuia cuncta, inaniaq; ducuntur? Iacent tum reliquę artes omnes,
ac scientiæ, atq; hæc vna in pretio sola est: vna contentos animos
facit, compotesq; summi gaudij, & omnium bonorum copia re-
dundantes: quam tamen, vt diximus, assequi nemo potest, qui
non per fidei ianuam ab ipsa humilitate animi fuerit intromis-
sus. Recte enim Propheta, Nisi credideritis, non intelligetis, in-
quit. Et Dominus Iesvs fidem vbique, & ante omnia exposcens,
regnum cœli, illi imprimis qui firmiter credit, & qui nihil in fide
hæsitat propositum, & potestatem rerum mirabilium datam esse
prædicabat. Atque hanc fidem, simplicitatemque mentium opti-
marum Christiani propriam nominis, quæ ab humilitate animi,
tanquam a semine, radicibusq; profecta, in arborem amplam cœ-
lestis sapientiæ adolescit, atq; vberes demum fructus beatæ vitæ
fert, Charitas est, quæ præcipue continet: Charitas fidē alit, eadē-
que spem auget, & cum hoc mortali corpore dimisso ad alteram
illam vitā cœlestem & immortalem nobis est transeundum: hæc
vna fidelis semper nobis est, & perpetua comes: deductrix nostri
in hac vita, consors, & congratulatrix in altera: Cuius contra o-
minem veterum seculorum sententiam proprium hoc munus, at-
que officium est, vt de aliorum salute, commodisq; solicita, nihil
esse sanè, magnopere commoueatur: Fraternam enim ea habet
cum omnibus fidelibus constitutam necessitudinem. Quando-
quidem cuncti ex eodem Deo patre profecti, ab eodem Domi-
no Iesv Christo è seruitute redempti, Spiritus sancti eiusdem ha-
biti regimur, ac sustinemur. Ex quo corpus vnum totius eccle-

ſiæ compactũ, conflatumq́; eſt, vno patre, vno capite, ſpiritu quoque vno, ſed plurib. tanquam membris diſtinctum, atq; ornatum. Quo qui in corpore volunt cõiuncti eſſe, eodemq́; vna cũ cęteris CHRISTI ſpiritu viuere, habeant illi charitatem, atq; exercitatio neceſſe eſt: omneisq́; curas ſuas foras tendant, nihil omnino ad ſeſe, ſed ad proximum omnia, & ad Deum referentes. Hoc enim vinculum eſt, hæc firma connexio Chriſtianæ ſocietatis, in qua vniuerſa tanquam in corpore ſuo Dei habitat ſpiritus, eaſque in nobis procreat virtutes, quę maxime præclarę, imprimiſque admirabiles, vt in genus, & nomen ſummi Dei adoptemur, efficiũt. Quæ cum ita ſint, cum tantus ſit fidei, atque humilitati apud Deum honos, tanta fraternę cum omnibus coniunctionis vis, vt omnis beatæ vitæ & cognoſcendę ratio, & adipiſcendæ ſpes nobis potiſſimum in his poſita, & conſtituta ſit, quid eſt de hoc nouo hæreticorum genere nobis dicendum? qui ſubitò exortum vnam partem aliquam, ſed corpus totum eccleſiæ ſuis diſſentionibus lacerare nituntur: qui à maledicentia primo, & odio quorundam hominum ad inimicitias progreſſi, in eis ſeſe finibus tenere non potuerunt, longiusq́; impetu iracundiæ prouecti, cum leges multas ſalutariter latas, moresque optime ab eccleſia conſtitutos, tum vero non pauca fidei CHRISTI firmamenta cõuellere penitus, & diſijcere ſunt conati. Quorum vtinam cordis Chriſtianæ ſpiritum humilitatis aliquando immittat Deus, vt reminiſcantur, & intelligant, non ſe hac ratione fraternę diuinitati conſulere, neq; hoc ex Deo eſſe, vt pax atq; concordia in eccleſia perturbetur, vnitasq́; ſcindatur: Sed illud vere diuinum, & vere Chriſtianum exiſtere, amare proximum, tueri conſenſionem, morem maiorum, tot præſertim ſeculis inueteratum in eccleſia ſanctum & ſalutarem ducere, eumq́; cum fide, & cum humilitate cuſtodire. Nam quod iſti, & ab eis qui ſunt, cũ maxime omnia miſceant, atq; confundant, libertatem ſeſe Chriſtianam aiunt repetere, quæ ſit hominum traditionib. (ſic enim appellant) plurimisq́; impoſitis oneribus oppreſſa, atque erepta, perſpicuum eſt cognitu, ad hoc eſſe, dare operam, vt ſpiritus liber ſit, ſed vt peccato ſeruiat. Caro autem in omnem licentiam ſit ſoluta, & libera. Neque adhuc illi ſic ſe obſcure gerunt, vt coniecturam eorum animi & voluntatis difficilem habeamus. Qui (omitto enim in præſentia, quæ faciunt, & fecerunt) hanc certè palam introduxere ſententiam, beatam vitam non operationibus bonis, ſed ſola fide ergo ſolam expetendam eſſe, perinde ac fidem in ſe velit Deus non iuſtitatis, omnisque virtutis, ſed intemperantiæ, & vitiorum eſſe conciliatricem. Quod ſi iſti aut excellente doctrina, aut nomine quo dubitandi genere prauas opiniones in Dei populo tenuiſſent, eſſet nobis quoq; accuratius fortaſſe aduerſus illos diſpu-

dam,

dum, ipsiq; & monendi, & rogandi, vt dimissa cõtentione pugnãdi, parcerent Christianę vnitati, néue suam primum, deinde aliorum etiam salutem perditum ire contenderent. Cum vero nihil ambiderint de suo, sed pręteritorum temporum errorib. aceruatis atque collectis vniuersos repente in ecclesia Dei renouauerint, quid attinet monere velle nõ ignorantes ista omnia cõuicta iamdiu & damnata esse? Atq; vtinã tamen moneri se paterentur, pimq; humilitatẽ ad audiendum, & ęquitatem animi afferrent ad cognoscendum: Neq; rationibus rectis, & exemplis, authoritatibusq; sanctissimorum hominum tam pertinaces animos suos opponerent. Qui si aut iram aliquam suam exaturare, aut studio certandi obniti concupierunt, tot postea concitatis in populo Dei seditionibus, tot cladibus illatis, tot detrimentis inuectis, pateat eos tandem aliquando expletos esse, remittant aliquid pertinaciæ, ad Deum interdum respiciant, illamque eius admirabilem cogitent charitatem, qua adductus ipse cum filium suum in mortem propter salutem hostium, & inimicorum suorum tradiderit, non decet nos profectò illius sanctam fidem nomenque professos, fratres, & proximos nostros in hostium numero ducere. Sed de his videat, illisque consulat, & prouideat misericors Deus. Nobis quidem quod in illis pro Christiana charitate grauiter dolendum est in his Galliæ populis, & nationibus, in quibus me quoque Deus, tale nihil merentem, in numero tamen episcoporum voluit esse, vehementer etiam atq; etiam est lætãdum, quod ipsorũ quidem hominũ probitate etiam & religione, sed Christianissimi regis nostri Francisci imprimis virtute, & vigilantia ne parua quidẽ contagio illius tanti erroris in his regionbus potuit adhærescere. Cui quidem regi nil causæ est profectò, quin debitum laudis testimonium præbeamus. Etsi enim ab illo longissime disiuncti, ad aulæ curas, atque negotia ne aspiramus quidem, illius tamen ad nos quoque beneficia perueniunt: quæ hoc mihi maiora & chariora sunt, quod non peculiaria mihi ipsi, sed omnibus Galliæ populis mecum sunt communia. Pacem enim ab eo & ocium, & legum obseruantiam, & ęquitatem iuris obtinemus, quodq; cęterorum omniũ summum est, integram, atq; inuiolatam in CHRISTO fide religionem. Ad reliquas enim ipse animi virtutes, quæ in illo plurimæ sunt, & præstantissimæ, hanc quoque cæterarum longe principem virtutum tanquam fastigiũ appositam esse voluit, vt perpetuam sibi propugnationem susciperet pro CHRISTI honore, & nomine, aduersus homines eos, qui omnia sancta & recta peruertere nituntur. Ac bellicos quidem illius labores, grauesque pugnas, in quibus varia interdum fortuna, semper autem inuicta animi illius virtus extitit, laudabunt alij, qui ista magis extollunt, & admirantur. Nos ne in his

quidem commemorandis insistemus, quæ præclara in eo, & re-
regia inesse cernimus, vt bonitatem illius, vt iustitiam, vt liber-
litatem, vt magnitudinem animi pluribus verbis prosequamur.
Illa mihi & prædicanda de eo, & in cœlum ferenda essent, quæ ad
Dei omnipotentis in illo cultum, & ad honorem religionis per-
tinent, si par nostra maximi Regis laudibus esse posset oratio. At-
tamen ne aut summi Dei beneficium non agnouisse, qui talem
nobis præposuit regem, aut regis ipsius merita, & laudes silentio
obtexisse, & propterea in vtrunque ingrati esse videamur, vt q; a-
nimus regis sua sponte in Deum, & in religionem propensus, no-
stra etiam prædicatione ad pietatis studium magis accendatur.
Dicimus illius studio, & pietate, & sapientia esse factũ, vt in tanto,
& tam diffuso regno, tot populis, tot prouincijs, tanta hominum
celebritate frequentibus, nusquam aut hæreticę impietatis lib-
existeret, aut subito exorta, & cõspecta vindicaretur. Fuit hoc ut
Galliæ salutare, Deo imprimis gratũ, Regi ipsi gloriosum. Quid
in maxima nuper fame, cum sterilitate, & inopia frugum cuncta
laboraret Gallia, nec inuenirent homines, pauperesque præsen-
tim, quibus vitæ suæ subsidijs opitularentur, nõnne pateferet pe-
nitus Rex omnis fontes bonitatis & liberalitatis suæ? pietateque
erga Deũ, & in pauperes misericordia adductus permulta domi-
num millia complureis menses aluit? cura, & prouidentia non ab-
sistens, quoad nouis frugibus vberior annus, copiam passim fru-
menti cœpit suppeditare. Nã quod ipse & artiũ opinatum exi-
mius amator est, filiosq; ad eadem studia præclarissima erudit ta-
li patre dignissimos, & tanto regno, quodq; Doctores earum ipsa-
rum artium, & sacrarum præcipue literarum conquirit vndique,
magnisq; propositis præmijs erudiendę iuuentuti in amplissimo
regni sui vrbibus præficit, quibus nam ista quæso laudibus, qui
verborum vi, aut orationis copia dignè possunt extolli? Nempe
hæc magna sunt, hæc immortalia, hæc diuina, quæ omnem lau-
dem vincunt, quæ regem ipsum faciunt eminentius etiam in vir-
tute, quam in fortuna esse magnum: vt cuncti iure, ac meritò glo-
riemur, quod in potestate, & in imperio maximo, maiorem tamen
regem ipso regno habeamus. Verum vt conuertar ad Germanos
principes, si qui sunt (sunt autem nonnulli, qui huic perniciosæ
& pestilentissimę sectæ aut aperte faueant, aut occultius annuo
subministrent, tantamq; Germanico nomini ac nationi fortis-
mæ & nobilissimæ, quod in ipsis est inurant maculam) cur hinc
so talibus exemplis, cur veterum doctorum sanctissimorũ homi-
num vitæ atq; doctrina? Cur Imperatoris sui CAROLI optimo de
Deo, & de fide catholica sentientis authoritate, perpetuo quo-
que ritu consentientis ecclesiæ non mouentur? vt reflectant ani-
mos ad considerationem sui, pristinæq; suæ, & maiorum suorum

religionis, quæ vna recta, puraq; est, velint esse memores. An hoc sibi & lauda, & saluti magis fore existimant, si pro Christianis Lutheranis appellentur? Quanquam his nos quidem, cuiuscemodi illi sint, & quoquo modo de re Christiana meriti, placatum tamen Deum, & propitium precamur, atq; vt ipse eis reuocatis ad intendum lumen veritatis suæ, sanguinem, & mortem filij sui, qui pro cunctis suscepta est, valere ipsis etiam velit ad expiationem peccatorum. De qua CHRISTI morte totoq; illo redemptionis humanæ, & diuini consilij ad salutem nostram mysterio, cui fides iamdiu, certaq; persuasio in Christiano nomine suscepta est, tamen quoniam eius fructum isti nunc labefactare contendunt, & sanctissimis, antiquissimisq; doctoribus, qui de hac re lucidius, copiosiusq; scripsere, nimis certè insolenter & superbe repudiatis, ad illos se recipiunt, qui propter altitudinem sententiarum, arcanaq; Dei consiliorum pressius, & difficilius sunt locuti, quo ipsi in illis latebrarũ perfugia sibi quærere, illorumq; verba ad suos sensus contorquere possint, visum nobis fuit faciendum, vt beati Pauli Apostoli epistolam ad Romanos, cuius isti in abstrusis abditisq; sensib. suæ imprimis malitiæ latibula cõstituunt, quantum nobis à Deo fuerit datum, accuratè exponeremus, quæ tota omnibus diuinitatis cognitionibus ita referta est, vt vix ad eam intelligendam mẽtibus humanis aditus esse videatur. Ita ad ostendendum crucis mysteriũ efficax, vt quicunq; eam recte perceperit, amplius vt nobis videtur, de fide Catholica nõ possit dubitare. Verum hæc nostra expositio non noua commentatio, sed veteris sermonis commemoratio recens fuerit, quem habuimus inter nos, cum Romæ etiam tum essem, ego & Iulius Sadoletus frater, qui Græce, Latineq; doctissimus, atq; in omni artiũ optimarum, præsertimq; philosophiæ cognitione non æqualibus suis solum, sed etiam maioribus natu longe præstans, multa quoque de sacris literis conferre sæpenumero mecum, & vel percontari de me, vel etiam disserere ipse subtilius solebat. Dabimus hoc charissimi, atq; optimi fratris nomini, ac memoriæ, vt Christianæ pietatis mysteria, quibus ille maxime semper deditus fuit, & summi doctoris cunctarum gentium scripta, atq; doctrinas, quarum altissima est explicatio, cum eo communicemus. Nec, si dialogorum morem fuerimus imitati, idcirco minus omneis sententias, verbaque persequemur. Quin aptius hoc quoque, & commodius videri poterit, si alternis diuisisq; personis suo quidq; loco & interrogabitur opportune, vbi erit aliquid dubitandum, & respondebitur. Sed vt ad rem, & ad propositum veniamus, cum olim Romæ diebus festis Pentecostes in hortis meis essem, quos in Quirinali colle, ad altam semitam, satis amœnos, vberesq; habebam, cumq; iam diei, & temporis calor increbresceret, cõsedi forte sub

vmbra quadam, volumen Pauli epistolarum Græcum in manibus habens, eramq; in eo legendo sane quàm attentus, cum inopinato accessit ad me Iulius frater, & continuò salute data acceptaque, NON TV, inquit, mi frater vnquam ne otiosis quidem, festisq; diebus in ocio esse potes: etsi hoc tibi puto optatū & iucundum esse ocium, siquid legas, aut scribas, quando te ferè omne tempus principis & curiæ negotijs tribuere necesse est, in quo videas sæpe quàm sis maximis occupationibus districtus. Sed nunc quidem quem nunc authorem in manibus habeas, nisi molestum est, licet sanè audio. Facile id quidem, inquam est, Pauli enim legebam epistolas, & nosti tu quidem iampridem animum meum, quantoperæq; cupiam me ex ijs ipsis, quas narras, occupationibus euolare, in ocium q; referre, vt in literis assiduus sim, & Deo aliquando cui maxime debeo, soli seruiam. Sed hanc meam cupiditatem huius doctoris sanctissimi scripta incendunt, vt nulla alia re acquiescere animus meus possit. Caue enim mi frater putes lectione quicquam fieri posse diuinius. Assentior, inquit, nec id mirum duco, quippe nō humana ista huius maximi Apostoli, sed diuinitus inspirata, atq; infusa est sapientia, quam ego quoq; aliquando degustare, verosque in ea intelligere beatæ vitæ repositos fructus, etsi meum studium aliquantum scriptorum difficultas & interpretum nonnunquam turba retardat. Atqui mi frater, quod hæc degustes, inquam, vel quod in omni genere pene literarum summo studio versere, planè mihi exploratū est: vides enim maciem, damnumq; tui corporis. Itaque in metum interim adducor, ne minus accurate valetudini tuæ consulas quàm tuis operæ sit, & quàm ego velim: quod sanè facere debes mi optime frater & saluum te nobis diutius conseruare, quando nostra omnis, patriusq; familiæ nostræ spes, in te vno præcipue, & in tua expectatissima virtute, ac dignitate posita est. Tum ille, Meus noster & vitæ, inquit, vnus est dominus & moderator præpotēs Deus, cuius ego voluntati totum me addixi. Neque vero video quid tantum intersit inter viuere, & mori, dum vtrumq; recte fiat. Interea quidem dum in his locis dego, vitā illam conabor imitari, quæ in cœlo vere plena, & vere perfecta est, vt exercitatione mentis potius quàm sensibus oblectandis viuam, quando & immortalitatem illam spero consequi, quam Deus fidelibus suis proposuit, atq; tamen meritorum meorum fiducia fretus, sed Dei ipsius clementia & bonitate. Hic ego animo non parum commotus: Ista virtute, inquam, mi frater, pietatem enim istam tuam exosculor, teq; ita sentire vehementer gaudeo: sed tamen fieri vtrumq; non iudicio cōmode potest, vt & Dei totus sis, & vt te nostri quoq; interdum, qui te tantū amamus, subeat cogitatio. Et ille: Iam vero mittamus ista, inquit, & potius istud, modo quod legebas, com-

municā

mecum: siquidem hoc fraternum imprimis, & tuum est velle quæcunq; habeas, ea tibi mecum communia esse. Epistolam ipsam ad Romanos illam ipsam, inquã, quæ tota maximè scatet reconditis ac reconditis ac abstrusisq; mysterijs. Peropportunè vero hoc, ille venit, collecta enim iam habebam ex illa aliquot loca, de quibus sententiam tuam percontarer: at quando ocium nobis nunc quidem est, festiq; dies, & nihil aliud potius, quod agamus, gratissimum feceris mihi, inquit, si epistolam mecum vna percucurreris & totam illam fueris interpretatus. Cupio enim maiorẽ in modum mihi de illa quid Apostolus sentiat, penitus liquere. Etsi enim plurimorum doctissimorum, eorundemq; sanctissimorum hominum scriptis, ac monumentis excussa ea sæpe, & pertractata est, quædam tamen remanet etiam nunc in mentibus nostris hæsitatio, vt nescio quid magnũ ac diuinum in illa videatur delitescere, quod nondum satis comprehenderimus. Faciam equidem mi frater, inquam, id quod tu vis, neq; quicquam optimo studio tuo abnuet voluntas mea: sed tamen hoc ipso in negotio nõ me consilio plus profecturum ad dubitationes tuas ex animo tollendas, quam fecerint illi, quorum tu lectione nondum planè es pacatus: aut siquid forte scriptis, & commentationibus illorũ adiuues, ac tanquam manibus in sublime elatus, procul magis conspexero de quo non mihi, sed illis habenda erit gratia, quorum laboribus, & vigilijs est effectum, vt aliquarũ iam huius epistolæ partium, nobis cognitio, & explanatio sit facilior. Non enim illi neq; in doctrina, neq; in pietate, neq; in spiritus sancti munere, ac virtute posteriores aliò quopiam tulerunt partes: sed ita voluit Deus sua arcana consilia ad cognitionem hominum dispensari, vt aliquid semper nouum scrutantibus appareret, nullaq; vnquam posset ætas, nulla decerpentium nec haurientiũ multitudo diuitias consumere infinitæ sapientiæ suæ. Sed si me epistolam totam interpretari vis, id ne etiam censes, vt proferatur codex, & Apostoli verba omnia recitẽtur? quod mihi videtur quidem fore necessarium. Prorsus, inquit, & cum hoc volo, tum illud imprimis abesse postulo, vt latine omnia atque vt inter ingenue eruditos maxime decet. Nam hos qui genere dicendi inaccurato, & incondito res theologicas scribere aggrediuntur, ego sanè nõ probo. Nullum enim inest in ijs scriptis veræ pietatis specimen, non ad inflammandos in amorem Dei animos vlla apposita oratio. Sed tu qui latinæ linguæ cognitionem hoc tibi chariorem sæpe esse dixisti, quod ea cum sacris literis coniuncta, Christianæ pietatis vis ad permouẽdos animos & fortior fieret, & ornatior: age quæso hoc mihi da, vt quoad quidem potest, cum pietate Christiana iuncta sit latinitas. Rem honestam postulas mi frater, inquam, neque enim decet ea, quæ præclara & admirabilia sunt,

oratione sordida coinquinare. quod in prima illa Ecclesia Apostolis & Paulo nostro imprimis, necesse minime fuit. Tunc enim signis & miraculis longe efficacius, quàm vlla possit oratione, virtus Crucis comprobabatur. Nunc vero frigescente seculo, & ardoribus illis humanorũ cordium penè iam restinctis, cum miracula quoq; iampridem propter diminutionem fidei magnam parte fieri desita sint, aliquid virium, & caloris afferat oratio ad concitandos animos oratio. Quod nos tametsi in hoc quoque munere parum apti, tamen vt poterimus experiemur, conabimurq; in eo morem tibi gerere mi humanissime frater, nisi res subiecta materies aliquam exiget à nobis magis suam, & propriam, quàm latinitati congruentem loquendi rationem. Multa enim erunt vocabula à nobis ad communem nunc vsum loquentium deflectenda, quod te in optimam partem accepturum puto. Quidni accipiam, inquit, cum si possit quidem vtrunque prestari, hoc est, quod potissimum expetam: sin minus, vincat religionis causa potius, quàm Latinitatis. Hic ego, Librarium cum latino codice accersamus, inquam, qui reciter nobis verba Pauli, quibus ab illo prolatis, tum nos ad illa exponenda & declaranda id quod videbatur, nisi tibi aliud videatur melius. Tum ille: Imo optime, inquit, vocatoque librario & allato libro, assedimus ambo consedimus: ille stans in hunc modum exorsus.

Paulus seruus IESV *Christi vocatus Apostolus.*

TVM EGO: Multa hic quidem, inquam, præponenda essent, mi frater de nomine gemino Pauli: is enim & Saulus de genere, de tribu, de harum epistolarum ordine, de modo & ratione adscribendæ in illis salutis, & cur hæc ad Romanos cæteris antelata est, quæ tamen scripta non fuerit prior. Vita quoque Apostoli, & mores, & assidua peregrinatio: res quoq; gestæ, & prædicationis ipsius magnitudo, arq; vtilitas. Sed nos neq; historiam in præsentia scribere aggredimur, & hæc tamen à plerisq; interpretis egregie tractata, atque elaborata sunt, vnde ea sumi possunt. Nos tantum temporum duntaxat, & habitus animorum, qui quidem in his erant, ad quos scripta est hæc epistola, breuiter exponemus, vt ex ijs argumenti, sententiæque scribentis cognitio sit facilior. Nam cum Euangelij nomen in toto orbe terrarum iam immensescere cœpisset, & diuina in eo maxime appareret vis, quòd humanis progressibus, ij enim tardiores, & impediriores esse lent: sed inaudito, & admirabili cursu, tanquam fulguris alicuius splendor, vox Euangelica veritatem, & salutem, & vitã æternam annuncians, per omnes iam prouincias, & regna cucurrisset, Romæ etiam, in qua ciuitate domicilium erat imperij orbis terrarũ, celebre factum erat nomen CHRISTI, multique ex Iudæis & ci-

ex ciuibus, incolisq; cęteris in ea vrbe verbum Dei acceperant, & Christianam fidem profitebantur. Cùm Satanas is cui ista res, & noua mundi ad Deum verum conuersio mœrorem, & luctũ imprimis afferebat. Siquidem ipse regnũ, quod tot seculis sine molestia, aut controuersia aliqua possederat, adueniente Deo relinquere, & sese in angustum contrudere cogebatur, omnibus artibus obuiam ire cõstituit, duabusq; astutè comparatis fraudibus, altera, turbare eos, qui iam ad fidem venerant: altera, cęteros ne venirent, instituit deterrere. Ac primùm Simonem quendam è Samaria nactus, hominem magicis artibus deditũ, & maleficiis infamem, coniunxit eum cum Apostolis CHRISTI in ipso penè primordio exorientis Ecclesiæ, falsaq; vsurpatione fidei, & baptismatis in Christianum nomen illum insinuauit. Qua adiunctione quidem & societate scelestissimi viri, cùm item ipse, sicut cæteri, qui fide optima erant, Christiana appellatione vteretur, sacrificiis autem occultis, atq; infamibus, cuiusmodi magica illa sunt sacra, nomen CHRISTI vulgò in vituperationem adduceret, tanta sanctissimum Christianæ religionis nomẽ in illa patratione miraculorum, magicarum præstigiarum calumnia consecuta est, vtinceps diu postea, assiduumq; certamen cum falsitate habuerit veritas: & hi qui extra essent, proculq; tantum aspicerent, nec interius cognoscere curarent quid in re esset, & in veritate, illo rumore infamiæ adducti Christianũ imprimis nomen auerlarentur. Sed hunc obicem ad auertendos hominum animos ab obtutu & cognitione veri luminis, diabolica fraude oppositũ, atque munitũ ipse perfregit, & submouit longè Deus, veritateq; per martyrum mortes, palmasq; patefacta, lata ad salutem, fidemque venientibus complanata est via, in quam omnes postea propè gẽtes nationesq; inundauere. Alterũ fuit Satanæ commentum, quo iam qui fidem CHRISTI ritè acceperant, ea quæ fidei sunt, minus attendentes operantesque, proposito, & spe sua cœlestis consequendi pręmij frustrarẽtur. Nam cùm & Dei amor, & proximi, & voluntatũ communio inter fratres, ac charitas pręcipuè postuletur, ipse pro his omnib. discordias, & dissensiones animorũ, iurgiaq; litiũ, & contentionũ conatus est introducere: idq; in principe terrarũ pręcipuè vrbe, spe non dubia fretus, si ibi turbare res arbitrio suo potuisset & consensionem fidelium diuellere, cœtusq; disijcere, reliquas orbis terræ ciuitates, atq; prouincias exemplum vrbis dominæ secuturas. Huic nunc periculo succurrere vult Paulus, legatus quidem à Deo, & Domino IESV Christo, ad veritatem Euagelij gentib. annunciandam. Sed & ipse ita studiosus, & auidus omniũ salutis, vt non illum terræ, non maria, nõ labores, nõ ærumnæ, non minæ, nõ terrores, non verbera, nõ tempestatum casus, & naufragiorũ, non mortis timor, non corporis

dolor

dolor vnquam vel minimum retardare potuerint, quin ad eos qui ignorabant docendos, ad eos qui periclitabantur seruandos accederet, accurreret, aduolaret: non vitæ suæ vspiam, non salutis parcens, dummodo cæterorum tegeret, tueretur que salutem. Porrò autem hic est vas electum à Domino, in quo tantum abundauit diuinæ benignitatis gratia, primùm vt penè inuitus, & reluctans ad fidem CRISTI compulsus sit: deinde tot cœlestibus bonis refertus, ac cumulatus, vt quæ duo inter se diuersissima, & neque simul ea haberi, neque in alterutro separatim ab homine excelli posse videatur, ipse egregiè vtraque fuerit complexus, summam videlicet rerum diuinarum scientiam, & suauitatem in rebus gerendis alacritatem animi, & in toto actionum genere diligentiam, industriam, ac nauitatem. Etenim si scripta eius, & doctrinam accuratiùs intueare, non illa in terris inuenta, sed cœlo deprompta penitus intelligatur, in quo semper mente, & cogitatione habitauit Paulus. Sin autem solicitudines, & anamnas, & peragrata ab eo orbis terrarum spatia, & monendi, obsecrandi, pacificandique labores, vitam denique omnem plenam agitationum, & periculorum considerandam tibi proponas, admirere profectò, quo pacto tanta cœlestis sapientiæ in eo, cui otij nihil vnquam fuit, excreuerit magnitudo. Sed nimirum aliud est, quod nominis labor, aliud quod Dei virtus & potentia fuit. Ille amore Dei ardens, & charitate erga proximum inflammatus, & sine labore, ac tempore altissima Dei consilia illo aperiente cognoscebat, & in iuuando seruandoque proximo laborem sibi omnem iucundum esse ducebat: qua eadem charitate incitatus, cùm audisset Romæ inter fratres dissensiones esse, & ipse ad eos tota mente properaret, præmisit hanc epistolam, vt quoad ipse veniret, haberent illi interea monumentum hoc, & velut testimonium literis consignatum suæ & de Deo, fideq; CHRISTI sententiæ, & erga eos voluntatis. Dissentiebant porrò illi ob has causas. Cùm vnam in fidem CHRISTI ciues Rom. complures conuenissent, & ex Iudæis permulti, quippe per quos CHRISTI cognitio Romam ex Iudea fuisset deportata, euenieba vt inter probos, integrosque multos aliqui fallaces, & veluti [illegible] sterent, qui in noua religione non tam gloriam Deo, quam [illegible] honorem, & quæstum aucuparentur. Atque ij ex Iudæis, [illegible] antea præsertim in lege habiti peritiores, authoritatem legis, ciborum obseruantias, aliarumque cerimoniarum plurimum valere cupiebant, quò ipsorum etiam grauior haberetur auctoritas. Hi vt genus vtrumque in potestate haberent, cùm se Apostolos etiam CHRISTI, & ab eo missos ad prædicandum Dei regnum gentibus affirmarent, primum suis Iudæis persuadebant ne a lege deficerent, & in ea cuncta obseruarent, quæ in lege

erant

erant præscripta, quasi sine illis salus esse non posset, idque etiam eos admonebant, vt gentium pollutos ritus abominarentur, nétu familiari vsu cum illis sese iungerent, tantummodò in nomine IESV baptizarentur, & hanc lauacri sanctissimi munditiam ad cæteras legis purgationes adjicerent, quò fierent ipsi puriores. Deinde ad gentes conuersi, inutile illis CHRISTI nomen sine legis obseruantia, & circumcisionis sacramento esse dicebant: hortabanturque vt ad Iudæos se conferrent, & illorum ritibus cerimoniisque imbuti, sic demum ad CHRISTVM peruenire contenderent. His vocibus erat factum, vt hęsitatio primùm inter fratres, deinde obtrectationes occultæ, pòst aperta dissensio existeret, quæ eruptura videbatur apertam ad seditionem, & ad defectionem à fide veri Dei, nisi diuina curante prouidentia Pauli virtus, & diligentia in tempore subuenisset. Nam cùm gentes insuetæ seruituti fidem quidem CHRISTI libenter acciperent, detrectarent autem iugum legis, & propterea Iudęi illas aspernarent, nec putarent dignas, quæ Deo essent cordi, quod pollutas esse dicerent, & in peccatis totas inuolutas, ipsi autem ex lege piatos sese, & mundos esse ducerent, cogebantur è contrario, qui è gentibus erant, præcipuè Romani his contumeliis permoti objicere Iudæis ignobilitatem nationis, & quod Romanorum serui iure belli effecti iniquè, atque iniuriè dominos suos auersarentur, cùm etiam quatenus ageretur de CHRISTO illi indigni essent, qui ab eo diligerentur, quem cruci affigendum curassent: ipsi verò dignissimi qui eum simul atque cognouissent, statim amare, venerarique, & filium Dei confiteri cœpissent. Hic erat status tunc iam Romæ coalescentis Ecclesiæ, hæ inter illos querimoniæ, animorumque dissidia ambitione & malitia nonnullorum instigante Satana concitata. Quibus Paulus in præsentia mederi intendit, & prout vnaquæque postulat res, errantibus, atque infirmis mentibus opitulari. Nam & Iudęos à causa quidem Dei profectos, sed superstitione aberrantes castigat, & corripit, reuocatque in rectam viam, ostendens legem præstantiore adueniente gratia inanem factam esse, solamque fidem CHRISTI ad salutem vim habere. Reliquos verò ad fidem quidem simpliciter accedentes, sed in Romanæ vrbis magnitudine, & gloria, ex qua oriundi erant, nobilitatem constituentes, & propterea aspernantes nationem Iudæorum, admonet, & docet non eam esse veram nobilitatem, quæ armis, & opibus, & mundanis imperiis, sed quæ ex honore, & iudicio omnipotentis Dei acquiritur, qui cùm honos generi Iudęorum ab ipso Deo tributus sit, ideo non eos contemni debere, sed in pretio haberi. Ita in vtrisque & quod per superbiam in ipsis intumuerat, coërcens, & deprimens: & quod per alternas contume-

lias

lias subsederat in æquum excitans, corpus vnum efficere con-
tur Ecclesiæ, sibi ipsum æquatum, & concors, & in omnibus ro-
bus ad mutuã charitatem consentiens: quod spiritu CHRISTI
totum possit viuificari, tanta vi, & copia Spiritus sancti, tanta co-
gnitione consiliorum summi Dei rationes suas confirmans, vt nõ
verear repetere id quod antè dixi, Quicunq; ad sensum & doctri-
nam maximi Apostoli diligentiùs intuendam, & perspiciendam
accesserit, neq; is animum ad contradicendum paratum, sed æ-
quum & permittentem se veritati attulerit, nunquam eam de
fide CHRISTI, nec de crucis mysterio aliquid dubitaturum. Hic
Iulius: Magna sunt, inquit, frater quæ polliceris, & mihi quidem
vehementer expectata. Etsi enim ad animi mei confirmationem
quod quidem ad fidem Christi pertinet, nullius authoritate, et
rationibus indigeo, magno tamen commodo, & adiumento
turum arbitror fidelibus omnibus aduersus eos, qui religionem
Christianam oppugnare conantur, præsertimque Iudæos, de
quæ polliceris, potueris præstare. Res ipsa indicabit, inquam, an-
tùm animus æquus sit, & veritati consultò non repugnans. Sed
antequam ad exponenda Apostoli verba mi frater veniamus, ut
quod imprimis in hac causa est necessarium, supplices omnipo-
tentem Deum obsecremus, vt nobis de spiritu sapientiæ suæ
suppeditare dignetur, sine quo nil præclarum, & ardua de co-
gitare quidem idonei sumus: illuminetq; mentes nostras, & do-
net eloquia casta, vt ea effari, & pronunciare valeamus, quæ ipsa
quidem accepta, & grata, cæteris salutaria esse possint. Quæcunq;
enim à Deo, & ab eius sancto Spiritu non proficiscitur oratio, ea
nec vim ad imprimendam in cordibus cognitionem eius ipsius
Dei habere potest, nec ad bonos mores formandos authorita-
tem. IVS & æquum postulas, inquit, sicq; faciamus.

PAVLVS *seruus* IESV *Christi vocatus Apostolus, sepa-
ratus in Euangelium Dei.*

QVOD nomen suum Apostolus in Epistolis præponat, est id
more vsitatum: quod non eodem modo in omnibus, sed vnus
id efficiat, huius quoq; dissimilitudinis ratio in personis eorum
ad quos scribit, & in temporibus est sita. In vna tantum ad He-
bræos Epistola id prætermissum est, quod ratione factum & con-
silio. Quoniam enim Paulo velut legem impugnanti Iudæos
offensiores, noluit eos à saluberrima illius epistolæ lectione, ni-
mo statim aspectu ex sui nominis inuidia dimouere.

SERVVS autem IESV Christi, vt status sui humilitatem, &
se alij laborare non sibi, quæq; ipse obtineat, ab alio se habere,
hoc est à Deo, non à seipso ostendat: & hoc vt tacitè coarguat
falsos Apostolos, qui nõ Deo, sed sibi seruiebant, Euangelium

CHRI-

CHRISTI quęstui habebant, vel ad ambitionem suam referebant. Erilli quidem tales ex Iudęorum erant numero, legem Euangeliumq; miscentes, quatenus eis foret commodum, contra quos item intentum est, quod sequitur: VOCATVS APOSTOLVS, adeodem Deo vocatus Apostolus videlicet: nam illi semetipsos Apostolos vocauerant, non decet autem sanctos, & probos ingerere se, sed vocari eos a Deo oportet, tanquam Aaron. Itaq; hoc more loquendi sæpe vtitur Paulus: Vocatis, inquit, IESV CHRISTI, & vocatis sanctis, quasi nihil in nobis veræ virtutis esse possit, nisi omne à Deo fuerit datum, & tributum. Atq; illi quidem falsi Apostoli, vt diximus, nō Deo, sed cupiditatibus suis seruiebant. Paulus autem omni genere seruitutis Deo erat obstrictus: nam & eo modo seruiebat, quo opus opifici, & omnia condita conditori suo, quo sensu in scriptura dicitur: Omnia seruiunt tibi. Et velut à Domino pretio sanguinis emptus, & è seruo peccati, seruus effectus iustitiæ, quemadmodum ait ille, Vt liberati à peccato, iustitiæ seruiamus. Illa quoq; ratione seruus, quòd ministerium suum in Euangelio prębebat Domino: neq; ipse, sed potius in eo CHRISTVS, sua inter gentes beneficia diffundebat. Cuius simile de Moyse Deus: Moyses famulus meus mortuus est. Dominus enim per Moysen populum suum dorebat, & gubernabat. Item sicut qui in bello capti sunt, victoris serui efficiuntur, sic Paulus hostis primo IESV Christi, postea diuina illius virtute captus & superatus, eius ipsius præda, & mancipium factus est. Et de seipso loquens: Ego Paulus vinctus IESV Christi. SEGREGATVS in Euangelium Dei, hoc est, ab aliis curis omnibus, negotiisque semotus, & huic vni opere prædicandi Euangelij totus addictus, vt ipsemet infrà: Cui seruio in spiritu meo, in Euangelio filij eius. Multis quoque aliis in locis necessitatem sibi ait prædicandi Euangelij, & væ sibi, si non prædicet: & suum vnum esse hoc munus, suum negotium testatur, à Deo sibi commissum, in quod solum incumbat. Nam & ad Corinthios scribens, non se ad baptizandum, sed ad euangelizandum missum esse confirmat. In actibus quoque Apostolorum eodem modo loquendi spiritus sanctus: Segregate mihi Barnabam, & Paulum, inquit, in opus ad quod vocaui eos, quod est, liberos & vacuos ab aliis negotiis reddite. Quanquam fuit etiam Paulus seorsum à cæteris Apostolis vocatus, & in hoc munus missus. Nam cæteri Apostoli item ad Apostolatum vocati erant, & prædicandi Euangelij etiam inter gentes munus commissum à CHRISTO sibi habebant: sed vno tempore & coniunctim vniuersi, quemadmodum in Matthæo præcipuè licet cognoscere. Paulus autem & separatim, & alio tempore ad illud idem ostium legatus à Domino Deo est. Vocatus ergo Apostolus, sepa-

separatus in Euangelium Dei, Apostolus in Euangelium, qui est missus, separatus, quòd aliquantò post quam cæteri, à postolatum, & prædicationem suscepit Euangelij, quam maxime ipse quidem inter gentes exercuit, & in hoc vnum opus fuit destinatus. Veruntamen vt authoritatem, & fidem suis dictis afferret apud eos, qui hanc Epistolam erant accepturi, & docilores eos faciat, instituatque facilius, de se quidem modicè, deo autem, qui eum misit, & de Euangelio, ad quod prædicandum erat missus, loquitur magnificentiùs. Nunc prædictiones, & promissiones summi Dei, illiusque benignitatem, potentiam, iustitiam, in tota Epistola, nunc virtutem, vtilitatemque Euangelij annuncians. Et sanè cùm Euangelium latinè bonus nuncius sit, lætitiam, spem, euentumque rerum meliorum nuncians, nihil magis quam lætius, neque optatius humano generi potuit accidere, quàm intelligere se in gratiam venisse cum Deo, benignitatemque illius, & in omni genere beneficentiam, quæ prius ferè omnibus sibi fuisset abscondita, tunc primùm expositam, & manifestam esse: bonaque omnia, quæ ex illo tanto authore maxima in nos congruum fuit, effusè, & largiter nobis ab eo data, atque donata, cognitionem veri Dei videlicet, amoremque erga nos illum, nostrum, & illius mutuum erga nos: qui quidem amor à Deo declaratus nostrum postea in Deum prouocauit amorem. Sic enim Ioannes: Charitas Dei erga nos extat. Non quòd nos dilexerimus Deum, sed quòd ipse dilexit nos. Virtutem quoque omnium earum, quæ huic diuino amori perpetuæ inhærent, & præstabilem quandam insolitamque magnitudinem illum nobis Euangelium attulit: nec non & pacem animis, cum ipso Deo tum cum eodem Deo, adoptionis & filiorum Dei nomen, regnum cœli, vitam æternam, hanc tantam vbertatem, & penè profusionem omnium maximorum, verissimorumque bonorum, quam Euangelium vocamus, promisit quidem nobis, & prænunciauit iam diu pater noster Deus, sed ad nos pertulit Dei filius. Segregatus itaque in Euangelium Dei.

SEPARATVS in Euangelium Dei, quod ante promiserat per Prophetas suos in scripturis sanctis de filio suo.

QVOD Euangelium, inquit, Deus promiserat per Prophetas suos multis quidem in scripturæ locis, & multiplici modo. Semini suo, vt cùm ad Abraam dixit: In semine tuo benedicentur omnes tribus terræ. Et cùm per os Iacob: Donec veniat, cui reconditus est. Et Dauid: Mitte Domine legislatorem, vt sciant gentes, quoniam homines sunt. Idem quoque Dauid: O Domine bene prosperare, benedictus qui veni: in nomine Domini. Et: Speciosus forma præ filiis hominum. Et: Dominus dixit ad me

filius meus es tu: ego hodie genui te. Et Esaias: Egredietur virga de radice. Et paulò pòst: In die illa radix Iesse, quæ stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur, & erit sepulchrum eius gloriosum. Et Prophera alter: Hic est, inquit, Deus noster. Et paulò infra: Post hæc in terris visus, & cum hominibus versatus est. Quanquam non multa magis in scriptura testimonia, quàm ipsa scriptura de filio Dei est testis. Qui quidem Dei filius & annunciator, datorque est Euangelij diu antè promissi, & ipsemet Euangelium. Euangelium enim Dei, inquit, quod promiserat de filio suo. Etenim vita nobis & veritas, & summum ipse IESVS Christus est bonum. Ac nunc quidem iustius hoc Euangelium, quam antea in lege veteri, nominatur. Primum, quia olim in vna tantùm natione inclusum, & in ea paucis patefactum: nunc passim omnibus hominibus prædicatum, & annunciatum est. Deinde quia tunc in longum tempus differebatur eius expectatio, quæ modò omnibus hominibus est repræsentata. De his verò, qui postea prædicauerunt Euangelium, qui illud per orbem terrarum, circum gentes, & populos annunciauerunt, non siluit etiam scriptura. Dauid: Dominus dabit verbum euangelizantibus virtute multa. Et Esaias: Quàm speciosi pedes euangelizantium pacem? Quoniam autem filius Dei idem est, & filius hominis, ne fortè in animis legentium nascatur hæsitatio, occurrit Paulus de filio suo inquiens.

Genito ex semine Dauid secundum carnem: diffinito filio Dei, in potentia secundum spiritum sanctitatis ex resurrectione a mortuis IESV *Christo Domino nostro.*

LICET enim Christus filius sit Dauid secundum carnem, tamen minimum in eo, atq; infimum caro est, vnius autem cuiusq; rei ratio atq; essentia non ex ignobiliore, sed ex optima in eo parte iudicanda est. Vt enim hominem non ex sensu, neq; ex vita, sed ex ratione quæ in eo pars potissima est, æstimamus, Sic CHRISTVM ex his magis cognoscimus, quæ in eo longè præstantiora sunt. Habuit is carnem & rationem tanquam homo, quæ se etiã prima oculis nostris obtulit: sed habuit vim, & virtutem, quæ supra omnem naturam esset, tanquam Deus. Ex hac igitur parte diuiniore potiùs censendus est: nam illud græcè ὁρισθέντος, si prædestinati conuertas, nihil alienius: Si declarati, accedas iam ad veriorem sensum: Si diffiniti, aut determinati & iudicati, totã vim verbi exprimas. Nam qui talia potuit, & valuit CHRISTVS, etsi homo is quoque, & in carne hominis fuit, tamen ex diuinitatis virtute a nobis iudicandus est Deus. Huic etiam rationi Ioannes Euangelista consentit. Vidimus enim, inquit, gloriã eius, gloriam vnigeniti à patre. Quem enim priùs hominem existimauera-

mus, hunc postea ex virtute, & mirabilibus factis iudicamus d
Deum. Virtute autem non humana, non corporea, non ex in
perio, & potestate inter homines: sed virtute ea, & potentia qu
est secundum spiritum sanctum. Est enim in scripturis iste loqui
di modus, vt cùm quid quale sit, volunt indicare, abstractæ in eo
qualitatis nomen ponant: vt, odorem suauitatis, suauem illum
charitatis, charum: de Paulo ipso CHRISTVS, vas electionis,
id est, electum: Sic in hoc loco spiritum sanctitatis, spiritum
sanctum. Validus ergo, & potens CHRISTVS per spiritum san-
ctum, atque in eo cuncta operans, diuina, mirabilisque poten-
tia, qua & resurgere ipse valuit à mortuis, & cæteris fuit ad in-
fringendam tyrannidem mortis princeps & author. Mortis, in-
quam, non tamen communis huius, & corporeæ, quanquam
ista quoque è nostro mortali corpore CHRISTI dono ejusdem
da est, immortalitasque induenda: Sed illius spiritualis & per-
tuæ, qua genus hominum vniuersum, nisi Dei in filio beatum
nobis subuenisset, Deo ipsi, & cœlesti vitæ, æternæq; prorsus fui-
set mortuum: de qua huiuscemodi resurrectione in toto hic
CHRISTI & Euangelij mysterio præcipuè semper agitur. Ac
Christus quidem ipse quoad vixit inter homines, cum hisq; ver-
satus est, docendo, & sanando, etsi filius est Dei, tamen filius ho-
minis plerunque & à cæteris vocatus est: vt ab illo clamante IE-
SV fili Dauid miserere mei, & semetipse vocabat. Post mortis ve-
rò, crucisque mysterium, cùm in præstantiorem vitam surrexis-
set, moxque in cœlum ascendisset, & spiritum paulò post sanctum
in discipulos effudisset, toto vtriusque vitæ actu & in se absolu-
to, & nobis demonstrato, humanis iam infirmitatibus in eo ess-
sis, diuinisque virtutibus retentis, Filius Dei deinde frequentiore
re vocabulo appellatus, & iudicatus est. Atque in hoc loco æqua-
litas trinitatis mirificè expressa est. Si enim CHRISTVS, qui est
virtus & potentia patris, per spiritum ipse sanctum, & in spiritu
sancto potens est, vimque per eum, & potestatem suæ diuinitatis
exercet, vbi sunt qui spiritum negant sanctum, parem personam
cum cæteris in trinitate possidere?

*Per quem accepimus gratiam, & legationem, vt obedientiam
fidei in omnibus gentibus super nomine eius, in quibus estis
vos vocati* IESV *Christi.*

PER QVEM accepimus gratiam potiùs, quàm à quo vt
ostendat à patre per filium se accepisse gratiam, & nusquam am-
borum commune opus seiungat. Gratiam quidem quoniam ac-
tum à Deo est profectum, vt & idoneus ipse fieret, & factus ido-
neus mitteretur ad annunciandam fidem omnibus gentibus,
quò illa ab omnibus acciperetur. Etenim sic est perspicuè in E-
sa

Filis scriptum: Parum est, vt seruias mihi ad expergefaciendum tribus Iacob, & ad conuertendum desolatos Israël: sed dedi te in lucem gentium, vt sis salus ex me vsque ad extremum terræ. Omnes enim qui vbique sunt, ad veri Dei cognitionem, & salutem sum vocati sunt. Siquidem in omnem terram exiuit fidei, & Apostolorum sonus. Non omnes tamen auscultauerunt. Sed hoc in illorum, non Dei culpa. Qui verò audiuerunt, & paruerunt, is in CHRISTI nomine credere fuit necesse. Quo pacto etenim fides Deo haberetur inuitanti ad veram sui cognitionem, verumque cultum, & vitam propterea æternam, cœlique regnum promittenti, si is, qui hæc ex Deo annunciat, minimè cui credatur, idoneus iudicetur? Est autem plena fides, credere in Deo patre, & in CHRISTO Iesu. Quid autem credere? eos esse (vt plurium numero nunc tanquam personas duas enunciemus) qui cœlestia illa bona & dare soli possunt, & daturi fidelibus suis sunt, quæ est potestas vnius Dei, trinique propria: nostra igitur in Deum ipsum fides super IESV Christo & nomine sancto eius fundata est, in ipso enim solo & per ipsum solum ad Deum nos adiungimus. IN QVIBVS ESTIS & vos. In quibus, inquit, gentibus, & his, qui obedierunt fidei, estis & vos vocati IESV Christi. Quod intelligendum est, cùm hoc modo loquitur Apostolus, vocati Apostoli, vocati Sancti, vocati IESV Christi: vocatos in his locis non in participij vi, sed nominis esse vocatos. Hi enim sic vocati sunt, qui auscultauerunt, & paratas sæpe vocationi Dei præbuerunt. De quibus in Euangelio CHRISTVS: Nemo venit ad me, nisi pater meus traxerit eum. Et rursus: Oues meæ, quæ audiunt vocem meam.

Omnibus, qui Romæ estis dilectis Dei vocatis sanctis, Gratia vobis, & pax à Deo patre nostro, & Domino IESV *Christo.*

VOCATIS sanctis, inquit, vocatis à IESV Christo in sanctitatem & puritatem, & cognitionem Dei ac filij, quæ est vita æterna. Gratia autem & pax. quoniam patris gratia & benignitate factum est, vt veniret filius ad reconciliandam pacem hominibus cum Deo. Pater autem noster est Deus, quia & fecit nos primò ad imaginem suam. Filius enim imago est patris, & pòst arctioribus etiam necessitudinem vinculis in filios sibi adoptauit.

Primum quidem gratias ago Deo meo per IESVM *Christum de omnibus vobis, quoniam fides vestra annunciatur in toto mundo.*

AGIT gratias Deo de aliorum bono, quod est veræ, agit autem per IESVM Christum, quod est Christianæ charitatis proprium, quæ tamen sola vera est: sola enim via, & vnica ad Deum

CHRISTVS est: & qui aliunde ad patrem nituntur ascendere non per ostium, vt domestici, sed per pseudotyrum, vt fures conantur ingredi. Sed & in patre, & filio, & spiritu sancto tribus vnus delicet personis, cùm vnus sit Deus, nihil refert, cui personæ agas gratias. Per eam enim aut in ea agis Deo. Per eam, cùm per CHRISTVM, aut per Spiritum sanctum Deo agis gratias. In ea, cùm ipsimet agis patri. Cùm ergo gratias agit Paulus CHRISTO Iesu, quod eos, ad quos ipse scribebat, fideles suos effecisset, per eum nihilominùs agit Deo.

Testis enim mihi est Deus, cui seruio in spiritu meo, in Euangelio filij eius, quod continenter mentionem vestri facio, semper in orationibus meis precans, si qua iam aliquando dirigar in voluntate Dei, vt veniam ad vos.

DEVS est mihi apud vos testis, cui seruio in spiritu meo, id est, in syncero & vero corde. Nam quæ fiunt in spiritu, ea vero fiunt, & ab interiore homine fiunt, quoniam spiritus ad sese, vt qui simplex est, simulatione obduci non potest, nec aliud pro alio prętendere. Sed si instituit fallere & mentiri, corpus sibi adducet necesse est, cuius ministerio vtatur ad decipiendum. Corpus enim spiritui tanquam persona est, quæ cùm extraneam formam, alienamque obtendit, interiorem, & veram non facilè sint cognosci. Quod personatis accidit, qui fallere idonei sint, quòd verè ipsi sunt intus occulentes, quod fictum fucatumq; est, aspectibus objicientes. Hanc personam Iudæi ita attendebant, vt in ea sola ferè insisterent, nec quod intus erat, perspicere laborarent. At neq; adoratio, neq; victimæ, nec oratio ipsa, vocisq; probatio, nec frontis vultusq; demissio, flexusq; ceruicis veram seruitutem Dei indicat: possunt enim ista à contraria animi voluntate ad simulationem fallaciamq; conuerti. Ipsa autem voluntas seipsam non decipit. Est enim sui optimè conscia, & cùm seruit Deo, in veritate seruit. Quamobrem & hos adoratores, qui in spiritu adorent, & in veritate, quęrere sibi Deum satis apertè apud Ioannem mulieri Samaritanæ disseruit Christus. Paulus igitur vt ostendat veritatem seruitutis suæ erga Deum, seruire illi sese ait in spiritu suo, quod est in interiore homine, & simul vt authoritatem Iudaicæ legis iam eneruare incipiat, quæ Deo seruiebat non in spiritu, sed in litera, & in iis operibus, quæ corporea sunt. Habitatem spiritus eiusmodi cognationem cum Deo, vt tanquam in se simili statim coniungatur, & pateat. In eo itaq; Paulus se, inquit, seruire Deo. At in quo seruire opere? In Euangelio filij eius inquit. Quod supra dixerat Euangeliũ Dei de filio suo, nunc euangelium id filij appellans, videlicet illud vt demonstret, non esse

opus

opus neque à filio patris, neque à patre filij seiunctum vllum: & simul vt innuat filium ipsum rectè Euangelium vocari. Siquidem Christvs idem & monstrator nobis, duxque viæ est ad cœlum, & ipsa via: docens veritatem, & ipse veritas, introœittens ostium, & ipse ianua, sic Euangelista ipse, & Euangelium, in quo quidem Euangelio Paulus ad seruiendum Deo est constitutus. Quo etiam patet id quod antè dixerat, se ab aliis omnibus curis, & negotiis in hanc vnam prædicationem Euangelij Dei, in qua Deo seruiat, separatum à Deo, segregatumque fuisse.

Desidero enim videre vos, vt aliquid impertiam gratiæ vobis spiritualis in confirmationem vestri, hoc est vt mutuum capiam solatium in vobis per alternam fidem, & vestram, & meam.

Privs tanquam præbiturus illis ex se, & sua in fide Christi constantia, ac firmitate solatium, & in eadem fide firmitatem loquens post mitigauit orationem, ne velut censor, & magister loqui videretur: paremque sese, & vnum de illis fecit, vt alterno fidei exemplo inquiens, ego ex vobis, vos ex me consolationem, & utilitatem capiatis.

Nolo autem vos ignorare fratres, quòd sæpe proposui venire ad vos, & vetitus sum vsque adhuc, vt fructum aliquem habeam & in vobis, sicut & in reliquis gentibus & Græcis & barbaris, & sapientibus & insipientibus debitor sum, sic quantum est in me, promptus sum & vobis, qui Romæ estis, Euangelizare.

Constitvi venire, inquit, vt fructum aliquem feram in vobis: Traiectio enim est, quam Græci ὑπερβατὸν, cùm transsentitur, verbaque ponuntur, & aliis interpositis tunc demum ad ordinem reditur. In quo sanè vsu trajiciendi, & interponendi Paulus creber est. Fructum autem aliquem vt feram in vobis, si aut solatio alicui vestrum fuero, aut aliquos reddidero firmiores: aut etiam si ex numero eorum, qui nondum credunt, aliquos docuero veritatem Euangelij, & ad veram fidem conuertero. Hi enim sanctis hominibus suorum laborum, & actionum sunt fructus, si quos in aliena procuranda vtilitate percipiunt. Vetitvs sum vsque adhuc, inquit, non alio opere diuerso à prædicatione Euangelij, sed hoc ipso prædicandi officio apud illos per voluntatem Dei impeditus. Non enim Paulus cum rei familiari tempus impendisset, aut cùm prædia locasset, & quæ erant domi, composuisset, tum se conuertebat ad prædicationem

Euangelij. Hominum enim non Deo, sed sibi inseruientium il-
sunt. Sed in hoc vno prædicandi munere totus ille & vsque qua-
que erat infixus, neque aliud quippiam curabat omnino, nisi vt
per suum laborem, & diurnam, nocturnamq; sollicitudinem re-
liqui in gratia, & beneuolentia cum Deo esse possent. Itaq; sicut
in cæteris gentibus, inquit, omnibus doctis, & indoctis (est enim
hoc illud, & Græcis, & Barbaris, & sapientibus, & insipientibus,
hoc est, & simplicibus & callidis, quoniam mũdi huius sapientia,
calliditas potiùs, & versutia quædam est) sed sicut omni hominũ
generi, & conditioni omni in cæteris gentibus debitor sem hu-
ius prædicationis, quoniam hoc mihi datum est à Deo nego-
tium, vt prædicem omnibus, sic & vobis quantum in me est, qui
Romæ estis, cupio prædicare.

Non enim pudet me Euangelij CHRISTI: *potentia enim
Dei est in salutem omni credenti, & Iudæo primum, & Græ-*

OMNIBVS gentibus, inquit, prædicandi Euangelij debitor
sum, quod munus vsque eò non refugio, vt eo etiam glorior,
quanquam Christianam secutus modestiam hoc verbo glorian-
di non est vsus. Nam in infirmitatibus gloriari, & in ignominiis,
& in ærumnis proprium magis est Christianæ virtutis, sicut ipse
alibi: Libenter gloriabor in infirmitatibus meis. Et: Mihi ab-
sit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi. In his au-
tem rebus, quæ quandam nobilitatem, & gloriam apud homi-
nes præ se ferunt, exultare & gloriari non est Christianorum.
Quod si res ipsa, quam agebat Paulus, ac non ipsius humilitas
modestiaq; pendatur, quid magnificentius, aut maiore erat cum
gloria prędicandum, quàm legatum electum esse ab omnipoten-
te Deo ad veram felicitatem & vitam æternam omnibus gen-
tibus annunciandam? Attamen in hoc non gloriatus est Paulus.
Omnem enim gloriam rerum tantarum, & tam optandarum ad
authorem Deum, & Christum referebat. Ipse verò legationis mi-
nisterium, prędicationem scilicet Euangelij non erubescebat. At
quamobrem non erubescebat? Quia Euangelium, inquit, poten-
tia Dei est in salutem omni credenti. Nam alias quidem potentia
Dei apparuit in puniendis, & exterminandis nõ tam singulis sed
hominibus quàm integris nationibus, vt in Sodomitis, & in Ægy-
ptiis patuit, ac in ipsis quoq; Iudęis, multoq; magis in toto do-
minum genere diluuionibus aquarũ abolendo. In conseruandis
verò, & admittendis ad amicitiam sui, sic vniuersè, passim ho-
minibus nusquam alibi Dei potentia, quam in Euangelio effi-
cua facta est. Hoc enim ipsum illud est Euangelium, quod sal-
tem omnibus dat, quod à morte vindicat, quod immortalitatem
donat, si credatur, in quo maximè sita est Dei potentia. Omnium
illuminatio cæcutientiũ, directio errantiũ, iustificatio impiorũ,

languentium quoque vegetatio, & mortuorum exuscitatio istud ipsum Euangelium est: & ipse Christus, qui idem recte, vt in his verbis ostenditur, dicitur Euangelium, in quo nimirum qui credunt, ista omnia consequuntur. Nec vero alijs in rebus, aut operibus præstantius elucet Dei omnipotentis potestas, & magnitudo, q̃ in hoc Euangelio, quod solum salutem atque vitam omni credenti dat, siue ille antea Iudæus fuerit, siue Græcus. Licet enim Iudæus in lege, Græcus in sapientiæ studijs glorietur, nec ille tamen sine fide, nec hic nisi per fidem saluus esse potest. Nam quod ait, & Iudæo primum, & Græco, primum illud antecedentiam denotat, non dignitatis, sed temporis, vt primum dicatur, id est, ante Euangelium. Vterque enim cuiusuis antea fuerit generis aut professionis, vel Iudæus videlicet, vel Græcus, non ex eo quod ante fuit, sed ex hoc quod in Euangelium credit, salutem adipiscitur. Atque hoc vno modo illud primum intelligendum est, minus fortasse apte, si ad elegantiam linguæ attendas. Sed talis fermè Paulus non tam verborum cultum, quam sententiarum vim expendens. Animaduertẽdum autem est Græci nomine Paulum omnem hominem comprehendere, qui sit idolorum cultui, & adorationi deditus: duasq; tantum sectas hominum scripturæ sanctæ esse, Iudæos, qui verum Deum colant: & Græcos, qui falsos deos venerentur. Qua ratione & Romani, & Barbari omnes hoc quidem in loco, & in plerisq; scripturę locis sub Græcorum nomen succedunt. Nam quod paulo ante Græcos distinxit à Barbaris, id in literis, & in moribus fecit. Cum autem loquitur de sectis, Græci omnes dicuntur, qui sunt, aut fuerunt idolis dediti. Quod etiam in Matthęo, & in Ioanne, & in apostolorum actis, quà scribitur factum esse murmur Græcorum aduersus Hebræos, ita esse cernitur, vt Græcos perspicue scriptura pro omnibus qui coluerunt, aut colunt idola accipiat, & sanè perpetuis aliquot deinde seculis, & ad nostra fermè tempora, quoad Romani principes sedem imperij Orientis Constantinopolim tenuere, quicunq; accersebantur hoc crimine, quod cultum idolis impendissent, ἑλληνίσαι dicebãtur accersi, vt vocabulo ipso indicaretur, nõ gentis, & nationis esse illud crimen, sed falsæ religionis.

Iustitia enim Dei in ipso reuelatur ex fide in fidem, sicut scriptum est, Iustus ex fide viuet.

QVOD dixerat Euangelium potentiam esse Dei, in salutem omni credenti, declarare nunc nititur, & ostendere, quomodo ex Euangelio sit salus, sic breuissime rem totam exponens. Quid ita enim Euangeliũ potentia Dei est in salutẽ omni credẽti? quia iustitia Dei in ipso reuelatur ex fide in fidem. Quod vt planius fiat, alio enim sensu ab Apostolo est positũ, sic exponemus. Diximus

supra Euangelium esse, & eum, qui annunciat, Christum, & quæ à Christo annunciantur, æterna credentibus bona, quæ tamen si subtiliter inspiciatur, ipsemet est Deus. Potentiam autem Dei Euangelium esse, quoniam eos qui credunt, & statim iustificat, quamuis prius impios: & excitat ad vitam, Deo antea mortuos. Quorum vtrunque spiritualiter intelligendum est. Nam neque iustificatio in corpore est, sed in solo spiritu: spiritum enim & pietatem, & impietatem solus accipit, corpus tantum ministrat, & subseruit spiritui. Mortem autem & vitam veram & spiritus scilicet recipit, & corpus. Dei ergò virtus & potentia, quod ipsum est Euangelium, & ipse Christus, simulatque in eum quis crediderit, & statim iustificat: impium vero spirituali iustitiæ dono, & suscitat mortuum, translato à morte corporis vocabulo. Mors enim in corpore non quidem magis verè, sed magis communiter vulgo ab hominibus dicitur. Sed sicut corpus amissa anima huic luci, & huic vitæ defunctum est, sic animus, & spiritu amisso Deo, veræ & vitæ, & lucí est mortuus. Qui si exilijs tenebris mortis spiritualibus tenebris, Euangelij tuba excitatus, animumque admouerit verbo Dei, qui est Christus, fidemque tribuens ijs, quæ annunciantur, & illa ipsa annunciata bona, & Deum ipsum, Christumque concupierit, illique sese dederit, atque permiserit, ex mortuo repente fit viuus, & ex impio pius. Vtrumque igitur Dei, quæ vna facere ista potest, excitare mortuos videlicet, & iustificare impios, quod ipsum est Euangelium cum ad fidelem actum deuenit: quod contingit simulatque quis in Euangelium pura mente credit, fit iustitia. Atque id dupliciter, quod & iustitia ipsa agit, & eos facit iustos, qui sese illi permittunt, & fide cum fide conferunt. At quomodo iustitia? ex vulgi enim sensu de vi vocabuli iusti illi nominantur, & illa iustitia, quæ delinquentibus pœnam, bene autem meritis præmium refert. Hanc autem Dei ignoscentiam non modo non exprobrantem veteris delicta, sed etiam eos, qui illa perpetrarunt, si credere instituunt Deo, in gratiam secum & amicitiam recipientem, misericordiam potius, aut clementiam, & benignitatem nominabimus, sicut sæpe & Paulus, & omnis scriptura nominat: Iustitiam vero proprio vocabulo nequaquam. Sed animaduertendum est iustitiam hoc loco pro toto genere virtutis poni. Est enim iustitia non semper species illa virtutis, quę in faciendis iudicijs, & præmijs pœnisue tribuendis tota consistit, sed verius etiam, & illustrius iustitia vniuersa virtus, quæ in Deo potissimum huiusmodi est, quam habet distincta genera virtutum, sed vnicam tantum in seruatis rationem, diuiniore quodammodo in vnum simplex, omnem summum virtutis partes omneis, & omnia nomina comprehendentem. Cuiusmodi fermè Deo in sacris literis iustitia attribu-

tur,

tum dicitur, Iustitia tua iustitia in æternum, & lex tua ve-
rum. Et Esaias, qua dominum inducit aspernantem ieiunia, quæ
affligunt corpus, & potiora misericordiæ opera requirentem, sua-
rem dari panem pauperibus, errabundos recipi, nudos vestiri,
sic demum inferentem: Tunc erumpet vt aurora lumen tuum,
& ante ibit ante te iustitia tua. Iustitiam eo loco pro omni bonita-
te, humanitate, benignitateque accipit. Et alibi apud eundem
Deus spirituali loquens Hierusalem, Non erit tibi amplius sol in
lucem, inquit, sed dominus, & populus tuus omnes erunt iusti:
quod est, omni bonitate, & innocentia præditi. Et in Euangelio:
Nisi abundauerit iustitia vestra plus quam Scribarum, & Phari-
sæorum: hoc est, plus quam illa legis, vt vniuersa bonitas intelli-
gatur. Item & illud: Quærite primum regnum Dei, & iustitiam e-
ius: omnem illam virtutem, puritatemque intelligit, quæ sit re-
gno illi, & cœlesti vitæ consentanea. Cuius quidem diuinæ, abso-
lutæque iustitiæ, quam vniuersam bonitatem esse dicimus, indi-
cium quoddam est, & simulacrum in hominum iustitiam, cum
quis iustus ita esse dicitur, non quod res integrè, rectèque dijudi-
cet, sed quod bonitate, & innocentia inter homines est ornatus,
velut generalem illam iustitiam obtinens, quod nil agit, neque
molitur, quod legibus sit, aut bonis moribus contrarium. Sed
Dei iustitia singulari quodam, & multo excelsiore ex genere non
innocentiæ solum, & integritatis, sed bonitatis, beneficentiæ,
largitatis omneis numeros complectitur, diuino modo, & pror-
sus ineffabili, in ipso Deo longe eminens. In nobis vero cum Deũ,
& iustitiam Dei imitatione assequimur, inferiore quidem est gra-
du, sed tamen longe præstantior, quam vt ad eam vlla humana
iustitia possit aspirare. Hæc in Deo iustitia talis est, vt solem suum
iubeat oriri super bonos, & malos, quæ si iustitia illa esset minor,
membrum, & pars vniuersæ virtutis, auferret solem suum malis,
& illucesceret bonis. Nunc cum super omneis illum educat, &
proferat, ostendit diuinam bonitatem contentam se ipsa, & doti-
bus suis, immoto animo, atque imperturbato aliorum errores,
& delicta perferentem, omniaque ita gerentem, ac dispensantem,
vt quoad quidem fieri potest, omnibus salus ex sese & gloria pa-
riatur. Quã qui in fide CHRISTI imitantur, eadẽ propè mente,
eodem fini, omnibus ex sese animi perturbationibus quæ huma-
nas cupiditates referunt, eiectis, ad illum supremum diuinæ bo-
nitatis, & beneficentiæ gradum conantur ascendere. Sit igitur
hoc nobis imprimis constitutum, Iustitiam Dei hoc loco totam
esse virtutem talem, atque ex eo genere, quod in Deo esse conue-
nit, vel si noto magis, & communiore vocabulo est vtendum, vni-
uersam esse bonitatem, virtutum dominam cunctarum, cuius in
Deo propria semper, & perfecta est absolutio. Hæc ea ipsa Dei iu-

ſtitia eſt, quæ in Euangelio patet, reuelataq; eſt cum omnibus antea ſeculis fuiſſet abſcondita. Patet inquam quoniam, & ſi bonum eſſe Deum, etiam antea credebatur, bonitatisq; ſuæ ille plura ſæpe monumenta pluribus hominib. oſtenderat, illius tamen nec Iudęi bonitatem cæteris eſſe gentibus propoſitam cenſebant neq; gentes tantum in Deo ſtudium erga hominum ſalutem fuerant ratę: ita vtriq; de Deo inferius omnino, quam illius bonitas digna ſit, exiſtimabant. Sed etſi Iudęi, atq; gentes ab hoc errore fuiſſent deductæ, ampliusque de Deo, & magnificentiam iuſtitiæ vtraque natio feciſſet, ac Iudęi Deum communicaſſent gentibus, gentes vero ſeſe Deo, & ſalutem ſuam vehementer curæ eſſe credidiſſent, tantam tamen illius, & tam immenſam inenarrabilemque bonitatem, tantum noſtræ procurandæ elaborandæque ſalutis ſtudium, quantum ex euangelio nunc patefactum eſt, neque vnquam potuiſſent exiſtimare, neque credere. Etſi enim Deus ignoſcebat antea etiam peccatoribus, per ambitum tamen operum, & ſacrificiorum, per ſacerdotes, & vota precantium ignoſcebat: nunc per fidem ſolam breuiſſimo compendio facile, & liberter omnibus ignoſcit. Efflagitatus antea, atque exoratus veniam dabat: nunc inopinantibus nobis veniam vltro, & ſalutem ex Euangelio obtulit. Qui ſi etiam nos ad veram vitam & ad ſalutem perpetuam pro ſua bonitate erat vocaturus, per filium ſummæ, atque eundem vnicum, per imaginem potentiæ, & ſummæ gloriæ ſuæ, atque per eius filij laborem, dolorem, ignominiam, mortem, vt id faceret inaudita quadam charitate, & amore erga nos potuit adduci? At quemadmodum nos vocauit? primum omnes noſtras veteres iniurias voluntaria obliuione obtriuit. Deinde cum ab eo nos penitus auerſi, atque ad alias curas, aliaque ſtudia planè conuerſi, ipſius Dei hoſtes, & aduerſarios nobis dominos, & Deos adſciuiſſemus, non eſt inſectatus errorem noſtrum, ſed veluti clemens pater tunc maxime ad miſericordiam, & ad amorem erga nos exarſit, cum maxime nos ab eo diſiunctos vellemus, nec contentus ad gratiam, & amicitiam ſuam nos reuocare, fratres omnes IESV Chriſti filij ſui eos, qui per fidem ad eum ſe contulerunt, & ſibi filios adoptauit, ac fecit. Hæc eſt bonitas, hæc Dei iuſtitia, quæ in Euangelio reuelata eſt, omnis virtutis partes, æquitatem, ſapientiam, humanitatem, liberalitatemq; complectens, quam Euangelium nobis perfecit, totamq; contulit ſalutem, & ad liberationem noſtram. At quo pacto illa ex fide in fidem reuelata eſt? Nimirum quia fides erga Deum noſtrum iuſtitiæ Dei, in ſalute noſtra ſeſe oſtendendæ aditum, & locum, & occaſionem aptam attulit. Aperit enim ſe illa, & effundit ſuper credentes. Quæ ſi fides non adſit, omnes habet introitum ad ſalutem noſtram prorſus intercluſos. Qui ergo ſeſe Deo deſere

per

perhibem, atq; permittere, hoc est, qui spem in illo suam, totam-
que fiduciam ponere instituunt, quæ est virtus & doctrina Euan-
gelij propria, hos illa diuina iustitia & bonitas, non in amicos so-
lum, sed in charos, & dilectos filios planè accipit. Quorum neu-
trum nobis antea neq; speratum, nec cognitum, nunc ex Euan-
gelio vtrunque est patefactum. Ita in Euangelio ex fide in Deum
nostra illa infinita, & ineffabilis bonitas summi Dei insignisque
iustitia apparuit, omnibusque communis, & perspicua facta est.
Quomodo autem eadem patuerit in fidem, id nunc accuratè à
nobis exponendum est, vt sensum omnẽ percipiamus Pauli subli-
mem, atq; altum, & maximarum rerum mysteria paucissimis ver-
bis inuentem. Sunt enim illius hæc verba: Quòd iustitia Dei in
Euangelio reuelata est ex fide in fidem. Ac ex fide quidem quem-
admodum sit reuelata diximus: simul vt enim fidem Deo habere
cœpimus, quod nobis per Christum & Euangelium contigit: Sic
nobis statim incipit illius bonitas, & iustitia, omnisque erga nos
benignitas & beneficentia apparere. In fidem vero eadem Dei
bonitas ex eodem Christo, Euangelioque se ostendit, cum facit
nos Deo sui imitatores, & similes, eum eadem iustitia, & bo-
nitate nos insignit, qua est ipse præditus, cum qualis ipse nobis
factus est, & apparuit, tales nos in proximum ipsum Deum imi-
tando, & sequendo efficimur, quod est tamen Euangelij proprium
munus, atque præcipuum. Qui enim vera fide ad Deum se confe-
runt, hoc est, qui & spes, & rationes suas in eo collocant, his faci-
lis est, & prompta diuinarum virtutum imitatio: ab omni enim
rerum mundanarum studio isti aucti, suosque amores in bonis
cœlestibus optandis, & in illa cum Deo gratia, coniunctioneque
ponentes, nullis earum affectionum motibus perturbantur, quæ
ex mundanis curis solent excitari, in quo similitudo summi Dei,
& illius iustitiæ, ac bonitatis species elucet. Ille nullo odio, nulla
offensione animi vnquam permouetur, ex eo quidem, quod nul-
lius est iniuriæ, nullius cupiditati expositus. Nihil enim habet,
quod vel sibi eripi possit, vel quod ipse alij eripere contendat: sed
semetipso contentus, atq; plenus, neq; aliud quicquam extra se
requirens, id maiult atq; optat, vt exuberantiam bonorum suo-
rum, quibus ipse redundat, in alios, qui accipere idonei sint, pos-
sit effundere. Similiter & nos side in Deum præditi & illa bona
eorum attendẽtes, quæ ex Deo sunt, summa, & immortalia, quæ
eripi nobis non possunt, quæ communicatione, & participatu
plurimorum crescunt, nõ diminuuntur, quæ inuidiam, iniuriam,
perfidiam non admittunt, imitatione eiusdem iustitiæ, & bo-
nitatis ad Deum proximè accedimus. Ille ignouit nobis, nos cæ-
teris ignoscimus. Iniurias ille non sentit: nos illas facilè dimitti-
mus. Ille nos hostes antea suos recepit, & adoptauit in filiorũ nu-

mero:

mero: nos inimicis quoque nostris fratrum, & parentum officia præstamus. Ita cum imitatores Dei sumus effecti, sicut filij parentis, tunc non solum ex fide nostra illa Dei in ipso patefacta est iustitia, verum etiam ab eodem Deo in nos redundauit, vt fides in nobis non modo Dei aperuerit iustitiam, sed eadem ipsa insuper diuino & incomparabili munere in nobis eisdem iustitia insignis sit facta. Imprimit enim Deus in hos qui ei confidunt (etenim fidem hoc loco pro ipsis fidelibus accipimus) imprimit in nos inquam, suæ diuinæ virtutis, iustitiæque similitudinem, quod est illud, quod Paulus inquit, Ex fide in fidem. cum primum fides credentium, prouocat Dei iustitiam, vt aperiat sese, & ostendat qualis, quantaque sit in ipso Deo. Deinde ipsa Dei iustitia iustos facit credentes, non humanæ genere iustitiæ, sed illo diuino, & incomparabili, quo Deus ipse iustus intelligitur & bonus. Quod & nos Dei æquanimitate, ac benignitate illa imitanda assequimur. Quod vbi nobis contigit, munere ipsius Dei, non cura, neque operatione nostra, tunc vere Deum patrem in filios ab ipso adoptati & nominamus, & colimus. Sumus enim illi prorsus effecti similes, illudque Euangelicum præceptum implemus, quo admonemur, vt simus perfecti, sicut pater in cœlis noster perfectus est. Porrò autem duplicem hunc actum diuinæ iustitiæ, quo & ipsa nostra ex fide sese in Deo aperit, atq; ostendit, & post in eandem fidem, hoc est in nos, qui credimus, sui imitatione, atque exemplo se insinuat, quotidie nos in dominica oratione Deum obsecrando vsurpamus, & repetimus, vt dimittat nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Martyres verò ipsi, tot hominum millia virtute, & factis magis comprobauerunt: qui quod illis fecerat Deus, vt filium pro eis in mortem, & crucem traderet, ipsi imitando Deo, & filios, & semetipsos in eundem cruciatum, & mortem quo confirmarent cæteros, fortiter dediderunt. Ille autem in Euangelio seruus, qui rationibus subductis, domino inuentus debitor, atque exigi iussus, lachrymis, ac precibus impetrauit illud sibi omne nomen donari à Domino, ac remitti: non eadem ipse postea humanitate, & clementia erga conseruum vsus, id egit, vt non posset de eo dici, quod quam ipse benignitatem erga se in Domino expertus esset, eandem Domini imitatione in alios postea referret. Precibus enim suis flexit, ac molliuit ille quidem animum Domini sui, sed ipse est ipse precibus conserui delinitus. Ita in eo patuit quidem Domini clementia, cuiusmodi in Domino erat ex illius precibus, sed non patuit in preces, hoc est, in ipsum precantem, quatenus non ipse est Dominum in bonitate eadem, & animi mollitia imitatus. Nam quod Dominus pepercit illi, debitumque dimisit, nullum in seruo id affert bonitatis argumentum. Sed tantum effe-

ctum

dem in eo Domini liberalitatis ostendit, totaque illa bonitas, & benignitas ad Dominum pertinet, quæ est ex precibus supplicantium facta in Domino patefacta. Si vero seruus hac erga se Domini humanitate edoctus, parem deinde ipse conseruo humanitatem exhibuisset, non solum ex illis precibus clementia Domini patefacta esset, sed in ipsas preces etiam, hoc est ipsum in precantem fuisset infinuata. Ac vt clarius etiam intelligamus, quantam cœlestis hæc sententiæ in his paucis verbis cōstrinxerit Paulus, quà dixit: Iustitia Dei in Euangelio reuelatur ex fide in fidem: transferamus iustitiæ verbum in nomen potentiæ perinde vt si dicamus: Potentia Dei in CHRISTO reuelata est ex fide in fidem. Nam quomodo ex fide reuelata est potentia Dei? quia præter quam in solos credentes, in alium quidem neminem mirabilia illa opera operabatur CHRISTVS. Ille enim & cæco lumen reddebat, sed consitenti se credere, & considere, quod ab eo esset illuminandus. Et dæmones eijciebat, languoresque corporum curabat, sed eorum, qui peterent, & fidem in eo se habere dicerent. Lazarumque excitabat è mortuis quatriduanum, quoniam fidem Marthæ ita confitentis audiebat. Denique ipsemet clamabat, & palàm, apertoque testabatur, Qui crederent in se, fidemque haberent, nihil esse tam arduum, nec tam naturæ insolitum, quod non in ipsis facile factu esset. Hoc modo igitur ex fide virtus Dei, & potentia patrandis miraculis ostendebatur: quæ si fides quidem non extitisset, fuisset in ipso Deo occultata, & abdita. In fidem vero eadem potentia patuit, cum discipulis ipse dixit, Si credideritis, fidemque habebitis, eadem facietis, & maiora his facietis. Neque solum dixit, sed præstitit etiam re, atque facto, vt qui ab eo fluxerunt Apostoli, cæterique discipuli, eiusdem fidei merito, qua Dei erga se mirabilem vim cognorant, ipsi deinde reliquis fierent admirabiles. Eandem enim virtutem, Deique potentiam in curandis omnium morbis, dæmonibusque eijciendis ipsi exhibuerunt, quam in magistro suo antea perspexerant. Ita & ex illorum fide, potentia Dei in ipso Deo manifesta facta est, & patuit in fidem, cum in illos ipsos credentes, fidemque habentes diuino beneficio ita traducta est, vt efficeret eos in eadem potentia Deo similes. Similiter igitur, atque eodem modo in Euangelio reuelata est Dei iustitia ex fide in fidem: quoniam & ex fide nostra illa in Deo patuit, & in ipsam deinde fidem, quod est in fideles ipsos eiusdem diuinæ benignitatis, & gratiæ munere, atque exemplo est translata, vt qualis est ipse Deus, tales efficerentur qui per fidem & Euangelium Deo se committere studuissent. Hanc eandem sententiam paulo infra Apostolus magis dilucide exprimit, tanquam hæc verba interpretans, & hunc eundem locum alijs verbis exponens, quà ait: NVNC VERO seorsum à lege iustitia Dei ma-

Dei manifestata est, testificata ab lege, & à Prophetis. Iustitia in quam Dei per fidem IESV Christi. Atque hoc est, quod hic ait, ex fide. Deinde sequitur: In omnes, & super omnes credentes, quod iam est in fidem. Ita reuelata est iustitia Dei ex fide in fidem. Et mox paucis interiectis verbis, declarans etiam apertius, subiungit: In declarationem iustitiæ suæ ex remissione præteritorum peccatorum in tolerantia Dei, in demonstrationem iustitiæ suæ in hoc tempore, qualiter ipse iustus est, quod est ex fide reuelari Dei iustitiam. Quod autem sequitur: Et iustificans eum, qui est ex fide IESV. Iam hoc est eandem iustitiam Dei in fidem reuelari. Ita ex fide in fidem iustitia Dei in Euangelio reuelatur. Tum IVLIVS: Arduum sanè, & difficilem locum mi frater planum, & facilem reddere es conatus. Etenim sæpe in horum verborum sententia exquirenda acriter, diuque versatus, non potis ipse mihi satisfacere, dissimilitudine etiam opinionum ex interpretibus impeditus. Nunc videre mihi videor non solum, quæ mens Pauli sit, & quid sensus horum verborũ ferat, sed non paucas etiam, quæ meum animum prius dubitationibus obturbabant, mihi patefacta fore confido. Mihi enim illud occurrebat, quo pacto iustitia Dei esset in Euangelio reuelata, quæ omnibus semper seculis manifesta extitisset, non in creatis rebus inanimis solum, vt in elementorum paribus momentis, vt in cœlestium orbium ordine, motuumq; constantia, sed in hominibus etiam humanisq; actionibus & consilijs, in quibus qui iustitiam & virtutem melius coluissent, his semper ad suam authoritatem, & ad potentiam patriæ suæ amplificandam, aduersariorumq; minuendam diuina vis iustitiæ propius affuisset. Quod non in rebus solum publicis & conuentu populorum, sed in singulis etiam hominibus sæpius accidisse monumentis testatum est. At nunc perspicio, atq; intelligo non omnino de iustitia & bonitate Dei, sed de ea, quatenus per fidem perspicua facta est, Apostolum loqui: vt si dicamus, bonitatem quidem Dei patuisse antea in creandis rebus, eisdemque conseruandis. In ipso autem hominum genere ex fide, & in fidem ante IESVM Christum non patuisse, vt non iustitia, sed talis actio iustitiæ, quæ per fidem est, in Euangelio fuerit reuelata, quæ etiam potentia Dei esse dicitur, in salutem omni credenti. Quanquam enim potentiam suam, sicut & iustitiam, ac bonitatem multis in rebus semper ostenderit Deus & hominum tamen genere ad veram, perpetuamque salutem peccando, nusquam ostendit, neque declarauit apertius. Ac patriarchis illam ipse quidem ex Iudæorum genere non paucis, quod Patriarchis, & Prophetis est manifestum, ac fortasse in nonnullis quandoque, qui ex gentibus propius se ad eius amorẽ, & cognitionem contulerunt. Passim vero & omnibus tam Iudæis quam

Gentis,

Græcis, tam doctis, quàm indoctis, ac deniq; sine vlla exceptione vniuersis, qui ad credendum modò accederent, nunquam ante Euangelium IESV Christi iustitia ista Dei, & inenarrabilis benignitas ac bonitas demonstrata est. Ac nimirum, vt de potentia etiam Dei ad salutem credentium aliquid dicamus, mirabilior profectò extitit redemptio nostri generis, quã ipsa creatio. Nam creatio ordinem suum habuit, postquam semel fuerat institutus, perennem, ac ratum, quem ipsa natura inferior suscipere, & propagare in ætates, ac tempora potuit. Redemptio autẽ solius Dei sine alio instrumento, aut operis vicario effectus tantum est, quẽ nullo pacto natura possit imitari. Etenim si magnum est, ac mirabile suscitare homines mortuos, & qui cursum vitæ iam confecerint, in eandem rursus vitam restituere, quod est non naturæ, sed Dei potentiæ opus proprium: admirabilius multo esse debet, eos qui veræ vitæ, & diuinæ luci sint mortui, & in fœtore ac sordibus peccatorum iam extabuerint, & Deo, & ipsis viuos, ac ex nefarijs repente efficere sanctos. Hæc est igitur potentia, hæc iustitia, & bonitas summi Dei, quæ in Euangelio proposita, & demonstrata est, cum omnibus antea seculis latuisset, ex fide excita, & in fidem se imprimens, quam eandem omnibus cæterarum virtutum vocabulis, & clementiam, & benignitatem, & misericordiam, & gratiam à Paulo, atque à scripturis sanctis appellari, & tibi assentior, & iure appellatam puto. TVM EGO: Gaudeo mi frater inquam, quod me adiuuas, & laborem meum tua industria facis leuiorem, tuoque isto ingenio mirificè delector. Sed quod iustitia ista in Deo vniuersum genus sit totius virtutis, nónne etiam ea res perspicuè demonstrat? quod in animis & cordibus credentium impressa, non eos solum facit iustos ex ea parte virtutis, quæ in iudicando, & distribuendo sita est (possent enim qui eo modo iusti essent, vitijs aliquot ex alio genere laborare) sed eos vsque eò facit iustos, vt nihil illis desit, quod in vera, & eximia virtute sit expetendum: neque tamen ex vsitato hominibus, & legumlatoribus genere, hæc in illis virtus existit, sed diuinius multo & magnificentius, ac vt ad eam, tanquã ad proprium Dei donum nulla humana virtus comparare se audeat. Etenim vt humanæ iustitiæ & eius, quæ ex lege est, cum diuina iustitia contentionem aliquam faciamus, non eiusdem modi ambæ, neque vno profecto ex genere sunt: sicut neque solis, ac lychni lumen est vniusmodi. Sed illa Dei iustitia explodit, & eijcit humanas omneis cupiditates, neque eis apud se esse vult locum. Hominum autem iustitia affectiones, cupiditatesque neutiquam reuellit, sed eis saturandis, atque exercendis adhibet modum quendam. Possessiones enim & prædia à nobis magni æstimari vult, familias ali, vitam & corpus præcipuè defendi: Si quis iniuriam fecerit,

cerit, legibus illam perſequamur, vim vi repellamus, honoris, dignitatis maximam rationem vt ducamus, nobis permittit. Eadem cum diligi amicos iubet, cum fœnus à fratre, & indigente vetat exigi, tacite poteſtatem præbere nobis intelligitur, & inimicorum vlciſcendorum, & fœnerandorum alienigenarū. Quin etiam oculum pro oculo, dentem pro dente, membrū pro membro eadem repeti permittit. Denique omnia eiuſmodi iuris lege, vt cupiditati quidem modus, ordoque præſcribatur, ne præceps ruat, ne vniuerſa ſe effundat, non vt cupiditatem omnem animis tollat & affectiones omnes extirpet, quemadmodum facit iuſtitia Dei, quæ per fidem Chriſti imprimitur in nobis: quæ planè diuinum quiddam in nobis affigit, iubet terrena omnia deſpicere, cœleſtia concupiſcere: Si quis pallium nobis eripiat, tunicam etiam dimittere: ſi quis maledicat, benedicere: ſi quis alapham infringat, maxillam alteram offerre: vult inimicos vt diligamus, vt qui nobis maleſaciunt, nos benigne eis faciamus. In hoc non hominum eſt, ſed magnificentius quiddam proponendum quàm angelorum: & tamen hæc in nobis Dei imago, & ſimilitudo eſt: de qua CHRISTVS in Euangelio: Hæc dicite, vt ſitis filij patris veſtri, qui eſt in cœlis, qui & pluit, & oriri facit ſuper bonos, & malos, iuſtos, & iniuſtos, nec permittit malitiam, ac prauitatem, ſuam corrumpi bonitatem. Iuſtitia eſt Dei iuſtitia, quam fides CHRISTI manifeſtam facit. Quæ Deum fides primò impulit ad ignoſcendum ſceleratis? ad ignoſcendum ne tantum? imò vero ad eos in gratiam, & in gratiam accipiendum, vt ex hoſtibus faceret ſibi filios. Quæ cum in nos ex eodem reſiliens Deo fuerit in nobis impreſſa, & conſignata, ſimiles Deo erimus, & eiuſdem diuinæ iuſtitiæ imitatores, externamque hanc feremus Dei omnipotentis in nobis bonitatis imaginem, quam requirebat maxime, & ad eam attribuebat Paulus, cum ita ſcriberet ad Philippenſes: Omnia pro nihilo existimans dum CHRISTVM lucrifaciam, & inueniar in ipſo non habens meam iuſtitiam ex lege, ſed quæ per fidem CHRISTI in Deo eſt, iuſtitiam ex fide. Illam autem legis iuſtitiam penitus abiiciebat tanquam imperfectam, & degenerem, vt quæ nil tale in nobis valeat progignere. Sed vt ad Apoſtoli verba reuertamur, conuenit iam inter nos iuſtitiam non eſſe Dei cum hac iuſtitia vllo modo conferendam, ſed vſque adeo excellere, vt illius multo ſit diuinam illam imitari, quàm humanæ iuſtitiæ eſſe authorem, ſicut vberrimi fontis riuum, quam tenuiſſimi riuuli fontem exiſtere magis eſt optandum. Nam quod ſcriptum ex ſcripturæ teſtimonio, iuſtus ex fide viuet, valet ad declarandum iuſtitiam Dei in Euangelio, non ſolum in ipſo Deo habitare, ſed in ipſam etiam fidem patefactam eſſe. Qui enim per fidem

Deum

Deum se contulit, non illius tantum iustitiam ex ea se, & bonitatem experitur, sed eandem in sese ab eodem Deo haurit, & est id Habacuch Propheta scriptum, Deus enim apud illum, Iustus, inquit, meus ex fide viuet. Iustus scilicet quē ego efficiam iustum, non quem lex. At quo pacto iustum? ex fide, inquit, non ex fiducialegis, operum, atq; factorum. Quid autem ille ex fide tuus ô Deus, iustus consequetur? vitam ait. Quid nónne in lege, & in operibus viuitur? viuitur, sed fragili & mortali vita, non illa sempiterna, in qua meam quoq; æternitatem, & vitā imitabuntur, qui iustitiam, & bonitatē fuerint imitati. PLANE ista ita sunt, Iulius inquit, sed perge quæso, in magnam enim iam non expectationem solum, sed cognitionem etiam maximarum rerum sum adductus, attendoq; diligentius, quid de hac iustitia Dei, deq; fidei potentia amplius dicturus, aut quibus argumentis vsurus Paulus sit. OPTIMIS atque fortissimis mi frater inquam; sed sermone aliquanto implicatius. Hic enim sanctissimus, & communissimus Deo vir, vel propter altitudinem magnitudinemque cogitationum, quibus oratio par non suppetebat, vel ob humilitatem, & data opera, ac, vt ipse alio asserit loco, ne virtus Crucis vana fiat, neque proprietatem in verbis, neque in oratione explanationem admodum est persecutus. Sed sententijs conterens, diuinorumque mysteriorum subtilissimus indagator vix locum interdum humanis ingenijs relinquit, quà ad eius sensa posset peruenirii. Nos tamen admitemur, non viribus nostris freti, sed illius fiducia, qui dixit, vt scrutaremur scripturas, quoniam ipse de eo loquuntur, illud primum admonentes, Paulum, quo sibi Dei potentiam, quæ in Euangelio est ad salutem omni credenti melius exprimat, eiusque fructum in genere humano euidentius ostendat, velle statum humani generis ante Euangelium, quemadmodi esset, ante oculos nostros ponere, & quod ad gentes pertinet, & quod ad Iudæos, licet haberent vtrique in quo confidere præferrent, & quo gloriarentur, Græci philosophiam, Iudæi legem. Veruntamen quantum vtrisque sua gloriatio in contrarium ceciderit, ex sequentibus fiet manifestum, mundumque totum cum suo vitio interijsset, benignitate ac gratia Dei & CHRISTI, atque Euangelij virtute ad salutem, vitamque inueniendam eguisse apparebit, orditur autem primo de gentibus sic.

Reuelatur enim ira Dei è cœlo in omnem impietatem & iniustitiam hominum, veritatem in iniquitate detinentium: quoniam quod cognosci de Deo potest, manifestum est in ipsis: Deus enim ipsis manifestum fecit. Inuisibilia enim eius ex creatione mundi, effectionibus ipsis intellecta perspiciuntur: aterna quoque

ipsius potentia, & diuinitas, vt sint ipsi inexcusabiles, quoniam cognoscentes Deum, non vt Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt, sed euanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens eorum cor. dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt, & mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & serpentium.

REVELATVR hoc loco, non eodem modo quo supra dictum est, reuelari iustitiam Dei in Euangelio. Nam iustitiam Dei, quæ ex fide apparuit, & in fidem patefacta, certè in Euangelio est, cum ante omnibus seculis fuisset occulta. Ira autem Dei cœlo super omnem impietatem nõ nunc primũ in locum prodit: diu enim antea eadem ira vigebat. Sed nunc primum animaduertitur. Veritate enim perspecta incipit nunc demum apparere falsitas, & lucis diurnæ obtuitus nocturnarum tenebrarum detegnitionem, quæ ipse per se non intelligerentur, hominibus ingenitis fertim assidua in obscuritate viuere assuefactis, nisi talis lux repente oblato illarum caligo, & cæcitas deprehenderetur. veritate, & vnitate summi Dei, & fidei vi, ac diuinæ gratiæ, tiæque munere hominibus oblato, fructibusque pacis Euangelij, qui ex illa percipiuntur, cognitis: Nunc demum intelligunt felix, & misera illorum vita, qui flagitijs toti cooperti, fallacibusque vitam potissimam existimantes, Dei offensionem atque iram aduersus se non intelligebant. Itaq; alijs idem hortantibus Philippenses significans Paulus, VT audiam, inquit, de vobis, quod stetis in vno spiritu, vna anima collaborantes fidei Euangelij, & non territi vlla in re ab aduersarijs, quæ quidem Euangelij fides illis est declaratio interitus, vobis autem salutis. Atqui hoc loco vnam penè ruinam totum hominum genus deiectum, nisi Deus Iudæorum stirpem sibi ipse reruinisset, & ab hac tam crassa mentis ad luminis sui aspectum reuocauisset, electo sibi Abraham qui postea pater futurus esset multarum gentiũ. Deus enim perfectò cum hæc tanta, & tam præclara opera faceret, atque ea ponderet homini intuenda, atque considerandã, voluit in illa uinitatis suæ virtutem speculantibus apparere. quã quidem uinciam, munusque speculandi philosophia suscepit, vtpote nij & rationis, & duntaxat illo naturæ dono subleuata, iuta per quod apta nata est hominis mens ad peruestigiu diuinum in creandis rebus constituendisq; consilium, & tiam Dei, & vnitatem potuit cognoscere, atque ex visibilibus telligere inuisibilia. Scriptum enim est, Cœli enarrant Dei, & opera manuum eius annunciat firmamentum. Ab

versus, In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorũ. Hoc itinere igitur, & his ductoribus ad Deum homines peruenientes, cum illius amplitudinem, maiestatemq; cognouissent, & vnum esse naturæ dominum intellexissent, cumque eum adorare, & venerari, & omni cultu glorificare deberent, repentè vanitate quadam ingenij, & errore mentis cæcati vnitatem, & infinitatem illam omnipotentis Dei in plura quasi frusta discerpserũt, aliosq; sibi Deos numero complures quos falsa opinione sibi depinxerant ad colendum asciuerunt inanes, & mortuos veluti ludibria quædam humanæ vanitatis, supposita à diabolo, atque subiecta, quo is naturam nostram, factam ad imaginem summi Dei, ipse ad Brutorum sensum detractam, atq; abiectam in potestate habere posset, nec tantum mortales homines, & bestias, auesque cœli, serpentesq; terræ in honore, & in cultu Deo antetulerunt: sed horum etiam ipsorum inanimata simulacra, & imagines, ad extremum dementiæ, temeritatisq; progressi, vt quod summe mortuum esset, summe etiam viuenti, quasi in illius contumeliam opponerent. Atq; hic quidem error, & commune penè humani generis delictum à sapientibus seculi, & ab authoribus philosophiæ in mundum fuit inductum. Hi enim sunt, qui veritatem in iniustitia detinuerunt, hoc est qui intelligentes de Deo quod verũ esset, summa cum illius diuinitatis iniuria falsum omne sectati sunt. Nũc videamus, quæ fuerit merces hunc tanto errori, vel sceleri potius à Deo ipso relata, & tributa.

Ideo & tradidit illos Deus in desideria cordium ipsorum in inquinationem, vt dedecorent corpora sua in seipsis, qui permutarunt veritatẽ ipsius in falso, & coluerunt, ac seruiuerunt creationi creatore prætermisso, qui est benedictus in secula, amen. Propter hoc tradidit illos Deus in affectiones dedecoris, fœminæque illorũ permutauerunt naturalem vsum fœmineum in vsum præter naturam. Similiterq; & mares dimisso naturali vsu fœminæ exarserũt in appetentia sui mutua, mares in maribus turpitudinem perpetrantes, & mercedem quam oportebat erroris sui in semetipsis recipientes. Et quemadmodum non approbauerunt Deum habere in cognitione, tradidit eos Deus in improbam mentem, vt facerent, quæ non decebat: repleti omni iniustitia, fortatione, prauitate, auaritia, vitio, pleni inuidia, cæde, rixa, dolo, more improbo, susurrones, detractores, Deo infensi, contumeliosi, superbi, iactatores, repertores malorum, parentibus dicto non audientes, sine prudentia, sine compositione vitæ, sine

amore, sine fœdere, sine misericordia. Qui iustam correctionem Dei cognoscentes, quòd qui talia agunt, digni morte sunt, non solum ea faciunt, sed & probando consentiunt facientibus.

VIDES mi frater quanta sylua malorum ex illo primo errore inducta in genus hominum sit ea re quòd Deum quem cognouisse videbantur, repente deseruerunt, & cultum, ac gloriam, quam deferre illi debuerant, ad muta simulacra potius, & ad fictas imagines hominum, aut brutorum contulerunt. Et sane æquum fuit, vel oportuit potius, vt Apostoli verbo vtar, vt qui tantum in Deo à veritate se remouerant, & qui tantum lumen diuinæ bonitatis non aspexerant, ne in cæteris quidem partibus, actionibusq; vitæ aut mente, aut oculis rite vterentur. Non enim fuit dignum, vt qui in Deo veritatem falsitate commutauissent, qui est summa, & prima veritas, in seipsis, qui sunt imago, & simulacrum illius veritatis, veram legem possiderent, etsi Deum non honorabant, vt suum honorem colerent, sed in capite veritatis falsa opinione hallucinati, cum idola Deo præferrent, id quoque ipsis turpitudinem, & dedecus honestati anteponerent, vt est in Psalmo scriptum, Homo cum in honore esset comparatus est cum iumentis insipientibus. In se ipsis autem, id est, in corporibus suis. Qui enim de mundo sunt, neque Deum conditorem, & remuneratorem hominis agnoscunt, hi cum de immortalitate animi, & de cœlestibus præmijs nihil admodum cogitent, corpus vnum habent, quod maximè excolunt, sese que totos in illo constituant, & collocent, qui cum idem opes, diuitias, lauta vestimenta, equos, argentum, familiam, cæteraque huiuscemodi, idcirco maximè expetant, vt honestiores, & præstantiores cæteris esse videantur, nimirum ridiculose errant, vel miserabiliter potius, cum ipsi omni dedecore, turpitudineq; tanquam cœno obliti, his externis rebus oculos intuentium sese putant posse perstringere. In quo & peccatum sanè illis idem est, & pœna peccati. Ita enim peccant in semetipsos, vt sese turpissimos, miserrimosque ostendant.

Quapropter defensionem nullam habes ô homo quicunque iudicas. in quo enim iudicas alium, teipsum condemnas. Eadem enim facis tu, qui iudicas. Nouimus enim quòd iudicium Dei est secundum veritatem in eos, qui talia faciunt. Putas autem ô homo iudicans eos, qui talia perpetrant, & ipse facientes, quòd tu effugies iudicium Dei? An diuitias bonitatis eius, & tolerantiæ, & longanimitatis despicis? ignorans, quòd bonitas Dei in pœnitentiam te deducit, secundum duritiam autem tuam & impe-

impœnitens cor, recondis tibi ipsi iram in diem iræ, & reuelationis, & iusti iudicii Dei, qui reddet vnicuiq; secundum opera eius.

DEMONSTRATA populorum omnium, qui cultum idolis impendebant, communi iactura, & clade, quodque propter perversos cultus omnipotentis Dei in omnem turpitudinem, & dedecus cunctorũ scelerum lapsi erant, eos etiam nunc acrius coarguit qui in eisdem criminibus inuoluti, cum sese ipsi non respiciant, de aliorum vita, & moribus tam facilè obloquuntur, & felle liuoris maliuolentiæque suffusi, ac studiose cæteris obtrectantes, proximi famam lædunt. De his enim potius est, quàm de illis sermo Apostoli intelligendus, qui in magistratu, & potestate constituti legibus coguntur ad iudicandum. Illi enim legitimam iudicandi necessitatem habent, neque cum id iure faciunt, id illis vitio dari oportet. In eo potius errant, quòd quæ in alijs reprehenderunt, sæpe eadem ipsi agunt. Hoc autem hominum genus, quod de altero sponte iudicat, etiam à Domino in Euangelio notatum est, & reprehensum. Qui in Matthæo: Nolite iudicare, inquit, ne iudicemini. In quo enim iudicio iudicatis, in eo iudicabimini, & qua in mensura metimini, metietur & vobis. Quid aspicis paleam in oculo fratris tui? & in tuo trabem non animaduertis? Et certe hoc genus dupliciter iniustum est, quod & facit ea, quæ non decet, & iudicat eos, quos non debet. quo quidem genere criminis, ac vitij, hominum genus imprimis laborat. Nihil enim ferè promptius, nec celerius est vel cogitatione hominis ad suspicandum male de altero, vel detractione, & maledicentia, simulatque quis suspicatus est: Ita hoc crimen reliquis criminibus, quæ in hominibus multa, & magna paulò ante dicta sunt, maximum pondus, & momentum affert. Quid enim vel iniquius fieri potest, quàm iudicare alterum in eo ipso, quo tu qui iudicas, damnandus es? vel improbius, quàm ea agere, & perpetrare, quæ in altero damnatione digna iudicasti? Etenim satis eadem ipse agis, & perpetras, cùm, quibus de altero suspicionibus vt male sentias, permouere, in eo ipso te iudicas paria facturum, si eodem loco esses. Quandoquidem si esses bonus, nihilque in te mali recognosceres, neque improbi, ne de altero quidem improbe suspicarere. Ac illi quidem abs te qui iudicantur, specie quadam fortassis ignorantiæ, & in aduersione animi subleuari à grauitate delicti aliqua ex parte possunt. Tu vero qui eos iudicas, qui eo ipso quo iudicas, notionem, & scientiam habere te confitearis esse illud crimen dignum damnatione, quod reprehendis, cum illud idem ipse committis, qua nam defensione aduersus Deum es vsurus: cuius vnius iudicium in veritate est. Non enim leui coniectura, non suspicionibus incertis, non stu-

dio obtrectandi ad iudicandum ille adducitur, id quod tu facis, qui apertum crimen proximi, si vllam partem æquitatis haberes, & te ipse respiceres, dissimulare potius, tegereque debebas, vltro occulta patefacis, suspiciosa coarguis, dubia in multo peiorem partem interpretare. Sed certissima cognitione & peccatorum, & cordium iudicat Deus. Eius enim vnius proprium est iudicare orbem terrarum in iustitia, & populos in æquitate, qui sinit sigillatim corda hominum, qui intelligit omnia opera eorum. Tu sola iniquitate ad faciendum iudicium de altero accedis. Pariter igitur, tu qui iudicas alios, & tu ipse facis, quæ in alijs reprehendis, quod effugies iustum iudicium Dei? Cum tuum ipsius iniquum, iniustumq; iudicium proximus tuus non effugiat? An forte eius tolerantia, & longanimitate, & patientia diceris ad despiciendum ipsius bonitatem, & moram, procrastinationemq; ad animaduertendum in te negligentiam harum rerum effectas? longe falleris profectò, si ita arbitrare. Illa te bonitas Dei, illa patientia non te inultum sinit, sed spatium dat tibi aliquando resipiscendi, & ad pœnitentiam, ac veniam reuertendi. Quid si non flecteris animo, nec ad perfugium misericordiæ illius te confers, sed duro corde, & pectore pœnitendi nescio diuinæ illius tolerantiæ, & bonitati: erumpet, crede, in asperiorem longe, & grauiorem aduersum te iram omnipotentis indignatio diuina, expectatione collecta, & acerbata, atque in die iræ, & iuriatia eius tibi apparebit. Nouit enim ipse, & scit optime temporum mensuram, & suum cuiq; tempus, sua spatia præstituit, vita quæ non est amplius veritatem iudicij sui, & præmium, aut pœnam pro meritis prorogaturus. Illud enim in die iræ, & reuelationis iusti Dei, quanquam de illo vltimo, generalique iudicio intelligi congrue potest, tamen melius refertur ad diem illum, quem singulis præstituit, vt de illis iudicium faciat Deus, qui quidem dies sæpe etiam in hac vita manifestus fit. Siue autem in hoc, siue in altero seculo, siue ad peculiare, & suum cuiusque, siue ad cunctorum vniuersum, communeque iudicium: singulis sua constituta, & præscripta dies est, qua ad disquisitionem anteacta vita vocandi sunt, vt vel iusta seueritate Dei puniantur, si in malo se euacuerunt, vel bonitate, & clementia conseruentur, si id bonis & sanctis operibus sunt promeriti. Est enim vnicuique Deus iudicium eius opera mercedem redditurus. At quomodo redditurus? lege quæ sequuntur.

His quidem per perseuerantiam operis boni & gloriam, & honorem, & incorruptibilitatem quærentibus vitam æternam: his vero, qui contentiosi sunt, & non obediunt quidem veritati, obtemperant autem iniustitiæ, indignatio, & ira, compressio, & ange-

animam in omnem animam hominis perpetrantis malum. Et Iudæo primum, & Græci: Gloria autem, & honor, & pax omni operanti bonum, & Iudæo primum, & Græco. Non enim personarum est differentia apud Deum. Quicunque enim sine lege peccauerunt, sine lege & peribunt, & quicunque in lege peccauerunt, per legem iudicabuntur. Non enim auditores legis iusti apud Deum sunt, sed obseruatores legis iustificabuntur.

REDDET, inquit, vnicuique secundum opera eius, reddet vitam, his qui per boni operis perseuerantiam quærunt vitam æternam, quid reddet? gloriam, & honorem, & immortalitatem, inquit. His verò, qui per contumaciam, & studium contradicendi, contraque faciendi veritatem non audiunt, neque se illi traduut faciles & dociles, sed iniustitiam sectantur, illiusque prauis persuasionibus potiùs obtemperant, indignatio adest, atque ira à summo Deo, oppressioque, & angor in omnem animam hominis malum perpetrantis, & Iudæi primùm, & Græci. His quidem qui iustitiam sectantur & veritatem, præmium aderit gloriæ, vitæque immortalis. His verò, qui repugnant veritati, & se dant iniustitiæ, iam adest pœna indignationis summi Dei. Omnium enim talium anima iam oppressa angoribus, vexata solicitudinibus, stimulis prauarum cupiditatum puncta, atque exagitata, non habet locum, vbi respirare possit, sed monstris sceleris, quæ ipsamet in se perpetrando progenuit, assiduè perterrita premitur in angustum, nullumque in se sibi solatium continuum habet, sed fallacium solamenta voluptatum interdum à corpore mutuata, post breuem illam, vanamque suauitatem, ad sinos tamen mœrores intestinos redeat necesse est. Hæc, inquit, pœna iam adest omni animæ perpetranti malum, quæ non futuram gehennæ damnationem auferat, sed quæ iram Dei iam in hac vita sceleratis repræsentet: Quicunque ille fuerit, inquit, siue Iudæus antea genere, aut professione, siue Græcus, & è contrario, qui bonum operatus fuerit, & in rectè faciendo perseuerantiam adhibuerit, non alium sibi finem propositum habens præter Deum, & vitam æternam, immortali hic honore, & gloria à Deo afficietur, siue ille antea Iudæus fuerit natus, siue Græcus, non enim personas Deus, sed personarum facta, meritique discernit. Atque in hoc loco quod suprà diximus, denuò reperimus. Illud, primum, non conditionis dignitatem vllam exprimere, sed notationem temporis. Antequam enim fides etiam CHRISTI reconciliationem humani generis cum conditore hominum per ipsius Dei clementiam efficeret, æstimabantur omnes apud Deum non ex nationis merito, sed ex operibus bonis,

aut malis, in quo Iudæorum leuior & labor, & ratio multò facilior fuit adipiscendi regni Dei. Legem enim habebant, quæ instruebantur, sed & de gentibus, si qui veritatis vim cognouerant, & Dei amore capti illi sese in moribus, & voluntatibus suis conformauerant, ipsumq; sibi præmium, & vitam ab eo æternam depoposcerãt: hos Dei æquitas, & misericordia nullo modo patebatur spe, & voto suo esse deceptos. Atq; hoc prouidè Paulus interposuit, vt Iudęorum reprimeret insolentiã, ad quos mox coarguendos a reprehensione gentium erat transiturus, vt ostenderet curæ semper fuisse Deo, quocunque è genere eos homines, qui Deum sibi ipsum, summum bonum proposuissent. Iudæi enim cum magno se à gentibus discrimine separari persuasum sibi haberent, cognitione scilicet veri Dei, & obseruantia legis, legeq́ue maximè & semper gentibus opponerent, & superbiis illis quodam modo gloriarentur, omnemq́ue in illa spem haberent repositam, ita se gerebant perinde ac Deus propter deorum legis, quod Iudæorum nationi fecerat, ipsorum esset proprius Deus, & non cum aliis gentibus se communicaret. Quorum hanc tantam Paulus arrogantiam contundat, idcirco legem iam eneruare incipit, & omnem rationem salutis ante Euangelium quidem operibus bonis, in Euangelio autem fidei ergo Deum per IESVM Christum acceptam ferri dicere. ERGO inquit SILIVS, antequam CHRISTI fides mundo esset denunciata, non Iudæis solùm, sed vnicuique ex gentibus aditus in cœlum per bona opera patebat, in quo video a sanctis viris esse aliquibus dubitatum. Sed vt hoc sic abeat, qui illud, quemadmodum accipiendum est? vt operibus bonis nostris, non iam gratiæ omnipotentis Dei, nostræ sit salutis spes, & immortalis vita accepta referenda.

TVM EGO: Non mediocrem commoues disputationem mi frater, sed ego quàm breuissimè potero, quæstionibus tuis occurram. Neque ita, vt mea dicta sic accipi velim, quasi ea tam fixaq́ue sint, verùm cum hac conditione, hocq́ue pacto si authoritate Ecclesiæ fuerint approbata, quod idem vbique, & in omnibus volo intelligi. Ac quod ad primum tuum postulatum pertinet, non videtur esse dubium, quin hoc apertè decernat Paulus. Antequam virtus fidei per IESVM Christum mundo esset enunciata, licuisse veteribus illis tum Græcis, tum Iudæis, quinctum ordinem vitæ secuti essent, & operibus bonis se exercuissent, ad cœleste præmium peruenire. Sed quæ sint opera, id enucleatius tradendum est. Bona opera sunt, quæ & ex bono initio oriuntur, & ad bonum finem pertendunt. Quicunq; enim boni operis sui finem aut in laude hominum (id quod ex gentibus, qui excelsiore animo esse videbantur, cuncti ferè facientes)

aut

ue in pecuniæ præmio, aut in voluptatis, aut in opportunitatibus, & commodis vitæ degendæ ponit, is, vt illud assequatur, quod postulat, veruntamen fructum operis boni deperdit, qui est vita æterna. Rursus si quis ipsam vitam æternam appeteret, & ad eam omnibus suis consiliis, conatibusque contenderet, atque is opem tamen suo optato consequendo auxiliumque posceretur ab iis, quorum illius dandæ, & concedendæ non esset potestas, hoc est à falsis diis, næ iste quoque spe sua, & ratione tota falleretur. In ipso enim capite, & principio veritatis, errore lapsus in diuersum longè tenderet, quàm sibi ipse ab initio proposuisset. Quid ergo est? ex vtraque parte necesse est, ex capite videlicet, atque ex fine non falli eum, qui sit honorem immortalitatis adepturus, & vt petat à summo, & vero Deo, & vt quod optimum est, petat, vitam scilicet æternam. Quapropter Paulus nouum hunc, & difficilem Iudæis proponens locũ, His, inquit, per boni operis perseuerantiam quærentibus vitam æternam, gloriam, & honorem, & immortalitatem largiturus est Deus. Et ad Hebræos: Oportet accedentem ad Deum credere primum, quod Deus est, & sit remunerator quærentibus se. His ergo, qui ab vno Deo & omnipotente quæsiuerunt vitam æternam, finique desiderij consequendi spem in ipso illo eodem per perseuerantiam in bonis operibus posuerunt, nullo vnquã tempore, siue illi Græci, siue Iudæi extiterunt, defuit Deus. Verùm ita se res ante CHRISTI fidem habebat, vt Iudæi & Græci in capite quidem discordes essent, in fine ipso consentirent. Quærebant enim vulgò non vitam æternam, non enim eam, neque gentes agnoscebant, neque Iudęi in lege propositam habebant: sed fructus terræ, & vitæ commoda consectabantur, opes, familias, liberos, regna, pacem, atq; otium, & eiusmodi bona, quæ absunt animum a summo bono, intraq; breue curriculum humanæ vitæ omnia conclusa sunt. In eo autem diserepabant, quod Iudęi ista ipsa terrena bona ab optimo tamẽ authore Deo expetebant, gentes ab mentitis & falsis diis. Ex quo patet etiam alteri tuæ curiositati responsio. Non enim sine eximia, & peculiari gratia Dei, si quis ex hoc communi errore se emerserat, & ad Deum verum fugę immortalitatis spem votumq; direxerat, poterat aut in tam præclaro consilio insistere, aut tanti præmij honore non falli. Ac quod ad Iudęos quidem attinet, plurimos eorum nouimus ab ipso Deo edoctos non solùm de præsenti eius vi & maiestate, sed de CHRISTO futuro, ac venturis per ipsum in hominum posteritatem Dei beneficiis, multa, & magna, & mira cecinisse. De gentibus verò partim ante legem datam multos scimus à Deo in veritatem, & sanctitatem vocatos fuisse, vt Enoch, vt Noe, vt Melchisedech, ipsumque imprimis Abraam, partim post-

quam lex fuerit tradita de ipsis Græcis, si qui verum, & vnicum Deum libenter agnouerunt, eumque adorando, & colendo venerati sunt, beneficiaque ab eo, quæ essent optima, petiuerunt, illius bonitati, potentiæque confisi, credibile est illos benignitate, & clementia summi Dei, sui exitum desiderij, & honorem immortalitatis esse assecutos. Quod enim gratiæ iam est, & liberalitatis suæ, bonis mentibus semper occurrit Deus, & illis ostendit lumen veritatis suæ, neque in hoc munere benignitatis, & iustitiæ, suæ vnquam bonitati finem, modumque præstitit, nec in beneficiis suis dilargiendis hominem ab homine, aut Iudæum à Græco vult sibi esse eximium. Itaque Petrus in actis: Rem vera percipio, inquit, quod non est personarum fautor Deus, sed in omni gente, qui operatur iustitiam, acceptus illi est. PRORSVS mihi ista probantur, inquit IVLIVS, estq; mihi abs te satisfactum, sed qui restare videbatur scrupulus huiusmodi. Quid ergo actualis fides Christi, si ante eam licebat præmium adipisci, quod sola ipsa polliceri videtur? quoniam de hac re Paulus alio loco tractaturus est, suo loco potiùs id abs te petam. Nunc pergamus ad reliqua.

Quicunq; enim sine lege peccauerunt, sine lege & peribunt: & quicunq; in lege peccauerunt, per legem iudicabuntur.

VIDESNE æquitatem diuinæ legis, & conditionis? siquidem omni peccanti siue in lege, siue extra legem, iudicium nihilominùs, & damnatio est cõstituta, necessariò omni rectè facienti, siue in lege, siue extra legem, suũ paratum præmium, & propositũ est.

Non enim auditores legis iusti apud Deum, sed obseruatores legis iustificabuntur: vbi enim gentes legem non habentes natura ea quæ sunt legis agunt, hi legem non habentes, sibi ipsi sunt lex. Qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, contestante eorum conscientia, & alternis inter se ratiocinationibus accusantibus, aut etiam defendentibus in die, quando iudicabit Deus occulta hominum secundum Euangelium meum per IESVM *Christum.*

AMPLIVS etiam confirmatur ab Apostolo hæc ratio, nec enim legem habere, aut legem obseruare iustificat apud Deum. Si tantum habere, nihil omnino tribuendum est operibus bonis, sed solum nomen generis, & nationis valet apud Deum, omnino prorsus Iudæi in tuto sunt, etiam qui contra Deum, & legem peccando veniunt: Græci verò funditus & omnino sunt perditi, quamuis probi eorum aliqui, & iusti, de Deo & de iustitia Dei rectè senserint, factisq; quod senserunt, id præ se tulerint, & vitam cum pietate, ac ratione honoris Dei causa totam direxerint,

hi ra-

lumen vniuersi & frustra in optimis actionibus se exercuerunt, adeo qua spem loeauerant in summo Deo, falsi, atq; decepti nihilominus intereunt, quod est à Dei veritate & iustitia remotissimum. Sin autem legis potius obseruatio facit iustitiam, etiam qui legem istam in tabulis non habuerunt, opera autem legis & naturæ dono, & voluntatis proposito obseruauerunt, apud Deum iusti sunt effecti. Legem enim quam in literis expressam non habebant, in cordibus suis scriptura meliore impressam habuerunt, & quoniam non est satis recte facere, nisi id etiam sponte, & recto consilio fiat, ideo adiecit Apostolus, Cõtestante eorum conscientia, & alternis inter se ratiocinationibus accusantibus, aut etiam defendentibus. Illud enim opus vere bonum est, quod non casu, aut tantum vsu, sed quod mente recti cõscia, post variarum disceptationes rationum diffinito consilio quis facit, in quo vno consistit virtus. Quod sequitur autem in die, quando iudicabit Deus occulta hominum, traiectio est, ad id enim retro trahitur, quod supra dictum est, quæ enim in cordibus nunc sunt scripta, hominibus occulta sunt, donec ad illius supremi iudicij diem veniatur, quo tempore vtique illa omnibus patebunt, & palàm exposita erunt. Cuius quidem iudicij denunciatio in veteri quidem lege pluribus locis notata, à Christo autem clarius in Euangelio clarius significata est, qui est iudicium illud pro patre Deo exerciturus, atque ideo dictum secundum Euangelium meum per Iesum Christum. Porrò Pauli Euangelium idem est, quod & Christi, sed non eodem modo. Euangelij enim author Christus, minister Paulus. Sed & cunctorum, qui rite credunt in Christum, vnum atque idem, quod & Dei, & Pauli Euangelium est.

Ecce tu Iudæus cognominaris, & acquiescis legi, & gloriaris in Deo & cognoscis voluntatẽ, & probas quæ meliora sunt instructus ex lege, persuasusq; es te ducẽ esse cæcorum, lumen eorum, qui in tenebris sunt, eruditorem insipientium, doctorẽ simplicium, vt qui habeas formationẽ cognitionis, & veritatis in lege. Atqui tu docens alterum, teipsum non doces, qui prædicas non furandum, furaris: qui dicis non adulterandum, adulteras: qui abominaris idola, sacrilegium committis. Qui in lege gloriaris, per prauricationem legis Deum inhonestas. Nomen n. Dei propter vos vituperatur inter gentes, quemadmodum scriptum est.

Hoc scriptum est in Esaia dicente: Dominatores eius iniquè agunt, & iugiter tota die nomen meum blasphematur. Ezechielquoq; est: Cum dicit dominus non propter vos ego faciam domus

mus Israel, sed propter nomen sanctum meum, quod polluistis in gentibus. Verum illud vrget Apostolus, non esse legi, neque scientiæ legis, sed bonis ex legis doctrina operib. confidendũ. Quamobrem Iudæi qui se Doctores aliorum, & tanquam duces cæterorum esse arbitrabantur, tumebantque fastu quodam ex scientia, & cognitione legis, cum ijs quæ ipsi nullo suo labore, sed tantum lectione diuinæ legis comparauerant admodum gloriarentur, sibique plurimum arrogarent, cæteros autem vellent habere subiectos sibi, & veluti discipulos, & cum ea, quæ cæteris præcipiebant facienda, ipsi minime facerent, non modo nullam partem iustitię ex lege consequebantur, sed insuper dedecorabant inter gentes, & legem, & authorem, ac latorem legis dominum Deum. Nam quã ait: Qui abominaris idola, sacrilegium committis. De sacrilegio hoc sic intelligendum est. Iudæi qui propter Dei honorem idola abominabantur, & in hoc certe honorem Deo verò habebant, rursum eundem Deum ex alia parte suis malefactis dehonestãdo detrahere illi conabantur, quod prius concesserant, & quem illa veneratione, illoque cultu habuerant dignum cuius causa idola detestarentur, nunc præ suis vitijs & cupiditatibus indignum rursus ducerent, cui in bonis moribus honor, & in pijs, ac sanctis operibus haberetur. Ita abominatio idolorum, pietatis illis laudem erga Deum exhibebat. Rursus autem Dei iniuria dehonestatio, quem alio genere criminum dedecorabant, sacrilegij eisdem notam inurebat. Sed possunt hæc verba illo etiam modo exponi: Quod Iudæi scilicet: qui idola abominabantur, & omnia, quæ honori idolorum data consecrataque essent, eadem abominatione aspernabantur, statuebantque impura, & polluta esse, neque sibi licere illa ipsa contingere, ijdem tamen hoc fas & legitimum, auaritia adducti, aut intemperantia violabant. Saepe enim nonnulli eorum partim depeculabantur donaria deorũ, partim ex ijs, quæ oblata fuerant dijs, esculentis, poculentisque vescebantur. Cum autem è sacro loco in profanum auferre sacrilegium sit, ipsi contraria quadam specie ex abominato loco, atque incesto in sacrum surripiebant, cum semetipsos illarum rerum furto, contactuque polluerent, legemque Dei, & præcepta illius præuaricando violarent, quod ipsum erat proprium Iudæi sacrilegium.

Nam circuncisio quidem prodest, si legem obserues: sin autem transgressor legis sis, circuncisio tua præputium facta est: si ergo præputium iusta legis custodiat, nónne præputium illius in circuncisionem reputabitur, & iudicabit ex natura præputium legem complens, te per literam & circuncisionem transgressorem legis

bit: Non enim qui in aperto Iudæus, neque quæ in aperto in carne, circuncisio est: sed qui in occulto est Iudæus, & circuncisio cordis in spiritu, non in litera est, cuius laus non ex hominibus sed ex Deo.

Iam intrat magis, vt inanes, irritosque ostendat exteriores ritus, & corporeas obseruationes legis fiduciamque super his, quã habebant Iudæi, penitus infringat, quodque veræ, & Deo acceptæ religionis est proprium, ritus externos, & corporeas obseruationes legis omnia ad interiorem hominem, & ad spiritũ cordis reducat, in quo solo est veritas. Ac circuncisionem ostendit prodesse quidem, si præcepta legis seruentur: si autem frangatur contrarijs operibus, & violetur lex, nihil iam inter illiusmodi circuncisionem, & inter præputium gentium interesse. Si enim interest, & carnis circuncisio vim habeat iustificandi, nullum iam apud Deum virtutis & vitij, boni, & mali discrimen amplius sit, vereque vis diuinæ iustitiæ tota euanescat necesse est. Si vero hoc falsum non potest, illud econtrario est necessarium, vt si gentes, quæ circuncisionem carnis non gerunt, corde tamen circuncisæ sint, explentque naturæ quadam bonitate mandata legis, illarum præputium Deo pro circuncisione habeatur. Non enim qui se Iudæum profitetur, præseferréque abscissionem præputij, ille statim Iudæus est, nec carnis circuncisio, statim circuncisio, sed quia occulto Iudæus est, ille vere est Iudæus, hoc est, qui non in carnalibus signis, sed in mente, & voluntate legem fert: qui vim legis intelligit, illique obtemperat, is Iudæus vere est. Item circuncisio cordis in spiritu non in litera vera circuncisio est. Nam circuncisio carnis signum illius est, quæ est in corde circuncisionis. de fallere quidem potest, & mentiri quæ in signo est circuncisio, illa autem cordis fallere, aut falli neutiquam potest. Ac vt aliquid de toto hoc ritu circuncisionis loquamur, Abraham cum per fidem, & obedientiam probatus Deo fuisset, gratiamque eius sibi iam comparauisset, non egebat ille quidem circuncisionis signo, quo apud Deum fieret gratior, sed cum circuncidi iussus est, id eo factum est quæsitum, vt initium signo faceret in totam posteritatem suam, quo qui successuri spatio temporum essent, indicium gererent generis, & prosapiæ Abraam à reliquisque generibus distinguerentur, vt manifesta foret suo tempore benedictio gentiũ ex semine Abrahę profectura, & simul vt circuncisionem illam signum obedientiæ patris sui Abraam erga Deum præ se ferrent, suis & ipsi in obtemperando Deo esse studerent similes, circunciseque in carne facta, in spiritu tamen magis per illam vmbram corporis quæsita est, præsertimque in populo illo, qui duris semper fuit cernicibus, ideoque in membro illo potissimum facta est cir-

circuncisio, quod maxime aduersarium, & contumax est ratione.
Hoc signo, vt diximus, non egebat Abraam. Eius enim cœtâ Dei
humilitas, & reuerentia, & in omni parendi studio alacritas, atq;
obedientia signum illud anteuenerat. Sed cæteris exemplo esse
est iussus, vt per corporeum signum posteriores moniti ad consi-
derandam fidem, & obedientiam Abraæ, quam is habuit Deo, ac
perinde ad eam imitandam se conferrent. Igitur in populi diu
terrestri, & carneo, & ad ea, quæ terræ sunt potius semper abe-
lanti, valuit obseruatio, & signum circuncisionis. Vnde enim
illis, & signa pro veritate diu fuerunt. itaque illis, tanquam car-
nalibus terror legis, & pœnæ, & sacrificia victimarum, & ac-
execratio aduersus eos, qui à præceptis legis deficerent, proposi-
ta est, vt adigerentur, qui sua voluntate nollent, quacunq; posse
ratione ad cultum, & obedientiam veri Dei, inuitique faciunt
quod pater eorum Abraam sponte ante fecisset. Postquam ea
aduenit plenitudo temporis eius, quod omnipotentis Dei con-
silio ante fuerat præscriptum, & in quo fractis legis, & iustitiæ
omnibus repagulis, in omne genus criminum, hominum natura
collapsa erat, tunc tanquam adultum iam hominem, non pueri
iam, aut impubem amplius, sed virum effectum, & ratione etiam,
non sensu dirigere valentem, non minis, & suppliciis dominum,
sed clementia, & humanitate voluit ad sese, & ad sui studium, a-
moremque reuocare. In quo multa, & magna suæ potentiæ, &
bonitatis signa ostendit. Nam quod omnino perditos inuocauit
ad vitam, præsertim facillimo genere remedij, quod in credendo
Deo per IESVM Christum consistit, potentiæ illius fuit. Quod filij
rebelles, & maxime aduersarios recepit in gratiam, iustitiam hoc
eius declarauit bonitatem, coniunctam pari iustitiæ, & sapientiæ
gloria. Sapientiæ, quod nullis culpis, & sceleribus à benefacien-
do deductus facilem viam ostendit ad sanitatem redeundi, & o-
pus cæterorum propè nobilissimum, quod postremum operum
suorum ipsemet effecerat, vitio suo corruptum, ad maiorem ea-
iam quam prius integritatem restituit. Iustitiæ quod cogitauit
& respexit, non quid nobis, sed quid sua immensa virtute, & in-
nignitate esset dignum. Egit autem nobiscum, quem admodum
ante egerat cum patre nostro Abraam: Iustius enim filij eius
mus, si fidei eius, quam si carnis reperiamur hæredes. Ita enim
Apostolus: Scitis, quod hi qui ex fide sunt, ij sunt filij Abraæ. Ho-
rò ita egit cum eo, vt eum euocaret, iuberetq; egredi ex domo, &
gente, & cognatione sua, & in eas terras, quas ipse esset illi ostu-
turus, migrare, pollicens semini eius illas æternas se daturus. Ne-
menq; ipsum & progeniem Abraæ sic multiplicaturum, vt nume-
rari quondam non posset. Crediditq; Abraam Deo, & reputatum
est illi ad iustitiam. Etsi enim in patria prius degendo, & inter pe-
pulatio,

ribus, cognatosq; viuendo, qui ad idolorum cultum deflexerant, offensam forte aliquam in Deum contraxerat, illiusque nomen, honoremq; violauerat: tamen eo ipso, quod Deo facile credidit, iustus statim est effectus. Maxima enim & potissima parte iustitiæ suscepta, minores illas iniustitias facilè elisit. Est autem summa iustitia dare honorem Deo in cultu quidem etiam, & sacrificio, & voce, gestuq; corporis. Sed hæc simulari possunt. Dare autem honorem in corde, & spiritu vera est Dei omnipotentis adoratio, quæ præcipue consistit in eo, si credatur illi, & pareatur, eamquam qui credunt, qui possunt non parere? Quod ergo egit Deus cum Abraam primò, egit idem postea nobiscum. Exciuit enim nos, eduxitq; ex domo & cognatione nostra in qua ipse parum rite colebatur, hoc est ex vitijs, & peccatis nostris, & à falsorum cultu deorum. Sicut scriptum est: Audi filia & vide, & inclina aurem tuam, & obliuiscere populum tuum, & domum patris tui, & concupiscet rex decorem tuum. Nouamq; in vitam transtulit, quam, si illi pareamus, æternam est nobis, & immortalem traditum. Omnia enim quæ tunc in corpore, & carneo homine humano modo facta sunt, in spiritu, & veritate in nobis diuinitus implentur. Nam nec terram Chanaam, quam semini Abraę in æternum se daturum pollicitus est Deus, æternam tamen tradidit. Sunt enim Iudæi carnale semen Abraæ, iamdiu inde depulsi, atq; exciti, nec rursus innumerabile, vt cœli stellæ, semen Abraæ extitit, quod quidem in carne fuit deductum. Sed & nos filij fidei eius innumerabiles, & possessio terræ æterna immortalis vita est. Omnis enim Dei promissio æternitatem continens, spiritualiter intelligenda est, quoniam in solo spiritu inest æternitas, terrena autem omnia caduca, & instabilia sunt, & ab ipso æternitatis iure perpetuo remota. Credidimus & nos Deo per Iesum Christum, & è vita pristina emersimus, in nouamque fuimus traducti. Fidesque ista nostra, & obedientia erga Deum, ad iustitiam nobis quoq; reputata est, in eumque statum, gradumque amicitiæ, & gratiæ apud Deum sumus prouecti, in quo fuit Abraam, antequam signum circuncisionis in exemplum futuræ posteritatis acciperet. Sed nec ipse tum circuncisione propter se egebat, neque nos egemus. Per fidem enim Christi intellecto circuncisionis mysterio, & eo vere, ac spiritualiter suscepto, inanis penitus, & supernacanea facta est carnis circuncisio. Non enim amplius signum, pactumq; obediendi, & credendi, sed fidem ipsam, & obedientiam obtinemus. Neque in carne opera legis, sed in spiritu ipso gemus, qui filij Abraæ sumus, non per carnem, sed per fidem, in qua ne ille quidem eguit circuncisione, vt gratiam Dei acquireret. Ante enim circuncisionem illi & fides, & gratia Dei erat parata. Neque rursus signo opus nobis est, quò à cæteris gentibus

separe-

ſeparemur. Non enim genus vnum, & progenies vna, ſed omnes vndique homines ad fidem Chriſti inuitati, vocatique ſunt. Circuncidamur igitur nos corde, quæ eſt vera circuncilio, carnis autem vmbras, & ſignacula repudiemus. Atque vtinam recte circuncideremur, amputatisque omnibus terrenis curis, affectionibusque, ſtudio, & amore raperemur ad vnum Deum per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, qui exiſtit nobis huius diuini beneficij, gratiæque largitor, vt cum maxime oppreſſi, & cooperti omnibus flagitijs, criminibusque eſſemus, illamque etiam iuſtitiam penitus amiſiſſemus, quæ in bonis operibus eſt ſita, repente præter ſpem, nec opinantes ad multo maiorem, præſtantioremque iuſtitiam veniremus, vt credentes Deo, & per fidem credulitatis noſtræ ipſius diuinæ iuſtitiæ ſignaculo inſigniti, non hanc, illamue virtutem, ſed totum, & vniuerſum, quod eſt virtus, idque diuino propè modo, per Dei eiuſdem gratiam aſſequeremur, vſque quidem, vt non reconciliati ſolum, tanquam amici, ſed adoptati à Deo, tanquam filij ſummum gradum honoris, & gloriæ [illegible] mus adepti. Sed pergamus ad reliqua. Nam quà ait Apoſtolus: Cuius laus non ex hominibus eſt, ſed ex Deo, affirmat in omnibus prorſus ſpiritus veritatem qui ſimulatione nulla ſemetipſum deducit, ſed rectus, & ſimplex fertur ad ipſum Deum, ſeſeque alijs ni oſtendit, & probat, neque alium extra quærit ſyncerum [illegible] ſpectatorem, aut iudicem. Caro autem contra ſe habet, & tota foras conuerſa eſt, quæque in carne ſigna impreſſa, meliſſæ ſunt, oculis hominum iudicantur, nõ approbatione ſummi Dei. Quod ſi animi motus, & appetitiones, & conſilia ad humanam laudem, aut cupiditatum terrenarum expletionem foras & ipſa ſpectant, carni iam coniuncta & cum ea conflata carneum hominem efficiunt, qui totus pendet extrinſecus ex hominum iudicio, non ex probatione Dei, & laude, atque is cum varium, & mutabile ſit illud, ad quod ſe accommodat, nihil enim eſt opinione hominum & popularibus ſtudijs, neque rurſus affectu cupiditatum leuius aut inconſtantius, varias & ipſe ſpecies, ac formas ſubeat necſſe eſt, vt ſimulare, vt mentiri, vt fallere, vt nunc hoc præ ſe ferre, [illegible] illud continue cogatur. Qui vero in vno Deo, & vnius Dei iudicio ac voluntate fixus ſpiritus eſt, is ipſe quoque rectus, & vniuſcuiuſque æternęque, & immutabilis compos veritatis, ſemper & vſquequaque ſibi conſentiens eſt, nec fallaciam vllam, aut vmbram, [illegible] item fluctum varietatis admittit. Ex quo etiam patet iſta [illegible] or Maumethanorum lex, quæ ex duabus prioribus legibus [illegible] ſis, & CHRISTI decerpta, maleque cohærens neutrius [illegible] virtutem imitatur, quam praue, quamque peruerſe accepit [illegible] angelium, & à ſpirituali intelligentia illius auerſa fuerit, [illegible] à corporalibus ad ſpiritualia diuini ordinis fuerit proteſtis [illegible]

hominum genus salutari doctrina imbuendum, atque erudiendum: ipsa retro rursus à spiritu ad carnem, corpusque redacta est. Quid illa in corporeis hisce rationem salutis esse positam putauit attinuit legem nouam condere? & ab ea quæ Iudæorum fuit tantulum deflectere? Quanquam de ista nihil quidem mirum est, plena etenim est tota ineptiarum, & insulsitatis. Quo-circa nos resipiscant, qui ex ea infatuati sunt, omnem bonarum literarum, & bonorum authorum lectionem, omniaque istiusmodi oprimarum sectatoribus suis inania ducit. Itaque fit, vt homines sua sponte carnales huius legis institutione ferrei pecudum instar fiant, nullumque spirituale agnoscant hominis intestini cum Deo commercium. Tum IVLIVS: Ita se res habet, vt tu dicis, inquit. Sola enim recta est intelligentia, quæ spiritualis est, neque vllam habere potest rationem, id quod in corpore fit ad salutem, & vitam æternam necessario pertinere, nisi quatenus forte aut indicium aliquod præseferat, & velut testimonium interioris hominis voluntatis, aut ad reprimendos carnales affectus valeat, quanquam hoc posterius, si ratio ipsa per se regnat, totum videri potest superuacaneum. In signo autem vtique indicio maior sæpe inest religio. Qualis apud nos baptismus est, qui eius esse virtutis perhibetur, vt absque eo ad vitam æternam non liceat aspirare. Quod & ipse testatus est CHRISTVS, Qui crediderit, inquiens, & baptizatus fuerit, saluus erit, perinde ac sine baptismo non queat quis saluus fieri. PLVRIMVM mi frater, inquam, nostræ baptismi rationi ab illa Iudæorum circuncisione interest. Illi enim in corpore illo signo penitus inhærebant, nihilque ex eo intestinum, aut spirituale ex legis litera cogitabant. Nos hunc ex aqua baptismum sine Spiritu sancto, nos intus lauante infructuosum esse ducimus. Necessaria illis ad vitam, neque eam æternam, sed mortalem, talis erat circuncisio præputij manu videlicet facta. Quemadmodum scriptum est, quod masculinum non circumciderur carnem præputij sui octauo die, anima illa disperat è genere suo quoniam testamentum meum dissipauit. Nos nec tam præcisam & asperam præceptionem habuimus, nec tantam necessitatem huius per aquam baptismi agnoscimus, vt sine eo salui esse non possimus. Sæpe enim sanguine suo, sæpe ipso per se Spiritu sancto, ipsaque fide in Christum, sine aqua, & ministro baptizati ad vitam æternam sunt euecti, sicut & ille in cruce latro, & puerorum Bethleemitarum, multorumque præterea martyrum, aliorumque sanctorum res, & gesta indicant. Sed quoniam de hac eadem re aliquantò post erit disputandum, pergamus modo ad ea quæ sequuntur.

Quod ergo est id plus, quod habet Iudæus? aut quæ vtilitas circuncisionis? multum per omnem modum: primum quidem enim quod credita sunt illi oracula Dei.

ABIECTA iam circuncisione, qua maxime Iudæi gentibus se anteferebant, & sine ea ad CHRISTI fidem venientes salutem posse esse negabant, ne insultarent ex altera parte Iudæis, & illos inciperent gentes contemnere, reuertitur ad illorum causam, famamque defendendam, & sibi ipse opponit, si circuncisio, & cerimoniæ, & legitima Iudæorum nullius ad iustitiam momenti sunt, quid est, in quo gentibus Iudæus præcellat? Plurimum, inquit. Digna enim sola ea gens à Deo antehac habita est, quam ille & familiarem sibi haberet, & quam peculiari lege instruere, sibique perpetuo tanquam semen foueret, ac conseruaret, & quod promissum patribus Iudæorum æternæ hæreditatis mundi thorem in lucem suo tempore esset productus. Oracula Dei sunt, quæcunque ad docendum, regendum, & maximam rerum promissionibus confirmandum populum Israeliticum. Deo prolata sunt, quæ illi generi sunt credita, quod erat nota circuncisionis signatum, quoad pro semine genus illud fuit, fructu enim postea vniuersæ salutis in omnes homines effuso, & vnius fidei passim omnibus demonstrata, non amplius signorum iustitiam, sed nec ad vnius gentis distinctionem circuncisionis nota fuit opus. Sed rursus de indignitate Iudæorum.

Quid enim si infideles eorum aliqui fuerunt, num infidelitas ipsorum fidem Dei abrogabit? Absit: sed sit Deus verax, omnis autem homo mendax, sicut scriptum est, vt iustificeris in sermonibus tuis, & vincas, cum iudicaris.

CVM opponeretur à detractoribus Iudæorum multa quidem & magna promisisse illis Deum, sed quoniam ipsi, quæ vicissim promiserant Deo, nempe quòd eum vnum Deum colerent, signumque credendi & obediendi illi, quod in circuncisione carnis gerebant, ipso opere, effectuque præstarent, atque complerent, eique & ducibus præpositis ab eo obtemperantes essent, legem & præcepta custodirent, multo maiore ex parte non seruauerunt, tametsi Apostolus, quod vniuersi fere egerunt, vt aduersus illum & legem contumaces essent, signumque circuncisionis eorum haberent, oratione ipsa lenit, & mitigat, quosdam eorum omnes infideles appellando. Cum ergo exprobraretur, quod eos Deum ipsi non seruauerant, nec Deum quidem ipsis fidem, quam dedisset, præstiturum esse, aut quæ pollicitus esset, re implerunt. Ne sit hoc, inquit Apostolus, vt fides Dei propter perfidiam hominum

tium imminuatur, imò quo nos mendaces magis, & perfidi simus, hoc magis fides illa Dei, & veritas elucet: sicut scriptum est, Vt iustificeris in sermonibus tuis, vt nunquam sermo tuus ò Deus sit irritus: & vincas, cum iudicaris. Cum oritur disceptatio, quæ ita constans tu tibi, cum qui ex aduerso tibi obstricti sunt, a fidelitate ipsi deficiant, nempe ideo vt tua vincat veritas, vt ipsa sola emineat, quæ non emineret, si tibi æqua fide ab hominibus responderetur. Vincere enim est pellere, & deijcere aduersarium, non pari cum eo marte contendere. Vincit ergo, & eminet tum maxime Dei veritas, & iustitia, cum nobis à nostra parte neutram illarum præstantibus, ipse ambas nihilominus inuiolatas retinet, & conseruat. Atque vt est Apostolus quæstionibus densus, & circunspiciens omnia quæ contra dici possunt, sic obijcit sibi statim, id quod à multis fuerat oppositum, & quotidie ab amatoribus mundi opponebatur, qui ex sermonibus ansam quærerent, quo suis cupiditatibus liberius obsequerentur, veritatem tamen consequi volebant, vt Deum nequaquam viderentur offendere.

Si autem iniustitia nostra Dei iustitiam commendat, quid dicemus: Num iniustus Deus, cum infert iram? secundum hominem loquor. Absit. Quoniam quo pacto iudicabit Deus mundum? Si enim veritas Dei meo mendacio eminentior facta est in gloriam ipsius, quid amplius velut peccator, ego iudicor, & non vt nos infamamur, & sic vt affirmant quidam nos dicere; quòd faciemus mala, vt veniant bona, quorum iudicium iustum est.

Si Iudæorum infidelitas fidem Dei magis illustrat, & mendacium hominum illius veritatem: Itemque iniquitas iustitiam, nónne melius est hoc bonum, quo amplificamus honorem, & gloriam summi Dei iniuste agendo, quàm malum istud ipsum, quod est iniuste agere? hoc alij fortasse sic sentiebant, alij nouæ sectæ Christianorum tanquam ita sentienti pro magno scelere obijciebant, & vtrisque occurrit Apostolus. His quidem sic sentientibus, atque ita persuasis & reputantibus iniustam esse iracundiam Dei, qua iniquis pœnam inferat, cum illorum iniquitas eius iustitiam reddat clariorem, obuiam id hac ratione, quod si ita res se haberet, vt iniuria talibus iraseceretur Deus, non posset amplius ipse mundum iudicare. Quo pacto enim iudicaret, si scelus illi pro virtute, & virtus pro scelere esset iudicanda? Aliis vero, qui hoc cultoribus Christi obijciebant, cum eos & ita esse sententia dicerent, & quod sentiebant, re ipsa efficere, vt mala agerent, quò bona sequerentur, hoc est, vt ipsi quidem sordibus polluerent, quò gloriã Dei immortalis in veritate & iu-

stitia ostenderent ampliorem, atque illo potissimum modo Deo gratiam inirent, qui hac inquam de re Christianos accusabant, & quod de illis suspicabantur, statim assensione animi confirmabant inauditosque, & indefensos suæ duntaxat opinionis iudicio condemnabant, cum essent de illis, contra quos paulo supra fuerat inuectus, qui scilicet tam facile suspicarentur & iudicant de altero, ait de istis ipsis iudicium iustum esse, vt iudicium accipiat hic pro damnatione, quemadmodum & alibi accipit, vt cum ad Timotheum scribit de viduis iunioribus: quæ ubi luxuriari cœperint, aduersus CHRISTVM volunt nubere, habentes iudicium, quod priorem fidem abrogauerint, id est, damnationem. Ita & horum detractorum dicit condemnationem iustam esse, quasi temere quidem isti alios iudicent, ipsi autem a Deo cum veritate sint iudicandi. Nam quà ait, Secundum hominem loquor, excusat temeritatem loquendi. Cum enim Deum tanquam reum iniustitiæ in quoddam quasi certamen deducit ab sese dici affirmat humano modo. Sicut ad Galatas, ex testamento, & firmitate testamenti, in Deo dicturus est, ait, fratres, secundum hominem loquor, id est, humanum de testamentis exemplum ad Deum transfero.

Quid ergo? antecellimus? non omnino. Ante enim arguimus Iudæos, & Græcos omnes sub peccato esse, quomodo scriptum est: Non est iustus, ne vnus quidem, non est intelligens, non est requirens Deum. Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt. Non est, qui faciat bonum, non est vsque ad vnum, sepulchrum patens est guttur eorum, linguis suis dolose egerunt, venenum aspidum sub labijs eorum, quorum os execratione, & amaritudine plenum est, veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem, Contritio & miseria in viis eorum, & viam pacis non cognouerunt, non est timor Dei ante oculos eorum.

Hoc testimonium scripturæ, quo omnes comprehendit sub peccato dicuntur, partim ex psalmis sumptum, partim ex Esaia est, licet in libro psalmorum legatur hæc a Paulo facta ex Davidis & Esaiæ dictis compositio. Aduocat autem scripturam in hanc rem, vt retundat denuo Iudæos extollentes se ex honore, quem habuit illis Deus, quod credidit eis oracula sua. Ipsum sunt, qui dicunt. Quid ergo? antecellimus? Quibus respondet, non omnino, id est, non prorsus antecellitis gentibus reliquis. Nam & eas paulo ante ostendimus sub peccato esse, vos quoque scriptura in eadem culpa esse coarguit.

Nam

Scimus autem quod quæcunq; lex loquitur eis, qui in lege sunt loquitur, vt omne os obstruatur, & obnoxius sit omnis mundus Deo, quoniam ex operib. legis non iustificabitur omnis caro coram ipso. Per legem n. cognitio peccati. Nunc vero seorsum à lege iustitia Dei manifesta facta est testificata ab lege, & à prophetis, iustitia, inquam, Dei per fidem Iesu Christi in omnes, & super omnes credentes. Nõ n. est distinctio, omnes n. peccauerunt, & egent gloria Dei, vt iustificentur gratis ipsius gratia per redemptionem quæ in Christo Iesu, quem proposuit Deus propitiatorem per fidem in ipsius sanguine, ad demonstrationem iustitiæ suæ ex remissione præteritorum peccatorum in tolerantia Dei ad demonstrationem iustitiæ suæ in præsenti tempore, qualiter ipse iustus sit, & iustificans eum qui est, ex fide Iesu.

Atqui ex lege testimonio, quo omnes etiam de populo Iudaico sub peccatum subiecti arguuntur, confirmat illud de Iudeis esse dictum, Quæcunq; enim loquitur lex his qui in lege sunt, id est, legi illi tenentur, & illi sunt subiecti, edicit, & loquitur. Legẽ videlicet appellans, sicut & sæpe alibi, scripturam veterem omnem, vt omne os, inquit obstruatur, & obnoxius sit totus mundus Deo. Atquomodo omne os, si tantum lex Iudæis loquitur? Quidgentibus satis suprà est demonstratum, eas esse cum primarium professione, qua falsos Deos & mentitam religionem colebantur, tum omnium peccatorum, ac vitiorũ colluuione à Deo alienas. Atq; illarum quidem facilis, & perspicua fuit accusatio. Iudei vero qui se populum electum, gentem sanctam, genus mundum esse existimabant, qui reliquos omnes præ se & præ lege sua, veluti pollutos, contaminatosq; despiciebant, nõ Apostoli verbis, sed legis testimonio redarguendi fuerunt. Ita Iudæis, Græcisq; sub peccatum omnibus conclusis obnoxius est mundus Deo, eo no illius arbitrio totus penitus dependens, siue ille iure damnare mundum velit, siue per clementiam, & benignitatem conseruare, quoniam ex operibus legis non iustificabitur omnis caro coram ipso. Per legem enim cognitio peccati. Non solũ nemo iustificatus est, inquit, omnes enim peccatorum cumulo obruti ab ea ipsa lege demonstrati sunt, in quo vitium & culpa ipsorum consistit: sed ne spes quidem est, si reuertantur ad legem, & mandata legis opere compleãt, vt sic etiam possint iustificari. Nõ enim iustificant opera legis, quæ iam est legis imbecillitas propria. Hic Iudex: Locum sanè difficilem & diu mihi dubitatum fatebor, inquit, quo pacto ex operibus legis nemo iustificetur, cũ videatur si quis legem seruauerit diligenter, & decem illa man-

data, quæ duabus tabulis perscripta à Deo, vel ab Angelo Dei sunt, ac populo Israëlitico per Moysen tradita, pia mente persecutus fuerit, merito illum cum Deo in gratia futurum. Sed & paulo ante quà dixit Apostolus, Non legis auditores apud Deum, sed eos, qui legem opere seruauerint, iustificatum iri: satis aperte mihi dicere visus est, ex operib. legis iustificationem coram Deo etiam esse. Hæc ego ita quæro, vt habeã aliquid quidem ipse, quod proferam, sed tamen ex te audire malim, quid sentias. IMMO FRATER inquam, fare quæso id quod habes, audacterq; mecum communica, quando hoc imprimis fraternum est, cogitationum quoque me tuarum sicut & mearum te participem esse. TVM ILLE: Faciam, inquit, quando ita me hortaris, & quod mihi videtur exponam, quod est huiusmodi, vt cum hoc propositum sibi habeat Apostolus, vt inanem & vacuam virium fide CHRISTI iam inuecta ostendat esse legem, duplici id comparatione efficere conetur: Vna, qua Iudæos cum gentibus comparat, altera, qua legem cum fide in contentionem deducit, ac quod ad Iudæos, & gentes pertinet, cum esset nimia Iudæorum de lege gloriatio, per quam serui gentium cum essent, illis tamen se proponebant, perinde atq; à Deo soli habiti digni, quibus ille legislator existeret. Hanc eorum gloriam paulo supra infringere volunt Apostolus, dicens, nõ ex eo gloriari eos oportere, quod legẽ haberent, sed inde potius, si legẽ opere seruarent: cũ non lex, sed legis opera sint, quę faciant iustitiam. Quod si gentes, quæ legem non habent, opera ipsæ legis implerent, verius ipsas tanquam adeptas vim iustitiæ gloriaturas, quam Iudæos, qui non in operibus legis, sed in ipsa lege scripta ponerent suam gloriam. In quo apparet subtilius inspicienti legis opera Apostolum non in illis corporeis, & carnalibus, neq; in circuncisione cutis præputij, aut horum, ac illorum esculentorũ abstinentia (hæc n. gentes, quæ legem nõ habebant, nullo modo nosse, neque assequi poterant) sed in spiritualibus operibus intellexisse, in quibus solis vera est legis obseruatio, quæ in illis corporeis, tanquam signis, & imaginibus, longe degenerans tamen & simulationi obnoxia relucet. Hanc enim legis, & operum ex lege spiritualem obseruantiam habere etiam poterant ipsæ gentes, & vnius tantum Dei virtute, & veritate cognita cor suum ad cultum, imitationemque illius, quoad homini fas est, conuertissent, cuius pietatis, & iustitiæ caput fides nihilominus & perfectio hæc fuisset, Deum vnum esse, & pie se cõlentibus remuneratorem existere. Ac prima quidem ista fuit inter scripturam legis, & inter opera, ab Apostolo facta comparatio, tanquam iustitiam ex operibus, quàm ex legis dono apud Deum quis iustificetur. Quod iustificandi verbum, eo enim varie vtitur Apostolus,

non pro plena, & integra iustificatione hic accipitur, sed pro ea, quantam conferre, & tribuere lex potest: sicut etiam & publicanus, qui confessus suam indignitatē, discessit iustificatus domum suam, non ex vniuersa, absolutaq; iustitia, sed ex vna parte iustitiæ iustificatus est, quòd se humilem, & peccati pœnitentem exhibuit Deo. Hoc autem in loco iustitia fidei, cum iustitia operū ex lege adducitur in contentionem, vt doceat id quod facere instituit, solam esse iustitiam fidei, & non legis, quæ vere, pleneque iustificet apud summum Deum. Ita opera quidem legis, magis quàm eiusdem legis professio apta erant ad iustificandum. Simpliciter vero neque ipsa apta, sed sola ex fide iustitia est, quæ coram Deo credentes iustificat. Quare cum in exortu fidei CHRISTI Iudæi etiam qui crediderant, ægrius tamen ferrent abijci, & pro nihilo haberi legem, illamque necessariam fidelibus esse dicerent, siue simulantes quæstus, & compendij sui causa, siue etiam verò ita existimantes, hoc loco, & alijs multis, his se opponens Apostolus legem omninò irritam, & opera legis cassa esse confirmat, ea re quidem, quoniā ex operibus legis nulla est carni iustificatio, vbi satis demonstrat se de eis operibus intelligere, quæ ad carnem pertinent, & corporea sunt, quà videlicet dicit ex operibus legis non iustificati omnem carnem coram Deo, hoc est omnem carni deditum, & carnis operibus fidentem hominem. Etenim si possit haberi ex lege iustificatio, magis illa ex spiritualibus, quam ex eis, quę in carne fiunt, operibus expectanda sit. Caro enim coram Deo comparere omnino non potest, nedum vt possit coram eo iustificari: & qui solus prodit in Dei conspectum spiritus non ex operibus carnis, sed ex suis recipit iustificationem. Commode MI FRATER, inquam, omnem hanc repugnantiam, quæ non exigua esse videbatur, ex Apostoli verbis, cum alibi ille opera legis abijcere, alibi adsciscere videatur, sustulisti, scripturamque legis, minus quam opera, sed neque opera ipsa legis præ fidei iustitia multum valere ad iustificandum posuisti. Sed cernis ipse profecto, quam ex eisdem verbis nacti ansam hi, qui modo exorti fidem CHRISTI optime constitutam perturbare nituntur, opera ab sese legum remoueant, fidem solam retineant, verbo tenus, vnam illam magnifacientes, opera despicientes, quò impune ipsi, & libere obtineant posse peccare: tanquam fides omnibus criminibus diluendis vna satis sit, nec solum pellendo illa, & abstergendo, cum ipsa adueniat, & suscipiatur: sed postquam etiam aduenerit, fueritque suscepta, ferendo ea, ac tolerando. Atque hi ante admodum & callide, dum obscuram, occultamque hominibus cordis sui sententiam, qua se habere fidem Deo prædicant, suis facinoribus prætendunt, imponere sese cæteris arbitrantur, & eos qui audiunt, tanti Apostoli authoritate constringere.

Ipsi autem interea cum Deo spectatore cordium agunt familia rius, & dum imperitis hominibus exterius se venditent, Dei iudicium, voluntatemque contemnunt. Et Apostolus quidem aperte, atque præcise non vno loco posuit ex operibus legis non iustificari omnem carnem: sed quomodo hoc intelligendum sit, qui interpretari, atque exponere conati sunt, auxerunt potius, quam sustulerunt difficultatem. Sunt enim adducti aliqui ut distinguerent opera legis partim in ea, quæ ad cerimonias pertinerent, partim in ea, quæ ad mores. Ac cerimonias quidem tanquam inanes ab iustificando reijcerent, mores amplecterentur, perinde quasi nos, qui verum Deum colimus, & filium Dei IESVM Christum, nihil in cerimonijs omninò momenti, & ponderis ad salutem nostram constituamus, sicut tu mi frater paulo ante de baptismo, & de confessione quoque, ac de ieiunio, alijsque multis potest proponi. Alij vero non iustificari ex operibus legis aiunt quam ita exposuerunt, eo quod legis opera ad vnguem perfecerit nemo. Quid si quis perficiat, num ideirco erit iustificatus? at quomodo nemo illa perfecit, cum etiam si quis aduersus legem aliquid commiserit, indicta habeat sacrificia, & expiationes, per quas ad legis iustitiam ei liceat reuerti? At nec qui summe obseruauerit legem, ille propterea iustificatus fuerit. Quoniam nemo ex ea possit iustificari, non est id hominis vitium, sed scriptæ legis, & omnino neminem legi obtemperasse, illiusque mandata diligenter custodijsse incredibile dictu est, cum præterea scriptura non paucis det seruatæ legis testimonium, vt de Tobia, & de Daniele, & tribus pueris scriptum est, & in Euangelio de eo, qui petens à Domino beatæ vitæ consilium omnia legis mandata ab ineunte ætate expleuisse, est professus. Quod item de Zacharia, & Elisabethe, & Simeone, deque ipso Ioseph est relatum. Quare illa probabilior meo iudicio est expositio, quam tu mi frater paulo ante strictim attigisti, ideirco coram Deo non iustificare opera legis, quia lex nec menti, nec spiritui vim afferre imperando potest, sed tantum corpori, atque carni. Sui enim arbitrij semper est spiritus, caro autem præcepto, & præsenti pœnæ, si imperium legis detrectet, est obnoxia. Porrò autem a carne, & corpore nulla coram Deo est iustificatio. Etenim qui ita præcepta legis obseruant, vt omnem illorum cultum ponant in operibus ferant, ipsi vero intus à Deo alieni humanis tantum opinionibus, quæ exteriora intuentur, quærunt satisfacere, legi quidem iusti, de his enim solum, quæ in aperto sunt, iubet lex, ipsum autem penes Deum iniqui, & iniusti iure optimo habentur. Quid si dixerit quispiam, aliqui sint, qui mandatorum custodiendis Deo potissimum placere, moremque illi gerere studeant, num hi ex legis operibus iustificati erunt? cum præterea illa

ta quoque in lege præcipiantur, vt vnum Deum colere, nomen eius sanctum venerari, ipsum vero amare ex omni anima, & ex omni corde, & in proximum quoque eadem, qua erga se benevolentia affici, vnicuiq; sit præscriptum. HIC IVLIVS: Non ideo mi frater, inquit, quid contra dici queat: atque illud quo nullo sustineri hunc qui ista egerit ex operibus legis non esse effectum iustum. Itaque expecto mox quid ipse dicas. QVID DICAM, inquam? Enimuero id quod necesse est, scilicet me his Apostoli verbis potissimum fidem habere, præsertim cum ille idem in alijs locis confirmet. Quemadmodum scribens ad Galatas, inquit: Nos cognoscentes, quod non iustificatur homo ex operibus legis nisi per fidem IESV CHRISTI, & nos in CHRISTVM IESVM credidimus, vt iustificaremur ex fide CHRISTI, & non ex operibus legis, quoniam non iustificabitur ex operibus legis omnis caro. Et rursus, si ex lege est iustitia, CHRISTVS frustra mortuus est. Videtur ergo nobis ex Apostoli verbis, ne si quidem legis totam, quatenus scriptura loquitur & præsentem non solum operibus externis, sed intestina etiam mentis religione erga Deum quis comprehendat, sic plene, & vere iustificatum esse. ET ILLE: Mirum profecto hoc, inquit, sed explica mihi quæso, qui res tibi ita se habere videatur. AGGREDIAR, inquam, sed te prius id monebo, cum anceps tibi locus in Paulo occurrerit aliquis, quem sit difficile explanare, atq; dissolue, nihil in eo humile, nihil vsitatum, nihil terrenum vt cogites, sed omnia alta, singularia, diuina, si veros eius sensus volueris consequi, veluti in hoc loco, cum de iustitia, & de iustificatione mentio fit, concipiendum est in animo excelsis quiddam, quã id, quod de vi, & notione communis iustitiæ in mentibus hominum insitum est. Ac quod diximus nuper, cum de iustitia Dei, quæ reuelatur in Euangelio verba faceremus, idem nunc repetimus, Iustitiam non singulare genus virtutis, sed vniuersam in Paulo sic nominari virtutem. Quam quidem in nobis humana etiam philosophia inuenit, vt iusti illi dicantur, qui nullo prorsus crimine cuiusq; generis, quod legibus vetitum improbatumque sit, impliciti sunt, neq; quicquam omninò contra leges committunt. Sed vt tunc differuimus, & nunc de integro confirmamus hac humana iustitia, vniuerso videlicet genere virtutis posse quispiam homo ex lege, & operibus legis iustificari, coram Deo autem nequaquam potest. Sed is potest solus, qui diuinæ iustitiæ honore, atq; dono ab eodem Deo fuerit illustratus. Quantum autem Deus homini, & diuina ratio nostræ rationi, tantum genus generi, & illa Dei iustitia huic legum & hominũ antecellit iustitiæ. Porrò hanc suam iustitiam Deus, tum propter fidem, qua habeatur ei, exercet ipse, & adhibet erga nos, tum etiam in

ipsa fide, hoc est, in habentibus ei fidem informat, atq; imprimit. Quod paulò ante dixit Apostolus, reuelari iustitiam Dei ex fide in fidem. Neque eam potest assequi iustitiam quisquam vel legis, vel hominis vllius eruditione, disciplinaque instructus, nisi is per fidem CHRISTI ad Deum se adiunxerit. Qualis autem illa Dei iustitia sit, & quo è genere censenda, ac definienda, etiam quidem plane possemus exprimere: sed tamen de ea, vt aliquid dicamus adnitendum nobis est. Non enim desunt, qui dicant nostra quoq; ad beatam vitam consilia in lege veteri expressa fuisse, eademq; prorsus mortalia præcepta, & Iudæis, & nobis esse: ideo quod nos gratia Dei per fidem magis adiuuamur. Sibi enim ipsis in lege, & suæ tantum opi, atque auxilio homines fuisse relictos, qui nunc in fide CHRISTI diuinæ gratiæ dono, & illustrantur magis, & ad melius Deo obtemperandum roborantur. Quod extremum vt verũ sit, (certè enim paratior nobis à Deo est gratia) non tamen nobis videtur neq; de perfectionis consilijs, neque de moralibus præceptis in lege scripta Moysis tam facile esse contendendum. Sed quomodo in fide CHRISTI planè iustificemur, quod in lege non possumus, ratio nobis, quantum adniti nos Deus, altior est inuestiganda, ad quam aditus primum nobis ex Apostoli verbis sit. Qui posteaquam ostendit, omnes omnino, & Græcos naturæ, & legi Iudæos prævaricatos esse, mundum præreum totum ancipiti euentu, è Dei omnipotentis iudicio excidere, ne forte obijciat aliquis, & dicat, Redeat ergo ad Moysis legem mundus, illiusque mandata custodiat, & iustificabitur vniuersus: refutat statim huiusmodi oppositionem, & diserte confirmat, neminem posse coram Deo non ex lege modo (hoc enim ante dixerat) sed ne ex operibus quidem legis, quod hic aperte pronunciat, iustificari: affertq; rationem dicti sui, Quoniam per legem, inquiens, cognitio est peccati. Quasi dicat iustitiam illam, quæ acquiritur ex lege, cognitionem tantum esse peccati, ad eum finem, vt peccatum vitetur. At illa, quæ ex Deo est, iustitia, num cognitio & ipsa peccati est, eiusq; vitatio? Minimè illa vero. Nullum enim ea cognoscit, aut saltem non animaduertit peccatum, neque in peccatis vitandis, sed in omnibus præclaris, atq; sublimibus rebus, actionibusq; tractandis, ac suscipiendis occupata tota est. Quod totum, vt videamus cuiusmodi sit, intelligimus prius in quo Moysis lex à fide CHRISTI differt. Quanquam vtraque vnum Deum proponit colendum, atque amandum, consentiunt in idem ambæ. Vbi vero lex cultum Dei & amorem hominibus proponit, vt sit hominibus ipsis præsens, & propinquo bona terræ acquirenda, & possidenda Deus, in hoc statim CHRISTI fides ab ea incipit discrepare. Fides enim sic nobis amandum Deum proponit, vt omnẽ ex nobis amorem terrenorũ bo-

norum

norum penitus ejiciamus, atque illum vniuersum in vnũ Deum conferamus, vt sit nobis non tam author, & donator cæterorum bonorum Deus, quàm nostrum ipse bonum: neq; ab eo nos retracti ad alium finem contendamus, sed in eo ipso vno, vt fini vltimo insistamus. Nam si in alienis ab ipso Deo bonis, & terram violentibus infixa sint vota, & desideria nostra, atque ita Deum nobis adscisca mus, vt ipse dator nobis, & donator illiusmodi bonorum sit, quod Moysis lex, quatenus scripta est, semper, & præcipuè hominibus proponebat, quis non intelligat potiorem nobis tanquam Deum alterum illum esse, ad quem cupiditate potiendi anhelamus, quàm eum, à quo nostræ huiusmodi cupiditates speramus subuentum, & suppeditatum iri? Et enim finis semper præpollens, & præcipua causa omnium causarum est, in eamque maximè amore, & studio contendimus, vt appareat, cùm Deum ita amamus, vt bona alia quædam ex eo consequamur, nos illa magis bona, quàm Deum ipsum amare, & veluti Deum potiorem nobis ducere, in quem peruenire desideria nostra, quam à quo illa dirigi, & ad finem deduci volumus. In hoc statu lex Moysi, & filij legis eius fuerunt, vt colerent quidem, & venerarentur vnum Deum, verum idcirco colerent, vt eos ipse in terrã repromissionis deduceret, propriamque eis illius possessionem traderet, quo regno terrenarum cupiditatum in populo Israël à lege primùm, cùm homines illa suos, patiatur magni æstimare diuitias, honores, imperiaque expetere, procreationi operam dare, familias augere, suum ius persequi, iniurias illatas liti, & iudicio vlcisci, atq; his deinde in hac tanta colluuione affectionum, & cupiditate rerum earum quæ certatim expetuntur, ab omnibusq; ambiuntur, quasdam regulas apponat, quantum, & quo pacto, & adeuntes quos agere, quærere, vindicareque sit licitum, hanc legem qui adsciuerint, ciusq; mandata seruauerint, iusti fuerint illi quidem, sed apud homines tantùm, & legi illi iusti. Apud Deum verò ipsum nullam veræ iustitiæ, quæ sola diuina est, laudem obtinebunt. Nam neq; Deus ipse hoc genere iustus est, vt eadem sibi expetat bona, quæ homines concupiscunt: in eis verò expetendis à violatione legis, & ab iniuria omni caueat. Sed est iustus Deus, omnibus diuitias bonitatis suæ distribuens, nihil ipse omnino infra se appetens, nullam à quoquam iniuriam, tanquam ipsi lædatur, agnoscens. Quod faciunt eodem propè modo, in eoque Deũ imitantur, qui per fidem CHRISTI illius exemplo iusti, neq; studio neq; cupiditate vlla inhæresc unt in terrenis, sed omnem vim suam amandi ac cupiendi in Deo ipso, vt fini, & suo vnico bono constituunt. Hi enim hanc Dei iustitiam, & bonitatem æquabilem omnibus, bonum omnium expetentem, omnib. æquem ferẽtem, nemini incommodũ, ne inimico quidẽ, aut hosti

molien-

molientem, salutarem cunctis, expertem terrenæ cupiditatis, a-
liorum maleficia suis beneficiis obruentem, hauriunt ipso Deo
donante, & largiente ampliter, & in semetipsis accipiunt, Deoq;
similes effecti, quoad quidem homini fas est, humanis animorũ
morbis omnibus ex sese eiectis, deferunt imaginem in se omni-
potentis Dei: neque regulas isti quærunt concupiscendi, sed ni-
hil mortale, & caducum concupiscunt omnino, tantumq; abest,
vt alienum quid appetant, vt ipsi vltrò suimet, suarumq; rerum
omnium omnibus indigentibus sint liberales. Hæc nos per fi-
dem opera iustitiæ, longè disiuncta à legalibus iustitiis defectum,
& colere vult Paulus, ad Philippenses scribens, vt syncers, & inof-
fensi simus, in diem CHRISTI, inquit, plenique fructibus iu-
stitiæ his, qui per IESVM Christum sunt in gloriam, & laudem
Dei. His talibus iustis vt Paulus idem alio loco ait, Lex non est
posita, sed ipsi magis sunt lex, quorum si reliqui regerentur ar-
bitrio, aut si similes eorum esse vellent, inutilis in totum lex, &
superuacanea existeret, quæ illis tantum dominatur, atque pre-
scribit, qui vias carnales, & lubricas insistentes, à prolapsione o-
mni propter metum supplicij debent cauere. At hæc maximè pre-
clara, neque apud Deum magni momenti vim obtinentis iusti-
tiæ est ratio, vt ex ea possit verè quisquam apud ipsum iustificari.
Illa præclara est, & solida, & integra, totiusque iustitiæ vim ex-
ram Deo obtinens, quæ sibi factorum, morumque suorum ex-
empla ex Dei virtute, atque factis iudicat esse petenda. Hoc sit
posito, videamus eadémne sint in fide CHRISTI, quæ & in le-
ge morum præcepta, vel ipsæ morales potiùs actiones, quæ & si
vtrobique à Deo deductæ sunt, illæ tamen legis, ad terræ præmia
conuersæ sunt, nostræ & ex Deo, & in Deo constituuntur. Illæ
humanam quandam iustitiam respiciunt, vt cum hominibus, &
inter homines tutò, pacateque viuere liceat, & in eo tamen gra-
tia Deo habeatur. Nostræ illius diuinæ iustitiæ eminentis, & sin-
gularis exemplo, & imitatione sunt insignes. Nam vt de liberali-
tate nunc, & de beneficentia potissimùm loquamur, exemplum-
que in his virtutibus proponamus, num potest videri eodem mo-
do fore liberalis is, qui pecuniam quidem propter alias eiusdem
causas, & propter ipsum se maximè diligit, atque conquirit, ve-
runtamen ita conquirit, vt neque iniuriam propterea cuiquam
vllam afferat, & apud se liberalitati quoque ex illa, & opitulati-
ni egentium esse velit locum, & is, qui pecuniam non aliam pro-
sus nomine amat, nec vllum ex ea fructũ alium cognoscit, quam
benignè facere cæteris, atque egenis opitulari? magnam profe-
ctò, iam oportet inter hæc duo liberalitatis genera interesse di-
stantiam. nam qui ex illo priore genere fuerit liberalis, is pre-
dentim, & cautè sibi semper primo prospiciens, semper suorum
commo-

commodorum potiorem rationem ducens, erogabit de suis bo-
nis pauperibus, tanquam anicipiti cura distractus, quemadme-
dum possit rebus suis saluis, cæterorum quoque saluti, & neces-
sitati subuenire. Noster verò nulla illiusmodi ratione sui habita,
qui confidens Deo alias sibi opes, alias diuitias in cœlo para-
ri habet, de his terrenis opibus duntaxat id cogitabit, quo pa-
cto per eas possit incommodum, & egestatem proximo suo de-
pellere. Deus porrò qui vtrique & Iudæo, & fideli in agendo ope-
ri misericordiæ versatur ante oculos, quemadmodum versatur?
alterne per terrorem Iudæo, fideli per amorem? Quod quidem sic
habere necesse est: Etenim Iudæus, qui bona terræ facit pluri-
ni, Deumque sibi datorem illorum bonorum inuocat, & precā-
tur, paretur Deo imperanti, & monenti, vt proximum suum ex il-
lis bonis, cùm is egerit, iuuet, & sustentet. Parebit autem ob
eam causam, ne si minus illi dicto fuerit audiens, offensus, atque
irato Deus ab eis illum bonis, ad quæ ipse præcipuè amore, &
cupiditate labitur, abducat, & abstrahat. Qui est in lege Moysis,
quatenus litera fert, propositus imprimis legem illam adsciscen-
dis mor, vt colant vnum Deum, illique obediant: quo diu-
nis rem bona comedere, & tranquillè illis eos liceat frui, Deo
obtemperantes. Qui si minus obtemperauerint, tum intelligant,
& teneantur se & terra ipsa & fructibus terræ quibus tantoperè
delectantur priuatos & spoliatos ab eodem Deo fore. Nos verò
de CHRISTI instructi, cum inopibus, & miseris subuenimus,
dicatoo opus misericordiæ præstamus, quod confidimus illo mo-
do summum bonum nostrum nos adepturos ipsum Deum, in
quo, non in alio fini aliquo nobis proposito omneis spes nostras,
& omnia desideria figimus. Qui ergo possunt eadem esse mora-
lia, itaque ex eodem iustitiæ, & bonitatis fonte depromuntur,
neque ad eundem finem respiciunt? Sed in illis Iudaicis anaritia
quidam semper commixta sit, quæ & in fini ipso spectatur: opes
enim & bona terræ præcipuè expetit, & in agendo, operandoq;
comungitur, nunquam enim solutam & liberam sinit progredi
misericordiā. Nobis verò & ex Deo ad operandum, faciendum-
que rectè profectis, & in Deum semper intuentibus, neque vspiā
alibi primum actionum nostrarum constituentibus quam in
eodem Deo, virtus, & iustitia non humano modo, sed diuinitus,
atque ex præceptis legis, sed ex Dei exemplo, imitationeque
sumpta est, quod in vna à nobis virtute dictum est, de omnibus
eodem modo dictum. Quo etiam patet nullum perfectum cō-
silium dari in lege, quod datur in fide. Ad terram enim tendenti-
bus, & in terra, spe, atque amore constitutis, repurantibus ex
bonis, & fructibus terræ subsidium sibi ad viuendum, & lętitiam,
atque explerionem animi esse euenturam, nullum insigne consi-
lium

filium dari poteſt, quod euadat ad perfectionem. Et ſi poſſet, ni
ille, qui omnia legitima legis impleſſe ſe dixerat in Euangelio
audiſſet à Domino, ſi vellet perfectus eſſe, vt abiret, venderetque
omnia, quæ haberet, & diſtribueret pauperibus, reuerſusque ſe ſe-
queretur. Hæc enim perfectio & operis, & conſilij in CHRISTO
ſolo, & in Euangelio eſt: ea re quidem, quod nullus eſt credenti-
bus conſiliorum, & operum, niſi Deus ipſemet finis propoſitus,
qui verò alios fineis, alia bona, ad quæ ſpe, & amore tendunt,
ſibi deſignauerunt: hi non modò ab imitatione diuinæ iuſtitiæ
longè abfuerunt, ſed ne ipſam quidem humanæ iuſtitiæ ex lege
rationem cumulatè ſunt adepti. Quod ergo dictum eſt, ibi ſa-
piùs à Paulo, quod ex operibus legis non iuſtificatur omnis cor-
coram Deo, & liberè eſt, & ſimpliciter dictum, quoniam vera iu-
ſtitia ex lege non acquiritur. Nihil enim ad perfectum adduxit
lex, vt idem ipſe pronunciat ad Hebræos ſcribens: Eſtq; prior
mandati abrogatio facta propter imbecillitatem eius, inquit, &
inutilitatem. Sed hæc de lege veteri, vt in litera deſcripta eſt, in-
telliguntur. Nam ſi ſpiritualiter illam accipiamus, idem eſt, quod
illi ſpectatus finis, qui nobis præſens, & cognitus iam eſt Chri-
ſtus. Accipimus autem hîc iuſtificationem non pro remiſſione
duntaxat peccatorum, quod nonnulli interpretati ſunt, ſic enim
eſſet & in lege iuſtificatio, in qua pro peccato offerentibus & ſa-
crificia illa in expiationem ſui facientibus identidem à Deo di-
miſſio peccatorum proponitur. Sed hæc eſt iuſtificatio ampliori
quędam, diuinorumque iuſtitia, quæ ex ſimilitudine Dei ab eo
in nos fidem illi habentes ducta, & deriuata eſt. Quam Paulus
vt aſſequeretur, illam humanam ex lege iuſtitiam pro ſtercore
ſibi haberi confirmauit. Hæc demonſtrata, & cognita in fide
Chriſti iuſtitia legem veterem Moyſis antiquauit, & ſuſtulit. Aut
enim illius omnino cerimonias, tanquam vmbras abiecit, aut
morum, & religionis præcepta ad ſublimiorem finem erigere eſt
conata. Si tamen antiquare eſt explere, atque abſoluere, quod re-
de antea erat, & tantummodò inchoatum. Hæc, inquam, iuſti-
tia ea ipſa eſt quam in Euangelio CHRISTVS turbas, & diſci-
pulos docens, exponere erat ſolitus, cùm ita dicebat, Niſi abun-
dauerit veſtra iuſtitia plus, quàm illa Scribarum, & Phariſeorum,
hoc eſt, plus quàm illorum, qui ex lege, & ex legis operibus iuſti-
tiam ſunt conſectati, non ingrediemini in regnum cœlorum.
Quam eandem iuſtitiam ipſe deſcribebat, enucleateq; tradebat,
in quibus lex deficeret, demonſtrans, & quomodo Deum deſera-
mus in ipſis diuina illa iuſtitia imitari vbique nobis indicans.
Per legem autem quod cognitio eſt peccati, ad eum finem ob-
ctum eſt, quoniam lex populo Hebraico lata eſt, quæ illi eſſet
tanquam adhuc puero & adoleſcenti pædagogus, illumque in
vnius

vim Dei sulcru contineret, præciperetque & doceret, quæ essent tuitper & cauenda, & fugienda, quoad tempus & opportunitas suaderis præcepti aduenirent, sicut ad Galatas scribit Paulus, in transgressionum causa apposita est, inquiens, quoad veniret semen, quod fuit promissum. Porrò imbecillitatis est sigillatim nouere, & monstrare hoc, & illud deuitandum esse, & in eam cum viam nos dedocere, quæ omnibus periculis infesta, & obsessi difficilem vbique & anxiam habeat cautionem. Illa via est commoda, & longe magis nobis salutaris, quæ tutiore quadam semita nos sine suspicione, & metu ad optimum finem perducit. Proposita itaque est in lege peccati cognitio, vel vt illud, quoad poterat, vitaretur, ac effugeretur: vel si id minimè poterat, quemadmodum quidem non potuit, ad remedium præstantius confugeretur, quod est in Euangelio datum nobis, atque oblatum. INTELLIGO, IVLIVS inquit, & nunc demum mi frater confiteor ignoratum mihi hunc diu in Paulo locum, aperiente nobis Deo, patefactum nunc planè, atque illustratum esse: & reuerataret, vt ex communibus hominum sensibus, atque ex quotidianarum terrenatum considerationibus nequaquam possit Paulus intelligi. Sed in cœlum ascendendum est, & ex diuinis illis mentibus, atque consiliis huius hominis virtus, mensque metiganda, qui non iustificationem in carnis operibus, neque iustitiam Dei in humanis virtutibus, sed vtramque in Deo, & ex Deo diuinore quodam modo, supra omnem rei creatæ captum fluxit. In nobis verò per fidem CHRISTI imitanda Dei natura, & bonitate posuit, quod est maximum ipsum nobis à Deo beneficium. Itaque lumine hoc semel veræ intelligentiæ illato, non solum iste locus, sed tota ferè epistola, quæ ad Galatas scripta est, mihi videtur esse declarata. ATQVI MI FRATER inquam, quod & hic, & ibi confirmat Paulus, iustum ex fide viuere, & hæc eo nobis antè est dictum: tamen dicendum aliquid etiam nunc est, vt imbecillitatem legis melius comprehendamus, & ea quæ passim in Paulo tanquam semina diuinarum virtutum sparsa sunt, altosque, ac reconditos illius sensus percipere valeamus. Est igitur vita quædam quæ illam fidei nostræ donatam à Deo, impressamque in nobis iustitiam profectò comitatur, illi ipsi iustitiæ dignitate par. Sicut enim iustitia illa ex Deo in nobis inest, sic & vita. Et quemadmodum iustitiam ille nobis suæ bonitatis, iustitiæque effigiem, obsidemque erga nos optimæ voluntatis, sic & vitam præbet, imaginem suæ immortalitatis. Cumque Dei illa iustitia, qua credentes sibi fidemque habentes Deus ipse insignit, ita excellat, atq; emineat, vt cum ea legis iustitia comparata humanâ istam omnem obscuret æquitatẽ, iniquitatemq; eam quodã modo potiùs videri cogat: sic vita illã, quæ

quæ diuinæ comes est iustitiæ, mortalem vitã hanc morti, quam vitæ ostendit coniunctiorem. Etenim profectò bonus, & iustus est Deus, eosque, quos sui dedit esse imitatores, non solùm in virtute, atque in iustitia, sed in vitæ quoque genere voluit se imitari, vt immortalitatem Deo similem assequerentur, qui similem Deo essent eius singulari beneficio, iustitiam assecuti. Atque vt ipse semper vno modo beatissimus, sic hi, qui se ad eum per Christi fidem adiunxissent, in hac quidem vita beati, in altera verò essent seipsis etiam beatiores. Proinde totus iste ordo sic [illegible], seriesque deducitur, vt nos quidem fidem erga Deum affirmamus, quæ quanquam ipsa diuino munere alitur, & confirmatur in nobis, aliqua tamen est pars in ea nostræ voluntatis. Deinde ista fides Dei omnipotentis iustitiam excitat, per quam ille vt est verè bonus, non ignoscit solùm ad se accedentibus, & per fidem sese illi dedentibus: sed eos eadem propè iustitia, qua est ipse præditus, & eodem genere bonitatis exornat. Tum autem sic ornatos, & effectos sanctos in gratiam, in amicitiam, in cognationem recipit, adoptatque in filiorum nomen, vitamque illis beatam, & immortalem tribuit, longè abhorrentem ab hac vita, quæ nerroribus, & doloribus, & periculis, quæ denique morti, & corruptioni tota addicta est. Quam quidem fragilem, ac mortalem vitam non iustitiæ illius donum, sed tantum naturæ tenemus, iustisque ea, atque iniustis promiscuè data est. Cuius enim auferendæ, aut relinquendæ lex habet potestatem, tribuendæ verò nequaquam. Si quis enim commiserit in legem eo genere peccati, cui pœnam mortem lex ipsa sanxerit, is lege interimitur, aut habet potestatem lex pœnam illi remittendi, peccatumque condonandi. Nihil enim præter præscriptum, & constitutum notare, nec quod semel in ea sanctum est, lex commutare litera vna potest. Qui verò legem ad vnguem seruauerit, nilque in ea offenderit, quamobrem morte esse dignus censeatur, huic non noua aliqua vita donatur, sed quam ipse per sese habet, ei vita illa relinquitur, quæ est naturæ, non iustitiæ vita, vt illud tantum legis sit donare vitam, quibus non eripiat. Quod si iustitiam illam quam intelligimus ex iustificatione, & quærimus, sua certa vita consequitur, quæ non naturæ sit, sed eius ipsius iustitiæ propria, nullius aut donandæ vitæ habet lex facultatem. Igitur [illegible] quidem iustitiam donare lex potest, per quam vita acquiritur præstantior. Quo perspicuum sit, non esse ex lege, nec quidem [illegible] ribus legis iustificationem. Atque ego hoc non planius [illegible] re possum, quam ipsemet Paulus, ad Galatas sic inquiens: si data esset lex, quæ posset viuificare, verè ex lege esset iustitia: sed conclusit scriptura omnia sub peccatum, vt promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus. Quibus ex verbis patet: quoniam

vitam

rum dare lex nobis suo, & proprio munere non potest, ne eam quidem posse ab ea dari iustitiam, quam necessario vita illa consequitur. PRORSVS tibi assentior, IVLIVS inquit, & quoniam ego antea sæpe dubitaueram, nunc soluto, & pacato sum animo, satis in memetipso concipiens neminem posse ex lege, neq; operibus legis iustificari, quando altior quædã iustitia, quàm humana ad iustificandum quæritur, quæ vni fidei donatur a nostro Deo, vt is, qui ei credit in similitudinem, ac imitationem diuinæ iustitiæ deducatur, quoniam, vt dico, inquit, hæc mihi percepta est iustificatio, locusque difficilis, & arduus a Paulo explanatus, peto nunc à te, vt de ipsa fide, quid ea sit, & tale tantum honoris, & gratiæ apud Deum obtineat, velis mihi explicare. Tametsi enim magnam partem per me ipse, quid illa sit, quantumque valeat, intelligere mihi videor, tamen non ita mihi ipse satisfacio, vt spero abs te iri satisfactum. RECTE HOC, inquam, mi frater exquiris, & ab hoc aditu, ac tanquam vestibulo nostræ disputationis, si dux, & mõstrator nobis affuerit Deus, ad ea secreta, occultaque veniemus, in quibus positum est summum & maximum fidei CHRISTI mysterium. Quare eiusdem Dei numen, opemque implorantes ab ipsa ordiamur verbi vim. Etenim multiplex in communibus hominum sermonibus, & in ipso quoque Paulo verbi huius significatio. Interdum enim fides est in dictis veritas, & in factis integritas, cùm sicte nihil, nec simulatè agitur, aut dicitur, ex quo vsus latini sermonis ita loqui consueuit, cùm quid sine dolo & fallacia factum sit, bona fide id fieri dicimus. Itemque bona existimatio eorum qui negotiantur, fides appellatur, cùm rectè illis res pecuniaria committi existimatur, qua fide & forensia commercia, & omnis mercatura potissimum continetur. Quod etiam latiùs patet in omni opinione integritatis, & iustitiæ, cùm eum, qui muneri alicui, imperióue præpositus sit, fidem suam præstaturum esse confidimus, vt cuncta affectis iniuria, & ad fidem illius confugientibus, paratum valeatur esse in illius prudentia, æquitateque præsidium. In sacra scriptura aliquando fides est ipsa conscientia intus dijudicans, quid verum sit, & quid falsum, in his quæ aguntur, & quid simulatum, ac fucatum, quid sincerum, & simplex. Quo sensu Paulus: Quicquid ex fide non est, peccatum est, inquit, ex fide idem, quod ex veritate, & syncritate conscientiæ intelligens. Nonnunquam etiam fides constantia est in præstando, quod quis promiserit, vt paulò supra Paulus: Nunquid horum infidelitas illam Dei abrogabit? hoc est, si hi non steterunt in his, quæ Deo promiserant, num item non stabit promissis suis Deus? Sed vt hæc, & cætera fidei significata omittamus, quæ ad nos minùs pertinent, veniamus ad id, quod nostrum est, vt fidem intelli-

gamus esse credulitatem, non eam, qua faciles sumus ad credendum, sed eam, qua credimus, qua in sententia, & facere fidem, & habere, & in ea fide esse vulgò homines loquuntur, quod est in omnibus credere, & vel persuadere aliis, vel persuasum ipsum esse. Sed nos, qui scripturarum more loquimur, fidem CHRISTI cùm pronunciamus, in vno hoc fidei verbo totum id intelligimus, quod est credere Deo, & CHRISTO, illique confidere. Non enim fides nostra simplex est credulitas, quanquam sedes, & fundamentum fidei credere est. Sed fides in Deum plena, atque integra est, ita credere, vt confidamus, hoc est, vt non minus spei insit in ea, quàm credulitatis. Etenim ea credimus, quorum magna pars ad nos ipsos pertinet, & semper confidere, credere etiam est. Credere verò ipsum non continuò confidere, vt cùm credimus, Deum esse, rectum quidem est, & necessarium, & fidei debitum. Sed tamen hoc teres etiam Græci, gentesque ferè omnes crediderunt, atque propterea tamen fidei tenuere. Vbi ergo iam incipit apud fides? cùm id, quod sequitur, etiam credimus Deum fieri muneratorem omnibus quærentibus se. Hæc nimirum a Deo muneratio cùm est à nobis credita, quoniam quidem pertinet ad nos, facit, vt confidere incipiamus Deo, & cum credulitate ipsa spem iunctam habeamus, si eum quæsierimus, atque cum amore, ac desiderio ad eum fuerimus conuersi, sine vllum bonorum, benignitatisque participes. Quod confiteri vtique est, & non solùm Deo, sed etiam in Deum credere. Acre maiorem cum authoritate de fide ipsa loquamur, definitionem Apostoli in medium adducamus. Qui sic ad Hebræos inquit: Fides est susceptio rerum earum, quæ sperantur, index earum, quæ non cernuntur. HIC IVLIVS: Fidei, inquit, definitionem ex Paulo affers, quæque obscura semper habita fuerit, conflictatio omnium ferè interpretum demonstrat. Sed tu mi frater verbum illud Græcum hypostasis, quod cæteri transtulerunt substantiam, cur susceptionem conuerteris, audire ex te aueo. Certè certè verbi huius ipsius cognitio, cùm ritè percepta fuerit, quasi lumen quoddam extiterit ad huiusce loci obscuritates, & tenebras illuminandas. SVSCEPTIONEM voco, inquam, vim, & sententiam Græci verbi secutus, quo ὑφιστάναι non solùm sustinere, hoc est, manere, atque hærere in seipso, quo sensu diuinitate ὑποστάσεις esse dicimus, quas nos transtulimus personas: sed sustinere etiam quoddam est, & submittere, supponere se, siue negotium aliquod, munusue recipias, quidquam subire, aut pro altero paratus sis, siue cuipiam spei, aut cuiusque aut sententiæ temetipsum subjicias. Atque hoc verbum alias quoque locis Apostolus: vt ad eosdem Hebræos: Cohortantes vos

singulos dies, quoadusq; vocatur hodie, ne quis vestrûm obdurescat ex deceptione peccati: Participes enim facti sumus CHRISTI, siquidem principium hypostaseos vsq; ad finem firmum retinuerimus, hoc est, si permanebimus in eo, quod à nobis susceptum, si non exciderimus spe, & fiducia erga Deum. Et ad Corinthios: Misi fratres, inquit, vt ne gloriatio nostra de nobis vana sit in hac parte, vt quemadmodum dicebam, parati sitis, ne si forte veniant mecum Macedones, & offendant vos imparatos, rubeamus nos, ne dicamus vos in hypostasi hac gloriationis, quod idem est, ac in eo, quod susceperimus, vt gloriaremur de vobis. Indicat autem hæc hypostasis non leuem quandam, neque improuisam, sed meditato consilio susceptam actionem. Vt item ad Corinthios: Quod loquor, non loquor secundum dominum, sed velut in insipientia in ista hypostasi gloriationis, quoniam multi gloriantur secundum carnem, & ego gloriabor. Vbi ostendit se volentem, & scientem suscipere hanc prouinciam gloriandi, quæ tamen non secundum Deum sit, sed secundum iactantiam, & gloriationem carnis. Verùm omissis vocabulis vt veniamus ad rem, cùm fides definiatur ab Apostolo, susceptio earum rerum, quæ sperantur, index earum, quæ non cernuntur, sic intelligimus huiusmodi definitionem, vt fides sit, vel sperare ea credendo, quæ oculorum visioni subiecta non sunt, hoc est, spiritualia, & æterna, vel credere sperando, quanquam fidei fundamentum sit credere, tamen spes ipsa continet in se fidem, & absq; spe fides inanis tota est. Atq; hæc est propria fidei CHRISTI definitio. Nam & Iudæi cùm vnum esse Deum crederent, eumque colerent, & venerarentur, atque illi confidere se dicerent, spemque in eo ponerent bonorum assequendorum: ea tamen ab eo sperabant bona, quæ oculis, & sensibus percipiuntur, hoc est terrena, atq; humana. Nos verò, qui & Deo credimus, & in Deum per vnigenitum filium eius IESVM Christum ita confidimus, & permittimus nos Deo, vt nihil ab eo mortale, nihil interiturum expectamus, neq; digna ista huiusce modi munera tanto authore esse existimemus: Sed ea potiùs speremus, & expectemus ab illo, quæ tribuenti, & donanti consentanea sunt, magnitudine eximia, perpetuitate æterna. Est igitur vera fides CHRISTI & Deum, & Deo, & in Deum credere, quod est illi confidere, vt speres ab eo, quæ æterna bona sunt, ea porrò huiusmodi, vt nullis sensibus comprehendantur, sed sint tota in illa fide, & spe, si Deo confidamus, & si eum amauerimus, expectationi nostræ reposita. AVDIO mi frater, IVLIVS inquit, & de vero hypostaseos, Christique fide, quo pacto illud intelligendum, hæc accipienda sit, tuam sententiam probo. Sed cur Apostolus de fide CHRISTI speciatim loquens, exempla fidei

constituerit ex illis, qui longè tempus Euangelij antecesserunt
& in Abel, Enoch, Abraam, Iacob, cęterisque Patriarchis, fidem
hanc, quam diffiniebat, fuisse affirmauerit, hoc est, quod cupio
mihi abs te explanari. Non enim videbatur propriè fides, in illo-
rum rebus gestis, sed in Apostolorum, & Deo credentium per Ie-
sum Christum diffiniri. QVONIAM, inquam, IVLI, & ad Ho-
bræos Paulus scribens eos in patribus suis voluit commonefacere,
vt plus haberet hortatio sua ponderis, & cùm exemplum tam
graue sit, si ex antiquitate depromatur, ad vetusta, & [illegible]
maiorum facta eos reuocauit, veteresque illi tam eos, quam
quæ gererent, in corpore, atque in vmbra tanquam [illegible]
simulacra præmitterent venturæ post aliquot secula veritatis,
veritatem ipsam nihilominùs iam tum spiritu sancto edocti per-
ceperant, & sic crediderant in futurum CHRISTVM, quoten-
do nos in eum, quem non vidimus, credidimus. Sed vt redeamus
ad superiora: Fides CHRISTI hoc habet peculiare in se, vt
quæ nec cerni oculis, neque vllo sensu percipi possunt, a Deo
la, & potissima expectemus, confidamusque illius benignitati
& veritati nos ipsius diuino munere illa assecuturos. De quo
idem iste Apostolus, Quæ oculus non vidit, & auris non audi-
uit, & in cor hominis non ascenderunt, prompta habet Deus
diligentibus eum. Et alio loco, Breuis, leuisque affectionis no-
bis, inquit, æternum pondus gloriæ creat, dum [illegible]
ea, quæ videntur, sed quæ non videntur. Nam quæ videntur, ad
tempus tantùm sunt, quæ non videntur, æterna. Quid verò ista
ipsa sperare, & concupiscere à Deo solo debeamus, quæ æterna
& inuisibilia sunt, illa ratio docet, quòd hoc solum verè est Deo
credere, atque confidere. Nam si ita confidamus, ac credamus,
vt ista appetamus ab eo nobis dari, quæ sunt terræ bona, non
vnum iam Deum, sed complureis esse Deos suscipiemus: quan-
quot enim extiterint, ex quibus nobis sit spes pomundi bono-
rum mortalium & caducorum, illorumque fruendi, tot nobis
deos, & dominos profectò constituemus. Nam siue à popu-
sperandus honos fuerit, aut potestas aliqua, aut emolumentum
populus ipse nobis erit Deus, plusque illius voluntati, quam illi
opi confidemus, siue eadem postulabuntur à principe, Dei quo-
nos locum princeps obtinebit. Denique in amore terrenorum
bonorum, qui suppeditauerit amori nostro, cupiditatemque
suffragatus fuerit, is nostram ad se omnem conuertet [illegible]
ex quo Iudæi, qui ad hæc terræ bona potissimùm aspirant, ad
asciscendos quoque & colendos falsos deos, faciles [illegible]
rò, & prompti extitere. Non enim neque in rebus [illegible]
tristibus, illa bonorum spe à Deo insensilium se sustentabant, &
sępe oblatis aliunde præmiis, aut voluptatibus à Dei [illegible]

ge iniciebant. Quod cùm sæpe aliàs, tum in Ieroboam præ-
cipuè, & decem tribubus Israël fuit manifestum. Ille enim vt re-
gnum sibi stabiliret, quod ex dissensione populorum ceperat,
sibi regem haberent sauentem sibi, atque propitium ferè o-
mnes à vero Deo, & cultu Dei, temploque ipsius sancto auersi,
ad mendacitos Deos, & falsa idola transfugerunt. Proinde nos
quoque qui fidem CHRISTI profitemur, cùm Deo nos cre-
dere, & Catholicæ Ecclesiæ enunciamus, sic debemus de no-
bismetipsis cogitare inanem esse fidem hanc, nisi etiam in Deo
ipsemus, & confidamus, atque ab eo illa expectemus, quæ fu-
tura sunt immortalia bona. Itaque qui cupiditatibus rerum
terrenarum, & carnis illarum dediti, & vel etiam ambitione,
vel auaritia excæcati summum in his bonum, quæ sensibus com-
prehenduntur, & suum omne studium collocant, atque consti-
tuunt, hi fidem, quam voce vsurpant, corde nullam retinent,
neque Deum sibi, sed mundum dominum constituunt. Ex quo
fit, vt in astutia, in malitia, in fraudando, in vlciscendo, in vim
asserendo, in omnia misceando, omnibusque modis attentan-
do magis quam in Deo, & Dei ope fidentes, conentur ad ea per-
uenire, quæ peruersa opinio, corruptaque cupiditas fingit, at-
que confirmit sibi esse bona. Est omnino aditus, & tanquam ia-
nua ad ipsam solidam ac perfectam fidem ista animi credulitas
tantum Deo se, & CHRISTO atque Ecclesiæ credere. Sed
non ita plena fides, quandoquidem sine firma spe, atque fidu-
cia in summum Deum fides vera non est: spes autem, & fiducia
esse non potest, si hæc interitura bona potiùs expetimus, de illis
æternis minùs laboramus. Sed tamen qui suum in ista credulita-
te nomen professus Deo, & in nomine sancto CHRISTI
baptizatus est, ad explendos fidei numeros omnes profectò sit
paratior, quàm is, qui ne istam quidem fidei CHRISTI no-
minationem æquis auribus accipit. Verum in eo tamen est fides,
vt credatur, & confidatur, idque certo consilio, & deliberata
fiat voluntate. Fidem enim habere etiam sperare est, & confide-
re. Qui verò tantummodò verbo, nulla meditata in corde ra-
tione sese annuunt credere, cùm in mundo iidem multò max-
imam spei suæ partem fiduciæque ponant, hi non tam fidem i-
psam tenere, quàm ad fidem quendam introitum habere sunt
existimandi. Quòd si is esset Deus, qui non omnia posset, & va-
leret vnus, aut si quæ ab eo suis cultoribus proposita sunt, non
eadem essent optima, ac præstantissima, profectò & alios deos
confiteri, eisque confidere, & alias res appetere hominibus fo-
re lectum. Vt enim diximus, qui quopiam confidit, Deum sibi
quammodo illum facit, in quo suam ponit fiduciam. Sed cùm
sit omnipotens Deus, & nihil illius donis cœlestibus sit præstabi-

lius, atque adeò illa sola sint, quæ nobis à Deo ostenduntur, & promittuntur vera bona, ideo nec illis est quicquã à salute vera aberrantius, qui à CHRISTI fide alieni sunt, neq; iis miserius, qui fidem ipsam CHRISTI ore, verbisq; professi alias alibi spes, & alios penè Deos, quibus potiùs confidant, sibi proponunt, & erigunt. Quocirca sic concludamus, certam, & veram fidem esse eam, quæ ea, quæ cernit oculis, manibusq; comprehendit, manifesta, & indubitata mortalis vitæ cõmoda abjicit vltrò, & segregat ab sese, vt ea, quæ sperat, & credit, adipiscatur à summo Deo, quæ quidem etiam fides hominem ex carneo & corporeo spiritualem prorsus reddit, agnoscentem cognationem, quæ sit cum Deo est, & ad Deum ipsum, tanquam ad suum summum bonum credendo & confidendo, illumq; imitando prorsus erectum, atq; eo solo eorum bonorũ, quæ ab omni sensu remota sunt, ea-que & summa & immortalia existunt, spem, atq; expectationem omnem suam assequendorum reponentem, per quam fidem postquam ita credidimus Deo, vt spem omnem nostrã, omnemque fiduciam in illo constitueremus, amoremq; erga illum astrum his terrenarum rerum studiis atque amoribus non putamur decerpi, neque distrahi, illæ in nobis præclaræ, atq; eximiæ virtutes gignuntur, quæ diuinam in nobis referunt virtutum similitudinem. De quibus ad Galatas Paulus, Qui supplet vobis spiritum, & operatur virtutes in vobis, ex operibus legis, an ex auditu fidei id agit? & re vera, cui ista sordent interitura, & mortalia, solumque is ad cœlum, & ad Deum spectans illis bonis cœlestibus erectus est, quis hunc potest, aut iustum, aut continentem, aut beneficum, & misericordem ex hoc humanarum virtutum genere æstimare? altiùs se multò attollit iste in omni genere virtutis, & proximè ad Deum imitatione accedit, quandoquidem promptior est illi, & paratior benefaciendi facultas, qui ea, quæ communicat cum aliis, & distribuit, potum ad se aut nihil putat pertinere, solamque præclaræ actionis voluptatem cum Deo omnia conferens sibi retinet, operæ autem fructu & pecuniæ in alios dispertit quàm is, qui eisdem rerum terrenarum affectionibus implicatus, quas à suo proximo incommoditates depellit, in eas ipse veretur, ne quandoq; possit incidere. Certè enim ille prior ab omni rerũ harum affectione remotus genus benefaciendi singulare, & propè diuinum in seipso ponit: hic posterior, bonus tantùm & iustus, inter homines videtur. Atqui posteriorem hunc lex, illum superiorem CHRISTI fides conformat. Est enim fidei CHRISTI, vt sæpe iam innuimus, negligere omnia humana, & mortalia, neq; illa nobis bona æstimare, quæ hîc tenẽtur, & possidentur, sed ad ipsa cœlestia, & interitura aspirare, eorumq; locare, & ponere assequendorũ spem

tum in Deo, & confidentiam nostram. Sed quoniam de his, [illegible] sæpe locis ab Apostolo fit mentio, erit nobis item locus [illegible] alias loquendi. Nunc redeamus ad Apostoli verba, qui tã-[illegible] rationem reddiderit, cur ex operibus legis nemo iustifice-[illegible] quod per legem cognitio peccati, hoc est, quoniam lex ni-[illegible] ipsa maius demonstrat, neq; altius, sed solam tibi notionem [illegible] insinuat: aliud autem est vitare humanam iniquitatem, & [illegible] diuinam adipisci iustitiam, longeq; diuersum, disiunctum-[illegible] est nosse peccatum, & ad gratiam aspirare, subiungit: Nunc [illegible] seorsum a lege iustitia Dei manifesta facta est, testificata ab lege, & a prophetis. Nunc inquiens illa iustitia Dei, quæ sola fa-[illegible] vere iustos, in lucem est edita, atq; apparuit, de qua lex, & pro-[illegible] dederunt testimonium. neq; id parce, atq; anguste, sed plu-[illegible] in scripturæ locis. De qua Esaias in persona domini, Propè est salus mea vt veniat, & iustitia mea vt reueletur. Ac vt non de humana, neque de legis iustitia appareat dici, quæ in præcipien-do, aut vetando, damnando, absoluendóue tota ferè consistit, eciam subijcit: Et erit opus iustitiæ pax, & cultus iustitiæ silentiũ. Sola enim Dei est iustitia, quæ cum animorum pace, & silentio colitur, tinquam stirpes omnium cupiditatum ipsa ex animis eli-dens, neque vllum penitus in mentibus relinquens dissidium hu-iusmodi, quo pacto hoc appetendum, atque idem rursus alia ex parte fugiendum sit. Vel cum dicit huius diuinæ iustitiæ effectio-nes operaque demonstrans: Vocaui te in iustitia, & apprehendi manum tuam, & seruaui te, & dedi te in fœdus populi & in lu-cem gentium, vt aperires oculos cæcorum, & educeres de inclu-sione vinctos, & de domo carceris sedentes in tenebris. At hoc le-gis certè iustitia non facit. Hos enim ipsa potius incluserat, & vinxerat. Cui ergo esse potest dubium, talem Dei iustitiam viuifi-cantem eos, qui in peccatis mortui sunt, & cæcos mente illumi-nantẽ, eam esse, quæ non in lege expressa sit, sed quæ cũ fide con-serta, atq; coniuncta cingulum circundat renibus, sicut scriptum est: Et erit iustitia cingulum lumborum eius, & fides cinctorium renum eius: & hanc a prophetis, & lege testificatam, tametsi nos pauca è multis testimonia, subiecimus, quæ plurima passim in tota scriptura, & de hac ipsa iustitia, & de vniuersa pariter gen-tium vocatione scatent, quas huius lex iustitiæ erat excitatura, & ex illis ecclesiam sanctiorem constitutura, de qua sic aperte, & perspicue Esaias, vt hæsitationi non sit locus: Vniuersi filij tui, inquit, erunt docti a domino, & multiplicabit pacem filiorũ tuorum, in iustitia fundaberis. Hæc inquam Dei iustitia seorsum [illegible] a lege manifesta facta est, cui nihil cum lege rationis est, at-que commercij. Alio n. ex genere, & ex alio ordine tota est, diui-narum virtutum videlicet in nobis creatrix, non humanarũ, iusti-

tia inquam Dei manifesta facta per fidem IESV Christi in omnes, & super omnes credentes, hanc inquit, iustitiam Dei fides IESV Christi in lucem extulit. Antea enim in Deo quidem semper erat, & radios interdum suos, occulto tamen tramite in aliquorũ mentes & corda iaciebat, præsertimque eorum, qui essent ex semine Abraæ. Illud enim genus præcipue electum fuerat a Domino, vt quomodo ex eo author, & promulgator maximi mysterij edendus erat, diuino indicante spiritu prænosceretur ab eisdem, a quibus parturiebatur. Nunc vero IESV Christo docente, ac monstrante Dei illa eminens, præcelsaque iustitia in toto mundo patefacta est meridiano solis lumine multo clarius. Non solum enim nouere homines, qui IESV Christo crediderunt, illam in Deo iustitiam cuiusmodi esset, sed eam ipsi in semetipsis sunt expers. Etenim quemadmodum Deus fidem intuens eorum, qui fidem dederunt, & credendo, fidendoque permiserunt, nullas veteres iniurias, nihil pristinæ impietatis, nec iniquitatis illis exprobrauit, sed omnium præteritorum scelerum memoria statim obliterata: omnibus eos vltro affecit beneficijs, non vt liberaret tantummodo pœna, & supplicio: sed etiam vt sanctos efficeret, atque iustos, quo patre Deo digni effecti, cœli hæreditatem iure adire possent: sic nos eadem Dei iustitia, eadem benignitate iudicij, atque ornati, ipsum illum, vnde eam hausissemus, imitaremur, nihil odio, neque iræ, nec libidini vlli tribuentes, ab earum tamen cupiditatibus alieni, per quas perturbationes huiusmodi in animis nostris exoriuntur, ad benefaciendum tantum, & ad benemerendum intenti, quod sola fide in Deum nobis adaperire potest. Eadem enim fides per IESVM Christum tradita nobis, & insinuata, & iustitiam talem in Deo vt cognosceremus, effecit, & vt in nobis similem ab eodem Deo insitam & datam nequiteremus, elargita est, quæ credentibus data est, hoc est huius ipsius fidei, & credulitatis nomine non tanquam legem habentibus, nec rursus tanquam probitate, & innocentia prædictis, quippe cum nec gentes legem cognoscerent, & omnes omnino homines peccatis essent oppressi: sed data est gloriæ, & gratiæ, & beneficentiæ summi Dei. Nam si Hebræis tantum data fuisset, vbi Dei æquum pari studio affecti ad omneis conseruandos, quos pariter creasset: Si tantum probis, & innocentibus, vbi Dei gloria? aut quoius benignitati, & voluntariæ liberalitati fuisset locus? Dicitur ergo ea, & donata credentibus, qui suum nullum meritum habuerunt, non enim credere, mereri est, & ijdem maxime ornati, atque magnificant gloriam omnipotentis Dei. Proinde in hac communione indignitatis, & peccati, qua cuncti comprehensi erant, nulla erat prorsus distinctio, quamobrem huic potius, quam illi tribuenda esset, sed omnes pariter egebant gloria Dei, vt iustificarentur

mus gratis eius gratia. Opus erat, inquit, vt suam gloriam ostenderet Deus, quatenus gratis, & sua innata benignitate, non item vllo merito eos iustificaret. Hæc enim est vera virtutis, bonitatis, & diuinæ iustitiæ gloria, facere omnia gratis, & prorsus, neque expectare, quoad quis mereatur, sed vltro suam gratiam, & benignitatem credentibus offerre. At quo interprete, quo instrumento hoc fecit Deus, per redemptionem, inquit, quæ is CHRISTO IESV, quem proposuit Deus placamentum per fidem, in ipsius sanguine. TVM IVLIVS: Adhuc mi frater, inquit, quæ abs te dicta sunt de iustificatione nostra, de fide in Deum, & de ipsa Dei iustitia ita mihi inhæserunt, vt nihil habeā certius, neque firmius, quām ita habere se rem, neque id credulitate tantum simplici, sed clara & valida ratione adductus. Nihil enim est melius, quod attribuamus Deo, quām eum talem esse, qualem hæc ipsa iustitia demonstrat. Quod si in Deo omne nest, quodcunque est optimum, & hoc, quod optimum est, inesse in eo necesse sanè est. Neque intueor tamen, omnibus meæ mentis viribus, & omni intentione animi circumcirca aspiciens, quid illustrius offerat, & quid magis persuadeat intelligentiæ nostræ illa tantopere laudata apud homines philosophia, cum argumentis & rationibus, quid concludit, atque firmat, quàm hæc pura, & simplex virtutem, & iustitiam & beneficentiā summi Dei summatim narrans oratio. Itaque ea non me docuit solum, sed etiam vehementer accendit, vt hæc mundi bona quotidiemagis, magisque despiciens in illis tantum bonis, quæ cœlestia, & æterna sunt, à Deo expetendis studium omne meum, & enixam curam reponam. Video enim non secus ac si oculis idem cernerem, neque falli nos spe nostra, si verè confidamus Deo, neque ipsum Deum à natura, à iustitia, à bonitate sua posse deficere. Vnus adhuc restat scrupulus, is iste, ipse, in quo Paulus nunc versatur, nec mihi ille quidem, sed his, qui fidei CHRISTI inhonestè sæpe obtrectant, qui cum reliqua forte omnia concesserint fidemque in Deum causam omnium virtutum in nobis assensi fuerint, nec sine ea ad gratiam posse veniri annuerint, illud tamen dicant, quod quotidie dicunt, nihil opus fuisse CHRISTO, nec CHRISTI morte, sed potuisse mundum inspirante Deo, nihilominus in hunc sensum & fidei mysterium sine CHRISTO pervenire, quasi hoc in nobis reprehendant, quod in istud fidei negotium, CHRISTVM ita admisceamus, vt absq; eo de salute & de Dei gratia penitus diffidamus. Nam quod Dei filiū famur, quod æqualē Deo, quod virtutē Dei omnem in seipso detinere, alia fortasse disputatio sit, neq; propria huius loci. Quòd vero sine eo erga Deū fides non sit, & quod hac vna omnino ianua ad vitā sit introitus, cuperem admodū mi frater a te aliquid

proferri in medium, quod possemus horum talium molestissimis
percontationibus respondendo opponere. DIVINVM est hoc
consilium, quod quæris mi frater, diuina consideratio, quam nos
homunculi non tam indagare rationib. & scrutari, quam venerari,
suspicereq; debeamus. Est enim hoc fidei præcipuum & proprium,
non inuestigare curiose, quod suscipias, sed id simpliciter,
& syncere credere. Veruntamen quoniã quod cũ pietate agitur,
nunquã ingratum id Deo, neq; infensum esse solet, afferemus
aliqua non tã expressa in scripturis sanctis, q̃ adumbrare possit,
per quæ hæc possit quæstio dissolui, Deum ante deprecantes, vt
sensum nobis rectũ ita tribuat, inducatq; in omnem nos de suo
suo veritatem, si eum nos verentes, & honorem ei toto animo deferentes
ipsius benignitatis, & sapientiæ gloriam cupimus magnificari. FACIET mi frater, inquit, nam & ipse dixit, Quæ cum
poposceritis patrem in nomine meo, dabit vobis. HAC fide
Deum freti inquam, asseueremus primum illud, quod indubitatum,
certumque retinemus sola fide erga Deum per IESVM Christum
posse nos saluos fieri, neque aliud nomen esse sub cœlo, vt
Lucas inquit, in quo salus mundo sit proposita. Quorum etiam
vtrunque cognoscere vita est æterna, & eum, scilicet, qui misit,
Deum patrem, & eum, qui missus est, IESVM Christum filium
Dei. ASSEVEREMVS, inquit, neque de huius fidei constantia
vlla omnino vnquam vis nos, vllius sententia deducit. Et qui
inquam, huiusce persuasionis nostræ & fidei argumentum, primum
illud, & quasi fundamentum totius assensionis habemus,
quod euentus rerum ita habere se rem cõprobauit. Hoc n. & miracula
CHRISTI, quæ ab eo patrata sunt plurima, & maxima indicarunt,
& mors ab eodem non suscepta solum sed præuisa etiã,
& sæpius prænuntiata, & posteaquam obijsset tertio die à mortuis
eiusdem consurrectio, ac sui viuentis discipulis ostensio: Deinde
palam in cœlum tot conspecta oculis fidelium ascensio, post
Spiritus sancti è cœlo discipulis missa, & dispertita in specie linguarum,
& ignis donatio. Virtutes quoque maxime illis, ex eodem
spiritu immissæ & inditæ sanandi ægrotos, liberandi à malis
dæmonibus obsessos, mancos, & debiles integrandi, integros
interdum in debilitatem inijciendi, consistendi sine timore, & perturbatione
vlla aduersus magistratus & potentes, ac ferens
sæpe minas superborum hominum ac tyrannorum, in morte
sicubi opus esset, & veritatis defensio postularet, alacri animo
undi, atq; hæc omnia tot atque tanta, vt aptè, & facilè, & admirabiliter
agerent, non solum vis quædam inaudita cœlestis virtutis
ac sapientiæ, sed etiam omnium linguarum vsus & cognitiones
illis repente è cœlo datæ. Quarum quidem virtutum, & eius,
qui in Apostolis operabatur, Spiritus sancti tãta vis extitit, vt
mun-

mundus, qui auaritiæ totus, & ambitioni, superbiæ quoque, & omnibus turpibus illecebris deditus erat, quiq; ea sola bona intelligebat, quæ ad corpus, & ad corporeas cõmoditates, aut quæ ad gloriam, & laudem inter homines pertinerent, nullam autem animorũ immortalitatem, nullum Dei regnum, nullam alteram vitam, & eam quidem multo potiorẽ cogitabat, stupefactus horum hominum, si illos ex mundo spectes, ignobilissimorũ, & despectissimorum, si ex Deo altissimorum, & maximorum, vita, oratione, miraculis, atq; ea imprimis constantia, qua cruciatus corporum pro CHRISTO, & mortem fortiter sustinebant, conuersus repente ad Deum verum priora vitæ instituta relinqueret, & sese IESV Christo fidelem, subiectumq; traderet. Num paruum hoc tibi aut obscurum veritatis fidei nostræ argumentum videtur esse? MINIME, inquit ille, sed & illustre, & magnum, nequaquam enim sine Deo, nec sine diuino numine nouæ fidei mysterium inexpectatum præsertim, & insolens, hominumque quotidianis & communibus studijs repugnans, atque contrarium tot sanctissimorum vita & virtutibus, tot miraculis, tantarum nationum concursu & cõuersione ad puriorem vitam potuit frequentari. QVID ILLA inquam, quæ in susceptione fidei, & in Euangelio nobis præcipiuntur, eiuscemodi ne sunt, vt aut plausibilia sint hominibus, aut cum aliarum legum præceptis, atque institutis videantur comparanda? Cuiusmodi sunt, quòd humanæ leges his, quibus sunt latæ, non stabilitatem solum & otium, & ordinem vitæ in cõmunione iuris, ac libertatis, sed etiam opes, imperium, potentiamq; inter finitimos conantur acquirere. Nos CHRISTI præceptis vitaq; eruditi humilitatem animi pro magnitudine, simplicitatem pro sapientia, credulitatem pro cautione, patientiam pro vlciscentia, ignobilitatem pro gloria, pro diuitijs paupertatem, pro potentia imbecillitatẽ, pro delitijs asperitatem vitæ eligimus, atq; in his spem maximi boni consequendi ponimus, quæ cæteris primo ipso aspectu molesta, difficilia, summa mala, iudicantur. Hæc ne tanta commutatio opinionũ, atque rerum, tamque contrarius & discrepans à perpetuo hominum vsu, & voluntatibus animorum sensus aut veritatem in se melioris vitæ retinere, aut sine Deo adipisci tantum authoritatis potuit? NE HOC quidem fieri vllo potuit modo, inquit, cum tamen nobis iam expertis, & ab IESV Christo edoctis, quantum cœlum à terra distat, tantum hæc vita, quæ oculis carneis despicabilis, & sordida, plenaque miseriæ, & stultitiæ videtur esse, illis mentis, & spiritus integrioribus oculis cœlestis lætitæ & verissimarum iucunditatum plenam sese ostendat. NEMPE quia à mundo penitus auulsa est, & in Deo tota defixa, eumque suum possidet bonum, quod summum est in omni natura bonum.

HAC

HAC ratione ipsa inquit. HIC inquam IVLI necesse est hoc vt consideretur, quale sit, quo quid mundi dicitur esse, aut Dei. Sic enim pronunciamus, atq; sentimus quasi alterutrius tantum non esse necesse sit, vtriusque vero esse nequaquam sit licitum. EXPECTO, inquit, quid dicas, HOC inquam, quod videtur repugnare inter se, & contrarium esse Deo seruire, & mundo, sicut ipse dixit: Non potestis Deo seruire, & Mammonæ. Id porrò verbum Syrorum lingua diuitias significat, quarum quidem nomine omnis cura rerum terrenarum, omnis procuratio corporum comprehenditur. Sed Deus, & mundus Domini nostri sunt, non tibi simul, id enim fieri nequit, sed alteruter eorum, prout tu magis voluerimus dedere, illumque, quē elegerimus Dominum & Deum nobis voluerimus constituere. Vtri enim hæserimus tius, & in vtro magis desideria nostra collocauerimus, is à nobis potior, & præsentior habebitur Deus: qui si mundum præseruerimus Dominum, carnales homines reddemur: si Deum, spirituales. Verum, vt opinor, distinguendum perspicue est inter spiritualem hominem, & inter carnalem, vt quod ad mysterium CHRISTI pertinet, fidei nostræ rationem melius post exponamus. Porrò fiet hoc percommode, si operationes carnis, & operationes spiritus ex eiusdem huius Apostoli verbis in medium proferemus, qui sic ad Galatas inquit, scribens. Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt hæc, Adulterium, scortatio, impuritas, perfidia, falsus deorum cultus, veneficium, inimicitiæ, iurgium, contentio, iracundiæ, rixæ, seditiones, factiones, maleuolentiæ, cædes, ebrietates, comessationes, & similia his, quæ vobis prædico, quemadmodum prædixi, quod qui talia agunt, regni Deinon erunt hæredes: Manifesta sunt opera carnis, inquit, quoniam carnalia, & corporea sensus feriunt, & à carnalibus oculis conspiciuntur: quæ quidem carnis opera, alia finis nobis sunt, & id, ad quod tendimus, extremum: alia sunt in his, quæ spectant, & pertinent ad finem. Finis corpus est, & corporis commoda, quæ in Græco epigrammate satis expressa sunt, quo dicitur optimum esse bene valere, honorari pulcherrimum, suauissimum eo frui quo quis maximè cupit. Ita valitudo, suauitas, dignitas carnalium hominum summa, & maxima bona sunt, & ille ex Euangelio hoc idem indicat, qui plenis domi horreis, ac cellis omnibus dicit animæ suæ: Anima habes bona multa reposita in plures annos, requiescas iam, comede, bibe, gaude. Hæc enim bona si cum pace, & dimicatione quærerentur, aut iam quæsita, & parta possiderentur, nimirum in his humanorum in corpore votorum summa consisteret. Quoniam autem affectata, anhelata, auide vtique quæsita sunt, neque omnibus pariter queunt communia esse, idcirco in his oppugnandis, insidiandis, contra petendis sedi-

as, & rixas excitari necesse est, & reliqua mala facinora omnia
[illegible], quæ non sponte sua, sed horum obtinendorum bonorum
gratia perpetrantur. Ista igitur carnis opera, & qui hisce dediti
operibus sunt, carnales homines habẽtur, qui omnes curas suas,
& studia omnia ad carnem, corpusque referunt, nihil cogitatio-
nibus rerum à sensu remotarum, nihil futurarum post hanc vi-
tam expectationi, nihil Dei prouidentiæ, nihil immortalitati, ni-
hil denique fidei erga Deum tribuentes: sed illud tantum soli-
dum & verum tenere se arbitrantes, quod manibus comprehen-
dunt sit. Atque hi tales ipsi cum sint, non modo regnum Dei, le-
gemque recte, & ordine viuendi nullam, sed ne ius quidem vitæ
perpetuum, & firmum possunt recipere. Moritura enim caro, &
carnalem secum hominem in eandem mortem rapit, ipsaq; Dei
legibus nequaquam subiecta est, idcircoque omnis eius sapien-
tia, apud Deum stultitia est, quoq; abscedit à Deo longius, quod
hi faciunt, qui diuitijs, & potestatibus inhiandis quotidie magis
in mundum se inuoluunt: hoc sit terrena ista tractando, appe-
tendoque dementior. Atque hic homo carnalis à Ioanne Euan-
gelista notatus, qui non ex Deo, sed ex sanguinibus, & ex volun-
tate carnis, ac viri natus est, à quo se cupiebat Dauid liberari, cum
ita fatet apud Deum, Libera me de sanguinibus Deus, Deus salu-
tis meæ, inquiens. Hic est, quẽ Adam nobis primus pater proge-
nuit postquam peccatum fecerat, & Dei dicto nõ fuerat audiens,
cum carnem nihil etiam tum admodum appetentem, neque ar-
rogantem sibi, sed rationi prorsus, atque menti subiectam & de-
ctam insperata illa victoria, quam nec ipsa quidem valde concu-
piscat, ad superbiam excitauit, in eamque extulit insolentiam, &
temeritatem, vt maius illa deinde ius suum in homine quam ra-
tionis semper pugnauerit esse. Quod carnis regnum mors iure
est consecuta, quandoquidem caro cum operibus suis vitæ per-
petuitatem non recipit, idque ab origine primi parentis pecca-
tum vna cum morte in nos quoque, qui sumus progenies ipsius,
& in vniuersam posteritatem propagatum est. Huic autem car-
nali è contrario spiritualis ille homo opponitur, qui fructus eos
appetit, & ea sibi prima proponit, quæ sunt propria spiritus. Por-
rò autem illa sunt, Charitas, gaudium, pax, longanimitas, beni-
gnitas, bonitas, fides, mansuetudo, continentia. Quorum qui-
dem omnium si ex origine, atq; ex authore illa spectentur, Deus
caput est. Hauriuntur enim ab eo ista omnia, & referuntur rur-
sus ad eum. Si vero ex nostra parte, illa propter fidem nobis insi-
nuantur, simulac primum enim considere incipimus Deo, & præ-
mia ab eo illa expectare velle, quæ sunt ab humanis sensibus ab-
scondita, statim dimissa carne ad spiritum nos reuocamus, repu-
tatisque mundanis, & terrenis bonis causas omnes vnà excindi-
mus so-

mus solicitudinum, & cupiditatum, animoque intestinis morbis
ac perturbationibus liberato pacati, atque modesti, omnibus be-
nigne facientes, nunquam obtrectantes cuiquam, neque ad cor-
pus velut ad finem aliquid referentes, sed omnia in Deo nostra
reponentes, agimus beatam etiam in hoc seculo vitam, plenam
lætitiæ, & verissimæ iucunditatis, cui nimirum vitæ neq; lex scri-
pta, neq; mors dominatur. Immortalis enim spiritus est, & eius
opera æterna. Atque hi sunt, qui per fidem nascuntur ex Deo, &
filij Dei fiunt. Primum quia illi similes in omni illa diuinitate,
atque iustitia contendunt fieri, tanquam filij parentis, deinde
quoniam abdicato patre mũdo, & pristino repudiato tenui ge-
neris nomine in aliud nomen, & familiam aliam transeunt, vt
in cœleste genus adoptati, vnamq; illam, & solam expectantes
reditatem, quam de cœlestibus bonis illis largiatur Deus. AN-
DIO inquit IVLIVS, & hanc admirabilem fidei potentiam
iam atq; etiam magis nosco, cuius certè & author, & doctor fuit
CHRISTVS, de quo si aliud argumentum nullum habeamus
fuisse illum filium Dei, eundemque humani generis redemptio-
rem, hæc vna quidem ratio, mea iam sententia satis sit, quod gu-
stum, & fructum diuinæ huius sapientiæ attulit ipse in mundum,
cæcisq; hominum mentibus lumen prætulit, quod nulla nostra
lucubratio, nulla ingenij vis, nullum vnquam studium prouisset
inuestigare, idq; nisi ipse è sinu & gremio patris profectus ab eo-
dem patre Deo ad nos detulisset, iaceremus adhuc omnes hac
mente, & erraremus sine duce, & nullo bono consilio actiones
nostras, vitamq; dirigeremus. Quamobrem perge tu quidem, vt
cœpisti. Et si enim satis edoctus sum, nam persuasus semper antea
fui, tamen audire etiam nunc expero, quæ dicturus es. ATQVE
mi frater, ne alterum quidem illud argumentum silentio præter-
eundum est, quod Paulus ad Ephesios scribens innuit magis, quam
explicat, qua ait: In quo habemus (CHRISTO videlicet) re-
demptionem, per sanguinem ipsius, dimissionem peccatorum, se-
cundum diuitias gratiæ ipsius Dei, per quã exuberans fuit in nos
in omni sapientia, & prudentia notificando nobis mysterium vo-
luntatis suæ ex beneplacito suo, quo proposuerat in ipso, in
pensata plenitudine temporum sub vnum caput redigere omnia
in CHRISTO, quæcunq; in cœlo, & quæcunq; in terra. In ip-
so, id est, per CHRISTVM constituit Deus reuocare omnia
cultum, & ad honorem sui, vt ipse esset omnium Deus, cui
fuisset & creator, vt ne tam diuturno errore laberentur homines
ponentes in mundo, & in mundanis dijs spem, & inani fiducia
cia ad interitum deducti: PRÆCLARVM & hoc argumentum
est, inquit, dignaq; imprimis Dei bonitate, & sapientia deliberatio,
tio, cuius vtique deliberationis vnicus in omni æuo transactor &

ministet fuit CHRISTVS, cuius & actio ista ipsa, & actionis omnis satis planè indicant, & in tanto Dei consilio intelligendo esse in illo diuinã sapientiam, & in exequendo, ac perficiendo diuinam etiam potestatẽ. Nunquam enim homo duntaxat sapiens fuisset, aut tam alte ille sapere, aut tantum complecti potestatis habuisset. At nunc quidem orbis ab eo edoctus vniuersus, quantam diuisus postea in ritus, atq; sectas: vnicum tamen omnium hominum, & Deum vnum agnoscit, ac veneratur. Ipsum autem consilium summi Dei, quo per CHRISTVM is voluit cuncta sub caput reuocare, & redigere, cum venerabile per se est. Nihil enim illius maiestate dignius, quam repulsa, atq; illusa inanium deorum turba gloriam suam æque omnibus hominibus, nationibusque patefacere, in quo Iudæi sanè quam ridicule stulti sunt, qui unum cœli, terræque effectorem peculiarem suum, & proprium vocant Deum, quasi aut cæteri quoque homines non sint, aut si sint homines, nõ tamen ab eodem Deo facti, aut creati existant? Vtrumque horum ita esse suscipiatur, pacto tamen aliquo & conuento Iudæis obstrictus sit Deus, non se alium præter eos populum in fide, & beneuolentia sua recepturum esse. Sed, vt dixim, cum venerabile est per se consilium Dei, & hæc illius æquus atque æqua erga omnes homines voluntas, cumque omnibus nobis commodum, & salutare (illo enim cuncti consilio perpetuam salutem vocati sumus) tum vero ratio, & via consilii illius perficiendi non modo inaudita, & noua, sed admirabilis, sed incredibilis, sed nescio vnde inuenta, atque in lucem educta sit. Quid enim tam nouum, tamque præter omnium opinionem accidere vnquam potuit, quam ita instrui, atque erudiri homines, qui in mundo versarentur, & hasce tam varias, tamque innumerabiles oculis & manibus, omnique corporis contactu perciperent voluptates, quosque ad consectandas corporum commoditates vita, ad dominandi cupiditatem natura, ad appetendam laudem animi vis quædam erectior stimularet, vt hoc ita constituerent, idque cerussimum existimarent, si veram vitam adipisci cuperent, hasce omneis res, quæ de mundo expectantur, diuitias, scilicet, honores, voluptatesque relinquendas, & pro nihilo esse habendas, vt eum hæc, quæ cernimus, & tangimus dimisissemus, tum ea speraremus atque expectaremus, quæ ab oculis, & ab omni sensu prorsus remota essent, præceptumque CHRISTI adimpleremus, sic nos adhortantis, dum ait, Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Quando quidem repudiare, & abijcere omnem, vnum atque idem propemodum iudicatur, ac semetipsum exuere, atq; abnegare. Atq; hoc cum mirabile admodum, & nouum ex parte imperantis, ac præcipientis CHRISTI, tum etiam

etiam mirabilius ex eorum factis, qui paruerunt. Creditum [illegible] est, assensum est, concursum est in hanc rationem vitæ, & [illegible] tiam, neq; id infrequente populo, sed totis generibus [illegible] & nationibus. Quodque tu frater paulò ante dicebas, [illegible] viuendi in contrarias partes commutata est, vt quæ apud [illegible] dum despicatui ducuntur, ea prima, & præcipua Christianæ [illegible] mini habeantur, quæ autem in mundo plurimi fiunt, [illegible] Sed ego nimis longe progredior, tuæq; cursum impedio [illegible] nis. Tu vero ad institutum sermonem reuertere, & [illegible] liqua. ADIVVAS me inquam mi frater, non impedis, [illegible] curris orationi meæ, viamque mihi aperis, qua facilius, [illegible] ad illa diuina mysteria adniti queam, quæ sunt in omni [illegible] manis considerationibus cæterarum longe altissima, vel [illegible] non humana nobis, sed diuina mente, inspirationeq; [illegible] vt ego nunc ex his, quæ à te dicta sunt, sancto instante [illegible] tiri mihi sentio arcani consilij euidentius rationē, & CHRISTI mysterium totum patefieri. De quo idem Paulus scribens ad Colossenses perobscure mihi loqui videbatur, qua [illegible] pore CHRISTI, quod Ecclesia est, cuius ego factus sum [illegible] ster, secundum dispensationem Dei datam mihi erga vos, [illegible] pleam verbum Dei, mysterium absconditum à seculis & [illegible] rationibus, quod nunc manifestum factum est sanctis [illegible] bus voluit Deus notificare. quæ diuitiæ sint gloriæ [illegible] tij in gentibus, qui est CHRISTVS, in vobis spes [illegible] vt dicebam, Pauli verba mihi admodum abstrusa [illegible] tur, cum hoc mysterium non CHRISTI, aut de CHRISTO sed ipsummet CHRISTVM esse diceret, nunc [illegible] mysteriū fidei nostræ non tam de CHRISTO esse, quam CHRISTVM ipsum: ipse etenim nostræ mysterium est fidei, & [illegible] la ipsa, sine qua nemini apud Deum gratiæ, neque [illegible] diuinæ locus vllus est. Quòd siquis cum admittat [illegible] Deum, CHRISTVM tamen reijciat, is eam ipsam fidem, [illegible] admittit, spernere eo ipso in quo admittit, & repudiare [illegible] gendus est. ATQVI INQVIT IVLIVS, hoc quidem certe [illegible] abstrusius est, quam vt possit per me statim percipi. Itaque [illegible] to sum animo, quorsum tandem euasura sit oratio tua. [illegible] PIES IVLI, inquam, simul ac paulò amplius progressi [illegible] mus, & aliquid adiunxerimus ad ea quæ superiori [illegible] bis tractata sunt, cum noua, & mirabilia fidei Christi [illegible] opera recensentes maxime mirabamur in tam contrario [illegible] do, repugnantibusque sententijs, vt quod paupertatem [illegible] ignobilitatem, quod iacturam, quod laborē illis [illegible] reponeremus, quæ sunt his è regione opposita: locum [illegible] habuisse, & authoritatem sibi vindicasse hanc tam [illegible]

gerem, maximeque aduersantem communibus hominum sen-
sui sententiam Christi, Deique voluntatem, vsque eò quidem,
vt nudum totum pertraheret ad sese, ipsumque à seipso defice-
ret in alienam naturam quasi transire cogeret. DICTA SVNT
in quit, & in his mysterij Christi maxima vis demonstrata.
SED ENIM IVLI adhuc superest, inquam, maius quiddam, &
grauius, quod diuinam illam iustitiam, de qua sæpius à nobis
iam dictum est, maximè in nobis depingit, atque format: cuius
vtilitas, tantique; cœlestis boni ac muneris fides nostra erga Deum
ipsomet Deo nobis sola est conciliatrix. QVIDNAM illud
tandem, inquit? ID INQVAM, quod non solum tolerare, ac
pati, atque æquo ferre animo iniurias, iniquitates, contumelias,
damna, & detrimenta cuiusque modi in animum inducimus, sed
quod excelsius multo atque maius, diui. Atque illi iustitiæ maxi-
mè simile, ac genuinum est, etiam inimicis benefacere: bona pro
malis reddere: quibus odio sumus, eos ipsos diligere: postremò
quas solicitudines, atque curas rerum humanarum nostra causa
non suscipimus, eas non recusare pro aliorũ salute, solatio, com-
modoque; suscipere; vt hoc ipsum quod sumus, quod viuimus,
nõ modo nemini omninò fraudi, damnóue sit: Sed etiam quod
Dei summi, & præpotentis proprium imprimis est, ad commo-
dum, & vtilitatem valeat vniuersis. PLANE ISTVD est inquit,
quo diuinæ iustitiæ, & bonitatis similitudinem imitando maxi-
mè assequimur. Sed hæc mi frater nequaquam terrena cogitata
sunt, verum cœlestia prorsus. Quando enim sponte ab hominis
mediatione, atque cura, aut animaduersa omniao, aut siquis
aliquando in eam cogitationem incidit, non irrisa illico, & repu-
diata emerunt? ATQVI IVLI tum, inquam, cœlestia existi-
manda sunt, cum ad cœlum, & ad Deum sunt conuersa. Qui si
Deus iustificat eos, qui à carne ad spiritum, & à mundo ad eum
ipsum per fidem se recipiunt, accipitque in gratiam suam, quæ
quidem gratia hærere ibi non potest, vbi æstus mundanarum fer-
ueat cupiditarum, nónne necesse est ad Deum per fidem illam
accedenti, per quam ipse iustificat impios, mundana hæc studia
vniuersa reijcere, & in eo vno spem suæ salutis ponere? PROR-
SVS, inquit, necesse est, sed ita, vt qui opes mundi non possi-
dent, hoc ipso gaudeant bono, quòd ad sectandum viam vitæ so-
lutis sint, & liberi, qui vero possident, ab eis nihilominus amore,
animoque diuellantur, & cum Deo conglutinentur. PROBE
hoc, inquam, sed & hoc puto te mihi concessurum, non posse
eodem & mundum diligi, & Deum, nimium enim absunt, ni-
mique diuersa sunt, & ambo ista inter se, & quæ ad vtrunque du-
cunt curæ, studia, voluntates, quod significare solebat Dominus,
cum diceret neminem duobus dominis seruire posse, quod aut

vnum dilecturus, alterum despecturus, aut huic adhæsurus, ab i-
lo autem altero discessurus esset, & quod est apertius, qui animam
suam diligeret, perditurum eam, & qui in hoc mundo illam odio
habuisset, in vita æterna reperturum eam. CONCEDO, inquit,
etenim quid potest contradici: QVOQVIS igitur, inquam, in
hoc mundo tanquam in theatro aliquo, & velut spectaculi, ac
scenæ tragico apparatu hisce popularibus studijs & cupiditati-
bus se dedens maior honoribus, opibus, diuitijs, superiori impe-
rio, potestate, gloriaque existit, & quo illius inceptis & tenta-
bus fortuna magis suffragatur, vt vel inter eiues authoritate con-
tecellat, vel in prælijs, & certaminibus victor, spolia, & tropæa
referat in vrbem suam, maximisque cum plausu clamoribus, &
gratulationibus accipiatur, hunc necesse est amantem, & huius-
sum rerum talium, si dictis, & confessis constare volumus, ac-
ctioribus mundo vinculis alligatum, & tanquam clauis affixum,
ita implicari his terrenis bonis, & vsque eo hærere in mundi ca-
piditatibus, vt inter illas alacritates, lætitias, ouationes, conse-
uia à summo Deo magis magisque auertatur, & terrenis studijs
illaqueatus, ac deuinctus, à spe salutis, verique boni sit magis
longe absit. QVIDNI absit, inquit, cum non ab Deo solum, sed
à seipso quenque, & à bonitate naturæ sæpe suæ, confusique re-
cto fortunæ euentus prosperi cogant deficere? Et tamen ista
sunt, inquam, quæ ad mundum, & sectatores mundi homines,
quorum semper multo maxima extitit multitudo, felicitatis &
fortitudinis, & sapientiæ obtineant appellationem. SVNT in-
quit, sed perturbato iudicio, quando sola animi bona probat
Deus. MEMINISTIN' inquam, eius, quod ait Paulus? Quod
stulta, & imbecilla, & quæ pro nihilo in mundo sunt, elegit
Deus, vt sapientia, & fortia, & illustria mundi confunderet. Et
item eius, quod in Euangelio est, quod altum in hominibus est
id abominationem esse coram Deo? MEMINI inquit, idque
mihi videtur prorsus per fidem Christi fuisse factum. RECO-
DARE igitur, quod paulò ante posuisti, cum dixisti sic posse quæ-
ri, quid opus fuit Christo, & morte Christi? nónne potuit mun-
dus Deo inspirante per fidem in eum totus iustificari? Non
enim tibi præcisè respondeo non potuisse, nisi forte nostri libe-
tatem arbitrij qua hominis naturam præcipuè constare vult
Deus, idem etiam eam sub vim, & sub necessitatem redigere vo-
luisset. Nam inspiratio illa ex Deo, si ijs, qui inspirabantur, non
allatura erat, eosque in id, quod voluisset Deus, etiam inuitos,
aut inopinantes omnino pertractura, non tam inspiratione,
quam imperio, & potestate summi Dei ad iustificandos homi-
nes fuit opus. Sin autem suasione duntaxat agere voluit Deus,
& quos inspirabat, non vim illis afferre, sed tantum hominibus,

& do-

dendo illos ad sese adducere intendebat, quemadmodum quidem in sanctis illis viris Patriarchis, & Prophetis fuit factum, non omnes mouebat illa inspiratio, sed tantum voluntate, & animo bono ad accipiendum paratos, qui cum perpauci existerent, quippe qui singuli per interualla inspirabantur, non fuit simæ bonitatis & beneficentiæ largitatem cœlestis boni in tam ingens numero conclusam velle. Igitur suasione semel & doctrina ad omneis homines, tanquam qui liberi, & suæ sponte essent, non vi, neque potestate vti voluit. Suasione autem non per somnia, neque per obscuras prophetarum voces, quibus erudiri pauci, & ad Deum conuerti poterant: sed illustri, & euidenti, & ea, qua oculi cunctorum, & animi maximè permouerentur, vt & qui tardi ingenio, & qui moribus agrestes, & qui opinione de se inflati essent, & qui mundo, carnique dediti, omnes pariter claritate, magnitudineque exempli admoniti, atque edocti intelligerent, si cum Deo frui immortali vita vellemus, contemnenda nobis esse terræ bona, & appetenda cœlestia. Itaque hominem vnum elegit, & formauit ipse Deus, qui diuini huius documenti veritatem totam in semetipso deferret, suoque omnibus exemplo ostenderet, quantum veræ felicitati, & gloriæ sequeretur eam vitam, quæ in terris misera, despectaque habeatur, dummodo illa non ingratis, neque contra animi sententiam, sed libenter ex Deo, & propter Deum suscepta esset. TVM IVLIVS exclamans, mi frater, inquit, diuinum profectò hoc consilium, diuina veritas, quam quidem eiusmodi illam veritatem nisi patefecisset nobis Deus, ratio hominis nulla vnquam apprehendisset. At quanto lumine iam effulget bonitas & consilium misericordis Dei, & erga humanum genus beneuolentia? sed tu perge quæso, & exple auiditatem meam, qui studio feror incensus, vt ea auribus percipiam, quæ tamen propemodum mente iam præcipio. VOLENS inquam, homines Deus veritatis non ignaros solum, verum etiam negligentes, conuertere ad amorem, & desiderium sui, atque vt beneficium suum latissime diffunderet, filium suum carne humana indui voluit, qui tum verbo, & doctrina, tum ipso opere, & facto quasi manu duceret eos in adeptionem summi boni, vt cum doceret eos spernenda esse terræ bona, ferendas iniquorum iniurias, labores si res poscceret, pro veritate subeundos, mortem oppetendam, princeps ipse iniret eam viam, quam cæteris monstraret, qui primus in crucem tolli, primus ludibrio ab hominibus haberi, primus in omni vita, omnibus vitæ commodis, iucunditatibusque destitui, non solum æquo, sed etiam forti animo perferret, ac pateretur. Qui item cum prædicaret, annunciaret, quanta eiusmodi vitam, quam agebat ipse vna,

ac docebat, plenam patientiæ videlicet, & laboris, cœlestium de-
norum præmia, quanta felicitatis magnitudo, quæ vita, quæ
gloria sequeretur, non probasset ista hominibus in mundi cœ-
inuolutis, nisi consurgendo ipse à mortuis, & in cœlum palam
ascendendo impleta in se ostendisset, quæ cæteris pollicebatur.
Illo etenim imprimis facto, illo exemplo moniti, qui & docen-
tem illum antea audierant, & mox mortuum, suscitatumque vi-
derant, euntemque in cœlum conspicati fuerant, paulo quoque post
sanctum illum è Deo spiritum etiam hauserant, conuersi ad con-
siderationem sui, spernere mundum tum maximè, & mundo
ea ducere, quæ terrenis hominibus prima existimantur, per fi-
demque in IESVM Christum ad amorem solius Dei tot omnes
ferri, tendereque cœperunt, cum ita statuerent, atque decerne-
rent, quæcunque IESVS dixisset, atque egisset, ea sola vera, fac-
ta, rataque apud Deum esse, & de eius imprimis consilio atque
sententia allata in mundum fuisse, solosque ad Dei gratiam ad-
mitti posse eos, qui per fidem in IESV Christo sub potestatem
ipsius Dei se sic subiecissent, vt nihil mundo iuris, aut dominatus
in seipsos esse sinerent: quæ viuendi ratio & conditio ipse est
Christus mysterium fidei nostræ. Nec tantum illi hoc tradidi-
runt, sed dimanante ab eorum cordibus, & linguis vnanimi spi-
ritus sancti auxilio illa incensa erga Deum, & proximum charita-
te totus penè correptus terrarum orbis eodem igne amoris in
Deum conflagrauit, fidemque IESV Christi, atque ideo Chri-
stum ipsum studiose est complexus. Nunc videamus quid iam
ista concludunt, vt possimus necessitatem aduentus Christi, non
commodum iam duntaxat, & vtilitatem cognoscere. Nam si fi-
dem habere Deo, hoc est, illi credere, & planè confidere, nemo
satis potest, qui mundo etiam confidit, & mundi præmijs, bo-
noribusque ducitur: nam qui per fidem quærit apud Deum iu-
stificari, quò dignus bonis cœlestibus efficiatur, is mundum, &
glorias mundi renuntiet, necesse est, quod tamen aut sua, aut pa-
rentum voce profitentur omnes, qui baptismum accipiunt, dum
sese Deo dedunt, & permittunt totos, pompasque Satanæ repu-
diare se testantur, & penitus eas ab sese, atque ab animo suo amo-
uere. Necesse est itaq; mundum relinquere, & mundi res omnes
eum, qui cupiat ad Deum se adiungere, quando præsertim nec
iustificari potest coram Deo, hoc est, veram illam, & integram
diuinæ iustitiæ vim nequit obtinere, qui mundo, & mundi iuris
cupiditate, atque amore sit affixus, porrò autem hoc fieri non
potest, nisi credatur CHRISTO, & tanti ex illo exempli fiducia
na accipiatur. Igitur ille, qui sic docuit, & fecit, vnus ipse est per
cuius fidem iustificamur apud summum Deum. Atque hoc est
mysterium fidei nostræ, vt spernamus mundum, & in Deo vna

spem

spei bonorum omnium constituamus, quod mysterium ipse est Christus, qui quatenus homo extitit, quæso, quidnam aliud re vera fuit, quàm contemptio mundi, atque in Deum fiducia? Ille ideo factus, & in hunc mundum editus, quemadmodum ipse affirmat, vt testimonium daret veritati, idemque ipse veritas, & quæ veritas? Nempe ista, quòd verè viuere est mundum spernere, & in Deo spem totam ponere: hæc est fides, hoc mysterium, hæc sola hominis apud Deum iustificatio, in hoc salus nostra, in hoc Dei gloria, in hoc nobis cum Deo non solum pax, amicitiæque & amicitiæ vinculum, sed cognatio etiam, consanguinitasque consistit, vt habeamus illum in patrem, cuius & morum imitanda eius bonitate iustitiaque accepimus, & hæreditatem expectamus, quæ non per mortem parentis ventura nobis sit, sed per nostram in terris quidem mortem, in cœlo autem immortalitatem nos cum æterno patre in perpetuum sit coniunctura. Fuit igitur, fuit necessarium prorsus venire Christum, qui non tam doctrinam ex Deo tanti mysterij ad homines deferret, quam esset ipse illa ipsa doctrina, nec tantum documentum in ipso vnice fide erga Deum, & ex contemptu mundi agendæ, sed exemplum etiam vitæ gloriæque illius præberet, quæ huic rationi Deum fidei esset proposita atque coniuncta, vt quos res ipsæ, & dura illa à mundo disiunctio, humanique affectus deterrerent, eos surrectio à mortuis incitaret, & in cœlum ascentio, & beatæ vitæ, ac immortalis adeptio. Itaque nasci eum, & mori, & consurgere demum oportuit, vt plenum haberemus & integrum, à Deo omnipotente in filio eius IESV Christo & suæ voluntatis ac beneuolentiæ erga nos, & nostræ, si illi obtemperauimus beatitudinis documentum. Cui quidem IESV Christo qui non credunt, hi Deo quemadmodum credent? Non enim Deus familiariter loqui nobiscum putandus est, neque Græco, Hebraicoue sermone ad nos vti, sed vt is infinitam suam potestatem per motus, & cursus cœlestium orbium, ac luminum nobis explicat, sic admirabilem bonitatem suam, studiumque nostræ salutis, & immortalitatis procurandæ, hac oratione, quæ est Christus, nobis est effatus, nos per eum scilicet à mundo, ad se vocans, & spem fidemque nostram ab his terrenis auellere, & in eo ipso constituere nos edocens, vt eius sermo, & vox, & doctrina totus esset ipse Christus: Ita qui Christum à fidei erga Deum mysterio excludunt, neque hi fidem intelligentia, neque Deum complectuntur. Quod enim isti aliud habebunt iudicium, atque argumentum Dei voluntatis, & beneuolentiæ aduersus hominum genus? Quod spei & fiduciæ suæ in Deo firmamentum? quo authore, quo doctore nitentur? vt intelligant hanc vnam viam, & rationem ad Dei gratiam, & ad veram vitam perue-

niendi, si mundi commoda posthabeantur, & in solo Deo sum[illegible]
bonorum constituatur: nónne fit perspicuum, tamq; mani[illegible]
apparet eos, qui Christo non consentiant, terrenos homines esse,
mundo, carniq; deditos? cum simulac primum à mundo [illegible]
auellat, & abstrahat, statim illi in mente, atque in fide [illegible]
Christus, non vt doctor solum tanti mysterij, sed vt ipse [illegible]
rium, qui eum ad Deum deducat, & quasi de manu in manum [illegible]
renti suo tradat ab illo in filium, ab se in fratrem, & [illegible]
regni cœlestis adoptandum, adsciscendum. Quæ igitur [illegible]
tas est rationis, atque consilij hanc tam amplam, & [illegible]
Dei præpotentis in Christo Iesu filio suo suasionem ad [illegible]
atque doctrinam, quemadmodum vita hîc degenda, [illegible]
nere in cœlum perueniendum sit, contemnere, ac [illegible]
occultior alia quædam & penè singularis via exquirat[illegible]
mentis cæcitas diurni syderis lumen ad vitæ vsus non [illegible]
re, peculiare aliud lumen quærere? Significata est per [illegible]
num Iesum via, patefacta, monstrata, quæ recta, & [illegible]
quam ad cœlum, & ad Deum ingredientibus iter [illegible]
solum indicata, sed ipso præeunte munita, & complanata, [illegible]
tu non probes? & deuiam esse contendas? quæ sint [illegible]
& nullis anfractibus est, vt calles occultos quosdam & [illegible]
uerticula quæras, ac perscrutere, per quæ ad Deum, [illegible]
gratiam accedas? Cum ad Deum nisi per tale [illegible]
perueniri non possit, quòd mysterium est CHRISTVS. Tu vero in ipso statim initio ab infidelitate ducas exordium? Et adhuc de CHRISTO perinde vt de homine dumtaxat locum [illegible]
mus, qui idem & fuit, & semper est Deus, non fuit quidem [illegible]
origo ipse diuinitatis, sed sempiterna manatio ex patre [illegible]
nenter effluens, tanquam lumen à sole, qui est eiusdem cum [illegible]
tre substantiæ, per quem à patre omnia facta sunt, alius [illegible]
ille à patre, sed non alius Deus, quoniam in diuinitate, [illegible]
in essentia vna est amborum & spiritus sancti cum illis, [illegible]
que prorsus naturæ ratio, quæ sit ipsa summa, & absoluta [illegible]
tas. Sed quoniam de his dabitur aliud dicendi tempus, [illegible]
ad CHRISTVM, qui nisi Deum sibi perpetuo adiunctum [illegible]
buisset, & si non extitisset idem ipse & Deus simul, & [illegible]
quæro fuisset ne potis errare illum aliquando, an etiam [illegible]
set? Quis enim est homo, tanta firmitate animi, tanto [illegible]
robore munitus, tamque sibi admirabiliter, & inuicte [illegible]
qui non aliquo lapsu aliquando, aliquoque deflexu ad [illegible]
& carnis desideria protrahatur? quem nulla vnquam [illegible]
ctio, nullus cupiditatum motus perturbet? Atque ego [illegible]
quor, qui cum Deo viuunt, & illius voluntati, ac [illegible]
dediti, quos (non enim semper in vna illa Dei [illegible]

essitere humanæ cogitationi est datum) simulatque despexe-rint suspirare aut appetere aliquid mortale, ac terrenum necesse est, ad semetipsos aliquid referre. Quod si CHRISTVS à vitæ suæ primordio vsq; ad crucis mortem id de se præbuit specimen, vt nusquam inclinasse ad curam, & cogitationem sui, nihil sua causa omnino voluisse, nullis mundi illecebris exhilaratus fuisse, ac pro salute cæterorum cuncta dixisse, egisse, perpessus esse intelligetur, quis eum cùm talis esset, hominem solum duntaxat, ac non Deum vnà & hominem audeat existimare? Missa nunc facio miracula, missas mortuorum susscitationes, etiam quatriduano-rum, surdorum, mutorum, cæcorum redintegrationes mitto, qui in pristinum naturæ statum contra omnem naturæ vim, & consuetudinem solo verbo restituti sunt, qualia agere & posse est vnius Dei. De illa humana specie in eo loquor, quæ perfe-ctam, & summam veritatis vim, hominis penitus à mundo, & ab omnibus mundi illecebris, & contagionibus soluti, ac liberi profectò ferre nunquam potuisset, nisi eadem cum Deo assi-duè coniuncta, copulataque fuisset. Atque hoc argumento vsus est ipsemet CHRISTVS, cùm studeret mentes Iudæorum ela-tione animi, maleuolentiaque cæcatas ad intuendum lumen ve-ritatis conuertere. Sic in Ioanne loquens: Qui verbum meum audit, & credit ei, qui misit me, habet vitam æternam, & in iudicium non venit, sed à morte transiit ad vitam. Qui ver-bum meum audit, inquit, & credit ei, qui misit me, verbum er-go illius est, cui per hoc verbum credendum est, ac non tuum verbum bone IESV, nisi tute verbum illius esses, cui vt creda-mus, nos hortaris, quasi Iudæis hoc insinuans. Nam tum qui-dem eiusmodi de aliis rebus illis non explicabat IESVS, ne-que verbi apud eos faciebat, quemadmodum credendum, aut quo pacto agendum erga Deum esset, sed semetipsum cre-dendum, noscendumq; proponebat, tanquam ipse esset Deus, & fides, & mysterium, quo verbo inquiens, pater meus, qua nos do-ctrina, quibus præceptis melius queat instituere, ac docere, quàm memetipso, mea oratione, vita, factis? Ego enim euidens Dei sermo sum, non in somniis ostentatus, neq; ambiguis prophe-tarum vocibus nunc prolatus, non in lege scripta adumbra-tus, in qua carnis opera pleraque sunt. Ego autem carnem o-mnem vobis abiiciendam esse ostendo, & ad spiritum solum transeundum, in quo qui cum Deo viuunt coniuncti, hi in iudi-cium non adducuntur. Non enim legi vlli subiecti sunt, sed ipso filio habent vitam æternam. Ego, inquit, annuncio veram vitam vobis, ex Deo, vt illi credatis, Deus enim vester est, & mihi item tanquam verbo Dei credatis. Si enim somnio vt a Deo misso, si

Prophetis, si legi creditis, in quibus aut non tota, aut certè non illustris, sed obscura veritas significata est, mihi quare non creditis, qui sum vniuersa, & perspicua veritas, qui totum hoc, quod sum, doctrina vobis sum, qui meipsum nudum, atq; apertum vobis exhibeo, hominem nihil omnino de mundo haurientem, nihil meum prorsus, nihil proprium volentem, sed omnia ad Deum patrem referentem, cui ita credere debetis, vt mihi illius verbo etiam credatis. Et rursus: Mea doctrina non est mea, sed eius qui misit me, si quis voluerit voluntatem eius facere, cognoscet de doctrina, vtrum ex Deo sit, an ego à meipso loquar. Qui à semetipso loquitur, gloriam propriam quærit, qui autem quærit gloriam illius, qui misit eum, hic verax est. Si nulla, inquit, esse potest doctrina præstantior, quàm ista, qua ego hominem totum à mundo ad Deum retraho, & ipso illo autore Deo hoc me agentem, ac docentem vobis indicare confirmo, omnino me planè est veritas, & verbum sum patris, qui non dissimilem patre, neque separor, nec me in memetipso ab illo distinctum constituo, & me vobis finem vltimumque propono. Id enim si ita esset, nec Dei ego ampliùs verbum, neque in me veritas esset, & vobis hæc quæ prædico, talia non prædicarem, meam que potiùs quærerem, quàm alterius gloriam. Sed si quis hæc, cum demonstro, patrem velle, & petere à vobis, voluerit experimento cognoscere, & huius meæ doctrinæ, atque vitæ gustum aliquem percipere, statim vnà is intelliget, hanc Dei veram doctrinam, & voluntatem esse, vt nemo ad se quicquam, sed ad ipsum Deum referat omnia, seseque vnusquisque a mundo abstrahat, & in Deo totum collocet, quod ego princeps & facio, & factum sum, qui sum ad eam rem natus, atque factus, vt vobis, & ipsi mundo à Deo verbum sim, & sermo, & hortatio. Deo autem à mundo, & à vobis sum victima, qui iustitiam ad vos, & vitam ex ore Dei affero. Vitam, inquam, illam, quæ in Deo est optima, eademque immortalis. Ad patrem autem refero mundi, & carnis mortem, quam in mea carne sum ipse interfecturus, vt vos in voluntate vestra eandem perimatis. Animam enim meam deuoui vobis meis, tantumque abest vt quicquam propriè mihi appetam, vt me totum prorsus mundo donem, atque adeò ei à patre natus sim, vt vitam pro his sanguinemque effundam, qui à mundo ad Deum voluerint se transferre. Hæc IESVS & ipsa multa in populis illis exponens, spiritualis vitæ veram hominem, & diuinitatem, naturamque suam docere illorum tur, qui tamen carnis impliciti illecebris, & mundi cum[illegible] pati vim illam spiritus capere non tam nequibant, quam [illegible] bant. Torpebant enim & pigrabantur commouere se, & ex illis terrenis sordibus extollere, atque ejicere, quæ illis conscientiæ

ne fictæ erant perquàm ſuaues. Repugnabat verbo Dei homi-
num illorum ambitio, obſiſtebat auaritia, aduerſabatur volu-
ptas, & qui eſt angelus Satanæ violentiſſimus, liuor & maleuo-
lentia omnem in illis vim rectè intelligendi, & iudicandi peni-
tus corrumpebat, cùm tamen morte pòſt obita à Chriſto IESV,
& cruce, illo cœleſti ſanguine cruentata, impletoque omni no-
ſtræ redemptionis myſterio perfracti obices, & repagula Sa-
tanæ deiecta ſunt, vicitque Dei ſermo, & factus eſt IESVS
mortuus, quàm ante mortem fuiſſet, multò potentior. Qui cùm
etiam tum viuens prædicaret, & doceret, Iudęisque ſe creden-
dum, noſcendumque offerret, nunquam eos tamen in eam ani-
mi aduerſionem potuit inferre, vt attenderent atque intelligi-
rent, & ſi ipſe quoque ſibi aſſumere videretur diuinitatis hono-
rem, nunquam eum tamen ſuam vllam omnino, ſed tantùm pa-
tris ſui gloriam ab illis expetere. Quemadmodum pulcherrimis,
& optimis de rebus oratio aptè, commodeque pronunciata non
ſuam ipſius, ſed oratoris gloriam in animis eorum, qui audiunt,
conſtituit. Hoc ipſe indicat de ſe in Ioanne, ad Iudæos inquiens:
Non poſſum ego facere à me ipſo quicquam, ſicut audio, iudi-
co, & iudicatio mea iuſta eſt, quoniam non quęro voluntatem
meam, ſed voluntatem mittentis me patris. Et rurſus alio loco:
Ego ex meipſo locutus non ſum, ſed qui miſit me pater, ipſe mi-
hi mandauit, quid dicerem, & ſcio, quòd mandatum eius vita
æterna eſt. Iſtud autem ipſum mandatum paulò ſuprà expoſitum
fuerat, granum frumenti in terra mortuum, multum fructum
ferre. Et, qui amet animam ſuam in hoc mundo, in vitam æter-
nam eam perdere. Et, tollendam crucem, Chriſtumque ſequen-
dum, & ſimilia. Porrò quonam ſermone alio, aut quo genere
orationis commodius, & aptius ad homines loqui, & volunta-
tem ſuam expromere potuit Deus, quàm CHRISTO filio ſuo?
qui cunctus fuit concio patris ad ſeſe vocantis homines, & eos
ſibi in filios adoptare cupientis, cunctus fuit, inquam, non ſo-
lùm quod dixit, & fecit, ſed illud ipſum quoque quod Deus, &
homo extitit. Quà Deus, vim & maieſtatem patris in ſeipſo mi-
raculis indicans, & voluntatem eius illis miris, & inſolitis ope-
ribus enuncians. Quà homo, in contraria omnino parte mun-
do ſeſe, & mundanis omnibus affectibus conſtituens, ludibria-
que & ærumnas, & crucem, & mortem ſponte perferens, vt cun-
ctis fieret palam, iam non per ambages obſcurè dictorum, nec
per viſa dormientium, ſed per geſta, mores, vitamque IESV
Chriſti eos, qui ad diuinitatis præmium velint peruenire, à mun-
di ſpe, ac fiducia oportere eſſe remotos. Hoc diuinæ doctrinæ
pulcherrimum & maximum documentum hanc ſummam ver-
tatis vim exemplo vnius in carne hominis in poteſtate Dei mun-

do toti exhibitam, & demonstratam, Maumethanæ legis sectatores, qui CHRISTVM alioquin miris laudibus extollunt, vt eum quasi intueri, atque agnoscere velle videantur, nescio quo pacto mox hallucinati aspernantur, atque illudunt quà dedecorosum putant esse CHRISTO, si is raptus ad mortem, & in crucem actus sit, mundani homines nimirum, nisque nisi terrenum, & carneum meditantes, vt qui inspicere non potuerint, quæ sit gloria spiritualis viri, quamque contraria [illegible] mationibus humanis. Sed illi quidem ita contagionibus mundi infecti, immersique penitus sunt, vt videatur nouà [illegible] reperta, quæ eos non ab ignorantiæ tenebris extractos [illegible] tatis lucem excitaret: sed quæ vltrò omne in illis lumen, [illegible] aciem spiritualis hebetaret, atque extingueret, penitusque in corpore, atque in corporeis cogitationibus infigeret, quæ primùm eos ad Iudaicas redigit obseruantias, vt spem non [illegible] mam salutis in illis ponant, deinde nullam artium liberalium atque optimarum magnoperè illis consectandam proponat. Postremò ea illis præmia actæ vitæ in cœlo dat, quæ sunt in hoc quoque vita modestis, & probis, & sapientibus hominibus [illegible] pia. Sed vides mi frater, dum de iustificatione legis, & fidei loquimur, quàm multa simus de CHRISTI fide perfecti, per quam solam iustificari homines apud Deum asserimus. [illegible] LE: Hodierno die, mi frater, inquit, omnis mihi ignorantiæ caligo penitus ex animo discussa est, egoque & dies, & [illegible] tutus sum. Nunc enim lucent mihi planè in animo [illegible] mysteria, quæ antè perobscura esse videbantur, cùm [illegible] credendum erat, facilè id quidem, & incunctanter crederem, [illegible] mitteremque me & sanctorum patrum doctrinis, & sanctæ Ecclesiæ Catholicæ decretis: hodie verò primum quod [illegible] etiam de illis fuit, Dei beneficio, vt noscam sum consecutus. [illegible] quod solebat crebrò vsurpari in disputationibus æqualium [illegible] rum, cùm sic objiceretur, cur tanto tempore post CHRISTVM ad seruandum hominum genus venit? quid ita tantum ante se seculorum passus est sine cognitione veritatis præterire? ei ego dubitationi nunc facilimè respondeam, eos quicunque [illegible] vitæ sectam omni tempore secuti sunt, vt mundum, & [illegible] commoda, præ cœlestibus commodis nihil fecerint, summumque in ipso Deo præmium sibi constituerint, per fidem [illegible] CHRISTI cum Deo coniunctos fuisse: hoc enim est ipsum dei mysterium, qui CHRISTVS est, cuius vis tota in [illegible] inductione animi, sententiaque consistit, vti ab vno Deo [illegible] mia in cœlo nostra expectemus, bona autem & blandicias [illegible] di negligamus, & tamen quod ad personam CHRISTI [illegible] net, qui eius tantum hoc mysterium diuino munere habuerunt

cogni-

cognitum, illis eadem bonitas Dei authorem, & caput mysterij profectò indicasse credenda est, vt vel venturum spiritu ante prospicerent, vel posteaquam venisset, etiam inauditum intelligerent, si qui extitere vspiam, hodieque existunt, ad quos hoc nondum sanctissimum CHRISTI nomen famaq; peruenerit. IAM ILLVD, inquam, Iuli intelligere te quoque puto, quemadmodum homines, qui prius generati mundo sunt, ex Deo rursus renascantur, & repudiato patre mundo, filij Dei fiant. Hoc est illud ipsum mysterium, quod CHRISTVS est, qui quà homo extitit, princeps in nomen & genus summi Dei adoptione est vocatus. Quatenus autem fuit, estque mysterium, in illo cuncti, & per illud honorem consequimur eundem, vt adoptati à summo Deo, & filij Dei efficiamur & appellemur. Atq; hæc est generatio populi Dei, quę nō ex Iudęis, neq; ex semine Abraam carnali illo, & corporeo, sed ex semine fidei, quę in Abraam patre nostro à principio elucit, & in proprio verbo Dei, & ipso fidei mysterio, quod fuit IESVS Christus, ornandis & frequentandis cœli regionibus diuinitus est procreata: de qua, tametsi ipsum CHRISTI mysterium omnibus ante seculis occultum extitit, vt nemini prophetarum, ac patriarcharum, sed ne angelorum quidem cuiquam consilium Dei de CHRISTO perspicue fuerit patefactum, ipsa tamen nouæ populis creatio, & sanctioris populi constitutio, ac nouæ vrbis Hierusalem ædificatio antiquitus à Deo pluribus prophetis est demonstrata. Quid enim est, quod sic loquitur Dauid? Et anima mea illi viuet, & semen meum seruiet ipsi, annunciabitur domino generatio ventura, & annunciabunt cœli iustitiam eius populo, qui nascetur, quem fecit Dominus. Et in Esaia Deus: Alienigenis, inquit, qui apprehendent fœdus meum, dabo eis in domo mea, & in muris meis locum, & nomen melius, quàm filijs, & filiabus, nomen sempiternum dabo illis, quod non peribit. Nōnne & populo, quem Dominus facturus erat, cum diu quidem antea populus Iudæorum esset factus, & alienigenis, qui fœdus Domini apprehensuri erant, hoc est planè non Iudæis, nomen melius multo à summo Deo promittebatur spiritualibus filijs videlicet, quàm filijs terrenis, atque carnalibus, quod idem est, atque Iudæis? Quid de ipso CHRISTO Esaias, quam aperte, quamque perspicue, vt videatur penè id ipsum intueri mysterium quod nos occultum fuisse dicimus, cum sic inducit loquentem Deum, Ego suscitaui eum in iustitia, & omnes vias eius dirigam: ipse ædificabit ciuitatem meam, & captiuitatem meam dimittet, non precio, nec munere. Et rursus vim innuens futuri mysterij: Conuertit, inquit, Deus sapientes retrorsum, & scientiam eorum stultam facit, suscitat verbum serui sui, & consilium angelorum complet. Vel, cū de nouo populo prędicit, Ambular.

bulare faciam cæcos per viam, quam non nouerunt, per semitas, quas non cognouerunt, calcare faciam eos, ponam tenebras ante eos in lucem, & praua in rectum. Nam quid obsecro erat ignotius, quid magis deuium ab itinere publico, quam hasce inire vitæ semitas, quæ nobis à Christo Iesu monstratæ sunt? quas nisi princeps ipse præeundo indicasset, & omnibus impedimentis, obicibusque præseptas progressu ipse suo purgasset, atque aperuisset, nemini eas non modo ingredi, sed ne dispicere quidem fuisset licitum. ITA EST, inquit, sed quæso mi frater, quidnam dicere esse iam potest, aut mysterio fidei, eiusque effectu, & operatione inter gentes, aut prophetarum vaticinijs ista ipsa annuntiantibus? cum præsertim omnes ferè, qui à Spiritu sancto prædicti futurum seculum cognouerunt, cum denunciarent populo Israelitico, Iudaicoque excidium, vrbi Hierusalem vastitatem, & rusticam solitudinem regioni, internecionem propè Hebræorum filijs, filiorumque parentibus, repente post innumerabiles illas iacturas, & calamitates, tanquam mutato choro concinant corrigentem, restituentemque omnia, & ad seculum beatius transferente Deo, vt facilè appareat hominibus non tardissimis reiecto carnali populo, alium à Deo spiritualem populum institui, quo cum fuisset sempiternum futurum Domino sit. RECTE, inquam, loquimini, sed quando, quoad est nobis à Deo traditum fidei CHRISTI mysterium satis aperuimus, cuius cognitio, sicut ipsa re emptiere ad intelligenda Pauli sensa, quæ nimis interdum retrusa, absconditaque videntur, mirum quantum profutura sit, videamus nunc de quo ante fuit dubitatum, quid in se momenti, aut necessitatis ad salutem consequendam baptismus habeat. Sic enim si memoria tenes, disputabamus, non videri nobis iure derogari circumcisioni ipsi illi videlicet, quæ in præputio carnis vsurpabatur, cum in eo signo, & velut indicio suæ professionis Iudæi spem ponerent, quando eandem nos vim ad amicitiam cum Deo, & ad salutem acquirendam in baptismo nostro, quod item signum externum est, constituimus, de quo dicendum est, baptismum eum, qui ex aqua, & chrismate sacro fiat, non esse omnino necessarium ad fidei iustitiam, & tamen quodam modo necessarium esse. Nam cum sit baptismus professio eius sectæ, quam sequi volumus, & earum rerum, quas Deo promittimus, quasi pactio quædam ore enunciata, ac prolata, & coram Ecclesia, cœtuque fidelium testificata, per quam testificationem membrum Ecclesiæ, quæ corpus CHRISTI est, efficimur, quòd omnes in vnum corpus, vt ait Paulus, baptizamur, si incidat casus, & tempus eiusmodi, vt recepto, & credito CHRISTI mysterio id ipsum statim factis, & opere [illegible]pemus, protinusque mundum reipsa, per alienam tamen vim dimittamus, ad eum finem vtique, vt Deum, & promissiones Dei

assequa-

abquamur, salutem absque hoc baptismo sine dubio inueni-
mus, sicut inuenit eam ille latro, qui pendenti CHRISTO in cru-
ce pendens ipse adhæsit. Quid enim erat opus illi, vt profiteretur
sanctum sequi velle, quem reuera sequebatur? & mundum velle
dimittere, quem tum maxime dimittebat? Quo in supplicio cru-
ce, & si legibus mortem subire, ac ferre in corpore cogebatur, a-
nimi tamen liber ipsum illum animum, quem in potestate habe-
bat, ad præbendum se CHRISTO comitem applicabat, propterea-
que absq; aqua in sanguine, & spiritu, est baptizatus. Quod item
compluribus postea contingere potuit, quemadmodum de Eme-
rentiana virgine, & Adaucto martyre monumentis est proditum,
& si qui alij eiusmodi, quos in ipsa agnitione CHRISTI & fidei
mysterium, quod intellexerant, opere statim implentes, atque vt
Christo coniuncti essent, mundum, atq; vitam prompto animo
relinquentes, nullo alio accepto baptismo, præter hunc spiritua-
lem, & intestinum, quo nullus tamen sanctior est, ipsa Dei beni-
gnitas in gremio suæ immortalitatis excepit. At qui post agnitio-
nem mysterij, spatium habuerũt & commodum sanctissimo hoc
baptismi lauacro se abluendi, & in eo profitendi, quales ipsi erga
Deum esse vellent, & quo pacto hærere illi, mundumq́ue renun-
tiare præoptarent, si facere id neglexerunt, salutem quoque hi
fiant, & fidem ipsam eam, quam susceperant, prodidisse sunt exi-
stimandi. Aut enim, qui sic faciunt, per superbiam, contumaciãq́;
contemnunt, aut agunt profectò perfidiose, qui cum sese CHRI-
STO dedere velle simulauerint, deditionem ipsam verbis concipe-
re, & confiteri palàm non audeant, neq; Deo se per baptismum,
tanquam per syngrapham obligare. Ad hæc accedit, quòd si my-
sterium intellexerunt, dum ipsi mysterij iudicia, testimoniaq́; nõ
vt sarpant, exemplo cæteris officiunt, neq; ipsi ad corpus Ecclesiæ,
& CHRISTI se adiungunt, quod per hoc sacramentum potissimũ
in vnitate continetur, si non intellexerunt, ne illis quidem signis,
& cerimonijs doceri curant, & admoneri, vt per corporeos eius-
modi ritus ad spiritualem cognitionem perueniant. Quapropter
sancte, & vere ab Apostolo est dictum: Corde credi ad iustitiam,
ore autem confessionem fieri ad salutem. Quippe cum fides cor-
dis sit, quæ Deo præcipue grata homines sola credentes iustificet
apud eundem Deum, oris autem confessio & fidem illam cordis
comprobet, & iustitiam conseruet fidei, ex qua est nobis vera ex
Deo vita: quæ quidem confessio nisi suscipiatur, quasi pudendũ
nobis mysterium esse videatur, quod gloriatione dignissimũ est.
Hoc ab eodem Paulo peropportune est adiectum scripturæ te-
stimonium, sic dicentis, Quòd omnis, qui credit in illum, non
confundetur. De quo & dominus in Euangelio: Qui me negaue-
rit coram hominibus, negabo eum & ego corã Deo, inquit. Atq;
eadem

eadem ista in lege veteri, de circuncisione potuissent dici, quam Moyses de populi illius duritate, peruicaciaque expostulans Israëlitas, vt eam in corde coram Deo adhiberent, flagitabat. Et Hieremias populum monebat, vt circuncisus esset præputium cordis coram Deo, quòd spiritualis circuncisio illi, quæ in carne erat, circuncisioni & veritate & honore apud Deum antecedebat, & tamen illam ipsam carnalem circuncisionem prætermittere non erat fas, nisi quòd post inuectum fidei lumen circuncisio per baptismum sublata est. Baptismus autem, vt qui ad summum iam, absolutumque peruenerit, factus est sempiternus. Iam de operibus mi frater, quæ aspernantur hæretici, nec ea vllius esse ad salutem momenti dicunt, quam illi salutem vna in fide voluntate positam, nónne sublata quæstio omnis est? cum si fidei vnus & ipsum mysterium intelligatur, nullis cum operibus malis quæ fides cohærere, de illis operibus loquor, quæ ex constituto fuerit, & ab animo prauo, maloque sunt profecta. Nam quin lapsa, & titubatione aliquando possit fidelis offendere, nos nihil eorum dicimus habitus, propositum, deliberatioque delinquendi à vera fide remotissima sunt. Quo enim pacto reliquit mundum, & ad Deum se contulit is, qui nihilo secius mundi voluptates, & commoda omnia venatur? & quo cupiditatibus suis queat suppeditare, iræ, auaritiæque, & ipsi deseruit ambitioni? Ac nullum tanta non modo est, sed ne esse quidem potest pestis, immanitasque vitiorum, nullus tantus aceruus scelerum, tam profligata, & perdita in omni flagitiorum genere voluntas, quę sunt ac per fidem CHRISTI adiunxerit se propius ad Deum, & mundum prae illius amore repudiauerit atque ipsi Deo se totam tradiderit, atque permiserit, non statim ea, atque euestigio deletis omnibus maculis illis, vlceribusque peccati pura, mundaque resplendeat, & nouæ fidei aduentu sanctificata, illam cœlestem induat iustitiam, per quam ad Deum proxime bonitate accedat, qua iam hausta virtute, & tanto illo munere diuinæ liberalitatis acceptis quis non intelligat, nihil iam fore illi in cuncta vita propositum, nisi vt Deum imitando omnia omnibus bona faciat semper, & dicat, ab omni semper iniuria, & ab omni terrena, ac sordida abstineat cupiditate, aliorum animo æquo iniurias perferat, nihil omnino extraordinarium appetat, saluos, atque honestos esse omnes, etiam inimicos, cum nemine lite, nec alterius contendat? Quòd qui mundum nihili pendant, his ista, quæ dicimus, non solum facilia factu, verum etiam suauia, & iucunda sunt, & cum fide erga Deum ita coniuncta, vt diuelli non possint. Tu vero qui tantum tribuis fidei, vt nihil operibus bonis habendum honoris in vita, & salute adipiscenda putes, amabo de qua fide istud sentis? Nam cum ista quidem, quæ per IESVM CHRI-

STVM

verae in vnum Deum fides est, non potest oratio tua conuenire, quidem illa cordis fides est, neque solum credit Deo, verum etiam vni illi ipsi confidit, ex quo sequitur omnium humanorum bonorum contemptio. Tu cum te dicis credere, & hoc vno verbo finiteris, vt totum in eo, quantumcunque est, quod pertinet ad salutem, ponendum esse confirmes, confidas autem mundo, cui mendicio est oratio, vita, mores denique reliqui tui, tum tantum omni munere perfunctus, quod Deo, & fidei in Deum debitum sit, erumpas iam liber in omne genus flagitiorum? nihilne turpe ducas, quod libidini tuae placitum sit? In mundum te totum ingurgites, & cunctis, qui tibi non assentiuntur, contumelias dicas, fortunas aliorum direptum eas, matrimonijs nefarijs illigere, seruias iracundiae, vinolentiae, intemperantiae, atque ex his lustris egressus sic demum eructes verbum fidei, vt ex ea pendere vna salutis spem statuas, nec bonis operibus, & moribus tribuendum esse quicquam apud Deum disputes? Quid tam absurdum esse, aut tam abhorrens à vero potest? Quemadmodum porrò Paulum attendis, cuius te dictitas & doctrinam sequi, & authoritatem? Nónne is palam, & diserte ponit homines per fidem CHRISTI iustificari, & ea quidem illos insigniri iustitia, quae maior omni humana virtute sit, vt fidei, iustitiaeque appareat vnum, atque eundem esse constrictum sempiterni vinculo foederis consensum. Porrò iustitia sine operibus bonis esse quae potest? Nam & alio loco Paulus, Dei sumus effectio, inquit, condit in CHRISTO IESV in operibus bonis, quibus praeparauit Deus, vt in eis ambularemus. Nos vero dicamus, quòd sicut fides adueniens vetera omnia crimina delet, atque diluit, vnaque satis est ad obtinendam gratiam summi Dei, sic fidem ipsam, postea quam aduenerit, hominemque cum Deo coniunxerit, non posse eam deinde cum moribus malis cohaerere, propter eam causam quidem, quòd nec fides sine iustitia est, & praue agendo, recteque loquendo, non est credere id Deo, sed simulare. Ita aut iustitiam etiam non es adeptus, si fidem verbis tantum, & non corde comprehendisti, aut si eam corde, statim etiam iustitia fidem consecuta est. Porrò oris confessio sic valet ad salutem, si cordis credulitas profecerit ad iustitiam. Verum de his hactenus: non enim cognito iam fidei mysterio vlla vel minima dubitatio in his rebus amplius potest residere. Nos Deum potius precemur, horum vt hominum mentes, in eum sensum inducat, vt fidem, quam verbis profitentur, moribus, & iustitia teneant, dignique ab eodem efficiantur, quorum ad reprimendas aliorum immoderatas cupiditates, plus etiam exempli, & authoritatis vita, quam persuasionis habeat oratio. PRECEMVR sanè Iulius, inquit, enim Christianum hoc imprimis & nostrum est, atque illi iusti-

tiae,

tiæ, quæ ex fide existit, maxime consentaneum. NVNC REDEAMVS ad Apostoli verba longo quidem interuallo, sed tamen non sine magna, & necessaria ratione, illa est à nobis facta digressio. Exposuimus enim, & demonstrauimus, id quod necesse imprimis fuit, quemadmodum nemo hominum apud Deum, nisi per fidem CHRISTI possit iustificari, sic enim loquitur Paulus: Nunc sorsum à lege iustitia Dei manifesta facta est, testificata ab lege, & à prophetis. Legem hic appellans veterem scripturam totam, in qua vbique elucent testimonia aduentus CHRISTI, & nouissimi populi, qui in fide & iustitia cum Deo coniunctus, & semper eo fœdere cum eo copulatus, futurus erat. Iustitia, inquit, Dei per fidem IESV Christi, in omnes, & super omnes credentes. Ex quibus verbis patet, non eos tantum qui se dicunt credere, sed qui in crediderunt, vt iustitiam fidei adipiscerentur, illos IESV Christi vere fideles esse. Atque vt comprimat semper Iudæorum insolentiam, qui ægre admodum ferebant alios, qui extra legem essent fieri secum socios eiusdem à Deo muneris & gratiæ, quasi quibus lex data ante esset, his solis deberetur & gratia, prosequitur Paulus, Non enim, inquiens, est distinctio. At quid ita non est? aut cur Iudæus non anteponatur Græco? Quia omnes, inquit, peccauerunt, & egent gloria Dei, vt iustificentur gratis, ipsius gratia. Quia omnes, inquit, in causa pari sunt, vt nullũ à se aliud quispiam discrimen meriti, sed apud Deum vnusquisque peccando offenderit. Egent ergo omnes clementia, & benignitate sermonis Dei, cuius exercitatio in Deo, sic etiam gloriosior est, quam si in benemeritos sua præmia dispertiret. Nunc enim totum quicquid est virtutis, atque boni, quod per fidem assequimur, totum, inquam, ex Deo est, & ex diuinis illius iustitiæ, bonitatisque thesauris, cuius si essemus nos aliqua ex parte nobis ipsis authores, quantum esset illud, quod ex nobis præberemus, tantum esset de Dei gloria, munificentiaque detractum. Iustificamur igitur omnes per fidem, sola illius gratia, hoc est, nullo nostro merito iuscemodi, vt illud donum nobis à Deo debitum esse videatur. At quo pacto iustificamur? quo pacto etiam si in posterum efficiamur iusti, veteres tamen culpas, maculasque deponimus? per redemptionem, inquit, quæ in Christo IESV. Nam Christus IESVS cum sine peccato vllo esset, & tanquam peccator, nihilominus morte esset mulctatus, compensatio huiuscemodi facta est, vt totus peccatum nobis non debeat amplius exprobrari. Si enim permissum est, vt qui non peccauit, plecteretur, cur non permittatur, vt qui peccauit, à pœna sit liberatus? confusum enim, & perturbatum iam est mortis iudicium. Mortuus porrò est IESVS, non sine peccatis, sed nostris, quam mortem ipse sponte suscepit, vt placato per suos dolores & cruciatus Deo, nos mortem comitem peccati

mus fugeremus. Quid autem iste IESVS, quemadmodum hoc fecit, aut qua ratione in hanc mentem est illapsus, vt tantum amaret erga nos, & pro nobis studij, curæque susciperetur? Quoniam, inquit, hunc Deus proposuit placamentum per fidem in isanguine, Deus ipsemet inquit, non solum gratiam, & amicitiam suam instituit nobis largiri, sed per quod etiam illam meremur, adiecit. Dedit enim nobis filium suum, à quo ipse placatur, & omni veterum nostrarum iniuriarum memoria deleta, humano generi, per eum reconciliaretur, quod nulla per nos ratione potuit effici. Quisquis enim nostrum mortem illam susceperit, licet pro omnibus vnus se deuouisset, idque egisset optimo animo, piaque voluntate: tamen ex infecto genere oriundus vitium ille culpam, nedum salutem aliorum redimere potuisset. Atque in hoc maxime effulget magnitudo, & maiestas, & gloria iustitiæ Dei, qui totum expleuit nobis beneficium suum. Nec se solum placabilem, sed hostiam etiam, qua placaretur exhibuit, vt quo meriti minus nostra à parte esset, hoc magis elementiam, bonitatem, & iustitiam illius deamaremus. Sed licet nihil eorum sit dignum, nihil vim aut rationem vllam meriti contineat, tamen aliquid à nobis proficiscatur necesse est, in quo confitetur Dei gratia, & iustitia, id porrò non est operis, sed bonæ voluntatis erga Deum voluntatis, quæ solam per fidem CHRISTI contingere nobis potest. Fides enim est quæ confidit, & totam se committit Deo, quod tum fit, cum & in futurum Deo placere confitemur, & de præterito confidimus omnem ex pristinis nostris delictis offensionem in illa diuina mente penitus esse deletam, atque horum vtrunque per fidem in Christo IESV assequimur, & disciplinam videlicet agendæ ex Dei voluntate, ac imitandæ eius, & redemptionem iamdiu meritæ per nos propter peccata nostra mortis. Quorum vtrunque in sanguine CHRISTI nobis representatum est, quod etiam ipsum subtilius est videndum, quemadmodum sanguis CHRISTI peccata nostra abluerit. Ac primum legem Moysis ita iubere cognouimus, vt sanguine semper aliquo peccata expientur, cui oportuit legi satisfieri, qua de re in epistola ad Hebræos copiose est scriptum. Sub ea enim lege cum voluit nasci CHRISTVS, illud quoque ex lege facere constituit, vt quos liberare redimereque volebat, pro his suum ipse sanguinem effunderet, suum autem, ob eam rem, vt non breuem illi, & cito interituram, sed æternam, & stabilem redemptionem inueniret. Nam sanguis victimarum, qui pro commisso, & perpetrato delicto fundebatur, susceptam quidem antea maculabat, non erat autem futuræ integritatis, & innocentiæ fautor. Itaque ad easdem sæpenumero victimas, & ad eadem sacrificia erat reuertendum. Sanguis vero CHRISTI quod

ad peccata vetera attinuit, legis, & sacrificij propriam expiationem fecit, quod ad ventura autem, maiore etiam mysterio omne humanum genus est complexus. Etenim gentes exteræ, quæ lege non tenebantur, & illam forsitan vim purgandi & expiandi per cruorem victimarum factam non intelligebant, hoc certe documento instructæ, eruditæque sunt, quòd mors illa CHRISTI, illa crux, ille sanguis cœlestis, doctrina omnibus nobis extitit, quemadmodum vitam nos quoque, & mortem ab illecebris mundi penitus disiunctam, & in Deo fixam decurrere debeamus. Itaque tum per fidem in CHRISTI sanguine Deum nobis conciliamus, si in illo sanguine, illaque CHRISTI morte etiam ascensione animi, voluntateque commoriamur, id est, si mundi, & vitæ huius blandimentis pro nihilo habitis bonorum omnium summam in Deo constituamus. Qui enim sic agunt, atque constituunt, illi cùm CHRISTO peccatis mortui sunt, & ad fructum æternæ vitæ cum eodem postea suscitati. Ita igitur sanguine, Christique morte, cum fides tota nostra, tum Dei reconciliatio, & pax nobiscum facta consistit. Sequitur autem In demonstrationem iustitiæ suæ, ex remissione præteritorum peccatorum in tolerãtia Dei. Proposuit, inquit, IESVM placamentum Deus, in cuius sanguine ipse per fidem placaretur, vt demonstraret iustitiam suam, & summam, immensamq; bonitatem, per quam remisit peccata, quæ diu tolerauerat. Illa enim bonitas, illa longanimitas omnipotentis Dei in hoc quoque semper apparuit, quòd pertulit, & sustinuit eos, qui peccauerunt: sustinuit autem, non vt eos grauius plecteret, sed vt ansam & occasionem ignoscendi in illis inueniret. Huius porrò perpetuæ Dei voluntatis, & clementiæ testis fuit IESVS, in quo etiam antiquis, & diu ante mortuis patribus, qui non in mundo omnia sua defixerant, sed ad Deum bonam partem cogitationum suarum direxerant, redemptio est facta. Et quoniam hoc est Pauli nationẽ aliquando in ingram, & Ecclesiam Christi, & genus hominũ interdũ vniuersum perinde ætatũ gradib. diuidere, ac dispertire, ac si de singulari homine loqueretur, mundiq; ætates, & tempora ætatib. hominis accõmodare: sic nunc in isto loco de humano genere toto pondere, & de homine vno loquẽs, humanitatẽ, & tolerantiã, & bonitatem summi Dei, q̃ ipse fermè iustitiã appellat, qua de re satis aliquando est dictum, quam in singulis hominibus adhibet Deus, vt omnia peccata diu, multumq; toleret, expectetq; occasionem ignoscendi, atque parcendi, eandem ipsam clementiam, & bonitatem in humano genere toto adhibuit, cuius cum tot seculorum pertulisset peccata, quo tempore maxime illa percrebuerant, ad summumq; peruenerant, præcidit ille tandem patientiam suam. Verùm ita præcidit, vt humanũ genus, quod propter delictorũ, & delictorũ

magni-

gnitudinẽ summo supplicio afficere debebat, summo sibi exitio, vinceretq; beneficio. Atq; hoc est dignum Dei natura, & sententia, hoc illius benignitati, bonitatiq; consentaneum. Qui n. est, quod agat conuenientius sibi Deus, quam vt in hunc modum tractet, atq; excipiat eos, qui prauis moribus, opinionique imbuti, ignari quid expediat, viam sibi ipsi muniũt ad exitium, vt sustineat eos videlicet, vt foueat, vt adiuuet, si forte velint seruando per illius gratiam & misericordiã liberari. Hæc est illa Dei iustitia, de qua toties à nobis est dictũ, quæ maxime demonstrat, atq; illustrat ipsius Dei gloriã, quam nos, qui in CHRISTVM credimus, fiduciamque nostram in Deo ponimus, per fidem veram imitamur, diuini illa generis, non humani, quam non lex, nõ scriptum, non hominum mores, non parentum disciplina, sed fides solanobis insinuat. Nam si velimus iustitiam interpretari in hoc loco illam, quæ habeat similitudinem legis, quæ ei, qui deliquit, nisi irrogata pœna, veniam dare non audeat, idcircoq; sanguinem CHRISTI Deus expetiuerit, vt posset illo modo quasi iuris & legibus satisfactione facta, hominibus deinde ignoscere, vicimus: altera parte habere ista res iniustitiæ similitudinem. Qui enim æquum, iustumque sit, quò nocens absoluatur, innocentem condemnare? Quid enim dixerit quispiam, nónne CHRISTVS sanguine suo, pro cunctorum peccatis Deo satisfecit? Satisfecimus uero, sed ista satisfactio subtilius est intelligenda. Non enim quod in exercitu sæpe fit, vt cohors, aut legio, si reliquerit locum, vel signum si amiserit, puniantur pauci, cæteri omni pœna liberati discedant, sic contigit in CHRISTO, vt plectemur nos, reliqui vero liberarentur omnes. Sed hi tantum liberi fiũt, qui & mori ipsi cum CHRISTO volunt, vt sit necesse per Christum salui esse volumus, eandem nos mortem pati, quam ipse perpessus est: necesse sit, inquam, non eodem tamen penitus modo. Nam Christus carnem hominis peremit in cruce, tanquam peccati fomitem, vt peccatum extingueret, quod è carne totum exæstuat, quò nos in illa carne CHRISTI carnem etiam nostrã fide, & voluntate peremptam haberemus, peccatisq; moreremur. At hoc nemini contingere potest, nisi volenti, & Christo IESV fidem istam habenti. Sic enim nos à morte, moriens liberauit Christus, vt qui ad vitam cum illo consurgere vellent, carnem suam vna cum illius carne crucifigerent, in quo est vniuersa redemptio, non præteritorum solum, sed futurorum etiam peccatorum. Sumus igitur hac ratione potissimum salutem consecuti, quòd volumus Christo commori, si accidat vt nos & veritas ita poscat, etiam corpore: sin id minus opus sit, semper animo uolũtate, cuius index nobis mysterij, idemq; sacramẽtum, baptismus est. Carnis autem mors iudicio, & fide, & volun-

tate suscepta, hoc vtiq; in se habet, quòd peccato amplius locum
nō est, viuitq; deinceps spiritualis iam homo, qui est ex Deo creatus,
non amplius carnalis, qui ab Adam progenitus est, vt alio loco
Paulus: Veritas, inquit, est in Christo IESV, deponere vos ex
priori modo viuendi, veterem hominem corruptum per cupidi-
tates deceptionis, & renouari spiritu mentis vestræ, & indui no-
uum hominem ex Deo conditum, in iustitia & sanctitate veri-
tis. Atqui tota vis in nobis mysterij, & CHRISTI est, vt cum illo
in carne commoriamur, & cum eodem vna in spiritu viuamus,
neque potest quispiam ad illam veræ iustitiæ vitam cum Chri-
sto consurgere, in quo caro peccati non ante sit occisa. Quam-
pter ipse Christus, qui fuit nobis exemplum, & doctrina, & in
patris oratio, quod in pleno, & perfecto documento contemnendæ
carnis necesse fuit, non solum voluntate, verum etiam ipsa re o-
mnibus modis in carne est afflictus. Sic enim ipse de se in Luca
pronuntiauit, quòd talia oportuit pati Christum & sic intrare
in gloriam suam. Nos vero, qui ab illa tanta perfectione, præ-
stantiaque IESV Christi longe absumus, satisfacimus in eo Deo, si
promptam voluntatem ad eadem perferenda afferimus. Hoc est
enim carnem in nobis iam occidere, quod facere plane non pos-
sumus, nisi ab amoribus mundi prius diuellamur. Vt vim ato-
pus ipsum adigimur, & quod fide voluntateq; conceptum, dictis
est præstandum, tunc quantum nobis dominus dederit etiam,
ferenda, & patienda incommoda sunt, dolorq; corporis sibi con-
dus, & ipsa mors toleranda. Hæc enim fides in Deum est, & Chri-
sti imitatio, per quam aditus nobis in cœlum aperitur, quem pa-
tefecit & aperuit ipse Christus. Ita & Paulus in Hierusalem trans-
turus, adhortans eos, quos in fide instruxerat, illud imprimis vi-
los admonet, quod per afflictiones multas oporteat nos intrare
in regnum Dei, siue in voluntate propria sic constituamus, siue o-
peribus exequamur. Et ad Corinthios, Semper mortificationem
Domini Iesu in corpore circunferimus, inquit, vt & vita IESV in
corpore nostro manifesta fiat. Et iterum, Semper nos viuentes in
mortem tradimur propter Iesum, vt & vita Iesu manifesta fiat in
mortali carne nostra, aut vestra, id est, carnis nostræ vita, qua pec-
cato viuitur, in mortem traditur ob Iesum, cuius vim, & mo-
rium in nobis suscipimus, vt in eadem carne ob peccatum mor-
li dempto, eliminatoque peccato, eadem vitæ immortalitas
pareat, quæ in Christi Iesu carne manifesta est facta. Item ipse de
mysterio Christi euidentius ad eosdem Corinthios: Quod si
Christus vnus pro omnibus mortuus est, vt qui viuunt, non am-
plius sibi ipsis viuant, sed ille, qui pro ipsis mortuus & excitatus
est. Et ad Galatas: Christus dedit semetipsum pro peccatis nostris,
vt eripiat nos ex præsenti seculo praue. Et alio loco: Vt Deus nostri,
inquit,

gnit, Christo concrucifixus sum, viuo autem non amplius ego, viuit autem in me Christus, & qui sunt Christi, carnem crucifixerunt affectionibus, & cupiditatib. suis. Et eodē sensu ad Ephesios: Christū soluisse parietem septimediū inter Deum, & nos ait: qui distinebamur, & impediebamur, ne iungi, & adhærere Deo possemus, ipsum autē septum fuisse in carne nostra cum Deo iniuriam, quam soluimus, cū peccato morimur. Et vt idem ipse ait: Tunc Christum addiscimus & in Christo edocemur. Et ad Titum: Christus dedit seipsum pro nobis, vt redimat nos ab omni iniquitate, & purget sibi ipsi populum acquisititium, æmulatorem bonorum operum. Et Petrus: Christus passus est pro nobis carne, inquit, vt vos eandem mentem induamini, quoniam qui passus est in carne, desitit à peccato. Ioannis quoq; illa per os domini nostri de carne Christi, quæ panis est mundi, sine quo vita esse nō potest: item de sanguine plena mysteriorum, & sublimitatis oratio admodum planè indicat morte Christi non tam simplici modo peccata nostra deleri, vt in lege veteri per victimam delebantur, quanq; & illi quoq; ritui, & religioni satisfecit Christi immolatio, sed plenū esse mysteriū illius mortis & crucis ad nostrā liberationem, si carnē nostram, cum ipsius mortuā esse velimus, si Christū ipsum Iesum induamus, si illius afflictam, & maceratam carnem salutari cibo assumpto in nostram ipsorum carnem alentes, nutriendamq; adhibeamus. Sed de vi tota rationeq; mysterii Christi quoniam satis hoc loco dictum, & fortassis alibi dicetur, pergamus ad Apostoli verba, qui bonitatem & iustitiam Dei in to magnificans, quod remisit peccata ea tandē diu quæ toleraverat, aliam etiam modum, & tempus vnà cū modo, quo iustitia Dei declarata sit, adiungit, sic iterum repetens. Ad demonstrationem iustitiæ suæ in hoc præsenti tempore qualiter ipse iustus est, & iustificans eum, qui est ex fide Iesu, hoc secundum quod repetitur ad demonstrationem iustitiæ habet expressionem, ac si diceret, ad demonstrationem, inquam, iustitiæ suæ in hoc tempore, quo misit filium suum ad nos videlicet, totumq; sese nobis, & amorem suum erga nos patefecit, nec tantum in eo ostendit iustitiam suam, quod remisit, ignouitq; peccata, quæ toleraverat, sed quod de illa sua diuina, singularique iustitia bonam etiam partē in nos per fidem Christi deriuauit, vt faceret nos ad imitationem, & similitudinem sui iustos, quod idem est, quod supra dixerat ex fide in fidem. Per fidem enim eandem Christi & Dei iustitia in ipso Deo patuit, & in nobis impressa, insinuataque est.

Vbi ergo gloriatio? exclusa est: per qualem legem? operum? nequaquam, sed per legem fidei. Putamus ergo fide iustificari hominem sine operibus legis. An Iudæorum Deus solum? non

autem & gentium? certe & gentium. Quoniam quidem vnus Deus, qui iustificabit circuncisionẽ ex fide, & præputium per fidem. Legem igitur abrogamus per fidem? absit, sed legem constituimus.

EXCLVSA est, inquit, ò Iudæe gloriatio tua, qua de lege te iactas nec per aliam legem operum, quæ sit melior tua, nanq; fieri id nol potest, lex enim Iudæorum, vt diximus, vt quæ veri Dei notionem præter cæteras haberet, peccatumq;, & recte factum ex illius natu, & voluntate dijudicaret, sola erat idonea, quæ appellaretur lex, nec lege alia ipsa, neq; eius opera alijs operibus poterat vaci, sed exclusa est per legem fidei, dignior enim facta est fides, qua authore & interprete cũ Deo nos coniungamus, & si minus proprio vocabulo tantum vt legi operum illud legis in fide redderet, lex fidei appellata est, quod idem est & fides, per fidem n. legis opera, quantũ ad acquirendam iustitiam, & Dei gratiam pertinet, a principe laude exclusa sunt, hoc etiam magis, quòd ea si qua est, quę ex lege veniat ad iustificandũ cõmoditas, angustiis illa finita circunscripta est, & clausa, & in vna tantum, neq; ea maxima natione habet locum. Iudæis n. duntaxat illa lex est lata, vt si ex operib. legis solum sit iustificatio, exiguum tantum genus iustificari, cæteros omnes à iustificatione excludi necesse sit. At Deus, qui vnus vbique, & semper omniumque omnino nationum ipsum est Deus, nullis terminis patitur benignitatem suamq; beneficentiã concludi. Itaq; vtitur potius fidei instrumento, quam legis, quod ad salutem omnium longe est communius. Nihil autem tam Deus est, q̃ omnibus esse æqualiter beneficũ, atq; communem. Cum ea si fidei instrumentum est aptius, eo semper vno vtitur Deus, quod in quaq; re est optimum. Fides porrò & facilè, & generaliter omnibus est exposita, vt per eam quisq; possit ad Deum sese applicare, atq; conferre. Itaq; ea & circuncisionem iustificat, & sine circuncisione etiam præputium. Neq; nos cũ fidem legi anteponimus, facimus iniuriam legi, tanquam velimus illam antiquare, sed legem potius sancimus cũ ad suum finem, quò intenta illa est eam deducimus. Siue n. lex Dei omnipotentis gratiam principis exquirebat, per fidem Christi ea voti compos melius effecta est, siue Messiam suum beatioris seculi authorem expectabat, fides Messiam illi CHRISTVM demonstrauit, siue adeo in illis carnis corporeisq; obseruantijs veritatem spiritus illa innuebat, spiritualemq; doctrinam quodammodo parturiebat. Hac iam nuncta spiritus doctrina reddita est & ipsa perfectior, atq; comparior. Non dicitur autem antiquari, neq; aboleri id quod perficitur, sicuti nec puer cum ad virilitatẽ perductus est, de naturæ seq; substãtia amisisse quicq̃, sed acquisiuisse pfectionẽ magis est dicendum.

Quid

Quid igitur dicemus Abraam patrem nostrum inuenisse secundum carnem, si enim Abraam ex operibus fuit iustificatus, habet, quo glorietur, sed non aduersus Deum. Quid enim ait scriptura? credidit Abraam Deo, & reputatum est ei ad iustitiam, operanti vero merces non reputatur secundum gratiam, sed secundum debitum, non operanti autem, verum credenti in eum, qui iustificat impium, reputatur fides eius in iustitiam.

RVRSVS affirmat quantum plus & gloriæ, & gratiæ acquirat quod Deum fides, quàm opera, exemplo patris nostri Abraam, qui sancte etiam in operibus, & actionibus suis rectus fuit vir, & iustus (hoc enim est, quod ait: Quid dicemus Abraam patrem nostrum inuenisse secundum carnem?) id est, quam gratiam, quam laudem ex operibus carnis, humanis scilicet, & tanquam ex homine actionibus inuenisse? qui vt etiam in illis fuerit planè probus inter homines fuit, & inter illos potuit iure suo gloriari, ergo Deum quidem certè nõ potuit. at quamobrem non potuit? quam illius, quam agebat, exercebatq; inter homines, iustitiæ, ipse idem erat author. Sibi enim ipse constituebat, & præscribebat, quid esset faciendum, vt æquitatem cum cæteris, & societatem conseruaret. Illaque in eo iustitia & ab humano consilio proficiscebatur, & in humanis opinionibus tota consistebat, vt nulla esset in eo Dei gloria, sed omnis & in homine, & ex hominibus gloriatio. Fides vero erga Deum, & quam Deo Abraam habuit, fecit illum, vt non suo iudicio quicquam, sed Dei consilio, atque præscripto ageret omnia. Itaq; & patriam, cognationemq; suam illo fidente deseruit, & posuit tabernacula, quibus in locis est iussus, & ad concubitus vxoris iam desperatos se retulit, & filium Deo præbuit in sacrificium, & deniq; factus est illi in omnibus obedientissimus. Quòd si opera iustitiæ, quæ ab humana voluntate, consilioq; proficiscuntur, aliquam habent gloriam, quanto maiorem illa, quæ ab diuinis consilijs, & voluntatibus sunt profecta? tanto videlicet, quanto humanis virtutibus diuina virtus, iustitiaq; antecellit. Fidei ergo iustitia diuinæ non humanæ nobilitatis est, in qua & eius, qui credidit, gloriatio tota ex Deo est, & ad Deum rursus conuertitur, vt neque initium, neq; exitus huius gloriæ aliud quippiam sit, quàm ipse Deus. Gloriæ autem talis fundamentum est fides, quandoquidem in fidem solam hæc Dei excellens iustitia transmititur. Igitur patere omnibus necesse est, quantopere sit fides, fideiq; iustitia operibus legis, aut humanæ iustitiæ actionibus anteponenda. Ac ne ambigui quicquam in tam considerantiũ animis relinquamus, omneisq; vt euellamus dubitandi scrupulos, examinet vnusquisq; secũ, & cum animo intus

ſuo, quæ ſit iſta operum, & quæ fidei iuſtitia. Tum quantum [illegible] ab illa interſit, intelliget. Operum iuſtitia ea eſt, qua quis in [illegible] ctis, & actionibus ſuis fidens, quòd rectè, atque integrè cum [illegible] minibus ſe geſſerit, collocat in illis ſpem cum laudis, tum [illegible] etiam ſuę, vt ſiue ex hominibus, ſiue ex ipſo Deo ſpectandum [illegible] mium ſit, paratum ſibi id eſſe confidat non alicuius dono, [illegible] neficio, ſed merito imprimis ſuo, quod ſic Apoſtolus [illegible] Operanti vero merces non computatur ſecundum gratiam [illegible] ſecundum debitum. Deberi enim mercedem ſibi putat, [illegible] ras dedit, in quo quædam eſt vnicuique in ſeipſo confidentia [illegible] nonnulla etiam vel tacita arrogantia, vt ſibi ille admodum [illegible] ceat, quiſquis eſt, & honorem perfuncti operis ſibi merito [illegible] buat. Dei autem omnipotentis in eo nulla clementiæ, & [illegible] tatis ſit gloria. Qui vero nullis ſuis meritis, actionibus [illegible] ſus, conferat ſe ad ſummum Deum, ſatis in illo ſtatuens [illegible] ſtatis & benignitatis eſſe, vt velit, valeatque quamuis impium [illegible] improbũ per fidem accedentem ad ſe iuſtificare, hic alio genere præſtantioris iuſtitiæ probus effectus oſtendit, atq; illuſtrat [illegible] ximè Dei præpotentis gloriam. Atq; ille quidem primus operum ſectator, ſic adhibet in gerendis, ſuſcipiendisque rebus [illegible] quatenus tantum legi, hominibusq; ſatisfaciat. Hic vero [illegible] & ex Dei dono iuſtificatus illas operũ, legisq; iuſtitiam [illegible] ta quædam terrenarum cogitationum eſſe putat, [illegible] aliud ſint, quàm explicare in eo ſe velle, quod totum [illegible] tio, hoc eſt cum cupiditate, & ſtudio in rebus terrenis [illegible] inde vt euellaris, ſed quemadmodum ordine quodam, & [illegible] tione in illis mouearis, exquirere, hic autem iuſtus Dei, [illegible] appellat Deus in Abacuc inquiens, Iuſtus meus ex fide viuet, [illegible] per fidem ex Deo & iuſtitiam adipiſcitur, & vitam diuinitate [illegible] ge modo, & maioris iuſtitiæ ſit compos, legemque ſibi [illegible] vitæ non ex lege operũ, ſed ex imitatione Dei conſtituit. [illegible] vt à quo aliquid diſcendo perceperimus, cum id poſtea, quod [illegible] dicimus, adhibemus in vſum ipſi, atque experimur, eius, à quo [illegible] accepimus ſtudeamus eſſe ſimiles, in quo doctoris noſtri, & [illegible] ceptoris gloria per nos maximè amplificatur, & oſtenditur. [illegible] tu Iudæe qui hanc ex fide noſtri iuſtificationem non [illegible] qui cunctos ad opera legis reuocas, quemadmodum [illegible] gloriam ſummi Dei? Accedunt gentes vt Deo ſeſe offerant [illegible] gloriam expetentes, illius benignitati confidere paratæ. [illegible] tu Iudæe? fruſtra inquis laboratis, & adnitimini. non eſt [illegible] Deum perueniendi via, ad nos primo confugiatis oportet, [illegible] gem noſtram accipiatis, carnemque præputij circumcidendi [illegible] atque omnia legis iuſta impleatis, ſi donum vitæ & gratiæ [illegible] Deum quæritis obtinere. Hoccine eſt glorificare Deum? [illegible]

[illegible] illius maiestatem in angustum velle redigere? qui si non [illegible] nec parcere, nec iustificare absq; lege, & victimis, vbi illius [illegible]? si non vult, vbi bonitas, ac beneficentia? At enim se[illegible] ita constituit, vt sic fieret, rationemq; & modum, quo ipse [illegible]eretur, in lege instituit, nempe tum quidem tarditati tuæ cō[illegible], cum tu spiritualis disciplinæ penitus expers, eiusq; in tuis [illegible] illis rudimentis prorsus indocilis in corpore, & corporeis [illegible] totus inhærebas. Quin tu recto nunc itinere fidei & hu[illegible]tatis tendentes ad summum Deum in legis amplius semitas, [illegible] diuerticula, & ad confractus operum ne coge, cunctasq; in no[illegible] virtutis, & iustitiæ partes Dei esse sine, & non nostras, quò sic & virtus nostra perfectior, & Dei maiestas clarior, atq; augustior etiam sit, sicuti quidem fuit in patre nostro Abraam, qui non ex operibus suis, quæ fecerat, sed ex fide, quā habuit Deo, meruit iustificari. Quam præsertim in Deum fidem, non autē ex lege iustitiam sequitur beatitudo à Dauide etiā tuo significata, & testata.

Quemadmodum & Dauid dicit beatificationem hominis, cui Deus computat iustitiam absque operibus: Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum obtecta sunt peccata: beatus vir, cui non imputauerit Dominus peccatum.

Hic enim certè, qui beatus dicitur, nō ex operibus legis, quæ [illegible] seruauit, alioquin quomodo eguisset, vt sibi à Deo pec[illegible] remitterentur? sed ex ipsa peccatorum dimissione cōsecutus est à Deo beatitudinem, in qua adipiscenda nullas ipse suas partes attulit, nisi hanc ipsam fidem, quòd credidit à Deo, etiam sine operibus misericordiam sibi posse, clementiamq; præstari, ac omnem hanc gratiā beatificationis suæ soli Deo acceptā retulit.

Beatificatio igitur ista in circumcisionem? an & in præputium? Dicimus enim quod reputata est Abraæ fides in iustitiam, quomodo ergo reputata? cum esset in circumcisione, an cum in præputio? non in circumcisione, sed in præputio, & signum accepit circumcisionis notam iustitiæ ex fide, quæ fuerat in præputio, vt esset pater omnium credentium per præputium, vt reputaretur & illis iustitia, & pater circumcisionis his qui non ex circumcisione solum, sed qui etiam incederent vestigiis [illegible] fidei, quæ fuisset in præputio patris nostri Abraam.

Ista, inquit, beatitudo, quæ ex fidei iustitia, & propter eiusmodi iustitiam nobis tribuitur, per quam quidem iustitiam deleta à Deo, omnium peccatorū nostrorum maculis ad illius summam voluntatem omnibus in rebus spectandam, atq; exequen-

dam, & prompti efficimu r, & habiles, quemadmodum & ipſe Abraam ad parendum in cũctis Deo alacer, & paratus factus deinde eſt Iſta inquam, beatitudo attributa eſt Abraæ, cum adhuc in præputio eſſet, nec dum circumciſionem in ſe admiſiſſet. Nam circumciſio poſt fidem illam iuſtitia iam adepta Abraæ ipſi impetrata eſt, quæ futura eſſet indicium, & veluti nota illius prius ex fide iuſtitiæ, quã Abraam Deo credens in præputio eſſet adeptæ nota inquam, & indicium Abraæ genus carnale à cæteris gentibus diſcriminaturum. Quoniam enim Deus illa fide Abraæ ingeſe, & in his, quæ ipſe eidem Abraæ promittebat, illius cenſu & fiducia adductus dignum illum effecerat, in cuius ſemine genus & cognationem ſuam vniuerſo generi humano imperaturo clarius extaret ſuæ promiſſionis fides, & ad nationum, ac ſeculorum omnium conſcientiam eſſet teſtata, illo circumciſionis voluit ſigno Abraæ ſobolem diſtingui, quod quidem ſignum futurum eſſet indicium ac monumentum eius promiſſi, & pacti, quod cum ipſo Abraam Deus pepigiſſet, quæ quoniam promiſſio illa ab Deo ob ipſius fidem & fidei iuſtitiam erat facta, ſignum non tantum pacti, ſed illius ex fide iuſtitiæ, quæ id pactum ei præferret, facta eſt circumciſio. Ita ſignum circumciſionis fuit nota inſtar, qua Abraam Deo credens in præputio fuit ab eodem Deo inſignitus, atque ornatus. Quod autem hic circumciſionem ſignum iuſtitiæ, in Geneſi eandem ſignum pacti appellat, in quibus ſcriptum eſt: Et circumcidetis carnem præputij veſtri, & erit in ſignum pacti inter me, & vos. Erat autem hoc pactum ex promiſſione Dei cum Abraam eiuſmodi, vt cum hæreditate terræ & multiplicatione innumerabilis poſteritatis id etiam illi polliceretur Deus, quòd ex ſemine ipſius prodiret olim, in lucemq; eſſet erum, qui eandem gratiam Dei, & iuſtitiam, terramque reuera æternæ poſſeſſionis in omnes tribus terræ propagaturus eſſet, qui vbi veniſſet, omnibusque fuiſſet factum manifeſtum ex ſemine illum Abraæ ſecundum Dei promiſſionem profectũ eſſe, Deumq; præſtitiſſe, quod fuiſſet pollicitus, tum ſublato circumciſionis ſigno, & deinde inane, & irritũ futurũ eſſet, ad eam fidem in Deum omnium curſus cunctorum fieret, per quam Abraam in præputio poſitus Dei amicitiam, & gratiam, inſigneq; ab eo donum cœleſtis iuſtitiæ conſequi valuiſſet: Ita circumciſio, quæ ſignum fidei, ac iuſtitiæ Abraæ in ſeipſa fert, ſi non ſit ſub ſigno fidei, ac iuſtitiæ, non ſignum eſt, & quatenus pactum indicat futuri ex Deo doni, quod in ſemine Abraæ ſanctificarentur omnes gentes, iam exhibito dono amplius ſignum non eſt. Abraam porrò ipſe duplici electus eſt pater & generis ſui, ac poſteritatis, per circumciſionem, & humani generis totius per fidem. Pater quidem omnium credentium, cum etiã tunc in præputio eſſet, fidemq; Deo habuiſſet, propa-

quicunque item in præputio constituti similem in Deum habuisset fidem, simili apud Deum iustificarentur gratia, fidesque ita in iustitiam reputaretur. Pater autem circumcisionis, hoc est gentis, & posteritatis suæ: si illud tantum signum posteri sequãtur circumcisionis, carnalis tantùm pater. Sin autem, quod signo ita admonentur, eiusdem fidei vestigiis, quibus ille in præputio expressus est, velint & posteri eius incedere, verè illis pater, neque in potis solùm, sed animi etiam sui, & fidei erga Deum, partæq; propter eam ipsam fidem iustitiæ integram illis hæreditatem relinquens. Ex quo planè patet, fidem vbiq; esse & valere omnia: quod quidem ad acquirendam Dei gratiam, & ad conciliandum ac conlectis iustitiæ donum ad vnumquemq; hominum spectat atq; pertinet, quando nec sine fide valet quicquam circumcisio, & cum fide præputium circumcisionem non desiderat.

Non enim propter legem promissio fuit Abraæ, & semini eius hæredem eum esse mundi, sed propter iustitiam fidei. Si enim qui ex lege, hi hæredes, inanis facta est fides, & vana promissio. Lex enim iram fabricatur. Nam vbi non est lex, neque est prævaricatio, propter hoc ex fide vt per gratiam, quo firma sit promissio omni semini, non solùm quòd ex lege, sed & quòd ex fide Abraæ, qui est pater omnium nostrûm, sicut scriptum est, Quoniam patrem multarum gentium posui te.

PROMISSIO illa, quæ facta est Abraæ à Deo, inquit, non ratione legis nec propter legem facta est, sed propter iustitiam fidei. Quia enim credidit Abraam Deo, & id reputatum est illi ad iustitiam, propterea ipsi Deus præclaram illam promissionem fecit hæredem eum fore mundi. Quæ promissio quanquam non eisdem verbis in Genesi est perscripta, ex aliis tamen verbis colligitur, quòd in semine ipsius erant sanctificandæ omnes tribus terræ, atque hæc promissio non propter legem Abraæ facta est, sed propter illam fidem, quam is Deo habuisset, quod ei præcipitanti, ac pollicenti in cunctis credidisset, atque obtemperasset, propterque eam iustitiam, in cuius genere, & nomine fides illa Abraæ à Deo est existimata. Ita cùm Abraæ illa tum promittebat Deus, neque legem ita spectabat, vt ad eam suas promissiones dirigeret, neque posteaquam illa quæ promiserat, impleret, id est legi, & legis operibus ab eo datum, sed cùm illi Abraæ fidei, atq; iustitiæ, tributum tum diuinæ imprimis constantiæ & veritati. Etenim si propter legem & illa promissio tunc Abraæ facta, & pòst Iudæorum generi eiusdem ratione legis exhibita fuisset, inanis ilicò Abraæ fides, & Dei promissio irrita extitisset. Ac quod ad Abraam pertinet, si fuisset à Deo spectata in suis

pro-

promissionibus lex, quid honoris, quid gratiæ obtinuisset apud Deum fides Abraæ, si non ipsi, nec fidei eius præcipuè, ac primo, sed generi, & posteritati ipsius datum fuisset, vt digni tantis à Deo promissionibus haberentur, qui in legem Moysis confessissent, & suum in illa nomen professi, eam religiosè, & diligenter coluissent, quando non præuaricatoribus, sed probis, & rectis suam impertitur benignitatem Deus. Quid ergo interfuit utrum crederet Deo Abraam, necne crederet, si non propter se, nec propter fidem suam, sed ratione legis, eiusque posteritatis, quæ sub lege futura erat, illa à Deo fuisset promissio enunciata? Deinde quam Abraæ gratiam posteri eius debuissent, dum hæreditatem promissorum, quam accepissent, nō parenti suo Abraæ, nec fidei parentis, sed suis operibus retulissent acceptam? Postremò ne credere quidem firmè Abraam Deo, omnemque suam fidem in illius promissis constituere potuisset, si legem potissimùm, & in lege posteritatem spectasset illa promissio. Quo pacto enim quod pependisset ex incertis posterorum factis, sponsi constantiæ, & stabilitatis in alienis voluntatibus sitam habuisset, potuisset ab alio quopiam homine non suum negotium gerente, nec stipulante sibiipsi tanto post venturum tam firmè credi, vt non aliqua in animo ambiguitas resideret? non est autem eiusdem ambigere, & fidem habere. Quamobrem si in quo Abraam fidem habebat, in eo ipso rursus dubitare cogebatur, neque fides in eo certa inerat, & quoquo modo facta est, certè illa frustra est facta promissio. Porrò ex altera parte Dei promissio Abraæ facta si non Abraam ipsum, sed posteritatem eius in primis spectasset, causam nullam grauem, nec dignam tanta maiestate in Deo habuisset, quamobrem ipsi Abraæ potissimùm videretur esse facienda. Etenim cùm quid cui promittitur, quod sit illius eius posteritate persoluendum, id cùm præstatur, & datur, si non eius, cui promissum fuit, sed eius, qui pòst demum accipit, præcipuè habetur ratio, quis non videat inanem & vacuam rationem ac consilij, leuique potiùs ac futili, quàm graui, & certo auctore dignam promissionem illam extitisse? cuius nimirum ad eum cui fuerit facta pars omnino nulla pertineat. Deinde si ob legem, & legis causa facta est promissio, ob eam rem profectò facta est, vt non habentibus legem, sed seruantibus ille honos haberetur, at per legem magis præuaricatores effecti sunt, qui illam adiuuerunt, quoniam vbi lex, ibi est præuaricatio, iramque sibi aduersum se potiùs prouocauerunt, quàm beneuolentiam, & gratiam illius promeruere. Ergo in omnem partem vana reddita est Dei omnipotentis promissio. Enim verò in DEVM vanitas non cadit, de quo est scriptum, In æternum Domine permanet verbum tuum, in seculum seculi veritas tua. Fidei ergo Abraæ & cum

ex fide iustitiæ & in eo ipso, & in posteritate eius maximè
[illegible] DEVS, quæ parenti ipsi, & capiti generis promiserat.
[illegible] ex fide, inquit Apostolus, vt totum esset gratia, ac non
[illegible] merces, propterea que maneret immobilis cuncto semini
[illegible] Dei promissio. Quod enim gratis, & innata sua bonitate
[illegible] promittitur, id cùm solum DEVM habeat authorem,
[illegible] ab immutabili, & æterno, æternum quoque ipsum,
[illegible] est. Quod verò labori, industriæ, diligentiæque
[illegible], cùm ex hominum pendeat consiliis, & actionibus,
[illegible] semper, & vacillantes sunt, incertum item ipsum,
[illegible] nullum vnquam habet perenne firmamentum stabili-
[illegible] Iam fides, quæ digna tantis honoribus à Deo efficitur,
[illegible] ipsa ex se meriti pondus affert, sed tantùm vt materia for-
[illegible] illa Dei gloriæ, & beneficentiæ parata, atque exposita
[illegible] fuerit à Deo diuinæ iustitiæ munere insignita per eam
[illegible], & iustitia magis ostendatur. Quæ si fides tantum
[illegible] apud Deum, & beneuolentiæ in Abraam est assecuta, cur
[illegible] assequatur in nobis? aut quamobrem nos non multò
[illegible], qui hæreditatem adeamus patris nostri Abraæ, cum
[illegible] filij simus propter quam fidem illi est facta promissio,
[illegible] cum carnis duntaxat, & generis agnoscunt parentem?
[illegible] carnalis illa Iudæis cum Abraam cognatio, hunc à
[illegible] honorem merita est, vt ad eos potissimùm docendos, & cō-
[illegible] Dei filius mitteretur, si fidem illa filij Dei, sine qua sa-
[illegible] non potest, suscipere, & altero quoque genere consan-
[illegible], quod spirituale totum, & per fidem est, Abraam patri
[illegible] se voluisset. Nam & IESVS ipse palàm attesta-
[illegible] ad eos solos missum esse, atque vt oues requireret, quæ
[illegible] domus Israël. Matth. 10. & 15. cap. Sed cùm illi patre
[illegible] in carne sola duntaxat gloriarentur, fidem autem patris
[illegible] admitterent, neque de spirituali genere, quod præ-
[illegible] multò per fidem est, quicquam præclarum, aut sublime
[illegible], ex primo honore, atque ordine in postremum reie-
[illegible] qui per fidem filios Abraæ se faciebant, de hæreditate Dei
[illegible]. Etenim non carnis consanguinitas prima ducenda
[illegible], sed potior multò, atque præstantior, Deique magis naturæ
[illegible], & proxima est spiritus cognatio, quæ per fidem ipsam
[illegible] ad Deum, & iustitiam ab eo adipiscentibus cum ipso
[illegible] Deo contrahitur, in qua nos præcipuè Abraæ filij
[illegible], ideoque est ei à Deo dictum, patrem illum multarum
[illegible] fore, carnalium filiorum videlicet, aliorumque spiritua-
[illegible]. Porrò fides est, Abraæque in nobis imitatio & spiritualis
[illegible] ad eum propinquitas, cùm id, quod egit ille, vt parentes,
[illegible], & patriam suam relinqueret, Deoque in alias eum re-
giones,

giones, & ad spes alias vocanti per fidem, & obedientiam se deducendum traderet. Item nos agamus, mundumque patrem nostrum & carnales affectus omnes, præsentiaque mundi bona, ad ipso Deo vocati libenter dimittamus, ac futurorum spe in ipso Deo consistentes per fidem innitamur. Atq; vt admirans in natura huius sanctissimi, sapientissimique doctoris sensa, & cogitationes ex summis diuinitatis consiliis esse depromptas, atque quemadmodum fidei vim, incredibilemque potentiam in paternitate Abraæ ante oculos nostros ponat.

INSTAR *eius, cui credidit Dei viuificantis mortuos, & vocantis ea quæ non sunt, vt si essent, qui præter spem in spem credidit, quod futurus ipse esset pater multarum gentium, secundum quod dictum, Sic erit semen tuum. Et non vacillans fide, non considerauit corpus suum iam enectum centum ferè nam annos, nec enectionem vuluæ Sarai, sed in promissione Dei non ambegit incredulitate, sed corroboratus est fide, dans gloriam Deo, & persuasus certò, quoniam quod promiserat, potens est & facere. Ideo & reputatum est ei in iustitiam.*

PATER multarum gentium, inquit, & in eo similiter modo Deo illi ipsi, cui credidit, quasi fides ea, quam habuit Abraam Deo similem cum Dei effecerit. Nam cùm Deus in vitam restituat mortuos, & vocet ea, quæ non sunt, [illegible] ac si essent. Cùm, inquit, in mortuis nihil omnino [illegible] iis, quæ non sunt nihil essentiæ, in Deo tamen vtraque vtrumq; habent, & vitam mortua, & esse non entia, vt simulatque Dei voluntas & mandatum adsit, & præstò sit, quod non erat, & reuiuiscat mortuum quod iacebat. Sic Abraæ fides eisdem ferè ingressa vestigiis, & suscitauit mortuos, & qui nequaquam erant, nec alioquin futuri fuerant, eos vt essent, fecit. Ac mortuos quidem suscitauit, quatenus ipsummet Abraam, qui quod ad vim generandi attinet, mortuus iam erat & natura, & corpore, sic viuificauit, vt idoneus fieret generationi, quam vegetationem [illegible] enecti propter ætatem corporis tam validè ille hausit, vt non solùm ad Isaac, sed ad alios complures postea liberos [illegible] corporis fuerit propagata. Quà verò illam innumerabilem Abraæ posteritatem fides eadem progenuit, totque illi [illegible] & nepotum filios, tantamq; successionem & sobolem in [illegible] & diem & naturam ipsam protulit, qui sine ea nulli vnquam fuissent, hoc fuit in illo vocare eos, qui nusquam erant, æquè [illegible] fuissent. Ita Abraam per fidem eadem ferè potuit quæ Deus per naturam. Verùm ita ipse potuit, vt omnem suam tam ea potentiam

ex Deo, & Dei erga se gratia, munificentiaq; acciperet. Nec
enim in his fides Abraæ Dei virtutem est imitata, sed in illa ra-
tione etiam, quod cùm Deus creator omnium quidem hominũ
sit, per illam creationem quodammodo pater, pater autem ve-
ro, atq; coniunctius eorum, qui per fidem illi sese dedentes in
eq; renascentes, ipsum eum imitari, ei obtemperare, bonorumq;
ad hereditatem præcipuè student sibi comparare, sic Abraam
illius multò sobolis suæ per fidem, quàm seminis per carnem
ostendus est pater. Ac vt demonstret quo ex genere fides Abraæ
quàm firma, quàm valens, quàm præter vsum & morem commu-
nis credulitatis fuerit, persequitur exponens de ipso Abraam. Qui
præter spem, inquit, in spe credidit, qui cùm respiciens sese, vxo-
remq; secum suam nullam omnino spem generandi haberet, sed
in eiusmodi spe prorsus esset peremptus, Dei magnitudinẽ, boni-
tatemq; attendens, certissimam in spem venit, viuidusq; effectus
in ea est, fore sibi progeniem frequentissimæ prosperitatis, eamq;
spem, & erga Deum fidem corporis statim vigor ad conserendũ
genus, & facultas procreandi est consecuta. Non enim ambegit
vacillitate ad promissionem Dei, sed omnes animi, & mentis
suæ nervos ad credendum, & confidendum Deo intendit, dans il-
li meritum gloriam, quòd non solùm ex instrumento inutili per
se, & effecto posset Deus efficere quæcunq; vellet, sed etiam quod
prorsus esset, certò esset effecturus, ideoq; hæc illi fides loco iusti-
tiæ æstimata est. At quomodo iustitiæ loco? aut vt in Hebræo
est, iustitia? Videtur enim ita esse scriptum, Et credidit Domino,
& reputatum est illud ipsi iustitia. Quo pacto, inquam, fides
Abraæ pro iustitia reputata est? Quia cùm per operum iustitiam
mereretur, atque honorem à Deo expectemus, fides in Ab-
raam habita est dignior, quæ illa ex Deo præmia assequeretur,
quæ humana iustitia sibi solet arrogare. Ita fides Abraæ in iu-
stitiæ loco æstimata est, tantoque præstantioris, & nobilioris
iustitiæ, quantò in his honoribus & præmiis fidei tribuendis
eorum & gratiæ, & liberalitati Dei summi fertur acceptum,
fructumque illius beneficentiæ, & gloriæ nullum nostrum me-
ritum, nulla quæ nobis iure debeatur, merces decerpit. Hoc
Abraam pater noster fecit, qui cùm omnino desperasset de se
& de viribus suis omneis spei suæ partes in Deo vno constituit,
ut ab eo solo agnosceret quicquid acquirebat, atque ita gloriam
istam & debitam dedit Deo, neque de ea ipse quicquam huma-
na suæ iustitiæ operibus imminuit, quod fuit verè credere Deo,
atque confidere. Iam cùm ex alio genere Dei iustitia, atque ho-
minum sit, quantum quisque affert de humana iustitia, tantum
occupat loci, quo accipiat minus de diuina, vt si ad hauriendam
ipsa è fonte aquam accedamus, hydriamq; afferamus, in qua
nonni-

nonnihil turbulentæ insit aquæ, neque purum habemus [illegible] ampliùs, neque plenum, quod petebamus, sic fides vas ad capiendam Dei iustitiam sola idoneum, non debet alterius generis iustitiæ, nec operibus, nisi ex diuina iustitia factis, vllo modo confidere.

NON *scriptum autem propter eum solum est, quod reputatum ipsi est, sed & propter nos, quibus debet reputari credentibus in eum, qui suscitauit* IESVM *Christum Dominum nostrum à mortuis, qui traditus fuit propter peccata nostra, & suscitatus ob iustificationem nostri.*

QVOD de Abraam commemorat scriptura, inquit, non est eiusmodi, vt in eo vno debeat valere. Non enim fides propter Abraam, sed Abraam propter fidem apud Deum gratiam obtinuit, & in eiusdem honorem fidei iustificatus est. Quæ si in illo tantum fides potuit, potest etiam in nobis, vt per eam iusti, & Deo grati efficiamur, si crediderimus, videlicet & mortuum corpus a Deo denuò viuificari, & nouam prolem per fidem procreari. Atque ista Abraam in semetipso credidit. Nos in CHRISTO Iesu eadem credimus Domino nostro. Credimus enim CHRISTVM Iesum cùm esset in mortem datus ob peccata nostra, & carnem peccati in nobis suæ carnis morte aboleret, atque extingueret. Ac si legis piacula etiam attendamus, vt subiecisse supplicium pro vniuersis, lueretque suo sanguine pœnam, quam populi peccata meruissent, ipseque velut hostia peccatum in se omne susciperet. Cùm esset igitur mortuus propter delicta nostra, à Deo etiam patre credimus è mortuis eum excitatum post fuisse, & in vitam rursus, nec iam mortalem restituatum, vt eos quoque vnà cum eo, peccato priùs mortui, iustitiæ deinceps viueremus. Atque hæc fides nostra vt spiritualior longè est, ita etiam præstantior. Etenim Deus ex Abraam per fidem corporeæ generationis longam posteritatem pertexuit, per fidem autem CHRISTI infinitæ propè spiritualis generationis est author. Ita quod accuratè illud inspiciendum est, quàm alto, & recondito consilio Deus fidem illam Abraæ, fidei nostræ, & corporea in eo signa carneasque seminis, & generis propagationes nostris spiritualibus procreationibus præmiserit, qui circumcidi voluerit, ductam domum Abraæ, eiusque posteritatem in eo membro quod est natura factum, attributumque generationi, vt signo sanctissimùm indicaretur, fidem reddidisse Abraæ, quod naturam ademerat, vt si posteriore tempore qui per carnem generis Abraam duxissent, ab ataui sui fide erga Deum deficerent, commonefierent illo ipsomet circumcisionis signo sanctius aliud [illegible]

[illegible] & meliorem sobolem semper Deum ex fide reparaturum es-
[illegible] Quod cùm per IESVM Christum & per fidem CHRI-
[illegible], qua Deo credidimus, factum sit, nouaque spiritualis iam,
[illegible] corporea proles in lucem & veritatem sit edita, hęrent ad-
[illegible] tamen Iudæi in carne & pręputio, nec a carnalibus possunt
[illegible] spiritualia conuerti. Credimus igitur, IESVM Christum mor-
[illegible] peccatis nostris fuisse postea a Deo è mortuis excitatum,
[illegible] ipsum fuisse mysterium nostræ redemptionis, quòd & tra-
[illegible] fuit in mortem, donatusque mundo a Deo patre propter
[illegible] nostra, vt diximus, & suscitatus rursus ad vitam ob iustifi-
[illegible] nostri, vt nos ad iustitiæ vitam resurgeremus. Pecca-
[illegible] enim in nobis mortis est, iustitia autem ex fide causa est vi-
[illegible] Abstulit ergo a nobis CHRISTVS morte sua peccatum, &
[illegible] resurrectione sua tradidit iustitiam, vt quemadmodum ille reui-
[illegible] in corpore, sic nos in spiritu ad iustitiam reuiuiscamus. Quod
[illegible] alibi Apostolus: Vt mortui peccato, inquit, iustitiæ vi-
[illegible] Hæc enim virtus est fidei nostræ in Deum per IESVM
Christum, vt si crediderimus datum eum a patre, & donatum
nobis vt morte sua in nobis causam peccati perimeret, ipsi nos
quoque peccatum in nobis interimeremus. Rursus si fidem hanc
[illegible], suscitatum eum a Deo patre suo, postquam mor-
[illegible] pro nobis affectus esset, & in vitam nouam, dein-
[illegible] immortalem fuisse restitutum, etiam nos cum eo in
nouam vitam eiusdem beneficio DEI consurgeremus, non il-
[illegible] carnis pristinam, quam priùs abiecissemus sponte CHRI-
STO commorientes, sed in eam iustitiæ vitam, quæ cum Deo,
& cum immortalitate semper est coniuncta. Suscitatus est ergo
propter iustificationem nostri, id est, vt nos fide suscitaremur ad
vitam iustitiæ. Non enim erat satis, mortuos esse peccato, ne-
que ad solum Dei beneficentia erga nos postulabat, sed illud
quoque fides nostra a Deo nobis impetrauit, vt per exurrectio-
nem CHRISTI in ipsa Dei iustitia perpetuò iam viuamus, in
quo fides nostra fidei Abraæ, vt spiritus corpori, & veritas imagi-
ni respondere cernitur, siue adeò potiùs longè antecellere. Ille
enim corporis, & ætatis vitio iam inhabilis ad generandum per
fidem est adeptus, vt in eo membro reuiuisceret quod gignen-
[illegible] habet. Nos in ea animi parte propter carnis vitium mor-
[illegible], quæ iustitiæ & veritatis & diuini luminis particeps est, vim-
[illegible] in se continet noscendi, & imitandi DEI, ac sese ad eum
[illegible] per spiritum applicandi per suscitationem CHRI-
[illegible] in ea parte ipsa, & in veræ rationis lumine creden-
[illegible] Deo, fidendoque reuiximus. Atque vt ille sterilitatem
[illegible] perdidit, fœcunditatem est assecutus, sic nos peccatum
[illegible], & iustitiam sumus nacti per fidem, quam in

Deo suscepimus ex morte, & surrectione Domini nostri Iesu Christi.

IVSTIFICATI *igitur ex fide pacem habemus ad ipsum Deum per Dominum nostrum* IESVM *Christum, per quem & introductionem habuimus fide in gratiam hanc, in qua sumus, & gloriamur in spe gloriæ Dei. Neq; hoc solùm, sed & gloriamur in oppressionibus, scientes, quòd oppressio tolerantiam operatur, tolerantia autem probationem, probatio spem, spes autem non frustratur, quoniam amor Dei effusus in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.*

POSTQVAM de fide, & vi fidei multa & magna sunt dicta, nunc se confert Apostolus, vt statum nostrum in fide manentem cuiusmodi sit, ostendat: cuius verborum sententiam placet vt intelligamus, illud CHRISTI mysterium, de quo ante satis dictum est, in memoria est habendum, per quod perspicuum factum est fidem CHRISTI potissimùm consistere in eo, vt mundi profitebitis bonis Deum vnum, & ipsius Dei præmia toto animo contendamus, quod mysterium quidem ipsemet fuit CHRISTVS. Qui enim huius cœlestis verè mysterij vim mente prouidebunt, hi sunt, qui per fidem CHRISTO in carne commorantes, in animo, & virtute ad iustitiam cum eodem sanctam, nec qualemcunq; iustitiam, sed illam gerentem imaginem iustitiæ summi Dei. Hi ergo tales fide iustificati pacem habent cum Deo. Hostem enim Dei ipsi in se interemerunt, carnem peccati videlicet, per quam rectoribus mundi & tenebrarũ harum mundi ab eius militiæ sacramento erant obstricti, quodammodoq; in Dei contumeliam viuebant, cùm accepta ab eo naturæ & rationis beneficia non ad agendas illi gratias, sed ad contemptum & ignominiam nominis eius conuertebant, hoc perempto Dei hoste, quod nullo alio modo, quàm per CHRISTVM, & CHRISTI fidei fieri potuit, eadem fide iustificati per ipsum Dei filium cum Deo in gratiam sunt reconciliati. Ideoq; ait Apostolus, quòd iustificati iam ex fide pacem habemus erga Deum per Dominum nostrum IESVM Christum. Neque pacati solùm, & in amicitiam cum Deo copulati, sed per eundem CHRISTVM Dominum nostrum in hanc quoque gratiam fide peruenimus ipsum producente, & introitum nobis aperiente CHRISTO, in qua gratia insistentes, firmisque in ea vestigiis constituti effectum, atque extollimus in spe gloriæ Dei. Non solùm inquit, ita cum Deo reconciliati sumus, vt nihil ab eo iam pœnæ, nihil iam diæ extimescere debeamus, sed vltrò etiam ab eo regnum gloriamque speremus, qua spe viuimus læti, atque alacres. Quid

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

A hac spei obstare videantur, quæ ex mundo damna multa incommodaque existunt, quæ vulgus mala esse arbitratur, neque ea putat cum hac Dei amicitia, & spe cœlestis gloriæ conuenire posse, responsione his Apostolus occurrit, exemplo enim à gymnicis certaminibus inducto, in quibus qui se ad cursum, aut pugilatum apparant, non antequam exercitato per lenem, sitimque, & per labores corpore sudorem & puluerem, & solem ipsum ferre, tolerareque didicerint, ad victoriæ spem iudicantur idonei, sic nos, inquit, non solùm extollimur spe, quod Dei gloriæ futuri sumus participes, sed in illis quoque oppressionibus gloriam nostram ponimus, quæ nos vndique affligunt, & premunt, probè scientes, quòd oppressio, atque etiamna tolerantiam in nobis confirmat, tolerantia autem efficit probationem. Vbi enim perferre & tolerare didicerimus, tunc probamur, idoneique habemur, neque à cæteris tantùm, sed à nobis quoque ipsis. Ipso enim experimento percepimus esse nos ad dura, & aspera perpetienda fortes. Porrò autem ipsa probatio spem alacriorem in nobis excitat, magis nos Deo etiam futuros cordi, cui nostram fidem, constantiamque in rebus molestis, aduersisq; exhibuerimus. Quæ spes profectò nobis pœnitenda non est. Non enim illudimur ab ea, non decipimur, non illa nos nequaquam vt speremus facit, quando certus, & fidelis sponsor illius est amor ille erga Deum, quem totis cordibus hausimus, & Dei item erga nos, effusus in nos per Spiritum sanctum, qui ab eodem Deo nobis datus est.

Hic Iulius, amoris huius, inquit, vel diuini erga nos, vel nostri aduersus Deum, ex quo spei nostræ veritas demonstranda suscipitur, video causam ab Apostolo Spiritum sanctum afferri, qui Apostolis datus est, non occulto solùm afflatu, sed missione manifesta, cùm in flammeis linguis singulis eorum dispertitus est, quo quidem Spiritu sancto certi sunt facti spem apud Deum futurorum bonorum suam nequaquam irritam, neque inanem euenti fore. Non enim tantùm habuerunt necesse credere, sed viderunt planè, & tanquam manu contrectauerunt extare erga se studium, & beneuolentiam summi Dei. Itaque amore ipsi vicissim aduersus Deum conflagrauerunt, spiritusque idem in illis sanctus certissimus sponsor & ipsorum fidei, & Dei erga ipsos voluntatis fuit. Nobis verò, qui in hoc mundo ita viuimus, vt quotidianis variarum præliis cupiditatum exposita sit vita nostra, qui ita stamus in fide, vt nonnunquam tamen, atque vtinam ne nimium sæpe carni, & cupiditati ipsi concedamus, quid polliceri potest certi iste in Deum amor nullo præsertim perspicuo Spiritus sancti dono cõfirmatus? aut quomodo nostra non potest spes decipi? Nam quod in hoc loco à

plerisque sanctis viris asseritur amorem hunc nobis, & spiritu
simul sanctum in baptismo infundi, non mihi satisfacit, quoq
pe multos qui videam sacramento illo initiatos, nec amo
tamen erga Deum, nec spiritus sancti vllius participes esse.
TVM EGO rem quæris Iuli cognitione dignam, locumque
ipsum sanè acutè es conspicatus, in quo percontandi occasio
idonea sit. Facilè enim hæsitare quis possit, vbi Apostolus ce-
nitur valido velle quasi argumento corroborare spem nostram,
quòd vacua, & inanis ea esse non possit, illud præcipuè con-
firmando ponere, quod non minùs ipsum alia confirmatione
egeat, & iure quoque illud adiecisti, si Apostolis ipsis primis
sanctus fuit apertè datus, vt dubitare non possent, nisi eo-
dem, qua illi conditione ad cognitionem tanti beneficij ad-
catos, quorum imbecillitati consulendum etiam fuit, vt ea a
Paulo argumenta ponerentur, quæ non in præsentia solum,
verùm etiam ad posteros vim comprobandi, & confirmandi
quis fortè labasceret, essent habitura. Veruntamen ad Deum
eundem ipsum confugientes, quod in omnibus ardens, & difi-
cilibus quæstionibus conuenit à nobis fieri, ipsiusque clemen-
tiam & bonitatem implorantes oremus suppliciter, vt ea omnia
Spiritu sancto, de quo loqui instituimus, veritatis nobis lumen
ostendens sensum horum verborum, & argumentorum, in quo
permagna est fidei, & spei nostræ confirmatio, perficere di-
gnetur. Ac vt reuocem te sæpiùs mi frater ad constitutionem
mysterij fidei, quod est CHRISTVS, de quo tot & tanta du-
dum locuti sumus, recordaris profectò vim totam & spei, & fi-
dei erga Deum nostræ in eo consistere, si contemptis mundi
huius rebus nos totos in Deo penitus constituerimus, nihil-
que duxerimus neque expetendum, neque bonum, nisi quod
ab eo ipso nobis promissum, ostentatumque sit, quo fundamen-
to posito, videamus modò de Spiritu sancto, quo ille nobis
pacto immittatur, & quemadmodum is certissimus sit spes
futuros nos compotes cœlestis à Deo gloriæ. Etenim si hoc
istud ipsum, quod mysterium fidei nobis, & CHRISTVS
ipse enunciat negligenda esse terræ bona, & appetenda cœ-
stia, verioris est iam, & melioris spiritus, ac rationis, quæ
la sunt, quæ mundo nos, & mundanis cupiditatibus dele-
ciunt, vt cùm ratiocinamur quærendas esse opes, ambitiosas
honores, expetendam ab hominibus gloriam, si hoc ipsum
quod credimus ad cœlum esse, & ad Deum solum admittimus,
dumque is possideatur, & teneatur, reliqua pro nihilo ducen-
da, neque de mundo est, vt quod repugnans omnino, contra-
riumq; sit cogitationibus humanis, & spiritus tamen est, quam
ille mundi multò præstantior, ipso primo statim affatu ne

CHRI-

CHRISTI diuinioris iam Spiritus incipimus esse participes, [illegible] terreni homines existimari debeamus. Atque hæ sunt [illegible], & primus introitus ad plenam in Deum fidem, quem quidem aperuit nobis baptismus. Hoc enim sanctum, imprimisque [illegible] Ecclesiæ sacramentum obices eos repellit, & disijcit, [illegible] ad aspernandam fidem CHRISTI prauis imbuta opinio[illegible] ipsa priùs præstruxerit contumacia. Sed intrandum [illegible] est. Sequitur enim alterum Spiritus sancti donum, quo [illegible] quæ in veteri scriptura in corporibus, & corporum actioni[illegible] designata sunt, nos ad spiritualem intelligentiam transfe[illegible]. Qui enim aliter Rex perpetuus Dauid, regnum sempi[illegible], possessio terræ finem non habitura, templum semper [illegible], chori, cœtusque illi canentes æternam laudem Deo [illegible] intelligi, nisi ad spiritum, in quo solo est perpetui[illegible], referantur? Quid valebit circumcisio, quid sabbatorum [illegible], quid illa ipsa fides in Abraam, filiique eius Isaac im[illegible], si non horum omnium spiritualis intelligentia sit? Quanquam quid singula commemorem, cùm quæ in Iudæo[illegible] legimus germanisque voluminibus perscripta sunt, ad ean[illegible] omnia spiritus rationem accipienda sint, quod Iudæi ipsi non viderunt, vt qui velo interposito impediebantur, illo ni[illegible] quo Moyses legem illis promulgans os suum obtexerat, [illegible] reiecto velo in faciem ipsam legislatoris aspeximus. Hoc ne inane tibi donum à Spiritu sancto nobis tributum vi[illegible] esse? MINIME verò, inquit ille, sed & insigne, & cer[illegible], vt iam ex his duobus indiciis satis nosse valeamus, Spiri[illegible] sanctum à Deo nobis datum esse. ENIMVERO IVLI cum aliquotiens Paulus dicat spiritum Arrabonem nobis da[illegible] futurorum bonorum, hoc est eorum, quæ oculis non com[illegible]dantur, sed sunt cœlestia, & immortalia, tametsi prin[illegible] illum Apostoli, ædificatores Ecclesiæ CHRISTI in [illegible], & sonitu etiam acceperunt, vt sentire eum, videre[illegible] possent, num iccirco nos non sentiemus, quòd eum ocu[illegible] minimè cernimus, cùm tamen in intimis nostris sensibus, hoc est in ipsa cognitione, atque mente illius nobis vis perspicua [illegible]? Nam quid est habere nos spiritum arrabonem futurorum bonorum, nisi quòd cùm sola spiritualia æterna sint qui spiri[illegible] intelligat, atque optet, habere eum iam immortalita[illegible] arrabonem? sicut ad Corinthios scribens ait Apostolus: Et[illegible] qui sumus in tabernaculo gemimus onerati propterea [illegible] nolumus exui, sed superindui, vt absorbeatur mortali[illegible] à vita. Qui autem fecit nos in hoc ipsum Deus est, qui idem [illegible] nobis arrabonem spiritus, vt ista ipsa intelligeremus vi[illegible], quæ optamus. Et alio loco: Qui confirmat nos vo-

biscum in CHRISTVM, & vnxit nos Deus, qui & obsignauit nos, & dedit arrabonem spiritus in cordibus nostris. Et ad Ephesios: In CHRISTO, inquit, speratis, & vos audiuistis verbum veritatis Euangelium salutis vestræ, in quo & credentes obsignati estis spiritu promissionis sancto, qui est arrabo hæreditatis nostræ. Certè enim is, qui intelligentiam nobis sinceram veram dat spiritus, cùm idem etiam spem, & fiduciam dat illorum quæ penes Deum sunt adipiscendorum, verè illum dare nobis est accipiendus, vt sit idem spiritus, & doctor, & arrabo futurorum nobis bonorum: quem Ioannes spiritum vocat veritatis, eumque à mundo non posse capi affirmat, quia eum non cognoscit mundus. Qui enim queat nosse, cùm Spiritus sanctus nihil omnino rationis cum mundo habens, non quoque abstrahat & auellat ab eo, ad superioraque pertrahat: ipse autem mundus in suis terrenis sordibus iaceat obuolutus.

PLANE ita est Iulius, inquit, & hoc certè spiritu, quod iniciari nemo potest, altiores efficimur, quàm vt in terrenis ceteris aut animi & mentis lumen, aut spei nostræ fructum designemus. QVID IVLI, inquam, cùm illas eodem spiritu adipiscimur virtutes, quibus comparatæ illæ, quæ ex lege, & operibus legis sunt, vsque adeò sordeant, necesse est, vt propemodum iustius in vitij partem, quam in virtutis numerari possent, cùm non ita suum cuique reddimus, vt nostrum tenemus, non ita sumus benefici aduersus amicos, vt inimicis malum maneamur, non sic fauemus, & suffragamur optatis centurum, vt dignitatem, & commoda, & fortunas nostras pares habeamus, sed diuino illo genere iustitiæ per fidem CHRISTI ornati, atque repleti, quò proximè accedimus similitudine ad ipsum Deum in iuuando, benigneque faciendo pares omnes ducimus, quibus cùm quippiam agendum nobis, & communicandum sit, cùm rem, operam, fidem, consilium, authoritatemque nostram inimicis æquè, atque amicis paratam esse iubemus, cùm omnia agimus salutis cæterorum causa, nihilque omnino ad nos, sed ad Deum ipsum cuncta referimus: cum nos humanas curas & solicitudines rerum innumerabilium, quas mundi æstus hominibus affert, nihil animo commouemur, ab omni motu, tempestateque fortunæ tanquam inter fluctus populi firmi, atque hærentes in spe Dei consistimus: cùm ipsos gerimus, sic viuimus, sic proximos exemplo nostri erudimus, vt præ nobis feramus speciem non terrenorum hominum, sed mortalium quodam modo deorum. Istáne tot, ac tanta contra eam consuetudinemque naturæ Christianæ mentis miracula, sic ea profectò appellanda illa sunt, absq; manifesta Spiritus sancti missione patrari posse à nobis ac effici credendum est: quæ maiorem

[illegible] vim habere etiam videntur, clariusque præbere documen-
[illegible] potentiæ, & beneuolentiæ summi Dei erga nos, necnon ve-
[illegible] fidei eius, quam profitemur, quàm si mortuorum corpora
[illegible] reuocaremus. Siquidem longe potentius est, & maiore
[illegible]tione dignum, vniuersam hominis naturam peremptam
[illegible] de principio in patre nostro Adam, & tot annorum mil-
[illegible] terram defossam ac consepultam excitare subito ad cœ-
[illegible] & ex corporea spiritualem reddere, quam vita defunctos fa-
[illegible] reuiuiscant. EST SANE, inquit. Et vero ista mi frater mi-
[illegible] aperiunt aliquanto etiam euidentiorem ex his esse no-
[illegible], quàm fuerit ex igne, atque flamma Apostolis, Spiritus san-
[illegible]missionem. Et si illi quidem omni ratione illum hauserunt, &
[illegible], quàm nos, multo abundantius, sed ille ignis tunc, &
flammæ splendor illis datus est, vt quem admodum qui ædificiũ
aliquod instituunt, & fundamentum ipsi operis explorant, & in-
tuentur, quò deinde eorum freti fide, ac diligentia qui succe-
dunt, confidant extructionis firmitati, sic primæ illi ecclesiæ fun-
damenta operis cum iaciebantur, inspiciunda data sunt, vt de
quo principibus illis omnibus modis fuisset compertum, id post-
ea nos pro non dubio acciperemus. ATQVI IVLI de his potissi-
mum virtutibus & potentijs loquitur Paulus, cum Galatas de-
bortans à susceptione legis, in cuius fuerant ritus, & obseruan-
tiis à falsis apostolis inducti. Qui igitur, inquit, suppeditat vo-
bis spiritum, & operatur virtutes in vobis, ex operibus legis, an
ex auscultatione fidei id facit? Dum enim manifestum, & com-
mune indicium ponit virtutes eas, quibus exornantur, qui auscul-
tant fidei, de his profectò virtutibus loqui est existimandus, quæ
hominem faciunt ipsum in semetipso, quàm in vllis extraordi-
narijs operibus & factis admirabiliorem: quanquam, vt dixi,
nihil tam extra ordinem sit, quàm in corpore, carneque humana
Deum habere ita coniunctum, vt in omnibus dictis, atque fa-
ctis diuinæ semper virtutis imago ex nobis effulgeat, quas nimi-
rum virtutes, cum se ad fidem Christi Galatæ contulissent, erant
consecuti, vt continentes, vt probi, vt æquanimitate præditi, vt
iniuriarum, damnorum, contumeliarumque tolerantes, vt à mũ-
di, & fortunæ præmijs, honoribusq; omnibus ob amorem CHRI-
STI facile essent disiuncti. Quarum quidem virtutum ne vmbram
quidem, aut simulacrum aliquod expressius poterat lex in mori-
bus cuiusquam, animoq; formare, ad quã tum quidem legẽ, cum
sereferrent Galatæ, præclaram illam Christi, & fidei ædificatio-
nem destruebant, vimq; diuinæ iustitiæ, quæ homines in cœlum
rapit, & ab omni seruitute animos liberat, sub legem rursus &
sub præcepta legis subijciebant, vt fierent seipsis eo pacto infe-
riores. ERGO IVRE reprehensi ab Apostolo, & tanquam amentes

castigati sunt, inquit. QVARTVM restat adhuc, inquam, quod e
palmarium, quo spiritum iam sanctum in igne & flamma aspi-
as, largumque ex eo lumen ad hanc Pauli indicandam illustran-
damque sententiam tuo arbitratu deriues. De amore ipso loquor,
quem erga Deum sic toto corde concipimus, vt exuberet lar-
ter, & in omnes deinde proximos etiam redundet, nihilque esse
nobis gratum, neque iucundum sinat, quod non sit Deus. Nec ve-
ro idcirco Deum ipsum amamus, quod speremus, atque expe-
mus ab eo terræ bona, liberos, sedes, domicilia, fortunas, & ce-
nuos agrorum fructus in pace, atque otio fruendos. Sic enim
religio est Iudæorum propria, ob eam causam colentium Deum,
vt ipsis bene sit, & ipsorum liberis in his vtique rebus, quæ in
columitatem, & commoda mortalis vitæ spectant. Nequeunt in
amore in Deum ea gratia accendimur, vt cum hic ad voluntatem
nostram vixerimus, animoque & cupiditatibus varijs fuerimus
obsecuti, nec quicquam nisi terrenum, & carnale cogitauerimus,
tum demum freti Dei misericordia, per quam peccatis nostris ad
ignoscendum facilis est, ita cœli præmium ab eo expectemus, vt
quicquid in hac vita nobis iucundum, & suaue habitum est, idem
postea in cœlo & in altera illa vita nobis repræsentetur, hoc vero
differens, quòd tum futurum sit sempiternum. Ad hominem sa-
neis, & hãc huiuscemodi beatitudinem Maumethanam inter-
tenta est, hoc deterior etiam, quàm Iudæorum, quòd sicut ea
Moysis lex à corporeis, & externis obseruantijs initium faciens,
procedebat ad spiritualia. Hæc cum in spiritualibus ipsis fidei
CHRISTI auxilio positam se comperisset ad carnem, & corpus ex-
trò reuoluta est. Verum, vt dicebam, nos non ob hasce res Deum
amamus, & colimus, quò in his, quæ extra ipsum nosque sunt, in-
dulgentiam ipsius experiamur, ac benignitatem, sed ipsum me-
ipsum, inquam, per se diligimus, ipsum appetimus, ipsum vol-
mus, neque est in cœlo, neque est terra, neque in voluptatibus,
neque in magnis honoribus, neque in bonis alijs quicquam, cu-
ius flagremus studio, præterquam ipsius Dei. Hic amor in nobis,
atque hæc in cordibus nostris charitas vbi accensa fuerit, quis
non intelligat conuerso more naturæ molesta fore nobis, quæ
vulgo sua via ducuntur, & quæ aspera cæteris, nobis periucunda,
vt quod Paulus hic ait in oppressionibus, omnibusque incom-
modis gauisuri simus, & de nostris damnis, calamitatibusque ga-
riaturi. EA REQVIDEM, inquit IVLIVS, quòd tum nos-
me locum occasionemque habituri sumus approbandæ Deo
no Deo nostræ erga eum fidei, eximiæque voluntatis. Et vere mi
frater, mecum ipse, & cum animo meo reputans agnosco rem ita
sese habere, vt tu dicis, vt cum ad hunc gradum fidei perducti fue-
rimus, qui amoris, & charitatis totus est, tum sentiamus in nobis

ne hominem habitare iam amplius, sed Deum, siquidem maiora omnia tunc agimus, quod pro humanis viribus. QVID ITVM IVLI, inquam, cum & dimidium nostri tum penitus extinctum sit, atque adeo multo maxima potius pars, quantum scilicet nobis mortale, & caducum ad terram conuersum est, & in eius loco subditum, quod est cœleste, & sempiternum? Etenim quod iucundum est in nobis, quod auarum, quod elatum, quod contumax, quod insidiosum, quod voluptati, molliciei, cupiditatiq; adiectum, tunc euanescat totum necesse est, quibus quidem ex partibus plurima fermè natura hominis conflata est, atque ex his constat. Illud autem modicum, & nobile, & è cœlo originem ducens, quod plerunque oppressum, & redactum in angustum coarctatur, sæpe vndique & à cupiditatibus premitur, & catenatum pertrahitur illo in DEVM amore excitatum, atque adiutum, vimque igneam è cœlo nactum abruptis, aut liquefactis captiuitatis suæ vinculis, non in libertatem sese modo, sed in imperium etiam vindicat, imperium autem eiusmodi, quo & reliquas partes animi in eundem secum erga Deum affectum trahat, & ipsum terrenis rebus iam deinde tanquam ad se minime pertinentibus nulla unam parte moueatur. De quo amore, & charitatis dono Paulus ad Corinthios æmulantes inter se maiora charismata, illudque præsertim linguarum excellere existimantes: Sectamini ne, inquit, meliora charismata? etiam præcellentem vobis viam ostendo, sectemini charitatem, sine qua reliqua omnia dona Spiritus sancti mortua sunt. ASSENTIOR, inquit, & certissimum habeo, cum ad hoc studium amoris aduersus Deum peruenerimus, nihil esse, quod nobis à fortuna metuendum sit, nihil, quod ab insidijs hominum, aut violentijs formidandum, maximumque hoc esse iudicium intelligo Spiritus sancti intra nos tabernaculum sibi ad commorandum statuentis, cum ærumnas, & labores, & res omnes asperas non modo sine vlla mœstitia, sed cum lætitia etiam ferimus, & cum voluptate. Quemadmodum de Apostolis scriptum est, discessisse eos è conspectu concilij gaudentes, quoniam digni habiti essent, pro nomine IESV contumeliam perpeti. IAM VERO IVLI spiritus iste, de quo iamdudum loquimur, tibi ne videtur præstantior esse, & melior, quam is, qui nos assidue in terrenis curis retinet occupatos, an illum tu fortasse huic anteponis? EGONE VT anteponam, inquit? Iam si ista essem sententia, quid me fieri posset amentius? NEMPE ERGO illum, inquam, qui nos ad cœlum & spem æternorum bonorum semper vocat, digniorem, & potiorem, & diuiniorem esse spiritum arbitrare, q̃ cum, cuius hortatu & monitis spei nostrę in terris omnia subsidia ponimus? NON arbitror, inquit, sed intelligo certo. ERGO veriorem etiam, nisi tu sine veritate præstare ali-

quid alicui, & dignius esse existimas. MINIME, inquit ille, prorsus contrà: habeo hoc potius constitutum, cum mendax, & fallax quicquid est, infirmum id semper, & ignobile, sordidumque sit, nullam ibi præstantiam neq; dignitatem esse vbi non sit veritas. Si ergo spiritus iste ex mundo non est, & est præstantior multo, quam ille mundanus, ac veritatem omnem in se continet, cum aperit nobis fidei CHRISTI mysterium, mundumq; pro libere derelinquamus, hortatur, cum corporea, & terrena illa omnia spiritualem nobis intelligentiam conuertit, cum diuinissimis bus nos exornat, cum amore in Deum totos rapit, nequam est pertimescendum profectò, nec vel minimum dubitandum, quòd spes nostra nos fallat, quam reposuimus in bonitate, gratia & clementia summi Dei, nos esse illum videlicet in præmium fidei nostræ, & ipsius gloriam assecuturos, cum præsertim ille amor, qui in Deum nos inflammat, vnus sit, atq; idem cum Dei amore aduersus nos, in eodem enim Spiritu sancto, qui & amor Dei est, & ipse Deus, in cordibus nostris inhabitante, & benevolentia Dei erga nos ostenditur, & nostra inflammatur erga ipsum Deum voluntas, ita tamen vt nostrum hoc ipsum Deum quòd amamus, ab ipso amore in nos Dei profectum sit. Ille enim nobis plurima nimirum, & maxima amoris sui indicia ostendit, illustres nobis dedit, ille veras intelligentias, ille animos ad perferenda aduersa, ille etiam quo nos sibi alienos, atq; adhostes in gratiam secum conciliaret, filium suum vnigenitum mundum misit, qui demonstraret nobis ad immortalitatem nos, & beatam vitam ostenderet, non in mundi delitijs, & voluptatibus, sed in sola fide erga Deum positam esse, quibus de rebus audeamus, quid loquatur Apostolus.

ADHVC enim Christus cum essemus imbecilli, tempore opportuno pro impijs mortuus est. Vix enim pro iusto quispiam morietur. Nam pro bono forte quispiam audeat mori. Constimat autem suum amorem in nos Deus, quòd cum adhuc peccatores nos essemus, Christus pro nobis mortuus est, multo igitur magis iustificati nūc in sanguine ipsius seruabimur per ipsum ab ira. Si n. hostes cum essemus, reconciliati fuimus Deo per mortem filij eius, multo magis recōciliati seruabimur, in vita ipsius, non hoc solum, verum etiā gloriam habebimus in Deo per dominum nostrum Iesum Christum, per quem nunc reconciliationem accepimus.

REVERTITVR Paulus ad id, quod ante dixerat, quòd nunc ex fide iustificati cum pacem habeamus erga Deum sperare possumus æterna bona, atque ita sperare, vt certo illa expectemus,

igne ſic ſe habere ex amore in nobis Dei, & ex ipſo ſpiritu ſancto
ſibi uerat, nunc alijs argumentis ex CHRISTO, & CHRI-
ſti morte, ipſoque Dei amore erga nos idem vt comprobet,
egreditur, ſingulis penè verbis arduas multorum quæſtiones
emanans, & dubitata diſſoluens. Erant enim qui ſe opponerent,
nonem petentes, cur non ante CHRISTVS ad hominum ge-
nus redimendum veniſſet. His reſpondet Apoſtolus, quia era-
nus imbecilli, neque tantum myſterium ferre adhuc poteramus,
mundo quidem hominum genus tanquam homo vnus primis
temporibus ætatis ſuæ lacte, non firmo cibo nutriri neceſſe ha-
buit, ideoq. fuit non Chriſtus populo Iſraëlitico, ſed lex lata, quæ
cunis lactis in eo alendo gereret vices. At cur nunc venit potiſſi-
mum? quia tempus opportunum affuit. Vnde iſta huic temporis
opportunitas? huic eſt quæſtioni alijs in locis ab Apoſtolo re-
ſponſum, quoniam hoc præcipuè tempore omnibus omnino ho-
minibus in foueam interitus propter peccata delapſis magis eni-
tet Dei omnipotentis gloria, & præſtantius erga nos beneficiũ.
Quòd ſi ideirco datum nobis fuit, vt probiores, & iuſtiores, &
Deo magis dediti redderemur, eo potiſſimum tempore decuit
dari, & quo magis gratum nobis, & magis neceſſarium illud be-
neficium accideret. At quo pacto ſi hominum genus tunc maxi-
mè opertum, obrutum q. peccatis extitit, potuit eſſe idoneum, &
valens ad capiendum myſterium Dei? Hoc enim præterea etiam
videtur poſſe opponi, cui nos quæſtioni reſpondemus, quia tunc
nemo ſibi ipſum diffidens de tota ſpe ſalutis ſuæ, habuit neceſſe
in Deo ſolo confidere, quæ eſt fidei, & myſterij propria iam vir-
tus, ſiquæ Euangelij potentia, per quam vnam ſalui eſſe poſſu-
mus. Nunc ad declarationẽ, & ad Apoſtoli verba veniamus, qui-
bus ſic exaggerat indicia beneuolentiæ Dei erga nos, quòd pro
impijs filium morti, vt liberarentur ipſi, tradidit, quibus ſi adhuc
hoſtibus vſque eo indulſit, vt filium ſuum vnicum mori pro eis
velit, quò eos ſecum redigeret in amicitiam, nunc amicis factis
non modo perpetuam ſalutem, ſed ne gloriam quidem ſuam eſt
denegaturus. Atque hæc quidem in his verbis eſt ſententia, ſi pro
impijs enim, ſi pro hoſtibus, ſi pro peccatoribus filium Deus in
mortem dedit: multo nunc magis eodem erga nos amore indu-
ctus pro fidelibus iam, pro iuſtis, pro amicis, non id modo eſt da-
turus, vt ab ira tuti ſimus, hoc eſt, ab ea pœna, quam iratus Deus
peccatis noſtris potis eſt infligere, ſed vt vitam etiam filij ſui il-
lam iam immortalem, & non terrenam, gloriamque ſuam conſe-
quamur, idque per eundem D. N. I. C. qui ſicut nobis cum Deo
reconciliationis fuit author, ita erit vitæ, & gloriæ impetrator.
Nam quod interpoſitũ eſt (Vix enim pro iuſto quiſquã morietur,
nam pro bono quis forſitan audeat mori) ſenſum iſtum habet, vt
chari-

charitatem CHRISTI magis expendamus, inquit, qui pro impijs, & pro hostibus in mortem se dedit, ex communibus eam hominum sensibus, & affectionibus æstimemus, inter quos qui pro iusto volens mortem perferat, nullus fere inueniatur, at pro bono fortasse quis eam audentius subeat. In quibus verbis vnus vni, iustus impio, bonus hosti redditur. Sed qui pro iniusto animum inducat mori, nemo reperiatur: pro bono aliquis, vt pro filio pater, amicus pro amico, seruus pro domino, quod in his pro quibus morimur, ita amore & affectu cordis propendimus, vt bonum nostrum in illis sit. Pro iusto autem mori, in quo nullum tantum nostrum sit, non amor præterea etiam, aequissimi insignis affectio prorsus inauditum est. Christus ergo iam neutrum extitit (nam & nobis antea nos impij, & ipsi hostes fuimus) cum est mortuus pro nobis, nouam profectò quandam, & omni inauditam tempore vim amoris erga nos, in Deo patre suo & in semetipso ostendit. TVM IVLIVS: Moueor, inquit, animo vehementer, cum ista ex te mi frater audio, quæ cum bona mihi maximi omnium doctoris magnitudinem mentis, admirabilemque scientiam, tum beneficium omnipotentis Dei, bonitatemque, & patientiam Iesu Christi ante oculos ponunt, tamque præclarè extare video, quod tu ante promiseras, si quis ista attentius inspexerit, diligentiusq; Euangelij doctrinam fuisse contemplatus, nequaquam cum vllo tempore de fide Christi dubiturum. Ita illustris, & perspicua versatur mihi ob oculos tua veritas, multisq; multarum quæstionum, & difficultatum scrupulis per te mi frater, vel per eam potius, quæ tibi tributa est ab Domino Deo facultatem liberatus sum, qui & si non ne illi quidem vel tantulum mouebant, vt vllis Ecclesiæ in decretis haererem: in eo tamen erant molesti, quod eos sæpe, quibus cum disputabam, cum hæc ipsa illi, & alia non pauca obijcerent, per quæ lumini, & veritati fidei tenebræ offundi quasi videbantur, non poteram, sicuti quidem cupiebam, ea refellere. Nunc aduersus illos, & contra omnes præterea calumniantium argutias egregiè armis spiritualibus instructus, nullum certamen detrectaturus sum, nullius vim ingenij formidaturus. Illud tantum doleo, quod ad nos credentes tam peculiariter pertinet, ipsumque ad me imprimis, etenim qui in hac fide Christi nati, qui tanti mysterij participes, & confessi facti, tanto veritatis lumine simulatque prodiuimus in vitam, per baptismi sacramentum illustrati fuimus, in eamque sortem diuino munere vocati, vt supra hominis naturam ad societatem, & similitudinem ipsius Dei adiungere nos queamus, quam non ipsi Deo gratiam aut quod pietatis studium referimus? nostrum multo maxima nostrorum pars ferè nunquam, nos verò omnes fere,

fores, & acutiores reliquis volumus esse, sane quam perraro in
cogitationem deuenimus, vt statuamus nobis pie, & caste, &
iuste esse viuendum? quod tamen consilium quasi volucrē vm-
tum celeriter à nobis sinimus auolare, & cum sana mente eius-
modi quippiam decreuerimus, non esse nobis à Deo, & à spiritu
à carnem discedendum, repente euestigio alij facti in id ipsum
conijcimus, quod fugere meditabamur. Quid est hoc? quæ
hæc vis? qui animi error? quæ mentium caligo? Cur amor erga
Deum noster, quem certè non inficiamur, in cordibus habere,
cur beneficiorum ab eo acceptorum memoria, cur fides, cur spes,
cur diuinum illud vitæ beatæ præmium, regniq; cœlestis, ac sem-
piterni expectatio nos continere in officio non potest? Tantum
ne ista valet, quæ circum nos est inducta caro? Hæ terrenæ in-
duciæ tantum habent virium, vt me sæpenumero omnem cum
Deo rationem habere meditantem è cœlo ipsæ deducant, atque
eiciant, cupientemque hærere mentis, fideique complexu, in
Christo Iesu meo, proturbent inde tamen, diuellantque à beata
cura, & ad inquinatas ac sordidas detrahant cogitationes? Hei
quam vereor, ne ista ingenij, scientiæque facultas, quæ nobis id-
circo à Deo donata est, vt ad eum facilius, amantiusque accedamus,
recidat in contrarium fraudique nobis potius sit, qui quò
plus intelligimus, hoc & offendimus grauius, & magis iure ple-
ctimur. NOLI ORO te, inquam, mi frater humanæ nunc sta-
tum conditionis deflere, qui sic facti sumus, vt nequeamus in
hac vita vllo à nobis pacto carnis molestias excutere: quippe il-
læ enim nobis natura agnatæ sunt, diesque, & noctes viuunt no-
biscum, suosque eiuscemodi habent motus, vt non solum rationi
nostræ, sed ne Dei quidem voluntati sint obtemperantes. Est
enim nobis comparatum ab ipsa natura perpetuū aduersus nos-
met ipsos certamen grauisq; & laboriosa dimicatio, cum vt Pau-
lus ait: Concupiscat caro aduersus spiritum, & spiritus aduersus
carnem, in qua assiduitate pugnandi aliquando carnem superare
non mirum sit. Illam quidem Dei, & nostri proditionem nefa-
riam refugere debemus, vt ne carni spiritum subijciamus volen-
tes, quo profectò nihil foret perfidiosius. Quòd si mente, & vo-
luntate perpetuò cum Deo erimus coniuncti, quemadmodum
retentis mœnibus etiam si hostis volitet in suburbijs, spes tamen
salutis adhuc firma est, sic nobis hærentibus in ipso Deo quàm
vehementes, & subiti cupiditatum motus possunt interdum nos
quidem affligere in terram, capere autem, abducereque in serui-
tutem non possunt. Ad eam enim ipsam Dei gratiam, è qua pau-
liper excidimus, dono illius misericordiæ cito restituimur. Ita-
que imagine similitudinis quadam, si tamen est fas ista sic pro-
ferre, & diuinis assimilare mortalia, Christus ipse quoque in arce
patris

patris sui, solioq; omnipotentis Dei nihilominus permanens ad carnem accipiendam inter homines delapsus est, qui quòd solus omnium hominum nullos vnquam eius motus, nullas omnino carnis illecebras sensit repugnantes Deo & rationi, fuit hoc diuinæ in eo naturæ, & sine patre generationis proprium, ad quam nos facultatem non possumus aspirare. Sed nunc mi fratres omniam ad vesperum iam inclinat dies, & ista ipsa de quaestionibus loquimur, ad curam sui nos inuitat caro, concedendum est, maiorq; nobis fidei nostræ, qui illam alendam, tuendam suscepimus, quàm illius iniuriarum ratio habenda. Cras, & perendie, quando festi dies sunt, persequemur reliqua. Nunc deambulemus paulisper si placet, animumque ab hac seueritate disputandi relaxemus.

LIBER SECVNDVS.

MAGNA nobis aggredientibus ad hanc rationem, exercitationemq; de Deo, & de diuinis rebus scribendi, atq; tractandi, proposita spes fuit, nos non ingenium modo, quod à Deo accepimus, nec cognitionem artium optimarum, si quam eiusdem Dei beneficio obtinemus, ad eius ipsius, vnde ista profecta sunt, honorem, & laudem grato animo conuersuros, sed cæteris etiam affectionibus animi, quæ multæ sæpe, & variæ nos à rectis consilijs proturbant, nostra ex ijs aliquē, & cum bona ratione concordiam esse reperimus. Quæ spes, & cogitatio nostra nos certè non fefellisset, si, vt memoriam, & voluntatem habere in potestate, sic etiam imperare facilè cæteris animi partibus potuissemus. Nam cum ea, quæ sunt consilij & voluntatis in nobis, ita iam pridem Deo per nos dicata sint, vt firmiter in eo hæreant, nec videantur vlla vnquā vi inde se diuulsura, illam alteram partem infidam, & turbulentam, quæ in affectionum varijs permotionibus consistit, sic cum alias sæpe, tum vero in hoc ipso munere, officioq; scribendi, incertam, fragilemque experimur, vt nomen optimi, & charissimi fratris, quod nobis sumpseramus ad animi iucunditatem per eam nobis conuersum sit ad dolorem. Labefactauit enim animum meū, & de constantiæ statu conuellit illius nobis adempti, ereptique memoria, quæ hoc etiam acrior remansit in nobis, quòd graues nostri casus, & post mortem eius secuta tempora sæpenumero me commonuerunt, quantum mihi in illo opis, atque subsidij ad omnes fortunæ motus fuisset ablatū. Non enim profectò mediocre aliquid in eo, neq; vsitatum amisimus, sed cum summum illud ingenium,

uite, quod cuncti in eo, qui id nouerant, mirabantur, cęteri pro-
per magnitudinē famæ, atq; rei vix credibile esse arbitrabantur,
tam omni optima arte se excoluisset, vt non solum naturam, &
consuetudinem reliquorū, sed nostra etiam, qui instabamus, atq;
intrabamur, studia superaret, tum summus inter nos amor, sum-
ma concordia, summa communicatio rerum, consiliorumque
omnium, quæ semper fuit, hanc etiam nunc vim habet in nobis,
vt nequeamus, nō & incommodum nostrum tot in illo rebus iu-
cundissimis orbati, & acerbam illius, ac immaturam mortē luge-
re, octauum enim annum, & vigesimum vix attigerat, cum ex hac
vita migrauit, cum si velimus ea, quæ gessit, & quę consecutus est,
expendere, & numerare, nō ille propè adhuc adolescens, sed iam
senex futo fuisse functus videatur. Nam vt Latinas, Græcasq; li-
teras à prima pueritia penitus hauserat, tum legendis, ac perdi-
scendis, vtriusq; linguæ optimis authoribus reliquam, quoad do-
mi mansit, consumpsit ætatem. post ad me conueniendum Ro-
mam profectus, cum cerneret genus illud vitæ, quod apud prin-
cipes cum authoritate, & gratia in maximis rebus agendis, deli-
berandisq; versatur, egregiam quandam habere ad benemeren-
dum de plurimis facultatē, idem ipse vitæ genus, atq; eadem stu-
dia appetiuit. Fuit enim, si quisquam vnquam, ad humanitatem,
ad liberalitatē, ad beneficentiam & natura, & voluntate propen-
sus. Sed vt ad res gerendas omnibus copijs, opibusq; prudentiæ in
omnem partem fieret paratior, ad eam sibi præcipuè comparan-
dam incubuit, quam in omni parte, & actione vitæ plurimum va-
lere sentiebat eloquentiā. Eam porrò, cum intelligeret sine phi-
losophia expolitam planè, atque perfectam haberi non posse, ad-
mirabili quodam, & inaudito studiorum cursu, omnia Platonis
scripta, Aristotelisque perdidicit. Non enim fuit illi ingenium ex
eo genere, quod laudare tantummodo & probare, sed quod ad-
mirari, & vt superius hominis facultate, suspicere etiam solemus:
memoria porrò tanta, vt quæcunque audierat, legerat, aspexe-
rat, ea vel semel notata, atque animaduersa, in promptu postea
proferre semper posset. Igitur translatus ad actiones, & nego-
tia, id de se breui tempore præbuit specimen virtutis, humanita-
tis, integritatis, prudentiæ, vt nulli iam maximè rei non cùm ab
ipso principe, tum à reliquis omnibus idoneus, & par esse iudica-
retur. Sed nos hæc ipsa in eo intuentes, tum quidem, & admiran-
tes, & si in tantis coniunctissimi fratris, ad omnem virtutem
processibus, gaudio efferebamur, spemque non dubiam eximiæ
in eo dignitatis constitutam iam habebamus, tamen quòd vim
illam incredibilem ingenij in corpore præsertim tenui, & im-
becillo, cuiusmodi illius corpus fuit, vix diuturnam fore spe-
rare poteramus, erat quædam admixta cum illa lætitia nostra
animi

animi pietas, & solicitudo, quæ me miserum tamen non fefellit. Atque vt omnia, quæ ante dixi, in fratre mei amantissimo, & mecum concordissimo, quamdiu illis perfrui licitum fuit, vitam mihi iucundam, & lætam effecerunt, sic illo postea adempto, illa suauitate fraterna, illa spe, illis officijs, consuetudinibusque peruatus, acerbum habui penè omne tempus, quod securum est. Nec hoc ex Christiana veritate, ac disciplina, peccatum enim meum primus ipse confiteor, neque in hoc fratri ipsi meo par esse possum: ille enim, quoad vixit, cætera ita egit, atque suscepit, vt ad Deum semper omnia referret. Ego, qui planè habeo cuiusmodi taleis animos, atque ita institutas in CHRISTI religione, tes, qualis illa fratris mei profectò extitit, non sibi finem, sed immortalitatis initium in ipsa morte acquirere. Moueo tamen, & frangor animo, neque in recordatione optimi fratris gemitu, & lachrymis temperare possum. Quando enim istorum tale inueniet solatium, iam senescens ætas mea? quando erit qui mihi illum referat, in cuius item amore, & benevolentia, sicut in illo faciebam, possim conquiescere? Quis mihi posset illam curarum, cogitationumque communionem, & societatem simili cum fide consensioneque præstabit? Atque vt hæc omnia aliquo Dei immortalis beneficio aliquando mihi contingant, illum animum excellentem, ac singularem, illam vim [illegible] virtutis, atque ingenij, quis mihi generi, nomini, familiæque nostræ restituet vnquam? ô fallaces ferè semper spes [illegible], manesque, & fluxas cogitationes, quæ cum sibi sæpe magnas proposuerunt, eaque certo cursu comprehendere iam, tenere videntur, repente tanquam vmbris illusæ, & irritæ, nihil [illegible] lectatas, sed tantum sibi pœnitere reliquum esse agnoscunt, atque intelligunt, nec tamen ista omnia, vt contemnant, adducuntur. Ego cum fratrem non amiserim meum, sed in eum locum permiserit Deus, in quo vno beate, & sempiterne datur viuere, & quiddam tamen, quod me angit, & vrget, nec esse sedato animo sinit, quod mihi fratrem ipsum meum desideratissimum, atque optimum, dies ac noctes offert, non ad lætitiam animi, quandam vt solebat, sed ad renouandum illius mortis dolorē. Quam aliquando omnem quæso abijciamus, & in te, ô bone Iesu, omnia vitæ solatia potius constituamus. Namque has curas & solicitudines rerum humanarum, si quis altius in eis se mergat, fluctibus illis ferri se patiatur, quis non intelligat, non vlli[illegible]tum ad portum, sed ad calamitates vitæ, & ad naufragia [illegible]cere? Vnus est portus capiendus nobis, atque tenendus, si esse volumus salui, firma in Deo spes, & in obtemperando illius voluntati dedita nostra voluntas, quæ etiam si vehementiore aliquo animi motu perturbatur, & exterarum rerum impulsu conten-

tur:

[illegible] hætere tamen in Deo parte sui potissima semper debet, ne-
[illegible] quam ab eo se totam dimouere. Quod si humanæ naturæ
[illegible] ilitate, nostra sæpe consilia franguntur, quæ sunt sua spon-
[illegible] ad summum Deum, tuum est, bone IESV præbere te
[illegible] prolapsionibus nostris. An tu cum nihil antea rei
[illegible] nobis fuisset, cum alios quosdam etiam tunc deos, alios
[illegible], aliam vitam intueremur, in qua quidem ratione cæci,
[illegible] eramus, accessisti vltro ad nos, veritatē indicasti, pec-
[illegible] condonasti, vitam beatam promisisti. Nunc cum volumus,
[illegible] adnitimur, cum laboramus, si nō omnia prorsus impleueri-
[illegible], quæ abs te ad agendam diuiniorē vitā præcepta nobis sunt,
[illegible] nō aderis nobis? neq; audies vocatus? nec labenteis ma-
[illegible] sustinebis? sed corruere potius, & allidi patiere? Hem IESV
bone, suscipe nos, & qui pro inimicis mortem volens subijsti, nos
certè iam amicos à morte vindica. Ac ne diutius in hac cogita-
tione teneatur oratio nostra, cum de Dei bonitate, & clementia
ad ignoscendum dubium nemini sit, nosque his de rebus pluri-
bus locis dicturi simus, redeamus ad ea, quæ nobis instituta sunt,
vt [illegible] fidei CHRISTI in ipso Paulo peruestigemus. Quo-
rum si partem aliquam, bonorum ingeniorum dignam cogni-
tione, Deo nobis inspirante, primo libro aperuimus, alter hic
qui sequitur, non inferiora continebit. Nam vt surreximus ma-
ne, ego & Iulius frater, partemque eam temporis diuinis rebus
[illegible], quæ erat bono mori, & religioni debita, tum complexi
[illegible] nos, ducto lectore nobiscum, ad easdem vmbras per-
[illegible], & in eadem, qua pridie fueramus, consedimus exhe-
[illegible] TVM IVLIVS: Non dici potest, mi frater, quàm me tua
[illegible] disputatio delectauerit, eis de rebus habita, quæ tamen
[illegible], aut præcipuè mentes bonas delectant. De Deo enim, &
amore Dei erga nos, nostroque vicissim erga eum, qui audiunt,
& intelligunt, nisi ijdem penitus ab omni recto sensu abhorren-
tes sint, iucundos quosdam motus interioris lætitiæ sentiant,
necesse est, nequaquam comparandos cum voluptatibus cæte-
ris. Sed mecum alia multa affecerunt, noua mihi quidem, & an-
tea inaudita, quæ abs te prolata sunt, tum illud admirabile, pe-
nitusque reconditum præpotentis Dei consilium, quo filium ille
[illegible] vnicum, in carne hominis misit, ad perhibendum testimo-
nium veritati, ita me cœpit, vt nunc iam non credere, nec per-
[illegible] esse, sed planè tenere, & scire mihi videar, CHRISTVM
[illegible] vnum, ex quo nobis sit vita, neque aliud nomen esse sub cœ-
[illegible] per quod credentes, salui fieri possimus. Proinde ego hac
[illegible] mecum cuncta ista diutius volutans, & non pauca subij-
[illegible] cogitationibus meis, scripturæ loca, præsertimque ex Ioan-
[illegible] Ille enim altius profectò in ipsa diuinitatis consilia se im-

mersit, illam veritatem spiritus, & natos ex mundo, aut ex Deo homines, & quorum non carnis, neque viri voluntas, sed Deus pater est: tum alia permulta, quæ in eius Euangelio, tanquam semina veræ, & vitæ, & sapientiæ dispersa sunt, sic percepi omnia probè, & enucleatè, hoc per te introitu mihi patefacto, vt quæ antea mihi erant perobscura, nunc lucere ea meridie clarius, & ante oculos posita esse videantur. Quod idem in Paulo mihi esse venturum confido. magno enim lumine semel introducto patere omneis recessus, & angulos quamlibet occultorum lateri necesse est. Sed tu, mi frater, intelligentiam huius mysterij, nam ex commentatione multa, nocturnisq; vigilijs, ac lucubrationibus, an alia quapiam ratione tibi comparasti? nam mihi quidem, si fari licet, quod sentio, quod cum bona venia tua dixerim, hoc mihi hominis ingenio multo videtur maius. AN VERBIS, inquam, ne mihi molestus sis, meumque offendas animum, si hæc quæ loquimur de Deo, & de consilijs Dei, à meo tibi ingenio non videantur profecta? Non sumus, opinor, tam insolentes. Nouimus enim vires, & facultates nostras. Sed cum committimus nos Deo, toto corde, & pectore, vbi quid de talibus agendum, aut disserendum est, tum quòd menti nostræ ab eo illuxerit, sic arripimus, tanquam id anteponendum longe sit, quæ diutissime à nobis quæsita, & inuestigata sunt. Quod vt magis credas, & mirere, Deum ipsum testamur, cui vnt deinde sum os, nunquam ante hunc diem in quo de his agere cœpimus, mihi huius arcani mysterij, non modo plenam notionem, sed ne vestigium quidem, ad indagandum vllum in mentem venisse, quod nunc repente mihi totum apparuit, vt facilè Dei donum id intelligatur, nec tam mea causa ab eo mihi tributum, quam & tua primum mi frater, qui ista maximè expetis, & eorum deinde omnium, qui ad Deum propius adiungere se volentes, ea, quæ mundi sunt, spernere, & repudiare sunt parati. Nam qui in mundo curas, & cogitationes suas defigunt, ad hæc lumina cœlestis sapientiæ prorsus sunt conniuentes, tamque illa sibi habentur nebricosa, & obscura, vt nos ea lucere, & clarissima esse intelligimus. Quorum infelix sanè, & miseranda est conditio, hoc quidem etiam magis, quòd isti ipsi admodum sibi sapere, nimiumque esse docti, & callidi videntur: qui nobis etiam illudere soliti sunt, quòd persuasum habeamus, ea nobis præoptanda esse, quæ ad manum non sunt, quorum autem est præsens, & [illegible] possessio, ea posthabenda esse constituamus. etenim mens illa est hoc cœno, sordibusque terrenis coinquinata, & obtusa, vt erigere sese ad intuendam cœlestis spiritus vim nullo modo possit, nec in illo altero regno, quod à sensibus absconditum [illegible] tantum, & rite institutis mentibus manifestum est, partem [illegible]

quam

[illegible]sibi, aut locum designare. Qui si, vt fidei, & CHRISTI [illegible] nunc omittamus, virili saltem animo, & consilio forent [illegible], sine vlla nimirum dubitatione, statuerent plus esse in [illegible]ponendum, quæ sempiterna promittuntur, quàm illis tri[illegible]dem, quæ certo noscuntur esse interitura. Quid est enim [illegible]tius, quàm ijs confidere quenquam, & gloriari, tanquam [illegible], quæ sua esse non possunt, atque illa contemnere, quæ si [illegible]ri possent, propria illi, & perpetua semper essent? Cum [illegible], si fidei CHRISTI vim, & diuinæ naturæ bonitatem at[illegible]tius inspiciamus, neque inanis spes nostra, nec Dei fallax pro[illegible]sio esse possit, quis erit tam auersus à vero, qui fidem nostram, [illegible], infirmamque credulitatem, ac non stabilem, singula[illegible]mque sapientiam, illam autem rationem, quæ mundum ma[illegible] sequitur, cognitionem certam, potius quàm leuem in opi[illegible]nando temeritatem esse constituat? TVM IVLIVS, Verissima [illegible] hæc, mi frater, inquit. Namque & ego fidei vim tacitus me[illegible] contemplans, plus etiam sapientiæ in ea, quàm credulita[illegible], videor agnoscere, quanquam inest quidem vtrumque, sed [illegible] magis. nam & considere Deo, magis quàm mundo, verio[illegible] sapientiæ est, & sempiterna appetere, potius quàm mortalia, [illegible] multo præstantioris. At enim ista à sensibus remota sunt. Quid tum? nónne & in istis curis, & cupiditatibus, quæ mundi [illegible], sæpe ea, quæ possidentur, & tenentur à nobis, spe plus ha[illegible], vel in honore, vel in pecunia erogamus, atque effundi[illegible] certumq; quod est abijcimus, vt quod incertum, consecte[illegible] in quo crebrò solet cupidos homines fortuna ipsa refelle[illegible]. Atque hoc illis eo incommodius accidit, quòd infinitis prius [illegible], laboribusque iactati, etiam si assequantur id, quod [illegible] cupierant, in quo sperarant, tandem se quieturos, in eo ipso maximè inducti, atque decepti, omnium curarum stimulis, & so[illegible]dinibus anguntur. Nostra autem fides, hoc est, IESV Chri[illegible] ea nobis sola optanda, sperandaque proponit, quorum non in [illegible] solum beatitudo, & immortalitas, sed etiam in ipsa spe, atque expectatione iucunda vita consistit. Non enim pollice[illegible] nobis quicquam exiguum, aut mediocre, neque quod cum [illegible] re, si comparetur, ex ipsa contentione tenue, aut aspernabile [illegible] videri, sed ipsum omnium rerum caput, naturæ totius principem, fontem lætitiæ, veritatis, immortalitatis, propria no[illegible] possessione promittit, atque offert, cuius tam præcelsi mune[illegible] magnitudinem, si vere volumus pendere, atq; æstimare, omnis [illegible] danis voluptatibus delectatio, omnis amplitudo impe[illegible] atque honoris, cœnum nobis, & sordes præ illo videatur ne[illegible]. Etenim omnes Deum, etiam inuiti, aut ignorantes ap[illegible], summumque in eo bonum nostrum, si non cogitato,

& explicito mentis consilio, at tacita naturæ cupiditate constituimus. In Deo enim omnes conditi, & facti sumus, in illo & viuimus, & mouemur, quantumque ad illum contendimus appropinquare, ad eumque nos adiungimus, tanta nobis nostrimet & eius, quo vere sumus, semper fit accessio, quæ vsque ad diuinitatis consortium nos pertrahit, deosque esse facit, vt omni mortalitatis fragilitate, morteq; calcata, in sempiternis gaudijs, honoribusque viuamus. Hoc vnum prorsus, si incomparabile dictum est, si digna Deo vox hæc, & tanti præmij in eo fidentibus, facta repromissio, vox, & oratio Dei ista ipsa CHRISTVS est, quo locutus est nobiscum Deus, quomodo optime, & commodissime loqui potuit, Christi IESV videlicet exemplo, vita, sermonibus, per eum ipsum nos admonens, vt à mundi cultu, amoreq; eius, omneis in se vno amores nostros poneremus. Atque hæc vera, & vnica in Deum fides est, quam sequitur diuinæ imitatio iustitiæ, cui quidem iustitiæ similis & par vita coniuncta est paradisi, ipsa diuinitatis, atque eiusdem cum ea sempiternæ beatitudinis consors, ad quam per vnum CHRISTVM est aditus. Ipse enim est illud ipsum mysterium, quod est abnegare mundum, & in vno Deo spem ponere, quemadmodum ipse in Ioanne accepimus, qua discipulos commendat Patri: Ego dedi eis, inquit, sermonem tuum. Dedisti planè IESV bone, quippe, qui tempestatem nobis, & saluti nostræ tradidisti. Et mundus eos odio habuit. Quid ita vero odio habuit? quia non sunt, inquit, de mundo. Iam enim deseruerunt, iam repudiauerunt mundum, & idcirco odio sunt apud illum, quem ipsi contempserunt. Atque de mundo non sunt? nónne & in mundo, & de mundo erant vnà? ex ea enimuero, sed vt me consequerentur, à mundo sunt diuisi, atque abstracti. Quia & ego, inquit, non sum de mundo, de mundo non sunt, sicut & ego non sum de mundo. Quid autem quam hoc tantum est, non esse de mundo? & esse in hoc similem tui, quia aliter, inquit, vere sancti esse non possunt. Sanctificet eos Pater in veritate. quæ est ista veritas? Sermo tuus, inquit, veritas est. Quid iste sermo, quid, inquam, est? vt abnegetur mundus, & solus expetatur Deus, quandoquidem vtrique simul deditus non possumus. Iste sermo si in seipso spectetur, & in naturæ suæ veritate pendatur, Deus ipse est, qui in CHRISTO fuit condomine coniunctus, si in nobis vera est iustitia, & sanctitas, & ita in nos per Christum IESVM ab eodem Deo infusa, atque adiecta, in quo fidei CHRISTI diuinum planè mysterium continetur. Atque hic idem sermo, primò vt ex ore Dei egressus, & prolatus est, à Deo in mundum fuit missus, qui fuit CHRISTVS. Deinde per nos à CHRISTO in eundem mundum propagatur, vt prædicantes omnibus diuinam veritatem & tanquam palmites in

vite

fructum vberem ferentes, quàm plurimos in vnum quasi corpus coagmentemus, quod vno capite CHRISTO, pluribus infinitum membris huius totum sermonis veritate, tanquam humanitatis spiritu animetur, ac regatur. Sed ego nimium longe progredior, teq; ab instituta interpretatione impedio, sed ignoscis mi frater, ego enim nocturnas meas cogitationes ardore quodam erga Deum incitatus, quin exponerem tibi, continere sane me non potui. FECISTI planè bene, mi charissime frater, qui hesternis disputationibus nostris, extremam manum imposuisti, remque ita expolisti, vt sic demum fore perspicuum omnibus omnib. nosse ista volentibus, fidem in Deum illam, quæ in Deo sola sit, & quæ vna hominibus veram tradat iustitiam, communemque iustitiæ adiungat immortalitatem, nisi in CHRISTO per CHRISTVM nequaquam haberi posse. Quapropter hoc insigni & primario fidei mysterio, DEO nobis reserante, iam indicato atque monstrato, ad reliqua in ipso Paulo examinanda accedamus. Quod vt ordine instituto melius fiat, lege tu in Codice quod scriptum est.

Propter hoc, sicut per vnum hominem peccatum in mundum intrauit, & per peccatum mors, & sic in omnes homines mors commeauit, in quo omnes peccauerunt, vsque enim ad legem peccatum erat in mundo, peccatum autem non imputatur cum non est lex. Verum regnauit mors ab Adam vsque ad Moysen etiam in eos, qui non peccassent, in similitudinem præuaricationis Adam, qui est forma futuri.

CVM VERA dixisset Apostolus, de quo heri satis fuit disputatum, nos in CHRISTI morte, & sanguine Deo patri fuisse reconciliatos, & quod, si ille hoc pro nobis, cum adhuc essemus inimici, egerat tamē, & perpessus fuerat, vt filium in mortem pater pro nobis traderet, filius mortem eam ipsam libente animo suscipere: multo nunc magis amicis iam factis vitā illam, quam ipse recuperasset à mortuis excitatus, immortalemque iam possideret, CHRISTVM nobis daturum esse, & communicaturum, ne Iudæus possit mirari, & forsitan hæsitare, quid nobis cum CHRISTI morte, & surrectione sit, aut quo illa pacto pertineant ad nos: Eodem, inquit, quo peccatum, & mors Adæ in nos, hoc est, in omne hominū genus fusa est, & propagata. Sicut enim in peccato Adæ proprio, & voluntario, illiusq; morte nos illa nostra peculiari culpa, similitudine tantum illius præuaricationis, comprehensi sumus, vt & peccatores simus pariter, & mutiamur: sic in CHRISTI morte, & surrectione nos nulla nostra propria virtute, & iusti coram Deo effecti sumus, & vitam

nouæ huius iustitiæ comitem accepimus, purgati enim à peccatis, atque illis mortui in similitudine mortis CHRISTI, & in similitudine eiusdem exurrectionis ad iustitiam restituti, vitam eandem iure, quam ipse habet, consequimur. Quemadmodum enim in Adam, qui typus fuit, & forma humanæ speciei nouæ, quæ ex eo erat oritura, impressio peccati, & mortis iniusta eodem exemplo peruasit in nos, & in totũ posterum genus permanauit, vt quod ab illo iudicio, & voluntate patratum fuit, id nobis postea, quatenus ex illo progeniti sumus etiam nil tale cogitantibus, naturale sit factum, quòd à principio, & capite generis nostri dissimiles esse non possumus, sic in CHRISTO, qui propter consequentium, cum hominum mors pro aliorum peccatis suscepta, vitaque mox recepta, & peccatum interemit in his omnibus, qui è Deo geniti sunt, hoc est, spirituali generatione procreati, & iustitiam eisdem, vitamque insinuauit. Ac sicut propter Adam, non nostram nos, sed illius mortem morimur, hanc communem videlicet, quæ in nobis naturæ est, in illo sunt culpæ, ex qua deinde culpa extitit, & facta est moriendi natura, sic propter CHRISTVM à mortuis excitatum non nostram viuimus, sed CHRISTI ipsius vitam, illam iustitiæ scilicet, quod propriæ illa vita CHRISTI, facta est fidelibus cunctis communis. Mortuus enim nobis est CHRISTVS, vt nos illi viuamus ita enim ad Corinthios, Si vnus pro omnibus mortuus fuit, ergo omnes fuere mortui. Et pro omnibus mortuus fuit, vt qui viuunt, non amplius sibi ipsi viuant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est, & surrexit. In CHRISTO autem mors, vt non peccatum ipsius proprium, sed nostrum secuta est, ita ista vita recta, atque sancta nobis per eum tradita, non propriæ nostræ, sed diuinæ in nobis per fidem iustitiæ est comes. Quod alibi Paulus innuit, sic inquiens, Omnia duco esse quisquilias, dum CHRISTVM lucrifaciam, & reperiar in eo, non habens meam iustitiam ex lege, sed eam, quæ per fidem est CHRISTI quæ ex Deo est, iustitiam super fide. Exemplum itaque & vis ex forma mortis, & surrectionis IESV Christi similitudine eadem in nos transmissa est, fuit peccatum, & mors per similitudinem præuaricationis Adæ in nos fuit deriuata. Sed sermo Apostoli mancus esse existimatur hoc loco ab ijs, qui parum attendunt hoc exemplum Adæ eo ideo præmitti, vt deinde sequatur in CHRISTO, quasi pro pari facta relatio (Nam id Paulus, aut nequaquam post, aut longo interuallo facit) sed sequi proximè dicta, & cum illis comparari. Sic enim CHRISTVS sanguine, & morte sua Deo nos reconciliauit, & per reconciliationem vitam etiam suam nobis dilargitus est, quemadmodum Adam peccato suo à Deo nos distraxit, & per peccatum mortis effecit participes. Itaque ista

deo

de verba, propter hoc, superioribus verbis magis adnectendum sunt, vt ita legatur, Sed etiam gloriantes in Deo per IESVM Christum Dominum nostrum, per quem reconciliationem accepimus, propter hoc, id est, quia pro nobis & suscepit mortem, & reuerit, vt non solùm quis Deo nos reconciliauerit, sed qua tam ratione, & quo pacto id egerit, à Paulo sit expositum, & vt amplo id confirmet. Quemadmodum, inquit, per vnum hominem peccatum, hoc est, simultas, & dissensio cum Deo, & per peccatum mors in hominum genus est transuecta. Sed tu fortassis, & de peccato, vt nostri appellant, originali, & de eius morbique propagatione in posteritatem aliquid hoc loco audire vis. IMMO, inquit, & id quoque præterea, quomodo illam in patre primo generis nostri labem reparauerit, CHRISTVS, cum nihilo post eum minùs quàm antea, & moriamur, & à peccando nequeamus esse immunes. FACIENDVM est, inquam, vt tu vis mi frater, & quoniam horum verborum in Paulo difficilis est explanatio, cùm auxilium ex Deo postulandum nobis est, tam tota res altiùs aliquantò repetenda. ID QVIDEM nobis eum commodius fuerit, inquit, etenim quid aliud omnino quærimus, quàm intelligere? BENE SANE: Verum videamus, quid ait scriptura, quæ Deum formasse hominem asserit è terra, gleba accepta, & inspirasse in eum flatum vitæ hortamque mox constituisse in Eden ad Orientem, in quo hominem locauerit, quem finxisset, eduxisse quoque è terra in illo horto arborem omnem aspectu pulchram, gustatu iucundam. Porrò horti in medio duas vel imprimis nobiles produxisse arbores, arborem vitæ, cuius pomorum esus à senectute, morteque offenderet, & arborem cognitionis boni & mali. Cùm ergo posuisset hominem Deus in hoc ipso horto, vt coleret eum & custodiret, ita illi omnia fruenda in eo, possidendaque permisit, vt solam interdiceret arborem noscendi boni & mali, de cæteris inquiens pomis, & nucibus cunctarum arborum vestro arbitratu comedetis, ex arbore notionis boni, & mali, fructum nullum edendi causa attingetis, qua enim die cunque comederitis, morte moriemini. Hoc Dei præceptum quorsum accipiendum sit, difficilis est consideratio. Nam nec inuidisse homini Deus tam præclaram cognitionem, vt illa boni, malique est, illo modo est existimandus, & quomodo ex illa cognitione mors sequatur, item est admirandum. Sed nos contentionibus omissis, breuiter quod sentimus, exponere conabimur. Igitur bonum duplex: Vnum est summum illud, & primum, quod Deus est, cui nullum omnino malum est contrarium, siquidem ei, quod summè est, nihil è regione omnino est, quod aduersum respondeat. Alterum est bonum, cui contrarium

opponitur, ex aduerso malum. In primo illo bono, vt omnis mali experte, vita tantummodò est. In hoc altero autem bono, quod nunquam solum, neque syncerum, sed, vt sunt humana, mixtum contrario malo semper est, & vita, & mors similiter est contraria. Cùm ergo prohibebat hominem Deus, ab esu illius pomi, ne quis boni, & mali cognitio insita erat, consulebat illius saluti, non enim eum nolebat, verùm ita attemperabat voluntatem suam, vt hominem tamen, quem liberum fecerat, præcepto assultate nollet alligare. Boni itaque illius malique cognitio ne tarretur, demonstrata homini est à Deo, vt ne in mali huius, & mortis plagas constringeretur, cui beatior multò fruitio ejus boni noscendi & possidendi propositus esset, cuius gustus, & suauitatem nulla ex contrario malè amaritudo in vita, aut mortis timor posset præterrumpere. In quo bono animum, qui Deus summus est, si se homo ingere, & collocare cupisset, inuiolatam malis vitam, eamque immortalem fuerat adepturus. Quoniam autem dimisso principe bono, alterum alienum boni potiùs est consectatus, quod malum in se admixtum contineret, non mirum est, si in ea vita, quam magis appetunt, mortem etiam contraxit, quæ vitæ illi necessariò inerat annexa. Sed scrupulus rursus & dubitatio. si enim huiusce boni, malique cognitio, effectrix est mortalitatis, quî potest illa esse in beatis? tamen Deus in scriptura sic loquatur, Ecce Adam factus est quam vnus è nobis, noscens bonum, & malum, quem locutionem monem, qui per ironiam esse prolatum volunt, ita ait ipsum Dei maiestati, sed etiam scripturæ sanctæ grauiter, simmæque authoritati detrahere videntur. Non enim ita protulit, quod secutum est, vt prouideretur, ne lignum vitæ ederet, & viueret in æternum, quo Dei decreto Adam præcipi paradiso exturbatus est. Nos autem dicamus hujusmodi boni, & mali diuersam in Deo ac nobis esse cognitionem. Deus enim a principio & tanquam à causa ad cognoscendum aliud decernit totaque mentis, & intelligentiæ in Deo est cogitio, nos verò à sensu, ab vsu, à contactu, ab experiundo, discernendoque ad eandem nixi intelligentiam ascendimus. Porrò autem non intelligitur quod intelligitur, sed in eo, quod sentitur bonum, hoc & malum mortis causam affert. Itaque ab ipso Deo non intelligitur oculis hominis, qui & ipsi vim suam cognoscendi habent, non quam non principem illam, neque præcipuam, quæ est mentis rationis propria, sed palato prohibitum, & gustatui fuit. Animum iam erat bonum, malumque in nos ipsos accersere, atque insinuare si pomum comederetur. Hoc igitur bonum, quod ipse hibebat homini Deus in pomi esu, mortemque pœnam peccanti proponebat, mundus iste est, & mundana hæc vita, quæ

illecta, inductaque voluptatibus veram adulterantibus spe-
ciem boni, vbi à vero & summo bono nos abstraxerit, in mœsti-
tiam & solicitudines nos mergit, & in ipsam comitem mœroris
quoque rapit mortem. quod totum nobis accidit, quia mundi
amores effecti ab ipso Dei summi amore nos disiunximus. Hoc
autem secutus Adam, qui primò à Deo, tanquam in confinio
cuiusque bonorum constitutus, & simplicis illius, atq; sum-
mi, & huius cum malo, & cum calamitate mixti, vt vtrum vellet,
sibi deligeret, vbi se ad Euam, hoc est ad carnem suam, & ad
mundanum bonum inflexit, dimisso diuino, hancque naturæ suæ
ordinem conditionem esse voluit, vt mundi amator esset homo, &
peccatum ipse commisit, mortemque contraxit, & nos ex se pro-
genitos in eandem mortis, atque peccati induxit labem. Est e-
nim in nobis etiam reluctantibus, & inuitis ingeneratus profe-
ctò ille mundi amor, & dulcedo quædam mortalis vitæ, a Deo
nos distrahens, & boni illius fructum nobis diripiens, quod non
solum modò, verùm etiam solum bonum est. Atque hoc est
peccatum originis mi frater, quod in natura nostra tantum labis
induxit, quod si attentiùs considerare velimus, quomodo & sus-
cepimus à primo patre Adam, & in nos natura transfusum sit,
mortemque acciuerit in humano genere, facilè id possumus in-
telligentia percipere, ab hoc enim improbo, & Deo infenso
mundi in nobis amore cum contumacia illa nascitur, quæ nos
Dei imperio, & voluntati facit repugnantes, tum cupiditatum
etiam in nobis, & amentium appetitionum, morborumque ani-
mi, & perturbationum omnium turba exoritur, quæ tanquam
rebellis familia, dominam suam oppugnat rationem, nullamque
es parum temporis neque diurni, neque nocturni puram, & va-
cuam à molestia relinquit, quod quidem homini iure euenit,
quando ordine turbato si nos Dei imperio minus audientes su-
mus, nec animum ipsi nostrum in potestate habere debeamus.
Natura igitur nobis iam agnatum est, quod in parente nostro
fuit voluntarium, vt & amemus mundum, & idcircò moriamur,
præclaraque hæc hæreditas mortis, atque peccati ab illo paren-
te nobis tradita est, quam necessariò sequitur à summo bono a-
lienatio, vt quia Deum non toto corde diligimus, omnes filij iræ
in natura producamur, repulsi ab oris regionibusque cœlestibus,
& terræ damnatis partibus potiùs addicti. Carnis enim & con-
cupiscentiæ sectam, imperiumque sequentes, quæ ad terram
ut, & ad terrena bona deripit, spemque in illis omnem, & fru-
ctum vitæ constituentes, dominum nobis mundum posthabito
Deo facimus, & adoptamus. Ob quod videamus, quid dicat scri-
ptura factum fuisse Adæ: Et emisit eum, inquit, Dominus ex pa-
radiso voluptatis ad colendam terram, ex qua fuerat sumptus, &

eiecit Adam, & collocauit eum è regione paradisi delitiarum. Vidésne mi frater totius humanæ vitæ formam, antequam Christus venisset ad nos, in his scripturæ verbis expressam esse, ea quibus intelligimus peccatum in nobis, quod hausimus ex Adam, atq; accepimus, hoc ipsum esse, quod ad propiora hæc nobis, & præsentiora terræ bona delabentes, dominum mundum sequimur, Deum verum relinquimus: Deus porrò ipse zelotes est, neq; patitur deos alios præferri sibi, & anteponi. Ita enim in quod Israël: Non curuabis te ante sculptile, neq; id coles, quia ego Dominus Deus tuus, Dominus zelotes visitans iniquitatem patrum in filios. Atqui sanè qui mundum colunt, non sese curuant, sed taxat ante illum, sed totos se in illum prosternunt, atq; abijciunt, vt nullius sculptilis cultus, quàm hic mundi amor, & seruum animi, quà terrenis bonis sumus adstricti, Deo infensior atq; inimicior esse possit. ATTENDO, inquit, & simul intelligere iam incipio, quid attulerit nobis Christus, & quemadmodum is commune damnum humani generis aduentu suo correxerit, qui certè auocauit nos à mundo, & ad Deum verum conuertit, docuitq; nos illo admirabili, vereq; diuino vitæ suæ cursu, vt rationes vitæ nostras non in hoc mundo, neq; in fluxis illius, & fugacibus bonis, sed in Deo & sempiterno bono omnes poneremus. Quam etiam deliberationem vitæ agendæ in baptismo profitemur. Verùm mi frater scire ex te optarim, priusquam ad vlterius gratiamur, quæ fuerit futura in Adam immortalitas, si peccatum ille non admisisset, & quo pacto in nobis mors ex peccato se producta. CVM FECISSET, inquam, hominem primum Deus, sic illum compactum esse voluit ex mente, & corpore, hoc est, ex immortali, & ex mortali parte, vt pars tamen inferior superiori fuerit adhæsura, si in ipso fonte vitæ Deo mens primo ipsa hærere voluisset: aspectus enim ipse ad Deum, mentisque conuersio prorsus illi subiecta, & dedita, nequaquam vllam in partem sese commouens, spiritum inde illum vitæ assiduè excipiebat, à quo primo facta fuerat in animam viuentem, eumque ipsa spiritum, deinde in omne corpus rectis ordinibus transmittebat, quod totum è rationis Deo inhærentis arbitrio dependens, nullis ipsum suis agitationibus turbatum, neque cum mente discordem eodem illo Dei flatu implebatur, seseque cum mente, & cum Deo vno nexu continebat, vt aditum nullum sibi mors, neque ianuam ad conuellendum illam consensionem posset inuenire: pòst verò mente, & ratione, per gustatum vetitæ arboris à Deo diuulsa, & in transuersas detorta partes, cũ obstructis aut declinatis meatib. illis, qui recti antea, & inter se congruentes ipsius Dei, & vitã in totum hominem influebant, mens primũ ipsa, quam

cum suapte natura immortalis, meliorem tamen in se diuinæ
[illegible], quam naturæ suæ vitam amisisset, corpus quoque, quod
[illegible] fragile, & pronum in terram esset, neq; amplius medio
[illegible] cursu, vitam è Deo haurire, vt antea posset, morti con-
[illegible] necesse habuit, quandoquidem nec stare ipsum valeret per
[illegible] neque ipsius diutius in vita sustinendi vllam amplius haberet
[illegible] potestatem. Ita omnibus in homine partibus dissipatis, at-
[illegible] conuulsis, secumque, & cum Deo discordibus effectis patefa-
[illegible] morti via est, omnesque sub illius potestatem postea successe-
[illegible] duarum quidem arborum illarum, quas in paradisi medio
[illegible] Deo productas legimus, altera fructus suos iam extulit cogni-
[illegible] boni, malique videlicet, quæ est à nobis carè admodum,
[illegible] infeliciter miseria primum totius vitæ, deinde ad extre-
[illegible] ipsa morte comparata, alterius verò poma arboris nul-
[illegible] non ad finem à DEO producta sunt, quæ sunt vitæ ef-
[illegible], & immortalitatis. Nihil enim frustra, nonque ad cer-
[illegible] vnquam agit Deus. Sed quoniam ita cecidit, vt seculum
[illegible] ista antecedens primi parentis vitio hominum auersio à
[illegible] Deo, & ad mundum, terramque conuersio arborem il-
[illegible] & præuaricationis anteferret, altera arbor, quæ sit
[illegible] immortalitatis nobis restitutrix filio ipsius Dei, qui nos erat à
[illegible] ad Deum reuocaturus, futuroque illi seculo, in quo non
[illegible] carnales sed spirituales victuri sumus, fuit profecto re-
[illegible], cuius vim, & admirabilem potestatem crux CHRISTI
[illegible] in sememetipsam suscepit. Ea enim vitæ vera arbos est,
[illegible] culturæ cœlestis illinc huc traducta, quæ filium Dei
[illegible] vitæ & immortalitatis sublatum alte mundo exhi-
[illegible] exportata fuit è Hierusalem eius ipsius humeris, quem
[illegible] erat, quò planum fieret cunctis ista animaduertenti-
[illegible] redemptionem humani generis non in vna Iudæorum na-
[illegible] conclusam, sed cuncto orbi terrarum à Deo communica-
[illegible] & expositam esse, quam crucem cum esset illa teterrimum
[illegible] omnibus, turpissimumque supplicium, idcirco CHRISTVS
[illegible], vt suum diuinum mysterium penitus cõpleret, quo mun-
[illegible] omnia, asperaq; elegit, vt alta illius expetitaq; proster-
[illegible], ne ad cœlum Deumque ascendere nitentibus ea forent im-
[illegible], cunctosque commonefaceret & doceret non ample-
[illegible] mundi suauitatibus, & præmijs, sed vno Deo amando at-
[illegible] expetendo ad honorem nos immortalitatis, & ad vera vi-
[illegible] peruenire oportere. Verum vt redeamus ad conditio-
[illegible] humanæ vitæ, quam nobis primi parentis nostri culpa con-
[illegible], eiecto, atq; exturbato ex pacato illo loco in exteriorẽ ter-
[illegible] homine, proposuit illi Deus labores, & sudores, vitamq; vt a-
[illegible] difficilem, ac ęrumnosam, mortique demum cederet, natu-

ræ lege

ræ lege sanxit. Igitur ille miser gratia Dei pristina, arctaque amicitia spoliatus, atque orbatus, secum ipse semper discors, agitatusque metu assiduo mortis, & vitam trahens difficilem, atque duram, mox in ipsa quoque morte angelorum ferè illorum præda efficiebatur, qui grauiore errato, asperiore contumacia in ipsis suæ creationis primordijs Deo rebelles esse destiterunt, tum Deum subijt misericordia, & cogitatio eiusmodi. Liceat enim nobis, qui inter homines loquimur, & loquendo tempora producimus, de illis diuinis sine mora, & tempore consilijs humano modo loqui, in illa, inquam, æterna & incommutabilitate sic misericordia locuta est. Hoccine est Deus opus tuũ illud [illegible] quod vt dignitate cæteris præcelleret, manibus ipse tuis [illegible] effecisti? quod ad imaginem tuam confinxisti? quod [illegible] mundo, & animantibus reliquis tanto cam honore præfectum voluisti? quò te cogitabas hæc cœli spatia, & has mentium [illegible] beatarum, frequentiores etiam, ornatioresque redditurum, & in eorum loco, qui scelere suo inexpiabili cecidissent, incolas cœli homines te facturum, in quibus animum immortalem cum mortali corpore coniunxeras non vt deterior pars meliorem obtineret, sed vt deteriori melior de sua nobilitate impertiret, quæ nunc conuersa ratio, & tota commutata est. Iacet princeps corporis naturæ homo à tua facie repulsus in vmbra mortis, squalens, sordensque, tantum iam natus ad mœrores, atque ad [illegible], ne finem quidem miseriarum in ipsa sibi morte reperiens, qui hoc dignior & nobilior videtur fuisse factus, vt calamitatis [illegible], turpiusque concideret. Læsit ille te, violauit, offendit, fateor, sed tamen semetipsum grauius, nec cuiquam, quam sibi [illegible] fuit, vt certe immensam tuam bonitatem illius hæc culpa nõ debeat superare. Quòd si ego è tua mente non penitus excidi, si pristinus mihi apud te manet locus, si meæ tibi semper acceptæ, & nunquam ingratæ acciderunt preces, miserere ò pater æterne operis tui, & reduc illud in gratiam tuam, tuumque primum vetus & potentius sit consilium, quàm hominis error, qui ea, quæ tuæ [illegible] ad salutem attribueras, conuertit sibi ad perniciem. Quòd si hæc ratio & miseri, atque afflicti hominis nõ moueat misericordia, etiam ne impium illud genus perditorum angelorum, quod tibi è regione infestum semper & aduersarium est, hac tam opulenta præda, & triumpho deuicti, ac capti generis nobilissimæ donaturus? Hac oratione commotus Deus iam peccati, & [illegible] immemor, respexit ad sese, & ad bonitatem suam, sapientiaque tibi sua in consilio adhibita, damnum quod primi hominis [illegible] cuncto generi humano fuerat illatum, reparare constituit. [illegible] ILLE quidem mi frater, Iulius inquit: quippe qui non ex misericordia minor sit, quàm ex infinita virtute, & potestate sua. [illegible]

[illegible]modi reparationem, inquam, multa fuerunt opus. Nam [illegible]semel a Deo, quod statutum est, nunquam postea possit, de[illegible] rescindi, non alterius potuit sapientiæ esse, quam diuinæ [illegible]gere cursus rerum, ordinesque actionum, vt in restituen[illegible] reuocando ea, quæ conuulsa, collapsaque procumbebat, [illegible]fieret tumultus, nulla confusio, nulla conflictatio earum [illegible], quæ simul stare, conuenireque non possent: sed Dei consi[illegible] solorum & liquidum, non impeditum, neque anceps ad si[illegible] pertenderet. Itaque cum duplicem homo mortem con[illegible], & illam corporis comitem iam naturæ humanæ decre[illegible], atque adiunctam, & duriorem, atque infeliciorem alteram [illegible] coniunctione & gratia summi Dei errore voluntario idem [illegible] cecidisset, ei in vtroq; opitulari constituit Deus, vt & mē[illegible] hominis ad amorem sui, studiumque retraheret, & corpus [illegible], ac vestiret immortalitate. Sed hoc posterius, in quo nul[illegible] partes sunt, totumque est Dei potestas & deliberatio, [illegible] Deo institutum, atque ordinatum, vt optime, ac congru[illegible] institui potuit. Est enim corporum immortalitas in id [illegible]iecta, quo lege expleta omnibus moriendi, quam semel [illegible] rescindere non fuit fas, omnibus quoque vnà nouā [illegible] corsurgendi facultas concederetur, vel excitarentur [illegible] omnes ad immortalitatem, non ex sua voluntate, sed ex [illegible] diuina, qui si vt mortem oppetijssent singuli, statim in [illegible] restituti fuissent, clamor, & concursatio & strepitus abeun[illegible] multorum, aliorumque redeuntium, tum autem mœror in [illegible] adhuc viuerent, in illis, qui iam reuixissent, exultatio & ob [illegible] deinde impunitatem maior ad explendum oblatas cu[illegible] alacritas, Deique tuta contemptio omnia in orbe ter[illegible] confusione, & discordia, & insolitis motibus perturbas[illegible] sancte ac seuere, summoque diuinę sapientię consilio [illegible], atque id extremum & vltimum tempus cunctorum ex[illegible] ad immortalitatem est reseruata. In altera vero parte vt ad [illegible] Dei homo reduceretur, mundumque præ eo contemne[illegible] persuaderetur, quoniam in ea non solius Dei partes sunt, sed [illegible] virtutem, & potestatem necessaria etiam est nostræ vo[illegible] consensio, quæ ab ipso nobis Deo libera est attributa, [illegible] plus negocij ad prouidendum, & laboris fuit. Non enim [illegible] suasionibus, & monitis in eam voluntatem homo addu[illegible] fuit, vt repudiato domino mundo, totum se Deo dederet, [illegible] dicaret, sed & exemplis instruendus, & terroribus adigen[illegible] & præmijs, atque honoribus fuit inuitandus, quod quidem [illegible] in libera natura, atque ingenua plus habere virium, [illegible] debuit. Itaque huc potissimum incubuit diuina sa[illegible], cumque cunctorum præmiorum, quæ sensus moueant,

præci-

præcipua videatur esse immortalitas, quæ sit cum beata vita semper cohærens, atque coniuncta, huius maxime spe atque expectatione consequendæ fulciri hominem, & corroborari oportuit, ne illecebris mundi delinitus, quæ languorem, & effœminationem semper afferunt, ab illa intentione animi deficeret, quæ esset conuersa, & directa ad vnum Deum. Igitur de principio Deus cum ipse per se à mundi initio vsque ad Moysen aliquot sibi homines delegisset, quos sponte sua, vt cæteros ad cupiditatem mundi prolabentes, in sui tamen studio, & amore retineret, lege post per Moysen promulgata & lata, propterea per interualla temporum misit, qui salutari fungentes legatione ad hominum genus perferrent hanc DEI erga ipsos plenam clementiæ, & benignitatis voluntatem, qui tamen cum homines & ipsi essent, sæpeque in his offenderent, à quibus alios, vt caterent, admonebant, nec verbi diuini vim, quam mortalis infirmitas non sustinebat, pleno documento hominibus enuntiarent, filius est Dei ad nos postremo missus, cuius facta verbis cum potiora etiam essent, cum nulla præcepti vis tam absoluta esse possit, vt eam non ille vita æquaret, atque expleret, facile est intellectum non eum nuncium duntaxat præcepti, verbique paterni, sed verbum ipsummet, & præceptum patris fuisse. Quæ de re satis à nobis heri fuit dictum. Verum is in mundi mali constitutus, & ad eam rem natus, atque factus, vt illa non doctrina cœlesti erudiret, mundi bona, malaque in neutrum partem nobis æstimanda, sed tantum in Deo spes ponendas esse, non solum ipse mouendo, agendoque id nos docuit, verum etiam exemplo certo, atque præclaro in semetipso nobis ostendit, qua ea eam vitam, quam nobis agendam proponebat, apud Deum præmia, atque ornamenta sequerentur. Surrexit itaque in nouam vitam, & corpore immortali iam, atque impatibili effecto, in cœlum palàm ascendit, regnumque sempiternum apud patrem est adeptus, aditu eodem nobis patefacto, vt si sequi illius vestigia velimus, ad eandem & regni, & immortalitatis gloriam valeamus prouehi. DIGNVM HOC mi frater, Iulius inquit, ille diuina bonitate consilium, plenaque sapientiæ, & humanitatis deliberatio. Et quidem fuit æquum, vt primum consilium Dei, quo ille erat ab initio hominem, vt is in perpetuum permaneret, fabricatus, cum de his, quæ esse possunt, quod melius semper velit Deus, æquum inquam fuit, vt pristinum illud Dei consilium, errori, & peccato hominis præcelleret, hominique per clementiam, & benignitatem id redderet, quo sua ille culpa fuerat priuatus. ATQVI INQVAM Iuli, si oportuit CHRISTVM Dei filium hoc ita facere, vt exurrectionem corporum futuram, ipse à mortuis primus exurgens in semetipso cæteris ostenderet,

eidem vtique necesse fuit prius etiam mori. AD MODVM in-
quit QVID, nónne hoc oportuit fieri reuera, non imagine, &
in lacto, quandoquidem nequaquam est diuinæ veritatis præ-
tijs vti, neque velle quenquam in errorem inducere? OPOR-
TVIT PLANE. NVNC adhibe animum huc quæso, & rationem
eam considera. Electus est, qui suscitationem corporum homi-
nibus in suo corpore ostenderet, eosque illa spe, & expectatione
tam præmij ad Dominum Deum conuerteret, qui si ipse fuit sus-
tinendus, mori etiam antequam suscitaretur debuit, & quidem
ante mortem vitam aliquam degere. Nũc tu totum cursum hunc
vitæ, mortis, surrectionisque IESV CHRISTI itáne expendis, & ęsti-
mas, vt in eo tantum spectata sit exurrectio, mors vero ipsa Chri-
sti & vita appendices duntaxat fuerint, nec aliquid ipsę per se v-
tilitatis & commodi humano generi ad cognoscendum Deum
colendumque attulerint? QVIS HOC impius sic fateatur, in-
quiescem vita, & mors CHRISTI tanto excellentiorem, quam cor-
poris exurrectio nobis ostenderit vitam, quanto beatius est fide,
ac pietate hærere in summo Deo, quàm ipso corpore immorta-
lem viuere. Nanque & hanc corporeæ vitæ perpetuitatem, si à
Deo auisa, alienaque sit, misetrimam dicere non sum dubitatu-
rus. RECTE TV quidem mi frater, inquam, etenim hac profe-
ctio magnitudine, & infinitate sapientiæ est Deus, vt cum quid a-
gere constituit, non extrema tantum consiliorum suorum, sed
& principia, & media diuinis velit referta esse mysteriis. Sed iam
corporemus, quid ad reparandum Adæ detrimentum retulerit
nobis Christus. Hoc enim opinor primo abs te fuisse quæsitum.
Primum dico, quòd præstantissimam omnium vitam nobis re-
tulit eam mentis, animæque videlicet, quam solam veram dicere
non dubitamus, cum sumus in gratia, & amicitia cum Deo, quæ
tota nobis per Adam fuerat amissa. Deinde quòd immortalita-
tem corporum restituit, quanquam hanc quidem distulit in suũ
tempus optimis rationibus adductus. Sed eam certe in se ipse
iam patefecit, planeque ostendit nobis non defuturam. Verum
quæ illis duntaxat, qui cum pietate, & fide ad Deum se contulis-
sent, iucunda, atque optabilis, cæteris misera, atq; ærumnosa esset
adiuturura. Nam quod solet quæri vtrum CHRISTI fides nobis
originale peccatum abstulerit, abstulit nimirum ex ea parte,
quatenus dissidebamus cum Deo, Deumque nobis alium & domi-
num mundum constituebamus, quod erat tamen in nobis omni-
um malorum maximum. Carnis quidem repugnantiam, & dissi-
dium cupiditatis cum ratione, menteque reliquit, non vt ea nos
obiueret, in terramq; deprimeret, quod ante aduentum CHRISTI
fuerat, sed vt vim in nobis virtutis, tolerantiæque acueret,
propriumq; nostrum coram Deo, & laudem ex victoria nobis red-

deret

deret insigniorem. Verum his iam enodatis, vt ego arbitror, & ad
clariorem intelligentiam adductis redeundum nobis est ad Apo-
stoli verba, nisi tu forte aliud mauis. Hoc IPSVM, inquit, nam nos
hi abs te de omnibus satis est factum. CVM APOSTOLVS, inquam,
ex morte, & exurrectione IESV CHRISTI conciliationem ad
nos cum Deo, & salutem, ac vitam diceret esse transfusam, ac
nequis in modo, ac ratione dicti dubitaret, subiecisset statim ex-
emplum Adæ, qui & ipse potuisset à se peccatum & mortem in
posteros transfundere, in hoc ipso Adæ errato aliquantum in-
moratur, vt melius demonstrata communi calamitate genus
nostri, quantum Deo per CHRISTVM gratiæ debeamus, fre-
dius etiam intelligamus. Quemadmodum, inquit, per vnum ho-
minem peccatum in mundum ingressum est, & per peccatum mors
& sic in omnes homines mors peruasit, in quo omnes peccaue-
runt, in vno illo homine videlicet. In Adam enim generis caput
omnes peccauerunt, cum peccauit ille, propriumq; & volunt[illegible]
peccatum suum nobis commune & naturale reliquit. Quod & ali-
bi Paulus, Quemadmodum in Adam, inquit, omnes moriuntur,
ita in CHRISTO omnes viuificabuntur. Quòd sim vnus ille ge-
neris parente omnes peccauerunt, similes illi deinceps nati, atq;
producti, peccati autem naturæ semper natura mortis [illegible]
est, sicut in Adam peccauere omnes, ita & in Adam omnes mori-
untur, eadem enim ratione, qua similes illi in peccato sunt pro-
ducti, similes etiam in morte obeunda sumus. Vsque enim ad le-
gem, inquit, peccatum erat in mundo, peccatum autem non im-
putatur, cum non est lex. At quænam ista lex? nec dubium si dic-
tius est, quin de Moysis lege sentiat, licet à doctissimis aliter sit
interpretatum. Nam si de lege naturæ intelligat, quonam modo
quæso exprobrat illa hominibus peccatum, & pœnam peccati in-
rogat, quæ vno ordine omnes ad pœnam, & ad mortem vocat tam
innocentes, quàm noxios? Deinde quando ista naturæ lex non
fuit, quam ante in mundo cum esset, nihilominus peccatum post
aduentum eius primo cœpit exprobrari, cum antea non expro-
braretur? In pueris aiunt, quibus antequam lex rationis adsit, nec
peccata vitio non attribuuntur: Ergo in mundo Apostolus in
pueris voluit intelligi? quod nequaquam consonat. Nos vero pa-
tius intelligamus, & ante, & post Moysis legem peccatum qui-
dem fuisse in mundo, verum ante legem incognitum fuisse, ideo-
que nec exprobratum vera illa exprobratione scilicet, qua peccatum
est, in quo intelligitur Dei esse offensio, qui peccatum vel-
lectus per legem primum est cognitus. Ideoque Apostolus, per le-
gem, inquit, est cognitio peccati. At enim fuit diu ante à Deo &
Cain, & Sodomæ, & in diluuio omnibus exprobratum peccatum,
ed nos de hominum iudicio, & existimatione loquimur. Nam si

minus Deum comprehendere, cum sit per legem cognitio pec-
cati sine lege Deus vel Moysis, vel naturæ notionem peccati nul-
lam habuisset, non exprobrabatur igitur peccatũ cuiquam ante
legem, quia nec sub vera peccati ratione cognoscebatur, neq; ta-
men ita anguste hoc interpretandum est, vt nemo vnquam ante
legem aut suum, aut alterius peccatum intellexerit, potuerunt e-
nim multi cognoscere, ex illis præcipue antiquioribus, qui
proprius ab origine, & creatione diuina cum abessent, eiusdem
nominis Dei & legis vim, & peccati nosse potuerunt: sed quod
in maxima multo parte neque hominum modo, verum etiam
temporum vsu venerat vt peccatum ignoraretur, id pro commu-
ni sumpsit Apostolus, qui etiam caute admodum locutus est,
cum dixit, non imputatur: non autem dixit, quod nemo illud im-
putat. Quòd si occurratur ante Moysis legem etiam alias alia-
rum extitisse gentium leges, quæ peccata hominibus exprobra-
rent, eaque plecterent, iam dictum est solum id esse peccatum, in
quo sit offensio omnipotentis Dei, quod ante Moysis legem i-
gnoratum mundo fuit, in quo quidem genere vno peccati sic in-
telligendo & hic, & vbique insistit Apostolus: Ante legem ergo
quod erat in mundo nihilominus peccatum, post legem demum
cœpit obiectari, nanq; & ante legem ab Adam vsque ad Moysem
mors regnauit, quod videtur eo sensu dictum quasi ex stipendio
peccati, quod est mors, ostendere velit peccatum in primo illo
homine ab omnibus hominibus admissum vnà & patratum fuisse
quippe cum omnibus item mors obeunda sit, vt ab illo fuit obita,
in quo firmissimum sibi è lege aduocat argumentum. Etenim si
lex inquit, quæ est à Deo omnia intelligẽte tradita, peccata quę-
dam hominibus describit, eaq; suscipi interdicit, & vetat, quam si
contra veniatur, peccatumque admittatur, mors est, non obtem-
perantis pœna proposita, tanquam semper peccatum necessario
mors sequatur: eadem profecto ratione, sed conuerso ordine, si
mors omnibus etiam ante legem illata semper est, pro aliquo vti-
que peccato ab eodem summo Deo qui & legem & in lege mor-
tem peccatis pœnam proposuit, illis fuit præstituta, sed non o-
mnes peccatis proprijs certa à se susceptis voluntate offenderunt,
qualia postea multa suscipi posse indicauit lex, & tamen omnes
mortui sunt: ergo in vno homine, & parente primo ab omnibus
communiter hominibus fuit offensum. Hoc argumentum quan-
tum vim habeat subtiliter intuentibus facile poterit apparere.
Conclusum enim certè est, omnes in vno homine homines pec-
cauisse, etiam qui peculiare crimen in se non admisissent. Re-
gnauit ergo mors ab Adam vsque ad Moysen, quod idem est, ac
libero suo iure est perbacchata, neminem sibi eximium, cui
pateret, ducens, ne ex eo quidem numero, qui ipsi ex sese pec-

catum non perpetrassent. At cur his saltem non pepercit, quia
quit, si non proprium illorum, at originis peccatum, quod hu-
litudine præuaricationis Adam transtulerant in sese, in illis est
persecuta. Forma enim totius generis humani in Adam primo ex-
titit, vt quod in illo contigit, quãtum ad peccatum spectat, quan-
tumque ad mortem, idem deinceps transeat in omnes. Ipse e-
nim Adam forma futuri est, vt quod in illo factum est, in alijs fiat.
Vt & ad Philippenses, Imitatores mei estote, & considerate sic
ambulantes, vt habetis formam nos, hoc est, vt quemadmodum
ego me gero, item vos geratis. Sed quid? nónne & post Moysen
mors regnauit? regnauit vtique. Verum illud Apostolorum
mis est propositum, vt vno parentis primi peccato omnes in-
no concidisse ostendat, idque ex vna omnium morte nostra
comprobare, quæ etiam ante Moysen commune peccatum hu-
mani generis vlta fuerit, vt quasi regnare sit, suo iure, libere, ac
suo arbitratu vsam illam fuisse, quæ postea sub lege cum quem-
piam legis violatorem perimebat, non tam suo iure in eo vindi-
tur, quam ex præscripto agebat, hoc est ex imperio, & potesta-
te legis, vt regnare ante legem esset libero suo iudicio, & non in-
terpellato iuris sui cursu generale peccatum in hominibus pu-
nire: post legem vero, ministrare iam legi, & seruiendo quan-
dam in obtemperando illi suscipere, atque contrahere. Nam
si in hoc quoque loco studeamus id asserere mors dominan-
ti in animas simul hominum & in corpora legem primam Moy-
sis obuiam isse, illiusque tyrannidem vocandis hominibus ad ho-
norem, & cultum summi DEI, & ijs in bonis mortuis inhiben-
dis repressisse, dicimus & ante legem vocatos à DEO in amo-
rem, & cognitionem sui fuisse multos, legeque non tam sublata
post peccata, quam aucta potius, multiplicataque fuisse
quod & mox Paulus, & in alijs sæpe locis repetit, atque con-
firmat.

*SED NON vt delictum, sic & donum. Si enim vnius de-
licto multi occiderunt, multo magis gratia Dei, & donum
gratia vnius hominis IESV Christi, in multos abundauit, &
non sicut, per vnum qui peccauit donum. Iudicium enim ex vno
in condemnationem, Donum autem ex multis delictis in iusti-
cationem.*

ABSOLVTA priore comparatione, qua ostenderat exem-
plo Adæ aduersus Iudæos obtrectantes CHRISTO reconcilia-
tionem cum Deo, & vitam per vnum Iesum CHRISTVM ho-
mines homines transmissam esse, sicut per Adam peccatũ & mors
in o-

homines fuerat transuecta: Nunc vtriusque factum inter se & Adæ & CHRISTI comparare aggreditur, vtrum fuerit eorum validius, & fortius. In qua quidem contentione, gratia, offensione posterior potentior, non numero quidem eorum, qui seruandi sint præ his, qui pereant, futuri. Non enim id nunc inquit Apostolus, nec libertatem suam cuiquam adimit, eligendam vel sectam, siue interire ex præuaricatione Adæ contingat, siue seruari, ex obedientia CHRISTI. Non enim numerum hic, qui aut beneficio, aut damnatione comprehendantur, inter se confertur, sed vis, & potestas peccati atque gratiæ in comparationem est adducta. Primoq; ex vtriusque authore, & capite delicti, ac gratiæ fit contentio, deinde ex duplicibus & gratiæ & delicti effectibus. Ac primum, Si, inquit, vnius delicto plerique mortui sunt, hoc est, quod ipse appellat multi, ipsa multitudo videlicet, multo magis gratia Dei, & donum, in gratia vnius hominis Iesu CHRISTI in multos abundauit. In his enim verbis & peccati, & gratiæ, ex nobilitate, & potentia eorum, qui vtriusque authores sunt, in contentionem adducitur. Peccati enim author est homo, gratiæ, & doni Deus. Si peccatum igitur vnius peccato tantum ad mortem potuit, donum, & gratia ex Deo multo plus valebit. Ad quid autem sit valitura, paulo post exponet, vtinimirum regnetur in vita. Porrò quantum inter Deū, & hominem interest, tantum interest inter peccati vim, & vim gratiæ. Quod autem ait, Gratia Dei & donum in gratia vnius hominis IESV CHRISTI in multos abundauit, sic est intelligendum, quòd primus homo IESVS CHRISTVS hanc in se Dei gratiam, & hoc donum accepit, & in seipso omnibus, sicut Adam primus peccatum in se concepit, & in seipso omnibus. Sicut enim Adam naturam in se hominis ad carnis, & mundi amorem posthabito Deo conuertit, & in eo omnibus Adæ filijs carnalibus illa ad mundum conuersio est facta: ita homo IESVS CHRISTVS mortem carnis peccati in semetipso concipiens, eandē in omnes Dei filios spirituales immisit. At cur non spirituales homines eodem modo filij CHRISTI sicut Adæ carnales? Nempe ob eam rem, quòd caput, & fons peccati, atque carnis est homo. Ideoque in carne filij Adæ sumus, gratiæ autem, & spiritus non est homo pater, sed Deus. Primus itaque Adam homo peccare per sese ipse potuit, sicuti peccauit, & ideo est contaminati generis pater, surgere autē ad gratiam per sese homo non potuit, iccircoq; illā gratiam, & iustitiam, & vitam hausit ex Deo homo CHRISTVS Iesus, & ex eodem Deo in CHRISTO nos hausimus, qui per spiritum, & obedientiam, & fructum gratiæ Dei filij effecti sumus. Atque hac cōparatione inter authores peccati, & gratiæ facta, ad comparandos effectus vtriusq; peccati, gratiæq; procedit.

Ac non ſicut per vnum, qui peccauit, donum quod. Conciſa nim eſt horum verborum ſenſus, perinde eſt, vt ſi diceret, Ac non ſicut peccatum, ita donum, quorum vtrunque per vnum inductum eſt. At quamobrem non ſic? Quoniam, inquit, iudicium quidem ex vno in condemnationem, donum autem ex multis delictis in iuſtificationem. Hoc eſt, inquit, interuallum hac diſtantia inter peccatum Adæ, & inter donum ac beneficium ſummi Dei: quod ſi ex vnius iudicatione peccati omnes damnati ſunt, tantumque potuit peccatum vnum, vt valuerit cunctis ad damnationem, quantum vim illius beneficij eſſe oportuit, quod non ex illo vno peccato humani generis communi duntaxat, ſed ex plurimis poſtea peculiaribus etiam peccatis nos reſtituerit in iuſtitiam?

SI ENIM vnius delicto mors regnauit per vnum, multo magis abundantiam gratiæ, & doni iuſtitiæ qui ceperint in vita regnabunt per vnum IESVM Chriſtum. Igitur ſicut per vnum delictum in omnes homines in condemnationem, ſic & per vnum iuſte factum in omnes homines in iuſtificationem vitæ. Quemadmodum enim per inobedientiam vnius hominis peccatores conſtituti ſumus multi, ſic & per obedientiam vnius iuſti conſtituentur multi.

IN EADEM inſiſtit contentione Paulus apoſtolus delicti, atque doni, & quod modo contulit vim, & facultatem eorum inter ſe, ex authoribus primum, ac deinde in ſeipſis & effectibus eorum comparans atque inquiens, quòd ſi vnum tantum potuit peccatum, vt omnes condemnaret, quantum plus peccati donum, quod ex plurimis peccatis ad iuſtitiam reuocaret? Nunc effectum alterum vtriuſque adducit in comparationem, quòd ſi à delicto regnum mortis per vnum inductum eſt, multo magis per vnum IESVM CHRISTVM abundantiam gratiæ, & donum iuſtitiæ qui acceperint regnabunt in vita, hoc eſt, ſi tanta eſt inter peccati authorem, authoremque gratiæ differentia, quòd vnus illorum homo eſt, alter Deus, ſi tantum inter vim quoque & peccati & gratiæ intereſt, quòd vno ex peccato inducta eſt condemnatio, gratia non vnum modo peccatum, verum innumerabilia peccata ſuſtulit, cum fructus peccati ſit mors, gratia vero, tantum etiam interuallum inter hanc mortem, hancque vitam eſſe neceſſe eſt, quantum inter illa priora interfuit, vt quantum Deus homini, gratia peccato, tantum etiam vita hæc quæ ex gratia Dei per iuſtitiam in nos fluxit, illi morti præponderet, quæ eſt ex peccato vnius hominis inuecta, atque hac effectuum vtriuſque

bisque contentione facta, deinde in sequentibus verbis monet, quo per Adam læsi fuimus, & quo per CHRISTVM seruati, quà dicit, quod per vnius inobedientiam peccatores effecti sumus, & per vnius obedientiam iusti. Verum quo sibi ex vnius inobedientia nos peccauerimus, dictum iam est, nempe eo quòd Adam à consideratione, & respectu Dei ad mundum & carnem potius conuersus, in eoque non obediens Deo, eidem mundi amorem, & propterea in Deum inobedientiam commisit ad nos, à quo mundi amore CHRISTVS sua cruce, & morte ad Deum nos reuocans subiectos ipsi Deo, & in obedientia deditos omnes, qui simul mundo cum eo mori voluerunt, docet.

Lex autẽ interuenit, vt multiplicaretur delictum, vbi autem multiplicatum est peccatum, superabundauit gratia, vt quemadmodum regnauit peccatum in morte, sic & gratia regnet per iustitiam in vitam æternam per Iesum Christum.

Quo pauloante posuerat in comparando maiorem multo pondium fuisse gratiæ, quæ nos ex peccatis plurimis ad iustitiam, vitamque reduxerit, quàm peccati quod vnum, & per vnum nos damnationi subiecerit, nunc id demonstrat, quo modo ex peccatis plurimis in nobis collectis & coaceruatis vim maiorem ostenderit gratia. Quoniam, inquit, vt grauius etiam, & supplicius peccaremus lex interueniens effecit. Ad peccatum enim originis & naturæ, quod est in amore mundi, & propter eum carnem in imperio & dominatu carnis ac cupiditatis implicitum, accessit lex, quæ hoc in nobis effecit, vt cum nihilominus carni & cupiditatibus seruiremus, tum contumaciam quoque & contemptum Dei præceptorumque eius non seruanda lege suscipieremus, ex quo pondus maius additum est peccato. Itemque illud ex lege nacti sumus, quòd multa, quæ suapte natura peccata non sunt illius interdictione, aut præcepto iubentis illa fieri, aut vetantis peccata inueniuntur, si non ex præscripto legis fuerint obseruata. Lex igitur accessit, vt multiplex redderetur delictum, vt inquit, ergo iccircóne data lex, vt frequentaretur etiam magis, & maiorem vim nanciscerentur peccatum? nequaquam illa quidem ob eam rationem, & causam data est, sed vt peccatum potius cognosceretur. Per legem enim cognitio peccati. Quid autem facit ista cognitio? Hoc nimirum vt cognita nostra imbecillitate ad auxilium gratiæ Dei confugiamus, nostramque nullius momenti iustitiam metuentes, illam à Deo ipso iustitiam expetamus, quæ in CHRISTO videe, & mortis illius dono nobis est ostentata. Proinde etiam dicimus ideo legem fuisse datam, vt multiplicaretur delictum,

non absurde sentiamus, dum ne in hoc tamen fini insistamus. Non enim finis, & extremum legis est, vt granius peccetur, sed vt admissis & cognitis grauioribus peccatis, ad quæ propulsanda virtus nostra est impotens, fiducia in Deo nostra, & in ipsius gratia ac benignitate tota constituatur. Quo vno modo maxime, lex ad fidem CHRISTI fuit præparatio, ideoque latior potissimum diuino egregio beneficio data, vt genus a Deum inde in patre suo Abraam electum, & è quo oriturus erat CHRISTVS illorum ex lege peccatorum multiplicatione animatum, & princeps recognosceret se, & sibi ipsi diffideret, illum iam humilitate, non legis opere se adiungeret. Superabundauit igitur gratia, vbi multiplicatum est peccatum apud istos videlicet, in quo & ipsa gratia potentiam suam apertius ostendit, & gratiam illam nobis impertientis Dei amplior atque illustrior facta est gloria. Superabundauit autem vt quemadmodum peccatum in mortem nostram regnauerat, id est, per mortem nos pressos nos tenuerat, ipsa ita nunc Dei gratia in nobis regnet per iustitiam, per quam vbi iustos nos effecerit, ab illa instituerit, in vitam æternam, & beatam, introducat, authore IESV CHRISTO Domino nostro, qui fuit nobis Adam iustitiæ, & vitæ auctor, sicut alter ille prior fuerat mortis.

Quid igitur dicemus? manebimus in peccato, vt gratia multiplicata sit? absit. Qui mortui sumus peccato, quemadmodum viuemus in eo? An ignoratis quòd quotquot baptizati sumus in Christum Iesum, in mortem eius baptizati sumus?

ECCE vis baptismi & mysterium fidei nostræ, hinc quotquot qui fidem CHRISTI rite amplectuntur, de quo nunc loquitur Apostolus, paulopost de statu eorum, qui vsuram legis etiam locuturus. Cum enim CHRISTVS morte sua carnem in se perimeret, quæ in eo caro non fuit peccati, sed similitudinem carnis peccati in se pertulit: ipse enim se pro nobis fecit peccatum, vt in carne nostra peccatum perimeret. Nos qui carne peccati vere amicti sumus, quam ex Adam infectam, & contractam traximus, morimur in morte CHRISTI cum baptismum accipimus, in eoque profitemur nos Satana, & pompis eius renunciatis atque abiectis, Deo soli credere, & confidere paratos. Illam enim & pompas eius, id est, mundanas omnes spes cupiditatesque reijcere, idem est ac carne peccati se exuere, sed CHRISTVS in similitudine quidem peccatum quod nullum habebat, in ipso extinxit, carnem in veritate, quæ tamen caro quoquo modo in homine interempta est, secum ipsa perimit, & interficit peccatum. Nos similitudine in morte carnis vsurpamus, in veritate peccatum in nobis interimimus, tametsi ij res, tempusq; ferat, ad fe-

fide, aut declaratio veritatis sic postulet, etiam carnem reuera mortificare sumus obligati. Sed hoc casus & dies aliquando affert. Id quidem solenne & statum omnibus est, vt in baptismo hanc fidem, & sectam vitæ profiteamur, quemadmodum posthabitis rebus omnibus in Deo vno fidem nostram constituimus & locamus. Itaque mortui sumus peccato omnes, qui in CHRISTO baptizati sumus, quod si non simulate, sed vere illa est a nobis & mente concepta, & ore, ac verbis enunciata vitæ professio, qui volumus amplius manere in peccato, aut quo pacto operationi malæ prauæque cum fide CHRISTI hærere in nobis possint? Nam qui dicunt sola ex fide saluos nos fieri, neque ad salutem bonas operationes requiri, ipsi se impediunt, suum ipsi dictum refellunt, & redarguunt. Fides sola satis est ad salutem, fateor, sed vt integra sit, neque vlla sui ex parte diminuta. Fides porro est peccato esse mortuum, & viuere Deo: hoc est, ea quæ agere quisque, & quæ sperare habere omnia posita in vno Deo, nec cum mundo commercij quicquam, aut nimis arctæ rationis emittere, hoc enim est mortuum esse peccato. Tu vero qui vis in fide spem vitæ constituis, cum ab ea disiungis, & auellis pœnam mortem, quid iam amplius fidei, quo illa merito fides appetatur, relinquis? nec vero illa ratio veræ rationis est partim manendum esse in peccato, vt Dei benignitas, & gratia magnificetur, siquidem ibi magis illa abundat, vbi est grauius, frequentiusque delictum. Si enim hoc ita sit, nequaquam magnificatur Dei benignitas, sed opprimitur. Illa enim in hoc sese exhibet illustrem atque amplam, diuinæque iustitiæ, & bonitatis suæ lumen effendit quòd aufert a nobis peccata, & iustitiam suam nouam factis fidelibus impertit. Qui vero perseuerant in peccato, non modo non illustrant Dei summi beneficentiam, sed ne illi quidem locum, vbi se explicent, relinquunt.

Consepulti sumus igitur cum illo per baptismum in mortem, vt quemadmodum excitatus fuit CHRISTVS *è mortuis per gloriam patris, sic & nos in nouitate vitæ ambulemus. Si enim consiti sumus similitudini mortis illius, nempe & resurrectionis erimus. Hoc noscentes quòd vetus noster homo cruci vnà affixus fuit, vt aboleretur corpus peccati, ne quo deinceps seruiremus peccato. Nam qui mortuus est, iustificatus est à peccato, si autem mortui sumus cum* CHRISTO, *credimus, quòd & viuemus cum eo.*

MAGIS etiam ac magis Apostolus vim eam sacramenti, quæ baptismo est, & fidei CHRISTI mysterium declarat. Ac in baptismo quidem trina illa nostri in aqua immersio, rursusq; ter facta

facta ex aqua emersio, & cum CHRISTO nos sepeliri in fide sa-
ræ trinitatis, & cum CHRISTO item resurgere in eadem fide
denotat. Sed vt videamus clarius similitudinis nostræ cũ CHRI-
STO, & rerum earum, quæ inde eueniunt, consequentium, ac
consideremus. Mors carnis, & corporis id profectò affert, quic-
catum simul cum ea, & peccati effectrix cupiditas moritur.
CHRISTVS porrò in cruce mortuus est sponte, ac volens, ce-
leste illud hominibus præbens documentum nulla esse mini
bona, quæ vere expetenda sint, quandoquidem nec vanagque
quam bona illa ipsa mundi expetantur, facienda tanti, quam
illi longe Deus, & sperata ex eo bona anteponantur, beatis-
num, & integrum fidei CHRISTI mysterium, quæ tota
tota in Deo, & spe Dei collocat, a mundo autem, & mundi rebus
auellit, atque abstrahit. Nos ergo qui fidem istam amplectimur,
& CHRISTVM sequi, colereq; instituimus, nisi in eadem ima-
qua ille & volũtate, & sententia, falso Christianum nomen ob-
pamus. Quid ergo? dixerit quispiam, num corpus & vitam abi-
cere statim debemus, vt cum CHRISTO fideles Deo inuenia-
mur? Minimè istuc quidem re, sed voluntate debemus, ita es
parati, vt si eam à nobis Deus depoposcerit, si nos ipsem anim
men pro veritate deduxerit, si est mors nostra fructu portu
suscipiendę veritatis, pietatisq; allatura, corpus nostrum diuina
acerbitati facilè permittamus: ipsi vero nequaquam aguis-
rentes, sed Deo gratias agentes, qui tantum nobis honoris v-
luerit habitum, pro illis ipsis Deum insuper deprecemur, qui nos
ferro, & igne ad perniciem vitæ fuerint insectati. Haec ima
fidei nostræ, hæc vis, hoc præpotentis Dei in salute nostra voli-
lium. Verum non sæpe hoc à nobis postulat Deus, vt ipsa mo-
riamur. Dies erit cuique sua moriendi constituta. Voluntatem
quidem huiuscemodi nostram & decretum mentis nostræ postu-
lat, vt statuamus pro Deo, & pro ijs bonis, quæ à Deo nobis pro-
posita sunt, non inuitis, si accidat, esse moriendum. Re autem
facto semper vtique hoc postulat, vt ea quæ sequuntur, carnis
corporis mortem, atq; vna cum eo occidunt, & commoriantur
cuiusmodi est mundi amor, & cupiditatum regnum, & voluptā
tum illecebræ, & auri, argenti, lautæq; supellectilis studiosa com-
paratio, honoris quoque & opum & potestatum ambitus omnis
prorsus intereant in nobis, & quanquam in carne etiam nostra
uamus, carnis tamen operibus, & effectionibus simus mortui,
alioquin si ista carnalia abijcere renuimus, si pergimus in cupidi-
tate, & ambitione viuere, quo nam pacto probemus nos ad
serendam vltro pro Deo vitam voluntate esse paratos? CHRI-
STVS igitur totum hoc documentum ipse in se explenit, cum
corpus suum addixit morti, quo nos morti illius similes fieri
premum

premam quidem corporis mortem Dei arbitrio libentes reseruemus. Interim vero, quod muneris nostri, & Christiani imprimis officij est, partem illam mortis in corpore subeamus, quæ non [illegible] corpus sed luxum, & diffluentiam corporis, animiq; pra[illegible] motus ad corpus se accommodantis abolet in nobis, atque [illegible]ficit, qua ratione quidem peccato mortui verè & dicimur, & [illegible]mus. Rursus cum CHRISTVS in carne resurrexit, illamq; re[illegible] vitam, quæ non amplius occasura, sed futura erat in eo iam immortalis, cumque ascendit in cœlum, & ad dexteram patris [illegible]dit, alteram partem mysterij plenam, & perfectam in se no[illegible] ipse demonstrauit, quæ præmia videlicet, & qui à Deo hono[illegible] eos consequantur, qui pro Dei honore, & pro cœlestibus præ[illegible] mundum & suauitates mundi fuerint aspernati, vt nos, qui illam adhuc vitam obtinere non possumus, obtinebimus autem postea, interim tamen ea consectemur, quæ illius vitæ propria, semperque illi adiuncta futura sunt, innocentiam dico, iustitiam, pietatem, charitatem: nam & hæc quoq; nunquam moriuntur, [illegible] immortalis animi nostri immortales & hi sunt. Quòd [illegible] morte peccati, qua peccatum iam in nobis CHRISTO commortui interemimus, ad hanc nouam vitam iustitiæ, quæ [illegible] generis iustitia est, non humani, negligamus exurgere, ne ad illam quidem vitam, quæ in corpore futura apud Deum est beata, atq; immortalis magnopere aspiramus. Ex his satis patere [illegible], quod sit mysterium fidei, & quæ baptismi vis, nostraque cum CHRISTO mortis veteris hominis, hoc est, eius qui ex Adam progenitus est, & nouæ vitæ ex Deo, cum Deoque similitudo. Sicut autem CHRISTI à mortuis exurrectio gloriam Dei patris illustrem reddidit, sic nostra ex peccati morte ad nouam iustitiæ vitam excitatio non virtutibus nostris, sed eidem bonitati, & gloriæ Dei ascribenda est. Consiti ergo si fuimus similitudini mortis CHRISTI, & resurrectionis erimus? hoc est, si similitudinem mortis eius in carne nostra, quatenus scilicet morimur peccato, non totam mortem ferimus, & resurrectionis illius similitudinem feremus. Nunc quidem non resurrectione tota, sed quatenus ad vitam iustitiæ resurgimus, post autem & integram resurrectionem, cum in supremo mundi iudicio reuiuiscemus, & mortem item suscipiemus integram, cum vltimum nostrũ diem obibimus. Consiti autem, inquit, vt non ore tantum, neq; enunciatione verborum, sed corde, menteque coniuncti, & in vnum quasi conflati cum CHRISTO ipso in mortem, & vitam simus. Nam sic quidem vetus homo noster cum eo crucifixus fuerit, corpusque in nobis peccati interierit, corpus autem peccati quatenus ex eo oritur, feruetque peccatum, vt ne amplius deinceps seruiamus peccato. Nam qui mortuus est, purgatus est à peccato.

Quòd si vere cum CHRISTO mortui sumus, fide & voluntate videlicet, credimus etiam, & confidimus cum eo nos victuros, in hoc quidem seculo nouæ iustitiæ vita, in altero etiam corpore, & immortali illa totius hominis gloria.

Scientes quod CHRISTVS *suscitatus è mortuis, amplius non moritur, mors illi non amplius dominatur. Quod enim mortuus est peccato mortuus est semel, quod autem viuit, viuit Deo, sic & vos existimate vos ipsos mortuos quidem esse peccato, viuentes autem Deo in* CHRISTO *Iesu domino nostro.*

INSISTIT Apostolus, & similitudinem eandem in sola prosequitur, per quam mortem, & vitam CHRISTI in ratione quadam referimus. Vt enim mortem illius ab eo in corpore exceptam nos in peccati morte, quæ pars est vniuersæ mortis excipimus, sic eiusdem vitam vniuersam & integram, qua ipse & corpore & iustitia in æternum iam viuit, nos in ea parte nunc recipiamus qua iustitiæ viuitur. Ac sicut illa in eo vita iam immortalis est, sic in nobis non amplius moriatur iustitia, semel ille peccato mortuus est nostro nimirum, & nos semel simus mortui, debet in id denuo incidamus, vt rursus in eo nobis sit moriendum. Iustitiæ autem vitam, quam ipsius vitæ CHRISTI à mortuis excitati imitatione suscipimus inuiolatam, & perpetuam iam teneamus, in qua viuimus iam Deo, non peccato, aut mundo. Atque hæc in nobis imago sit vitæ eius quam Deo viuit nunc CHRISTVS. Ille enim ita Deo viuit, vt & in æternum cum eo viuat, & Deus ipse sit: Nos ita in hac iustitiæ vita viuamus, vt ab ea nunquam discedamus, & Dei similes in illa, ac tanquam filij & nominemur, & simus: quæ quidem vita peccato mortuum esse & per iustitiam viuere Deo, totum est fidei nostræ mysterium, qui est CHRISTVS consilium, & sermo omnipotentis Dei, in quo vno hanc vitam nobis viuere concessum est. Vbi enim non est CHRISTVS, neque mundo, & peccato mori quempiam contingit, neque item viuere ipsi Deo.

Ne igitur regnet peccatum in mortali vestro corpore, vt pareatis illi in cupiditatibus eius, neve præbete membra vestra arma iniustitiæ peccato, sed præbete vos ipsos Deo velut ex mortuis viuentes, & membra vestra arma iustitiæ Deo. Peccatum enim vobis non dominabitur. Non enim estis sub lege, sed sub gratia.

CVM peccatum regnat in nobis, nosque ei subiecti, & dicto audientes sumus, tunc exhibemus illi membra nostra, & totum corpus, vt ad peccati nutum, atq; imperium illa præsto sint. Porro

impe-

inerat peccatum voluntati nostræ, tanquam militi, & apparitori illo, vt ad omnes corporis cupiditates explendas membra nostra veluti arma, & parata habeat, & quotienscunque annuere cupiditas, capiat illa atque administrandum corpori in suis utilitatibus accurrat: quibus quidem armis ad iniustitiam, hoc est ad omne genus sceleris & improbitatis peccatum vtitur, quod non dehortatur, ne in corpore nostro patiamur Apostolus, rursusque idem hortatur, vt exhibeamus nosmetipsos Deo, velut ex mortuis viuentes, & membra nostra arma iustitiæ eidem Deo vt hic prompta & præstò ad omne imperium Dei, qui his membris vt armis ad iustitiam, hoc est ad omne genus virtutis & probitatis est vsurus. Sed quod ait, velut ex mortuis viuentes, idcirco ait, quòd iustitia vita animæ est, ad quam quidem iustitiam posteaquam CHRISTO à mortuis surgente nos quoque cum eo illius nouæ vitæ referendo similitudinem consurreximus. Nam & ipse surrexit ob iustificationem nostri, vt scilicet & nos ad iustitiam exurgeremus, postquam, inquam, sicut mortui fueramus peccato in CHRISTO mortuo, sic ab ipso peccato, & iniustitia per surrectionem eiusdem tanquam à morte in vitam iustitiæ restituti fuimus, hanc ipsam iustitiam, & vitam, quam à Deo accepimus illi ipsi, vnde profecta est, exercere, & conseruare debemus: hoc etiam magis, quòd in memoria habentes & grato tuolentes animo, quã tetra ex peccati morte ad cuiusmodi cum Deo, & in Deo iustitiæ vitam traducti fuerimus, vt magis agnoscere discamus beneficium omnipotentis Dei, & plus illius gratiæ tribuere obligati sumus. Velut ex mortuis igitur viuentes, id est, qui hanc nouam vitam ipsius Dei beneficio obtinemus, cum peccato nostro antè essemus ipsi mortui. Atque ideo ipsam hanc vitam illius voluntati totam subjiciamus. Peccatum enim vobis non dominabitur, inquit: Non enim estis sub lege, sed sub gratia. Rationem dat, quare nobis non dominabitur peccatum: quia sub gratia sumus, & nõ sub lege, quia spiritualem iam vitam viuimus in CHRISTO, non ampliùs carnalem, ex qua parte duntaxat & carnis, & corporis subiecti sumus legi. Nam ex spiritu certè illi non subjicimur. Non dubium autem est, quin dum sub gratia sumus, peccatum nobis nõ dominetur, sed illud est dubiũ, quòd & qui sub gratia sunt, interdum etiam peccant, ex eóque gratiam amittere videntur, & qui sub lege sunt, videntur posse non peccare. Sed semper nobis ista vt intelligamus, ad mysterium fidei reuertendum est, ex quo illa à Deo nobis adest gratia, quòd Spiritu sancto nos admonente, à mundo, & mundi bonis conuulsi, atque abstracti, bonum omne nostrum in Deo vno, & in eo duntaxat præmiis, quæ ab eo nobis in cœlo sunt proposita,

statui-

ſtatuimus & locamus. Hæc enim ex Deo illuminatio noſtra, hæc directio mentis, & voluntatis, gratiam, & iuſtitiam illius in nobis imprimit, vt qui veritatem tanti myſterij, non auribus hauſimus ſolùm, neque in aliena fide, atque authoritate repoſitam duntaxat habemus, ſed corde, & mente percepimus ipſi vt aliquando etiam in peccatum prolabamur, quoniam tamen id præter animi noſtri conſtitutum eſt, nunquam illud in nobis ſignare, neque dominari patiamur. Qui verò ſub lege Moyſis fuit, vt qui mundo, & mundi cupiditatibus ſunt affixi, licet præcepta quædam habeant ex lege, quo ſe pacto in cupiditatibus illis gerere & gubernare debeant, tamen ſerui neceſſariò ſunt peccati, quando totum etiam illud, quod lege eis eſt permiſſum, vt bona terrena magni æſtiment, coram Deo quodammodo peccatum eſt: ex quo etiam dictum fuit à Paulo, & aliis locis dicitur, quòd ex operibus legis coram Deo non eſt iuſtificatio, & non ad Philippenſes, quòd cùm ipſe ſecundum iuſtitiam, quæ eſt in lege, factus eſſet irreprehenſibilis, quæ tamen ei lucra ex eis fuiſſent, propter CHRISTVM, illa arbitratus ſit damnum ſibi eſſe, & etiam nunc arbitrari ſibi damnum, in quo profectò oſtendit legis iuſtitiam coram Deo, quoniam ab radice ſua in terra tenetur, peccatum potiùs eſſe. Quo enim pacto aliter damnum eſt? niſi quòd nihil tam diſcrepans fieri poteſt, neque tam diſſonum, & inſociabile inter ſe, quam & mundana appetere, & Deum ſimul amare. Ergo nobis iam non dominabitur peccatum, qui ſub hac gratia & non ſub lege ampliùs ſumus.

Quid igitur? peccabimus, quando non ſumus ſub lege, ſed ſub gratia? Abſit. Nónne ſcitis, quòd cui exhibetis vos, quaſi ſeruos in obediendo ſerui eſtis, cui obeditis, ſiue peccati in mortem, ſiue obedientiæ in iuſtitiam? Gratia autem Deo, quòd erat ſerui peccati, obediſtis autem ex corde, in quam traditi fuiſtis formam doctrinæ, liberati autem à peccato, ſerui facti eſtis iuſtitiæ.

HAEC poſtulatio interrogantium ſi peccandum eſt, poſtquam ſumus ſub gratia, & non ſub lege Iudæorum propriæ eſt non intelligentium, quantum ſeruitutis & mali ſit in peccato ipſo, præter effectum etiam illum peccati, qui eſt mors, quæ maximè in lege peccantibus proponebatur, quando in fide CHRISTI nihil nobis à Deo tam ſit expoſitũ, atque promptum, quam ignoſcentia, & venia, quam illi gratiam vnam appellari exiſtimabant: quorum etiam imbecillitatem carnalis mentis poſtè declarat Apoſtolus. Illi ergo cùm putarent non vſque eò ſeuerè agere Deum interprete IESV Chriſto vt agebat lex, quæ

pœnam,

nam, ac non veniam peccato proponebat, atque iidem ipsi
eius explere cupiditates, seruatis formulis quibusdam, iucun-
dum & optabile esse ducerent, hoc ipsum quærunt, num peccati
licere, atque impunè iam possit, postquam à IESV Christo ve-
nit non pœna peccatoribus est allata, quorum inscitiam refel-
lit Paulus, humanas similitudines in medium proferens, quando
de altiora capienda consilia necdum erant idonei, Absit, in-
quit, quòd peccare liceat sub gratia constitutis. Qui enim li-
cet, cum gratia ea sit, quæ ad libertatem nos duxerit, & ad iu-
stitiæ vitam, peccatum autem sub seruitutem iniquitatis & mor-
tis nos redigat? siquidem cui nos exhibemus seruos, in obedien-
do eius serui efficimur, quatenus ei obedientiam præstamus. Ita
vt habeat is, cui obediendo seruimus, in nobis potestatem, per
quam ad suam naturam & voluntatem nos pertrahat. Porrò pec-
cati natura mortis effectrix est: qui ergo seruiunt per obedien-
tiam peccato in mortem, illi seruiunt, & sub eo moriuntur. At
iustitia per gratiam dat vitam. Igitur si serui vnà esse non possu-
mus, morti & vitæ, nec peccato item possumus esse simul & iu-
stitiæ. Seruire etenim est agere ad alienæ voluntatis, naturæque
præscriptum, quod idem est ac illi, cui obedias, seruum esse, siue
peccato in mortem, siue obedientiæ in iustitiam: hoc est, siue
peccato obedias, ista te seruitus ex vi, naturaque peccati ad mor-
tem detrudit, siue obedientiæ pareas, istud parere obedientiæ
deducit te ad iustitiam, cum qua semper vita coniuncta est. Fer-
ne enim vtitur hoc vocabulo Paulus iustitiæ ad sensum etiam
vitæ, quoniam vita cum illa ex fide iustitia conflata ita est, vt non
possit inter se distrahi, sed ipse in his verbis posterioribus suo
more concisus, & subterlabens, obedientiam in iustitiam, sic
strictim posuit pro obedientia erga Deum in fide CHRISTI,
quæ nos deducit, & vocat ad iustitiam, consequenterque ad vi-
tam. Hoc enim par pari quod referendum erat, vt quemadmo-
dum dixerat peccati in mortem, sic diceret iustitiæ in vitam, to-
tum conclusit in ipso iustitiæ verbo, & reliquit nostris cogita-
tionibus intelligendum. Sed gratia, inquit, Deo sit, quòd cùm
ante essetis serui peccati, obedistis ex corde fidei, & CHRISTO,
hoc est, quod modò dixerat obedientiæ in iustitiam secundum
formam doctrinæ, quæ vobis fuit tradita, id est secundum Eu-
angelium, eiusque doctrinam, ex quo liberi facti estis à pecca-
to, & ad seruiendum iustitiæ vocati: quo pacto ergo licitum sit
peccare sub gratia, si hoc proprium in vobis est gratiæ donum,
quid vt mortem vitaretis, à peccato fuistis liberati, & subiecti
sub iustitiæ, vt vitam obtineatis.

Humanum quid loquor ob imbecillitatem carnis vestræ,
quem-

quemadmodum enim præbuistis membra vestra serua impuritati & iniquitati in iniquitatem, sic & nunc præbete membra vestra serua iustitiæ in sanctificationem. Quando enim serui eratis peccati, liberi eratis iustitiæ. Quem igitur fructum habebatis tunc in his, ex quibus nunc verecundamini? Finis enim illorum mors. Nunc autem liberati à peccato, & serui Dei facti, habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem autem vitam æternam. Pabulum enim peccati mors. Donum autem Dei, vita æterna in CHRISTO *Iesu Domino nostro.*

HVMANVM quid loquitur, quoniam cùm ex his quæ deserunt illi, expertique in seipsis sunt, velit eos nunc commonefacere, omittit tantisper sublimitatem mysterij mortis nostræ in CHRISTO, & cum eodem ad iustitiæ vitam resurrectionis, illosque ex propriis ipsorum erratis, erratorumque doloribus, & pœnitentiis erudit, vt velint hanc multò potiorem, quæ in innocentia & sanctitate posita est, vitam constituere. Igitur hortatur eos, vt sicut ante acceptæ fidei lumen præbuerant membra sua serua impuritati, & iniquitati in iniquitatem, hoc est, omnes animi habitui, & voluntatis vitio, in quotidianas, & singulas iniquitatis actiones, sic nunc præbeant eadem serua iustitiæ in sanctificationem, reducitque illos in memoriam eorum, quæ antè perpetrare soliti erant, ex quibus pudore ipsi mutabantur, tanquam illa per se turpia, & flagitiosa fuisse, quippe qui quo tempore seruiebant peccato penitusque eius [illegible] ti, nihil in se tunc iuris, neque imperij iustitiæ esse permittebat, & ideo ab illa dicuntur fuisse liberi, quasi nihil cum iustitia rationis tunc contrahentes, neque vlla in re illi obtemperantes, & ne fortè quis interpellet etiasi in se, & ex se turpia illa fuerint, finem tamen illorum optabilem esse, quasi in his posita sit iucunda, & diuturna vita, hoc etiam excludit, inquiens finem illorum fuisse mortem, quod in omnem quidem partem, id est, in omni genere mortis tam corporis, quam animæ ita esse constat, fictum quoque illum prioris vitæ inutilem & perniciosum ostendit. Nam cum ipsa illa, quæ antea gerebant & sectabantur, erant ex se turpia, tum eadem approperabant, & præcipitabant mortem popularem hanc quidem, & communem omnibus, quæ est corporis, animæque diremptio, cui nihil cognatius est, quam cupiditatum, & libidinis dominatus, sed & illam animæ pœnam exitiosiorem, ac perpetuam, vt si maximè illa suauia, appetendaque existerent, quod nequaquam ita erat, morte tamen citò tollerentur: Ita omni ratione erant illis pudenda, & pœnitenda, quòd inhonesta, quòd pestifera, quòd incerta etiam, & citò [illegible]

[illegible] essent. Nunc autem liberati à peccato, & serui facti Deo [illegible] fructũ in sanctificationem, & finem eius vitam æternam, [illegible] optimè quadrat. Si enim ex peccato mors, ex sanctificatio[illegible] profectò est vita, quæ quoniam sanctificatio procedit ex Deo [illegible] deferens vitam, ex æterno vtiq; Deo vitã quoq; æternam [illegible] in nos traducit. Hoc etiam magis, cùm donum ipsa Dei sit, [illegible] illo totum dependens, non autem ex nobis originem vllam [illegible], deceatq; dona donanti similia, & imprimis ipso digna [illegible], qui donat, quod quidem donũ à Deo per Iesum CHRISTVM nos accepimus, & in CHRISTO Iesu illo perfruemur.

An ignoratis fratres, scientibus enim legem loquor, quòd lex dominatur homini, quandiu viuit? Nupta enim mulier viuenti viro alligatur lege, si autem moriatur vir, soluta est à lege viri: sic igitur viuente viro adultera iudicabitur, si hæreat viro alteri: si verò moriatur vir, libera est à lege, vt non sit adultera, si hæreat viro alteri. Quare fratres mei & vos perempti estis legi per corpus Iesu Christi, quo hæreatis vos alteri ei, qui ex mortuis excitatus est, vt fructum feramus Deo.

RATIO ista Apostoli tota intenta est ad cohortandos Iudæos, vt audacter desciscant à lege, & dicent se CHRISTO tanquam ipsi legi mortui sint, & lex ipsis. In illis enim fidei nouæ primordiis complures adhuc eorum titubabant, noscentes quidem [illegible], & veritatem mysterij Christi, sed insito metu legis, in qua [illegible] erauerant, patresque suos & auos in eadem professos cultũ Dei veri meminerant, in ancipites curas distrahebantur, vt non plane statim decernerent, quid sibi esset faciendum: hos sic hæsitantes, & ambiguos, nequaquam aspernantes fidem Christi, sed dubitantes tamen, impellit Apostolus, vt toto pectore Christum amplectantur eo, quòd nullum ampliùs in eos imperium habeat lex, quippe cui ipsi mortui sunt, lex verò in eis tantum ius suum exerceat, qui in vita hac illi sunt subiecti, quod autem homine mortuo soluatur in eum imperium legis, exemplo ex ipsa lege sumpto planum facit. Est enim in lege positum, vt mulier viro nupta tota sit viri, nec alienum virum vllo modo expetat, quem si expetierit, vt adultera puniatur: hoc ex lege vinculum [illegible] mulierem obstringens, si vir moriatur, dissolutum statim est: nec ad alterum virum transiens mulier, iam est adultera ampliùs iudicanda. Atque hoc quod in parte quadam, & in vno præcepto legis perscriptum est, idem profectò valet in vniuersam legem, quæ siue ipsa antiquetur, siue illa qui tenentur, vita ipsi [illegible] sint, solutum est omne vinculum, neque ampliùs mortui qui iam sunt, legi ipsi subjiciũtur, neq; sanè refert quod est in

exem-

exemplo viri & mulieris positum, vtrius solutio & mors in eo cogitetur, quando alterius vtriusuis morte alter solutus est, & a vinculo legis quod ad matrimonij ius pertinet, per illius mortem liberatus, nosque cùm morimur legi, lex etiam mortua nobis. Sed vt nostram hanc cum lege coniunctionem explanemus, ac nunc de nobis tanquam de Iudęis illis loquamur. Quemadmodum si coniugio deuincti non sumus, nihil habet potestatis in nos ea lex, quæ de coniugio est posita, & si publicanorum dimimus, leges publicanorum non sunt nobis latæ, nec in finibus regundis sunt, si agrum non possidemus, nec quasi de licidiis, si domicilio sumus priuati, sic in vniuersum omnes Moysis lex regendis, & docendis hominibus lata sit, quia illis in hac vita, & in his terrenis mundanisque rebus, ac bus, studiis, commerciisque sine offensione Dei versandis, agendumque sit, si terrena ista omnia negligantur, & pro nihilo pendantur, neque è corporeis, & carnalibus his curis quisquam pendeat, iste legi profectò iam mortuus est, & lex ipsi, nec cum altero quicquam ampliùs rei habet, nec rationis: sed quidem Christi secuti sunt, & Christo sese totos, ac per Christum Deo dediderunt, hisce omnibus mundi rebus & mundanis studiis mortui sunt, quippe qui cuncta abiecere corpore, & expendiauere, solisque in cœlestibus spem suam collocauerunt, & ergo imperium iam nullum, neque potestatem habet, solutum enim est vel discissum vinculum potiùs corporis, & corporeorum, quo antea legi tenebantur obstricti. Liberè ergo possunt sicut mulier priore viro orbata ad virum alterum, scilicet per mortem Iesu Christi, in cuius omnes corpore, qui Christum esse volumus, commortui cum illo sumus, à legis imperio liberè effecti conferre se ad alterum eum ipsum videlicet, qui è mortuis idcirco excitatus est, vt nos vnà cum illo quoque excitati fructum iam Deo, & non ampliùs legi feramus, vt seruitus deceps nostra in his sit, quæ sola Deo verè accepta, grataque sunt, quæ à dedita illi voluntate, & spe eiusmet fruendi, possidendi terrenis penitus abiectis studiis proficiscuntur, in quibus fructus terrenis lex imbecillitatis tantùm nobis est carnisq; dilectio.

Quando enim eramus in carne, infectiones peccatorum quæ per legem sunt, operabantur in membris nostris, vt fructum ferremus morti. Nunc autem soluti sumus à lege morientium, quo continebamur, vt seruiamus in nouitate spiritus, & non vetustate literæ.

QVASI declarans, quid sit fructum ferre Deo, ostendit quid antea erat ferre fructum morti, quando carnalem vitam sequebamur

[illegible]ur, inquit, hoc enim est quando eramus in carne, cùm car-
[illegible] desideria, & commoda magni æstimabamus, in quib[illegible]us discri-
[illegible]ndis, & regendis authoritatem, & dilig[illegible]ntiam omnem
[illegible] adhibet lex, tunc infectiones pecca[illegible]torum, quæ per legem
[illegible] est, illa intentio, multiplic[illegible]tioque peccatorum, quæ per
[illegible]sionem legis in nobis facta est, quandoquidem per legem &
[illegible]quodque peccatum maiore culpa committitur, & plura id
[illegible] peccata necessariò pòst sequuntur: istæ ergo infectiones,
[illegible]ationesque peccatorum operabantur in membris nostris,
[illegible] est, membra omnia nostra ad sibi succurrendum, inseruien-
[illegible]que aduocabant. In quo attentè inspiciendum est volenti-
[illegible] intelligere, qua ratione lex ansam præbeat ad grauius, mul-
[illegible]iusque delinquendum. hoc in his paucissimis verbis ab A-
[illegible]olo indicatum esse. Id porrò nos sic explicemus: Omne pec-
[illegible] si nulla sit posita lex, licet peccatum sit, Deumq; aut pro-
[illegible] dedecore, damnóue offendat, tamen si patretur, atque
[illegible]tur, neque conscientiæ morsus graues habebit, vt quod
[illegible] lege reprehensum sit neque demonstratum, neque prohi-
[illegible], neque terroribus animum perturbabit, nulla illi peccato
[illegible] in lege proposita, sed ipsum per se languens, & tacitum, at-
[illegible] ad fodiendas stimulis curarum mentes nostras inerme ter-
[illegible]tur in sese, expletaque cupiditate, & libidine sua conquie-
[illegible], quòd si accedat monitio, & doctrina alicuius grauis & au-
[illegible]tatem habentis viri, qui demonstret & doceat, quàm sit ini-
[illegible] & turpe iniuriam proximo facere, idemque quod sit æ-
[illegible] & rectum commoneat: suadeat abstinere à talibus, horte-
[illegible] in pudore, & in officio quisque permaneat: hac iam acce-
[illegible] cogitaque disciplina, si quis postea contra huiusmodi præ-
[illegible] deliquerit, cum peccato grauiore deliquerit, quippe in quo
[illegible] facinoris culpam, quæ in facinore ipso sita est, contem-
[illegible] etiam præcepti sanctioris fuerit additus, quod ipsum per se
[illegible] leue est peccatum. Tum verò intus sentiet reprehensiones
[illegible] veluti rationis acrius ipsum obiurgantis, quòd eam
[illegible], quam prauam, & nefariam esse intelligeret, nihilominùs
[illegible]sset, neque bono in ea re consilio, sed inconsultæ potiùs
[illegible]ditati paruisset. Hæc intestina rationis reprehensio nata
[illegible] ex monitionibus illis, quæ doctrinam dederant, recti praui-
[illegible] internoscendi, & peccatum magis vt graue sit, & id magis et-
[illegible], vt intelligatur, facit: vt cùm duplex quodammodo & ge-
[illegible]atum peccatum ex simplici, atque vno sit factum, tum eius in
[illegible] infectio tanquam vibex, & verberatio quædam illa ipsa
[illegible]eat conscientiæ obiurgatio, per quam peccatum ad nos in-
[illegible] perturbandos vegetius redditum est. Quòd si præter doctri-
[illegible], & suasionem lex feratur, quæ pœnam peccato mortis, ex

lii, ignominiæque proponat, nónne quot interdicta in lege pe-
sita sunt, tot fiunt accessiones magnitudini, grauitatiq; peccati,
totq; in anima ex peccato ipso oriuntur infectiones, non mo-
iam conscientiæ solùm, sed assidui metus, sed infestæ suspiciones,
cùm diurnis nocturnisque solicitudinibus vrgemur, cùm pœnam
pertimescimus, cùm vt eam effugiamus, aut fraudem aliam ad-
quam, aut vim etiam suscipimus, & meditamur, nec pœnam
admissi terrorem sine alio peccato excutere nos posse [illegible]
Atqui ista sunt pathemata, vt Paulus inquit, peccatorum quæ in
membris nostris operantur, per quæ peccatum nostrum [illegible]
imperat, vt ad sibi succurrendum, & subueniendum [illegible]
stò sint. Lingua inficiando crimina ad periurium vocatur, [illegible]
atque vultus simulationem suscipiunt, manus ad cædem [illegible]
tur, pedes expediuntur ad effugium, è corde omnia [illegible]
silia euocantur. Atque hoc examen facinorum, & [illegible]
ge, & per legem in nobis coortum, totos nos corripit, & in [illegible]
tutem redigit peccati, vt perturbationibus intestinis [illegible]
mnia membra nostra deseruire cogantur. Quorum quidem [illegible]
cinorum multò maxima parte, si lex nulla extitisset, [illegible]
facilè carere, horum nunc infectionibus vexati, atque [illegible]
fructificamus morti, quò enim ampliùs inuoluimur [illegible]
hoc ius morti maius in nosmetipsos tradimus. Atque [illegible]
cati velut hydram quandam multiplicatam ex vno [illegible]
nie numerosa & produxisse quodammodo videtur, [illegible]
lex, & si legi hoc quidem non sua ipsius omnino [illegible]
aliqua culpa ipsius accidit, quæ non hydram [illegible]
ad plurimos fœtus educendos cupiditatem istam [illegible]
clisit ex animo, sed eam quidem cùm reliquisset, [illegible]
busdam regere posse existimauit, vt non vltra quam [illegible]
foret, illa progrederetur. In quo & spe, & opinione [illegible]
pta est. Quid enim dixerit quispiam, qui legem illam [illegible]
inopia consilij in hunc errorem lapsus est? minime ille [illegible]
que adeò labi potuit, sed cùm ipse verbis, sententiisque [illegible]
nis, atque ipso sono, voceque literæ terrena, & corporea [illegible]
proposuisset, spiritualia sub illis, & diuina voluit intelligi, [illegible]
intelligentia qui peruenissent, nucleumq; iam inuenissent, [illegible]
ticem mox abjicerent, neque in litera peccati, & mortis [illegible]
trice, sed in spiritu viuificante ad Deum, & ad Dei [illegible]
niterentur. Quod nos per fidem Christi verè facimus, qui [illegible]
à iugo legis, & literæ cupiditatis nostræ morte, hoc est Christo [illegible]
corpore peccati cõmortui, per quod corpus legi subijcie[illegible]
& per illud in potestate legis tenebamur, ad excitatum [illegible]
iam Christum sine præuaricationis nota confugientes [illegible]
mus Deo in nouitate spiritus, cuius mysterium [illegible]

[illegible]est, non ampliùs in vetustate literæ, quæ exauthorata, & [illegible] iam obsoleuit.

Quid igitur dicemus? lex peccatum est? absit, sed peccatum [illegible] cognoui, nisi per legem. Nam & cupiditatem non cognoscam, nisi lex dixisset, Non concupisces. Occasionem autem [illegible] peccatum per præceptum peperit in me omnem cupiditatem. Absq; enim lege peccatum mortuum est. Ego verò viuebam [illegible] lege aliquando, adueniente autem præcepto peccatum re[illegible], & ego mortuus sum, & repertum mihi est præceptum, [illegible] erat ad vitam, id esse ad mortem: peccatum enim occasionem capiens per præceptum decepit me, & per præceptum ipsum me peremit. Quamobrem lex quidē sancta, & præceptum sanctū, & iustum, & bonum. Quod igitur bonū mihi factum est mors? absit, sed peccatū vt appareat peccatum per bonum mihi parere mortem, vt fiat præter modū culpabile peccatum per præceptum.

Hoc est, vt ab vltimis verbis incipiamus interpretari, quoniam peccatum, quod per se si non incusetur, neq; ad supplicium vocetur, languidum, atq; iners minimè mentem atque animum [illegible] conturbabat, aduentu legis acrius factum est, & ad infe[illegible] mihi mortem valentius. Qua ratione manifestum fit, multiplicatum ex occasione præcepti & maius ac vehementius [illegible] esse peccatum. Nam cùm propositum Paulo sit omnibus modis elidere legem, quæ obicem, & offendiculum fidei CHRISTI opponebat, nec sinebat homines liberè, ac solutò animo ad Christum se conferre, & ante eius inutilitatem [illegible] aduecta, superstitionemque declarauit, & nunc illud quoque ex ea damnum, detrimentumque monstrat, quòd auctum est per eam potiùs, quàm diminutum peccatum, neque propterea tamen legem quis malam fuisse suscipiat, quippe quæ [illegible] fuerit, vt remoueret peccatum, sed vitio peccantium ansam ipsa præbuit grauius asperiusque delinquendi. Nec verò video, cur tantoperè pertimescant in his verbis Pauli nonnulli sancti viri, ne arguere legem ipsi, atque eam tanquam effectricem peccati accusare videantur, non enim vim, sensumque Apostoli [illegible] diligenter attendunt, qui quod cautè, & honestè de lege loquitur, auribus Iudæorum dat, vt ne reprehensione legis nuda, [illegible] aperta illi incendantur: quà verò rejicit illam, atq; condemnat, cordibus verè illorum id nititur insinuare. Nihil enim magis Apostolo spectatum est, quàm vt ab lege tanquam damnosa inutiliq; Iudęi recedentes omne studiū pietatis in CHRISTO [illegible] constituant. Atque hoc nos de lege tota dicimus, noxiam

iam illam esse, & pestiferam, in CHRISTO credentibus, si vniuersa suscipiatur, & quatenus porrecta in litera est à nobis obseruetur, licet partes ex ea aliquot in moris nostri obseruantiam si pergamus esse carnales, rectè translatæ sint. Nam spiritualis ex nobis, & in CHRISTO plena fide hærentibus in totum intuitus & superuacanea est lex. Non enim eadem in illa præcepta, quæ in Euangelio sunt, quando non ad eundem finem, non ad eandem spem vtrobique sunt intenta. De quo in priore libro diximus. Verùm eadem lex, si posthabito sono literæ adspiratum, & mysterium veræ in Deum fidei, posthabendis terrenis omnibus traducta sit, sanctam illam semper & à nobis colendam venerandamq́ esse prædicamus, quo vno illa modo ad finem CHRISTI transitus gradusque est, non ab eadem fide diuersus. Non igitur lex ipsa peccatum est, inquit Paulus, sed indicatio demonstratioque peccati. Non enim noscebam concupiscentiam, inquit, nisi lex dixisset, Non concupisces. Quod est in quadam parte concupiscendi à lege interdictum, nam vniuersam quidem cupiditatem, alit potiùs, & fouet, quàm abjicit lex, quæ semper terrena bona, semper familias, & liberos, semper pleniores & rores cœli, ad vbertatem frugum hominibus proponit. Sed venit lex, quod iam alterius factum esset, id ab alio quoque concupisci. Nec rem inquiens, nec vxorem concupisces alienam. At per hoc præceptum, & interdictum legis occasionem aperit, peccatum amplificauit in me omnem concupiscentiam, quo autem pacto amplificauit? Quia vbi semel esset lapsa cupiditas siue errore, & incuria quadam, siue etiam malitia, quando quidem ardentius, & pertinacius ad vetita contendere solemus, vbi quidem semel illa ad raptum, & ad libidinem se protulisset, multorum deinde facinorum comitatu necesse habuit se commouere, ac præter priorem illum contemptum legis, atque præceptorum aliorum quoque peccatorum, vt iam diximus, ingentem illam secum trahere, quibus lex occasionem præbuisse videtur, quoniam absq; lege peccatũ mortuum est, inquit. Quid mortuum? nónne & sine lege mortiferum antea peccatum fuit? Sed enimuerò, id enim & è paradiso Adæ eiectio, & confugiendo Sodomæ, & ipsæ præcipuè vndæ diluuij satis indicauere. Atque vt ne de peccatis solùm voluntariis intelligamus, & his quæ malitia, & certo consilio proficiscuntur, illud ipsum peccatum, quod ex patre primo Adam domesticum nobis, & natiuum factum est, quod vel inuiti, vel ignorantes gerimus, ipsum illud, inquam, peccatum nobis est ad mortem, per quod natura, vt Apostolus ait, omnes filij iræ sumus. Ita semper quidem fuit peccatum causa mortis, sed leni, tacitoque veneno sic antea vtebatur, vt cum voluptate quadam delaberemur ad mortem,

mortem

rem autem vtramque & corporis, & animæ, quoniam in vtraque inferendæ mortis peccato est potestas. At postquam venit lex, quæ & monstrauit, & prohibuit peccatum, pœnamque illi insuper sanxit, tunc exorta sunt quamplurima ex peccato themata, quæ nos variis modis perturbarent, metus, fugæ, alterum conquisitiones, aliorum solicitationes, fraudes, cęcutiũdæ, periuria, & omnis illa scelerum manus, quæ nocentem animum solita est comitari, instincta mœroribus, angoribus diurnis, nocturnisque solicitudinibus, quæ cuncta arma ipse peccati, ad dominandum membris nostris, mortisq; spemet diu antè nobis, & illius vim, terroremque ostentantia, ad quam postremò mortem cùm fuerit ventum, acerbiore etiã illo multo, & terriore excipimur, quàm si ignari, quidnam esset peccatum, & nihil tale cogitantes ad eam sensim deuenissemus. Illo enim modo certè & quietiorem traduxissemus vitam, & fuissemus mortis leniori addicti. Atqui tanta hæc acerbitas, multiplicatoque peccati occasionem, atque ansam ex lege accepit, ex lege autem Moysis, nequaquam enim de hoc dubitandum est, nec quid de lege alia loquatur Apostolus, existimandum. Sola enim illa lex veram notionem peccati afferebat. Cuius culpam, & crimen sola metiebatur ex ira, & offensione omnipotentis Dei, quod est vnum peccare verè, & scelus, culpamque suscipere. Quum absque lege peccatum mortuum est, inquit. Ego autem absque lege viuebam aliquando, quod intelligendum est de ea vita, in quam ius legi adhuc nullum est, quòd nec peccatum in illa, vt peccatum accipitur, & à pœnis, sanctionibusque legis humanis eadem ætas est, & libera, cuiusmodi pueritia, & illa primæua ineuntis adolescentiæ sunt. idem enim est illa esse sine lege, & legem in ea ius non habere. Quod si ab vnius hominis vita, atque vita ad nationem totam Iudæorum, ratio similis transferenda est, id quod Apostolo est vsitatum, & frequens, ab Abram vsque ad Moysem si populum Hebræum accipias quemadmodum egit, & vixit sine lege, tempus illi huius pueritiæ accommodes, quando in lege nondum eruditus, neque admonitus ex ea, quid cauendum esset, & quid sectandum, peccati vim in nullam, neque ex eo molestiam animi sentiebat. Viuebam ergo sine lege aliquando, hoc est, securo & tranquillo animo eram, nullis intus ex peccato stimulis, morsibusque vrgebar, quippe qui peccatum non agnoscebam, fructumque hunc vitæ quietis capiebam. At postquam aduenit præceptum, cœpitq; lex viuere in me potestatem, reuixit peccatum, & ego mortuus sum. Tum peccatum accepit vim, tunc ex agnitione ipsa, vitio tamen meo rius & vehementius illud factum est, multisque se circumstantiis instruxit, atque ego sum mortuus. exturbata enim

pace animi, atque angoribus, & timoribus multis introductis, criminibusque multiplicatis, atrox mihi imago mortis repræsentata est, cœpitque in me tanto ante mors vim, & ius suum exercere. Quod idem de cognitione peccati, & turbulenta propter hoc ipsum vita testatus est Dauid, Quoniam, inquiens, iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum contra me est semper. Compertum est itaq; præceptum legis, quod datum mihi erat ad vitam, quod ego si custodissem, vitâ eram habituros, quam & vt adipiscerer, idcirco mihi fuerat traditum: id, inquam, præceptum compertum est fuisse mihi ad mortem, non ipsum quidem ex se, neque ex natura sua, sed meum vitium & peccatum, ex præcepto illo occasionem capiens decepit me, quibus enim omnia vtendum erat ad salutem, & quæ propter eam causam erant facta, vt ex illis ego vitam adipiscerer, ipsis illis armis peccatum me interemit. Nam præceptum quidem ad eam rem erat datum, vt tolleret peccatum, atq; vt excinderet, quod cùm facere non potuisset, coegit illud increbrescere, adiuncta enim resistendi contumacia, ac neglectu legis, cęterisque ad effugiendum pœnam criminibus accersitis, & maius, & impotentius factum peccatum est. Proinde lex quidem sancta est, & præceptũ sanctum, iustumque, & bonum, id est, sanctum ipsum quidem ex se, & bonum, & ad bonum finem pertendens, si materiem sibi commodam, & tractabilem offendisset. Sed quoniam rebellem, & contumacem reperit, non solum ordinem illi, & formam afferre non potuit, sed dedit causam quodam modo turbidius etiam, & deterius se habendi, sicut sæpenumero in cataplasmatis vsuuenit, quæ eruptionibus pituitæ in corpore imposita, cùm non ad vocem pituitam extenuandam vim habeant, sed illius impetum in aliqua parte corporis reprimere conentur, dant ferè causam, & motum pituitæ, vt asperius, & violentius se ejiciat. De quibus quidem cataplasmatis, idem quod de præceptis legis dici potest, bona esse illa, & salutaria, & commoda, sed ipsam tamen pituitam occasionem ex illis interimendi hominis cepisse, cum similitudine bona lex, & iusta, sanctumque præceptum, sed quia non vniuersam in animo cupiditatem excidit, aliquasque eius partes duntaxat, extinguere est conata, idcirco & commotus magis, exasperauitque cupiditatem, & occasionem illi animæ maturius, acerbiusque interimendæ. Hoc sensu iuxta angelio Dominus, Si non venissem, inquit, peccatum non habuissent. Quid ergo, aduentus Domini causa illis fuit peccati? Minimè per se quidem, ipse enim venerat, vt eos ab omni peccato eriperet, sed ipsorum neglectus, & contumacia, & aspernatio noscendæ, amplectendæque veritatis grauius in illis peccatũ ex aduentu CHRISTI constituit. Ita non id quod bonũ est, ita

[illegible] mors, sed peccatum potius est, quod id bonum ad detri-
[illegible], perniciemque conuertit, quandoquidem ipsum pecca-
[illegible] contra bonum stando, idque reijciendo, & conculcando fit
[illegible] grauius, & cupabilius peccatum, quam si nullum ex aduer-
[illegible] habuisset, contra quod tenderet, & ex cuius conten-
[illegible] irritatum ipsum asperius fieret.

Scimus enim quod lex spiritualis est. Ego vero carneus sum, [illegible] sub peccatum. nam quod operor, non cognosco. Non [illegible] quod volo, id ago: sed quod odi, id facio. Quòd si quod nolo, [illegible] facio, consentio legi, quòd bona. Nunc autem non amplius ego [illegible] operor, sed quod habitat in me peccatum. Scio enim quòd [illegible] habitat in me, hoc est, in carne mea, bonum. Nam velle ad-[illegible] mihi, facere autem honestum non reperio. Non enim quod [illegible] bonum: sed quod nolo malum id facio. Si vero, quod [illegible] hoc facio, non iam ego id operor, sed id, quod in me ha-[illegible] peccatum.

Postea quam dixerat peccatum ex interdicto, & prohi-
[illegible] legis ansam sibi acquisiuisse, per quam ipsum grauius &
[illegible] fieret, quæstioni tacitæ nunc occurrit. Potuit enim oc-
[illegible] aliquis, & dicere: Cur ergo peccatur in id, quod lex pro-
[illegible] omnino fuerat peccandum, quid ita data lex est, quæ
[illegible] esset peccatum, & multiplicius id effectura? difficilis
[illegible] quæstio. Itaque respondet Apostolus, duasque nostri par-
[illegible] ostendit, quarum partium alteri, & probata & accepta
[illegible] altera pars sit legi, & parti illi, quæ cum lege facit, con-
[illegible] aduersaria. Quarum duarum partium inter se conten-
[illegible], atque pugnam exponere conatur, hominem illum ex-
[illegible], qui ante aduentum gratiæ Dei, & CHRISTI, in lege
Moysis fuit, is enim maxime his certaminibus & prælijs car-
[illegible] aduersus mentem erat expositus. Nec sane in hoc loco legi
[illegible] locus est, habebat illa quidem in se simulacra quædam
certaminum huiusmodi, potius quam certamina, sed veluti
quæ nihil ad Deum penitus referebat: ad coitionem vero quan-
dam hominum retinendam, & conseruandam studia sua dirige-
bat, & quicquid non esset contra societatem communem, libe-
rum hominib. & permissum relinquebat, admittebatq; libidines,
nec vlla vitæ oblectamenta, quæ fraudi modo, & detrimento pro-
[illegible] non essent ab se, & ab quotidiano cultu, victuq; suo reijcie-
bat, non est ad verum, & proprium legis nomen illa lex naturæ
[illegible]. Quapropter de lege Moysis oratio
[illegible] est. Quam quidem scimus legem, inquit, quòd spiritualis est,
[illegible], ei parti hominis edicta, & lata, quæ ex mente rationeque

consistit. Sic enim spirituale hoc loco, vt cupiditati, & sensui, quæ magis corporeæ sunt affectiones, opponitur, intelligendum est, qualis interior homo est, qui non videtur, nec tangitur, quod est proprium spiritus, vt distinguitur ab homine externo & corporeo qui iam sensioni, & oculis subiectus est. Porro autē mens, & ratio spiritualis pars hominis, quæ sensum omnem corporis effugit, verius, & dignius ipsa est homo, quam aut caro, aut qui in carne affectus sedem, & locum obtinent, cui ipsi parti potissimæ, & principi lex est præcipue lata, quæ instrueret mentem, atque ... genere illo scientiæ, per quod prauum illa à recto, bonum malo, quodq; Deo gratum esset ab eo, quod ingratū sciret, posset distinguere, & cum illud persequi, quod probari Deo intelligeret, tum id vitare, quod esse illi odiosum, aduersariumque arbitretur. Spiritualis est igitur lex, quoniam huic parti lata est, quæ est longe aliena, & dissentiens à corpore, tum natura, tum etiam studijs ferè & voluntatibus, per quam partem postea etiam in sensus affectionesq; corporis dimanare legis vis & præceptum bene agendi, recteq; concupiscendi possit. Sed vt nequaquam fuit difficile vinci à lege rationem & subijci, ita illud difficilimum per rationem, & per legem, temeritatem carnis contundi, & comprimi. Obstat enim semper hic corporeus homo rationali homini, atque illi dicto patitur audiens esse, & cum in vnam partem ab eo discedere iussus est, in aliam, & diuersam nequiter ipse mentem, quod cum facit, non ille menti eripit concordiam, & omnem bonem conueniendi cum lege, sed in seipso illius vim, & sanctitatem irritam facit, vt corporeo homini nequeat lex dominari, quod is & legi, & rationi contumax sit. Hunc vtrunq; hominem in semetipso exprimens Apostolus, tanquam vterque loquitur, & ... se in parte carnis, nunc in spiritus ponit, Nouimus, inquiens, quod lex spiritualis est, hoc est menti, & rationi lata, & in ea imperium obtinens. Sed ego homo carneus sum, venditus sub peccatum, mancipium factus peccati, cui caro ipsa me vendidit. Illa enim tantummodo id cogitans, quo pacto posset explere cupiditates suas, reliqui hominis in me rationem nullam duxit, sed vt ... ptatis pretio empta dedit peccato me possidendum. Itaque quod facio, non cognosco, cum ego seruio peccato, non id agnosco meum, non mei illud iudicij, non liberæ voluntatis est, non enim, quod volo, id ago, sed quod odi, id facio. Ita in vtroque vis, cum neque quod volo, id agere mihi permissum est, & ... quod odi, faciendum detrudor. Sed in hac tamen dissensione apparet, si id quod ago, non agere magis vellem, quòd ego ... nus homo videlicet, & ex ea parte qua spiritualis sum consentio legi, & eam approbo, atque adscisco, tanquam bonam: quod si contra eam ipsam ago, non iam is ego sum interior homo, qui ...

pro frangam, sed est peccatum illud, quod habitat in me. Peccatum quod habitat, inquit, cuius & fomes natura nobis insitus est, ministrium cupiditatum, & seditionum omnium, quod nequaquam à nobis auellere possumus, & ipsa deinde frequentatio, cõtinuatioq; peccati, quæ peccandi consuetudine in habitum mouet, adducitur, etiam contra legem est, & contra mentis rationem adiuncta. Atq; illa quidem naturalis carnei hominis ad peccatum propensio præceptum illud legis aspernatur, quod est, non concupisces. Habitus vero ipse peccandi, reliqua præterea omnia cõtra legis, atq; mandata confundit, & dissipat. quod cum inuitus, & reluctante ratione fit, quod accidit fermè in ijs, qui scientia instructi ad cognitionem boni, maliq; sunt, vt non prorsus ruant, neq; ad delinquendum proiiciant sese, sed vi tacita quadam sensim eò pertrahantur, tunc est rationis & voluntatis cum habitante in carneo homine, peccato dissidium, vt voluntas quidem legem amplectatur, illiq; hærere cupiat, peccatum autem & legi, & voluntati vim afferat. Non enim, inquit, in me, hoc est, in carne mea, habitat bonum. Nam si habitaret, cum ego bonum velim, agerem id etiam. Quid ita autem non ago? Quia cum id cupio agere, non inuenio viam, quæ me eò deducat, quòd & vi alia quadam distrahor, & lumini mentis meæ quasdam intus tenebras offundi sentio, cum illa vaporibus, fumisque cupiditatum turbata, atq; aberrans, neq; consilium pristinum firmum, neq; rectam sensum amplius tenere scit.

Reperio igitur legem volenti mihi facere bonum, quòd mihi malum appositum est, condelector enim legi Dei, secundum interiorem hominem: verum aspicio aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuum me dedentem legi peccati, quæ est in membris meis. Miser ego homo, quis me liberabit è corpore mortis huius? Gratias ago Deo per Iesum Christum, D. N. Igitur idem ego mente quidem seruio legi Dei, carne autem legi peccati.

PERGIT eundem statum demonstrare Iudæi hominis ex lege vitam agentis, in quo ista pugna mentis, & carnis assidua est, neque illo pacto potest ad concordiam conuerti, quod in illa lege accidit, quia & si spiritum ac rationem lex instruebat: carni tamen bonam, & magnam partem relinquebat. Nam & diuitias magnifieri permittebat, & connubia etiam plura non interdicebat, eaque à Domino Deo peti suadebat, quæ essent carni, corporique accommodata, atque apta, vt pluuias, vt fertilitates, vt terræ fructus, vt familiarum, & armentorum sobolem, ac denique videbatur lex ita Deum Hebræis proponere colendum,

non vt eum ipsius causa hi venerarentur, sed vt ad sua terrena optata consequenda illius maiestate, & numine abuterentur. Et si non hoc vitium omnino erat legis, sed error eorum, qui legem tantum ex verbis, & literis attendebant, cueniebat quidem aliud necessario, vt permisso semel cupiditati regno, regi postea cupiditas, ac sustineri, vti voluisset lex minus facile posset. Repugnatur, inquit, legem, quòd volenti mihi agere bonum, malum adiunctum est, hunc, inquit, effectum in me legis, hanc doctrinam sentio, quòd scio iam discernere, & distinguere in memetipso aliud esse mei, quod assentiatur legi, aliud, quod repugnet. Quod si non esset lex, nequaquam ego id animaduertissem, sed non inclinassem ad cupiditatis nutum. Nam recti quidem, & honesti, quatenus cũ Deo, & ex Deo ratio illius ducenda est, incogitans fuissem. Distinguo itaq; in memetipso, ex doctrina legis, & docente me lege, quòd Dei lege delector secundum internum hominem rationalem, spiritualemq; videlicet, secundum autem externum & carneum, repugno legi mentis meæ, quæ eadem est, & Dei lex, quando ipsi quidem legi Dei, mea mens assentitur, & anima: homo autem in me carneus, captiuum me redigit sub peccato. Nam quòd hoc legis vocabulo, & in membris, & in peccato abusiuè est, nequaquam id est proprie dictum. Sed vt solemus dicere Mammonam dominum, ac ventrem Deum, non quòd aut dominus ille, aut hic Deus: sed quia sunt, qui illis sese nimium subijciant seruos, sic legem membrorum, & peccati, non quia ista lex, vt quæ è contrario omnium legum potius sit perturbatio, sed quia mentis peccato & carni nimium inseruiatur. Ex lege itaq; hoc dicitur, inquit, vt discernerem, & nossem, cum cupio facere bonum, malum mihi adiacens, & appositum esse, quod iam ante alijs verbis dixerat, per legem scilicet esse cognitionem peccati. Iam cognosco peccatum. Video pugnam, intelligo quid intersit, sed quis est tamen, qui me ex hac eruat, & liberet seditione, atq; pugna? Quis est, qui huic corpori mortis, & carni peccati, hoc est, his corporis & carnis meæ incolis peccato, ac morti silentium, pacemq; imponat? Et statim tanquam hic innuens, quod paulo post aperuit est dicturus, non esse hanc opem à lege expectandam, quoniam in huius ferendi auxilij facultatem nullam habeat, & ad eum se conuertens, qui solus potest iuuare, Gratias, inquit, ago Deo per IESVM CHRISTVM, D.N. is enim me liberat Deus, neque per legem tamen, sed per IESVM Christum. Nam ego quidem vt Iudæum lege spem reponens vnus, atque idem cum sim, mente quidem seruio legi Dei, carne autem inseruio legi peccati, vt autem per IESVM Deo seruio, ne carne quidem subijcior sub peccatum, & ab hac molestissima rixa, assiduaq; contentione sum ereptus, quod in verbis sequentibus latius declarat.

Nulla

Nulla igitur nunc condemnatio his, qui in Christo Iesu, non iuxta carnem ambulant, sed secundum spiritum. Nam lex spiritus vitæ in Christo Iesu liberauit me à lege peccati & mortis. Quod enim impossibile erat in lege, & in quo illa impotens erat propter carnem, Deus suum ipsius filium mittens in similitudine carnis peccati, & ob peccatum condemnauit peccatum in carne, vt correctio legis impleretur in nobis, qui non secundum carnem ambulamus, sed secundum spiritum.

HIELYTVS, Ad eum locum in Paulo venimus iam, inquit, cui & fuit antea semper, & futurus erat inexplicabilis, nisi summum fidei nostræ mysterium hesterno die nobis Deus indicasset. Nam per Deum ipsum immortalem, quid aut verbis his pressius, aut latentijs absconditius potis est quisquam cogitare, aut profari? cum si illud vnũ duntaxat hic opponatur, disseri hic quidem de illa carnis rixa, quam nobis natura agnatam, & pertinacem nos sub dominatu peccati frangere, & superare non potuisse, quòd eam CHRISTVS à nobis remouit, atque abstulit. Nullam tamen hic dari rationem, nec causam, quamobrem, & eo pacto hoc ita fuerit factum, præsertim cum experiamur quotidie fere omnes, qui in CHRISTI etiam fide Deo subiecti simus, carnem, carnisque peccata in nobis locum habere, si hoc vnum, vt dico, hic obijciatur, quæraturque cur non idem potuerit, qui & cognitionem peccati tradidit, & vitari illud præcepit, & præterea præsentem quoque pœnam non obtemperanti apposuit, quod potuit CHRISTVS, qui sine lege, sine vlo præsenti terrore damnationis, atque mortis tantumuodo pœnam & supplicium in illum extremum diem differens, carnis tamen peccatum dicitur interemisse, qui vere, & clare respondeat, & qui in his verbis Pauli exponendis digitum rectè quæ progredi, profectò nemo reperiatur, nisi si quis ad responsum accedat illius cœlestis mysterij plena notione, intelligentiaq; instructus. Itaq; video æstus, laboresq; eorum, qui hunc locum interpretari conati sunt, tanquam in medijs fluctibus maris, pedesque agitantium, quò se aliquando eximere è tanto pelago, & vindicare in aliquam terram possint: quorum tamen sedulitas nobis non est infructuosa. Fecerunt enim illi suo labore, atque cura, vt & leuior noster labor, & vehementius in nobis studium inquirendæ, ac noscendæ veritatis existeret, verum illi parum cõuersi ad prædicandam magnitudinẽ diuini beneficij, quod eadem iure, ac merito faciunt, dignasq; in eo Deo gratias, & debita laudum præconia tribuentes, illud, q̃ vnũ maximè nostrum autem, & nosse expetit animus, quodq; vnũ ad dissoluendas omnes

quæ

quæstiones aptum, appositumque est, quare hoc gratiæ magis ex Euangelio nobis contigerit, quam ex lege, tanquam compertum omnibus prætermittunt, quod ab omnibus maximè ignoratur. Partim quandam velut rationem reddere se credunt, quòd in lege nostro ipsorum arbitrio, & nostris duntaxat viribus relicti expertes in ea eramus eius gratiæ, quam nobis per CHRISTVM Deus communicauit, & contulit, quasi non huius ipsius causa sit quærenda, quid ita in lege expertes suæ gratiæ nos voluerit Deus. Ast ego tua hesterni diei disputatione edoctus, & quòd sanctum mihi fidei CHRISTI mysterium id planè demonstrasti, in quo præiuit nobis CHRISTVS, & perspicuè viam patefecit, contemneremus, relinqueremusque mundanas cupiditates, atque ea, quæ sensibus percipi, & corpore contrectari possunt, in maximis haberemus, appeteremus autem magis, speraremusque cœlestia quæ nec cerni possunt, neque tangi: atq; horum spem patiundorum, in vno Deo totam constitueremus, cum & quæ hanc vitæ sectam, hocque Christianæ propositum voluntatis præmia sequerentur, CHRISTVS ipse surrectione ad immortalem suam vitam, & ascensione in cœlum sua nobis ostendisset: cum hoc, inquam, verissimum, altissimumque CHRISTI mysterium perfactum mihi sit, facile iam ego possim rationem reddere, cur non potuerit lex: Fides autem in CHRISTO possit temerarium, & petulantias carnis in nobis cohibere. Et enim fini contentio, & alio inducto genere sanctioris, & verioris, ac flagrantioris etiam cupiditatis pristina illa carnis cupiditas deflexa ad nos concidat, & intereat necesse est, vt etiam si interdum quod de improuiso capti, deprehensique in delinquendo labimur, ab illis tamen proposito delinquendi, & ab omni cogitatione in terrenis rebus infixa penitus abhorreamus, atque ita vel peccatum totum nobis, vel saltem animi seruitus, per quam peccato is subiectus est, sit ablata, atque erepta: quod tamen contingere nemini potest, nisi cum CHRISTO in carne commorienti, & cum eodem à mortuis excitato, in eiusdem societate spiritus mox viuenti. Illud tantum ex te quæro, quamobrem Paulus hoc fidei mysterium, quod CHRISTVS est, non ita aperte vbique exposuerit, vt omnibus esset in promptu, neu necesse nobis foret per mysticas, & arduas verborum, rerumque intelligentias in id scrutando & inuestigando peruenire. QVONIAM inquam, Iudæis ipsum, quod fecit CHRISTVS, idem illud Paulus in semetipso retulit, atque ostendit, qui mysterium fidei, & vita docuit, & factis, ipse enim terrena item, & mundana omnia contemnendo, & quo alijs esset vsui, atque saluti prouidendo, at salutis suæ & commodorum suorũ rationem nullam ducendo; tum autem tradendo ad superna, atque cœlestia, illorumque spem assequendorum

tem in Deo vno collocando, planius multo cognitu, illustriusq; faciebat fidei mysterium, quàm si illud lingua, & verbis tantum modo explanasset. Quanquam & satis, vt mihi quidem videtur, ipsius epistolis, & scriptis non modo iacta huius doctrinæ semina, sed etiam fruges lectissimæ, & optimæ eductæ sunt: vt in eis ipsis verbis, quæ modo recitata sunt, aperte patet, & perspicue, vt cum se dicit spernere omnia, quæ cernuntur, tanquam nouitia, & quæ non cernuntur, appetere, quòd ea sint sempiterna, vel cum ex oppressionibus spem confirmari fidelium testatur, vel cum gloriatur incommodis, quæ pro CHRISTO plurima perpessus est, vel cum in hanc sententiam sæpe loquitur, veritatem esse in CHRISTO, deponere nos veterem hominem corruptum, secundum cupiditates, & renouari spiritu mentis, induereque nouum hominem secundum Deum conditum in iustitia, & sanctitate veritatis. Ac si verum proferre volumus, totus potius Paulus mysterij est declaratio, quàm vt in eius aliquot verbis debeamus quærere, venariq́ue mysterium. Sed vt ad ea mi frater tenemur, quæ ad intelligentiam horum Pauli verborum, quæ tu iam difficilima esse dixisti, apta, appositaq́ue sunt: vides profectò ipse hoc, vt tu inquis, fidei mysterio edoctus, nullo modo potuisse legem, hæc carnis vitia comprimere, iubendo, aut vetando, quæ facilime comprimat fidei virtus. Cuius impotentiæ, & imbecillitatis in lege illa est ratio quòd lex quamuis spiritualis sit, hoc est, eius nostræ partis causa lata, quam interiorem in nobis hominem dicimus, is enim spiritus est corpori dissimilimus natura, atque substantia, atque vt ipsa nobis indicaret, atq; ostenderet, in quo esset error, & culpa, & peccatum, idq́ue vt discerneremus, ac vitaremus, instrueret: tamen non vsque eò fuit spiritualis, vt nos totos ad ea euocaret, quæ cognata, & propria sunt spiritus. Sed cum in carnalibus, & terrenis nos versari permitteret, spiritum, hoc est, rationem, mentemq́ue nostram veluti ministram subiecit corpori, & carni vt in illius tantum affectionibus, motibusq́ue dirigendis, & gubernandis esset occupata, ipsa autem ex sese nihil sibi cœleste, neque diuinum proponeret, ad quod solum contenderet, & in quo summam constitueret beatitudinis suæ. Itaque quemadmodum auriga, qui frænandis & cohibendis equis appositus est, aut gubernator, qui naui inter fluctus dirigendæ præest, nullam vnquam artem tam exquisitam, tam certam potuit reperire, qua fretus, non solum grauis tempestatum casus, sed etiam quotidiana omnium horarum pericula vitarum se confideret, sic illi Mosaicæ contigit legi, vt dum sancta illa quidem, sed tamen terreno, humiliq́ue consilio aliorum peccatis obuiam ire vult, efficeretur ipsa magis occasio peccati, quando ad carnis vitia, atque culpas, quas tollere illa non potuit,

tuit, accessit etiam præuaricatio. Nil igitur mirum, si neque lex hominem carnalibus studijs deditum, frænare, & coercere, at fides CHRISTI, quæ hominem totum excitauit è terra, ita mortalibus, interiturisque bonis curandis, atque expetendis, ad cœlestia, & immortalia desideranda bona transtulit. Vitæ horum terrestrium sordes, ignobilitatemque contemnens, diuinorum præstantiam, nobilitatemque adamaret, docens Christo, persuasit, atque impulit. Quid mirum, si ea nullo negocio, & carni reliquit locum, quò illud in carne consistens dominari aduersus spiritum, vitamq; posset? Atque cum de horum statu, & eorum, qui legem colebant, proximè dixerim, Christus, trixamque in illis carnis atque mentis sua ipse in persona oculos exposuisset, nunc ad vere Christiani hominis statum, & conditionem demonstrandam se confert, Nulla, inquiens, jam est condemnatio, qui sunt in CHRISTO Iesu, qui non secundum carnem ambulant, sed secundum spiritum. Nam hi non legi subiecti, vt qui mundo, & carni, & terrenis omnino mortui sunt, nec ius in eos lex, nec potestatem vllam obtinet adeundi, atq; damnandi, sub regnum enim spiritus, & vitæ in CHRISTO Iesv transeunt, quam nimirum vitam, neq; dare, neq; eripere nobis, neque item auferre potest lex. Non enim abhinc magis, aque condemnamur per legem, quicunque in spiritu ambulamus. Nam lex spiritus vitæ in CHRISTO Iesv, inquit, ego hic non suo nomine appellans, sed vocabulo abutens, vt hinc alibi legi par verbum legis in spiritu referat, quod est Apostolorum. Nam viuere spiritu totum amoris est, & voluntarium vocant: legis autem est iubere, & vetare, idque agere pro imperio, & minas quoque ac metum pœnæ adhibere. Lex ergo spiritus vitæ in CHRISTO liberauit me à lege peccati, atque mortis, id est, à lege spiritus vita, qua ego post obitam mortem cum CHRISTO per quam mundo, & carni fui peremptus, cum eodem mox CHRISTO ad vitam iustitiæ suscitatus sum, vt vitam posthac Deo & non mundo: ista inquam suscitatio, per CHRISTVM mihi communicata ad spiritualem iam degendam vitam, illorum me reddit à lege peccati, atque mortis. Iam enim in me nec peccato potestas est, nec per peccatum morti, neque adeo quoque Mosaicæ legi, quæ est his vtrisque polita, & vt peccatum nobis demonstret, videlicet atque arguat, & vt peccato mortem pœnam, nisi cauerimus, irroget. ab ipsa enim tota lege per iustitiæ vitam iam sum liberatus. Sicut enim CHRISTVM tem in carne illi obitam, ego in voluntate mea, & in proposito animi imitator, quod carnem meam vna cum illius morte peccato volo, sic & eiusdem resurrectionem imitatione assequor, eum ad spiritualem iustitiæ vitam cum eo ipso vna excitor, atque

Resurgo. Quo in statu iam mihi consistenti neque peccatum, neque mors, & propterea neque lex potest dominari. Quod enim impossibile erat in lege, & in quo illa impotens erat, propter carnem, propter carnem, inquit, impotens erat lex liberare nos à peccato, quod exprimere non potuit clarius, quàm imbecillitatem propter carnem legi attribuere. Quoniam enim lex carni suum regnum, & cupiditates suas terrenas relinquebat, illas autem ipsa regere bono more duntaxat, & metu eas pœnæ ex Deo, atque item ex se moderari nitebatur, ad tollendum totum ex homine peccatum, nequaquã ea virium satis habere poterat. Deus vero misso filio suo, in similitudine carnis peccati, vera quidem in carne misit filium suum Deus, sed in hoc tantum simili carni nostræ, quod insitum, inhærensque peccatum sicuti habet nostra, illa CHRISTI caro non habebat. Integra enim erat, neque et Adam producta, è quo nos qui processimus, infectam peccati vitio carnem cuncti retinemus. Ita similitudinem illa in hoc quidem humanæ carnis gerebat, ac non eandem omnino carnem, in cæteris vero nihil nostra à carne neque natura, neque infirmitate illa caro differebat. Nata enim erat & ipsa, atque facta ad externas accipiendas iniurias, vnamque in eo, atque eandem cum carne nostra rationem communicabat, ad inferendas autem, & faciendas nequaquam: ad quod nostra nimis quidem prompta, & propemodum præceps semper est caro, quæ non solum extra, verum etiam intus obtrectando rationi graues assidue pugnas, & quotidiana prælia nullo iure concitat. Misso igitur in similitudine carnis peccati filio suo, & ob peccatum misso, hoc enim est, quod in Græco est scriptum, καὶ περὶ ἁμαρτίας, non enim ab eruditis potest de peccato conuerti, sed aut ob peccatum, aut pro peccato, quod tamen vtrunque intellectu idem est, sicque in scripturis hæc locutio solet accipi, vt in epistola ad Hebræos ἐπὶ ἄφεσις τῶν ἁμαρτιῶν οὐκ ἔτι προσφορὰ περὶ ἁμαρτίας, id est, non amplius pro peccato sacrificium. Et paulo infra: οὐκ ἔτι περὶ ἁμαρτιῶν ἀπολείπεται θυσία. Et rursus: ὧν ἀσφέρεται ζώων τὸ αἷμα περὶ ἁμαρτίας. Et apud LXX. in Esaia: ἐὰν δῶται περὶ ἁμαρτίας ἡ ψυχὴ ἡμῶν, ὀψεται πέρμα μακρόβιον: hoc est, Si detur pro peccato anima nostra. Itaque misso filio suo in similitudine carnis peccati, & pro peccato, aut ob peccatum misso, hoc est, quia peccatum erat, quia pollebat, dominabaturque peccatum, ita & missionem filij ab Deo, & modum quo modo missus, quòd in carne simili huic peccatrici carni in mundum est destinatus, & causam, cur eum Deus miserit. misit enim ob peccatum, vt obuiam iret, prouideretque peccato, ne id omnia ad sese traheret, atque conuerteret, ac effectum quoque illius missionis ostendit, quòd in carne sua simili carni peccati conde-

condemnauit peccatum in carne. Illud enim peccatum, quod propter carnem irritam vim legis in nobis faciebat, nosque sanctis monitis eius, obtemperare non sinebat, illud, inquam, peccatum suscepta carne nostra, & cruci mortique addicta in carne ipse peremit, quatenus nos extinctis in carne nostra cupiditatibus deceptionis, totos ad cupiditates transtulit veritatis, vt correctio, inquit, legis impleatur in nobis. Nam & sic necesse est verbum Græcum, δικαίωμα correctionem verti. Non enim intendebat lex nos sic dirigere, vt omissis omnibus mundanis cupiditatibus, cœlesteis tantum curas, cupiditatesq; sectaremur: hoc enim non legis, sed fidei CHRISTI est proprium, nisi & ipsius sensum fidei spiritualiter accipiatur. Sed intendebat lex nobis in mundo, carneque versantibus, modum tamen quendam cupiditatibus, & ordinem adhibere, in quo opinione sua longe decepta fuit. Itaque hunc errorem legis, hanc diminutionem illius, tum authoritatis, tum consilij correxit in nobis fides, quæ totos nos ex ipsa carne eiecit, atque extulit, vt exemplo CHRISTI, & diuinæ illius doctrinæ documento instructi in spiritu iam deinde, non in carne amplius ambularemus. De quo ad Galatas hanc distinctionem legis, & CHRISTI, Iudæi, & fidelis, ac vtriusque statum breuiter ostendit. Spiritu ambulate, inquit, & cupiditatem carnis non explebitis. Atque hoc Christianum est, non alterum, quod sequitur iam Iudaicum. Nam caro, inquit, concupiscit aduersus spiritum, spiritus aduersus carnem, opponitur que inter se, vt ne quæ velitis, ea faciatis. Videsne quod pluribus verbis paulo ante disputauit, certamen, & rixam in homine ex lege dirigente terrenas cupiditates ante oculos exponens, idem paucioribus ad Galatas verbis ab eo esse expressum? Atq; ideo etiam ibidem adiecit, Quod si spiritu agimini, non estis sub legem. Cuiuserunt enim ex lege, & imperio legis, qui dimissis carnalibus, in quibus maximè elaborat lex, ad spiritum se, & ad spiritualem vitam contulerunt.

Qui enim secundum carnem sunt, ea quæ sunt carnis student: qui autem secundum spiritum, ea, quæ sunt spiritus. Nam studium carnis, mors est: studium autem spiritus, vita, atque pax. Ideo studium carnis inimicitia est in Deum. Legi enim Dei illud non subiicitur, neque adeo potest. Qui autem in carne sunt, Deo placere non possunt. Vos autem non estis in carne, sed in spiritu, si quidem spiritus Dei habitat in vobis. Si quis autem spiritum CHRISTI *non habet, hic non est eius. Si vero Christus in vobis, corpus quidem mortuum est ad peccatum: spiritus autem vita, ad iustitiam.*

PERGIT in eodem Apostolus insistere argumento, vt qui in
[illegible] sunt, & qui in carne, distinguat, & vtrorumque fructum, si-
[illegible]que demonstret: Qui secundum carnem sunt, inquiens, qui
[illegible] carnis insistunt, illi ea meditantur, quæ sunt carnis, caro por-
[illegible] terram est conuersa, & prona, ergo eorum meditatio tota
[illegible] est. Qui vero in spiritu sunt, qui ad naturam spiritus se
[illegible]nt, quæ nequaquam corporea, neque sensibilis est, illi ea
[illegible]tur, quæ sunt spiritus: spiritus autem in sublime se effert,
[illegible], & appetit cognationem suam, quæ cœlestis, & immorta-
[illegible] omni corpore est: ergo horum meditatio in cœlo &
[illegible] fixa est. Ita meditatio carnis mors est. Cum enim caro tendat
[illegible] inclinet ad ea appetenda, quæ caduca sunt, & diu stare non
[illegible], eaque vt cognata, & familiaria diligat, & ipsa necessario
[illegible] meditatione sua, & item illa, ab ea quæ appetuntur corru-
[illegible] sunt, & fini, mortique addicta atque nata. Meditatio au-
[illegible] spiritus, quæ in cœlestibus versatur, vita est, & pax. Nam & in
[illegible], quæ immortalia sunt, tanquam cognatis, in quibus &
[illegible] perpetuò viuit, & pacis fructu potitur, quòd neque morsus
[illegible] conscientiæ sentit, qui lætitiam animi, quod in voluptati-
[illegible] carnis contingit, intus illi faciant amariorem, & cum sum-
[illegible] bono ipso, nimirum Deo, pace & concordia semper iuncta
[illegible]. Nihil enim vult, quod non ex ipso, & per ipsum, vel potius,
[illegible] non ipse Deus sit. Atque ideo meditatio carnis inimicitia
[illegible] DEVM: auertit enim ab eo, & ad contrarias partes reuo-
[illegible], atque diuellit, quod est proprium inimicorum & eorum, qui
[illegible] obesse. Contraria porrò sunt terrena cœlestibus, infima
[illegible], inquinata mundis, caduca immortalibus. Quarum qui-
[illegible] deteriorum cura, & meditatio, quæ carni sua, & peculiaris
[illegible], nec vnquam subiecta est legi Dei, neque vero etiam potest
[illegible], ex aduersario enim genere, & penitus alieno tota confla-
[illegible] est. Itaque qui in ea ipsa carnis voluntate consistunt, nequeunt
Deo placere, quandoquidem hi se ad infensas Deo, & inimicas
[illegible] dant partes. Sed quod ait legi Dei non posse subijci me-
[illegible] carnis, cum de lege Moysis intelligendum est, quæ
[illegible] præcipuo vno opere occupata, vt carnem sibi subigeret,
[illegible] tamen potuit illius feram, indomitamque naturam
[illegible] mansuetudinem, modestiamque redigere: tum etiam legem
[illegible] ipsum illum spiritualem viuendi modum, ordinemque de-
[illegible], à quo etiam magis caro remota est. Vos autem estis non
[illegible], sed in spiritu, si quidem spiritus Dei habitat in vobis. In
[illegible] spiritus Dei habitare, quorum spiritus cum Deo, &
[illegible] spiritu coniunctus amore fertur in Deum, vt idem velit cum
[illegible] & consentiẽs illi sit. Spiritus enim ille Dei diuinus amor est.
[illegible] qui huiusmodi sunt, nihil cum carne, carnisque desiderijs,

commercij, aut rationis habent, aut si habent, necesse est, vt eorum se distrahant à Deo, quantum studij, & amoris in corpus dia conferunt. In quibus igitur habitat Dei spiritus, hinc intel in carne iam illi quidem, sed in spiritu, qui hoc modo spiritus nobis, & arrabo futurorum bonorum, & beneuolentiæ Dei mi erga nos, vt supra Paulus, & Ioannes alibi, quà dicit: In hoc scimus, quoniam Deus manet in nobis, quoniam de spiritu dedit nobis. Quòd si quis spiritum CHRISTI non habet, non est eius. Nunc spiritum CHRISTI, paulo ante Deum vnus, atque idem omnino spiritus est, & in eo tamen ei erga nos operatio. Nam spiritum Dei magis agnoscim rectione nostra ad iustitiam, & in fini ipso rerum diuinarum, ternarumque, quas petimus: CHRISTI autem spiritum, hoc, & item magis proprie in illo, quòd carnem peccato continemus. Hac enim ex parte propria est actio in nobis CHRISTI, ex qua tamen ad illam alteram partem flectimur, eoque qui hunc CHRISTI spiritum non habet, is non est & quod necesse præterea etiam est, non est is Dei. Nō potest surgere ad vitam, & ad iustitiam qui nō prius obierit peccatis mortem. At qui nam est spiritus CHRISTI? & in quo CHRISTVS: In eo, inquit, cui corpus mortuum est propter catum, id est, vt ne peccet, mortuum est. Et ad hunc effectum peccandi mortuum, & cui spiritus vita est propter iustitiam, est, qui viuit spiritualiter omni bonitati, atque virtuti virtute Dei iustitiam, diuinamque bonitatem imitando effingit conatur. Atque hic quoque in his verbis satis expressa CHRISTI mysterium, quanquam Apostolus compressè & more locutus est. Est igitur is CHRISTI, & in eo Christus qui corpus habet mortuum peccato, & spiritum viuentem non cuilibet curæ, neque humanæ cogitationi, sed & imitandæ iustitiæ summi Dei, ad quam iustitiam cum rectione Christi is quoque consurrexit.

Si vero spiritus eius, qui excitauit IESVM *è mortuis habitat in nobis, qui excitauit* CHRISTVM *è mortuis, ficabit & mortalia corpora vestra per inhabitantem ipsius tum in vobis.*

HÆc accessio ad ea, quæ ante dicta sunt à Paulo apposita vt quod de morte corporis, & de vita spiritus mentionem fecit, ne existimarent legentes totum esse quod in CHRISTO de à Deo nobis ostentatum sit, & propositum, quòd immortales quidem spiritu, & anima futuri essemus, corpore autem Remouet statim dubitationem hanc, & futuram corporum

nem ostendit, causamque, & rationem affert. Quod si spiritus Dei, is enim CHRISTVM Deus excitauit à mortuis, in nobis habitauerit, hoc est, si anima nostra proprium domicilium fuerit, si nulla pars animæ diffluet a Deo, neque in alienas res alienósue amores se deflexerit, sed hærebit omni sua cupiditate, & appetitione in summo Deo, sic enim illum in se inhabitantem continebit, cum nihil, quod non ex illo sit, spiritus noster reputabit, aut apperet. Si igitur is Dei spiritus habitauerit in nobis, qui excitauit IESVM a mortuis, Deus is ille ipse mortalia quoque nostra corpora ad vitam excitabit per inhabitantem illum suum in nobis spiritum, qui non patietur corpora in perpetuum iacere, quando ipse Dei spiritus maiore nixu, atque vi in eorum vitam tendit, quàm vt queat in terra à corpore retineri & deprimi, ad eam autem vitam excitabit, quæ cum eodem semper Dei spiritu cohærens sit futura. Nanque hæc propria futura est spiritus Dei in nostris corporibus excitatio, siquidem omnia passim humana corpora excitabuntur, neque in omnibus futura fuerit inhabitans Dei spiritus. Verum illa corporum vulgaris excitatio immissione animæ in quodque corpus suæ facienda est, quæ cum per se vitam anima deferat, reuocata in corpus vitam suum suam cum illo communicabit. Sed quæ anima Deo ita coniuncta fuerit, vt spiritum suum aluerit, & conformarit, spiritui omnipotentis Dei, seque ipsam Deo habitaculum præbuerit, illa nempe rediens, non suam solum corpori, sed & illam spiritus Dei vitam insinuabit, atque inferet, quæ erit ipsi Deo similitudine, imitatione que propinqua. Non viuet enim modo illud corpus, sed & beate viuet, & Dei consuetudine perpetua, amicitiaque perfruetur, quod cæteris corporibus non continget, quæ fuerint animabit tantum suis absque Dei spiritu in vitam restituta, & reposita.

Quapropter fratres debitores sumus non carni, vt secundum carnem viuamus Nam si secundum carnem viuatis, debetis mori: si autem spiritu actiones corporis permitis, viuetis. Quot quot enim spiritu Dei ducuntur, hi sunt filii Dei. Non n. cepistis spiritum seruitutis, rursus in formidinem. Sed accepistis spiritum adoptionis, in quo clamamus abba pater. Ipse spiritus contestatur spiritui nostro, quòd sumus filii Dei: si autem filii, & hæredes: hæredes quidem Dei, coheredes autem Christi.

DEBITORES sumus, non carni, inquit, vt secundum illam viuamus, id est, nihil debemus carni, vt ad illius nutum viuere debeamus, nullo n. illa beneficio sibi nos obstringit, sed inducit potius in fraudem, vt quæ interitum & mortem suis sectatoribus

offerat, debemus autem spiritui, à quo vero beneficio, summo quo
afficimur, quòd ab eo vitam, & immortalitatem obtinemus. Si
gitur volumus viuere, si nos delectat vita, huncq; viuendi fructum
proprium, & perpetuum tenere cupimus, spiritu actiones corpo-
ris perimamus, eas scilicet in quibus corpus spiritui repugnat. Hoc
enim si interemerimus, cum hæ nobis mortem accersant & con-
cilient, mortem ipsam in nobis interemptam habebimus, erum-
bitque, & eminebit spiritus vita, quæ illi semper comes, & obiec-
ta est, in hoc quidem seculo operatrix iustitiæ, in altero ve-
ternæ beatitudinis assecutrix. Quicunq; enim, inquit, spiritu Dei
aguntur, hi sunt filij Dei. Ecce immortalitatis & beatitudinis no-
stræ rationem. Cum enim necesse sit, vt aut Dei spiritum habea-
mus in nobis, aut spiritum mundi, si cum spiritu mundi confuso,
& conspirantem spiritum nostrum habuerimus, filij mundi co-
minabimur, & illi erimus tanquam filij patri subiecti, & obedien-
tes, aut potius, vt domino serui parebimus, iniqua enim illius, in-
iustaq; imperia & suscipiemus, & exequemur, quod est, vt seruien-
tium tyranno, non vt parenti obedientium ministerium. Si vero
spiritum nostrum cum Dei spiritu copulauerimus, patrem nobis
vere noscemus esse Deum, etenim illius mandata, atq; imperia
omnia nobis ad salutem, ad lætitiam, ad vitam esse experiemur, ex
ipsiusque indulgentiam erga nos intelligemus. Quæ Deo obedi-
cum, vt patris cognatio ex fide CHRISTI nobis penitus est.
Nanque Iudæi, qui vtrunque & Deum, & mundum adhibebant,
duosque sibi dominos confusa mente commiscebant, nugis na-
men erant filij mundi, quàm Dei. Etenim mundum quidem ama-
bant ipsum, appetebantque eius bona, atque in illis fructum vi-
tæ constituebant: Dei autem metu & timore ad suas [illegible]
cupiditates adducebantur. Ideo enim verebantur, & cauebant
Deum lædere, ne ab eo terrena possessione priuarentur. Sed tu-
men quoniam & ipsi spiritu Dei educti ex Ægypto, & in solitudi-
ne custoditi, & lege instructi sunt, ne de eis quoque intelligere-
tur filios Dei, sicut nos sumus, item illos esse, quoniam & ipsi spi-
ritu Dei quodãmodo ducti sunt, Ideo subiunxit Apostolus, nos ad
accepisse spiritum seruitutis rursus in formidinem, sed accepisse
spiritum adoptionis, in quo clamamus, Abba pater, qua calida
geminata paternæ appellationis voce, in Marco ad patrem vo-
tur IESVS, & vtrunque nomen patris est, alterum Syra, Hebra-
que, alterum Græca, & Latina lingua, vt Deum communem pa-
trem omnibus esse ostendat. Ac nos quidem in quotidianis no-
stris ad Deum precibus primo statim effatu patrem illum inuoca-
mus, ab ipso IESV CHRISTO admoniti, ac edocti. Sed & affe-
ctus quidam animi est interior, qui Deum non solum nominat
sibi, sed cognoscit etiam patrem. De quo etsi hesterno die non
pauca

pura diximus, tamen hic quoque aliqua dicenda sunt, vt virtutem fidei nostræ, & beneficia Iesu CHRISTI sæpius nobis in memoriam reducamus. Pater quidem ergo omnibus nobis Deus est, naturalis semen cognationis, cum illo in nobis obtinemus, quòd ad similitudinem ipsius fuimus creati. Sed & Adam pater est omnibus nobis, quòd naturam nostram, atq; substantiam hunc animalem videlicet hominem totum ex illo hausimus. Est enim ita de eo scriptum. Et factus est primus homo Adam in animam viuentem. Homo igitur animalis, hoc est, qui anima, & vita tantum vtitur, cuius omnia officia sunt ad eum finem, vt hanc vitã mortalem custodiat, illius terreni hominis Adæ, vt ipse ad Corinthios Paulus scribit, filius est, qui semen præstantioris suæ cognationis cum Deo, aut non attendens in semetipso, aut despiciens carni, & corpori sese ferendum totum dat, illisq; fouendis & explendis omnem diligentiam adhibet, qui huiuscemodi homo morti omnino addictus est, sic moriturus vt non vnquam amplius talis exurgat. Sed in ipso homine post aduentum adultæ iam rationis, si diuinum semen illud & cognatio cum Deo fuerit animaduersa, & cognita, statueritque, qui animaduerterit, Deum patrem recognoscere, & in illo spes suas ponere, tunc duplex illi via, & ratio proposita erit, vna in lege Moysis, altera in fide CHRISTI. Lex Moysis Deum sic patrem colentibus eum proponit, vt non ipsum tamen filijs, neque illius non visa, & sensibus non percepta bona, sed ea, quæ sentiuntur, & cernuntur ab eo optanda esse doceat, atque vt eorum adipiscendorum authorem sibi Deum velint esse, illos admonet, quem patria quadam indulgentia erga eos prædictam suscepturum illorum curam, tanquam filiorum patrem prædicat, & in promissam terram mel, & lac fluentem illos deducturum, pluuiasque illis tempestiuas, & fructus annuos producturum. Atque hic primus aditus est, atque ingressus ad tribuendum Deo honorem, tanquam patri, propter quam causam in veteri scriptura Iudæi filij Dei sæpenumero appellantur, & quidem ab ipso imprimis Deo, vt cum ait: Ego dixi, dij estis, & filij altissimi omnes. Vel cum, Ego filios genui, & extuli, & primogenitus meus Israel. Idem quoque Moyses ad populum arguens, & increpans, Deum qui te genuit, dereliquisti. Et Malachias: Deus vnus est, & pater omnium vestrum, quod in persona Dei Hieremias: Patrem vocabis me, inquit. Vel cum dominus dicit de stirpe Dauid: Ego ero illi in patrem, & ipse mihi in filium. Iudæi quoque CHRISTO de semetipsis: Nos vnum patrem habemus Deum. Ex quibus omnibus manifestum fit, eos filios Dei iam rite nominari, qui Deum vnum authorem suum agnoscunt, & venerantur. Sed vt contingit in pueris, qui etsi parentes suos nouere, illisque blandiri, & habere honorem didicerunt: non id tamen agunt parentum

offerat, debemus autem ſpiritui, à quo vero beneficio, ſimmo
afficimur, quòd ab eo vitam, & immortalitatem obtinemus. Si
gitur volumus viuere, ſi nos delectat vita, hunc q; viuendi fructum
proprium, & perpetuum tenere cupimus, ſpiritu actionem corpo-
ris perimamus, eas ſcilicet in quibus corpus ſpiritui repugnat. Hæc
enim ſi interemerimus, cum hæ nobis mortem accerſant & con-
cilient, mortem ipſam in nobis interemptam habebimus, ſe-
bitque, & eminebit ſpiritus vita, quæ illi ſemper comes, habi-
cta eſt, in hoc quidem ſeculo operatrix iuſtitiæ, in altero ve-
ternæ beatitudinis aſſecutrix. Quicunq; enim, inquit, ſpiritu
aguntur, hi ſunt filij Dei. Ecce immortalitatis & beatitudinis
ſtræ rationem. Cum enim neceſſe ſit, vt aut Dei ſpiritum ſeruiamus
mus in nobis, aut ſpiritum mundi, ſi cum ſpiritu mundi ſeruiamus,
& conſpirantem ſpiritum noſtrum habuerimus, filij mundi no-
minabimur, & illi erimus tanquam filij patri ſubiecti, & obedien-
tes, aut potius, vt domino ſerui parebimus, iniqua enim illius, &
iuſtaq; imperia & ſuſcipiemus, & exequemur, quod eſt, vt ſeruien-
tium tyranno, non vt parenti obedientium miniſterium. Si vero
ſpiritum noſtrum cum Dei ſpiritu copulauerimus, patrem nos
vere noſcemus eſſe Deum, etenim illius mandata, atq; imperia
mnia nobis ad ſalutem, ad lætitiam, ad vitam eſſe experiemur,
pſiusque indulgentiam erga nos intelligemus. Quæ ſecundum
cum, vt patris cognatio ex fide CHRISTI nobis pertinet.
Nanque Iudæi, qui vtrunque & Deum, & mundum adiuuant,
duosque ſibi dominos confuſa mente commiſcebant, nego ta-
men erant filij mundi, quàm Dei. Etenim mundum quidem ama-
bant ipſum, appetebantque eius bona, atque in illis ſolum vi-
tæ conſtituebant: Dei autem metu & timore ad ſuas ſtrenuas
cupiditates adducebantur. Ideo enim verebantur, & conſtabant
Deum lædere, ne ab eo terrena poſſeſſione priuarentur. Sed ta-
men quoniam & ipſi ſpiritu Dei educti ex Ægypto, & in ſolitudi-
ne cuſtoditi, & lege inſtructi ſunt, ne de eis quoque intelligen-
tur filios Dei, ſicut nos ſumus, item illos eſſe, quoniam & ipſi ſpi-
ritu Dei quodãmodo ducti ſunt, Ideo ſubiunxit Apoſtolus, non
accepiſſe ſpiritum ſeruitutis rurſus in formidinem, ſed accepiſſe
ſpiritum adoptionis, in quo clamamus, Abba patet, quæ ea
geminata paternæ appellationis voce, in Marco ad patrem ex-
tur IESVS, & vtrunque nomen patris eſt, alterum Syra, Helia-
que, alterum Græca, & Latina lingua, vt Deum communem
trem omnibus eſſe oſtendat. Ac nos quidem in quotidianis
ſtris ad Deum precibus primo ſtatim effatu patrem illum ta-
mus, ab ipſo IESV CHRISTO admoniti, ac edocti. Sed & affe-
ctus quidam animi eſt interior, qui Deum non ſolum nomine
ſibi, ſed cognoſcit etiam patrem. De quo etſi heſterno die

nata diximus, tamen hic quoque aliqua dicenda sunt, vt virtutem fidei nostræ, & beneficia Iesu CHRISTI sæpius nobis in memoriam reducamus. Pater quidem ergo omnibus nobis Deus est, quatenus semen cognationis, cum illo in nobis obtinemus, quòd ad similitudinem ipsius fuimus creati. Sed & Adam pater est omnibus nobis, quòd naturam nostram, atq; substantiam hunc animalem videlicet hominem totum ex illo hausimus. Est enim ita de eo scriptum. Et factus est primus homo Adam in animam viuentem. Homo igitur animalis, hoc est, qui anima, & vita tantum utitur, cuius omnia officia sunt ad eum finem, vt hanc vitã mortalem custodiat, illius terreni hominis Adæ, vt ipse ad Corinthios Paulus scribit, filius est, qui semen præstantioris suæ cognationis cum Deo, aut non attendens in semetipso, aut despiciens carni, & corpori sese ferendum totum dat, illisq; fouendis & explendis omnem diligentiam adhibet, qui huiuscemodi homo morti omnino addictus est, sic moriturus vt non vnquam amplius talis exurgat. Sed in ipso homine post aduentum adultæ iam rationis, si diuinum semen illud & cognatio cum Deo fuerit animaduersa, & cognita, statueritque, qui animaduerterit, Deum patrem recognoscere, & in illo spes suas ponere, tunc duplex illi via, & ratio proposita erit, vna in lege Moysis, altera in fide CHRISTI. Lex Moysis Deum sic patrem colentibus eum proponit, vt non ipsum tamen filijs, neque illius non visa, & sensibus non percepta bona, sed ea, quæ sentiuntur, & cernuntur ab eo optanda esse doceat, atque vt eorum adipiscendorum authorem sibi Deum velint esse, illos admonet, quem patria quadam indulgentia erga eos prædicum suscepturum illorum curam, tanquam filiorum patrem prædicat, & in promissam terram mel, & lac fluentem illos deducturum, pluuiasque illis tempestiuas, & fructus annuos producturum. Atque hic primus aditus est, atque ingressus ad tribuendum Deo honorem, tanquam patri, propter quam causam in veteri scriptura Iudæi filij Dei sæpenumero appellantur, & quidem ab ipso imprimis Deo, vt cum ait: Ego dixi, dij estis, & filij altissimi omnes. Vel cum, Ego filios genui, & extuli, & primogenitus meus Israel. Idem quoque Moyses ad populum arguens, & increpans, Deum qui te genuit, dereliquisti. Et Malachias: Deus vnus est, & pater omnium vestrum, quod in persona Dei Hieremias: Patrem vocabis me, inquit. Vel cum dominus dicit de stirpe Dauid: Ego ero illi in patrem, & ipse mihi in filium. Iudæi quoque CHRISTO de semetipsis: Nos vnum patrem habemus Deum. Ex quibus omnibus manifestum fit, eos filios Dei iam rite nominari, qui Deum vnum authorem suum agnoscunt, & venerantur. Sed vt contingit in pueris, qui etsi parentes suos nouere, illisque blandire, & habere honorem didicerunt: non id tamen agunt parentum

causa, neque quòd illorum voluntati penitus velint esse obtem-
perantes: sed vt per cultus illos, ac blanditias aliquid eorum
rum à parentibus consequantur: quas ætas illa concupiscit, pro-
pter quam causam etiam metu, & minis coercendi sunt, ac affe-
ctionibus illis inducti, in praua fortasse studia incidunt, & malis
moribus imbuantur: Sic accidit Iudæis, vt illum spiritum Dei,
quem ad Deum vnum colendum, cognoscendumque acciperent,
non in amore acciperent, sed in metu, & formidine, ideoque pa-
ritum eum seruitutis appellat Paulus. Amare enim verum ob-
terant Deum, quem idcirco amare præseferebant, vt ea quæ
gis amabant, aliena à Deo, atq; diuersa, per eum consequerent,
& in illis ipsis expetendis ac potiundis, quæ amabant, ac quæ
ruerent, proximumq; sæpe alliderent, pœnis erant propositis, ma-
nisq; coërcendi. Filij ergo illi Dei, sed tanquam pueri effigiem
lum Dei inchoatam, ac rudem in seipsis deferentes, qui à pueris
viri facti essent, & animo, & studijs patrem voluissent imitari,
illi penitus se conformare, & tradere, neque extra eum aliam
hæreditatem bonorum ex alijs parentibus constituissent quam
re, verum & integrum nomen filiorum fuissent merti. Non enim
puerili affectu quodam, sed stabili, grauiq; iudicio Deum patrem
percoluissent. Et quoniam ad hanc spem, huncq; finem debeat-
tur de principio ab ipso Deo, atq; instituebantur, statim primo
filij vocari cœpti sunt. Atq; ideo Paulus conditionem ad nostram fi-
lorum conditione seiungens ait nos non ita accepisse spiritum
Dei, vt is nobis veluti seruis ad timorem, formidinemq; sit, quem-
admodũ quidem Iudæis fuit, sed ita accepisse, vt ingenuis & liberis
in filios Dei adoptati paternæ vnà nomen necessitatis, & ma-
rem, ac sanctitatẽ eam, quæ ei nomini debeatur, susceperimus, ac
que vt in his adoptionib. quæ inter homines legib. fiunt, qui ex
no genere adoptatur, in aliud genus emanciparis a priore pa-
in alterius transit potestatem, nomenque nouum fert, & mo-
gentem sacraq; cõmutat, fitq; totus eius patris, cui se dedere
ptandũ, & ex eo iam dependet, bonorumque illius expectat
reditatem: sic nos dimisso patre mundo, genus Adæ reijcientes
nuimus esse animales, illamq; corporeorum, & terrenorum
norum hæreditatem, quæ ab genere illo nobis veniebat, propu-
mus, & abijcimus, solaq; ea bona expectamus, quæ ex Deo
Deo promissa nobis sunt. Ita in nouam familiam, nouum nomen
nouæ, & æternæ hæreditatis spem traducti, vbi non amplius
reni, sed cœlestes, non in patrimonio corruptibili, sed in nouo
interituris bonis, spe, & desiderio, infixi sumus, cum vero Deum
nobis appellamus patrem, tum optimorum filiorum charitatem
studio erga illum accensi fructus eos pietatis nostræ iam in
vita capere incipimus, qui tali parente digni sunt. Nam hoc

nim amore, & spiritu altiores efficimur, & è communibus istis humanis studiis & appetitionibus in cœlum longè eminemus, pacifique & beati nihil intra nos sentientes, quod intestinæ illi lentiæ officiat, hęremus contenti in ipso complexu omnipotentis Dei. Ille verò in suo sancto Spiritu nobiscum semper est, & sese nobis demonstrat, regnumque cœli in animis repræsentat nostris. Quod ipsemet in Luca testatus Dominus est, iam intra nos & in hac vita esse, in qua quidem status nostri beatitudine, in quo animi gaudio conuersi ad Deum creatorem nostrum, & patrium illius indulgentiam erga nos, veritatemque eius bonorum, ac admirabilem fructum illorum, in nobis intelligentes, clamamus, amoris voce, atq; cordis, O pater, pater, ô verè patrium erga nos animum, atque amorem gerens. Et quidnam est præterea, quod ab optimo patre & eodem patre omnipotente aut sperare ampliùs, aut verò etiam optare debeamus? Ergo is spiritus, qui nos in hunc sensum rapit, qui ponere nos reliquas mundi curas, & sperare in solo Deo iubet, qui bona illius nobis indicat, atq; impertit, qui beatos & contentos iam in hac vita facit, idem ille ipse Spiritus Dei sanctus, qui & ipse Deus testimonium prębet spiritui nostro indubitatum, atq; certum, quòd sumus filij Dei, quando ab illo patre nostro sic tractamur, vt amantius, indulgentius, liberalius tractari nequeamus, cuius quidem spiritus diuini testimoniũ spiritus noster qui illi est coniunctus, & adhęrens sic accipit, vt sese gerat pro filio Dei, cuius tantã erga se experitur indulgentiam, vt præ bonis animi, quæ ex illo possidet mundum, & mundi bona, quęcunq; lingua nuncupare, aut sibi potest cogitatio depingere, tanquam cœnũ omnia ducat, & in vno ipso Deo etiam nunc hic viuens, & terrenis affectionibus etiam nunc pulsatus constituat summam omnis felicitatis suæ: qui si persuasus est, habetq; exploratum se filium Dei esse, tanti fide testimonij, & tot donis testimonium comprobantibus adductus, eidem testi profectò credet, se cùm filius sit, hęredem quoq; Dei fore, atq; eorum bonorum hęredem, quorũ hęreditatem maiorem suum fratrem Christum iam adiisse crediderit: quæ nimirum bona ea sunt, vt surrecturus homo totus è mortuis, & futurus deinceps sit immortalis, idemque in cœlum ascensurus, & ad dexteram Dei sit consessurus, vbi enim caput, ibi & corpus manere est necesse propinquum similiter, & adiunctum Deo, non quidem pari dignitatis æqualitate, sed in capitis sui maiestate. Porrò autem caput nostrum est CHRISTVS. Credet ergo & confidet certò spiritus noster se ita hęredem fore Dei, vt sit cohęres IESV Christi.

Siquidem vnà patimur vti vnà & glorificemur. Reputo e-

nim quòd non dignæ sunt ærumnæ præsentis seculi, ad eam gloriam, quæ in posterum nobis reuelabitur.

SIQVIDEM, inquit, nostræ fidei possessio est, velle pati cum Christo, vt ad eandem cum Christo gloriam etiam vna prouehamur, ac ne nos perturbet mentio patiendi, speratamque illam tot bonorum lætitiam incommodorũ coniunctione diminuat, subiungit statim sapienter, & prouidè reputare se, hoc est, ducere rationem, & facere summam, quemadmodum fieri soliti sunt, qui calculos, & numeros in summas colligunt, quod est perpendere ex vtraque parte, & æstimare. Quid enim, quod reputet? nempe hoc, quòd omnes huiusce seculi molestiæ, omnes ærumnæ, incommoda omnia, quæ cum Christo animo subeantur, non sunt idonea ad tantum promerendum, quantum illis incommodis præmium propositum est, quando vtrique collecta, & coaceruata in vnum, si in contentionem futuræ gloriæ deducantur, illius longè magnitudine, & felicitate sint inferiora. Quod idem ipse alio loco. Quod nunc nos contentos cedens leuitate, inquit, æternam excedentem grauitate gloriam comparat nobis non cogitantibus ea, quæ videntur, sed quæ videntur: atque hoc est spe attollere animum, & diminuere eadem opera laborem. Quid vero num patimur omnes cum CHRISTO qui in hanc fidem venimus? patimur enim [illegible] iam non in vinculis, & plagis, & in omni corporis laceratione, ac supplicio CHRISTI fidem constanter profitemur, atque in crucem tollimur, sicut ille fuit sublatus, eo ipso tamen [illegible] ad ista parati animo, si accidat, sumus, & in mediis [illegible] tatibus, atq; curis sustinemus quotidie prælia pertemnentes [illegible] & dolorum, & voluptatum, atque à cogitatione Dei [illegible] ad se nitentium, hisque quoad licitum est, obsistimus, & repugnamus, gerimus ipsi quoque crucem nostram, & abnegantes nosmetipsos, pristinum genus nostrum toto pectore [illegible] vt efficiamur filij Dei. Et quoniam longo iam processu [illegible] vehementer extulit Paulus, eumque habere testimonium Spiritus sancti, quòd filius Dei sit, disseruit, vitamque ex eo pendere vno, & bonorum Dei hereditatem, futuramque gloriam [illegible] tam illi esse dixit. Corpus autem & carnem in totum [illegible] visus est, ne qui fortè suspicetur nihil istam partem apud Deum honoris habituram esse, neque ad immortalitatem aspirare posse, ob hancq; causam nec tantum futuræ illi gloriæ [illegible] deferatur, quantum opus est, & corporis commoda minus contemnantur, veluti quod iniquè, atque iniuria his præsentibus priuetur bonis, si id in posterum fructus nullos cœlestium [illegible] rum bonorum est percepturum, reuertitur Paulus ad confirmandam

lem, corpus quoque nostrum nobiscum vnà futurum immortale, & bonorum eorundem cum spiritu particeps, implicatè ille eadem, & contortè, sed tamen vt accuratè & subtiliter intuenti liquet, hic Pauli in hoc loco intelligatur esse sensus. Nunc eius audiamus verba.

Vehemens enim expectatio creaturæ reuelationem filiorum Dei expectat. Nam vanitati creatura subiecta fuit, non sponte, sed propter eum, qui subiecit in spe, quod & ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei.

VEHEMENS expectatio creaturæ, inquit, hoc vocabulum κτίσις, quod nos cæterorum opinionem secuti creaturam transtulimus, melius nostro iudicio conuerteremus fabricam, habemus quidem verbum verbo par condere, quod est græcè κτίζειν, idque in corporeis potissimùm naturis, & rebus vsurpamus: sed quoniam vocabula, quæ ex eo verbo ducuntur, vt conditio, vt conditura, inciderent in alienos sensus, mentemque legentis obturbarent, conditionis loco fabricationem proferimus, cuius verbis cognata tamen est priori vocabulo, atque propinqua. Igitur his, vt dico, nominibus ad corporum naturam vtimur, quibus creatio vt longè communior est, sic ferè etiam est spiritualior. Creare enim animas Deum rectè dicimus, condere, aut fabricari non ita dicimus. Sed quòd κτίσις in hoc loco pro omni eo quod fabricatum à Deo est, hoc est pro cœlo, terra, elementisq; accipienda sit, quorum vna cum gloria filiorum Dei sit futura nouatio, quando ista propter hominem effecta, & fabricata, hominis ipsa quoq; conditionem in vtramq; partem sequûntur, vt laborante eo laborent, & pacato quietura sint, multa hic & præclara dicuntur à sanctis viris, quasi nos vt adhortentur accendas esse nobis vires animi, vt fortius certemus, quibus non pro nobis solùm, sed tanquam pro aris ac focis sit etiam decertandum. Siquidem in illam perpetuam gloriam per patientiam, tolerationemq; certaminum postea introducti, & terram peccato primi hominis execrationi traditam, & cœlos senio, laboriq; defatigatos, de quibus scriptum est, quòd omnes tanquam vestimentum veterascent, & sicut amictus mutabuntur, in nouam, & perpetuam pulchritudinem nobiscû simul restituemus. Sed ego in eam mentem inclino potiùs vt de fabrica corporis nostri intelligendum putem. Nam & cœli ante peccatû Adæ currere circumcirca, & se voluere instituerunt, & feracitas terræ, ac cæterarum rerum opportunitas non tam sibi, quàm nobis in laborem est versa. Atq; vt ea etiam ita se habeant, nec enim inficiamur, ne non quidem, quin cuncta in seculorum fini, & in aduentu magni Dei nobiscum vna nouanda, & in potiorem statum commutanda

sint: tamen argumenta futuræ immortalitatis nostræ magis est
nobismetipsis, & iis, quæ in nobis experimur & sentimus, [illegible]
da sunt, quam ex alienis ac longè dissitis rebus. Itaq; & hoc vocabulo Marcus in Euangelio pro hominis tantùm conditione, & creatione vsus est, qua IESVS discipulis pręcipit in illo, [illegible] in mundum omnem prędicent Euangeliũ omni creaturæ [illegible] πάσῃ τῇ κτίσει. In quo illud quoq; apparet & existit, quæ [illegible] ximè aduersaria sunt ad victoriam, palmamq; contendentibus, & quæ inuincibilem videntur habere vim impediendi, [illegible] di, posse ea nõ difficiliter à nobis superari, quando nobis [illegible] quoq; ad eandem gloriam immortalitatis aspirant. [illegible] habet verborum istorum intellectus. Vehemens enim [illegible] creaturæ, hoc est fabricæ, & illius in nobis partis, quæ [illegible] porea est, ipsa quoq; expectat, vt accipiat reuelationem [illegible] Dei, vt particeps etiam ipsa sit, vt eandem immortalitatem [illegible] municet. Est enim ἀπεκδέχεσθαι compositum verbũ ab expectando, & capiendo, quod est quasi hiare expectando, vt accipiat [illegible] uelationem autem, quoniam arcanum consilium Dei [illegible] suis in illo extremo iudicij, die omnibus reuelabitur, & [illegible] lam in mediũ omnia perferentur. Atq; hoc verbo sic [illegible] Apostolo est, expectari à corpore nostro eandẽ immortalitatem, cuius quidem expectationis ratio communior illa sit, [illegible] est effectum, & in natura conditum, quin etiam si non [illegible] consilio, at tacito tamen desiderio ad melius semper [illegible] moueatur. Verùm cum altera statim existat quęstio, [illegible] corpus immortalitatem appetere, quod ad ea omnia [illegible] pensum, pręcepsq; sit, quæ sunt penitus contraria immortalitati, vt est tectus Apostolus, & munitus, omnia subitò circumspectans, & prouidens, occurrit è vestigio quęrẽtibus, & antecedens, [illegible] istam ipsam fabricam partis sensibilis in nobis, corpus, [illegible] videlicet, non sponte sua subiectam fuisse vanitati, sed propter eius crimen, qui illam subiecit, hoc est propter Adæ crimen, [illegible] obedientem illam primò rationi, & ex ea immortalitatem [illegible] re in se paratam, suo peccato, & vitio deiecit ad corruptionem. Nam vanitatem hoc loco Apostolus, vana carnis desideria, & cupiditates inaneis vocat, quæ fructum, mortem & corruptionem afferunt, quas alibi cupiditates nominat deceptionis, quæ [illegible] dem efficiunt, vt vanos filios hominum, mendaces filios [illegible] num appellet scriptura, & in imagine non in veritate [illegible] minem confirmet. Etenim simul vt caro, quæ nullum [illegible] bet ordinis, nec rationis lumen ab illa in primo patre [illegible] mente, & ratione concordia diuulsa est, neque quod cupere [illegible] iusmodi id esset, cognoscere ampliùs ipsa potuit, neque [illegible] pso quod cupiebat, modum sibi, & finem constituere. [illegible]

vesicati, ac corruptioni ex eo animalis homo addictus fuit, retinuit tamen sibi spem, & illud insitum, atq; occultum naturæ desiderium non abiecit, sese cum filijs Dei in pristinam aliquando nobilitatem, & veterem gratiam redintegrandum esse, vel eo etiam maiorem, quòd tunc in ipso Adam in ancipiti, & lubrico potius poterat, & stare perpetuò si decreuisset & cadere, si hoc ei magis collibuisset. Posthac vero si fuerit redintegratus ac re positus, & maiorem multo, & in perpetuum stabilem gloriam est adepturus. Ab omni enim tum penitus seruitute corruptionis liberabitur: id est, ab ea terrenarum cupiditatum seruitute, quæ illum constrictum tradit corruptioni atque morti, quibus etiam in Apostolo verbis iudicatur de fabrica corporis nostri fuisse dictum. Non enim cœlum, neq; terra huiusmodi corruptionis seruituti sic subiecta est, vindicabitur igitur corpus nostrum à seruitute corruptionis, & in libertatem gloriæ filiorum Dei liberabitur. Erit enim hominis animalis liberatio, accessio eius liberationis, quam vt spiritualis, & filius Dei regeneratus, videlicet ex Deo, & natus homo consequetur, quæ tunc quidem fuerit libera & sicura gloria, cum extra belli periculum, & huiusce vitę lapsus, in erurrectione corporum propria & perpetua possidebitur.

Nouimus enim quod omnis creatio consuspirat, & congemiscit vsque ad præsens: neque ea solum, sed & ipsi primitias spiritus habentes, & nos ipsi in nobis ipsis suspiramus, qui adoptionem in filios expectamus redemptionem corporis nostri.

OMNIS creatio vel fabricatio in hoc loco, & in vno quoque homine totus homo, & in vniuerso tempore totum genus humanum intelligitur, quorum vtrunq; scire se, & nosse affirmat Paulus gemere vna & suspirare huius inueniendæ immortalitatis desiderio. Ac natura quidem res sese ita habet, vt quod Paulus alio loco, suspiramus, inquit, & affectamus, nolentes quidem exui, sed superindui, vt absorbeatur mortalitas à vita, quoniam sic facti, atque conflati ex anima, & corpore in vnam rem fuimus, totum hoc quod sumus, diligamus in nobis ipsis, & incolume, ac saluum totum esse cupiamus. Neq; erit quispiam pertentans animum suum, & omneis occultos sensus mentis suæ cogitatione peragrans, quin in semetipso intelligat ferri nos amore, & studio conseruandi nos ipsos, atque ita conseruandi, vt nec partis in nobis, nec temporis iacturam aliquam libenter admittamus. Sumus quidem eo animo, si qui bene, & recte fuimus instituti, vt si alterutrum perdendum sit, corporis pati, quàm animæ detrimentum præoptemus. Verum enimuero non est plena, neque integra animi nostri consolatio, si tamen amissio corporis facienda sit, hoc desideriũ adipiscendæ & fruendæ immortalitatis, ita in vno

quoque

quoque homine insitum est, vt neque obliuione, nec contra
studio, aut ratione vnquam vlla possit auelli, quod in alijs re
quas inaniter, & temere cupimus, nec possumus vllo modo
pisci, facilè est prouidere ratione, ne cupiamus aduersus vtilia
totam hominis immortalitatem, quominus ea opereur, impe
letur, non vis, non suasio, non consilium vllum, non tempus
longinquitas, non studiorum diuersitas potest, non demum
tio, non cuiusquam authoritas obstare, & prohibere. Quo
dium si innatum nobis vsque eò est à natura, vt nequeamus
ne illud quidem simile, aut affine veri est, frustra id in nob
nequicquam ab eadem natura fuisse insitum. Ad hanc cons
tio longe fortior, quæ Paulo, & nobis in Deum rite credentib
huius eiusdem rei scientiam corroborat, quòd omnes, qui ter
quoquo modo cognorunt, & ab eo sunt vel inspirantes, vel
nuncijs è cœlo missis vel Moysis lege instructi, atque edocti, e
cti in hanc spem terræ mandati, & in sepulchris condi iuss
tanquam denuo reuicturi, neque amplius postea in mortem
sent recasuri, fuerit licet Saduceorum factio quædam qui
bræos, quæ sustulerit resurrectionem, & Paulum de cælo A
thenis differere incipientem philosophia irriserit, hasque ea
nunc quamplurimi, qui corpori vni excolendo, & sanandæ
glecta fide immortalitatis adhibeant curam: tamen ea tantu
lingua, atque mores, aliud mens ipsa intus, si consulamus
mat, præsertim si ea aliquo pacto sacrarum rerum, & mem
vel solis auditionibus fuerit imbuta. Est enim in lob, in Da
phetis, & denique penè in omni scripturæ contextu, descri
ne futura corporum passim plurima obuia testimonia hum
porrò prædicatio, & expectatio aliorum si non vana, sed vera
vt quæ à summa Dei veritate profecta, & inspirata sit, dicen
poterit Paulus, & cum Paulo omnes qui Deo fidem habemus
ctum hominum genus in hac spe fuisse corruptioni, & mort
tempus addictum, vt extremo in tempore consurgat ad vitam
nec mortem postea amplius vnquam oppetat. Nam aut quos
ex Deo perceptum habuerunt, certi spei suæ, & surrectionis
telligentesque quid sperarent, tantisper naturæ, & morti ma
sere, aut si a tanto doctore non fuerunt moniti, nullum mo
iusce spei curam, nec cogitationem in animis suis volutarunt
occultum tamen naturæ, & mutum immortalitatis desiderium
abdicare à se nõ potuere. Quare genus omne humanum, & q
mortuum est iam diu, & quod viuit, suspirat vniuersum, & ad
lat ad hanc immortalitatem eamque ad totius integram hom
nis, nõ alicuius certæ in homine partis, vt & totum genus, hu
mo totus ad incorruptionem, & vitam recuperandam consu
dat. Et quoniam de animo erat persuasibilius, de corpore n
ani-

pignum, alio etiam validiore inter viuos vtitur argumento, vbi & animus ipse corpori, & testimonium spiritus sancti huic corpore spei subuenit, & astipulatur. Non solum, inquit, hæc communis est totius humanæ fabricæ, creationisque expectatio, immicendum denuo esse, & immortalem deinceps vitam agendam, sed & illi qui spiritus primitias habuerunt, quod est intelligendum de Patriarchis, & Prophetis, in quibus primò cœpit operari spiritus sanctus, & nos ipsi in quibus idem spiritus assiduum sibi iam domicilium constituit, qui non primitias tantum, sed integram messem spiritus sancti possedimus, quibus ille non solum lucem, sed flamma, & lumine amorem, & cognitionem summæ veritatis infudit, & qui adoptionem in filios Dei iam ex parte nacti pleniorem etiam posthac, & illustriorem eiusdem Dei hæreditatem expectamus. Hoc enim sibi velle iam diximus ἀπεκδοχὴν, quasi expectare interim accipiendo, nos inquam, qui pleniorem spiritus ex Deo hausimus, quē habemus intus omnis nobis veritatis certissimum, & sponsorem, & testem: suspiramus itaque, & expectamus redemptionem corporum nostrorum, quam non faceremus, si hæc nostri pars, non ad obtinendam perpetuitatem, ipsa quoque nata, factaque existeret. Ac nequis hoc tantum dicat sperare esse, spe autem nostra falli, & decipi nos posse, refutat statim, sic inquiens:

Spe enim seruati sumus: spes autem cum cernitur, non est spes. Quod enim cernit quis, quid etiam sperat? quòd si quod non cernimus, speramus, per patientiam expectamus.

Liberis, inquit, quæ de præterito pignus maximum nobis dedit, non se esse fallacem, vt per quam spem, salutem sumus adepti. Nam à primo cum credidimus Deo per Iesvm Christum, & spes nostras à mundo auferentes, in illo omnes collocauimus, & firmus, statim mercedem spei nostræ accepimus salutem nostram. A seruitute enim iniquitatis, & mortis ad vitam, & iustitiam Dei sumus translati, in genusque, & nomen filiorum Dei venimus. Illa igitur spes, quæ nos, vt alter ait Apostolus, Pauli coadiutores, atque collega, regenerauit in spem viuam, tantumque nobis bonorum cum promitteret, plus etiam dedit, vt quæ dignitatem humanæ nobilitatis, quam omni vitio, & culpa contaminati homines amiserant, cum se restituturam illis polliceretur, vtros Deos ipsos, & Dei filios effecit. Illa inquam spes, de futuro ita profectò non fallet iam tot rebus, & argumentis nobis exorata, & perspecta. Sicuti non fefellit ne tunc quidem, cum ad eam nullo adhuc certo obside illius firmitatis inducti accessimus. At nunc posteaquam per eam nostræ illustratæ mentes, & cognita omnis veritas, commerciumq; cum Deo, & cum spiritu

sancto

sancto salutis, & beatitudinis nostræ nobis initum est, quid est vel quod minimum dubitemus, quin hanc quoque immortalitatem integri hominis ex corpore, animoq; conflati, quam polliceatur nobis, sit præstatura? modo patienter, & cum tolerantia expectemus, quod est proprium eorum, qui in Deo, & fide Dei firmiter hærentes, solantur spe illa expectationem suam. Nunquam & qui expectant patienter, & qui impatientes sunt, omnes quidem in vitam perpetuam cum corpore simul sunt resurrecturi. Sed illam solam immortalitatem, & veram vitam sentit Apostolus, quæ electis Dei futura est. Hi enim immortalem vere vitam: qui autem à Deo damnati, & repudiati fuerint, mortem vitam immortalem sunt inuenturi. Spes igitur & in sperando, atque expectando patientia suscipienda nobis est, quando nec spes quidem amplius esset, si quod speramus, id iam teneremus. Atque vt animaduertas altitudinem Pauli sensorum, & quamobrem hanc spei disputationem interposuerit, perspice tute, & cum animo tuo considera, vt intelligas non esse locum calumniantibus in hanc infirmandam spem, cuius probationem in hac vita, non modo consequi, verum nec desiderare quidem possumus. Si quis enim contradicat, & asserat sperare nos vana, & expectationem nostra decipi, nempe id ita dicat, quoniam vtrum spes ista vera sit, an ne falsa in hac vita cupiat experiri, argumentaque verum in hac spe ex his, quæ hic apparent, & cernuntur, durata esse constituat. At hoc nihil est, quod minus optari possit. Cupias enim vnà si istud cupias, & viuere, & mortuus esse. Dum enim in hac vita sumus, in ænigmate sumus, & tanquam in imagine, ac simulacro ambulamus, cunctaque felicitas, & beatitudo nostra spe futuræ vitæ continetur. Quid ergo optes huiusce spei sensibile argumentum, cum si hoc obtineas, quod optas, amplius spe sensibilis non sis? Itaque spem quidem istam contemnere, & permittere, atque ad explendos sensus totum conferre te possis. Argumentari autem contra eam ex his, quæ cernuntur, aut testimonium flagitare certum, quod illam tibi ex sensibus conficiat, nullo modo possis, quin continuo repugnantia dicas, & id quod affirmas, simul etiam inficiere. Ac quemadmodum si quis nos fluctus solidam terram cupiat esse, ita tamen, vt fluctus nihilominus sint, ipseq; ab illo nauigandi motu, & gestatione non deseratur, is huius sui optati nullam stabilem & constantem habeat rationem, sed sibimet ipsi contrarius, & repugnans fide, qui futuræ vitæ spem ex his quæ sensibilia sunt, volunt comprobari, hi & sentire simul, & non sentire quod desiderant, volunt. Quando ab omni sensu humano, isto videlicet, & mortali aut spem, aut te abesse necesse est, si sis huiusce spei sensum aliquem percepturus. Illa igitur tibi argumenta spei nostræ fidem faciant,

quæ

ex eadem spe ducta sunt, quam cum videamus in eis rebus, in hac vita possumus experiri, promissionis suæ fidem nobis restituisse, quòd reuocauit nos à peccati morte, & in iustitiæ vitam insinuauit, exq; aduersarijs Dei, & hostibus effecit eius filios. Nam, inquam, videamus spem nostram in Deum tot nobis & tam præclara promissa expleuisse, eandem certò confidamus ea, quæ adhuc supersunt, quæ in alteram vitam reseruata nobis sunt, etiam expleturam, cum horum præsertim, quæ iam potiti sumus, illa quæ expectamus, quasi comitatus quidam, & appendices esse intelligantur. TVM IVLIVS, proh Dei immortalis fidem mi frater, inquit, Quid est nobis de hoc homine dicendum? vtrum eum ex humano, an ex cœlesti magis ordine statuamus? qui tantos cursus cogitationum, tanta inuolucra diuinorum consiliorum in tam paucis verbis constringat, & alliget, & cum breue spatium progressus videatur, cœlum & terras & mare peragrarit? Quod porrò pelagus doctrinæ, quæ vis inaudita [illegible] sapientiæ non in his verbis indita, & impressa est? ostendit [illegible] digito nos esse filios Dei, testes aduocat omni fide dignissimos: quippe illos ipsos, qui planè noscunt, intelliguntque veritatem, spiritus duos videlicet, & illum Dei, qui est ipsa veritas, & nostrum quatenus cum illo copulatus est, hoc est cum veritate Dei hærens atque coniunctus. Atque in tantam nobilitatem, gloriamque sublatos, gerentesque Dei cognationem, atque nomen, reuocat nos deinde ad respiciendam conditionem huius vitæ, quæ addicta sit laboribus, incommodisque perferendis, in quibus nos versari æquo animo debeamus, & ad exemplum, ac imitationem CHRISTI IESV ærumnas, & dolores [illegible] pati, vt cum illo quoque vnà eandem postea gloriam adipiscamur. Tum deinde conuersus ad demonstrandam conditionem nostri corporis, quod fragilitati, & morti videatur reiectum, immortale illud quoque fore confirmat, & in tempore reuelationis gloriæ filiorum Dei, etiam ipsum ad vitam perpetuam restituendum esse dicit, atque in vna re vtranque rem expedit, & vt nos futuros ex omni parte ostendat immortales, & vt animum augeat, fiduciamque corroboret, posse nos corporis & carnis cupiditates vincere, cum ista quoque pars nostri in eiusdem expectatione, ac desiderio spei nobiscum, & cum spiritu nostro consentiat. Non enim pergraues esse aduersarios, inter quos de summa rei conuenire est licitum. Atque ad hanc corporis protectam immortalitatem, huiusceque immortalitatis spem non in his rebus, quæ cernuntur, confirmandam, cum id fieri nulla ratione possit, sed ex eadem spe adminiculandam, vt spes spei testimonio, & certo documento sit, parsque iam adepta expectatæ partis faciat fidem, tot, & tam densa aliud in alio intexit argumen-

gumenta, vt assequi hominis penè sensum cogitatione nostra ne-
queamus. Ac video equidem aliter hæc verba ab aliis exponi. Sed
ego facilè suscipio rationem istam tuam, creationem quæ, vel fa-
bricam potius, vt tu vis, ac recte quidem, mihi vt videtur, de ipsa
tantum homine intelligo, quà is corporeus, & sensibilis est, quam
nostri quoque partem ad immortalitatem suspirare nobiscum
affirmanti Paulo credo, quippe quæ si non aperta voluntate, ac
communi desiderio naturæ ad melius ipsa etiam moueatur, eo-
rumque prophetarum, & sanctorum hominum dictis antecep-
turis, ac præsertim APOSTOLIS, & præconibus similibus
fidem de hac re indubitatam habeo. Verum illud tamen quam
de ipsa carne scilicet, deq; tota corporis natura, qui non sit con-
traria, & semper inimica rationi, cum ad extremum vsque spi-
tum nunquam ea turbare pacem animi, neque gerere bellum ad-
uersus rationem desistat? quòd si maior aduocanda est auctori-
tas, cur Paulus carnem concupiscere aduersus spiritum, cur ideo
illius se non posse stimulos, ac molestias propulsare ab sese dicit?
Cur dominus illam infirmam appellauit? neque hæredem regni
fieri posse sæpe testatus est? Cur illa in terram, & mortem nos
semper trahit? cum ad cœlum, & ad vitam exurgere contenda-
mus? Qua denique illa ratione peruincit, vt maiorem nostri ho-
minum partem suarum vanissimarum laqueis cupiditatum obli-
ctam teneat, atque vinctam? si non hoc malum est in eius natura
proprium, vt opprimat semper & suo decore spoliet animam?
Quòd si hoc illi natura vitium inest, quo pacto illud contrarium
inesse potest, vt natura appetat etiam ipsa reuerti immortalis?
VITIVM inquam, Iuli, carni inest, sed non vt est caro, nam si
hoc ita esset, etiam antequam peccasset Adam vitio infecta caro,
& rationi aduersaria fuisset, quod non erat ea tunc quidem unquam
quam ad esum interdicti pomi, & neglectionem diuini præcepti
fuit deuentum. At postquam illo crimine corrupta ex prima
sua integritate decidit, ignorantiæ continuò tenebris cooperta
tota, & ius quoddam, ac arbitrium suarum libere exequendarum
appetitionum sibi stulte vindicans, eadem arrogantia nititur ad-
uersus mentem, qua mens, & ratio primo extulit sese adversus
DEVM. Sed & si talis effecta parentis nostri crimine, & propter
primam illam culpæ labem, in prauos sensus, cupiditates, quæ
coniecta: insitum tamen illud naturæ desiderium non potest
eijcere, quin cuperet ipsa quoque particeps esse honoris, quod
vt ex euidentibus in animo nostro factis atque exemplis, illius
cultum in rebus quæ carent ratione, naturæ consilium tantum
deprehendamus. Vidisti ipse profecto, idque sæpius homines vi-
no, atq; ebrietati deditos, qui cum in vno illo studio curas omnes
suas, temporaque consumant, idque summum bonum in vita esse

[illegible]rentur, nihilo tamen minus tacitis interdum confodiuntur [illegible]lis, vt in media ipsa potandi alacritate, ac lætitia ipsi sibi dis[illegible]nt, ac modestorum & sobriorum hominum cupiant esse si[illegible]: neque à vino tamen propterea, crapulaque desistunt, sed [illegible] poculis hilaritatem prouocantes, sentiunt amarum quid[illegible] animo, quod suauitatem illius lætitiæ infuscet & immi[illegible]. Atque horum corrupta quidem vitio, & consuetudine ratio [illegible] in ipsum dedecus, seque in eo magis quotidie, magisque [illegible]gitat, neq; ea tamen sine cura, & stimulo, ac dolore tacito [illegible] consistere, cum id quod studet, & vult, sibi intelligat esse [illegible]. Simile quiddam nunc in corpore, & carne ipsa cogita [illegible] aduersum illi quidem, & incognitum: sed nobis, qui lu[illegible], & ratione vtimur, perspicuum, & euidens. Illa enim corru[illegible], infecta prauitatis labe agit, & cõtendit quidem omnia, [illegible] sibi sunt ad immortalitatem aspiranti & nobis, qui pa[illegible] concordiam cuperemus, infesta, atque inimica: sed ta[illegible] dolore quodam naturæ necessario ipsa tangitur, nec intesti[illegible] illud desiderium amittit, quin cupiat esse compos immor[illegible], quod quidem desiderium, quoniam pro nobis est: vi[illegible] autem carnis, ac præsens eius contaminatæ studium & con[illegible], & contra ipsam carnem pugnemus forti animo, & præ[illegible], tanquam in vniuersum victores futuri, etiam si in aliqua [illegible] aliquando vitio carnis victi, peccato succumbamus. PRO[illegible], inquit Iulius, & rationem tuam accipio: sed quod resta[illegible] etiam videtur ad dubitandum, id ex te exquiro. Etenim si [illegible] surrectionis in carne quoque, & corpore expectatio [illegible] Iudæis fuit, hancque eandem expectare, & cognoscere [illegible] propè est fidei nostræ mysterium, idq; imprimis & al[illegible] liberem, confirmat animum, vt pugnare, & niti, & sperare [illegible] aduersus carnis vitium debeamus, quid ita illi aut resi[illegible] carnis vitijs æque vt nos, non potuerunt, qua de re satis ante [illegible] disputatum, & dictum? aut in eiusdem penè expectatione [illegible] non eandem ipsi in Deum fidei viam, & rationem, quam [illegible] insistere? Quanquam ego ista dum percunctor, ad illud diui[illegible] fidei nostræ mysteriũ, quod hesterna die nobis patefactum [illegible], intuens reperio statim horum, quæ percunctor, dissolutio[illegible]. Illi enim sic restitutionem corporum sperabant, vt ad eas[illegible] incunditates, eademque mundi commoda, quæ in hac vita [illegible] maximi, redituros in altera se considerent, vxoresque [illegible], & domicilia, & agros recuperaturos. De qua illorum spe at[illegible] opinione etsi non palam est, neque diserte in Moysis lege [illegible], tamen ex interrogatione Saducæorum, qua de septem [illegible] eandem vxorem deinceps ducentibus, quid in re[illegible] corporum futurum esset, Dominum illi IESVM sci-

ſcitati ſunt, quæ fuerit Iudæorum mens, & de futuris bonis expe-
ctatio, liquido poteſt intelligi. Qui igitur bona hæc corporea &
terrena tanti æſtimabant, vt fructum in illis perpetuæ vitæ pone-
rent, non poterant illa ne in hac quidem mortali vita ſic contem-
nere, vt mentes ſuas ab illis ad Deum penitus auocantes, ſuis
reſiſterent carnis prælijs, atque oppugnationibus, id quod nos
melius poſſumus, qui & diuellimur in hac vita ab omni bono
mundi iucunditate & illecebris propter Deum, & in futura
cœleſtia, non terrena bona expectamus. Ita illi neque bene
Deum eandem, neq; parem firmitatẽ animi ad reſiſtendum car-
nis cupiditatibus inuenire potuere. Nunc lege tu, quæ ſequitur.

*Similiter autem & ſpiritus coopitulatur infirmitatibus no-
ſtris. Hoc ipſum etenim, quod oraturi Deum ſumus, quemad-
modum oporteat, neſcimus. Verum ipſe ſpiritus interceſſit pro
nobis gemitibus inenarrabilibus.*

HÆC PAVLI ſenſa vnum poſt aliud ipſius quidem more ad-
quendi obſcuro & implicito, cum difficilia cognitu ſemper fa-
tum diuulſa ſæpe, & interrupta, vt vix cohærere poſſe tantum
deantur. Sed nobis non tam ex verbis interdum eius quam ex ſpi-
ritu, & mente facienda eſt interpretatio, vt in hoc loco. Quo-
niam enim de tolerantia, quam in illa ſpe futuræ gloriæ ſuſtine-
mus, fuerat iam ſępius verbum factum, vt eam ipſam tolerantiam
fortius conſtantiusque teneamus, alio quoque ſubſidio & fir-
mamento nos inſtructos demõſtrat ſpiritu noſtrorum, quorum per-
cesq; noſtras ita dirigit erga Deum, vt nobis tuta, & ſecura poſ-
ſtulemus. Atque hoc monſtrato ad Deum deinde ipſum tenuem
omnem noſtram facultatem, & conſiſtendi, & tolerandi. Quod
ergo hic ait, ſimiliter & ſpiritum opem ferre infirmitatibus no-
ſtris, in eam rationem intelligamus eſſe dictum, vt duplicem vim
habeat. Nam quod ſpiritus curam ſuſcipit infirmitatum noſtra-
rum, id eſt, earũ, quæ ſunt ex parte carnis, & corporis, cum paulo
ante poſitam rationẽ comprobat, corpus eiuſdem gloriæ ſuſcipiendum
fore nobiſcum. Quî enim alioquin tantam de eo curam ſpiritus
ſuſcipiat, vt & redemptionẽ illius ſuſpirando deſideret, & in infir-
mitatibus, ac periculis ei opituletur? tum illud quoq; effici, vt
hoc quoq; fulti, munitiq; ſubſidio alacrius tolerantiam, & fir-
mitatem reſiſtendi capiamus. Nam quod ſæpe iam Paulus tenuem
hominem in ſeſe alicui hominis parti componit, & tanquã defectu-
bus in vno, & eodem loquitur, nunc hominem totum in ſpiritu
cõſtituens, vt qua dicit, Nos in nobis ſuſpiramus expectantes re-
demptionem corporis noſtri, nunc in corpore collocãs, vt in hoc
loco ſpiritus opitulatur infirmitatibus noſtris, eſt hoc quod ſi-
no lo quendi more vſitatum. Spiritus igitur vtrunq; facit, & tra-

[illegible] nos ad perpetiendum, & ferendum, quandoquidem nos [illegible]entiã expectamus, & fraternam de corpore suscipit curã, [illegible] errorum lapsionibus continendo in viam, spemque indu[illegible] optandæ, atq; expectandæ immortalitatis. At qui spiri[illegible] enim de isto mediocris est disceptatio. Sed nos missas fa[illegible] controuersias, quoniam id tantum proferre, & effari vo[illegible], quod nobis suppeditat, & inspirat Deus, dicamus nostrum [illegible] esse spiritum, quatenus is tamen ad Deum conuersus est, & [illegible] apeus, atq; dependens ex eo, quod facere ille nõ potest, nisi [illegible] sancto spiritu sit coniunctus. Et sanè propria voluntas no[illegible] ratio cum in Deo locata est, solaque spectat diuina, & im[illegible], spiritus est, & eo nomine nuncupatur, quæ si deflectat [illegible], atq; carnem, ita caret spiritus appellatione, & nomi[illegible] rationis tamen, voluntatisq; retineat, sed sit carnalis, & ter[illegible] ratio. Caro porrò, & spiritus vsq; eo diuersa inter se, alienaq; [illegible] apte, proprieque loquendo in vnum nequeant coniungi. [illegible] igitur nostra ratio copulata cum Deo, & nihil planè vo[illegible], quod Deus ipse nolit, est, quæ opem fert infirmitatibus no[illegible]. Nam & cum auocat nos ab eis expetendis, quæ sunt caduca, [illegible]tibilia, pulchrioraq; multo, & amabiliora ex Deo, quæ [illegible], proponit, nimirum illa magnum momentum affert [illegible] animi, atq; ad virtutem in rebus variè mentem [illegible] labefactantibus, seruandam nobis, ac retinendam, & plu[illegible] in eo quoq; nobis conducit, quòd desiderantibus nobis [illegible] Deum, & petere ab eo aliqua nominatim, quæ ipsi grata [illegible] nobis salutaria, quoniam in hoc falli facilè possumus, atq; [illegible] sæpenumero fallimur, ipsa ratio, quæ est non sanctus, sed [illegible] in nobis spiritus, qui tamen sine coniunctione spiri[illegible] esse non potest, intercedit pro nobis ad Deum ge[illegible] inenarrabilibus. Atq; hoc vnusquisq; in sese aliquando [illegible] experiri, vt cum ea optauerit, quæ sibi putaret vtilia, ratio[illegible] secum in optando consentientem habuerit, deinde vsu, [illegible] edoctus, illa esse perniciosa, vanaq; senserit, cõuertat se [illegible] gemitu ad summum Deum, & ante illum prostratus, ac la[illegible] proferat simul cum Psalmista, Deduc me Domine in [illegible] mandatorũ tuorum, quia ipsam volui. & illud, Domine [illegible] omne desiderium meum, & gemitus meus à te non est ab[illegible]. Præsertim cum & sapientissimi Regis dictum sit, Viam [illegible] quæ videatur homini iusta, & nouissima tamen illius tende[illegible] mortem. Et simile item quiddam IESVS Dominus socie[illegible] regni quærentibus Zebedæi filijs responderit, nescire eos, [illegible] peterent. Ergo cum quid à DEO nobis petitur nomina[illegible], incerta quidem & cupida est voluntas illius adipiscendi, sed [illegible] & si ipse quoque in idem studium inclinans, tamen exti-

mescens, ne forte incidat in aliquam fraudem, & pro commodo, ac salute damnum, periculúmue referat, postulatione illa facta, totam rem rursus permittit DEO, & illum vsurpat Dominus nostri sermonem sic orantis, Pater si fieri potest, transeat a me calix iste, verum tamen fiat non quod ego volo, sed quod tu. Sic enim orando, & deprecando DEVM, quod quotidie tamen ac oratione dominica facimus, cum vt fiat DEI voluntas, deprecamur, iustiores ipsi, & sanctiores, & ad spem exoptatæ gloriæ alacriores efficimur.

At qui scrutatur corda, noscit quod est studium spiritus, quoniam secundum Deum intercedit pro sanctis.

DEVS qui scrutatur corda, inquit, intelligit, quod est studium spiritus, quid sibi velit, quid optet. Id enim nimirum optat, vt obtineat nobis a Deo ea quæ sancta sunt, quæ illi placita, quæ nobis salutaria, non quæ hac aut illa cupiditate affecti nominatim postulamus. Pro sanctis autem hoc loco quadrat ad verum, siue quod sanctas res postulat, & pro ijs intercedit, siue pro ductis etiam viris, qui à Deo vocati in sanctitatem, & in ea formam diuino decreto sunt, quo de genere sanctorum ac electorum continuo facturus verba est Paulus. Sed & illud quoque attendendum ex his verbis est, quod de spiritu nostro proxime nominarit, & non de spiritu sancto. Quod enim ait, quòd Dominus scrutatur corda, noscit voluntatem spiritus, satis declarat se de spiritu nostri voluntate loqui, quam in suo sancto spiritu, vt nostrum Deum, non necesse habet scrutari corda nostra.

Nouimus autem, quòd diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum his, qui secundum propositum vocati sunt.

HÆC iam est constans, & inuicta ratio nostræ tolerantiæ, & firmitatis, per quam quidem rationem omnia vertuntur nobis in bonum, quod ab omnipotente Deo ante omnia secula electi & destinati ad potiundam hæreditatem æternæ gloriæ vna cum CHRISTO fuimus. Quoniam, inquit, Deus scit studium spiritus nostri, qui nihil vult, nec postulat ab eo, nisi quod ipsi gratum, & sibi sit ad gratiam illam, quam habet apud Deum, conferendam vtile, quod est amantis, & vere diligentis Deum. Iccirco hi, qui hoc modo diligunt, qui omnia sua bona ad Deum referunt, & in eo vno constituunt, quos proposuit Deus ante initium temporum efficere suos, & in illis collocare gratiã, & beneficentiam suam. Hi enim sunt, qui se totos conferunt, & insinuant in ipsum Deum, atque in illo amore, & in illa fide permanent, quod est ex Dei proposito esse vocatos. Sicut in alio loco: In CHRISTO, inquit, IESV hæreditatem sortiti sumus præfiniti secundum propo-

[illegible]ſitum eius, qui omnia operatur. His inquam talibus o-
[illegible] & aduerſa mundi & proſpera in bonum cooperantur ar-
[illegible]que cuncta conſtringunt neceſſitudinem, & amicitiam ini-
[illegible]lis cum Deo, vt diuelli ab eo & abripi nullis periculis, neq;
[illegible]ibus, nulla externa vi, nulla, vt ipſe mox dicturus eſt, huma-
[illegible] angelica potentia queant. Atque hæc quidem Pauli mens.
[illegible] & illud addimus, Non tantùm rectè facta, aut fortiter
[illegible] propter Deum incommoda, ſed lapſus etiam ipſos, &
[illegible] interdum corporis his ad incrementũ gratiæ proficere.
[illegible] eripi hi Deo ſemel ab eo conſtituti, atq; electi, qui Dei
[illegible] in frontibus ſuis ferant, ſed tantùm in ſe concuti, & la-
[illegible] aliquando poſſunt, vt vel occultum aliquod in ſeipſis
[illegible]endant vitium, quod minus antea animaduerterant eiq;
[illegible], vel vt humilitatem animi in magnis Dei muneribus
[illegible], neque ſe ad ſuperbiam, & inanem animi elationem pa-
[illegible] attolli, vel etiam vt caſu illo admoniti, atque docti ad mi-
[illegible]ndum ſibiipſis, & ad implorandum magis Deum red-
[illegible] diligentiores. Ita enim & Petro trina filij Dei negatio
[illegible] humilitatis in poſterum, & amoris erga magiſtrum ſuum
[illegible], & acerbitas Pauli, qua depopulabatur CHRISTI Ec-
[illegible], maius poſt de CHRISTO illius teſtimonio pondus, &
[illegible] addit authoritatem, eademque in illo effecit, vt acrio-
[illegible] deinde offerret ſe laboribus, reſiſteret periculis, omnia-
[illegible] Deum, & proximum quæ pertinebant, ſtudioſius obiret,
[illegible] culpam apud Deum ſuam nouis quàm plurimis of-
[illegible] poſſet delere atque extinguere. Atque horum nos duorum
[illegible] teſtimonio, cùm innumerabilia alia ſe offerant, hic
[illegible] etimus. At quid ita his vocatis Dei, ac diuinæ volunta-
[illegible] propoſito ad tantum decus electis in bonum omnia coope-
[illegible] vt etiam quæ obeſſe & lædere nata ſunt, reddantur illis
[illegible], atque bona, accipe rationem, & magnitudinem diui-
[illegible] prouidentiæ ſimul attende.

Quoniam quos prænouit, & prædefiniuit conformes imaginis [illegible], vt ſit ipſe primogenitus in multis fratribus. Quos autem [illegible]definiuit, hos & vocauit, & quos vocauit, hos & iuſtifica-[illegible]: quos autem iuſtificauit, hos & glorificauit. Quid igitur di-[illegible] ad hæc? Si Deus pro nobis, quis contra nos?

TOTA ratio eius, quod dixit, omnia diligentibus Deum [illegible] in bonum, & aliorum etiam, quæ paulò pòſt in hanc [illegible] ſententiam dicturus eſt, ex eo nimirum dependet, quòd [illegible] Deo ſtatutũ fuit, & diffinitum. Namq; quod attinet ad par-[illegible] teſtras, nihil in nobis ſtabile, nihil perpetuum habemus, ia-[illegible] ſemper incertis ſtudiis & volũtatibus. At quòd fixi, atq;

firmi in hoc bono hęreamus, vt nunquam separemur à Dei gratia, ipsius Dei proprium donum est, propria deliberatio, statuit enim ipse æterno ex principio, quos erat vocaturus in suam iustitiam, & gloriam, eosq; prædiffiniuit, vt essent fratres, & conformes IESV Christi, quatenus homo est Christus. Nam vt homo ipse etiam adoptatus est, ipsa porrò adoptio imago est naturalis generationis, & eum, qui est naturâ filius, is qui per consolationem legibus adoptatur, similitudine quadam generis [illegible]. Prædiffiniuit ergo Deus quos prænouerat, vt conformes essent imaginis filij sui, qui vt Deus, naturâ est Dei filius, vt homo adoptione filius. In adoptione ergo fratres futuri erant, & in hoc genere fraternitatis Christus, qui naturâ est Deo vnigenitus, in adoptione futurus erat primogenitus. Multos enim fratres adducturus erat ad Deum secum, simul & ipsos in filios Dei adoptandos curaturus. Neq; verò alia de causa ipse in mundum venit, & cùm patrem Deum naturâ haberet, hanc quoq; ex adoptione cognationem suscepit, qua is certè non egebat, nisi vt quam naturæ genere non poterat, adoptionis iure plurimos fratres haberet. Itaq; à Deo patre & ille missus, & hi prædiffiniti, vt esset cognatio ista adoptionis frequens, atq; multa, in qua & [illegible] filiorum Dei, & inter fratres caput esset CHRISTVS. Atque hoc est, quod magnum, excellensq; mysterium in tam [illegible] innuit Apostolus, cùm dicit, vt esset ipse primogenitus in [illegible] fratribus. Nam & rationem aduentus CHRISTI, & electorum prædiffinitione consilium Dei comprehendit. SAPIENTIA est, inquit Iulius, & quo plus progredimur in huius hominis [illegible], sententiisque expendendis, hoc maior subit animos [illegible] admiratio: non quidem vnde ista in eum deducta sint, sed quomodo ipse tantam ex Deo affluentiam altissimorum consiliorum capere potuerit. Sed nimirum Deus in illo arcana suæ sapientiæ hominibus aperiebat. Verùm mi frater, quod tibi est hic, [illegible] proximè sequentibus necessariò faciendum, eligere vtrum [illegible] malis de prædiffinitione ista, siue prædestinatione Dei, [illegible] bertate arbitrij nostri disputare, atq; differere, & vtrum [illegible] nobis aliquid afferamus ad consequendam filiorum gloriam, [illegible] totum potiùs à Deo sic accipiamus, vt nullæ nostræ in eo [illegible] sint. Scis enim ipse quanta, & quam difficilis sit de hac [illegible] stio. Cùm si omnia prorsus ex Deo nobis sint ita diffinita [illegible] destinata, quæ quidem spectent ad virtutem, & gratiam [illegible] dam, vt deliberationem nostram ipsa impellant, [illegible] loci nostro arbitrio reliquum esse videatur. Sin autem [illegible] rio merita nostra gratiam Dei anteueniant, omnem à Deo [illegible] sus benignitatis, & clementiæ gloriam auferamus. Quorum [illegible] posterius vt magis impium sit, illud primum aliquanto [illegible]

[illegible] mihi quidem sæpiùs iam reuerso ad consideranda ea, quæ [illegible]inque dicuntur partem, & rationum momenta perpen[illegible] sequere adhuc non potuit, nisi quòd Pelagianam impieta[illegible] sine vlla dubitatione detestor, qui tantùm meritis nostris [illegible] tribuit, vt diuinæ gratiæ liberalitatem conetur extin[illegible]. Nihil enim arrogantius, nec quod magis superbum esse [illegible], suscipi à nobis potest, quam ita nos placere, & assentari [illegible] ipsis, vt si quid præclarum, & eximiũ obtineamus, id facul[illegible] nostris ac nõ beneficentiæ summi Dei feramus acceptũ. Sed [illegible] quoq; parte, & si ab ea stat doctor omniũ maximus, idẽ[illegible] grauissimus, & sanctissimus vir: tamen durũ admodum mihi [illegible], quodq; illabi non facilè queat ad sensus nostros, si omni[illegible] nobis nihil sit, ꝙ valeat ad obtinendam gratiam, in pari cõ[illegible] conctorum ita quosdam à Deo eligi, vt cęteri in calami[illegible], & damno destituantur. Et si enim iustè omnes rejicimur, eò [illegible] natura filij iræ sumus, tamen vt in ortum & naturam tales [illegible]remur, nullæ nostræ apud Deum antea preces, nulla [illegible] flagitatio. Sed ipse cum sua bonitate nos lucis, na[illegible] participes facere instituisset, cur subitò mutatus bonita[illegible], occasionem nostri exitij esse voluerit, dispicere satis [illegible]. Vt iustitiam, inquit, etiã suam demonstret in iis, quos [illegible], sicut in illis, quos eligit, ostendit bonitatem. At quo pa[illegible] sit, si nihil ego delinquens, in hoc ipsum creor, & pro[illegible] in lucem, vt damnandus sim, meiq; exitij, atq; damni ipsa [illegible] initium, & causa sit? Deinde hanccine illi in Deo ap[illegible] iustitiã? quasi vlla in Deo pręstantior iustitia sit, quàm i[illegible] bonitas. Itaq; Gręci, & doctores Latini reliqui, quib. vetustas [illegible] authoritatem, meo iudicio moderatiores, qui sic nobis [illegible] tamen relinquunt, vt totũ, quod habemus virtutis, & me[illegible], ad Dei gratiam nihilominùs referant, quorum neq; doctri[illegible] eruditione, qui secus sentiunt, neq; religionis sancti[illegible] est inferior. MAGNVM, inquã, concursum acerrima[illegible] disputationũ excitas mi frater, & magnũ mare commoues, [illegible] hanc difficilimam omnium quæstionem, & si verum fateri [illegible], penè inexplicabilem à nobis vis tractari, & si eam qui[illegible] defugere honestè non possumus. Locus enim iste fert, & eo[illegible] expectatio, qui Paulum nosse cupiunt, hoc imprimis postu[illegible], vt aliquid de hac ipsa re in medium proferamus, quando [illegible]ationem Pauli sumus professi. Verùm vt statim de princi[illegible] notam tibi faciamus sententiam nostrã, nos de illorum nu[illegible] sumus, qui aliquid etiam in nobis esse positum volunt, qua[illegible] tamen cum illis consentire sine fraude, & sine detrimento [illegible] fidei possimus. Atq; vt tu modò ipse dicebas, si in pari con[illegible] omniũ nostrũm hi à Deo eligantur, alij rejiciantur, non

posse à nobis dispici, neq; animaduerti Dei iustitiam: sic illud ad-
do, ne in eodem quidem intelligi à nobis eius sapientiam, sine ul-
la causa, ac ratione discrimen faciente alios improbet, rejiciatq;
ad interitum, alios ad salutem, & gratiam suam recipiat, cum ipso
agere modo, atq; operari casus potiùs, quàm consilij esse valeat-
tur. Quanquam sic nos loquentes in illam fortasse incidimus pe-
tulantiam, vt videamur quasi è regione resistere velle Deo, & in
disquisitionem illum, atq; ad iudiciũ accersere, quod nullo mo-
do intendimus, sed prostrati animo, & corde ante ipsum, pensan-
que ab eo, & misericordiam poscentes, ipsum precamur supplic-
ces, vt verba nostra ipse dirigens facultatem nobis det, qua sit
tam in oratione, quàm in voluntatis studio placere valeamus.
Cupimus enim inuestigare, quid verũ sit, neq; id solum, sed quod
cum veritate pietatem quoq; preterea erga Deum habeat con-
iunctam. Tibi verò mi frater, & si te assensorẽ nobiscum erubescam
sententiæ habemus: tamen dicendum erit contra assertiones no-
stras, sicubi tibi minùs rectè videbimur loqui, quando vtrum hic
ambo adnitimur, vt quod verum sit, id comprehendamus. PA-
CIAM vt iubes inquit, quamobrem aggredere ad dicendũ. PRI-
MVM hoc te rogo, inquam, num tu Pelagium quicquam sensisse
recti existimes, qui merita nostra præcurrere diuinæ gratiæ & be-
neficentiæ voluit, vel prouisa ante à Deo prædiffiniuerit dictos
suos, vel pòst operibus iam ipsis probata eidem, & cognita. MI-
NIME, inquit, existimo, nec mihi videtur quicquam prouisse dici
iniustius. QVIPPE, inquam, cùm duo statim vulnera sententia
ista accipiat immedicabilia, vt ego arbitror: primum quòd gratia
Dei si ita sit, non est ampliùs gratia, sed debita operæ merces, ni-
hilq; benignitati, & gloriæ summi Dei in eo est relictum: quæ de-
re à Paulo, & à nobis hesterno die satis dictum fuit. Alterũ, quod
antequam in gratia, & amicitia apud Deum simus, cœlum sum,
& beatam in cœlo vitam demeremur, quod non modò colen-
bus Deum ritè, ac legitimè, quod duntaxat in CHRISTO Iesu
facere hominibus datum est, verùm etiam virtutem & Dei cul-
tum ex philosophia amplectentibus contingere est licitum. Ad-
quidem dignitas tanti meriti non ex Deo nobis, sed à nobis ipsis
insit: quo nihil est nostræ imbecillitati incongruentiæ. Ita
SE res habet, inquit, & est illa superba, insolensq; sententia. ET
TAMEN ille, inquam, nescio quid spectauit. Non enim repe-
bat, quo pacto de Dei iustitia alios sibi deligente, præmiserit
alios, seipsum, & cogitationes explicaret suas, nisi meritorum
ex parte nostra poneret: sanè parum attendens aliam in summo
principe, aliam in datis ab ipso iudicibus iustitiæ, & distributio-
nis rationem existere, quòd illa principis soluta legibus in igno-
scendo, & in obligando muneribus ac beneficiis, magis quam

[illegible]iendo, mercedemq; reddendo cùm præstantior ipsa in sese [illegible]um principis fama, & maiestate multò dignior, qui quos ac[illegible], quamuis perfidiosos, & improbos non supplicio statim, [illegible] pœna, sed cum beneuolentia, & cum humanitate accipit, [illegible] eos ipsi se dedentes sua comitate, eximiaq; bonitate & fi[illegible], & probos: hanc vt dico diuinæ magnitudinis gloriam Pe[illegible] non vidit: quam si vidisset, non omnem illius beneficen[illegible] ad merita nostra contraxisset, neque nos tanquam alteros [illegible] dantes priùs illi, vt postea reciperemus, quasi exaduersum [illegible] constituisset: qui si tantopere hanc meritis nostris tanquam [illegible]ibus examinatam Dei iustitiam amplexabatur, misericor[illegible] Dei, qua liberat peccatores, quo in loco relinquebat? An si [illegible] malè meriti de Deo sunt, hi Dei clementia & venia sæpe ha[illegible] digni, qui nihil meriti in neutram partem sunt, non eius[illegible] sæpe liberalitate benignitateq́ue perfruentur? Imò verò [illegible] hoc ampliùs dico eosdem sæpenumero esse, quibus ignoscat Deus, peccataq́ue plurima, & culpas graues condonet, & in quos [illegible] monumenta conferat & gratiæ, & liberalitatis suæ, hoc[illegible] proprium infinitæ iustitiæ, & bonitatis summi Dei, & [illegible] illius gloria maximè lucet, atque eminet, nisi quidem con[illegible] se ad Deum, & veniam ab eo petere in partem meriti po[illegible]um est. Quòd si ita est, humanæ leges omnes iniquè latæ [illegible], quæ delinquentibus non veniam, quam postulant, sed pœ[illegible], quam merentur, peccato & crimini volunt esse proposi[illegible]. Verùm nos Pelagium cum sectatoribus suis relinquamus [illegible] sanctissimis viris fractum, atque conuictum. De illis nunc [illegible], qui in contrariam, diuersamq́ue sententiam ita disces[illegible], nihil omnino vt in medio nobis reliquerint, nihil vt pote[illegible] nostræ, ne in voluntate quidem ipsa permiserint: sed Deo o[illegible] prorsus ita ferri velint accepta, vt in omnibus, quæ cona[illegible], atque suscipimus, ille primus, ac solus impulsor animi [illegible], conuersorq́ue voluntatis sit, vsque eò quidem, vt ipsos [illegible] afflatus cogitationum nostrarum, non à nobis, sed à Deo [illegible], & moueri putent. Quæ sanè sententia in maximas item [illegible] incidit difficultates: primum, quòd non iustitiã solùm istam [illegible] Deo distribuentem cuique, quod cuique conuenit, sed illam [illegible] liberalitatis, & beneficentiæ gloriam, quam maximè am[illegible], videtur imminuere. Quid enim potest esse in eo benefi[illegible] dignitatis, quod casu, non consilio datum esse videatur? Cõ[illegible] autem quod? si in pari prorsus omnium causa, hi sine ra[illegible] certa illis præferuntur? At Dei voluntas summa rationum [illegible] est, fateor, sed summam tamen in Deo, infinitamq́ue [illegible] aliquid sine ratione facere absurdum est. Non est no[illegible], inquiunt, indagare tam alta, cur alia tot & tanta indaga-

mus, & quærimus? Estne igitur rectum aliquid in nobis, quod nobismetipsis, ac non Deo ferre debeamus acceptum: nihil earum quidem rerum, in quibus hærere iam meritum, & laus operis potest, aliquos tamen ad eas res voluntatis motus in nostra dicimus esse potestate, alioquin nostri arbitrij libertatem, quam asseris tu idem, quo in loco obtinemus? Quoniam peccare possumus, inquis, & id velle nostrum est, recte autem velle agere non nostrum, sed ex Deo. Itáne verò liberum tu arbitrium illud vocas, quod ad vnam tantùm partem ita astrictum est, vt in altera iuris nihil omnino, nec facultatis obtineat? Quid autem peccare velle possumus ex nobis, nónne etiam possumus non peccare velle ex eisdem nobis? Aut si id non potest non tam proprio possumus peccare velle quam necessariò peccare voluntas. Necessitati porrò quæ lex, aut quæ præscripta pœna est? At enim ex contaminato genere oriundi ipsa iam natura ad interitum facti sumus, vt quos prætermittit, neq; ad se reuocat Deus, ij conquerendi causam non habeant. At ego video in futuro mundi iudicio non ita laturum sententiam CHRISTVM Iesum qui illud iudicium pro patre exercebit aduersus eos, quos est damnaturus, vt ita proferat. Quandoquidem vos ex infecto genere Adæ producti estis, culpamq; & vitiũ parentis vestri contraxistis, ob eam rem vos æternis ignibus cruciandos trado, non ita proferet. Sed quid dicet? Ite maledicti in ignem æternum, qui dum esset tem me videretis, non pauistis: cùm nudum, non vestitistis, cum infirmum, non subleuastis. At hæc non communia gentis humani, sed peculiaria singularium hominum sunt peccata, quæ idcirco illis præcipuè tunc exprobrabuntur, vt ne in illo acerbo cruciatu animi, & dolore audeant illi Dei implorare misericordiam, quam aliis ipsi implorantibus denegauerunt. Iam ista horum sententia omnem prorsus ad bonum arbitrij nostri consensum nobis auferentium, nónne omnia videtur reuocare ad necessitatem? nónne bonis mentibus scrupulosa est? nónne extinguit studium vigilandi, & adnitendi? animosque nostros retardat, atque deterret, ne labore, ac diligentia, quoad possumus, contendamus? Quæ etiam, his recentibus hæreticis occasionem præbuit, vt de seruo iam, non ampliùs de libero arbitrio auderent conscribere. Impiè illi hoc quidem, vt pleraq; alia, nec verum in eo doctorũ pietatem, & sanctitatem, sed sua tantùm religionis omnis euertendæ studia insequentes: veruntamen quæ authoritate sanctissimorum hominũ se putent delitescere. Etenim multa sunt scripturæ testimonia Deo omnia attribuentia, quib. refragari valde iniquum sit. Ego iniquũ confiteor esse, & refragari scripturæ testimonio, & negare omnia attribui Deo bona oportere: & tamen idẽ ego hoc dico deuitata hac iniquitate a vo-

[illegible] quoque libertati nostri arbitrij loci, ac muneris reliquum [illegible]. Verum quæ sunt ista tamen scripturæ testimonia, quibus ne[illegible]ario assentiri debeamus? In Euangelio, inquiunt, CHRISTI [illegible] discipulos alloquentis: Non me vos elegistis, sed ego elegi vos. [illegible] alibi: Nemo potest venire ad me, nisi pater meus traxerit eum. [illegible] Vobis datum est nosse regnum Dei, cæteris in parabolis, quæ [illegible], & alia item multa declarant donum Dei esse, quicquid in [illegible] ad Deum rite conuersum est, quod nos pie, planeq; confite[illegible]. Nam & electio nostra ex DEO est, siquidem ante ille nos ele[illegible], quam in natura editi essemus, & applicatio ad CHRISTVM, [illegible] quoq; regni cœlestis, & beatissimæ vitæ assequendæ spes do[illegible] Dar nobis sunt, & ea quidem primaria, & maxima, sed tamen [illegible] nobis collata volentibus. At nos non elegimus, sed fuimus [illegible], nempe volentes, siue in præsentia tunc cum fuit facta [illegible], siue iamdiu si illa facta est ante mundi secula, quoniam [illegible] futuri voluntate præcogniti fuimus, vt pareremus vocati, [illegible] enim præcognouit, hos prædiffiniuit. Et quanto planior, [illegible] Pauli ista deductio est, ipsa etiam erga nos beneficia, [illegible] tum, deliberationemq́ue summi Dei ad præcognitionem [illegible] futurorum reuocantis, cum quo conueniens caput Apostolorum Petrus, electos hos eosdem vocat secundum præcognitionem Dei patris in sanctificatione spiritus. Quid ergo, quod ex æterno tempore is deliberat, & eligit, causáne est in nobis, qui id [illegible] tanto post sumus? minime, neque vllum nostrum electionem DEI de nobis prouocat meritum, sed causa diuini illius constituti, ipsius est DEI præcognitio. Quid porrò præcognoscit? futuros nos ministros sui glorificandi nominis, non [illegible] nostra idoneos, non meritis, non ingenij, aut animi facultatibus, quæ in nobis nullæ non à Deo sunt, siue illæ communi, siue proprio beneficio nobis datæ, sed eo vno aptos, aut vt planius etiam loquar, accommodos, quod vnum in nobis situm est, [illegible] animi videlicet ad non aspernandum, neq; repudiandum mandata, & vocationes summi Dei. Hoc præcognito in nobis, quod faciles ductu erimus, tum Deus sapienter vna, ac liberaliter bonum suum omnibus impertire cupiens, diuinorum suorum beneficiorum iam inde de principio nos digna constituit fore receptacula: nec tamen propterea in nobis meritum gratiam Dei antecenit, sicut nec solum quidem, aut area ipsa sola accommodatione sui vim habet vllam promerendi, nisi abuti vocabulo velimus, vt ædificiũ in ea nobile extruatur. Sed illa tota est architecti, ædificatorisq́; deliberatio, cuius prouidentia, atque cura, & [illegible] etiã magis solũ, commodiusq́; fit, & ipsa ædificatio cõstituitur, atq; suscipitur: sic nostrum credere simplex illud & inchoatum, quo ad obediendum Deo incipimus inclinari, non cõtinuò

mere-

mereri est: sed tunc meremur, cum firmati iam in bona voluntate ab ipso Deo, & in ipsius cognitionem, amoremque traducti, omnia ex illo, & propter illum agimus. At enim ista animi inducta voluntas quædam est, quam voluntatem necessario antecedit cogitatio. Sed ne sumus quidem idonei cogitare aliquid ex nobis vt ipsemet Apostolus Paulus attestatur scribens ad Corinthios. Non (inquit) quòd idonei sumus à nobis ipsis cogitare aliquid tanquam ex nobis, sed hoc totum, quod idonei habemur, ex Deo est. Quare si nec cogitare quicquam possumus nisi ex Deo, nec velle quidem quicquam sine eodem Deo possumus. Ad quod dicendum est verba ista Pauli aliam quandam spirare, deferreque sententiam, quàm eam, quæ ab hisce intenta est. Non enim in illis de ipsa qualibet cogitatione sermo ita est, vt insistat Paulus, & enumeretur in ea, sed de ipsis cogitandis operibus intelligit egregijs, & mirabilibus, & ad illustrandam gloriam Dei magnificis, quæ non nauare modo quisquam, sed ne cogitare quidem, nisi ex ipso Deo idoneus est. Non enim ista huiusmodi cogitatio inchoata, & rudis inceptio quædam est, animi etiam nunc molientis primos illos motus inclinationis ad Deum, & voluntatis suæ, sed cogitatio sapiens, atque magna maximarum simul, sanctissimarumque rerum & suscipiendarum, & administrandarum, quas tes fitetur ne idoneum quidem se esse, vt existimet à se esse profectas, hoc est non se existimare idoneum authorem illarum esse. Sed, ita enim sequitur, idoneitas nostra ex Deo est, idoneitas repetit, & non cogitatio, quæ sit ex Deo. Quæ autem ista idoneitas? quidnam os ministros nos fecit, inquit, noui testamenti, vt facultatem & virtutem noui testamenti prædicandi, atque publicandi à Deo se totam accepisse confiteatur. Quem Pauli sensum, qui illum locum accuratius legent, facile intelligentia consequentur. Sed est locus difficilior, in quo Paulus ad Philippenses scribens, sic loquitur: Dilecti mei sicut semper auscultauistis, non in præsentia mea solum, sed multo magis in absentia cum metu, & tremore vestram ipsorum salutem procurate. Deus enim est operans in vobis & velle, & agere pro bona voluntate, vt etiam velle nostrum appareat esse à Deo, quod nos confitemur in illis voluntatibus, quæ ad præclara Dei opera agenda incensæ, & paratæ sunt. Nihil enim perfectum esse à nobis potest. Sed nostra sunt initia, & cogitandi, & volendi. Atque ita nostra, vt magnam quoque partem in illis obtineat Deus. Ipsum enim necessariò propositum nobis habemus, cum ipsum volumus, & cogitamus, vt sit ipse prius nostrarum cogitationum, voluntatisque inuitamentum, ad quem tum inclinauerimus, quod bonum propositum in nobis vocat Paulus, velle deinde, & operari ex illo bono proposito perfectius à Deo nobis est cum ipsius ope, & subsidio ad recte agendum, constituere.

terque volendum, & fulciamur, & promoueamur. Reliqua est
ctio. Cum nihil omnino in rerum natura, nisi per Deum, &
Deo sit, quoniã nulla res est, cuius rei hoc ipsum, quòd est, non
ficiscatur à Deo, ne velle quidem ipsum, & cogitare in actum
ti potest, nisi author voluntatis, & cogitationis sit Deus, quod
esse concedamus, sine Deo etenim nulla omnino res est, il-
men Dei adsistentia, vt sic loquar, & concomitatio in rebus
sunt, non rationem causæ impellentis, sed tanquam fultu-
, & subsidium rei existentis in se habet. Nos vero cum quæri-
rum velle sit à nobis, an à Deo, id ita quærimus, vt non vo-
ne nostra in Deo nitatur, atque consistat, sed an ab ipso tan-
Deo in nobis ea moueatur, nosque nullas nostras partes ad
dum afferamus, cupiamus inuestigare, atque nosse. Qui si
omnino ex nobis ad bonas cogitationes, & sancta consilia
mus, neque illam primam saltem inductionem animi, quæ
cardo quidam voluntatis est, huc vel illuc se voluẽtis in no-
habemus potestate, liberi profectò arbitrij non sumus, sed
pro inanimi, aut certe pro experte rationis instrumento ad
vias adhibet Deus, eaque item ratione, nulla est in nobis ra-
ro merendi. Sin autem idcirco quòd nos nostrum velle, & pa-
Dei constituto imperioque subijcimus, omnis bona, & sancta
in nobis producitur à Deo, cuncta quidem illius actionis
, & omnis virtus, & omne meritum planè ex Deo est. Sed
nisi obedientiam nos nostræ voluntatis, tanquam staminis
diuinæ contexendi prudentiæ subiunctam teneamus, hæ-
in nobis non sit. Cuius rei signum maximum, quod in me-
rum bene gerendarum auerti retro, & resilire possi-
Quod si possumus resilire, possumus etiam non resilire, &
vtrunque in nostra potestate, aut non tam arbitrio libero,
necessitate resiliemus. Quod si hoc ipsum, quod nolumus
, vel quod volumus in obedientia perstare (vnum enim at-
vtrunque est) nequaquam à nobis, sed à Deo tantum
sine pœnitentia sint dona, & vocationes Dei, vt alio loco
ait, qui fieri poterit, vt qui semel fuerit in bonam vo-
inductus, resiliat postea, retroque se conuertat, nisi Deũ
vocationis suæ, quod iam existimare est nefas? Est igi-
nostra in actionibus rectis cum Deo vnà cooperatio,
quidem ad agendum partem ipsa conferens, verum ali-
tamen. Quemadmodum Paulus ad Corinthios: Abundan-
, quam omnes illi, laboraui, non autem ego, sed gratia Dei
, inquit. Et Petrus: Ideo fratres studete firmam vestram vo-
, & benedictionem efficere, hoc est, estote in obedien-
stantes. Et cum legitur: Dedit eis potestatem filios Dei fie-
qui credunt in nomine eius. Dedit eis potestatem vt fierent,

inquit,

inquit, non ſtatim fecit filios, quoniam ab eorum parte crebri-
tatem, & voluntatem requirebat. Aut cum dicebat CHRISTVS,
Fides tua te ſaluum fecit, quod mulieri dictum importunis-
ſtanti, quam præſertim initio dominus repellebat. Et, Si potes
credere, omnia poſſibilia credenti, cum ſtatim clamaret præ-
ter cum lachrymis, Credo domine, inquit, ſubueni incredulitati
meæ. Et cum æcitati eorum, qui non credebant, in ſynagoga
raſcebatur. Et cum dicebat, Qui ſermones meos audit, & qui
mittenti me. Et, Qui vult venire poſt me. Et, Si vis ſalu-
Et cum paterno illo cordis affectu ſuper Hieruſalem flen
ſi ciuitas illa ad credendum nullas ſuas partes allatura
tam flere ſuper illam opus fuit, quàm vt crederet imper
Theſſalonicenſes Paulus, Dignetur vos vocatione Dei
& impleat omne propoſitum bonitatis, id eſt, quod bene pro-
nitis perficiat, & impleat in vobis. Quanquam de libertate ar-
trij, ac motu noſtræ voluntatis in nobis poſito, neque
ferre exemplum, quàm de ipſo Adam poſſumus, qui cum
dum filius iræ eſſet, neque naturæ vitio ad malum impelle
vita tamen ſibi morteque propoſita in deteriorem voluit
ſe demiſit. Neque authoritatem illuſtriorem, quàm Salomo
qui in Prouerbijs, Hominem, inquit, à Deo fuiſſe relictum
nu conſilij ſui. Et quod euidentius adiungit, Seruauerit
mandata, ſi voluerit. Et item, Appoſita ſore illi ignem
vitamque, & mortem ante oculos, & vtrum voler
nus tendet, id illi iri datum. Et item, Hominis ſunt
nes cordis, & à Domino eſt reſponſio linguæ, mo
Verte ad Dominum opera tua, & confirmabuntur
tuæ, magisque item perſpicue: Cor hominis cogitabit
Dominus autem diriget greſſus eius. Iam præter dicta
nia ſcripturæ, quæ plurima ſunt, ipſe mos, ordoque catholicæ Ec-
cleſiæ nónne aliquid eſſe à nobis, & ex voluntate noſtra
Quid enim aliud cohortationes, quid præcepta, quid
quid obteſtationes ſuperiorum, & authoritatem habe
doctorum etiam noſtrorum ſibi volunt, niſi vt nos
luntatis noſtræ dominos in meliorem, & ſanctiorem
tant partem? aut quem aliam ad finem CHRISTVS
nem hominis aſſumpſit docendoque, & conuiuendo
eſt diuerſatus? Labores, ærumnas, ludibriaque
cruce affici ſe paſſus eſt, ac nihilominus humilitatem
tientiamque ſuam mirandis illis diuinitatis operibus
diſtinxit, niſi vt commonefaciendo, & rectum
mõſtrando, hominum voluntates ad ſe alliceret, & per
patre collocaret? quæ ſi per ſe moueri, niſi eo iubente
tant, cur per tot anfractus operum & laborum, ac
illa-

[illegible]que diuino mundi conuersio protinus ad Deum facta est? [illegible] vt aliquando finem faciamus disputandi, atq; id conclu[illegible], quod nobis videtur æquum, confiteamur illud primum o[illegible] bonum in nobis ex Deo esse. Nec tantũ cõmune hoc, & na[illegible] omnib. datum, quòd mẽtis, & rationis participes facti sumus [illegible] præterea instrumentis, ad nostrũ munus obeundum ab ipso [illegible] locupletati, atq; ornati, hæc enim diuina esse prorsus in no[illegible] beneficia nemo vel mediocriter sapiens dubitauit vnquam, [illegible] his in præsentia non agimus, de illis loquimur bonis, quæ [illegible] nostrum, & constitutionem nostri à nostræ arbitrio volunta[illegible] proficiscuntur, vt hoc velimus potius, quàm illud, huic magis [illegible], quàm illi acquiescamus, hoc enim proprium iam esse v[illegible] opus, propria animi inductio, quæ si ad Deum, & Dei [illegible] se dediderit, in illo genere bonorum constituitur à nobis, [illegible] vere sunt, & in sacris literis appellantur bona, in quibus [illegible] sanè, vereq; dicitur, omne bonum nobis à Deo esse, vt non [illegible] actio, neq; voluntas, consiliumq; duntaxat, verum prima [illegible] illa cogitationis commotio, si ad sanctitatem, & fidem se [illegible], ex Deo nobis moueatur, & insit, verum alio, atq; alio [illegible] Nam cũ Deus dupliciter causa bonarum rerum sit, vel vt [illegible], & ipse agens, vel vt finis, resq; desiderata, priore quidem [illegible] quicquid facit Deus, ipsius est actio, & opus eius proprium, [illegible] eò nos à nostra parte afferimus, qua ratione, per volunta[illegible] constitutum omnipotentis Dei, quicquid est in nobis per[illegible], & constans in amore erga ipsum, & in rebus asperis pro ipso [illegible], prosperisq; temperãdis, quicquid firmitatis in bono [illegible], quicquid fidei rectæq; religionis obtinemus, id totum [illegible] nobis authore ita datur, vt agnoscere debeamus nos facul[illegible] nostris eò aspirare non potuisse, nisi Deus nos in illa gra[illegible] gloria ipse suis penè manibus collocauisset. Atq; hæc præ[illegible] est, & vocatio à Deo, & glorificatio nostra. Sic n. ab eo e[illegible] ante constitutionem mundi fuimus, vt per illum, & ex illo o[illegible] diuinorum bonorũ copiam suo ipsius solo beneficio non [illegible] illis nostris ante euntib. habituri essemus. Verũ qua Deus [illegible] rerum causa est, & ad eum, vt ad summum bonum mentes [illegible] mouentur, nostra hactenus voluntas, & cogitatio, & pri[illegible] atq; inchoata actionum nostrarum consilia ex Deo quoq; [illegible], vt nihilominus libera sit nobis facultas illum appetẽdi, [illegible] auersandi. Non enim tunc vt mouens, atq; impellens, author [illegible], & principium vniuersum nostræ voluntatis, sed vt appeti[illegible] & desideratus. Magnum quidem tum quoq; momentũ affe[illegible] ad inclinandum nos, atq; alliciendum, veruntamen vim non [illegible], quin possimus diuertere in partem aliam, atque defle[illegible], neque ita imperãs, vt sit necessariò nobis parendũ, sed velle

nostrum

nostrum in nobis tunc est. Itaque adduci, & attrahi nos pertinaci-
mus, si tamen volumus. Ex quo apparere iam arbitror, quæ sit hu-
ius difficillimæ quæstionis non improbanda solutio, quæ ideo
tot doctorum mentes impeditas adhuc tenuit, quod hanc fina-
lem causam in Deo cum agente illa, atque efficiente in eorum mi-
scuerunt, neque distinguere inter se, & separare sunt conati. Nos
vero prædicamus, Deum esse in nobis omnium bonorum causam
etiam voluntatum, primarumque cogitationum, sed si quis sit
in nobis perfectiora, longiusque progressa bona, tota ea a Deo
prorsus nobis existere, neque esse in illis quicquam in quo nobis
assentari, aut ad partes id nostras dedere debeamus. Principio ve-
ro bonarum cogitationum, & voluntatum ex Deo ita existere, vt
nostri quoque tamen arbitrij illa sint, vt cum ad ipsum tanquam
expetendum, ac exoptabile bonum nosmetipsos sponte vertimus,
magnam quidem vim in eo, illiciumque nos trahendi inuenia-
mus, sed quo tamen libertas animi nostri non constringatur.
Quamobrem demus illius omnipotenti nomini debitam gloriam,
ac subijciamus illi corda nostra, totosque nos aptos ex eo pendere
ita intelligamus, vt vitia quidem nostra sint: omne autem bo-
num, & omnis virtus, & omnis apta ad promerendum actio, ex il-
lo tota sit, nullamque nostram partem in sese habeat, quoquo
autem libera voluntate cogitamus atque suscipimus, id illum
nostrum, vt magnas eius quoque partes Deo attribuamus, vt aut
ab eo, aut non sine eo omnia nobis bona, etiam bonorum intra
constare sit necesse. INTELLIGO, Iulius inquit, & vere mihi ex ea
hallucinanti in hac quæstione ardua, & difficili nunc primum da-
tur aliquid cernere, in quo oculus mentis meæ conquiescat. Vi-
deo enim hanc distinctionem tuam ita conseruare Deo suam glo-
riam incolumem, vt tamen nobis nostri libertatem arbitrij non
auferat, & si illud quoque intelligo voluntatis huius nostræ Deo
cum ei libeat, non modo illicium, & inuitamentum, vt finem, sed
etiam vt mouentem, & impellentem dominum esse, quod est in
Paulo nostro patefactum, quem inuitum & reluctantem per vim
traxit Deus, ad cognitionem sui. Atque ista quidem voluntatum
& cogitationum principia voluētia se cum amore ad finem Dei,
& se tanquam stamen vt tu modo dicebas, illius sapientiæ, opera-
tionique subijcientia, nimirum illa sunt, quibus a Deo in futuro
sanctis tanto ante præcognitis fit iudicium ab eo, & deliberatio
hos seligendi, sibique reseruandi, in quibus, & per quos sum o-
mnipotentem gloriam in cæteros postea demonstret, quæ in e-
lectio, & prædestinatio causa deinceps est, non vt finis, & appe-
titum, sed vt agens ipsa, atque efficiens, vt tot in ipsis electis dona
beneficia eluceant. Verum reliqua etiam apud me nonnulla, sed
hac ipsa prædestinatione, seu prædiffinitione dubitatio est. Nam

electi, & diffiniti ab ipso Deo peccare postea possint, & sese à
& ab illius amore auertere? Si enim possunt, quęnam est prę-
ratio? Si non possunt, quò abijt tam subito conditionis no-
infirmitas? aut quid isti mereri iam præmij, aut mercedis
, si nequaquam ex se, sed ex Deo in bonis, & sanctis operib.
entur? Peccare possunt, inquam, Iuli, nec imbecillitatis
cōditio ad impatibilem firmitatem in illis conuersa est,
eo etiam peccant, & peccabunt. Quis enim est vsq; eò in
oculis animoq; intentus, qui si pedibus per terram ambu-
offendat aliquando in aliquem lapidem? Veruntamen il-
peccata non vsq; eò valebunt, vt ad interitum eos, & cum
inimicitiam deducant, semperq; ratum erit, quod à Deo de
fuerit diffinitum. Atq; ipsi quidem ex sese, suaq; impotentia,
& ruere, & pessum ire penitus possunt: neq; vt non possint,
tur in illis Deus, neq; efficiet, vt sint ipsi ex seipsis impec-
verum ipse excubijs illos custodiens suis, & quæ ad deijci-
illos idonea essent, sua potestate propulsans, vimque, & im-
frangens venientium tutabitur assidue electos suos, & si-
eos interdū labi, vt suæ infirmitatis admoniti Dei in
maiore amore cōplectantur: capi autē, & obrui, ab seq;
nunquam sinet. Sic n. scriptum est: Qui habitat in adiuto-
Dei, in protectione Dei cœli commorabitur. Et de Dauid
Deus, Inueni Dauid seruum meum, oleo sancto meo vnxi eū,
enim mea auxiliabitur ei, nihil proficiet inimicus in eo,
iniquitatis non nocebit ei. Quid ita vero non nocebit,
sit Dauid, cui possit noceri? Quoniam manus mea, in-
ulabitur ei. Et ad Abraam Deus, Ne timeas Abraam, e-
ante te gero. In Euangelio etiam, quà dominus de
verba faciens, eius aduentum, operaq; prædicit, frau-
& impietatis, tot illum signis asserturum potentiam, &
tatem suam exponit, vt si fieri possit, erraturi etiam sint e-
quam illi quidem per se errare possint, sed à Deo custodi-
Quo etiam minus hi ferendi sunt, qui ad libidines, & intē-
suam omnia referentes, quo ijs solutiore animo indul-
dictitare soliti sunt, si pręuiderit eos Deus esse damnandos,
effugere Dei præscientiam non queunt, velle sese inte-
mundanis voluptatib. perfrui, ne in vtroq; seculo incom-
& mala perpeti cogantur, quasi vero non ista horum ora-
factis comprobata ipsorum damnationis causa sit, aut quic-
illorum ad interitum præuidentia Dei afferat, pręter solam
tionem. Sed hæc quæ in scholis quotidie disputantur, præ-
tenda nobis sunt. De meritis dicendū, cum nulla sit homi-
, quæ sua viniti, aut tam altè aspirare ad cœli præmium
, necesse esse Deū eundem, ad quē tendatur, tendentibus ad-

iutorem, & ducem ad ſemetipſum inueniendum, poriendumque
exiſtere. Nunc ad ipſam verborum Pauli expoſitionem reuertamur, qui confirmare illud volens, quod ante præmiſerat, omnia
diligentibus Deum cooperari in bonum, rationem deſiſtit tu-
tam ita à Deo, & deliberatione Dei deducit, vt neſcio quid par-
uulum nobis tamen relinquat, quod eſt in principio poſitum
tanquam fundamentum, & ſolum ad ſuſtinenda Dei dona. Quo-
niam quos præcognouit, inquit, hos & prædiffiniuit, vt apparet
aliquid noſtri in nobis à Deo præcognitum, in quo ipſe tam o-
pus beneficentiæ collocaturus iam inde à ſeculorum initio ſe
decernat, & ſtatuat, atque hæc ambo ante omnia tempora. Mox
autem in tempore, Quos autem prædiffiniuit, hos & vocauit,
& quos vocauit, hos & iuſtificauit. Ecce primum Dei in nobis
quod appareat beneficium, & prima gratia ipſa iuſtificatio, per
quam digni à Deo, iam deinde efficimur, qui ipſius gloriam ne-
reri debeamus. Itaque ſubiungit ſtatim: Quos autem iuſtifica-
uit, hos & glorificauit. Non enim talem gloriam, niſi iuſtitia
merito nobis vindicamus. Porro ipſa iuſtitia Dei donum eſt, ergo
omne meritum ex Dei munere obtinemus. Quis ergo ad-
bitabit, cum hæc ita ſint, quin omnia Deum diligentibus coop-
tulentur in bonum? etenim ſi Deus pro nobis, quis contra nos?
ſi ipſe defenſor, quis oppugnator noſter erit? Aut ſi eum oppu-
gnabimur, quid contra diuinam omnipotentem defenſionem
humana, & fragilis poterit oppugnatio? Atque vt quod dixi, de
electione, & glorificatione noſtra, quam adhuc in ſpe obtine-
mus, ex ijs, quæ iam accepimus, confirmet, ſic argumentum inter-
rogando facit.

*Qui vtique proprii filii parcus non fuit, ſed pro nobis omni-
bus tradidit illum, quomodo non & cum ipſo omnia nobis lar-
gietur?*

Qvi in re ſumma, & ſibi omnium chariſſima proſixe, & lar-
ter liberalis erga nos Deus fuit, cum vnigenitum filium ſuũ tra-
dit pro nobis in hanc humanam infirmitatem & mortem, in qua
ſibi quicquam reſidui faciat, quod nobis non cõmunicet, nemo
quam eſt exiſtimandus, ſed maxima conceſſa re etiam ea, quæ ne-
nora ſunt, quę illud filij donũ primarium conſequuntur, ad ſub-
benter eſt donaturus. Qui n. filium dat, amore noſtri inducitur,
iam filij gloriam dabit, etiam nos pro filijs diliget, & patentem
erga nos capiet voluntatem, qua hæredes nos faciet cœleſtium o-
mnium ſuorum, immortaliumque bonorum.

*Quis criminabitur electos Dei? Deus eſt iuſtificans. Quis vt
condemnans? Chriſtus mortuus, magis autem & ſuſcitatus, qui*

& eſt

in dextera Dei, qui & intercedit pro nobis. Quis nos sepa-
a dilectione Dei?

cio eo dictū est, quoniā magna erat inter multos admiratio,
tam sibi isti nouæ religionis introductores vellent, & suspi-
redam eiusmodi ducta ex communibus hominum malitijs,
ositatibus, aliquid eos sibi quærere lucri, & authoritatis,
ssetnè nouantibus res solet esse propositum, tum autem il-
ægeæ superstitionis inuidia, de qua heri in nostri sermonis
bio diximus, Christianum nomen exoriens grauiter afflixit.
ebus fiebat, vt qui verbum fidei alioquin non aspernа-
ur, ad profitendam tamen eam redderētur tardiores, vel iam
redam, cum pudore quodam dissimulare conarentur. Quorū
ulcatur ista Pauli libertas, & vis animi ardens in Deum, atq; il-
incere inflammata mens alacritatem, & fiduciam addit, qua-
fiungat. Electi à Deo fuimus, & in eius iustitiam gloriamque
ram, huiusq; ipsius spei firmitatem exijs, quæ iam ab eo nobis
ta sunt, obtinemus. Qui enim proprium suum, vnigenumq;
tum largius nobis est, quo pacto non largietur cætera, quæ à
ius erga nos amore expectanda sunt? & nos inepto pudo-
redum, metuq; ignominiæ apud imperitos, à prædicando pa-
o filij Dei nomine, & apud omnes glorificando absistemus?
rahant qui volunt de nobis licet, & grauium criminum nos
ulcent, nonnullorum etiam commissorum ante forsitan &
rorum, quid nobis obest vllius iam criminatio? Illa nempe
ata baptismo, & fide erga Deum abluta sunt. Deus est, qui
undos facit, & qui taleis nos esse iudicat. Quis alius nos iam
riminat: non moueamur vllius insimulatione, non deterrea-
ur minis, quin hunc primum gratiæ Deo habendæ actum,
tanquam vocem testem nostræ vicissim erga illum bene-
olentiæ mittamus, vt palam, & libere ipsius sanctum nomē pro-
eamur, multa sunt fortassis proposita pericula, CHRISTVM
nuntiantibus, verum ea metuere non est amoris. Ille mortuus
st pro nobis, in quo est absolutio à criminibus nostra, vt iam in-
ntatores contemnere debeamus, ille etiam magis nobis exur-
t, in quo nos sumus à Deo iustificati, ad iustitiam quippe cum
ò euaserimus. Ille sedet in dextera Dei, quam eandem gloriam
ærens nos confidimus. Ille apud Deum interuenit, & instat pro
bis, vt stabilis & firma sit electio nostra, & ipsius Dei de nobis
ofinitio, & cum hæc ita sint, tamēnne erit quicquam, quod
opulum nobis aliquem, dubitationémue afferat, quasi diuelli
imus ab amore omnipotentis Dei? & quidnam erit istud? Sic
um ista profert Paulus, tanquam correptus numine, & totus i-
e diuini amoris sit flagrans.

Afflictio? an angustia? an persecutio? an fames? an nudatas? an periculum? an gladius? quemadmodum scriptum est: Quoniam propter te in mortem tradimur tota die, reputati sumus velut oues occisionis. Sed in his omnibus superuincimus per eum, qui dilexit nos. Confisus enim sum, quòd neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque potestates, neque instantia, neque futura, neque altitudo, neque profunditas, neque vlla condita res alia poterit nos separare à dilectione Dei, quæ in Christo Iesu Domino nostro.

Hæc est firmitas à Deo electorum, & prædiffinitorum iusta, atque constans, in omni rerum humanarum turbine, vt nulla conuelli, neque prosterni possit, quæ tota ipsa in Dei amore statuta est, in Dei amore, inquam, inter ipsum, & nos mutuo. Sic enim semper intelligendum est, cum in veris, sanctisque amoribus alter sine altero amor esse non possit, quanquam hoc præcipuum fit in Deo, cum, sicut alio loco à nobis dictum est, eodem Spiritu sancto, qui est Dei amor, in cordibus nostris inhabitante, & ipsius amorem Dei erga nos sentimus, & ipsi erga Deum amore conflagramus, vt ab illius amore tamen amor noster exoriatur. Quocunque igitur loco de Dei amore in Paulo scriptum est, ita vt ambiguum videatur, de vtro sit intelligendum, de vtroque accipiatur, quando ambo ex eodem fonte, & ex vno Spiritu sancto sunt profecti. Atque hic quidem Paulus non multitudinem solum malorum commemorat, quæ nos à Deo videantur posse separare, neque separant tamen, sed in eo etiam magis confirmat, hoc enim est, quod ait: Sed in omnibus his superuincimus, per eum, qui dilexit nos, qui sic amore nostri inductus, & quia nos amauit, constituit, & prædiffiniuit, vt essemus ab eo omnino inseparabiles: hoc est enim superuincere, non modo non diuelli, sed magis etiam cum Deo, ex incommodis conglutinari. Non solum inquam calamitates, & pericula, & angustiæ, atque ipse gladius, quod omnium extremum est, de quo in psalmo XLIII dictum, quòd propter te necamur omni die, reputati sumus vtiues occisionis, non distrahunt nos à Deo, neque auertunt, sed neque alia vlla vis, aut potestas, siue illa humana, siue cœlestis sit, siue etiam tempus ipsum futurum, aut præsens, siue quæ supra sunt, siue quæ infra, siue tota hæc mundi creatio, quam videmus, nec præter hanc aliqua præterea vlla sit: confido, inquit, quòd nihil horum vnquam poterit nos seiungere ab amore Dei, quem in Christo Iesu Domino nostro gerimus, quod ideo addit in Christo Iesu Domino nostro, quoniam sicut in ipso Deus nos elegit, & prædiffiniuit maiori fratri nostro, & spiritus sit

familiæ

...principi futuros comites, atq; in eodem ipso, & per eun-
...amoris sui documenta nobis maxima tribuit: sic nos in ipso
...CHRISTO IESV, & gratiam Deo habemus, & amorem
...gnoscimus, & Deum ipsi quoque vicissim diligimus, atque
...postoli tot rerum aggregatio, quarum vis, & multitudo
...tamen diuellere nos potest à beneuolentia, & coniunctione
...Dei, quasi mentis impetu quodam & excessu facta est, ad
...finem, vt demonstraret, quanta sit stabilitas diuinorum de-
...rum. Nam quòd angeli & principatus, alijque illi spiritus
...studeant nos separare à summo Deo, ne cogitare qui-
...est, sed quòd ne possint quidem, si id studeant, verissime
...dictum. Nulla enim omnino creatio creatoris consilio, vel
...moræ affert, nedum vt queat diuina consilia frangere,
...penetrare. Et in hoc percursu tantarum rerum id à Paulo est
...tum, vt probet omnia diligentibus Deum cooperari in bo-
...ternaque Dei decreta sanctos suos eligentis & diffinientis
...abilia semper esse, illiusque constituti, & decreti, quo quia
...in iustitiam, & gloriam selectus est, amorem semper mini-
...& conciliatorem existere, qui & Deum fecit, vt is nos si-
...geret, & facit nos vt propter ipsum cætera omnia parui-
...ia esse existimemus. Multis igitur, & præclaris habitis
...bus, in quibus de fidei CHRISTI virtute & verita-
...dictum, transit rursus ad Iudæos, & arguendos, & conso-
...

...tatem dico in CHRISTO, *non mentior, attestante*
...conscientia mea in spiritu sancto, quòd mœror mihi est
...& assidua lamentatio cordi meo. Optarim enim ego-
...anathema esse à CHRISTO *pro fratribus meis, cogna-*
...secundum carnem, quicunque sunt Israelitæ, quorum
...adoptio, & gloria, & testamenta, & legislatio, & cerimo-
...& promissiones, quorum sunt patres, & ex quibus est
CHRISTVS, *quantum ad carnem, qui est in omnibus Deus*
...in secula. Amen.

CVM proxime amoris sui erga Deum Paulus indicia maxima
...posuisset, vt quem ab illo nulla vis, nulla potestas, nullum in-
...modum posset auertere, nunc suæ quoque in proximum be-
...lentiæ, & charitatis ingens testimonium affert planè illud
...quod est in vtraq; scriptura, & laudatum, & præceptum,
...quisq; proximum suum sicut seipsum. Et ad Iudæos qui-
...consanguineos, & fratres suos sermonem habiturus, eo-
...que duritiem, per quam ad CHRISTVM conferre se renue-
...& ex lege veteri in fidem nouam migrare argumentis, & te-

ſtimonijs ipſorummet ſcripturæ refutaturus, præmunit ſibi de principio aditum, & viam, quò ad illos coarguendos mollius, & minore illorum cum offenſione accedat, habeatque animos ad audiendum paratiores. Et quoniam Romæ credentium Eccleſia ex vtroque genere conſtabat, & Iudæorum, & gentium ad communem illum cœtum ſcribens omnibus ſignificat, quanto ipſe amore, quo ſtudio procurandæ, atque optandæ ſalutis ferator, & moueatur erga cognatos ſuos. In quo & prudentia Pauli ita poſtulabat, vt faceret illos ad diſcendum proniores, quando quod optimo animo ſit, maiorem ad perſuadendum affert vim minimeque etiam ſi diſpliceat, conturbat. Et reuera ſic ſe res habebat, vt in maximo ipſe dolore, mœroreq; eſſet, quòd videret genus ſuum à ſummo illo bono, quod oſtentatum illi, & propoſitum in primis erat, pertinacia quadam duritiaque animi, & errore mentis abalienatum eſſe, quem ſuum animi dolorem magnis teſtibus confirmat CHRISTO, & conſcientia, & ſpiritu ſancto. Ac CHRISTVM quidem vt Deum teſtem aduocat. Veritatem dico in CHRISTO, ſic enim vſurpatur in communi more loquendi. Veritatem in Deo loquor, quod eſt teſtem meæ veritatis facio Deum, in quo atteſtatur mihi conſcientia mea, neque ea conſcientia, quæ alicui meæ affectioni aut odio, aut amori præbeat teſtimonium, in quibus animi perturbationibus ſæpe accidit, vt etiam ſi ſe errare conſcientia ipſa non putet, nihilominus tam en erret. Sed ea conſcientia, quæ in ſpiritu ſancto veritatis teſtis eſt, quæ Deum ſibi propoſitum, & illum ſanctum, verumque amorem fraternæ erga proximum charitatis adiunctum habet. Quod porro verum eſt iſtud, quod tanta Paule confirmatione præmunis? Quod, inquit, mœror mihi eſt magnus, & aſſidua lamentatio cordi meo propter fratres meos, hoc enim adijciendum eſt, vt plenum ſenſum habeamus. Deinde addit: Optauerim enim abdicari ipſe à CHRISTO quò illi reciperentur, hoc enim eſt anathema eſſe à CHRISTO. Aliud enim eſt, Deo eſſe anathema, quod conſecratum, & dicatum Deo eſt, aliud à Deo anathema, quod eſt è ſacro, & religioſo eiectum, quo vocabulo etiam nunc in ijs, qui è conſortio fidelium eijciuntur, Eccleſia vtitur. Aſt vbi tuus ille amor erga CHRISTVM Paule, cui omnia modo poſteriora longe ducebas, in quo ſolo inhærebas, ayus nec vitam, nec mortem, nec cœlum, nec terram, nec præſentia, nec futura poſſe te abſtrahere, tanta cum fide, & aſſeuerantia profitebare? niſi quod rem eiuſmodi poſtulabas, quæ in illo dolore animi, & nube mœrentium cogitationum, quas pro fratribus ſuſcipiebas tuis, ſyncero quidem te hoc corde optare compellebat, vt diuellerere à Deo & CHRISTO, fratrum tuorum cauſa: ſed eo magis poſtulatio illa ad Deum te, & ad CHRISTVM

vna arcte constringebat. Postulabas enim, non commodum quod tuum, quod seorsum à Deo tibi velles adesse, sed maiorem & celebratiorem postulabat Dei gloriam, fratresque tuos [illegible], atque incolumes cupiebas, in quo sane euidentior Dei [illegible] gloria, si ad veram fidem omnes illi perducti essent. [illegible] primi à Deo fuerant filij appellati, illi in eam gloriam [illegible], vt gens sancta soli, & populus electus, & Dei hæreditas [illegible] conferentur: illorum erant pactiones, & testamenta Dei, [illegible] nimirum, & primum vetus illud, quo terræ illis data est, & [illegible] secundum, quo cœli eisdem possessio est promissa. Illis data [illegible] & quemadmodum Deum colere rite deberent, cerimoniæ [illegible] religionis traditæ, & factæ promissiones ab summo Deo [illegible] patribus, qui cuncti ex illo genere extiterunt: ex quo [illegible] genere denique fuit CHRISTVS, quantum ad carnem [illegible], qui quod ex Deo est, ipse Deus est benedictus in omne [illegible]. Hi ergo quibus spes tot bonorum fuerat ostentata, & [illegible], eorumque ex scripturis, & patribus fides CHRISTI [illegible] primum authoritatem, maioribus deinde ex se, ac illustrio[illegible] virtutum, & miraculorum, & sanctissimorum mo[illegible] toto terrarum orbe coruscabat, cum ipsi ad fidem minus [illegible] accederent, neque sibi facilè illam persuaderi sinerent, [illegible] quendam, & offendiculum ponebant in ipso limine [illegible], quod adeuntibus afferret hæsitationem. Dubitabant [illegible] nonnulli, & insistebant, cum illos ipsos, qui festinare, & [illegible], & scire ista maximè deberent, intuerentur dubitantes, [illegible] nomini sancto Dei, & libero processui illius gloriæ im[illegible] quoddam afferebatur. Ergo idem Dei amor, qui [illegible] totum rapuerat ad sese, qui nusquam eum alibi veram [illegible] boni sui ponere permittebat, adigebat eiusdem ani[illegible] Pauli magnitudine quadam inauditi amoris, vt id inter[illegible] optaret, quod est vnum omnium maximè contrarium amo[illegible]. Nihil enim magis optat is, qui amat, quàm vt mutuò ametur. [illegible] Paulus in amando Deum progressus fuerat, vt pro il[illegible] magnificatione gloriæ passurus videretur æquo animo, se ab [illegible] redamari, & tamen quod optabat, extra omne periculum [illegible]. Nam vt laqueorum natura, & comprehensio eiusmodi [illegible], vt quo effugere magis coneris, hoc illigatus arctius teneare, [illegible] quicquid propter amorem fit, etiam si videatur ex amore velle [illegible], in ipso amore tamen fit id constantius. Quid autem reue[illegible], nam hoc Paulus optabat, excidere ipse ex amore DEI, quo [illegible] sui in gratiam reciperentur? Hic respondendum est, ex [illegible] illum doloris vere hoc optasse, ex consilij, & rationis iu[illegible] nequaquam. Nam cum affectionum natura ea sit, primum [illegible] efficiant semper consilio, & cogitationi, deinde vt in vna

re diu nunquam permaneant, fit, vt ad quamcunque affectionem te dederis, illa tibi & veras res offerre, & cupiditates tuas iustas facere videatur: quæ mox si affectione extincta ad rationis iudicium reuocentur, inanes & præposteræ fuisse deprehendantur. Aliud porrò est ex consilio rationis, aliud ex affectionis motu aliquid optare. Stare in amore Dei Paulus, & iudicio mentis semper volebat, & cum per affectum quoque animi in eam cogitationem ferebatur, illa tunc ardentia, & magna proclamatur, Quid nos ex amore Dei abstrahet? num mors, num vita, num homines, num angeli? & cætera. In quibus memorandi perfo ante quasi in spiritu, & igne perbacchatus est. At cum ille affectu aliquantisper sedato in aliam curam eum de fratribus suis dolor, & cogitatio pertrahebat, tunc alio affectu delatus, atque incitatus, illorum salutem præoptabat, & de sua negligens esse videbatur. Contigit hoc idem Moysi amico, & famulo Dei erga ipsum Deum, vt cum eum iratum populo, & excidium illi, internecionemque minitantem, placare, & deprecari Moyses intentur, inueniretque difficiliorem, inter medias preces in hanc vocem prorumperet, Si dimissurus es domine iram tuam populo tuo, dimitte: sin minus, dele nomen meum de libro, quem scripsisti. In eo enim affectu tunc positus, vt de periculo suorum esset solicitus, quorum salutem faciebat maximi, paulisper in obliuionem suæ salutis venerat, & tamen nullo periculo, quod postulabat, postulauit, quippe cum causa ea, propter quam id petebat, causam eidem Deo grauiorem præberet, diligendi eum magis, atque probandi. Atque idem Moyses, qui tunc pro populo ad Deum se de libro vitæ deleri postulabat, post populum pro Deo adorantem idola interficiebat. Attamen Paulus CHRISTVM & spiritum sanctum testem animi sui, & voluntatis aduocat, vt appareat eum vere sic sentire, & loqui. Aduocat enimuero, sed tristitiæ animi suæ, & doloris, quem de fratribus suis capit, vocat testem, quo reuera ipse vehementissime commouebatur. Quod autem mox subiungit de optato suo in quo salutem suam donare, & concedere saluti fratrum suorum paratus est, id iam non CHRISTI, nec spiritus sancti testimonium est, sed affectionis animi sui erga fratres indicium. Namque quod ad Iudæos attinet, omnis profecto Dei omnipotentis beneuolentia & indignauit de principio ad illos, & deinceps semper donis, promissionibus, præcipuoque studio erga illos declarata est, sicut & testamentum omne vetus, & noua scriptura pluribus locis ostendit. Nam & CHRISTVS ipse aliquoties dixit, testatusque est, se tantummodo missum ad oues Israël, quæ perierant, & se non adempturum panem filijs, quem canibus proijceret. Et in Apostolorum actis: Vobis oportuit Iudæis primum prædicari regnum

Dei,

sed quoniam indignos vos facitis, ecce conuertimur ad gen-
tes, et Iudæi post illa Dei gratia deiecti, cum gentes ægre ferrent,
Deum nunquam coluissent, in eius ipsius gratiæ, quam ipsi
ferant, possessionem vocatas, de seipsis deberent, non autem
Deo dolere, & conqueri, neque de ipsius Dei tanquam fidem
non præstantis gloria, famaque detrahere, quando is nihil
rerum prætermisisset, quæ ad docendos eos in gratiamq;
endos in nomine, & fide IESV Christi filij sui forent aptæ.
& CHRISTVS Dei filius ex Iudæis est secundum carnem,
est idem alia ex natura Deus benedictus in secula. Quod hic
à Paulo est prolatum, nisi velimus ad similitudinem ante-
rium hoc quoque accommodare, quorum sunt patres, & ex
CHRISTVS, & quorum est Deus verus, quem aliæ præ-
Iudæos non agnoscebant nationes.

*Non ita autem, quòd exciderit verbum Dei. Non enim omnes
ex Israel, hi Israel: neque quòd sunt semen Abraæ, omnes fi-
lij, sed in Isaac vocabitur tibi semen: hoc est non filii carnis, hi
filij Dei, sed filii promissionis reputantur in semen: promissionis
enim sermo iste est. Ad hoc tempus veniam, & erit Sarræ filius.*

Non etsi, inquit, Iudæi magna ex parte repulsi, quibus erant
promissiones factæ, & nationes aliæ in præmia vocatæ promis-
sionum sunt, non tamen fides Dei titubauit, neque illius excidit
verbum, sed in sua æterna veritate perstitit. At qua ratione persti-
tit? Reiecit quibus promiserat, eos autem vocauit, quibus pro-
missum nullum fecerat? Quia, inquit, non carnis, sed verbi Dei
filij sunt, qui vocātur. Non enim omnes, qui ex Israël, hi Israël
sunt, nomine fortassis quidem, & vocabulo omnes appellantur
Israëlitæ, & Israël, sed reuera illi sunt Israel, qui recti Dei sunt,
ac quoniam huius Hebraici vocabuli vana est interpretatio, qui
Deum mente cernunt, siue etiam cum Deo principes sunt. Isti er-
go Israel, qui nomen factis comprobant, sed neque omnes qui
semen Abraæ existunt, etiam sunt Abraæ filij, sed qui tantum ex
Isaac ab Abraam fluxerunt, sic enim illi diuinitus est annuncia-
tum, in Isaac vocabitur tibi semen. Non enim ex Ismaele, quem
ex ancilla genuit, neque item ex alijs Cheturæ filijs, qui magna-
tum posteritatum fuere principes, omne semen Abraæ, quod di-
uinorum in carne fuit, in genere, & honore filiorum comprehen-
sum est. Quippe cum cæteros omnes ex alijs mulieribus genitos
facie Isaac, sicut dicit scriptura, Abraam separatos in alias veluti
colonias dimiserit. Sed soli, qui ab Isaac in illa Dei promissione
profluxere, filij extitere & Abraæ secundum carnem, & secun-
dum spiritum diuinæ promissionis, ac ipsius Dei filij. Qua etiam

ratione neq; ipſe Eſau filius Abraæ, niſi per carnem exiſtit, quando in illo Dei promiſſio non eſt propagata. Quacunq; ergo peruaſit, & ad quoſcunque peruenit Dei illa promiſſio Abrahæ filij hi vere filij Dei, & ſemen Abraæ ex promiſſione reputati ſunt. Nam neque Iſaac filius in totum Abraæ ex carne extitit, quando effœto iam ſemine patris, & matris vtero, nihilque omnino illi ad generandi facultatē amplius afferentibus totam naturam in eo, non tamen ſine viro, & vtero ſola tunc promiſſione pleuit. Ergo ex Abraam, poſtea per Iſaac producti magis promiſionis, quàm carnis filij profecto ſunt exiſtimandi, maioriq; promiſſione, quàm in carne cum Abraam & cum Deo conſanguinitatis coniunctio. Proinde cum Iſraelitis, aut Iudæis aut iam Hebræis, ſiue quocunque nomine illa natio delectetur, promiſſiones à Deo factæ ſunt, & adoptio in filios nuncupatoque, & regni ſtabilis, & perpetua poſſeſſio, non illæ nomen, voci, ſed ipſi rei factæ ſunt. Porrò in re multo maximam partem habet promiſsio. Ergo ſicut ex ſemine, & carne Abraæ, qui prodeſſunt, plurimi ex ijs, & longe numero ſuperiores ab honore filiorum Abraæ repulſi ſunt, ſic qui in promiſſione illi ſucceſſere, iſtius multo, & verius filij ſunt appellati. Quare nec Iudæorum reiectio, nec vocatio, adoptatioq; gentium, quicquam derebit & fide ſummi Dei diminuit, quando ab eo potiſſimum ſpectatur, non carnis ex Abraam, ſed promiſsionis ſuæ ad Abraam partio. Ac ne Iudæi reſpondeant, ſe tamen non ex alio electo ab Abraam filijs, ſed ex ipſo Iſaac fuiſſe progenitos, qui non ſolum carnis, ſed promiſsionis filius extiterit, reinque, quod impetagunt, à ſpirituali generatione ad carnem, corpuſque mutatur, confutat illos protinus adiecto de filijs Iſaac eiuſdem ſcripturæ notabili teſtimonio.

Neque hoc ſolum, ſed & Rebecca ex vno ventrem ſerat Iſaac patre noſtro, nondum enim geniti, neque cum fuiſſent aliquam bonum, aut malum, vt ſecundum electionem Dei propoſitum maneret, non ex operibus, ſed ex vocante, dictum eſt ei, quòd maior ſeruiet minori, ſicut ſcriptum eſt, Iacob dilexi, Eſau autem odio habui.

In omni veteri teſtamento plurima poſita ſunt, quæ uentum filij Dei ſeruaturi genus humanum, & gentium vocationem, nouamq; legem ſpiritus in cordibus ſcribendam, nouiteris, partim vaticinijs, & prædictionibus, partim figuris, partim ipſa rerum geſtarum hiſtoria admonent, & oſtendunt, interea id quod ad futuram adoptionem gentium, repudiationemq; Iudæorum pertinebat, ſæpius qui primogeniti parentibus [illegible]

, è capite generis exclusi minoribus natu fratribus loco, & primi ordinis concessere, quod iudicium euidens, & vati- semper fuit, Israel primogenitum Dei filium alteri post se de honore primo decessurum. Ac ne hoc fortuitum, aut cuiquam videri possit, in ipsis principibus nominis, & Iudæorum, Patriarchis videlicet, & ducibus omnibus fe- contigit, vt qui primi eos parentes fecissent, patrumq; no- appellauissent, ex filiorum ipsi priorum loco exciderent, ioresq; fratres suos cernerent, in primum honorem gene- accersitos, atque sublatos. Nam & Abraam cùm Ismaelem filium extulisset, Isaac secundum illi prætulit, & Isaac filiis geminis vno fœtu sibi natis, eum qui posterior exie- primum hæredem constituit. Et Iacob, non Ruben solum genitum, illo honore deiecit, Iudamq; in eius locum indu- & postea cùm accessisset ad Aegyptum, senexq; & oculis filios Ioseph sibi in liberos adoptatet, venturaq; omni- prædiceret, formatis in modum crucis brachiis, & dextra supra caput Ephraim, qui minor natu erat, eiq́ue sinister posita, & sinistra supra Manassem primogenitum Ioseph, latus translata, per illam crucem ordines, gradusq́ue signo clarissimo futurarum rerum ita minorem fi- benedictione antetulit, vt illo admirabili vaticinio aper- ostenderet posteriores Dei filios, quos crux illa distinxis- maiore in honore, & gratia apud Deum futuros. Talia exempla nunc proponens Paulus indignantibus Iudæis, animo ferentibus se posteriores quodam modo à Deo & gentes esse in primum honorem gratiæ vocatas, quo- quod de Abraam dixerat præferente Isaac Ismaeli poterat aliquam apud Iudæos obiectionem iure id in illis accidis- quam alter de ancilla natus esset, posterior de libera, sese omnes ex liberæ filio Isaac natos esse, repetit rursus ratio- vim in ipso, item Isaac, qui cùm esset ille electus ab Ab- filius, duosq; ex eadem vxore Rebecca liberos vno partu priùs egressum in lucem ex matris vtero Esau, & poste- secutum Iacob, tamen non tam is quidem sponte, quam di- prouidentia compulsus minorem filium maiori præposuit. humanis ista attribuerentur euentibus, hominumq́ue for- authoritas parui esset, adiungit diuinum de eadem scriptu- testimonium, inquiens, non solùm hoc factum fuisse in Ab- & in illis duobus non de eadem matre liberis, sed etiam qui ex vna matre, vnoq́ue patre sunt editi. Namque Re- vxor Isaac cùm ex viro vno conceptum haberet, quo qui- conceptu geminos parturiebat, atq; illos inter sese in vtero luctantes sentiret, audiuit ex Domino, antequã illi in lucem

prodiis-

prodiissent, antequam quicquam boni fecissent, aut mali, audi-
uit, inquam, quòd maior seruiet minori. Et in alia scriptura Ma-
lachiæ Prophetæ idem Dominus dicit, Iacob dilexi, Esau autem
odio habui, quæ sunt ab Apostolo inducta ad compensandam
alteram illam Iudæorum querelam, qua se primò à Deo genitos,
post reiectos, & gentes in primum honorem filiorum introduc-
tas non mediocriter conquerebantur, detrahereque tentabant
de omnipotentis Dei fama, atque gloria, tanquam in iniuriam
quippiam, & inexpectatum egisset, ostendit enim Paulus ab ipso
tum agere Deum, cùm ipse bonum, ita factu atque rectum diui-
no suo consilio esse iudicat, cuius iustitiæ, & æquitatis veritatem
ipse ante seculum omne cognoscat, nos postea euentis tantum e-
docti perspicamus. Atque ita duabus iam querimoniis iubeo-
rum elisis, atque abiectis, vna, qua querebantur fidem illis pro-
missionum à Deo non fuisse seruatam, quando eam Deus Israel
præbuisset, gentibus persoluisset: in quo responsum ab Apostolo
est, Israel esse semen, & filios promissionis, non generatio-
nem carnis. Altera, qua secundos filios primis prælatos esse gra-
uiter ferebant, quod in ipsorum principibus, & Patriarchis ostendit
dit Paulus Deo fuisse vsitatum. Nunc ad asperiorem malefi, &
grauiorem querelam tertiam confutandam maiore apparatu se
confert. Dicerent enim Iudæi, id quod & dicebant, & non sine
causa dicere videbantur, Quid ergo? num nobis gentes antefa-
tæ sunt, eo quòd meliores nobis sunt? num illæ nobis sanctiores,
aut continentiores? Num in vno Deo colendo diligentiores?
quem ipsæ non nouerunt, atque adeò ne nosse quidem curaue-
runt, nos & nouimus, & prędicamus, & colimus, hæcine igitur
gratia nobis bonorum operum relata est? vt ab his, qui solas suas
cupiditates explere pro Diis sibi, & pro religione habuerunt non,
qui multa nobismetipsi facienda, patiendaque præscriptionem,
qui pluribus rebus propter honorem Dei, & legis à Deo nobis
latæ abstinemus, in præmio apud Deum, & in honore vnceremur?
Huic grauissimæ, acerbissimæque querimoniæ, quæ tota
nixa est bonorum fiducia operum, in quibus Iudæi sibi multum
arrogabant, respondet nunc Apostolus, opera semper hominum
aspernans, & gratiam Dei, gloriamque magnificans, electionem
illam Dei ex ipsius deliberatione, & proposito, quo vno modo
maximè rata ea, & permanens deliberatio est, ac non ex nostris
operibus pendere. Itaque ante natos Iacob, & Esau, antequam
boni quicquam ex illis, aut mali fuisset editum, Deum fuisse
se Iacob minorem fratrem, vt maiorem illi Esau in seruitutem
dederet, & quod etiam apertius, & significantius dictum est in
Propheta, antequam vterque eorum nasceretur, Iacob Deo di-
lectum fuisse, Esau autem odio habitum. Et quoniam [illegible]

responsio ea erat, quæ in multas, & magnas incurreret difficultates, magisque exulceraret eorum dolorem, qui expostulabant Deo, & conquerebantur, quàm leniret, idcirco insistit ipse Apostolus, & commoratur in ea, nunc sibi ipse obijciens, nunc ab illis intelligebatur obiectum, nunc obiecta dissoluens.

Quid ergo dicemus? num iniustitia apud Deum? absit. Moysi enim dicit: miserebor, cuius misereor, & miserabor, quemcunq; miserabor. Itaque non volentis neque currentis, sed miserentis Dei.

Quid mirum, inquit, si dixi tibi electionem Dei, quam de nullis extrà ex ipsius proposito, non est operibus nostris esse aptã? an est hæc iniustitia Dei, non enim habet ille, quibus præmia tanquam iure debeat, quandoquidem omnes filij iræ nascimur, non solùm parentis primi labe, & vitio, sed nostris deinde quisq; nostris peculiaribus inquinati. Nec est cur quisquam ex operibus sibi arroget, & veluti pro suo iure petat, vt honoris apud Deum, & præmiorum fiat particeps. Sed hi eliguntur, hi non eliguntur, quia horum Deus misereturnon illorum. Dei enim eligere, misereri certè est, quia nullius opera tanti sunt, vt mereantur. Non misereri Dei est reijcere, quòd omnium opera magis contemnatur. Quemadmodum Deus ipsemet in communi peccatorum Israël, qui vitulum aureum in solitudine adorauerant, Moysi dicit, se misertrum, quorum tunc misereret, & non misertum quorum non tum misereret. Quanquam hoc secundum non sic diserè pronunciatum à Deo, sed ex priore illo membro est intellectum. Quòd si ita sit, adipisci gratiam, & diuinum præmio fieri, non volentis est, neque currentis, quod à gymnicis certaminibus est inductum, & pro omni conatu rectè agendi, omnique bona operatione ponitur, sed miserentis est Dei, quicquid honoris, ac loci apud Deum obtinemus, non operibus nostris, nostræque voluntati, quam hic certè Apostolus nihil esse nostram, sed Dei ipsius proposito, & misericordiæ tribuens. Et rursus in alio scripturæ loco.

Dixit enim scriptura Pharaoni, quòd in hoc ipsum suscitauit te, vt ostendam in te potentiam meam, & vt annuncietur nomen meum in omni terra.

Hoc est Dei iam non miserentis, atque ideo nec eligentis, quid Pharaoni contigit, quem non solùm excitauit Deus, vt ostenderet se ille spectaculum tori mundo mirabilium, & potentiæ omni Dei: verùm etiam ad hunc ipsum finem Deus illum se creasse testatus est, vt ostenderet ipse in eodem illo vim suam, glo-

gloriamque nominis sui in orbe toto diffunderet. Et quoniam prior dubitatio nondum soluta est, etenim si miseretur Deus, quorum illi videtur, cæterorum verò non miseretur, nulla autem appareat huiuscemodi differentiæ causa, nisi sola voluntas præpotentis Dei, de duobus alterum videtur necessariò consequi, vt aut iniustus Deus sit, huic magis quam illi sine ratione faueas, aut nostra, qui delinquimus, peccata minimè sint plectenda, quando ipso DEO volente sic perpetrata sunt, quod proxima de Pharaone scriptura videtur indicare: idcirco Apostolus insistit iterum, & sibimetipse has dubitationes opponit.

Igitur cuius vult, miseretur, & quem vult, obdurat. Dices igitur mihi: Quid etiam nunc queritur? voluntati enim eius quis resistit? Imò ô homo, quis es tu ex aduerso respondens Deo? Num dicet fictile ei qui finxit, cur me fecisti huiusmodi? an non habet potestatem figulus luti ex eodem mixto faciendi hoc quidem in honorem vas, hoc autem in despicatum?

PRIMA ista verba Apostoli sunt concludentis ex illis scripturæ locis, quòd omnia nostra ex electione, & proposito Dei sunt, non ex operibus nostris. Quando ipse Deus, quorum vult, miseretur, & quos vult, obdurat. Nam & ipsemet Deus in Exodo Moysi dicit, Obdurans obdurabo cor Pharaonis, vt ne dimittat populum meum. Et quoniam acris obiectio exoritur, quid ergo nos pœnæ meriti sumus, cùm quid delinquimus, aut eorum ad cupiditates nostras toti delabimur, si Deum sic volentem tanquam authorem culpæ, & criminis habemus, cuius voluntati non possumus non parere? Hoc responsum hominum velut in indagatione, atq; ira loquentium, ipse quoq; commotus eorum petulantia Apostolus asperius refellit, vt discant modestius & reuerentius de summo authore omnium bonorum Deo, & de immensa, ac inscrutabili illius Sapientia loqui. Tu quinam es, inquiens, qui sic audacter, & superbè tanquam par pari, & nihil illi concedens respondeas Deo? An hoc modo figulum interrogant fictilia, Cur me non honestum, neq; exornatum vas, sed incomptum, despicabileq; fecisti? Nónne figuli est potestas ex eadem creta fingendi vas cuiusce modi velit, siue mensis illud paratum velit esse, siue sterquilinijs? Enimuerò Deus maior multò figulo est: & tu homo præ Deo luto etiam es contemptior, quæ ergo meritas te aduersus Deum concitat? exquire potius conuertere, & venerabundè harum rerum rationem & causam, & obtenderet tibi, quam sic proteruè in reprehensionem Dei erumpas, quæ ratio ea est.

Si autem volens Deus ostendere iram, & notificare, quantum posset

ipse, tulit in longanimitate multa vasa iræ accommodata
interitum, atque vt notificaret diuitias gloriæ suæ in vasa
misericordiæ, quæ præparauit in gloriam, quos & vocauit nos
solùm ex Iudæis, verùm etiam ex gentibus, sicut & in Osea
Vocabo non populum meum, populum meum: & non dile-
ctam, dilectam: & erit in loco vbi dictum fuit eis, Non populus
meus vos, ibi vocabuntur filij Dei viuentis.

PAVLVS vt est contextus sententiis, & implicitam ferè v-
nam cum altera cogitationem proferens, soluere quidem inci-
dentes obiectas quęstiones, sed antequam inferat conclusionem in
eorum statim probandam rationem insilit, legentibus relin-
quens prioris concludendi, & stabiliendi argumenti cogitatio-
nem. Erant autem querelæ, & quæstiones ab Iudæis partim, par-
tim aequibusuis motæ, atque illatæ. Iudæorum illæ propriæ: Vna
quidem illis eorum quæ promiserat, non videbatur præsti-
tisse Deus, cui respondit Apostolus, non omnes esse Israelitas qui
dicuntur Israelitæ, sed Israelitis spiritualibus, & ex verbo Dei
promissiones suas fecisse Deum, eisdemque illas per-
soluisse, ac persoluisse. Altera quòd cùm ipsi primogeniti Dei fi-
lij ante extitissent, à secundis liberis venientibus in adoptio-
nem honore, & gratia omni apud Deum vincerentur. In quo
dicebat Paulus quod factum in se ægrè ferant, & tanquam ini-
quum, ac nouum conquerantur, Deum in patribus ipsorum &
principalis generis principibus omnibus ferè diu antea fecisse, vt
primogenitos illorum filios principatu generis dejiceret, &
antiquos fratres in deiectorum locum substitueret. Sicut in
Ismaele, & Isaac, in Esau, & Iacob, diuino consilio fuit de-
monstratum. Tertia iam querimonia Iudæorum grauissima il-
la erat, quòd cùm ipsi & legis iustitia edocti, & operibus bonis
meritis essent, vt maiore multo in honore apud Deum esse de-
berent: à gentibus tamen, quæ neque iustitiam, neque legem
vnam cognouerant, neq; Deo vero honorem vllum habuerant,
ex adoptione nouæ gratiæ anteirentur. Quam illorum conque-
stionem refutat Apostolus ea ratione, quòd non ex meritis no-
bis, neque ex operibus gratiæ apud Deum nobis gradus acqui-
rat, sed ex Dei ipsius misericordia duntaxat, & voluntate, quam
tamen ex longè diuersa conditione duorum fratrũ Iacob, &
Esau iam inde à Deo illis destinata, antequã in lucem ij prodiis-
sent, & ex scripturæ testimonio duplici confirmat. Et hactenus
de Iudęis nominatim est responsum. Quoniã vero postrema
responsio nouam rursus, & perdifficilem excitabat quæstio-
nem

nem nec illam magis à Iudæis quàm à cæteris, ad eam quoque dissoluendam aggreditur Paulus. Diceret enim quilibet: si quid est a nobis, & Dei omnia subiecta voluntati sunt, quid de nobis conqueritur? si minùs ipsi probi, integrique sumus, si voluptates nostras aut emolumenta illius honori, & cultui antepaemus. Hanc obiectionem primò refellit asperius arrogantiam contundens istorum, & exemplo figuli ostendens nō debere eo tam superbè in disquisitionem huiusmodi summum Deum accersere. Deinde hac etiam eam responsione dissoluit, non esse causam exprobrandi quicquam Deo, nec prauis cupiditatibus propterea indulgendi, quòd videamur id quasi necessario hic Deo volente facere, quandoquidem non est ista culpa in Deo posita, sed in nobis. Pharaonem enim longè iam ante accommodantem se, vt fieret vas despicationis atque iræ, & semetipsum ad interitum concinnantem, posteaquam diu, & multum pertulisset, eiusque extremam amentiam Deus patienter expectasset, vt vidit occasionem existere aptam, qua produceret illum in medium, & quasi in aciem atque in certamen contra se pertraheret, quò declararet omnibus in illo vim & potestatis, & magnitudinis suæ, atque item ex altera parte, vt patefaceret, notas quæ redderet diuitias gloriæ suæ in ea vasa misericordiæ, quæ præparauerat ipse ad gloriam, hoc est in eos homines, qui sese quidem aptauerant ipsi, quoad in illis fuit, vt essent misericordiæ receptacula, aut certè non se ad iram & interitum accommodauerant. Verùm quos imprimis ipse Deus ex æterno præcipuo ad gloriam ipse suam electos, & prædiffinitos præparauit. Nam nos quidem per nosmetipsos ad gloriam non possumus præparari, Deo opus est & diuino auxilio, atque adeò ex Deo totum est, quòd efficimur apti, per quos ille suam gloriam omnibus hominibus ostendat, a nobis aliqua initia quidem bonæ voluntatis, vt præparari ad misericordiam apti simus, proficiscuntur, sed neque ea sine Deo tamen, vt antè dictum est, ipsa autem præparatio ad ministerium diuinæ gloriæ Dei opus est, & non nostrum. Igitur inquam, si fuit tum occasio Deo idonea, atque opportuna in vtramque partem sic se demonstrauit, vt tu in potentiam, & virtutem, in his gloriam suam & misericordiam dicaret, quid est, quòd tu arbitrere (hoc enim deest scientiæ, ac conclusioni, & supplendum est) tuis sceleribus, & prauam excusationem tibi ex Dei voluntate prætendendam esse? Ille vult, neque creat tuum crimen, sed cum te iam profligatum penitus, perditumque cognoscit, excitat in medium, vtrumque tanquam vase proiecto, atque inutili, neque amplius vult illum suam admonitionem denunciationémue periculi vllum patiar atque exitij metum ad pœnitentiam tibi aut ad spem amplioribus

misericordiæ valere. In quem sensum & à Deo Moysi dictum
se obduraturum cor Pharaonis, vt ne dimitteret populum. Et
Hieremia, se occæcaturum oculos eorum, vt ne videntes vide-
rent, & meditantes ne intelligerent, ac conuerterentur, & ipse
sanaret eos. Non enim eos Deus, qui tenebrarum filij iam effecti
sunt, quiq; omnem vim, & potestatem rationis, ac voluntatis suæ
prohibitati, & libidini penitus subiecerunt ad lucem ampliùs, &
salutem erigere vult, hoc est, vt conuertantur, vlterius expecta-
ta, sed cùm occasio adest, atq; opportunitas, qua pœnam illorum
in gloriam sui nominis, & ad exemplum, doctrinamq; bonorum
conscere posse intelligit, tunc productos in spectaculum, tanquã
in hæreticam dignisq; suppliciis damnatos veluti foris objicit, vt
in vtroq; appareat magnitudo gloriæ suæ, & in plectendo perdi-
tos, & in miserendo his, qui se paratos, & idoneos ad decipien-
dam misericordiam prębuerint. Porrò autem hi sunt, qui non ex
Iudęo tantùm sunt ab ipso Deo, sed ex gentibus vocati, qui non
carnis, sed promissionis filij, & verè Israëlitæ sunt. Quod denuò
aduersus Iudęos est prolatum, qui se vnos arbitrabantur Dei ele-
ctione dignos, gentes autem reliquas tanquam pollutas, atque
impuras ab omni Dei cura, & prouidentia opinione sua abdica-
bant, quam eorum opinionem Apostolus aliquot scripturæ te-
stimoniis deinceps refellit, ex Osea primum, apud quem Deus,
Vocabo nõ populum meum, populum meum inquit. Quod qui-
dem manifestè de gentibus est dictũ. Et non dilectam, dilectam
congregationem, Ecclesiamq; videlicet, quam in amore non ha-
bebam, amaturus mox sum. Et erit quemadmodum dico, scilicet,
Quid autem erit? Quod quo in loco dicebatur, Non populus
meus vos, in eo vocabuntur loco, non modò populus, verùm er-
iam filij Dei viuentis.

Hic Ivlivs, etsi planus hic mihi videtur Apostoli sensus,
inquit, tamen cùm ad ea quæ paulò antè disputata à nobis de li-
bero arbitrio nostro, deque Dei in nobis iudicio voluntateque
sunt, aliqua hic à Paulo posita aduersari videantur, peto à te, vt
negotiare paulum ad hæc ipsa diluenda, quæ vsque eò nihil in
nobis positum esse constituunt, per quod Deus hos illis in eli-
gendo habeat potiores, vt nec ipsius Dei in discernendo, seligen-
doq; sapientiam, nec arbitrij nostri libertatem videantur relin-
quere. Etenim obsecro, quid est, quod de Iacob & Esau scriptum
antequam essent geniti, antequam boni quippiam, maliue fecis-
sent, vt ex electione propositum Dei maneret, & nõ ex operibus,
sed ex vocante, vnum esse alteri in seruitutem fratrem datum, &
alterum dilectum Deo, alterum odio habitum, nisi quòd volun-
tatem Dei in illorum vtroq; non modò sors, & conditio vitæ, sed
aduersa etiam studiorum & voluntatum susceptio secuta est? Aut

quid aliud indicat, Miserebor cuius miserebor: &, Non volentis est, neque currentis, sed miserentis Dei. Et rursus, Cui vult miseretur, & quem vult obdurat, nónne nos totos ita ex Deo pendere, vt nullam in partem ex libero arbitrio nostro, sed tantùm impellente ipso commouere nos valeamus? Quæ quanquam mihi duriora, & multis implicita difficultatibus videntur, ego tamen tuam opinionem & sententiam illam leniorem videtur, magis probo, qua aliquod initium nostræ voluntatis non quidem sine Deo, sed tamen nec sine nobis statuebas posse esse in nobis, tamen quoniam & ab hac parte multi stant docti homines ac probati, resq; digna consideratione grauis est, temptatum feceris mihi, si adhibueris diligentiam, quo ista, quæ ab Apostolo aduersus liberum arbitrium dicta esse existimem, non tamen talia omnino esse, neq; facultatem liberè quæ velimus eligendi auferre nobis intelligantur. FACIS inquam hic, quod discere cupientium maximè proprium est, vt nullum verbum velis in Paulo non bene examinatum ac perpensum præmire. Nam nec ille in tantis cœlestium mysteriorum explicationibus vel vnam minimam literam in scribendo sine consideratione maxima disposuit. Sed tamen hæc, quæ hic à Paulo sunt posita, non mihi ita obstare libero nostro arbitrio videntur, vt illud nullant. Quin, & si ea Dei potestas in nobis est, quæ certè est, vt nihil absq; eo rectum, neq; nobis salutare suscipere, aut exequi possimus: tamen voluntatem nostram liberam tueamur. Verum paulò antè dixi, velle certè à nobis quadam ex parte etiam Deo Dei in nobis operationi & ipsi cooperamur, item ipsi in nobis est moliri nonnihil atq; contendere, vt tanquam manus Deo porrigentes subleuemur ab eo primùm, deinde recti confirmamur. Verùm ita se habet omnis nostra molitio, vt inanis, & vana sit per se sit, nisi gratia Dei, misericordiaque aduenerit, quæ illam compotem voti, atque ipsi Deo gratam faciat, & acceptabilem. Non enim est volentis, neq; currentis, sed miserentis Dei. Quòd si velle, & currere nihil omnino ex nobis, sed ex Deo totum esset, non magis esset dictum miserentis esse Dei, quàm volentem quippe cùm velle decretum, & constitutum in se habeat, misericordiam verò opem, atque auxilium, voluntasque Deo libera, & abiudicata se sit, misericordia verò ad illum hominem aspectum retenta, ut misereatur. Etenim volentibus sibi opem & misericordiam tribui, misereatur Deus. Nam cùm sub seruitute peccati nati sumus, neque nostra ope, ex illo, nostrisq; viribus emergere, atque ejicere nosmetipsos queamus, voluntis quidem ex nostrum & adnitimur, veruntamen ad consurgendum Dei omnipotentia ope indigemus, qui tendentes brachia ad se se, corpusque ego tantes vt euoluantur, misericordia sua adiuuat, sguamvero, &c.

[illegible]fides, neque quicquam agentes, quamobrem debeant sub-
[illegible], in ipso luto infixos, perditosque relinquit. Nam quod
[illegible] sic ponit, vt secundum electionem propositum Dei ma-
[illegible], non ex operibus, sed ex vocante, in hunc mi frater mo-
[illegible] debes intelligere, atque adeò necessariò sic intelligendum
[illegible] vt quoniam, quæ ventura sunt circum electos & vocatos Dei
[illegible] à Deo prouisa, & prædiffinita iam sunt, non sit eorum euen-
[illegible], atque decursus humanis actionibus permittendus, quæ
[illegible], & mutabiles suapte natura si ducerent ipsæ, & regerent
[illegible] Dei, nullum eorum stabile, & immutatum sinerent, ve-
[illegible] quòd non mutant illa, quòd rata, firmaque sunt, quòd nul-
[illegible] vnquam tempore euentu suo frustrantur, hoc est non ope-
[illegible] nostrorum, sed electionis, & vocationis, & propositi summi
[illegible]. Ergo quæ circa duos fratres euentura Deus tantò antè pro-
[illegible], atque vti ita euenirent, decreto ipse suo imprimis diffi-
[illegible], ille quidem præcognitis ambobus, sic iam tum dispo-
[illegible] & diffiniuit, vt maior minori frater seruiret fratri, ipseque
[illegible] alterum eorum, alterum odio haberet: Verum est id ad
[illegible] quoque finem ab Apostolo inductum, vt quòd adsciscerent
[illegible] gentes in filiorum nomen, ipsi autem priores filij ejiceren-
[illegible] nouam aliquam Iudæi mutationem animi, sed vetus &
[illegible] decretum in omnipotenti Deo esse intelligerent, apud
[illegible] in decernendo, ac constituendo nullum tempus est, ne-
[illegible] præteritum, nec futurum, sed omnia vnà, atque simul in eo-
[illegible] vniuersæ æternitatis momento illi sunt præsentia, quæ dif-
[illegible] semel à Deo nullum tempus deinde, nulla vis, nulla no-
[illegible] actio possit infringere, aut variare, quo etiam sensu dicitur
[illegible] miserarum, cui iam miseretur, vt inuiolabile constitutũ Dei
[illegible] perspicias. Nam quòd obdurat, quem vult, tunc quidem di-
[illegible] obdurare, cùm desperatum iam hominem, & in vitio suo
[illegible] perditum producturus in spectaculum aliquod, in quo
[illegible] seueritas Dei ad vnius pœnam, cæterorumque disciplinam,
[illegible] vis, & potestas & magnitudo eiusdem aduersus superbos, &
[illegible] ostendenda sit, non patitur ampliùs moram vllam neque
[illegible] dat locum respirandi, nec resipiscendi, quod in Pha-
[illegible] fecit, quem tamen ipsum cùm se obduraturum antea præ-
[illegible], potentemque manum suam in illo exerciturum, quot
[illegible] modis (ô clementiam inenarrabilem) quibus castigatio-
[illegible], & monitis, quanta cum patientia, & longanimitate ab il-
[illegible] impia voluntate deducere est conatus? quoties illi spiramen-
[illegible] incommodorum præbuit? & tanquam illi crederet affirman-
[illegible] ab eo iri populum, plectentem manum suam, & ver-
[illegible] tantisper ab eo amouens, ab illa duritie animi studuit
[illegible]: vsque adeò alienum à Deo est, ipsiusque bonitati,

& humanitati contrarium damnare, aut nocere, aut male fecere cuiquam, nisi nosipsi nobismet illam extremam pestem illius alienatæ opis accerseremus. An existimamus aliud esse causæ, cur homines impij, & scelerati in hac sæpe vita sic sustineantur? est hoc consilium, & admirabilis clementia omnipotentis Dei, qui perfert prauos vt resipiscant, semperq; omnibus adest, vt eruat malos, si fortè velint, atque instituant boni fieri, & bonos atque electos scuto veritatis, & decreti sui circumdet, & protegat, ne terreantur à timore nocturno, à sagitta volante in die, a negotio perambulante in tenebris, ab incursu, & dæmonio meridiano. Et quoniam in natura hominum parum est firmitatis, nec in operibus illorum, sed ex electionis suæ decreto stabile Deus posuit positum in suis electis glorificandis maneat. Sed ne diutius ingemur, redeamus iam ad Pauli verba, à quibus discessimus.

IMO VERO mi frater, inquit Iulius, non hoc est vagari, sed certo in loco consistere, cùm ista de Deo, & cogitamus, & loquimur, illiusque infinitam vim bonitatis & recordationem nostra sæpiùs, & prædicatione vsurpamus, sed tamen tu ad institutum reuertere.

Esaias autem clamat super Israel, si fit numerus filiorum Israel, vt harena maris, reliquiæ saluæ fient. Sermonem enim consummans, & corripiens in iustitia, quoniam sermonem compendiosum faciet Dominus in terra, & sicut prædixit Esaias. Si non Dominus Sabaoth reliquisset nobis semen, vt Sodoma facti essemus, & sicut Gomorra similiter fuissemus.

DVO hæc testimonia hîc inducta sunt, ad ostendendum non Israël, nec quà Israël, sed solos electos Dei saluos esse, & maxime spirat in illis fidei nostræ mysterium. Dicit enim in Esaia Dominus, Quantumuis numerosus, & multus sit Israël, non eum vniuersum, sed reliquias saluas fore, quod indicat, & denotat electorum ex Israël paucitatem. Quòd si Israëlis, hoc est populi Israëlitici salus, & promissio, & gratia propria esset, non reliquæ Israelis, sed vniuersus Israel salutem inueniisset. At quomodo reliquiæ saluæ? quia, inquit, Dominus est (hoc enim intelligendum) terminans, & corripiens sermonem in iustitia: quia, inquit, sermo Domini omissis tot controuersiis, & obseruationibus, & anfractibus Mosaicæ legis, breue faciens, quod necesse est, totam rationem in vna fidei iustitia ponet, atq; conclusa Noua legis iustitiæ, vt quæ in variis curis, & actionibus, & limbis humanis reb. appetendis, dirigendisq; versantur, plures ipsæ quoq; & variæ necessariò sunt. Vna autẽ est ad salutem iustitia, quæ

qua

[illegible], nihil omnino videlicet, tribuere rebus humanis, & ad ea [illegible]ona, quæ cœlestia sunt, spe, & cupiditate contendendo sese [illegible]um fiducia totum Deo permittere, qui sermo est Domini, [illegible] CHRISTVS hanc iustitiam veram, & singularem qui ob[illegible] quam ex sola CHRISTI fide Deo donante potest adipisci, [illegible] cæteris legis iustitijs indiget, neq; in tot chartis, librisq; e[illegible]ndis, sed in hoc solo fidei tenendo sacramento spem certam [illegible]atitudinis retinet. De quo idem Esaias: Quoniam sermo[illegible] inquit, compēdiosum faciet dominus in terra. Ergo illi, qui [illegible]el electi sunt, reliqua omni neglecta, posthabitaq; multitu[illegible] hoc sermone breui sunt seruati, vel quod spiritu eum san[illegible] electi prouiderunt, & crediderunt, vel quod à Deo in eorum, [illegible] promulgaturi illum toto orbe terrarum erant, semen & stirpē [illegible]ecti. De quo item Esaias, Nisi dominus Sabaoth reliquisset [illegible] semen, sicut Sodoma, & sicut Gomorra similiter cecidisse[illegible] quo indicat propheta vt esset semen eorum, qui verbum [illegible]pendiosum suscepturi erant, hoc est, vt conseruarentur pa[illegible] eorum, qui fidem CHRISTI accepturi, atq; vt tanquā [illegible] ad spem exoptatæ frugis retinerentur, iccirco cunctum re[illegible] Israel à Deo sustentatum fuisse. Non habet igitur Iudæus, [illegible] confidat generi, & nomini Israel, aut cur ad promis[illegible] illas Dei tantopere attendat, quando non vt ex Israel, sed [illegible] gente, & vocante Deo quisq; salutem, & gratiam adipisci[illegible] nec mirum est illam, & salutem, & gratiam etiam gen[illegible] fuisse datam.

Quid igitur dicemus? quando gentes quæ non sectantur iu[illegible] apprehenderunt iustitiam: iustitiam autem, quæ ex fide. [illegible] autem sectans legem iustitiæ, ad legem iustitiæ non euasit. [illegible] quia non ex fide, sed vt ex operibus legis. Offenderunt [illegible] lapidem offensionis, sicut scriptum est: Ecce pono in Sion [illegible] offensionis, & petram scandali, & omnis credens in eo [illegible] confundetur.

GENTES, quæ de iustitia minime ante laborabant, quæ so[illegible] illā rectam, & congruam esse existimabāt, quæ est ani[illegible] gerere morem, & cupiditates suas pascere: ita tamen vti [illegible] vnà voluptatibus incolumitatis, & valitudinis & apud [illegible] animo etiam dignitatis ratio duceretur, hæ repen[illegible] iustitiam, hoc est breuem illum sermonem sunt amplexæ, [illegible] spes omnes è terris transtulerunt in cœlum, & ad Deum [illegible] è modo commigrauerunt. Iudæi vero, qui legem iustitiæ [illegible]antur, non peruenerunt ad iustitiæ legē, quoniam in breui [illegible] sermone non crediderunt, nec vt anteferrent illum verbosæ

legi Moysis in animum induxerunt: sed in ipsis multiplicibus, & variis legis operibus agitati, atq; iactati, infirmasq; & tenues consectati iustitias, quæ laborem animi, corporisq; permagnū, nullum autem fructum illustrem, neq; cogitationem veræ gloriæ afferebant, ab ipsa comprehensione veræ iustitiæ, quæ ex CHRISTI fide est, aberrauere. Offenderunt enim, inquit, in lapidem offendiculi, quod certè non debebant, cum ab eodem illo Esaia tanto ante prænunciante admoniti fuissent, positurū Deum in Sion lapidem offensionis, & petram scandali: qui & si eos esset à veteri lege in nouam fidem auocaturus, & ab vsitatis iudicijs, ac purgationibus, & cerimonijs legis in simplicem, & inauditam istiusmodi inducturus (hoc enim erat lapidem esse offensionis) quando omnis verus mos probatus patrum, auorumq; iudicio, ac præsertim etiam authoritate Dei confirmatus, noui ritus, atque multo maiorem, illustrioremq; veritatem, atq; iustitiam non nisi à probis, & omnia æquo animo auscultantibus hominibus sese agnosci, vt maior multo pars contemptu, & contumacia quodam in ipso statim initio ab omni cura cognoscendi, & intelligendi se auertat. Sed etsi nouam, & insolitam simplicis iustitiæ legem in illo breui sermone erant audituri, ei tamen si credidissent, adempto CHRISTO Domino habuissent, nulla eos verecundia, nulla pœnitentia erat exceptura. Nam & propheta idem ait, Romanus credens in eo non confundetur.

Fratres propensio quidem mei cordis, & deprecatio ad Deum pro Israel est in salutem. Testimonium enim illis do, quòd zelum Dei habent, sed non secundum cognitionem. Ignorantes enim Dei iustitiam, & propriam iustitiam, quærentes statuere, iustitiæ Dei non se summiserunt. Finis enim legis Christus in iustitiam omni credenti.

RVRSVS Iudæos accusaturus, qui fidem CHRISTI suscipere renuebant & apud communem Romanæ ecclesiæ cœtum, in quo non pauci erant ex Iudæis credentibus cum horum ipsorum, qui crediderant, nimium tamen legis studium, tum aliorum obstinatum in non credendo animum argumentis, & auctoritatibus conuellere tentaturus, ne incurrat odium, atque iram gratis sui, néue ipse inimico potius animo, quàm beneuola voluntate aduersus eos videatur agere, præponit indicia sui in illorum beneuolentiæ, vt quicquid dicturus de eis, & in eos est, in bonam partem ab illis potius accipiatur. Nam & propensio se cordis in eos esse dicit, & omnem pro illis deprecationem, qua ad Deum fertur, ad salutem illorum spectare, ac pertinere, præterea dat illis testimonium quòd zelum Dei habeant, quòd vellent ipsi eandem,

ac cuperent gratum facere DEO, & sese illi adiungere, atque
...ire, quæ sunt probæ, & piæ voluntatis indicia: sed errare il-
...ea parte, quòd quo id pacto oporteat agi, non planè bene
...rint. Atque hactenus quidem non est eorum vitium, si cupi-
...ssi quidem, verum ignorant viam. Est enim ignorantiæ ex-
...io apud æquos, dum voluntas bona adsit, venia digna. Ve-
...quod iam graue illorum crimen, & inexcusabilis est error,
...ignorant, ne patiuntur quidem se doceri, vltroque do-
...ibus, & monentibus infesti, & intractabiles sunt, quanquam
...illorum propriam culpam profectam ab iniquitate animi,
...contumacia non palàm, neque aperte coarguit Apostolus,
...cum modestia, & humanitate ad arguendum aggreditur: Vel-
...quidem DEVM, inquiens, sed ignorant modum adipiscen-
...quippe qui Dei iustitiam non cognoscentes, & in sua ipsorum
...quam ex legis sibi operibus conantur comparare, plus fi-
...ponentes, non summittunt sese iustitiæ summi DEI, hoc
...boni ipsi ex se fieri contendentes, spem bonitatis suæ totam
...non permittunt. Non enim de illo sic arbitrantur, etiam si
...ipsi partem bonitatis attulerint: illius tamen infinita bo-
...& clementia, si de eo ita senserint, atque crediderint, se
...futuros. Etenim finis legis CHRISTVS est, vel vt specta-
...ipse, & propositus à lege, ad quem lex tota tanquam ad vlti-
...summumque contenderet, vel vt legis perfectio, qui ad-
...legi, quod ex se lex habere non potuit. Illa enim cum
...ac beneuolentiam cum Deo in multis, & magnis la-
...solicitudinibusque quæreret, non gloriam in ea re
...sed operam, & meritum nostrum intendebat. Fides au-
...CHRISTVS, id in quo lex laborabat, neque assequi po-
...ipsa omni cum facilitate, compendioque perfecit, vt non
...tantorum obitu, neque sudorum, sed sola credulitate, &
...in bonitate Dei salus nobis, & vita continuo pareretur.
...est ipsa fidei iustitia, quæ credentibus donatur, quæ cum
...salutem à Deo quærentibus facilior est, & planior,
...Dei bonitas in ea, & magnitudo ipsius gloriæ magis illustra-
...Nihil enim de honore diuinæ iustitiæ, atque clementiæ labo-
...nostri, & opera illa ratione decerpunt, quæ tum decerperent,
...fructum salutis, quem percepissemus, non vniuersum DEO,
...nobis quadam ex parte acceptum referremus. Ergo in lege
...insistere, in eaque permanere longe nobiliorem, & potio-
...rationem inueniendæ salutis reijcit, & aspernatur, gloriamq;
...& magnitudinem illius potestatis, clementiæque diminuit.
...quod tu ludæ si ignoras, cur te doceri non pateris, & qui id o-
...dere, ac declarare tibi volunt, non eos æquo animo auscultas?
...itaque legis CHRISTVS est, ad adipiscendam veram, ple-

namq́ue iustitiam, quæ solum credentibus datur: sudantibus autem, & laborantibus absque fide est interclusa, quando isti habere potius in seipsis volunt, quo confidant, neque inducunt animum totum Deo committere, & sese illius penitus iustitiæ, ac bonitati summittere.

Moyses n. describit iustitiam ex lege, quòd qui fecerit has homo viuet in ipsis: ex fide autem iustitia sic dicit, Ne dixeris in corde tuo, Quis ascendet in cœlum, hoc est ad deducendum Christi, vel quis descendet in Abyssum, hoc est ad Christum è mortuis inducendum. Sed quid ait? prope te verbum est in ore tuo, & in corde tuo: hoc est verbum fidei, quod prædicamus, quoniam si confiteberis in ore tuo dominum Iesum, & credideris in corde tuo, quòd Deus ipsum excitauit è mortuis, saluus fies. Corde enim creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Dicit enim scriptura, Omnis credens in illo, non confundetur.

ITERVM hic comparat iustitiam legis cum iustitia fidei, & illam legis cum operosiorem & laboriosam magis, cum Dei honori & gloriæ minus tribuentem, tum etiam haud ita veram, nec synceram esse ostendit, vt est fidei iustitia. Quæ ergo est legis iustitia? Nempe quam Moyses sic describit, postquam præcipuit, quæ essent seruanda, quæ agenda, & à quibus esset abstinendum: Homo, qui hæc fecerit, inquiens, viuet in his, vt & in sacrando labor, & quòd victuri essemus, non Deo id, sed labori nostro ferremus acceptum: cumq́ue in factis, & operibus iustitiam constitueremus, in ijs eam poneremus, quæ veritatis ex sese expertia æque ad simulationem, ac ad synceritatem sunt parata. Iustitia vero fidei, & in solo corde plena est, & fiduciam tantummodo in bonitate Dei à nobis postulat, salutisq́; nostræ vniuersam laudem, & gloriam vni Deo attribuit, atq; hoc etsi præclarum continuo, & euidens: tamen quoniam Iudæis insolitum est, ac nouum, semper in ipsis operibus, & obseruantijs legis, cura, animoq́ue occupati, quò illis planius id, & facilius cognitu efficiat, affert opportunissimum ex lege testimonium, in quo fidei, & iustitiæ ex fide imago quædam illustris ab eodem Moyse est expressa, Is n. in Deuteronomio, iam ad moriendum vicinus, legemq́; populo commendans, cum hortaretur omnes, vt sequerentur rectam viam Domini, illiusq́; præcepta, & mandata seruarent, cauerentq́ue, ne præuaricatores, & exleges effecti inciderent in execrationes obseruatæ legis, tum addit, Si forte eos Deus tanquam contumaces, & minime sibi deditos eijceret ex donata terra, ac per orbem terræ in varias gentes dispergeret, fore vt in eandem terram restituerentur

[illegible]ffet illos, ac ad priora, & vberiora etiam bona reducturus, si [illegible] essent ipsi ad dominum Deum suum, toto corde suo, & to[illegible]ma sua, continuoq; subiungit: Quia mandatum hoc, quod [illegible]pio tibi Israel, hodie non occultum à te, neq; longinquũ est, [illegible] in cœlo est, vt dicendũ tibi sit, Quis pro nobis ascẽdet in cœ[illegible], & deferet illud ad nos, atq; vt audiamus efficiet? & faciemus [illegible] Et nec trans mare est, vt sit dicendum, Quis transfretabit [illegible] nobis mare, & id nobis referet, facietque, vt audiamus? & fa[illegible]mus illud. Nanque propinquum est tibi maxime verbum hoc, [illegible] tuo est, & in corde tuo, vt facias illud. Si reuersus fueris ad [illegible]minum Deum tuum, Moyses inquit, toto corde tuo, & tota a[illegible]ma tua, quod iam non operum, neq; laboris, sed tantummodo [illegible]dis actio quædam est, proxima illa tibi, atq; adeo insita in ipso [illegible] ad eam suscipiendam, & conficiendam non è summo cœlo [illegible]rahendum tibi quicquam, neq; trans mare accersendum sit. [illegible] sententiam Moysis tanquam descriptionem, & formã veræ [illegible] CHRISTO fidei vsurpans sibi Apostolus, & in CHRISTO cõ[illegible]tans, fidem CHRISTI eisdem penè verbis, cuiusmodi sit de[illegible]strat. Non enim (ait) necesse est, si CHRISTO debeas crede[illegible] sic dicas in corde tuo, Quis ascendet in cœlum? quasi CHRI[illegible] inde nobis deducturus, vt credamus eius è sinu, & consor[illegible] Dei patris ad homines descensum & susceptam pro nobis ab [illegible] hominis carnem. Aut rursus, Quis descendet in Abyssum? hoc [illegible], vt CHRISTVM nobis è mortuis reducat, noscamusque [illegible]surrectionem. Non enim tanta tibi conquisitione, nec [illegible] circuitione est opus. Sed quid ait fides? prope te verbum [illegible] ore tuo, & in corde tuo. Hoc est verbum fidei quod prædi[illegible]. Quodnam id cedò? Quoniam si confiteberis in ore tuo [illegible]nam IESVM, & credideris in corde tuo, quod Deus eum [illegible] è mortuis, saluus fies, quo quid tibi potest esse facilius? [illegible] promptius? Non hic labor, non opus, non diuturna, & dura [illegible] inuestigatio, sed animi tantum inductio, & conuersio [illegible] ad credendum, & confitendum, etenim corde creditur ad [illegible]. Solum enim cor iustificationem accipit, sola vera est [illegible] credulitas, & fides CHRISTI si vere suscipiatur, corde sus[illegible], statimque veram fidem diuina illa iustitia concomitatur, [illegible] autem confessio fit ad salutem, eo quòd non est satis occul[illegible], & compressum fidei verbum retinere, sed proferendum est, [illegible] in medium producendum, vt & alios doceas, ac cohortere, [illegible] illa actio inter immanes homines, & barbaros minus et[illegible] libera tibi sit, non tamen nomen Dei omnipotentis & Do[illegible] IESV CHRISTI non ore tuo celebrandum, & glorifi[illegible]dum est, quandoquidem si eius apertam, & liberam confes[illegible]nem repressam metu contineas, habeas profectò aliud quid,

quod pluris arbitrere, vel existimationem inter homines. De qua Ioannes, Magis inquit, gloriam apud homines, quam apud Deū quæsiuerunt, vel incolumitatem corporis, atq; vitam, ex quo minime verè fidem recepisti, si illa tibi aut pudenda, aut pœnitenda esse videatur, vel certe imbecillam, & infirmam illam obtes, vt non habitura sit perseuerantiæ præmium, in qua præcipue est filius, ita corde credere ad veritatem pertinet, ore autem confiteri ad perseuerantiam, & firmitatem. Quorum ex primo iustitia, sanctitasq; comparatur. In secundo salus præcipue posita est, quam quidem in confessione oris, fidei firmitatem significans scriptura per Esaiam ait: Et omnis, qui credit in illo non confundetur, quod est, intrepide, & constanter id ager, nec infamiam apud veritatis ignaros, aut supplicium apud crudeles vereatur, sed audacter, & libere de Deo & fide CHRISTI pronuncies, sicut & in Euangelio CHRISTVS: Quem mei puditum fuerit coram hominibus, inquit, eius & me pudebit coram patre meo. Quoniam autem dixit propheta, omnis qui credit in illo, non confundetur, verbum illud omnis, Apostolus contra Iudæorum opinionem & spem continuò interpretatur.

Non enim est distinctio Iudæi q3, & Graci. Idem enim dominus omnium abundans in omnes inuocantes ipsum. Omnis enim qui inuocauerit nomen Domini, saluus fiet.

QVOD Iudæi arbitrabantur, gloriæque sibi ducebant Deum cœli proprium suum esse Deum, id & alibi supra, & in hoc loco Apostolus non tam ratione quidem, quæ euidens ipsa quoque, & manifesta est, quàm authoribus prophetis confutat, qui dicunt bonitatis Dei omnibus hominibus affatim suppetere intelligentes non restrinxerunt earum largitatem, & affluentiam in solos Iudæis. Itaque & Esaias dixit, Omnis qui credit in illo. Et Ioel, Omnis qui inuocauerit nomen eius. Quo quidem loquendi modo vterque Græcos à Iudæis non distinxit nec separauit, nec vere in lege, aut in operibus legis, sed in fide, & confessione, quæ est omni nominis inuocatio, salutem nostram posuit, quam doctrina prophetarum coniuncto testimonio affirmans, quod ante enarrat, Corde credi ad iustitiam, ore autem confessionem fieri ad salutem.

Quomodo igitur inuocabunt, in quem non crediderunt? Quomodo autē credent in eum de quo non audierunt? Quomodo autem audient absq3 prædicante? quomodo vero prædicabunt, nisi missi fuerint? sicut scriptum est. Quàm speciosi pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona? At non omnes obediunt Euangelio. Esaias enim dicit, Domine quis credidit auditui

nostro? Ergo est fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi. Sed dico an non audierunt? Imò in omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.

Quod studium Dei, zelumq; Israëlitæ habebant, paulò antè Apostolus, verum non recta cognitione in eo se gerebant. Peccabant enim in pluribus. Primum quòd iustitiam fidei non quærebant, quæ & facilior multo, quàm illa legis, & præstantior erat, ac Dei gloria dignior est. Deinde quòd Deum cunctorum hominum ad suam ipsorum vnam nationem contrahebant, hoc quoque illius maiestati, & nomini derogantes, deinde quòd gentes cæteras præ se contemnebant, & veluti pollutas reiiciebant, nequaquã ne in hoc quidem imitantes clementiam, & bonitatem summi Dei, cui se deditos esse fatebantur, qui omnium operum, & effectorum fructus ac commoditates, ita communiam omnibus proposuit, atq; appetitum esse vult. Etenim Ille solem suum, & sydera, & rores ac pluuias omnibus hominibus communes iubet esse. Postremò, quòd multis rebus, & diuinis testimonijsque admoniti, ea, quæ ignorabant, minimè negligere, sed per contumaciam, & nequitiam animi ignorare perseuerabant. Ac superiores quidem ignorantiæ venia aliqua forsitan dignæ, hæc vero postrema inexcusabilis omnino fuit. Totiens igitur rationibus, argumentisque edocti totiens illorum conuicti testimonijs, nequaquam adhuc dimissa contradicendi pertinacia, vt se ad omnia sigillatim opponebant: Opponentibus ad singula respondet Apostolus, dense, & compendiose quidem, sed vt sit illius nobis sententia latius explicanda. Fuerunt sanè ista omnia dubitata, quæstionesque Iudæorum aduersus Apostolos CHRISTI hortantes, vt acciperent nomen Domini, & inuocarent illud, atquè in vna illa inuocatione spem omnem salutis suæ ponerent, quàm in elaboratis, atque fucatis operibus legis, quemadmodum & à CHRISTO edocti fuerant, & ab ipsis tunc docebantur. Opponebant enim illi contra Apostolos cum alia multa quidem de lege, & operibus legis, & de Deo peculiari ipsorum Deo, Abraamque primo Iudæorum progenitore Dei, cui, & ipsius generi soli factæ essent à Deo tantarum rerum, donorumque promissiones, & similia pleraque, quæ tractatorio decursu Apostolici sermonis vsque adhuc dissoluimus. Nunc illud item opponunt, quod ad cõuersionem immanis gentium pertinet, quas sub illo verbo, Omnis Ioëlis Prophetæ scriptura comprehendit, quà ille dicit, Omnis qui inuocauerit nomen Domini saluus fiet. Ad eas enim missos à Deo Apostolos Iudæi non credentes sic contradicunt, & argumentantur, se cum nec inuocari possit Dei nomen illius, in quem nõ creditur,

ditur, nec in eum credi, de quo nihil audiatur, nec auditi vero nisi prædicetur, sed nec prædicari, nisi is, qui prædicat, à Deo ipsoꝛ et huic prædicandi officio delegetur, in hoc extremo esse hæsuros, neque ante ad habendum fidem de vocatione gentium se accessuros, quàm planè nouerint delegatos à Deo esse istos, qui nouæ fidei regulam nominent Euangelium. Huic enthymemati in ipso quoque extremo, & tanquam nodo dubitationis occurrit Apostolus, Esaiam statim aduocans, sic dicentem, Quam speciosi pedes Euangelizantium pacem, euangelizantium bona? Videndum enim est, inquit, quid nos tandem annunciemus, nouae pacem, non tantum inter homines, sed cum ipso Deo? nouae bona, non interitura, & fugacia, sed solida, & sempiterna? Qui porrò habitus noster? quæ species annunciandi? discurrimus per omnes gentes, nusquam domicilium stabile retinemus, vagamur, peragramus, in hoc vnum opus intenti, atque addicti, vt hominibus amicitiam cum Deo conciliemus, vt vitæ æternæ in omnium mentibus, ac voluntatibus, spem, desideriumq; infrinemus. Qui ergo sunt pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona, nisi eorum qui & pacem illam, quæ tutissima, & tranquilissima est, & bona ea quæ præstantissima omnibus hominibus annunciant, & prædicant, quiq; quod item à Prophetis prædictum est, à gentibus iam audiuntur, & ad cultum veri Deitationes exteras adducunt, qui orbem terrarum pedibus assiduè perambulantes, nullo vsquam vt proprio in loco commorantur, qui si & à Propheta pronunciati, & à Deo missi sunt, si pacis, & bonorum Euangelium prædicauerunt, si id non iam inauditum, immemoratumque fecerunt, si fidem omnium etiam gentium ad credendum prouocauerunt, credatur iam nomen domini à Iudæis, & inuocetur. Ita quod Iudæi à primo ad postremum sic deducebant, vt in postremo ipso insisterent, arcemque inibi suæ iniquitatis & pertinaciæ facerent, ipsa illorum arce capta, & solo æquata Apostolus à postremo ad primum facili cursu probationis redarguendo peruectus est: nec tamen adhuc desistit contentio, semperq; molitur aliquid peruicacia, vt ne optimis victuationibus acquiescat. Resistunt enim rursus Iudæi, atq; obijciunt, Si vos à Deo missi, & à Propheta prædicti Euangelium Dei annunciatis, cur non credunt omnes euangelio? Quos refuta ex stigio Paulus, scripturam illis prætendens, & inquiens, Nonne vos Esaiam Prophetam à Deo missum admittitis? Cur ergo ille dicit, Domine quis credit auditui nostro? Quòd si necesse esset ab omnibus credi, quodcunque Apostolorum, & Prophetarum præconio à Deo esset denunciatum, non sic verba illa posuisset. Atqui illi etiam minus, quàm nobis credebatur. Illius enim monita, & præcepta non modo nihil quicquam Iudæis profecerunt,

verum

ipsi vltro præcipienti, & monenti fuere exitio, nos & mul-
mentes ad cognitionem Dei trahimus, & si pro CHRI-
fide obeunda mors sit, non illam nobis exitio, sed saluti, &
fore confidimus. Verum idcirco nõ necesse est ab omni-
verbum Dei, & suscipi, quia fides, & credulitas homi-
arbitrij, & liberi animi est. Restabat ergo, vt qui parati ad
dum essent, præconium Euangelij auribus perciperent, vt
ipso verbi Dei fides in illis constitueretur. Cui etiam rei
& largiter prouisum est. Siquidem in omnem terrã exiuit
antium sonus, & in omnes fines terræ verba eorum, nisi
Israel solus non audiuit, qui non modo in recentibus præ-
Apostolorum, & in Euangelistarum, verum & in prædi-
, ac vaticinijs legis, & prophetarum tritas iam habet
ad exaudiendum si velit, & statim intelligendum sonum
gelij, de quo Apostolus prosequitur.

*Sed dico num non cognouit Israel? primus Moyses dicit: Ego
emulandum prouocabo vos in non gente, in gente stulta irri-
vos. Esaias autem audacter agit, & dicit: Inuentus sum
me non quærebant. Manifestus factus sum iis, qui me non
rogabant. Ad Israel autem dicit: Tota die expandi manus
ad populum non obedientem, & contradicentem.*

GENTES, inquit, ex hoc tempore audiuerunt, & nouerunt
Euangelium, Iudæi ex priscis temporibus. Primus enim Moyses,
Esaias prædicant illud, atque ostendunt. Nam in Deute-
Deus iratus Israelitis, quòd se in falsis dijs illi ad iram
sent, & in vanitatibus irritassent, voce Moysis sic de eo-
populo pronunciat. Quod eum vicissim esset ipse in nõ gen-
emulationem compulsurus, & in gente stulta ad iram pro-
, quod nũc eueniebat, cum & gentes à Deo in gratiam
tur, & eam rem Iudæi valde iniquo animo paterentur:
autem apertius loquentem Deum inducit, & de gentium
atque applicatione ad se. De Iudæorum vero insolentia, &
sic distinguentem, Inuentus sum ijs qui me nõ quæ-
: Manifestus factus sum ijs, qui me non interrogabant.
videbantur vtrunq; Iudæi facere, & quærere semper Deum
per functiones, operationesque legis, & illum illiusque
data cognoscere. Qua de re Barachias: Beati sumus ô Israel,
quoniam quæ placita sunt Deo, manifesta sunt nobis. Et
tamen illi effecerunt, sed gentes, quæ nullum antea la-
, nullam solicitudinem, atq; curam ad quærendum Deum
dumque adhibuerant, quæque in omnia contraria Deo
diuersæ abierant, statim, & facilè oblato sibi Deo se totas
ad illum

ad illum contulere. Breue enim compendium verbi Dei, non longos illos logos legis didicerunt. Israel vero, qui assiduis & circuitiones præceptorum, ac operum sectatus est, non modo ad vtilitatem & fructum summi præcepti non peruenit, qui fuit CHRISTVS, verum ne passus quidem est, ea de re admoneri se & doceri. De quo idem apud Esaiam Dominus, Tota die manus meas, inquit, quod amantis est, & paterno animi affectu in sinum, & complexum suum inuitantis Dei, imagine in eo è cruce pendentis CHRISTI prorsus expressa. Expandi manus, inquit, ad populum non parentem & contradicentem, quod est non leuitate solum, & vecordia quadam auersum, sed & iniquitiam etiam, & per contentionem mihi se opponentem. Et quibus omnibus tum Prophetarum testimonijs, antiquitatis authoritatibusque Euangelij præclaris, & illustribus dictis, atque euentis, tum gentium facilitas ac obedientia ad inueniendam Dei gratiam, tum peruersitas Iudæorum ad eandem amittendam merito valuisse cognoscitur, iureque illa adscita nomen, & genus filiorum Dei, hi electi, & repudiati abrenun Deo intelliguntur, neque Israel tamen ipse vt Israel reprobus est. Sic enim loquitur.

Dico igitur, num repulit Deus populum suum? Absit. Nam & ego Israelita sum ex semine Abrae, tribu Beniamin, non repulit Deus populum suum, quem præcognouit. Nescitis in Helia quid dicit Scriptura? Quemadmodum allocutus Deum aduersus Israel, dicens? Domine Prophetas tuos occiderunt, & altaria tua euerterunt, & ego relictus sum solus, & quærunt animam meam. Sed quid dicit ei oraculum? Reliqui mihi septem millia hominum, qui non flexerunt genu simulacro Baal. Sic igitur & in hoc tempore residuum secundum electionem gratiæ fuit. Si autem gratia non iam ex operibus, quoniam gratia non amplius est gratia. Si autem ex operibus, non iam est gratia: quoniam opus non amplius est opus.

EOSDEM Iudæos Apostolus, quos videbatur penitus & repulsos, atq; abiectos ostendere voluisse, rursus nunc retractat vt intelligatur non ipsum Israel, neq; semen Abrae funditus repulsum, sed qui ex illo genere, illaque natione adhuc in Christi contumaces perstitissent, fiduciamq; spei suæ in legis tius, & in operibus legis, quam in Dei gratia ponere pertinacissent, hos esse, qui cecidissent ex gratia, & benevolentia Dei, neq; amplius in promissionibus ad Abraam factis comprehensi essent, exemplo ex seipso probat. Non populum, quem præ-

pulus Dei appellaretur, neq; semen Abraæ à Deo esse eiectum, quodquidem si ita esset, & ipse qui est ex illo semine, eiectus fuisset, sed de illo populo saluos fuisse, quos prænouisset Deus. Quæ quidem cognitio in eum modum accipienda est, quo [illegible] in scripturis. Nam si simpliciter cognoscere accipiatur, [illegible] planè Deus cognoscit & bonos, & malos. Si vero illa co[illegible] animorum est coniunctio, & beneuolentiæ indicium, so[illegible] Deus cognoscit bonos, quem in sensum dicitur, Ego cogno[illegible] meas, & cognoscunt me meæ, & ex contrario, Discedite à me [illegible] operarij iniquitatis; quia ego non cognoui vos. Hac ita[illegible] ratione positum in hoc loco est: Non repulit Deus populum [illegible], quem præcognouit. Et supra, Quos præcognouit, hos & [illegible] diffiniuit. Ac præcognitio quidem (decet enim occurrere [illegible] initio statim dubitantibus, & viam facilem ad intelligen[illegible] reddere) præcognitio, inquam, Dei futuram hominum pro[illegible] sonem, & quasi parabilitatem quandam ad credendum, & [illegible] dum Deum prouidet. Prædiffinitio vero tota gratia Dei est, [illegible] quicquam in illa nostræ operæ inesse, aut partis intelligi[illegible]. Nam quòd ego facilis voluntate, & animo paratus ad fidem [illegible] Deum accipiendam sum, mei est illud iudicij, & mei liberi ar[illegible], idque ante omnia tempora præuidit in me & præcognouit [illegible]. Sed hoc nihil etiam nunc est, doctor accedat oportet, & [illegible] recti demonstrator, qui mihi portũ salutis, & vitæ osten[illegible]. Neque tamen hoc etiam satis. Volens enim & cupiens viam [illegible] insistere, & stationem tenere eam, quæ mihi felix, & tu[illegible] proposita, multis tamen ab ea mente periculis, multis ob[illegible] voluptatibus, multa denique cum iucundarum, tum mole[illegible] rerum varietate abstrahor, atq; auertor. Ergo his tot ma[illegible] tarisque discriminibus, quæ imminent in nos vndique, nos[illegible] proturbant, & auferunt, nobis ipsis opem fert Dei voluntas, [illegible] prædiffinitio, quæ gratiæ tota est, quæ id, quod nostrum solum [illegible] sensum mentis scilicet & inclinationem liberæ voluntatis tot [illegible] muneribus vestit vndique, & cõfirmat, vt quod est ex no[illegible] minimum quiddam sit, nec meriti rationem vlla ex parte ob[illegible]. Illa vero Dei liberalitas, & prædiffinitio integram in se [illegible] totius gratiæ laudem. Ista ergo prædestinatio, & Dei [illegible] septem illa millia virorum sibi ipsa conseruauerat, qui vel [illegible] impij metu, vel exemplo tribulium, & popularium suorum [illegible] bona erga Deum voluntate essent, statuam tamen Iouis ad[illegible], nisi illorum imbecillos animos, & infirmas mentes [illegible], & electio Dei corroborauisset, quæ gratia omnis quidem [illegible] Deo est, donumque eius liberale, & proprium, quod nulla [illegible] nostra parte merito, sed à diuina beneficentia totum profici[illegible]. Sed vt redeamus ad exponendum, Non repulit Deus po-

pulum

pulum suum Israel, vt Israel, & semen Abraæ, vt illius semen, sed gratiam Dei non agnoscentes, & in lege operibusq; pertinacius hærentes, nos nimirum repulit, qui si ex tanto hominum numero, ac frequentissima natione forsitan pauci esse videantur, regredere animo, & cogitatione ad præterita, & intelliges non solum in CHRISTI fide accipienda, sed in veteri lege seruanda paucos tum quoque à Deo fuisse diffinitos. Etenim sic ipsemet grauiter accusanti populum Israel Heliæ respondit, se reliqua adhuc fecisse sibi septem millia virorũ, quæ ante Iouis simulacrum genua non incuruauerint. In quo animaduerte gratiam quòd sibi ea ipse fecerat reliqua, & intuere paucitatem, quòd ex innumerabili populorum multitudine septem tantum millia salua facta sunt. Sic, inquit Paulus, in hoc tempore, quod è populo Israel ad fidem CHRISTI accessit, residuum est ex multitudine reliqua, quod per electionem gratiæ Dei effectum est salutem. Sicut enim tunc illa septem millia ope, & patrocinio suo Deus ab errore continuit: sic hoc tempore & Apostolos primum, ac discipulos reliquos, quos CHRISTVS adhuc viuens sibi ipse delegerat, & deinde post CHRISTI mortem exurrectionemq; priora illa eria millia, ac deinde alia quatuor millia, postea etiam alia quædam millia, quæ Deus præcognouerat, & sibi ipse delegerat, ac in patrocinium suum iam inde æterno ex principio susceperat per electionem diuinæ gratiæ ex innumerabili multitudine non magnus hominũ numerus ad fidei, & salutis portum perduxit fuit, non ex operibus ipsorum, quod quidem aduersus Iudæos opponitur. Quoniam gratia, & donum Dei nõ ex operibus est, inquit, non inquam, ex operibus est gratia, neque illa, quæ æterno ex principio eligendo, ac prædiffiniendo antecedit, nec vero quæ post productos nos in naturam protegit semper & comitatur. Nam si operib. dona Dei tu promeritus sis, euanescit statim gratia, totumq́ue, quod tibi à DEO datur, non tibi donari ab eo, sed reddi potius videtur, in quo tu vt iustitiam & virtutem tuam constituas Dei liberalitatem, gloriamq́ue extinguis. At hæc vera est virtus, & benignitas, & gloria summi Dei, gratis conferre munus suum, & bonitatis suæ magnitudinem in propria liberalitate beneficentiaq́ue constituere. Gratia porrò, & opus sic inter se contraria insociabiliaq́; sunt, vt si ex operibus, non iam amplius gratia sit gratia. Si autem sit gratia, opus iam amplius opus non sit. Non enim vtrunque stare potest simul, sed alterutrum tantum adesse necesse est, idq́ue incomitatum ab altero, atque solum.

Quid igitur? quod quærit Israel, hoc non est potitus, electio autem potita est, reliqui vero cæcati sunt, sicut scriptum est: Dedit eis Deus spiritum compunctionis, oculos vt non videant, & aures,

…, vt non audiant vsque in hodiernum diem. Et Dauid di-
…fiat mensa eorum in laqueum, & in captiuitatem, & in
…alum, & in retributionem ipsis: Obscurentur oculi eorum
…deant, & dorsum illorum semper incurua.

…RRO est igitur, quod concludo, & statuo? hoc, inquit, quòd
…od quærit Israel potitus eo ipse non est, electio autem est
…m. Ast quamobrem non potitus? nónne volebat? non cona-
…r? non ad Deum studio, & voluntate se ferebat? nónne hi,
…iusmodi existunt, illi ipsi sunt, quos præcognitos antea
…m sibi ipsi solet diffinire, atq; eligere peculiares? Cur ergo isti
…lectione non sunt comprehensi? Quoniam sibi ipsi nimium
…nti sunt, quoniam & si illi Deum verum quærere se prædica-
…t, illum ipsum tamen externis, atque alienis operationibus,
…uro, neque humili corde quæsiuerunt, quæ est via quæren-
…di inueniendi Dei vnica. Cuius rei cognitionem illi cum se
…met tenere, & scire arbitrarentur, opinione sui elati, ac tu-
…mes, exterorum doctrinas, & monita sunt aspernati, neque id
…m, sed docentibus quoque ipsis, & recta monstrantibus infe-
…mici intractabilesque extitere, electi vero finis eius, qui
…ebatur, ab vniuerso Israel pauci homines videlicet, & ex
…o numero residui, ac reliqui per gratiam Dei potiti sunt,
…cum Deum corde bono, & voluntate appeterent, monstran-
…tiam ad eum perueniendi attento, & facili ad obtemperan-
…mo auscultauerunt. Non enim opinionem suimet, & de
…sque scientia, ac doctrina superbam persuasionem tan-
…murum opposuerunt rectiora admonentibus. Sed cum &
…roperum legisque obseruantias, ad DEVM interea niteren-
…more sibi, & tutiore multo fidei via demonstrata, liben-
…r prompte in eam se dedere, cum illi inflatiores, sibique ipsis
…rem in modum chari, atque iucundi in vetere instituto ma-
…ent obstinati, nec rationem vllam aduersantem opinionibus
…el auribus modo admittere sustinerent. Etenim est hoc præ-
…um, & maximum inter probas animas, prauasque discri-
…, quod qui faciles ductu ad DEVM sunt, vbi vllum de Deo
…ent proferri verbum, extemplo attenti, docilesq; expectant,
…m quid exponatur quod ipsis queat esse doctrinæ, ac emolu-
…nto, quodque in eis pietatem, & studium Dei adaugeat, idque
…iusmodi inueniant, gratantes, ac læti in cordibus suis repo-
…nt. Qui vero aguntsecus, qui suimet opinione inducti viden-
…sibi valde esse sapientes, vt non doceri ipsi ab vllo velint, sed
…ius semper docere: hi nomen Dei, quod in sermonibus vsur-
…nt, non ad ipsius Dei gloriam, sed ad suam ipsorum ambitio-
…m, quæstumque conuertunt, ideoque maximè, in operibus

versantur exterioribus, legemque scriptam mordicus tenent, neque in illo intestino, occultoque homine vere requirunt Deum, quod si facerent, cum ipsi intus humiles essent, tum cuilibet benè suadenti ad obtemperandum parati, & dociles, sed in eo qui cernitur, oculisq; est homo expositus, quasdam tanquam Deum colentium similitudines appingunt. Cui porrò externo homini inter homines cæteros se ostendenti doceri, ignominia est, castigari conuitium, refelli autem, & coargui iniuria morte atrocius. Enimuero qui tales sunt, cum videantur Deum quærere, sed tamen non potiuntur. Atque hi sunt, qui ne putentur egere sacrorum monitis, falsum suum potius cum pertinacia defendunt, quàm aliorum verum amplectuntur. Inimici omnibus à sensentientibus, qui non modo alienam doctrinam aspernantur, & contemnunt, sed ipsos quoque doctores acerbo & capitali nequuntur odio. Quemadmodum Iudæi & in CHRISTO aetiam fecerunt, & tunc in Apostolis CHRISTI, ipsoq; præcipue Paulo faciebant, quos cæcatos fuisse dicit Apostolus, eo quòd illa vana, & arrogans de semetipsis persuasio aciem mentis in illis, animique oculum occæcauerat. De quibus Esaias: Dedit eis Deus spiritum compunctionis, oculos vt ne viderent, & aures vt ne audirent vsque in hodiernum diem. Quod postremum adiectum ab Apostolo est, vsque enim eius ad ætatem Iudæi in eadem manebant cæcitate, & ignorantia. Sed & hæc ipsa Esaiæ sententia non ex vno Prophetæ loco decerpta est. Atque hic spiritum compunctionis Esaias stimulos inuidiæ, & obtrectationis velut significare, qui pungunt eos maximè, & fodiunt, quos glorium apud homines, existimationemque quærentes in eo maxime, ambitio, & liuor male habet, quòd quam ipsi opinionem, & laudem ab hominibus quærunt, alios melius vident, non id cogitantes, neque spectantes adipisci, qui quidem stimuli eiusmodi sunt, vt oculos, & aures ad intuendam, audiendamque veritatem neque quam suo sinant vti iudicio. Porrò hos illis stimulos per occasionem dedit Deus, non dedita opera in illis inseuit, sed dum aspirat, & subuenit ope diuina conatibus eorum, qui vera cum claritate, & synceritate prædicant verbum vitæ, idq; non ad commodum, neque ad vtilitatem propriam, sed ad audientium fructum, salutemque conuertunt. Horum ex ipsa contentione & comparatione cor æstuare maleuolentia, stomachus odio replet, ipsa rabie quadam inuidiæ, obtrectationisque accendi, vt simulent, dentibus in Apostolos, vt plagis & contumelijs appetere, sed ditionibusque agitarent, omnia denique permiscerent, quæ in illis esset in eis ciuitatibus locus, in quibus ipsi ab incolis & quæ sibi, & sapientiæ opinionem aucuparentur. Atqui tales semper Iudæi & vetustioribus seculis in patres, atque Prophetas, & tem-

pore

postremo in Apostolos extitere, hodieque adhuc sunt ijdem ipsi pleni perfidiæ scilicet, & iniquitatis, quo animi morbo agentur, neq; oculis rite vtuntur, neque auribus. Quòd autem spiritum compunctionis hoc loco, stimulum inuidiæ denotet Esaias, audi & Dauid ad Dominum loquentem, Vt psallat gloria mea, & non compungat. Quæ psalmographi sententia declarat gloriam eam, quæ in vnoquoque ad Deum referatur, nullos stimulos non sentire. Si autem ad seipsum quis referat, [illegible] Iam & de eisdem Iudæis Dauid, Fiat mensa illorum in laqueum. Quod quidem non imprecantis est, sed quæ futura sunt, [illegible] Prophetæ. Atque hæc illis mensa, bona sunt seculi, [illegible] illi imprimis expetunt, & quorum amore correpti incidunt [illegible] laqueum, & in captiuitatem, & in offensam, siue hic spiritualiter [illegible] intelligere in amissionem gratiæ summi Dei, siue [illegible] corporaliter, quòd propter bonorum mundanorum studium, auersi à Deo, & ab eo in captiuitatem gentium, & seruitutem traditi, ne adhuc quidem oculos aperire ad perspiciendum [illegible], nec eos attollere ad intuendum Deum possunt.

Dico ergo: Num offenderunt vt caderent? absit, sed ipsorum casu salus est gentibus in prouocando ad æmulationem [illegible]. Si autem casus ipsorum, diuitiæ sunt mundi, & diminutio [illegible], diuitiæ gentium, quanto magis plenitudo ipsorum?

CALLIDE, & sancte in verbis Apostolus licet Iudæos consolari videatur, gentibus tamen totam laudem ascribit, plectitque [illegible] quandam relationē, vt & Iudæis, & gentibus conserta [illegible], & communicata, fidei, & salutis vtilitas appareat. Non [illegible] Iudæi, inquit, cum offenderunt, & in peccatum lapsi sunt, id [illegible] tantum est, ipsi vt caderent: sed illud magis euenit, id [illegible] à Deo magis prouisum spectatumque est, vt lapsus eorum salus mundi existeret. Nam illi & in CHSISTO IESV cruci affigendo redemptionis humanæ mysterium absoluerunt, & in fugandis, exterminandisq; Apostolis fidei verbum in omnes gentes [illegible] diffeminauere. Errauerunt igitur, non vt ipsi caderent, sed vt cæteros illorum error conseruaret. Et rursus, quoniam illi sua culpa [illegible] idonei effecti sunt ad agnoscendam fidei CHRISTI veritatem, cum intuerentur tanto eam studio à gentibus adscisci, [illegible] comprobari, æmulatione quadam & ipsi prouocati ad inspiciendam rem, ac melius considerandam se referrent, ex quo in [illegible] postea salus posset à gentibus redundare. Ita Iudæorū lapsus, [illegible] error gentibus quidem recta, & ipso primo progressu prosit: à gentibus autem in Iudæos, tanquam ex repercussu resiliens, poterit prodesse. Quod si casus ipsorū, diuitiæ sunt mundi, si

quod illi obtrusi, & imminuti, ac tanquam bonis suis spoliati sunt id gentibus ad opitulentiam cessit: quanto magis si ipsi quoque accesserint, & ad exemplum gentium se conformauerint, vt CHRISTVM, & fidem CHRISTI illarum exemplo prouocati accipiant, hoc gentes faciet gratiæ apud Deum, & meriti locupletiores?

Vobis enim dico gentibus, inquantum quidem ego sum gentium Apostolus, ministerium meum glorifico, si quæ prouocem ad æmulationem meam carnem, & seruem aliquos ex ipsis. Si enim abiectio illorum reconciliatio mundi est, quæ erit assumptio? nisi vita ex mortuis? Si autem primitiæ sanctæ, & uerus: & si radix sancta, & rami. Quòd si quidam ex ramis fracti sunt, tu vero cum oleaster esses, insitus fuisti illis, participesq; radicis, & pinguedinis oleæ factus, ne insulta ramis. Si vero insultas, non tu radicem fers, sed radix te.

QVOD tantum laudis attribuerat gentibus, & tam acriter ac varie coarguerat Iudæos, vtrunque nunc volens ad temperamentum quoddam redigere, gentibus se testatur, ea dedisse præconia, vt quoniam ipse gentium esset destinatus Apostolus, ministerium imprimis suum cohonestaret, in quo & gentium sibi allicit beneuolentiam, quatenus earum se proprium mundum dicit, & excusationem ad Iudæos comparat, qui non ægre debeant pati tantum eum tribuere gentibus, cum his ipse officio, & munere prædicandi sit addictus. Neque tamen omnino Iudæos suos contemni vult. Adijcit enim non solum se collaudare gentes, vt honestet ministerium suum, sed etiam ob eam rem, vt habeat illis carnem suam, quod verbum affectum amantis in se habet plusque continet, quàm gentiles, quàm necessarios, quam cognatos, ad æmulationem eiusdem accipiendæ fidei prouocet, & quo pacto aliquos illorũ queat conuertere, & seruare. Qui si ob incredulitatem à Dei gratia repulsi, & abiecti: conciliationem tamen mundo cum Deo attulerunt, quid facient assumpti ad eandem fidem, & in Dei gratiam, ac beneuolentiã reducti? Nonne videbuntur per vos quodam quasi miraculo ô Gentes vestræ mortuis iterum redditi viuentes? Quod alto profectò intellectu in laudem gentium profert Apostolus, innuens vim fidei. Eorum enim per incredulitatem abiectio vobis per fidem gratiam Dei contulit, nónne assumptio eorundem maiorem vobis gratiam eiusdem Dei afferet? cum iam hãc in vobis fidei potentiam cognituri sitis quòd ex mortuis estis facturi eos viuentes. Ac ne forte videantur dici repugnantia, si reiectio Iudæorum sit [illegible] mũdi, quî posset idem esse redintegratio, intelligendum est, non

eadem

[illegible]m modo reiectos salutem mundi fuisse, & futuros assum-
[illegible], sed vt reiectio per occasionem locum, & accessum præbuit
[illegible]bus, sic per exemplum, & æmulationem fides Gentium Iu-
[illegible] vt resipiscant, occasionem est allatura: quo in vtroq; consi-
[illegible] Dei, & ex malis bona, & bona item ex bonis producentis,
[illegible]tium summumque cernitur, & vbique semper extat ipsius
[illegible], & gratia. In gentibus verò ipsis, atque Iudæis, quod ex fa-
[illegible] gentium exoritur ad incitationem, & prouocationem Iu-
[illegible]um, id in gentibus quidem virtutis & meriti speciem ali-
[illegible] præ se fert, in Iudæis autem penitus nullam. Ac vt repu-
[illegible]iam, quam diximus, melius dissoluamus, non hæc assum-
[illegible]huiusmodi, quæ Iudæos antè reiectos recipit, sed si illi statim
[illegible] ad CHRISTVM se contulissent, neque commisissent,
[illegible] obrem rejicerentur, saluti id, & lucro, & locupletationi
[illegible] fuisset aduersatum. Incluso enim in Iudæa fidei CHRI-
[illegible] mysterio, vel nequaquam, vel serius ad gentes Dei liberali-
[illegible] & gratia se effudisset. Atq; his dictis, ne omnia gentibus tri-
[illegible] videatur, procedit Apostolus ad ornandum genus suum
[illegible] laudibus, quæ non in ipsos tamen, sed in patres ipsorum, &
[illegible] amorem generis, nominisq; redundent, quò accessionem et-
[illegible]orum ad fidei cultum iure amplificaturam mundi diuitias
[illegible]. Si primitiæ, inquit, generis mei sanctæ fuerunt, & acer-
[illegible] sanctus, & si radix sancta, sancti & rami, duabus similitu-
[illegible] volens denotare familiam illam, quæ ex authore generis
[illegible], atq; sancto producta sit, etiam si non suis ipsa operibus
[illegible] inueniatur, parentum tamen causa in honore esse debere.
[illegible] gentes laudatæ à Paulo, atq; dilectæ minoris fortasse æsti-
[illegible] Iudæos, quàm par sit, in secunda illa similitudine radicis,
[illegible] insistens, egregiam texit argumentationem, quamob-
[illegible] Iudæis deferendus honor, & natio tota in aliqua existima-
[illegible] habenda esse videatur. Quandoquidem illa tanquam oleæ
[illegible] est, gentes verò reliquæ tanquam oleastri, quæ in veram, &
[illegible] oleam insitæ, omnem suæ in melius mutatæ conditio-
[illegible] dignitatem ex aliena radice, & planta accipiũt. Ac sanè opor-
[illegible] vera olea defringi ramos, si ramos alios oleastri in ea inse-
[illegible]. Neque enim fuisset peregrinis, & adscititiis surculis lo-
[illegible] naturales, & domestici in sua arbore integri permansissent.
[illegible] tamen habet vim istam insitio, vt qui ex aliena arbore insi-
[illegible] sunt, radicibus, & viribus hospitæ arboris sustineantur,
[illegible]cantq; in eandem totius corporis qualitatem. Itaq; radix,
[illegible] Hebraici generis ipsa est, quæ succum, & vim nouis sup-
[illegible] ramis, vt fructum deinde illi ex sese iustitiæ per fidem
[illegible] efferre. Est enim radix Abraam, & Dauid, truncus CHRI-
[illegible], succus verò, & spiritus, fides ipsa, ac iustitia. Atq; ibi ar-

boris totius author, & propagator Deus. Non ergo contemnenda arbor in ramis suis, quæ in radice, & trunco tanto [illegible] gna est.

Dices igitur, defracti sunt rami, vt ego insererer, proinde infidelitate sunt defracti. Tu autem fide stetisti, ne alte sinas, sed verere. Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit, [illegible] nec parcat. Aspice igitur bonitatem, & seueritatem Dei in cadentes quidem seueritatem, in te autem bonitatem. Si permanseris in bonitate, quoniam & tu excideris: & illi item, si non permanserint in infidelitate inserentur. Potens enim Deus est rursus inserere ipsos. Si enim tu ex naturali excisus es oleastro, & præter naturam insitus in bonam oleam, quanto magis hoc secundum naturam inserentur in familiari olea?

PERSTAT in similitudine insitionis, & arboris, illusq; discrimen, & iudicium summi Dei, quo Iudæos ille excidit è vera olea, & gentes ex oleastro abscissas in ipsam veram oleam inserit. Nec Iudæis, neq; gentibus, sed fidei dicit, & infidelitati fuisse dicunt, vt Iudæi quorum radix, & planta bonæ arboris propria, ac domestica erat, tanquam stolones, & rami inutiles abscinderentur, propterea quòd non vtebantur succo trunci, atq; radicis, hoc est, in fide Abraæ, & CHRISTI, ad Deum non nitebantur. Atque tu eorum abscissorum locum translati ex oleastro succo [illegible] tur, qui in ipsa ingenua, & naturali olea coalescentes genialis illos succos biberent ex radice, iisq; alerētur, quos naturales [illegible] rami respuissent, in seseq; attraherent, atq; in substantiam, [illegible] riditatem conuerterent suam fidei ex Abraam, & [illegible] ex CHRISTO nutrimentum. Itaq; non est Iudæi, neq; Gentilis, sed fidei, & infidelitatis facta distinctio, quæ eadem [illegible] re, & traijcere conditionem illam in alternas, & contrarias partes potest. Nam & qui insiti sunt ex aliena arbore in [illegible] arborem propter fidem, nisi hi in fide illa ipsa [illegible] quoque excindentur. Causam enim cur excindātur, [illegible] bi infidelitatem. Et qui propter infidelitatem è propria [illegible] suere defecti, si ad fidem se contulerint, facilius etiam [illegible] in familiarem plantam inserentur.

Nolo enim vos ignorare fratres mysterium istud, [illegible] apud vosmetipsos sapientes, quòd cæcitas ex parte Israel facta est vsq; eò, donec plenitudo gentium introeat: & sic omnis Israel seruabitur, quemadmodum scriptum est: Veniet ex Sion [illegible] rans, & auertet impietates à Iacob. Et hoc ipsis à me pactum, quando abstulero peccata eorum.

IAC.

ISRAEL est populus omnis Hebræorum carnalis ex Abraæ
ne oriundus, & Israel est populus spiritualis ex fide Abraæ
genitus, & natus: est autem cæcitas carnali populo Israel ex
facta, vt introiret in semen fidei Abraæ plenitudo gen-
, & sic vniuersus spiritualis Israel, salutem adipiscatur. Nam
carnali Israel seruando volumus intelligere, quota portio
populi Hebraici, & vniuersi generis Iudæorum ætas illa,
in aduentu Heliæ extremo iam instante mundi iudicio ser-
tur? Sed vt totus planè seruaretur Israel, permisit Deus Iu-
in CHRISTVM, tanquam in lapidem offendere, vt offen-
illa ex suo loco pristino dimotus lapis in caput anguli disce-
. Sicq; illis cæcitate quadam rectam viam non tenentibus,
semita cadentibus, gentes succederent, quæ in lumine veri-
oculos melius figerent, & ad populos reliqui orbis eadem
fuderetur. Atque item deinde, vt concursus gentium ad
CHRISTVM, veramque in Deum fidem frangeret animum, &
aciam Iudæorum, plurimosque eorum ad eandem fidem
ceret, alto mysterio Deus composuit, & dispensauit. Cui pro-
ntiæ, & mysterio Dei omnia sunt attribuenda, non à quo-
sibi ipsi. Non ergo nec gentes nimis glorientur, quod est,
omnium sibi ipsæ sint sapientes, ne attribuant hoc ingenio, &
elligentiæ suæ, si in fide accipienda Iudęis ipsæ pręcelluerunt.
enim prouisum in illis, & datum à Deo est, Iudæique permissi
luminari, vt ad gentes ipsas verum lumen accederet, neque ob
rem valde contemnant Iudæos. Etenim idcirco ipsæ adscitæ
gratiam, & amicitiam cum Deo sunt, vt suo exemplo Iudæis
ferant studium eiusdem æmulandæ fidei, & salutis. Atque ita
diuersis modis, & rationibus in vtrosque misericordiam suam
erunt Deus, & vt ex cæcitate Iudæorum gentibus lumen osten-
dat, & ex illuminatione gentium aditum inueniat Iudæis mise-
rendi, atque parcendi. Nam authoritas Prophetæ Esaiæ ab A-
postolo inducta, hoc sibi vult, quòd conclusio & exitus vniuersæ
salutis spiritualis Israelis, Israel ipse carnalis futurus est, vt & a-
gnitis sancti atque electi, ductor Israel, & idem etiam coactor
futurus. Namque fides primò & orta à Iudæis, & ab ipsorum
non paucis suscepta est. Pòst cum eiectione, & repudiatione eo-
rum, qui ex carnali Israel fidem CHRISTI non admisere, ad
gentes emigrasset, rursus introductis gentibus ad eum electorũ
numerum, qui à Deo est præfinitus, inde in eosdem ipsos Iudæos
tempore extremo est redundatura. Huius nunc & rei, & tempo-
ris facit Propheta vaticinium: Veniet ex Sion Dominus, hoc iam
principium est germinantis fidei: & auertet impietates à Iacob,
à spirituali auertet: qua quidem criminum & impietatum abster-
sione non Iudæos solùm comprehendit, verùm etiã alienigenas,

qui per fidem in ipsum Israel inserentur. Deinde verò ad carnale semen iterum reuersus, non iam relinquet in omni Iacob & spirituali simul, & carnali, quod sit ampliùs peccati, impietatisque auertendum. Etenim extremo illo tempore, quo ad iudicandum filius Dei venerit omnium omnino electorum numerus explicatur, neq; erit ampliùs macula aliqua in Iacob. Et hoc est ipse pactum meum, dicit in eodem Propheta Dominus, quod non Apostolus suis verbis ex persona Domini interpretatur. Quando abstulero peccata eorum, inquiens, Dominus autem in Propheta populo suo sic loquitur: Hoc est pactum aduentus mei ad vos: id est, Tunc veniam ad vos, tunc præstabo de meo aduentu, quod nunc paciscor, tempusque mei accessus ad vos nunciatur, cùm non relinquam ampliùs in Iacob, quod debeat abstergi, cùm omnium fuerit ordo, & numerus conclusus electorum, punctusque Iacob spiritualis fuerit completus. Cuius, vt diximus, spiritualis cœtus, verique Iacob & principium, & finis ille Iacob carnalis futurus est, quem in fine seculorum anteuertens Dominum Helias instruet, & quæ sunt salutis, ac fidei edocebit. Ac vt Apostolus vicissitudinem istam commeantis ab Israel ad gentes fidei, & rursus ab eis ad Israelem reuertentis clarius ponat ante oculos, sic prosequitur.

Secundum quidem Euangelium inimici propter vos, secundum autem electionem amabiles propter patres. Impenitentia enim sunt dona, & vocatio Dei. Quemadmodum enim & vos quandoq; non credidistis Deo, nunc autem consecuti misericordiam estis horum incredulitate: sic & isti nunc non crediderunt misericordiæ vestræ, vt & ipsi misericordiã consequantur. Conclusit enim Deus omnes in incredulitatẽ, vt omniũ misereretur.

GENVS, inquit, electum à Deo Hebræorum in ipsis patribus amabile semper est eidem Deo, neque vnquam reiecit, aut reppulit ab sese Deus, nisi si quos ex numero illo, nomine infidelitatis abiecit. Nam ipsam quidem nationem habuit semper in gratia, & in amore. Non enim pœnitet Deum beneficiorum suorum, nec vocationis vnquam suæ, quorum extitit semper nationi Iudæorum liberalis, quam seuocauit ex reliquis nationibus, vnamque sibi delegit, suisque cœlestibus tum beneficiis, tum etiam aliorum semper beneficiorum promissionibus aspiter prosecutus est. Sed in hoc recente Euangelij dono, nullum maius, neque salutarius generi humano ab ipso Deo potuit concedi, tantisper se auelli ab suis Iudæis passus est, vt hæc amplitas Deo cum illis aditum gentibus patefaceret ad consequendam apud eundem Deũ misericordiam. Hic occurrat quidam

Quid

Quid? nónne Iudæos simul, & cæteras gentes eodem dono misericordiæ pariter comprehendere, & complecti Deus potuit? Ac quid attinuit tantisper rejici Iudæos, quoad gentes ingrederentur? hic nos, & si fortassis audaciæ est consiliorum Dei dare velle rationem, tamen venerabundi, & timidi dicamus frustra videri potuisse summum Deum delegisse sibi propriam Iudæorum nationem, si ea, quæ illis seorsum beneficia promitteret, communiter cęteris erat præstaturus. Sed cùm illi ea non reciperent, atque adeò potiùs aspernarentur, causam oblatam Deo honestissimam, & optimam, suam benignitatem & misericordiam in omnes homines effundendi, quod ille tamen sic futurum sua infinita sapientia pręuidisset: certè quidem sic factum est, vt repellentibus Iudæis verbum CHRISTI, & illud ex suis finibus exterminantibus in reliquas orbis terræ regiones fidei veritas extenderetur. Inimici ergo Iudæi tantisper Deo dum Euangelium gentibus communicatur, verum ipsi propter se, & propter patres suos amabiles, atque ita amabiles, vt nec vocationis, hoc est, electionis, nec suorum in eam gentem beneficiorum Deum pœniteat. Ac sicut vos, ô exteræ gentes, inquit, quæ antea non credebatis, neque Deo fidem habebatis, ex Iudæorum incredulitate, infidelitateque occasionem nactæ estis credendi, & per fidem misericordiã à Deo consequendi, vocatæq; estis ad eiusdem Dei, non notitiam solùm, verùm etiam cognationem: sic Iudæi, qui antea Deum verum noscebant, atq; colebant, tuncq; egere minime misericordia videbantur, in infidelitatem & ipsi, incredulitatemq; delapsi sunt, vt ipsis quoq; necessaria fieret à Deo misericordia. At cuiusmodi ista infidelitas Iudæorũ? quia non crediderunt vestræ misericordiæ, inquit. In quo licet intueri singulare acutum, & admirabilem sapientiã tanti Apostoli. Quid enim est hoc, quod ait, non crediderunt misericordiæ vestræ, nisi quòd nõ putauerunt veram esse in Deum fidem illam, veram Dei erga homines misericordiam, cuius esset gentibus, & aliis nationibus copia facta, quando ipsi sibi solis, nominique & generi Iudæorũ soli omnia Dei beneficia, & cœlestes diuitias omnes debitas esse arbitrabantur, quæ opinio peculiaris apud Deum gratiæ, & in illo Hebræorum populo arrogantia non modò in contumacibus aduersus CHRISTVM Iudæis, verùm etiam in conuersis, & venientibus ad fidem longo tempore permansit, vt vix possent credere, sibique persuasum habere, gentes tali diuinitus beneficio esse communicatas. Conclusit enim Deus omnes, inquit, in infidelitatem, vt omnium misereretur. Sicut & antè dictum est, Conclusos omnes sub peccatum, vt in omnibus Deus gloriam, & iustitiam suam ostenderet. Atq; hactenus mi frater explicatis ab Apostolo fidei nostræ mysteriis, & veritate Christianæ religionis

penitus patefacta, atq; in aspectum mentibus nostris proferenda tuendum nunc tibi est, vtrum aliquid pures residere possit in populi, & dubitationis in cordibus eorum, qui haec ipsa coram gerint, accurateq; considerauerint, an verò id quod ego principio dixi, constare planè incipiat, quicunque Paulum legerit eumq; & in manibus crebrò, & in cogitatione, ac mente habegesserit, itemq; dicta eius, atq; scripta non ad sanè odiosa nonnullam, aut amore corruptas opiniones, id quod haereticis fieri agunt, sed ad veritatem, & spiritum scribentis fuerit interpretatus, fore illum non tantum verbo & simulatione, sed penitus tegra, & sanctis moribus, ac deniq; reuera Christianum.

STATVTVM iamdudum est, inquit, planeq; constat omnibus primis doctore fidei CHRISTI, atq; magistro, omnes nostras dò de fide ipsa ambiguitates, & controuersias, quae ignaris nimi mysterij interdum torquent: verùm etiam errores animorum nitus fore sublatos, vt cui in amore Paulus, atq; in delitiis fuerit, aut singularis illi totius vitae munditia, atq; integritas, ut cert animus vacuus, ac liber ab intestinis vitiis sit futurus. Enim amabo te mi frater, quid est tam altum & arduum, quod de maximus Apostolus non nobis planum, facileq; reddiderit? quid tam abditum, quod non patefecerit? tam abstrusum, quod non inuestigauerit? vt videamur nunc quidem nos in medio uinitatis consiliis, ambo fuisse versati. Atqui mi frater, non sic sese res habet. Sed accidit Paulo, quod solet eorum iis, qui oceani maris magnitudinem magis admirantur, quam è littore prospectando soliti sunt admirari. Nam quos illa aspectu tantummodò permouentur, cum oculis eorum liberam nulla, sed tantùm immensitas aquarum se obijciat, contempsit illi quidem in animo vastum quiddam, & late se fundens, quidque etiam cogitatione formidolosum, sed tamen quod aliquando confici, & peragrari posse videatur, quippe quorum finis est, & vnica admiratio. At qui se intro iniecerunt, quibus ingressi sunt, qui pernauigauerunt, atq; in remotissimas eras, regiones longa nauigatione prouecti sunt, eandem semper latam interminabilis pelagi conspexere, quoq; enixius, spe animi, inflati contenderunt, vt contento cursu peruenirent ad vltima tantò illis longiora semper, & difficiliora ad conficiendum currerunt maris spatia: hi sunt, qui non vnam, sed plurimas cipiunt admirationes, qui sepe etiam silentio cogitationem premunt, cùm satis intelligant si quid de illis reb. loqui velint se minimam earum rerum partem vlla oratione esse assecuturos. sic Paulus noster licet altè ingressus in cõsilia summi Dei, licet ea peruectus intelligendo spatia, quo nemo fortassis alius unquam licet adiutus, ac refertus gratia, lumine, Spiritu sancto, quàm

ra, maiora, præstantioraq; cognouit, quo factus est illorũ alumnorum arcanorũ magis particeps, hoc magis intelligens illã infinitam diuinæ mentis altitudinem nullis humanis cogitationibus posse peruestigari, in eam prorumpit meritò vocem, in quam & nos vnà cum illo adorantes Deum prorumpamus, & exclamando admirandoq; dicamus:

O altitudo diuitiarum, & sapientiæ, & scientiæ Dei, quàm incomprehensibilia iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius? Quis enim cognouit mentem domini? aut quis consiliarius eius fuit? aut quis prior dedit illi, & retribuetur ipsi? Quoniam ex illo, & per illum, & in illum omnia, ipsi gloria in secula. Amen.

Hic Iulius: Recte mi frater, inquit. Fons etenim est ipse omniũ bonorum inexhaustus, & perennis, ante quem non est quicquam, nec post ipsum futurum est, omniaq; ex illo, & per illum sunt, atq; permanent, ac ad eundem conuersa, atq; intenta sunt, cui iure, & merito omnis debetur gloria, neque præterea cuiquam alij, in Christo Iesv domino nostro, & in Sancto spiritu. Amen. Nunc quoniam satis huic diei datum est, surgamus deambulatum, quod nos hilariore faciemus animo, quod difficilimis locis huius epistolæ iam enodatis, atq; transactis crastinum diem laxiorem, & liberiorem habituri sumus, in quo de Christianis duntaxat moribus quæretur. Recte admones, inquam. Cumq; surrexissemus, finem fecimus de his rebus disputandi, ac loquendi.

Finis libri secundi.

LIBER TERTIVS.

Tertio huius à nobis institutę disputationis die cum bene mane surrexissemus ego, & Iulius frater, iamque ad rem diuinam essemus parati, nunciatum nobis subito à statore nostro est Augustinum Triultium Cardinalem sancti Adriani, hominem summa nobilitate, summaque prudentia, tum autem his præterea ornamentis ingenij, doctrinæ, humanitatis præditum, vt ille honos, & fortunæ decora, quæ alioquin in illo permagna erant, minorem tamen partem in eo ornando obtinerent, cum ab ostio de nobis percontatus esset, an otium intus, aperta ianua in hortos ingressum esse, rectaque ad nos tendere, & esse vnà cũ eo Gulielmũ Bellaium, quem Langeũ cognomine vocabamus, legatum Francisci Christianissimi regis apud Pontificem maximum. Quod ille legationis munus atque officium

officium tanta cum dignitate, elegantiaque gerebat, vt facile appareret artes eas, quas liberales dicimus, quibus ille apprime erat eruditus, vbi ad egregiam naturam se applicuerint, nihil omnino relinquere, quod desiderari debeat in eo, qui illas comprehenderit. Igitur horum nos duorum amicissimorum nobis & summorum hominum aduentu improuiso commoti, cum vestimenta propere sumpsissemus, vt procederemus illis obuiam, offendimus eos ad interius viridiorum septum iam appropinquantes. Quasimul vt nos viderunt, amiceque inter nos consalutauimus, AVGVSTINVS, Num tibi videmur, inquit, nomine me compellans, hodie satis mature è lecto surrexisse, dum te ipsum quærimus, cuiusmusque sermonum huiusmodi vestrorum esse participes tamen hoc quidem vereor, miserius à nobis factum sit. Nam vt tu scias, heri vesperi cum pueros tuos obuiam habuissemus, quæsissemusque de eis, vbinam esses, & quid rerum gereres, ij nobis retulerunt, te cum Iulio fratre tuo alterum iam hic diem esse, multaque quotidie diei horas secreto in disputationibus, & literis cum eo consumpsisse, & esse quoque hunc diem eidem operæ destinatum tertium, quod vbi audiuimus, constituimus statim ego, & Langius hodie summo mane huc conuenire ad te. Fecimus enim illam coniecturam, quæ si bene morem vtriusque vestrum nosset, nos profecto non fallet, vbi essetis vos, non posse ibi de rebus, nisi ad doctrinæ studia pertinentibus agi, quod & tempus hoc vacuum negocijs id de vobis polliceri videbatur, & scimus vbi maxime adest Iulius, ocium ibi à literis, & silentium esse non posse. Quod si aduenimus tempore, vt aliquas saltem partes hesterni vestri sermonis excipiamus, habebimus occasioni, & huic diei magnam gratiam. Sin minus, illud saltem assequemur, vt in hac amœnitate, & lætitia, quæ huic loco profecto singularis semper est, vobiscum vna familiariter hunc conteramus diem. TVM ego, Vellem Augustine, inquam, nostris vt sermonibus non tam interfuisses tu quidem, quam præfuisses, magnis enim certè de rebus inter nos egimus, verum nos haud magni. Atqui illa tale ingenium, quale tuum est, atque istiusmodi excellens iudicium requirebant. Sumus enim in Paulo, & in altissimis illis diuinæ erga nos beneficentiæ mysterijs versati, quarum de rerum semper perstudiosum cognouimus, & si non tam fortasse ingenio in illis opus est, quam Dei auxilio, cuius cum ex alio genere consilia, & ea longe remota sint a meditationibus humanis, absque eo ipso Deo deductore, & monstratore, ne aspirare quidem ad illa hominibus licitum est. Verum partes quidem eæ adhuc restant, quæ sunt de moribus, & quo pacto agere inter se Christianos homines, ac versari conueniat. Quarum rerum & si facilior videtur esse explicatio, est illa tamen eiusmodi, & his referta sententijs, atque præceptis, quæ

non

...ē philosophorum fonte, sed ex illo cœlesti manasse ac proflu-
...se intelligatur.

GAVDEO, inquit ille, ad quascunque venerim partes, & ad-
...num gratulor. Sed tu Iuli nunquid bidui huius disputationem
...præterire passus es, vt tota ea defluxerit: an si recte ego te noui,
...potius habes notata omnia, atque descripta? quæ mecum com-
...nices, & in illis etiam disseras interdum doctorum hominum
...ncilijs, quorum in pari tecum ætate, ac studio tua tamen vir-
...industriaque excellit.

HIC ille paulum cum erubuisset, erat enim ingenuo pudore
...odam, & singulari modestia præditus, Facis tu quidem perhu-
...ane semper, inquit, Triulti optime, qui cæteros libenter, & pro-
...e laudas, tuamque istam præstantem, atque eximiam grauita-
...em, & sapientiam, cuius eget semper ope, & præsidio respublica,
...iam decorandis hominibus impertis, si qui tibi videantur pau-
...accuratius in bonis artibus insudare, quorum me esse de nume-
...non inficior, verum maiore tamen labore, & studio, quàm in-
...ui facultate. Sed quod requiris ex me, num annotauerim, &
...legerim, quæ à fratre meo in disputando his diebus, exposita
...ne, non fuisse illa arbitror ex eo genere, quod contemni debue-
...tenim vt rem melius intelligas, scito me, cum diu, & sæpe in
...uli ea epistola, quæ ad Romanos scripta est, scrutanda, atque
...tienda fuerim versatus, nunquam tamen ante hesternum di-
...m, & nudius tertius, in abstrusa illius, & intima sensa, atque con-
...ta penetrare potuisse. Quod nunc nobis nostra ope si contigis-
...t, mirarer. Quid enim, vt fratre meo audiente, & hoc ferente æ-
...o animo dicam, sumus nos, qui audeamus ista nobismetipsis
...tribuere? Sed contigit singulari Dei beneficio, qui nisi ipse lu-
...mentibus nostris prætulisset, nunquam in tantarum consi-
...ratione rerum (quæ amplitudine magis sua, quàm obscuritate
...ligenem animis nostris offundunt, atque obijciunt,) aut intue-
...rectis oculis, aut stabili vestigio insistere potuissemus. Ac sunt
...quidem omnia à me, quod petebas, noctium vigilijs scripta, atq;
...collecta, tibique cum voles, communicabuntur, necnon & cæte-
...ro harum rerum studiosis, & amantibus viris. Verum illud tamen
...eo te principijs non interfuisse, qui ad extrema accesseris.

TVM ille: Sanè vellem affuisse, inquit, sed tamen haud mul-
...tum fuerit iacturæ, quando est quidem, vt te audio dicere, vnde
...accipere statim possimus. Quid? inquit, LANGEVS, cum sol iam
...explicuerit, serenumque nobis, & splendidum hunc apportet
...m, sumusne passuri, bonas horas sic præterire, vt non euesti-
...s, quæ ab his in disserēdo reliqua facta sunt, audire studeamus?
...um ego quidem cupiditate cognoscendi ita incensus sum, post-
...quam intellexi Paulum, & Pauli scripta vobis in manibus esse, vt

tempus

tempus omne, quod intercedit, nimium longum iudicem. Fui enim, & sum huic vni summo Apostolorum, & maximo ita semper addictus, vt videar mihi plus ex huius doctoris lectione diei vnus, quàm ex assiduis, & diuturnis cæterorum omnium volumenibus, ac studiis opis mihi, atque præsidii ad beatam vitam comparare. Et reuera ita est, in hoc enim vno, præcipue sita sunt, quæ & ad cognoscendam vim diuinæ bonitatis, & ad nostram mentem in Deo constituendam maxime sunt apposita. Sed tu, inquit, cum in me intueretur, si quid etiam nunc est, quod per te Deo & religioni sit tribuendum, quæso id cito persoluito, vt quamprimum te nobis dedas, qui diuinæ rei quod satis sit, operam, hac interim opperibimur inambulantes. Quod cum constiterim, atque ita factum esset, increbescente iam die, atq; sole, in sylvam contulimus. HIC EGO: Deus, inquam humanissime Trinitati, & tu Langee optime omnium creator, conditorque rerum, & solus bonorum nobis author, cum mundum hunc ex nihilo vt esset, effecisset, eumque varijs potissimum animantium frequentasset generibus, non alia profectò ratione magis adductus est, vt ita faceret, quàm bonitate. Bonum enim quod non tam in ipso, quam ipsemet erat, communicare voluit, vt essent primum, quæ non antea erant: deinde eiusmodi vt essent, qualia poterant esse, plena quæq; in genere suo, atq; perfecta, nihil vt eis denegatum appareret, quod eorum capere natura, & sustinere potuisset, quodcumque ipsum proprium est bonitatis. Sed hanc ille benignitatem, & variam, atq; diffusam dispensationem sui boni, non ex æmulo tempore rebus impertiuit, quemadmodum vetus videtur philosophia velle astruere. Sed certo quodam ex principio & res, & tempora in naturam ab eodem Deo producta sunt, alioquin non fuisset eius libera, nec voluntaria bonitas: aut quoniam esse, & videri cognata sunt, magnaque est coniunctio veritatis, & luminis, talis ea certe visa non fuisset. Cursus enim ille rerum perpetuo sibi succedentium, & à nullo primo ortu procurrentium, semperq; ante se alias res habentium, non liberam potestatem eius vnde ille effluunt, atq; manant, sed necessitatis cuiusdam vinculis adstrictis sine vlla dubitatione arguere videretur. Deus autem vnus est, qui & semper esse, & ante omnia esse conuenit soli, idq; vniuersè, atq; simpliciter, hoc est, non vt hoc quidem modo ante esse, illo autem minime dicendus sit, quasi natura quidem prius sit, non autem tempore, sed omnino, & sine exceptione ante omnia esse prius, vt sit post illum principium etiam temporis. Verum hæc, quæ hæsitan reconditiora sint, & longiorem postulent orationem, in aliud tẽpus reijcienda sunt. De illis dicamus, quę nostris sermonibus magis sunt coniuncta. Nam cum Deus, vt exponere cœperam, varia genera creasset animantium, eaque singula peculiaribus natu-

suis, atque officiis insignisset, cætera quidem omnia dimisit ab
se, & in stadium vitæ, tanquam in rectam lineam deducta, cur-
sum suum agere iussit, cuius ad finem cũ peruenissent, veluti trãsa-
tis partibus, quarum causa in naturam venerant, ad nihilũ rur-
sus conciderent. Homini autem soli mentem, & rationem dedit,
et quam si ipse se respicere, & quid sui esset muneris, atq; officij
existimare recte vellet, non ad anteriora semper tenderet. Is enim
motus, atq; cursus vt finẽ spatii in sese, sic & currentis interitũ ha-
beat, necesse est. Sed volueretur potius in quendã quasi orbem, &
semper ad eundem Deum, vnde profectus esset, se reciperet, quòd
hac vna ratione agendi, & se mouendi, cũ perpetuò agere, & mo-
ueri licitum est, tum vero immortalitas in eo, & beata vita conti-
netur. Et re vera si quis acutius inspicere conetur vim, & naturam
mentis ac rationis, aut si verbo ex Græco ducto magis vti placet,
essentiam, is intelliget orbem illam quendam esse, non ea figura,
quam oculus perspicere, sed quam intueri ratio ipsa possit. Quæ
enim valentia sunt maxime, eademq; immortalia (de spiritualib.
atque, & his, quæ ab omni natura corporis secreta sunt) omnia
hoc eiusmodi, vt eorum formam, atq; essentiam nulla res corpo-
ris referre alia, quàm circuli imago possit. Itaq; & Deum summũ,
atq; omnipotentem, cœlestes globi, quos sphæras Græci dicunt,
maxime referunt, vt qui illius infinitam naturam similitudine
corporis quodammodo infiniti, & perpetuam, ac nunquam desi-
nentem vim gubernantis omnia, atq; regentis perpetuitate sui
motus imitantur, & ratio ipsa nostra, atq; mens, tum ex sese maxi-
me agit, atque operatur, cum in circulum agitur & versatur.
Cuius rei certum indicium, quòd quæ vera sunt, & saluta-
rissimi consilia ea non aliud quippiam profectò sunt, quàm
processus rationis sic extra se tendentis, ad id, quod occurrerit,
vt cum deliberet, sitné illud sibi suscipiendum, nécne sit, quod ap-
petit: non tamen in eo statim acquiescat, sed circumeundo prius
omnia, & circumspiciendo redeat rursum ad sese, orbemque to-
tum compleat. In quo decursu toto, atque obitu si nil confrago-
sum, aut infectum offenderit, tum libere animo, & cupiditati suæ
gerat morem. Quæ quidem vna agendi, & consulendi ratio bo-
ni est iudicij, & veræ prudentiæ propria, cum qui non ita agunt,
ac vt primum ab se egressi sunt, in eo protinus, quod appetie-
runt, immorantur: hi aut leuitate ridiculi sint, aut affectionum
impetu effrænati, atque præcipites. Sed in hoc ipso mentis ope-
re atque officio, magni interest tamen, quo pacto orbis agatur.
Etenim si mens ipsa ex sese orta sua tantum vi, & virtute nite-
retur, neque haberet aliud præstantius supra se, ad quod sibi co-
gnatum, & accommodum, cum se applicuisset, fieret ipsa quo-
que maior, atque præstantior: recte nimirum illa ipsam se finem

rebus

rebus constitueret, & cum sibi ipsi satisfecisset, omnes esset numeros virtutis, & sapientiæ probe consecuta. Quo in genere maiores illi veteres Italiæ, atque Romani antequam Deū, & CHRISTVM cognoscerent, maxime elaborauerunt, ad seipsos enim omnia referentes, cum dignitatis, & authoritatis, & potentiæ suæ primam ducerent rationem, cæteris sic imperandum esse hominibus existimauerunt, vt omnia commoda ex illis ad sese tamen reuerterentur. Atque hæc vt dico, humanæ prudentiæ tantum potentiam, & gloriam apud homines spectes, habere speciem quandam videtur illustrem, atque amplam, & præstantibus dignam animis, quam cæteri semper omnes maiorem in modum nimium sunt, qui cum eadem assequi cuperent, non eodem tamen consilio, nec tam excelso animo ad res gerendas se contulerunt. Sed si verum hominis bonum, & vera dignitas attendatur, quoniam istiusmodi ratio sibi ipsa confidens, & vi tantum sua nixa, ab illo summo bono, qui DEVS est, auellitur, & neque illum, vt principem sui boni recognoscit, neque ad eundem, vt ad finem sua consilia refert, manca ea, & imperfecta imprimis existimanda est, eadem mendacij magis, quam veritatis particeps, quæ orbem quidem agere, & circunducere videatur, cum à se exorta, redeat rursus ad sese: sed quæ primam tamen, & potissimam sui boni, & suæ sapientiæ partem extra se relinquat, & neque vnde oportebat, incipiat circumagi, neque eò, quò maxime est opus, reuertatur. Alterum est genus humanæ mentis non tam superbum quidem, neque tam insolens, quàm hoc, quod modo dixi, sed tamen sua ratione abiectius, quod item à DEO alienum, & proficiscens ab sese, nullum tamen orbem ducere, nec in rebus appetendis, nec etiam declinandis ad se rursum respicere laborat: verum tectum tendit in terram, & in terrenis inquinamentis, ac sordibus totum se prouoluit, & implicat, nihil omnino, neque ad dignitatem, neque ad studium laudis referens, sed vnam tantum spectans illam animi voluptatem, quo pacto cupiditates suas, quæcunque illæ sint, exsaturet, atque expleat. Quod genus simile brutorum esse volunt magis quidem, quàm hominum. Sed hæc duo genera quæ commemorauimus non probanda, vt considerantibus continuo apparet, à DEO ambo auulsa sunt, nullamq; cum summo bono habent societatem. His porrò contraria altera duo, iam sanctiores, & filio respiciunt ad summum Deum, sed inter se tamen præstantia & dignitate differunt. Vnum est eorum, qui à Deo ipso egressi sunt, & suorum ortus, principiaque bonorum illi referentes accepta, decurrunt tamen rectam lineam, neque curant ad eū ipsum, vnde profecti sunt, postea amplius reuerti, sed velut verso solo ad se in aliam ciuitatem dediderunt, & alteram sibi gentem ipsi adsciuere, tanquam è magna patria in ignobilem coloniam missi,

...icilia suarum fortunarum in terra constituunt, terreniq; ex ...stibus effecti, habent quidem gratiam illam Deo, quòd sibi ...dari, & donari illa existimant: ipsum tamen Deum vt sum... suum bonum, & suæ finem atque extremum beatitudinis ...intelligunt. Qua in religione, & mente natio Iudæorum fuit, ...Dei colens illa quidem, & sanctum illius nomen adorans, nō ...circulo se ad eundem referens, neque ipsum, vt bonū suū, ...authorem sibi mortalium horum bonorum semper vene... Neque illa tamen in hac Dei cognitione princeps, sed & qui ...naturæ primordiis, à creatore Deo primi producti sunt, ...post propius à generis humani origine abfuere aliquot ...in ea mente constiterunt, vt à Deo peterent, quæ sibi pe... esse arbitrarentur, & accepta illi ferrent, quæ adepti essent, ...illa tamen forent, quæ concupiebant, terrena omnia, atque ...Post vero sensim, atque obscure hac varietate rerum tot, ...tantarum, quæ aut oculis cernuntur, aut à sensibus cæteris ...voluptate percipiuntur, animos, mentesque occupante, & v... hominem ad se abripiente, disiunxisset se penitus à Deo ...genus, omnemque illius cultum, atque memoriam in ...obliterasset, nisi admirabili suæ sapientiæ arcano præpo... Deus eximiam sibi retinuisset Iudæorum nationem, in qua, ...in materia rudi quidem adhuc, & impolita, sed tamen ...quadam ex parte in cultu veri Dei, dolando ipse, & po... exprimeret aliquando illam absolutissimam, & perfectis... humanæ mentis rationem, quæ est in eo, vt à Deo egrede... & ad eundem Deum rursus nos conuerteremus, orbemq; ...conficeremus, in quo omnis virtus, & omnis sapientia, & ...diuini boni possessio continetur. HIC AVGVSTINVS: Præ... quidem, inquit, mihi ordiri Sadolete visus es, & initium ...sermonis a re magna ducere. Hæc enim omnis oratio, si ...coniector, eò tendit, vt hanc summam, & absolutam homi... rationem in fide Christi solum esse intelligamus. Quippe quæ ...eò maxime reuocat, vnde sumus profecti, atque ita iu... decurrere orbem istum, quem tu apte nimium, atq; apposite ...ti, vt quacunque peragremus, aut peruagemur, in ipso tamē ...principio, eodemq; fini, qui Deus est, semper voluntate, & pro... maneamus. Sed tu cur tam alte exorsus sis, aueo scire ex te. ...enim hæc ad mores pertinere videtur oratio, sed ad illa ar... potius, altaque mysteria, de quibus heri inter vos fuistis lo... QVIA INQVAM, cum de eis moribus agendum sit, quorum est ...tio huius sententiæ propria, præponi ista oportuit, quæ fa... intelligentiā sequentiū faciliorem, & simul vobis vt expo... CHRISTI mysterium, quo fidei nostræ perspicua veritas ...gitur, ideirco illa à me inducta sunt. Nanq; & de moribus

sic suscipere debetis, non esse mores nostros ex eis generibus vir-
tutum, quæ vel à philosophia traditæ, vel à claris, & potentibus
viris in rebus gerendis antiquitus vsurpatæ sunt. Et mysterium
CHRISTI illam vim habet, vt eo non cognito, ne cætera quidem
satis cognosci possint, quæ sunt ad fidē nobis, & ad spem ad pro-
di Dei necessaria: in cuius quidem sensum mysterij, illumq; intel-
ligentiam nos nudiustertius inopinatò venimus, cum tamquam in-
ligentes, & seduli venatores exoptati boni odorantes vestigia, in
ipsum cubile repentè diuino munere incidissemus.

AGE porrò, inquit ille, & ipsum hoc mysterium nobis explica,
namque operæpretium quidem, vt te audio, fuerit id cognosce, vt
quo ad cognoscenda reliqua facilior aditus fiet. FACIAM quidem,
dem, quoad potero, inquam, & eundem supplex Deum deprecabor,
bor, vt qui nobis princeps ad ineundam viam hanc fuit, idem sit
deductor ad conficiendam. Sed tamen ad superius argumentum
redire nos oportet, vt consentiamus omnes, & confiteamur, nihil
esse perfectum, nec sapiens, neque adeo veri, aut summi boni ca-
pos, quod non hoc orbe sit circumactum, vt exeat ex ipso Deo, &
rursus ad Deum redeat, totoq; illo flexu, atq; decursu finem, atq;
vltimum omnium suorum bonorum exoptet semper, atque ex-
petat ipsum Deum.

CONFITENDVM est, inquit, etenim quid dici potest veritas?
ATQVI hæc veritas, inquam, vt commemorabam modò, ante
aduentum, & mortem CHRISTI ignorata omnibus fuit, nisi
siquos Deus occulta suæ sapientiæ vi in hanc cognitionem, mentemq;
temq; iniecit, vt intelligerent huius virtutem mysterij, Christum-
que venturum præuiderent, quod in patriarchis, & prophetis cre-
dimus fuisse factum. CREDIMVS, inquit, & certe ita factum est.
EST AVTEM, inquam, huius mysterij tota vis, vt quoniam no-
bem illum sic agere debemus, vt nihil in medio cursu nos
moretur, quod alio fini proposito detorqueat nos à summo bo-
no, atque impediat, quo minus intenti semper, & auidi ad Deum
ipsum contendamus, in quo vno vera nobis bona, ea bona
immortalia statuta sunt, reliqua omnia mundi oblectamen-
ta sic debemus tanquam prætereuntes libare, atque arrogare,
vt ne in illis cura, aut studio animi aliquo simus infixi, quando-
quidem quantum in illis amoris, diligentiæque ponimus, tantum
de illa beata cura detrahamus, deque diuino amore illo immuta-
mus, in quo omnis nobis spes veræ & sempiternæ felicitatis est
reposita. Quòd si etiam res asperæ, atque aduersæ nos vgeant, si-
lam nobis expeditiorem, & tutiorem vitam ad beatam poenam
perueniendi esse existimemus. Atque hoc cœleste, salutareq; con-
silium vitæ nobis mortalis in hunc modum agendæ, atq; exer-
ctandæ ex Deo immortalitatis non CHRISTVS nobis [illegible]

Non

[illegible] enim sic de illo, vt de vno quodam homine, existimandum [illegible] ore, & lingua locutus nobis fuerit Deus. Hoc enim & [illegible] prophetas, & per quosuis nuncios potuit effici. Sed CHRI[illegible] ipse totus oratio est Dei loquentis nobiscum, nosque ad[illegible]tis, atque docentis, vt contemnamus bona mundi, atq; in [illegible] spes nostras constituamus. Non enim latino sermone, neq; [illegible], neque rursum Syra, aut Hebraica lingua loqui censendus [illegible] est, sed illo modo loqui, qui tantæ dignus authoritatis, & [illegible]tatis sit, vt agendo potissimum, faciendoq; loquatur, sitq; i[illegible] illo & actio ipsa, & oratio. Atq; vt comparatione quadam [illegible] faciam id, quod dico. Quemadmodum cœli nihil aliud [illegible] quàm administratio Dei sunt regentis & gubernantis il[illegible] circumactu vniuersa, quippe qui neque materiam vllam habe[illegible] alioquin essent corruptibiles, neq; rursus pura, & simplex for[illegible], non enim mouerentur, sed tantummodo sensibiles actus [illegible] diuinæ virtutis existant, nequaquam ipsi, cum aliud quid[illegible] per se essent, ad hoc deinde officium gubernandi, munusque [illegible], sed quòd illorum effectio, & natura ipsa est gubernatio: [illegible] CHRISTVS ipse vox & sermo est DEI patris omnipoten[illegible] vocantis homines ab hoc mortali seculo, & ad seipsum eos [illegible]entis, simulque illis demonstrantis tanquam verbo & o[illegible] sua: sic dura illa, & laboriosa CHRISTI vita, eiusdemque [illegible] extremum cruce, atque morte ad omnium salutem, doctri[illegible] suscepta voluptates mundi, & vitæ huius illecebras, vt quæ [illegible] speciem boni, nobis obijciendo maxime à vero bono, & à [illegible] nos deducunt, à nobis esse præ Deo contemnendas, solam[illegible] illam vitam appetendam, quæ cuiusmodi futura sit, in resur[illegible] CHRISTI à mortuis nobis est patefactum, quæ illis est [illegible], qui in hac agenda vita CHRISTVM imitari, hoc est [illegible] verbo obtemperare voluerint, cuius voluntatis in nobis ac [illegible] baptismus professio est. Atque hoc nobis CHRISTVS [illegible] tam à Deo mysterium attulit, quam fuit ipse mysterium: sine [illegible] ad Deum quicunque adiungere se cupiunt, illudere sibimet[illegible], & non tam Deum quærere, quàm spernere videantur. Etenim [illegible] ille respectus & reuersionis in summum Deum, quem in CHRISTO duntaxat circumagi recte diximus, non est hærere in [illegible], neq; ab illis nolle diuelli, sed in eo est, vt instemus, & vr[illegible] susceptum cursum, quo exoptatum ad finem veniamus, [illegible] Deo dedere se instituunt, atq; hi nihilominus mundum [illegible] bona complectuntur, cum falluntur opinione sua, atq; [illegible], tum repugnantia certe suscipiunt. Qui vero ita Deum, & [illegible] bonum appetunt, vt sordeat illis mundus, nulloq; amo[illegible] eo tanquam glutino contineantur, his vel ignaris, atque [illegible]pinantibus per CHRISTVM & fidem CHRISTI accessus

ad Deum est. Agere enim hoc ipsum fides CHRISTI est, ipsi quae
omnino CHRISTVS Dei est, hoc nos docentis, & sic vt agamus
præcipientis oratio in vnius hominis ad hoc diuinitus facta, atque
que instituti vita, atque morte, necnon & eiusdem à mortuis est
surrectione, in cœlumque ascensione ad omneis homines [illegible]
tanquam clarissima voce habita, atque prolata. In quo [illegible]
CHRISTO, & humanitatem simul, & diuinitatem agnoscimus,
eumque non tam doctorem huius mysterij, quàm mysterium
ipsummet intelligimus. De quo Paulus ad Colossenses, Oeconomiam
datam mihi à Deo, in vos, inquit, vt consummarem [illegible]
nem Dei, mysterium reconditum à seculis, & generationibus,
quod nunc patefactum est sanctis eius, quibus voluit Deus [illegible]
facere, quæ sint diuitiæ gloriæ mysterij huius in gentibus, [illegible]
CHRISTVS, in vobis spes gloriæ. Sed quoniam est [illegible]
his rebus copiosius primo die actum, omniaque tum [illegible]
ta, atque dicta, quæ ad huius mysterij explanationem [illegible]
quæ se meus frater habere dicit relata in volumen, [illegible]
pta, petetis ab eo, siquid nunc à me, dum breuis [illegible]
ctum sit obscurius. Hæc quidem à me idcirco [illegible]
vt quoniam de Christianis moribus est dicendum, [illegible]
eorum disciplinam & tractationem, non ex eo genere [illegible]
ab sese in vno quoque, aut etiam in nationibus [illegible]
thore DEO exortum, atque egrediens in terram [illegible]
mersum est. Abiectum enim & sordidum imprimis [illegible]
neque vlla in eo de moribus rectis, atque honestis [illegible]
cogitatio continetur, neque rursus ex genere illo [illegible]
quod progrediens ab sese, & ad seipsum reuertens [illegible]
bum, atq; elatum est, nullamq; potiorem ducit [illegible]
potentiæ, & dignitatis, & amplitudinis suæ. Quod [illegible]
& si specie quadam humanæ virtutis, atq; prudentiæ [illegible]
multo videtur, quàm illud primum, hominumq; oculos, & [illegible]
præcipue in se conuertit, magis tamen etiam remotum à Deo [illegible]
summo bono est, vel potius Deo ipsi infestum, atq; [illegible]
Suum n. regnum quoddam separatim sibi facit, seq; [illegible]
gione cōstituit regem, qui se illi altissimæ potestati [illegible]
cuius voluntate, & nutu condita sunt omnia. Atq; hæc [illegible]
stifera, tumensq; superbia, quę & angelos primum [illegible]
& sæpe homines prosperis rebus corruptos in eandem [illegible]
trahit, qui quidē in ambitu honorum, & in mundanis [illegible]
dia, & spes suas collocauerunt. Quid ergo est? De his [illegible]
ctaturus Paulus est, qui illi generi hominum conuenit, [illegible]
Deo natū rursum se recipit ad eundem Deum, qui [illegible]
cœlestisque sapientiæ nimirum CHRISTVS est, [illegible]
sus fuit à mundo, vt nihil vnquam quod aut delectet [illegible]

lectebris capiat, nõ modo vinxerit, aut detorserit illius men-
sed ne voluntati quidem arriserit. Vsque adeo intento ille
& desixo in Deum animo ferebatur, sciens, vt Ioannes in-
quod a Deo venit, & ad Deum vadit. Nobis quoque est si-
Dei imitantibus conandum, vt quoad possumus, ab omni-
quidem mundi vitijs, & amore nimio rerum terrenarum abs-
mes: sed si interdum prægrauat caro, quæ in nobis imbecil-
tudem in CHRISTO vas fuit diuinitatis, si inquam, adigi-
nonunquam carnis vitio, vt labamur, atq; offendamus, ab
tem refugiamus maculis, quæ animum ipsum inficiunt, pe-
que eum auertunt, atque abstrahunt à summo Deo, vel er-
adversus Deum efferunt, atq; attollunt, quo quidem genere
mi nihil malius nullum est, cuiusmodi superbia est, & nimia ani-
confidentia. HIC AVGVSTINVS, Etsi ad ea quæ de mori-
tenda sunt, auido animo properabam, inquit, vt ad quas
nimas partes fortuitò fueram appulsus: tamen facile te pa-
dolete rorum diem hunc in his sermonibus consumere:
meum animum commouet, atq; afficit, hoc quod abs te pro-
tum CHRISTI mysterium, de quo à te dictum quidem est
ntus, quam tantæ rei magnitudo postulabat. veruntamen
mi nobis in præsentia fuerit satis, præsertim cum habeamus
e hauriamus largius, Siquidem hæc Iulius scriptura se dili-
ter perlecturum esse dicit. Sed ego agnoscens clementiam &
gnitudinem summi Dei, qui eorum mentes qui illum cum amo-
rum sunt, maiore sui intelligentia semper refercit & illuminat,
ego iniuri nunc incipio, quod antea pia tantummodo per-
mine credebam, sicut enim verbo ponebatur, ita accipiebatur
animo, vnam spem salutis esse per fidem CHRISTI in Deum
omnes, nunc liquido perspicio, certum id ita esse, vt contradici
non possit, planamque & perspicuam video esse veritatem, ne mi-
nem omnino posse, nisi per fidem CHRISTI ad Deum se con-
ferre, quandoquidem CHRISTVS ipse verbum Dei est, neq; eo
alio verbum, quo prædicat vetus scriptura factum esse verbum
Dei ad Micheam Prophetam, vel ad Hieremiam, vel ad Ioël, quo
quidem modo aliud est Dei verbum, aliud is, qui illud enunciat
Propheta. Sed CHRISTVS verbum Dei ipsummet est, Dei, in-
quam, hoc suo ore nos docentis, si salui, & beati esse volumus, ap-
petenda esse sempiterna bona, & contemnenda mortalia, vt sit
verbum Dei, idem quod ipse Deus, in quo quidem verbo & do-
ctrina simul sit, & actio, id est, vt id verbum, quod nos docet, idem
nos deducat in immortalem vitam. Deducat autem, non vt
demonstrator solum neque doctor: sed vt dicebas ipse, Paulumque
nos testem adducebas, vt huius ipsius deductionis mysterium,
& quasi deductio, cum illius sanguine & morte consecuti si-

mus, vt natura hominis quæ antea à Deo auersa & illi infensa erat, in CHRISTI corpore fuerit cum eodem Deo reconciliata, indeque tota defluxerit humani generis redemptio, carnis enim inimicitia cum Deo, quæ nos in terra fixos detinebat, rebelles q; & contumaces efficiebat aduersus Deum, in CHRISTI carne per obedientiam soluta est, qui carnem ipsam primum in se, & ex se, deinde in omnibus à seruitute rerum terrenarum abstractam Deo penitus subiecit, sanguinemque & vitam suam fecit Deo vsque ad crucis mortem obediens, pro salute nostra effudit. Verum hanc mysterij tam sublimis veritatem nunc quidem nunquam in peristromate nobili quasi præteriens aspicio. Postvero vbi dabitur spatium ista ipsa subtilius, accuratiusq; contemplandi spero omneis eius partes clare mihi, ac lucide sese ostenturas. Nunc tu Sadolete pertexe reliqua, atque has meas interpellationes æquo animo patere. QVIDNI patiar, inquam, quibus præsertim maiorem in modum delecter. Non enim me admodum laboraturum intelligo vt vobis ea tradam, quæ in animo ipse intus habeo concepta, cum vos orationem penè meam intelligentia vestra antenetiatis, quanquam hoc quidem ingenij ruri semper Triulti fuit, neq; de Langeo nostro secus esse intelligo. TVM ILLE, Perge tu modo, inquit, nolique ex silentio meo conijcere quid ego intelligentia assequar, & quid non. Illud scito plane me comprobare ea, quæ abs te dicta sunt, maioraque suspicari, quam vt breui ista oratione possint exponi, tum vero expectare idem ocium, atque tempus, quo cum Triultio, & Iulio eadem ista ipsa diligentius consideremus. POSTQVAM igitur, inquam, hoc primum nostri fundamentum sermonis positum à nobis est, CHRISTVM verbum esse Dei docentis nos, atque hortantis, vt cæteris posthabitis rebus omnibus, ad ipsum nos amore, corde q; adiungamus, spemque cunctam beatitudinis nostræ in ipso vno constituamus, illud quoq; alterum substruendum nobis est, vt de ipso amore erga nos præpotentis Dei, deque ea cura, quam pro nobis ille, & pro salute nostra suscepit, aliquid commemoremus, qui filium suum consortem secum diuinitatis, & in quo sibi maximè pater Deus placet, miserit è sinu suo, atque ex sanctissima virginis vtero, nullo virili coitu se admiscente, sed spiritu sancto eas gerente vices, humanam speciem susceperit & induerit voluerit atque etiam mori, & cruci affigi sit passus, & carne illa in filio perempta, quæ à peccato omni aliena semper fuit, nos redempti in illo sanguine, & doctrinam Dei in CHRISTO imitantes, in carne nostra peccatum interimeremus, mundique, & nihili appareremus coram Deo, Christoque à mortuis exurgente, in vitam simul cum eo non corporis adhuc quidem, & si ea quoq; nobis mox immortalis aduentura est, sed in vitam modo iustitiæ, & vitæ

...cum Deo amicitiæ, ac cognationis excitaremur, cum vt tan-
...Deo beneficia acciperemus, quibus maiora esse amabo quæ
...nt? nullis à parte nostra meritis, vel potius male ipsi de Deo
...ntes, sola eiusdem Dei bonitate, atque clementia & de erro-
...nostris misericordia, simus assecuti. SANE ita est, Langeus
...t, & ea re quidem plurimum illi debemus, vt si non impij
...us, & inhumani velimus esse, gratiam nostram, & tanti me-
...am meriti nulla vnquam obscurare debeat obliuio. ATQVI
...am, ne aliam quidem ipse gratiam à nobis repetit, quàm vt
...i suo erga nos mutua ipsi voluntate respondeamus, quod
...m nobis etiam est emolumento, atque bono. Itaque Paulus
...cutis ante, atque enarratis CHRISTI, & fidei mysterijs, de
...us biduo hoc à nobis est disputatum, huc nunc conuertitur,
...steaquam docuit, quid de Deo, & fidei mysterio sentiendum
...doceat etiam deinceps, quo pacto erga Deum, & propter
...m Deum inter nos nobis sit agendum, cuius tempus esse iam
...tur, vti verba audiantur.

Adhortor igitur vos fratres per miserationes Dei, vt sistatis
...ora vestra hostiam viuentem, sanctam, beneplacitam Deo,
...onalem cultum vestrum, & ne configuremini seculo huic,
...transformemini renouatione mentis vestræ in explorando
...quid sit, quod velit Deus bonum, & beneplacitum, & per-
...ctum.

AMYSTICIS ad moralia transiturus, fratrumque imprimis
...ntiones ante oculos habens, quæ præcipue ex Iudæis ad
CHRISTI fidem conuersis, & tamen quæstum etiam vel ambi-
...tiosam spectantibus oriebantur, etenim docere alios omnes,
...ij, & sibi authoritatem magistrorum arrogare, legemque sem-
...per proponere, & quodammodo cæteris dominari meditaban-
...tur, quod quidem erat, non Deo, & CHRISTO, sed mundo sese
...conformare, ac dedere: huic primum malo mederi vult, preci-
...busque, & monitis erga eos agit: Dei misericordias, hoc est, quo-
...tidianas eius benignitates ad ignoscendum peccatoribus secum
...adhocans, per quas & prius illi salui in CHRISTO facti, & quo-
...tidie habent ex omni facinore, & culpa paratum in Dei clemen-
...tia & bonitate perfugium. Per eas igitur obtestatus vt gratos
...Deo tot beneficijs se ostendentes, rationalem, & verum cultum
...exhibeant eidem Deo, non autem hunc fucatum, & studium ma-
...jus mundi quàm Dei in se continentem. Quanquam hanc alte-
...ram partem obiurgatricem eorum culpæ, ne eos palam coargue-
...re videretur, reticuit Apostolus, dissimulataq; vitij mentione eos
...tantũ in parte bona cohortatus est. Et quoniã hi, ad quos scribe-
...bat, bona pars Iudæi, aut institutis Iudæorũ pleriq; imbuti erant

iccirco eos docens, & admonens per comparationem quandam priorum ex lege sacrificiorum ad sanctum, & immaculatum Deo præstandum sacrificium illos hortatur. Nam in Moysis lege victima, quæ Deo offerebatur, vt munda esset, & integra, omnia ab illis, qui illam offerebant, diligentia adhibebatur, primum vt toto corpore esset sana, non scabie aut impetigine, aut simili aliquo morbo infecta, deinde vt non auribus mutila, non cauda decurtata, non aliqua infecta notabili macula esset, talemque illi hostiam sanctam, & mundam, & Deo acceptam arbitrabantur, atq; in corporeo illo sacrificio Dei sibi veniam, & gratiam reconciliare meditabantur. Nos vero qui omne sacrum, quod Deo offerimus, abducimus a corporeis, & ad veritatem, spiritumque transferimus, illis externis victimis omissis, nosmetipsos Deo potissimum dedicamus. Hortatur igitur Apostolus vt sistant corpora sua, non aliena, hoc est non hircorum, aut vitulorum hostium viuentem, non morti addictam, quod in illis vetustis & Mosaicis sacris fiebat, sed vitæ meliori, & vegetiori paratam, quod quidem in Christiano sacrificio interuenit. Etenim si tunc in aliena morte vitam sibi quisq; ex misericordia Dei procurabat, quanto magis nunc semetipsum hostiam sistendo, atque offerendo iustore Dei misericordia viuet? cum propius, atque interius ista oblatio corporis sui pariat in vnoquoque fibi a Deo vitam, quam possit diuincta, & aliena oblatio, eandem in illo vitam reparare. Sed hanc hostiam, quam offerimus Deo, corpus nostrum nolebat, quanquam eam viuentem, & victuram nos, Iudæi in armis, aut arietis corpore morituram sistebant, cæteris tamen rebus similiter atq; apud illos accuratam, & selectam esse conuenit, vt sancta sit, & vt Deo bene accepta, quod continget, si vt illi in omni parte integram, atq; mundam, sic nos & ab eis vitijs, quæ rectorem hominem occupant, & ab eis, quæ in parte aliqua suscipiuntur, immunem, ac nitidam Deo offeremus. Atque vt ostendat, quantum interuallum sit inter sacrificia Iudæorum, & nostra, subiungit breuiter hostiæ nostræ conditionem rationalem esse cultum Dei, non corporalem. Quæ enim illi in corporibus mundis, & nitidis offerebant, nos in spiritu, & veritate sanctitatis Deo colemus. Itaq; illa sæpe sacra, & illas victimas aspernabatur Deus, nostrum autem sacrificium nunquam aspernatus est. Talem igitur hostiam suadet nos offerre, quæ sit cultus Dei rationalis, non corporeus, quod rite fiet, si nostra ratio in colendo Deo non ad mundum spectauerit, sed ad ipsum Deum. Nam qui in ipsis quoque sacrificijs, & cultibus omnipotentis Dei ad mundum conuersi sunt, laudemq; humanam ex religionis studio aucupantur, hi maximè impio, & detestabili scelere veritatē in simulationem quærūt conuertere, seculoq; isti maximè configurantur. Hoc est,

figuram

...rum huius seculi in se accipiunt, fallacem, infidam, variam, ...lis tantummodo, & opinionibus seruientē, quæ cum eadem ...stabilis, transeatq; figuræ, & figmenti modo, nos quoque se... ...tua in eundem fluxum corripit, falsisq; bonis illectos, & ca... ...veluti fluctu super fluctum, sic super mœrorem voluptate, & ...ntentia super voluptatem vicissitudinibus varijs ante obruit, ...m potuerimus, quid verum nobis bonum sit, aut in quo por... ...ro consistamus, experiundo cognoscere. Etenim quid aliud ...quod ait scriptura, In imagine pertransit omnis homo. Et, ...ierunt somnum suum: quodque alio loco Paulus. (Transit ...ra mundi huius) nisi cum hi, qui huic seculo configurantur, ...rrant suam ætatē in simulacro & imagine, debere nos men... ...nostræ nouatione transformari, vt vitam nostram collocemus ...bono stabili, & in veritate, qui est ipse Deus? Nouari enim ...ras nostra recte dicitur, cum omisso hoc iam trito, & vetusto ...e mundani gressus, in quo omnia ficta, & fucata transeunt, in ...ris cultu, & adoratione Dei vera voluntas, & verum studiū po... ...r, & sunt hæc præcepta tamen memoratis antea CHRISTI ...ferijs apta, & congruentia. Quid enim aliud fides nobis ...RISTI imperat, quā vt deposito vetere homine, qui secun... ...mundum, & seculum hoc factus est, nouum alterum homi... ...ex Deo natū, & in veritate factum induamus? Sed hæc ado... ...o, & cultus vnius Dei nō semper vere ab hominibus, sed non... ...quam etiā specie falsa vsurpatur, quod duobus fermè modis ...Sunt enim qui terrena ista magni æstimātes, quæ seculi huius ...mine denotantur, & in quibus opum, & potestatum, necnon ...anarum cupiditatum, & certaminum strepitus ingens est, & ...es sonora quædam oculos feriēs, auribusq; eadem tinniens, ...e ijdem ad visibilem Dei cultum, & venerationem conuer... ...transferunt eundem mundi sonum, atq; eandem pompam ...illius sanctum nomen inuocandum, atq; adorandum, ac cum ...te ipsius Dei sui quoque nominis celebritatem esse coniun... ...volunt, popularemq; ambiunt admirationē, vt existimen... ...colendo Deo opulenti imprimis esse, & perliberales, quod ...cultus, & sacrificij ab illa Iudaica religione non est dissimi... ...Illi etenim in externis quoq; ritibus, & sacrificijs oculos ma... ...& sensus hominum, quam corda ipsa feriebant, neq; in obla... ...ne hostiarum, tam ipsi Deo, quam legi, & cerimonijs quære... ...satisfacere. Alij longe contraria, & deteriore ratione ipsum ...humilem cultum præseferentes, atq; se a mundo disiunctos ...simulantes, nihilominus ficta illa religione quæstus sibi, aut ...sculos ab hominibus suffurantur, quod genus in societate ...primis difficile, & morosum est. Etenim hi sunt, qui cum se ...ctos, & inaccusabiles haberi velint, cæteros ipsi non desinunt

quacunque de causa accusare & reprehendere, dantq; consilium non rogati, suamque doctrinam & authoritatem passim ingerunt: & si non continuò sibi pareatur, scelus magnum clamantes, contentionem inter fratres, & dissidia nituntur conserere. Quos omnes hortatur, & monet Apostolus, vt ne configurentur huic seculo, sed transformentur renouatione mētis in explorando, quid Deo maximè acceptum sit, qui certè illud vult quod & ab ipso profectū est, & ad eundem tendit, hoc est, vt in eo quodcunq; agitur, aut suscipitur, non aliud genus boni vllum spectetur, nisi id, quod probatū Deo, & eidem gratum intelligatur atq; acceptum, hoc est, iterum vt interpretemur, Vt in omnibus, quæ agimus, quæq; consectamur, semper nobis ante oculos propositus sit Deus, nusquamq; ab eius nutu, & voluntate deflectamus. Illud enim verum est bonū, & vere placitū Deo, quod in eo ipso, vt fine, & solo bono consistit, neq; est labe vlla mundi adiuncta pollutum, & inquinatū, quod est proprie, vt alibi Paulus ait, sanctificatio nostra. Eam porrò assequi non possumus, nisi mentem nostram in aliam formam nouemus, quæ ab huius seculi figura longe remota sit, totamq; ex ipso Deo formemus, & ex veritate, & spiritu sancto. Sicut in Psalmo scriptū est: Et spiritum rectum innoua in visceribus meis. Hoc enim ita si egerimus, statim intelliget ipsa mens nostra semet esse debere, quæ seipsam deficere Deo, quæ sese illi offerat, votaque, & sacra, & dona Deo debita intra seipsam contineat omnia, neque hoc solum, sed omne etiam suæ pietatis præmium, omnem rationem boni sui, in vno ipso Deo collocet, atque constituat. Hoc enim est mente renouari, quod in fide CHRISTI totum positum est, veterem hominem exuere, & nouum fieri, formamque nouam spiritus & veritatis induere, quæ antiquis seculis fuit ignorata, & desciscere à vetustis, quæ mundana, & corporea scilicet sunt. Inueteraſcunt enim quæ sunt corporis, atque quod alibi Paulus, hoc est in nouitate spiritus, non in vetustate literæ ambulare.

Dico enim per gratiam datam mihi, cuicunq; existenti in vobis, ne plus sapiat præter id, quod oportet sapere: sed sapiat ad temperantiam, sicut vnicuiq; Deus impartiuit mensuram fidei. Quemadmodum enim in vno corpore membra multa habemus, membra autem omnia non eandem habent actionem: sic multi vnum corpus sumus in Christo, singuli autem inter nos membra.

QVOD modo commonuit, vt ne configurarentur huic seculo, id nunc loquitur expressius ab eo fratres errore reuocans, in quē nonnullos eorum lapsos intelligebat, qui religionem CHRISTI & professionem Christianæ humilitatis ad ambitionis fin-

dium,

...m, & ad elationem animi conferebant, quoque maiores ipsi, ...que eminentiores inter fratres viderentur, cùm pollicebantur ...e plura, quàm præstare poterant, tum autem ad suam pote...tem, suumque iudicium contemptis cæteris regimen, & ad...ministrationem rerum nitebantur reuocare, quorum duo hæc ...in infesta præcipuè consensioni, atque concordiæ, ostentatio...vnum, & alterum ambitus duabus præclaris rationibus Pau...us castigaturus, ne in id ipse incidere arrogantiæ vitium, quod ...in illis, reprehensurus videatur, primum agit cum eis lenissi...e, deinde proponit se hoc docendi, monendique officium ...scipere non temere, nec propter arrogantiam, sed per gratiam, ...ae sibi data sit, nempe Apostolatus, & legationis à summo Deo, ...ic ipse cum vniuersi CHRISTI mysterij, tum eorum morũ, ...ui Christianæ fidei conueniunt, omnibus hominibus, & prædi...tor, & doctor. Præcipit ergo vt ne quis sapere contendat plus ...quam oportet, sed vnusquisque hactenus sapiat, vt ne prętereat ...temperamentum, quod quidem temperamentum sibi quisque ...ea intus animi fiducia admetiatur, quam impartiuit illi Deus. ...dem enim hic pro fiducia posuit profectò Apostolus, quod ...dem & infra facturus est, quà dicet, omne quod ex fide non est, ...peccatum esse, id est, omne quo quis magis se ostentat quàm ...conscius ipse sit posse à se præstari, id peccatum esse: quippe quod ...nen in se contineat, semper quidem mendacij, sæpe auari...tæ, nonnunquam etiam ambitionis. Verùm hæc fiducia animi, ...ioriorque conscientia, quæ sępenumero propter ignorantiam, ...simplicitatem eorum, inter quos versamur, efficere, & conse...qui multa posset non sua vi, neque veritate freta, sed illorum ...becillitate, qui facilè inducerentur, quo quidem casu non fi...ducia esset, sed fraus, atque astutia, hæc, inquam, fiducia tunc ...demum vera rectaque est, & veram mensuram accipit, si eam ac...cipiat à summo Deo, & sese illi approbet, ipsumque præ mentis ...oculis habeat. Fidere ergo nostrum, sanctum, verumque in eo ...potissimùm existit, cùm illa fiducia à Deo vnicuique dimensa ...est, cùm est nixa veritate, cùm non ex errore hominum se meti...tur, sed suiipsius bene conscia tota ad Deum conuersa est, ha...berque cum sibi finem propositum, in quo humilitas animi cer...nitur, & illa modestiæ, ac temperantiæ virtus, quæ solis nobis, ...qui in CHRISTVM credimus, planè nota, animaduersaq; est, ...ab hominibus verò, qui sunt mundi, penitus ignoratur. Mundus ...enim qui in eo totus est, vt videatur res esse, non vt ita sit, tan...tum quemq; postulat ingerere se, atque agere, quantum cæteris ...persuadere potis est, siue eos fallere, atque inducere arte valeat, ...siue etiam cogere, vimque afferre, semperque illi mundi opinio...nibus magni, & præstantes viri existimati sunt, qui vt superiores

cæte-

cæteris essent, quoquo modo vincere, atque efficere valuerint. At non hoc à nobis postulat aut expectat Deus, sed omnis nos diuina ratio, & CHRISTI Iesu Domini nostri actio, atque admonitio ad humilitatem animi, & ad paupertatem spiritus conuertit, vt summissè semper, & modicè de nobis ipsis sentiamus, sic & nos docet in Euangelio CHRISTVS vsque adeò de nobis nihil clarè sapere, vt cùm omnia rectè, riteque egerimus, nihilominùs inutiles nos seruos tum quoque confiteamur. Et in monte rursus ad discipulos verba faciens, beatos eos imprimis vocat, qui sunt pauperes spiritu, neque ipse tamen ea abiectione animi esse nos vult, vt non audeamus talentum nobis creditum excere. Ignauiæ enim id crimen, atque desidiæ, non humilitatis est, neque moderationis studium, sed vt caueamus ne supra id, quod decet, & quod oportet, & industriam nostram & operam studeamus excollere. Sapere ergo oportet ad temperantiã, quod duobus modis fit, vno modo cùm in eo, quod profitemur, nequaquam plus promittimus, quàm quod præstare cum integritate possimus, sed tantum, quantum fides conscientiæ nostræ, & ex Deo ducta, dimensaq; fiducia suppeditat. Altero, cùm in nostro munere, officioq; insistimus, neq; alienas curationes meademus atq; vsurpamus. Hoc enim vbi sit, graues ibi, acerbæq; querimoniæ & assiduæ inter fratres excitantur contentiones, corpusque Ecclesiæ discinditur, quod ad humani corporis similitudinem vno CHRISTI spiritu vegetatum, & alitum habet tanquam membra quidem varias in se operantium facultates, sed inter se distinctas, vt in diuisis singulorum actionibus vna omnium communis procuretur salus. Quod si membrum vnum alterius membrorum functiones vsurpare contendat, iam confusio in corpore & ordinis, & societatis fiat perturbatio. Quemadmodum ipse ad Corinthios scribit: Si totum corpus oculus, vbi auditus? si totum auditus? vbi olfactus? aut si essent omnia vnum membrum, vbi corpus? Malus ergo, & seditiosus homo ille est, qui in societate & cœtu omnia ad se, & ad suam authoritatem conatur attrahere, cæterisq; antecellere vult, etiam in quo minimè est officio à Deo ipse delectus, neq; ille seruit CHRISTO, sed ad mundum præpostera quadam ambitione reuoluitur, neglamq; suæ facultatis non ex Deo metitur, neque ex conscientia, sed ex errore reliquorũ, & elatione animi sua, à quo vitio vt maximè velint abesse, fratres suos admoner, & obtestatur Paulus.

Habentes autem dona secundum gratiam datam nobis differentia, siue prophetiam secundum portionem fidei: siue ministerium, in ministerio, siue qui docet in doctrina, siue qui hortatur, in hortatione.

Hæc

Hæc sine dubio dona omnia sunt Dei. Vt enim quis aptus, atque idoneus ad quamque rem magnam, præclaramque est, Dei totum benignitati, & gratiæ ascribitur. Et dantur quidem ista à Deo, exercentur autem à nobis pro portione conscientiæ, quantum quisque ex Deo fidit, aptumque se & commodum ad exercenda illa intelligit. Siue ergo prophetiæ donum à Deo obtinuerimus, in illa nos exerceamus, sed vsque eò, quoad conscij nobis sumus à Deo fuisse impartitum, néue falsos illos Prophetas veteres imitemur, qui captandæ humanæ gloriæ causa, ea prædicebant, quæ sibi incognita esse, nec ipsi quidem nesciebant. De quibus veri Prophetæ in scripturis tam grauiter conqueruntur. Quòd si prophetiam sic accipiamus, vt declarationem obscuriorum in scriptura locorum, id est, abditorum mysteriorum reuelationem, cuiusmodi quibusdam in locis videtur accipere Paulus: in omnibus tamen eadem fidei, hoc est conscientiæ mensura adhibenda est, vt ne plus polliceamur, quam conscij nobis sumus, posse nos præstare. Sic etiam in ministerio regula eadem teneatur, præclara autem fermè est etiam hæreditatio ministerij, vt fuit eleemosynis, cibisque dispertiendis Stephano, & Nicanori, & aliis quinque, vt Paulo, & Timotheo in ferendis ad sanctos Hierusalem Græcorum, Macedonumque donis, atque subsidiis, vt Petro, & Ioanni per concilium Apostolorum missis ad Samaritas. Nam & egregiam comitatem eiusmodi administratio requirit, & insignem prudentiam, qua tamen quisque tantum se exhibeat, quantum ferre idonea est, sic & in docendo, & in exhortando fines eos quisque teneat, intra quos possit verti, néue plus se ostentando in vitium arrogantiæ, ambitionisque procurrat, idemque in suo, non in alieno versetur munere, atque officio. Atque hæc, vt diximus, dona omnino Dei sunt. Spirituales enim sunt virtutes, quæ autem sequuntur, partem in se habent nostræ etiam voluntatis, animique inductionis.

Qui impertit in simplicitate, qui patrocinatur in diligentia, qui miseretur in hilaritate, dilectio non simulata: odio habentes, quod prauum est. Agglutinati bono, fraterna dilectione inter vos amantes, honore alius alium antecenientes, studio impigri, spiritu feruentes, Domino seruientes, spe gaudentes, in angustia tolerantes, in oratione perseuerantes, necessitatibus sanctorum communicantes, hospitalitatem sectantes.

Qui partem dat, hoc est, qui alium secum participem facit, qui rem aut consilium, aut operam suam proximo impertit, atque communicat, id agat simpliciter, & liberaliter, néue manu ani-

animumque restringat, neque asturè ad se aliquid referat, sed illius tantùm causa, quem ope sua subleuat, ad commodandumque illi, & ad ferendũ auxilium adducatur, ne que spectet in eo quam minima opera, aut impensa facere id possit, sed vt quàm optimè illi consulat. Hoc enim est communicare, & participem facere in simplicitate, quòd ea simplex, & mens est, & manus, quæ opera est. In quo genere communicandi, & impertiendi maximè ingenuum, & come est, pertinetq; imprimis ad simplicitatem ita communicare te alteri, vt non eo quòd illum adiues, videare maior, sed quòd per illum tibi occasio benignè faciendi oblata sit, gratiam quandam tu illi debere videare. Qui verò patrocinatur, diligentiam adhibeat, vt curam suscepti muneris non solùm corpore, sed studio etiam animi strenuè exequatur, fidemque suam præstet, siue ille sponte suscepto negotio pupilli, & viduæ curandis adsit, ægrotisque curandis, siue etiam suffragio cæterorum simili officio alicui, aut muneri sit præpositus. Sic enim omnis curatio, omnisque patrocinatio Christiano homini, Deoque ritè seruienti gerenda est, non vt ea domesticum ad commodum, sed vt ad salutem & vtilitatem eorum quibus moderatur, prorsus tota conferatur. Misereri autem in hilaritate, effectum misericordiæ iucundè, hilareque præstare, qui animi habitus cùm adest miserentibus, non modò hi non fugiunt miserendi tempora, sed appetunt etiam vlerò ea, atque inuitantur. Quòd si ne apud gentiles quidem illa pietas probabatur, quæ coacta erat, & mœsta, vt etiam vulgari illorum proverbio circumferretur, neminem, qui pietatem caueret, esse piam, quarè magis nobis hæc terrena bona libenter communicantibus, vt in cœlo multiplicata alia, & longè præstantiora consequamur, conuenit cum voluptate, ac lætitia hanc mercem commutare, subueniréque egestatibus aliorum, vt cœlestibus ipsi ditiùs reddamur affluentiores. Itaque & alibi Paulus: Non ex tristitia, inquit, aut ex necessitate; hilarem enim datorem diligit Deus. Et in Euangelio Dominus: Beati misericordes, inquit, quoniam misericordiam consequentur, & beatum eum vocat Dauid, qui respicit super egenum, & pauperem, quoniam in die mala liberabit eum Dominus. Et verè si volumus existimare, ita maximè in dando, subueniendoque hilaritas regni nobis cœlestis est conciliatrix. Nullum enim graue facinus, nullum autem delictum hærere posse videtur in natura eiusmodi, quæ ad benignitatem, & ad misericordiam erga pauperes propensa sit, nec verò alia re magis ad imitationem Dei propè accedimus, quam miserendo, benigneque faciendo. Hæc est virtus maximè Christiani nominis propria, hæc vna nos cum Deo præcipuè coniungit, hęc facit, vt verè fidem adepti, & veram ex fide iustitiam

à Deo

Deo consecuti esse videamur. Etenim quinam alius fuit introitus, aut quod principium beneficentiæ, & bonitatis Dei erga nos, simul vt sperare in eo, & confidere per IESVM Christum cupimus, quam misericordia, & per misericordiam diuinorum eorum effusè nobis, & liberaliter facta largitio? Nos verò quo pacto eandem Dei benignitatem, & iustitiam in nosmetipsos mirando transferimus, & ex eadem diuinæ bonitatis forma nos insigniti, si non efficiamur & ipsi misericordes? Quæ denique virtus, quod institutum vitæ, quæ actio in illo summo, seroque iudicio in regnum, & partem electorum Dei nos introductura est, nisi quòd egentium & calamitosorum in hac vita misereri? At non cuncti diuites sumus, nec qui queamus eorum difficultatibus subsidio esse, ne perturbare animo, affectum tuum Deus accipit, de facultatibus verè existimat, & simul in memoriam redi anuis illius ex Euangelio, quæ cùm duos exos minutos in templum contulisset, facilè omnium opes, & dona superauit. Nulla est virtus, quæ quidem Christiana sit, quæ non omnibus sit communis. Nam neq; Deus ipse, qui est vnus nobis vniuersa virtus, cuiusquam est proprius Deus, sed omnium communis, quicunq; eum appetunt, voluntque. Verùm & si tanti tibi homine Christiano misericordia, vt ipsa introitus quodam modo, & vestibulum ad imitandum verè Deum esse videatur, tamen & ea ipsa virtus, & cæteræ omnes in principe virtutum charitate continentur. Porrò est charitas dilectio non simulata, neque tamen hoc satis. Potest enim esse etiam in malis dilectio, sed charitas dilectio in bonis non simulata. Itaq; adiungit ad dilectionem huiusmodi, vt odio habeant prauum, non id tantum tuitent & agglutinati sint bono, non solùm id sectentur, hoc est, nunquam accedant ad malum, à bono nunquam recedant, adinque vt fraterno amore inter se diligant, quandoquidem fratres iam sunt, non ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, qua quidem ratione, etiam disiuncti longissimè inter se, atque alieni esse possunt, sed ex eodem patre Deo renati, & progeniti, quod est sanctissimum, & maximum veræ germanitatis vinculum. Quo autem fraterna hæc necessitudinis inter eos coniunctio firmior habeatur, sapiens & salutare dat documentum, vt alium alius in honorando antecedat, quæ est concordiæ, & pacis arcta connexio. Namq; existimare honorem sibi potiùs deberi, quam alteri præstandũ esse, nequaquam Christianum, neq; adeò fraternum est. Habet enim fraternitas summam æqualitatem, quam euestigio turbat, atq; infringit, qui sibi plus arrogat, quam alteri ipse paratus sit deferre. Et tamẽ ista superbiæ, & fastus quasi rudimenta prima sunt, appetere honorem ab altero libentius, quam alteri habere, quibus a CHRISTI fide nihil est alienius.

Sequi-

Sequitur vt ſtudio impigri eſſe debeamus, ſpiritu feruentes, quæ ſunt certa indicia firmati iam in bona parte habitus nostri, cum quod agimus rectum, cum voluptate id agimus, ex qua deinde quidem voluptate, ad libentius, ſæpius, ſtudioſiusque id agendum noſtra excitatur, accenditurque voluntas. Sed vt in his omnibus Domino ſeruiamus, non noſtræ videlicet vtilitati, neque gloriæ, ſed ad Dominum Deum omnia referamus, quod ſi ad nos quo que aliquid referendum ſit, id ex eo genere bonorum ſit, quæ ſperare tantummodò in hac vita, aſſequi verò nullo pacto, niſi ſola ſperandi lætitia & voluptate valeamus, iſtiuſmodi bona ſunt cœleſtia, & ſempiterna, quæ hæreditate patris noſtri Dei in futuro ſeculo ſumus adepturi. Ex omnibus igitur huius operationibusque noſtris, quas propter Deum illius honori, & nomini inſeruientes ſuſcipimus nihil omnino ad nos quod præſens bonum afferat, ſed tantummodo bonorum ſpem futurorum, & ex ea ſpe gaudium quidem præſens ac lætitiam concernimus. Hanc porrò ſpem conſequitur tolerantia rerum difficilium, cum aut fortuitis caſibus, aut hominum iniuriis oppreſſi, atque vexati, eadem futurorum bonorum ſpe, quorum per iniurias eripi nobis adeptio non poteſt, noſmetipſos confirmamus, in quo alternis quodammodo adminiculis, & patientia ipſa ſpem magis confirmat, & ſpes fulcit, corroboratque patientiam. Nam & ſupra dixit, quòd patientia probationem conficit, & probatio ſpem. Firmius enim tunc certè ſperamus, cum facto in malum aduerſis noſtri periculo, hic quoque intelligimus Dei opem nobis, atque auxilium ad tolerandum fortiter adfuiſſe. Atque ex his, quæ iam nobis præbuit, ad ea, quæ reſtant ſuperanda ac largienda, obſidem cum nobis ſuam beneuolentiam, voluntatemque dediſſe. Et quoniam qui ſpe ſuffulti gaudent, illa interdiem in animo volutant, quibus ſperandis, cognoſcendisque iuuantur: ideo comitem huius quoque ſpei, & ex ſpe lætitiæ addidit orationem, in qua perſeuerantes ſunt, qui illa æterna bona, & eorum authorem bonorum Deum adamauerunt. Sæpe enim colloqui cum eo, & deſideria ſua exponere illi, quem quis amet, iucundum imprimis, & optabile eſt, & eſt hæc maxime efficax, ac continens oratio. Neque ſolum ferre nos, & tolerare difficilia, ſed in illis etiam communicare cum ſanctis vitis horum admonet, quaſi ſi immunes ipſi eſſe poſſimus, nolimus id omnes, ſed præoptemus magis in ſocietate ſanctorum ærumnas omnes perpeti, quam ſeparatim liberi, & pacati viuere, & non tantùm affectu, ſed etiam re ipſa, & opere præſtare debemus. Faciebant, qui ſua omnia venundantes, pretia ad pedes Apoſtolorum deferebant, qui vinctos, & male vexatos fideles Christi, ſua cura, & ope, & obſequio ſubleuabant, eiectis, & pro-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

...ntibus comites se adiungebant, qui illos denique certare ...tortore pro CHRISTI nomine cùm viderent, vltro se quo...ipsi in idem certamen sistebant, atque offerebant. Iam hospi...tatis amor, diligensque sectatio cæteris antè dictis virtuti...s consentanea est. In qua Lot, & Abraam egregium studium ...buere. Abraam quidem vsque eò, vt non modò venientes ...pites hilare exciperet, verùm etiam ad diuertendum, & ad ...morandum precibus obtestationibusque cogeret, cuius ...dem humanitatis vterque eorum dignum à Deo præmium ...consecutus. Atque omnes quidem adhuc commemoratæ vir...tutes cùm præclaræ sunt, & Christianæ, & hac professione dignæ, ...cœli tantum studium, & immortalitatis suscipit, nulli autem ...ternæ curæ, neque interituræ rei est affixa, tum verò, quæ se...ruantur etiam magis ex intimo sacrario fidei, & religionis no...stræ depromptæ sunt, nullamq; omnino habent cum vsitatis ho...minum virtutibus communionem.

Benedicite insectantibus vos, benedicite, & ne execramini ...dere cum gaudentibus, & flere cum flentibus: idem alius ...alio vicissim sentientes: non alta spirantes, sed humilibus si...mul inclinati. Ne estote sapientes apud vosmetipsos. Nemini ...dum pro malo reddentes: procurantes honesta coram omni...bus hominibus. Si fieri potest, quantum est in vobis, cum omni...bus hominibus pacem seruantes. Non vosmetipsi vlciscentes di...lecti, sed date locum iræ: scriptum est enim, Mihi vltio, ego re...pendam, dicit Dominus. Si ergo esurit inimicus tuus, pasce eum: ...hoc enim agens, carbones ignis aceruabis in caput eius. Ne vin...cerà malo, sed vince in bono malum.

IAM benedicere maledicentibus, & benignum esse aduersus ...eos qui te insectentur, commodeque de illis, & ad illos loqui, ...nec non bona omnia optare iis, qui tibi mala inferant. Rursus...que & gaudia tua, & mœrores ita ad aliorum affectus accommo...dare, & flectere, vt ex illorum conuersionibus animorum, atque ...fensibus tua pendeat affectio, quodque communius est, & tan...tum vniuersè dictum eodem erga proximum affectum animo ...esse, quo ipse erga semet proximus affectus sit, propriæ Christia...ni hominis virtutes sunt prioribus non vsquequaque intellectæ ...fectibus, quas illa per fidem CHRISTI nobis ex Deo insinuata, ...ad imitationem eius suscepta iustitia palam proposuit, & de...monstrauit. Neque earum vsum, & cognitionem iustitia legis ...tam exprimere potuit, quam adumbrare. Nam & illa dixit, si in...coleris in bouem inimici tui, aut asinū errantem, reducito eum, ...si sub onere succumbentem aspexeris, subleuato. Ac humani-

tatis quidem officium illa inimico exhiberi voluit, vt esset ad tollendas inimicitias occasio, virtus verò Christiana est, nullum omnino habere inimicum, sed vt ita consociemus cor nostrū cum corde proximi, vt in vnum quasi cum eo sensum cocamus, quæ tamen virtus illud mysterium fidei, & CHRISTI necessariò consequitur. Etenim cùm eorum, quæ ex hoc mundo sunt, nihil omnino nostra magni interesse putemus, solaq; illa iudicemus, & expetamus bona, quæ nobis à Deo in altera vita proposita sunt, nulla ex his rebus cupiditate immoderata, nullo impetu animi perturbamur, quò minùs piam, atq; inuiolatam pacem cum proximo, & fraternæ charitatem necessitudinis teneamus. Itaque & possumus iniurias insectantium placatè ferre, & illis loqui, atque optare bona, qui nos afflictos, & oppressos volunt, quandoquidem nihil nobis auferre possunt eorum bonorū, quæ sola nobis chara sunt, & quæ vnicè appetenda ducimus, quinimò eos auidè cupimus ipsi resipiscere, & sanam illis mentem à Domino Deo deprecamur. Ac ferre quidem conuitia, & iniurias insolentium hominum, atq; inimicorum etiam Philosophorum nonnunquam est: reddere autem pro conuitiis laudationes, & beneficiis maleficia compensare, hoc non cuiusuis iam, sed Christiani tantummodò & animi, & instituti esse potest. Ita & in Matthæo Dominus, Diligite inimicos vestros, & orate pro persequentibus, & calumniantibus vos. Cùm autem gaudemus cum gaudentibus, & flemus cū flentibus, omnem funditus liuorem, & maleuolentiam ex animo ejiciamus, vt inuideamus omnino nemini, qui floriat, & abundet, siue virtutis laude, siue etiā opibus, & apud homines authoritate, atq; fama. In quo enim maximè rationem boni ponimus, in mutuo videlicet inter nos Dei amore, atq; nostro, scimus nos in eo si velimus à nemine posse superari. Nec verò ipsum hoc bonum nobis solis appetimus, sed cupimus cæteros quoq; omnes illius nobiscum esse æquè participes. Atq; vt animum immunem ab inuidiæ labe retinemus, facileq; eodem gaudio cum gaudentibus communicamus, sic ad miserias aliorum animo frangimur, mœroremq; nostrum, & lachrymas cum mœrentibus coniungimus, etenim hęc affectio imprimis naturalis est, neq; Deo aduersaria, sed animis digna misericordibus, qui ad subueniendum, & opitulandum calamitoso propensi sunt, qui tunc verè Christiani sunt, vereq; fideles, si quas ipsi calamitates, hominumq; iniurias, corporis morbos, fortunarum amissiones fortiter, & confanter in se ferunt, eas in proximo suo nequeunt immoto animo ferre: sed ad conspectum, & sensum hominum calamitosorum misericordia collabuntur. Et sanè gaudere cum gaudentibus probum, & pulchrum, sanctumque est, animiq; ab omni labe, & infrascimento maleuolentiæ puri, mundique proprium. Flere autem

cum

cum flentibus perhumanum, & mite. Oportet autem nos si hæc
implere rectè, & consequi omnia volumus, fingere animos no-
stros ex aliorum voluntatibus, atq; animis: cumque affectione
nulla ipsi propter nosmetipsos perturbemur, ex alienis tamen a-
nimorum permotionibus affici, vt idem vicissim inter nos sentia-
mus, & proximorum vnusquisque prosperitates, atq; ærumnas,
nihil de suis interim laborans, reputet suas. Sic enim & lætitias
proximorum gratulando simul cum illis, lætandoq; augebimus,
& diminuemus, ac subleuabimus mœrores condolendo. Quod
hoc fiet, vt ex affectibus aliorum, non ex nostris afficiamur, o-
mnibus aliis perturbationibus ex animo nostro excisis, atq; eie-
ctis, duobus tantùm motibus impellemur. Lętitia ex proximi re-
bus secundis, & ex infestis misericordia. Irasci enim & inuidere, &
odio habere, & cupiditate adigi, affectus sunt eorũ, qui sibi ipsis
afficiuntur, nõ proximo. Sequitur, vt ne alta nobis proponamus,
ne ad magna, quæ mundi sunt, aspiremus, ne administrationes
rerum publicarum, ne magistratus, honores, imperia, ne gloriam
appetamus: sed in paruis, & obscuris, & ignobilibus mundi liben-
tiùs consistamus, nec solùm extra debemus esse humiles, sed no-
bis etiam ipsis & intus exigui. Est enim hoc illi finitimum, & simi-
le, a quo cauere nos admonet, vt nec simus nobis ipsis sapientes:
id est, ne ita ipsi nobis placeamus, vt egere nos minimè aliorum
consilio arbitremur. De his & alio loco scriptura, Væ iis, qui sibi
ipsi sapiunt, & coram se ipsis sunt scientes. Hos & grauius incre-
pat ac refellit Salomon, Vidistine, inquiens, virum sapientem in
oculis suis? spes de insano maior, quam de eo est. Et nimirum pu-
tidi isti omnes, & molesti imprimis sunt, ac in cœtu, & conuentu
cæteros fastidientes, quod præcipuè vitium consensionem au-
fert, & concordiam de Ecclesia. Non enim isti membrum se esse
puti possunt, sed caput, vel potiùs ex sese corpus aliud conantur
facere. Ita & pauperes vt essemus spiritu, nos hortatus est CHRI-
STVS. Nemini malum pro malo vt reddamus, in quo lex contra-
ria, quæ oculum pro oculo & dentem pro dente rependi iubet:
ideoq; ea nõ est ad veram Dei iustitiam, quam postea fides CHRI-
STI consecuta est, suo munere peruecta. Nihil quidem huius-
modi omnino in Euangelio est, vt procuremus honesta coram
hominibus, vt neminem exemplo malo lædamus, & exemplo
bono cunctos ad virtutem, & ad iustitiam prouocemus, vt ha-
beamus pacem cum omnibus, quantum in nobis est, hoc est, vt
neque excitandis, neque alendis contentionibus, & discordiis vl-
lam nobis ansa, vllus fomes præbeatur. Cum omnibus verò tam
fidelibus, quàm etiã infidelibus, quod idem ad Corinthios, Sine
offensione estote Iudæis, & gentibus, & Ecclesiæ Dei. Et quoniã
hoc fortasse facilius factu sit, non præbere causam, neq; initium

iræ, fugereq; rixandi, & altercandi occasiones, illud quod est difficilius, nominatim interdicit, vt neq; etiam lacessiti iniuria & prouocati de vlciscendo cogitemus. Sæpe enim vsu venit, vt qui discordiis causam non dederunt, offensione tamen primò accepta iram deinde, & odium diutiùs ipsi foueant, nutriantq; dissidia, quæ alij intulerunt. Sed vt non esse authorem dissensionum vulgaris prudentiæ est, sic acceptam iniuriam non persequi eminentioris virtutis. Dare igitur spatium iræ nos suadet, & continet illos animi motus primò cohibere, deinde in totum permittere Deo, qui iustissimus vltor est eorum, qui iniuria læsi sunt. Ac cum tanta quenquam esse constantia, & firmitate animi, vt iniuria nõ moueatur, maximum videri possit. Addit tamen aliud maius & multò admirabilius, vt eos ipsos inimicos nostros, qui non læserunt, qui damnis & ignominiis nos vt afficerent, operam omnem impenderunt, inopia & necessitatibus oppressos ope nostra subleuemus, vt pascamus famelicos, vt sitientes potu recreemus, vt præstemus denique illis in egestate eorum, & penuria officia amicorum, & beneuolentium hominum. Quo quid memorari potest iam diuinius? Atque hæc sunt non documenta solùm Christianæ fidei, sed monumenta etiam in nobis Dei bonitatis, quibus ad tantæ, & tam præcelsæ virtutis cognitionem atque vsum, illo donante sublati sumus, quanquam est hoc præceptum traditum idem à Salomone: & totidem penè verbis ab Apostolo relatum, vt esurientem pascamus inimicum, sicque in capite illum prunas aceruemus. Quid ergo interest, quæsierit aliquis, si ex lege quoque præcepta huiusmodi habentur, aut quomodo hæc erunt Christianæ fidei propria? Illud nimirum, quòd ea data illis sunt ad terrenam pacatiùs traducendam vitam, nobis ad immortalem alteram illam acquirendam, & apud illos rationem quandam prudentiæ humanæq; sapientiæ continent, apud nos diuinæ virtutis, & bonitatis. Vt enim diximus, nos non inimico tantum commodare (id enim iubet etiam interdum lex) sed inimicum vltro diligere iubemur, quod nobis, qui iniuriam nullam agnoscimus, perfacile est. Illis verò mundi bona sectantibus prorsus difficilimum. Et tamen in ipsa quoque veteri lege quædam interdum existunt scintillæ, tanquam CHRISTIAE & Euangelium patefacere volente. Sed tenues eæ, & imperfectæ, vt hoc ipsum, quod de pascendo inimico protulit Salomon, Christianum planè videretur, nisi finis in eo appareret, non obsequium, & gratificatio erga Deum, sed ipsius inimici tubor, atque confusio, quæ etsi ratio ab Apostolo quoque per occasionem inductæ authoritatis posita est, nõ tamen verecundia inimici, vt finis ab eo, sed quod placitũ sit Deo præcipuè spectatum est. Igitur hæc plena, & propria fidei nostræ præcepta sunt, quæ non

auri-

ceps solum percepta, sed omnibus animi sensibus comprehendamus, si vere CHRISTO sumus dediti, & fideles. Quæ quis vnquam quæso inuenit Philosophus? aut quæ animis hominum mentia insinuauit, quæ priscæ literæ, qui mores, quæ rerum, aut eorum conuersio huiusmodi genus prudentiæ, huiusmodi morum virtutis, humanitatis, liberalitatis, temperantiæ, aut vsu venit, aut præceptis, legibusque monstrauit, vt statueremus odia, simultates, inimicitiasque nostras inimicis æque nostris ac coniunctis & amicissimis debere esse paratas? Et tamen si vere existimare volumus, hac vna ratione maxime tolluntur discordiæ ex societate, reconciliantur, odia placantur, firma, & fidelis consensio constituitur, animo ab hisce perturbationibus vacuo, atque soluto hæret plane in Deo nostra mens, & frui beato gaudio illius suauissimæ, & longe nobilissimæ contemplationis permittitur. Nam quid addit Paulus eos, qui sic fecerint, vt pascant, & alant esurientem inimicum, prunas ignis in caput illius aceruaturos, eò pertinet, ve futurus ille sit sui ipsius obiurgator acerrimus, qui iniquissimam tali humanitate cognouerit remunerari. Itaque rubore, & conscientia, & morsu animi perurgebitur, maioresque inferet à se pœnas erroris sui, quam ad irati inimici arbitrium fuisset persoluturus, quod quidem illi cedere poterit ad correctionem, emendationemque prioris sententiæ, nobis vero si qui ita egerimus, insignem ea res apud Deum gratiam, & singulare solatium iam perfectæ in nobis fidei erga Deum allatura est, ad hoc item valet etiam quod sequitur, vt ne vincamur à malo, sed vincamus bono malum, quod quidem maiorem semper boni, quam mali esse potentiam indicat, cum possit quidem ab alterius malo bonum nostrum non vinci, nunquam autem possit hoc, ad quod hortamur, bonum non alienum malum vincere.

Hic Langeus, Præclara nimirum, inquit, & egregia morum documenta præbet nobis Paulus. Atque vt tu modo Sadolete dicebas, non cum aliorum legibus, institutisq; communia, sed propria nostræ fidei, atque ex sanctissimis deprompta Christianæ religionis adytis, in quibus hoc video ab ipso præcipue quæri, vt omnium nostrorum consiliorum, atque factorum constans, & solida ratio, quæ ex solo Deo, & ex interiore cuique conscientiæ iudicio spectanda est, ad mundi opiniones, & studia ne prolabatur. Nam quemadmodum flumen cum peruenerit in mare, amisso fluminis nomine, & natura, naturam illam accipit, qua cum permixtum iam, atque confusum est, ipsamq; simul maris subit appellationem, sic mihi videtur vereri Paulus, ne si vera virtus, & ea, quæ ex Deo suscepta est, ostentare se instituerit, & opiniones hominum & studia aucupari, proprium statim virtutis nomen amittat, siquè non amplius Christiana virtus, sed popularis. Ita-

que illam ipsam tanquam castissimam virginem ab omniũ oculis aspectibusque semotam sedere domi in intimis penetralibus iubet, sua ipsam veritate, conscientiaq; contentam. Deumq; sibi vnum, & semper proponentem, cui placere soli, & se probare studeat. Omnem autem ab hominibus famam, omnem externæ cõmendationem laudis sedulò deuitantem, ne si fortè oculis sermonibusq; se dederit, à Deo paulatim segregata, & ex integritate sua deducta corrumpatur. Sanctum hoc consilium, & salutaris sententia profectò est, vti ita semper in veritate maneamus, ne opinionibus vanis auferamur. Sed si est liberè dicendum, quod sentio, non virilem in nobis virtutem instituere videtur Paulus, sed virginalem quandam potiùs, & timidam omneis offensiunculas, & omnia vndique pericula metuentem, quæ si huiusmodi sit, sibi quidem forsitan illa satisfaciat, & sic seipsa contenta, ad commoda autem, & vtilitates aliorum parum fructus, & emolumenti afferre videatur. Atque vt quemadmodum ego intelligo, apertiùs vobis sententiam meam exponam. Cùm duo sint hominum genera, quæ Deo rectè seruire studeant, vnum eorum, qui in solitudinibus, aut in locis ad hanc ipsam rem factis semoti ab vsu, & familiaritatibus multorum placatam sibi, & tranquillam eligunt vitam, suosq; sermones, & consilia non cum hominibus, sed cum Deo ipso conferunt. Alterum, quorum robustior est animus, & ad omneis fructus rerum humanarum subeundos, ac sustinendos aliquantò fortior, qui sese cum cæteris hominibus dedunt, qui in populo versantur, qui instrumentum illarum, quas à Deo acceperunt virtutum, non domi inclusum continent, sed proferunt ad vsum, vtilitatemque communem, offerunt q; sese temporibus, atq; periculis, sæpe iracundiis aliorum, sæpe calumniis, sæpe improbitatibus, sæpe ignominiis, damnisq; exposita: horum inquam, duorum generum, & si vtrumq; sanctum est Deoque ritè seruiens, nempe ego tamẽ magis hoc probauerim, quod cœlestes illas ex Deo opes, quas possidet, non sepositas sibi soli, sed cunctorum vsui, & commodo vult esse propositas. Etenim mihi quidem hic videtur propiùs se ad Deum illum ipsum intuendo, imitandoq; adiungere. Porrò ipsius Dei cum bonitas illa sit, vt ea in se primum infinita & immensa in omnium deinde hominum, atq; rerum salutem, vtilitatem, commodumq; diffundatur: sic qui bonum suum reliquis impartiunt, hi mihi videntur diuinam illam bonitatem apta quadam inter homines imaginis similitudine melius referre. Atq; hos ego, vt longè aliis anteponо, sic non contemno ne illos quidem, qui sese in silentium, & in solitudinem abdiderunt, remotiq; ab omni iactatione populari, & tanquam in portum ex fluctibus delati, quietam, & secutam ducunt vitam, in eius quem vnum præcipuè adamauerunt contempla-

platione Dei perpetuò inhęrentes, tuta hæc & beata ratio
[illegible] vitæ, ac toto suæ ætatis decursu pacatior longè, atque
[illegible]: sed quam tamen celebritate nimia illam appetentium
[illegible]tari non expediat. Etenim quid cęteris fiet, si omnes qui
[illegible]cum statuerint se conferre, illud vnum iter, & illam ad cœ-
[illegible] peruehiendi viam fuerint ingressi? quis populum reliquum
[illegible] author reget? quis vulgo moderabitur? quo pastore vigi-
[illegible], & fideli custodientur oues? quis aut certare pro iustitia, aut
[illegible] improbitatem, aut iniquitati obuiam ire, aut tueri inno-
[illegible] conabitur: sint sane sancti isti, qui ab communis vitæ stre-
[illegible], atq; concursu seiuncti sunt, qui ab mundo se abalienauerũt,
[illegible] ad Deum vnũ mente animoq; conuersi, sint beati, sint ipsis
[illegible]modũ angelis, vt dicitur, pares, ego hos nimirum illis præ-
[illegible], qui versari æqualiter cum reliquis constituerunt, qui mo-
[illegible] illum pręcipue secuti sunt, quem à quotidiana consuetudi-
[illegible] videtur approbari, & cùm externos cultus corporis, ordinem-
[illegible] totius vitæ similiter atq; cæteri susciperent, ac sectarentur, in
[illegible] tamen, & integritate animi, & in ipso Deo præter cęteros
[illegible]mauserunt. Nec verò CHRISTVS Dominus hoc præcipuè
[illegible], & hanc sectam hominum sese communi vitæ dedentium
[illegible] accommodantium non maiore aliquantò honore est prose-
[illegible], qui cùm Petrum antetulit Ioanni, iusq; eximiæ illi autho-
[illegible], & curam, rectionemq; ouiũ suarum attribuit, satis palam
[illegible] negotiosam se, & laboriosam vitam, huic tranquillæ,
[illegible] præferre. At enim labi isti facilius, & offendere pericu-
[illegible], & sæpius abduci ab optimis institutis queunt fateor, sed
[illegible] est sibi: ipse tam confidens, aut tam fortiter de cęteris auda-
[illegible] existimans, qui statuat hominem quocunq; è genere vitæ
[illegible], alienum à prolapsionibus, & ab offensionibus esse? fra-
[illegible] est natura nostra, & voluntas infirma, vt quam nõ solùm im-
[illegible], & turbines externarum rerum, sed tacitæ ipsæ sępe cogita-
[illegible] quatiant, atq; peruellant, quæ tamen dum in fini ipso cõ-
[illegible] hæreat, hoc est ad Deum semper, & ad primum bonum sit
[illegible], in cursu ipso interdum si prolabatur, nequaquam hoc illi
[illegible] fraudi esse debet, nam aliter, vbi, quandoue erit diuinæ
[illegible]cordiæ locus? An verò ista virtus misericordiæ tanta, & tam
[illegible] iners penitus in Deo, & vacua censenda est? Iam qua ille
[illegible] parte, aut sibi melior, potentiorq; est, aut nobis commodior,
[illegible] communior? cùm si misericors ipse non sit, nos salui esse ne-
[illegible]amus, sin autem nos perpetuò innocentes, illius inanis videa-
[illegible] esse misericordia. At ea illi præcipuam gloriam, nobis autem
[illegible]orem semper salutẽ prębuit, quibus nõ integritate, & inno-
[illegible] nostra, sed Dei clemẽtia semper magis est nitendũ. Quam-
[illegible] nemo quidem me ab hac vita occupata, & populari illa ra-
[illegible] deterruerit, quod eam dicat lapsionibus, & periculis magis

expositam esse, vt enim hoc ita sit, tum fructus quidem ea certe ex se fert in aliorum salute procuranda vberiores, tum ipsa duplici Dei præsidio munita est. Nam & vim illam recte agendi, rectèque sentiendi hoc magis accipit ab summo Deo, quo ad difficiliores multo res, & ad duriora vitæ impedimenta dimouenda conuersa est: & siquid aliquando titubauerit in cursu, errandoque deliquerit, per eiusdem Dei misericordiam purgata, atque abstersa, fit splendidior, quàm vlla humana accuratione aut diligentia potuisset splendescere. Quod si ita est, neque ego secus esse existimo, quæso quanam ratione Paulus, & tu cum Paulo Sadolete consentiens, omnem paulo ante Dei omnipotentis cultum ita adspiritum, & ad mentem redigebatis, vt nihil prorsus externis cerimoniis, nihil oculis, nec auribus, nihil communibus hominum sensibus reliquum faceretis? an omnis omnino religio, omnis adorandi, venerandiq; Dei cerimonia in ipsis intimis, abditisq; cogitationibus, & in tacita sola voluntate cõstituenda est, neq; est extra signum aliquod, indiciumque proferendum quod inclusam nostram pietatem erga Deum, ad oculos spectantium traducat, & deferat: Quid sibi ergo templa ista volunt, quæ tanto, & tam magnifico opere vbiq; ferè gentium, qua Christianum nomẽ in honore est facta, atq; ornata extant? Quid assiduæ in illis Deum personantium, & pro populo rogantium sacerdotum preces? quid ipsi ordines, gradusq; sacerdotiorum? quid aræ, quid ignes, quid vestes luculentæ, & variæ, atq; (vt poëta inquit) auro, ostroq; rigentes? quas dum ad sacrificandum Deo se apparant, more solenni, atq; prisco induere sacerdotes solent, neq; putant fas sine illis in mysticis sacris tractandis Deo se offerre. Cantus vero, & voces, & tibiæ, & symphoniam chori celebrantes, tum autem minorum maioribus assurrectiones, inter pares mutuæ ceruicũ inflexiones, amplexus, cõprecationes, pacis oscula, quæ cuncta à cõmuni Ecclesia non adscita modo, atq; recepta: verum etiam præcepta, atque instituta omnibus sunt, nónne perspicue indicant cultũ & religionẽ in summum Deum, non solum in spiritualibus, & intimis adorationibus, verum etiam externis in cerimoniis suscipi, & adhiberi oportere? Nam illud quidem credi nullo modo potest, quæ spiritu Dei catholica Ecclesia regatur, eam ad hæc agenda, atq; instituenda nullo bono consilio, sed inani, & irrita ratione fuisse motam. Ita ego nouos hosce hæreticos, qui nuper exorti omnia perturbauerunt, non alio magis nomine esse detestandos censeo, quam quòd ritũ hunc omnem, & cõmunem Ecclesiæ cõsentientis cerimoniã, quæ in ordine quodam, & in pulcherrimo more sita est, suo quidq; loco, & suo tempore agendi, nec non ad agendum sic se vnumquenque vti legibus præscriptũ est, aptandi, atq; apparandi, miscere penitus, & confundere sunt conati, vt cũ

hoc

hoc externum nostrę pietatis testimonium sustulissent, seq; ea ra-
tione ab hominum oculis, & animaduersionibus quasi in occul-
tum, & abditum recepissent, tum demum licentius gererent se er-
ga Deum, atq; intestinæ voluntatis arbitrium, quod iam à populi
conspectibus absconditum esset, ad quas vellent, tutò cupiditates
conuerterẽt, atq; ij tamen hæc Pauli verba nos ad interiores cul-
tus Dei semper reuocantis, & ab externis ostentationibus auocã-
tis temerarijs opinionibus prætendunt, quæ equidem verba
hic pręcise intelligantur, cum magnam ea profectò perturbatio-
nem morum solennium, & vsitatorum in Christiano populo pa-
ritura sint, lenius, & consideratius interpretanda censeo, rursus &
alio loco, quà præcipit Paulus, vt ne sapiamus plus quam oportet,
sed sapiamus ad temperamentum, néue de nobis plus, aut de fa-
cultatibus nostris profiteamur, quàm quantum conscij sumus
posse à nobis præstari, atq; vt hanc ipsam conscientiam, non opi-
nione elata, atq; inani, sed diuina veritate metiamur, habet nimi-
rum ista præceptio rationem illustrem & splendidam, quòd hoc
semper, & imprimis prouidet Apostolus, ne ad ostentationẽ no-
stri, & ad aucupandam populi famam delabamur, omissoq; vero
Dei cultu in imaginibus vanis, atq; vmbris insistamus. Sed tamen
si vt verbo positũ est, ita nude intelligatur, multa accidere neces-
se est, quæ sint societati hominum, & recte institutis cœtibus, con-
uentiousq; damnosa. Quod sic mecũ quæso considerate. Ac pri-
mum toram huius Pauli sententiæ accipite ambiguitatẽ, etenim
in quæro, quam metiri iubemur ex Deo facultatũ nostrarũ con-
scientiam, vtrũ eam vt comparatam cũ Deo ipso metiemur, an vt
ad homines conuersam? Si vt erga Deum, obsecro quis nostrorũ
est, aut cunctorũ omnino hominum, modo is à mẽte sua, & à bo-
no consilio penitus non sit derelictus, cui possit coram Deo ali-
quod suæ facultatis, & puræ, integræq; cõscientiæ vestigium reli-
quum videri? qui non in illa infinita vi, atq; virtute, si seipsum ad-
uersus illam spectet, atque expendat omnes suos sensus, omnes
intestinas animi cogitationes disperdi longe sentiat, & obrui, v-
naque cum psalmo exclamet, atque proferat? Ego sum vermis, &
non homo, opprobrium hominum, & abiectio plebis? Non enim
cuiquam est in oculis Dei sibi iure placendi, aut de se bene existi-
mandi locus, quòd vt aduersus solem omne lumen tenebræ sunt:
sic nosmetipsos Deo si comparemus, omnis veritas humana
mendacium est, & vitium, atque labes omnis nostra integritas, in
tanto enim interuallo, quantum inter nostram, & Dei bonitatem
interest, quod profecto immensum, & imperagrabile est, quæ tan-
tupere à Deo, & tam longe discedit ratio, ea non amplius in se i-
psa consistere, sed ad contrariam rationem adiungere se videtur.
Quare nemini est erga Deum de facultatibus suis, & de conscien-

tiæ fiducia quicquam existimandum, aut confidendum. Sin autem vt ad homines nos conuertimus, & nosmetipsos illis exhibemus, ita debemus esse cauti, ne plus de nobis alijs polliceamur quàm quantum idonei sumus præstare, néue falsas in vllis de nobis opiniones excitemus, sed fiduciam nostram suscipiendi aliquid, aut promittendi ex Deo, & ex veritate conscientiæ metiamur. Quod magis sentire velle videtur Paulus, ne sic quidem mihi videtur ista ratio simpliciter, & vniuerse accepta posse consistere, etenim multa sæpe vsu veniunt necessario, in quibus & videri meliores quàm sumus, & plus ostentare, ac profiteri, quàm volemus, & virtuti nostræ, & bono mori, & communi vtilitati conducit, atq; expedit. Vt verbi causa, in magistratu si quis constitutus sit, siue eum honoris gradum is obtineat, ex quo præcepto tantummodo, atq; exemplo populum docere, & in viam veræ salutis inducere iubeatur, quales fermè sunt curationes Ecclesiasticæ, atq; potestates, siue etiam ius & authoritatem habeat vindicandi in improbos, & terrore, ac metu hominum vitia, & facinora comprimendi, cui est potestati gladius vindex delictorum ab ipsis legibus datus. Quæro ego à vobis, si vtrunque imperium & hoc seuerũ, atq; vehemens, & illud moderatum, ac mitè hac mihi regula, & ad conscientiæ interioris veritatem dirigere omnia, atque agere instituerit, num nam multa non videatis in nectam iri damna, & detrimenta Reipublicæ? Primum qui in Ecclesiastico ordine constitutus, aliqua se macula, & labe delicti afficium senserit, quo ore audebit cæteros monere, atque hortari, vt se integros præbere Deo, & sacrificium iustitiæ illi studeat offerre, cum ipse ad conscientiam suam respiciens minus se idoneum doctorem vllius esse virtutis cognouerit? quis libidine aliqua contaminatus, ad castitatẽ, quis amore pecuniæ æstuans, ad abstinentiam, quis elatior, ad humilitatem, contumacior, ad facilitatem, iracundior, ad lenitatem alterum recte poterit hortari? aut denique, quoniam rarum omnino, & penè inauditum est hominem quenquam existere, qui non peccato aliquo proprio laboret, & ad suum, ac peculiare quodpiam vitium non sit propensus, quia reperietur tanta animi confidentia præditus, si idem Paulo assentiri voluerit, atque auscultare, qui audeat partem vllam, curamq; suscipere docendi cæteros, atque instituendi? cum etiam si nullis culpę grauioris conscius sibi ipse sit, communem tamen conditionem infirmitatis humanæ horreat, atq; extimescat necesse est, illamq; grauissimam offensionẽ reformidet, quę ipsum quoq; Paulum solicitum imprimis habebat, ne cum alijs prædicaret, improbus ipse reperiatur. Quod si ita sit, & hæc est Apostoli in hunc modum accipienda sententia, mitto reliquos gradus, ordinesq; Ecclesiasticos, quibus Ecclesia tota distincta, ornataque est, tam-

ſi, tametſi omnes quidem illi ad exemplum, doctrinamq; bene agendæ, & ad vnius Dei ſtudium dirigendæ vitæ populo cuncto propoſiti ſunt. Sed tamẽ mitto cæteros, Epiſcopatum ipſum ſpecimen innocentiæ, normam totius virtutis, magiſterium fidei, pietatis, religionis, quiſquam erit omnium tam impudens, tam audax, tam confidentia, temeritateq; proiectus, qui aut ipſe ſibi petere, aut alij gerendum, adminiſtrandumq; offerre, & ſuadere ſubiineat? quod quidem munus, & quæ curatio tanquam non ex hominũ numero is ſit, qui illam gerit, atq; exercet, ſed tanquam Deus, qui ſecurus periculorum ſuorum, alienæ ſalutis cuſtodem ſe profiteatur, ita cæteris cõſulere intendit, quaſi qui ea præditus eſt, ab omni ipſe cura, & ſolicitudine de ſe vacuus, id ſolum curare debeat, vt alienis morbis, & offenſionibus medeatur. Ac ſi illud tamen reliquum factum fuiſſet, vt quoniam quorum flagitia aperta, manifeſtaque ſunt, horum in monendo, atque arguendo alius inanis eſt authoritas, illis ſaltem liceret, faſq; eſſet, qui labes ſuas occultas continere potuiſſent, aliorum perſpicuas, & notas coërcere, atq; in docendo, ac reprehendendo, tales foris ſe oſtendere, quales profecto intus non eſſent, vt grauiores authores ſcilicet, & meliores eſſe, quàm reuera exiſterent, populo viderentur, eſſet tum quoque exemplo & monitioni, & doctrinæ ſuperiorum erga inferiores aliquis relictus locus. Nunc vero, cum omnis huiuſcemodi actio, omnisque profeſſio ad interioris conſcientiæ fidem, & regulam redacta ſit, quis erit, cui non expediat, atque adeo cui non neceſſe ſit de ſeipſo tantum laborare, de cæteris nullam curam gerere omnino? quod ſi fiat, & ſibi priuatim omnes conſulant, Reipublicæ autem nemo, ſublatus ſtatim ordo de vita & temeritatis vindex magiſtratuum authoritas perempta penitus ſit, ex quo neceſſe ſit omnium legum, atq; morum interitum, & perturbationem magnam ſequi. Quòd ſi non licitum eſt Chriſtiano homini plus de ſe foris oſtendere, quam quantum intus ſe valere intelligat, primum cur Epiſcopis, & cæteris Chriſtianæ religionis antiſtitibus adiuncta eſt iuriſdictio, cum epiſcopatus ipſe humilitatem, & pietatem, & cultum vnius Dei, Iuriſdictio ſeueritatem, & ex ſeueritate metum improbis, nocentibusque requirat? Metus porro vt afferatur hominibus maleficis, facinoraque coërceantur, ſæpe neceſſe ſit maiore quodam ſtrepitu, & apparatu, quàm quanta ſit noſtræ poteſtatis vis oculos ſpectantiũ, & ſenſus reliquos perſtringere, atque occupare. Quod maximè in prophanis imperijs intueri licet, quæ faſtum, & authoritatem ſuam externis inſignibus, atque ornamentis maxime adaugent, vt videantur hominibus formidabiliores, quibus ſi lex iſta imponatur, vt ne ſe oſtentent populis, néue maiores, & robuſtiores, quàm reuera ſint, apparere cęteris ſtudeant, ſæpenumero eueniat

profe-

profecto, vt malorum hominum vis nullo metu coërcente congregata, atq. collecta, consensione bonorum, & vi magistratuum efficiatur potentior. Sed quid ego ista sigillatim colligo, cum liceat mihi vno in loco simul complecti omnia, atque proferre? si illud dicam, quod necesse est dici, simulationem, & dissimulationem in omni vita tantam vim obtinere, vt sine illa nec agi quicquam recte, neque ordine administrari gubernatio vlla possit. Ac de dissimulando quidem video mihi ab omnibus concedi, etiam qui sacris doctrinis instituti, & præceptis Dei obedientes sunt. Nam cum crimina hi sua tegere, occultareque iubentur, si qua forte ab sese clam suscepta sint, ea re quidem, vt ne proximum suum, quem simulata foris bonitate in officio continent, si dissimulationem deponant, delinquendi, malo exemplo insuper lædant atque corrumpant. Tum vero qui egregijs virtutibus ornatos se intelligunt, suntque innocentia, & integritate insignes, contra tamen ipsi de se loqui, & veras à cæteris laudes auersari coguntur, vt ne incidant in elationis vitium, & populari gloria plusquàm satis opus sit, ducantur: ex quo & illud Euangelicum recte se habere visum est, quo monemur à Domino, vt cum etiam omnia sedulo impleuerimus, dicamus tamen de nobis ipsis, quòd serui sumus inutiles. Simulatio vero ad singulas penè res si non adhibeatur, quid est tandem omnium rerum, quod possit ad optatum exitum, finemque perduci? Nullum est vitæ communis commercium, nullum pactum conuentum, nulla communicatio, nullum belli, pacisue fœdus, nullum consilium. Nec vero amicitiæ, societatis, connubij conciliatio est vlla, quæ si simulatio penitus absit, cõcludi rite queat aut confici. Multa enim verbis simulare oportet, multa etiam factis, si ad nostrorum consiliorum rationes, & exitus cupimus peruenire. Atque vt in connubijs conciliandis, quoniam de his modo mentio facta est, eos qui interpretes sunt sponsalium paciscendorum multa nunciare citro, vltroque oportet, quæ ad mouendum, & persuadendum sunt idonea, vt de sponso, & de sponsa omnia bona loquantur, & verorumque virtutes in maius prædicando augeant. Vitia vero si qua existunt, extenuent vehementer, aut si patiatur res, dissimulent penitus, atque tegant. Cui etiam rei munditia, elegantia, cultus, vestitusque corporis seruiunt, & lenocinantur, idque præcipuè agunt, vt videantur omnia venustiora esse, & pulchriora profectò, quàm reapse sint: sic omnis tractatio, & communicatio vitæ, hominumque inter ipsos conuictus, & participatio veluti nuptiarum, conciliatio quædam est simulationum, & dissimulationum inuolucris quibusdam, & tanquam lenocinijs fucata, atque illita, quæ si ad circumueniendum proximũ intenta essent, equidem haud negarim improba esse, & ab ipsis legibus, magistratibusque

gitque vindicanda. Verum cum nil conficiprobe, neque ex hominum vſu & communis vitæ commodo tractari apte queat, ſi simulatio omnis abſit, & diſſimulatio, ſicque tota perſonata fere res, plus in vultu, & geſtu, & omni corporis habitu de ſe ipſa prodens, quam quantum intus gerat, atque poſſideat virium, & valitans, nequaquam ego putarim vitio dari debere, ſi quis ſapientior plus ſtudeat ad populum, & inter cæteros, quàm fortaſſe ſatis ſibi, vimque, & poteſtatem ſuam maiorem foris oſtendat, quàm reuera illa ſit, atque id tamen agat cum ad ſalutem bonorum, tum ad terrorem, & pœnam improborum, niſi Paulus nimiam hanc modeſtiam, temperantiamque animi, & fugam totius oſtentationis illis tantum hominibus præſcribat, qui aut ſoli, aut cum paucis in aliquem concluſum, & ſecretum locum ſe conferunt, ibiq; ſeparati à populo, & ab hac vitæ agitatione communi ſilentio, Deo vni in pace, ſilentioq; deſeruiunt. In his enim placet confiteor hæc inſtrumenta ciuilis, & negotioſæ vitæ, quæ in ſimulando & diſſimulando ſita ſunt, ſuperuacanea penitus, & inutilia eſſe. Quod idem de externis cenſeo cerimonijs, atque his obſeruationibus, ac ritibus, qui in Eccleſia palàm adhibentur, quando quidem his talibus hominibus, quos Græco vocabulo monachos, eremitasque appellamus, quorum quondam ſanctitas, & frequentia Ægyptus imprimis enituiſſe dicitur, cum Deo meditatio ſolum ſit, qui puram tantummodo, & ſynceram poſtulet veritatem, omneque quod præterea eſt, inane, & vacuum eſſe iubeat. Nobis vero in turba, populoque verſantibus illa eſt vitæ ratione degendæ ſuſcipienda ratio, vt quoniam homines ſenſibus ſint magis, quàm intelligentia, mentecq; mouentur, ea inter eos rerum gerendarum inſtrumenta nobis aduocemus, quæ ad ſuadendum, & diſſuadendum maiorẽ quandam oſtentationem foris præferant, quàm contineant intus veritatem, ſi modo oculis hominum ſeruire & proprium recte agendi, ordineque viuendi modum & tenere ipſi volumus, & cæteris tradere, atq; inſinuare.

QVÆ CVM DIXISSET Langeus: tum Triultius qui attentiſſimo animo omnem exceperat illius orationem, ad me conuerſus, Quàm diſerte, & copioſe Langeus, inquit, ea de quibus dubitabatur in Paulo, oratione perſecutus eſt, nec vero ego aliter de eo vnquam exiſtimaui, ſemperque ita ſenſi, quicquid hic dicere inſtituiſſet, eum non modo id fortiter, atque prudenter, verum etiam ornate, docteque eſſe dicturum. Noui enim excellens huius ingenium. Noui etiam ſtudium. Quanquam hæc quidem laus cum fratribus ipſius communis eſt. Sunt enim omnes ex eadem diſciplina ad omnem virtutis excellentiam inſtructi. Ex quibus meo à te plurimum Sadolete diligi, maximoque opere probari cum, qui mihi quoque, & omnibus mirifice probatus eſt, Ioannem

nem Bellaium Episcopum Baionæ, cuius præstantissimum ingenium, & virtus, & fidelitas apud regem magno iam in honore est, estque illi aditus ad omnem amplissimam dignitatem merito patefactus. Sed vt de hominibus loqui omittamus, veniamus ad ea, quæ ab isto dicta sunt. Duo enim video Langee à te fuisse posita, vnum quod cultum hunc omnipotentis Dei, & obseruantiam sanctæ religionis non in spiritu tantum, & veritate, quemadmodum semper velle videtur Paulus, sed in externis quoque ritibus, & cerimonijs recte adhiberi putas, in quo ego tibi nimirum assentior, istaque signa, & indicia Christianæ pietatis, quæ ab intestina veritate egressa oculos, & sensus hominum foris impellunt, in communem Ecclesiæ morem inducta vehementissime probo, audaciamque, & temeritatem horum hæreticorum coarguo qui ista perturbare, confundereque sunt conati. Alterum illud tuum est, quòd cum Paulus neminem sinat in suscipiendo aliquid, aut in pollicendo plus de se profiteri, quàm præstare sit idoneus, velitque vt vnusquisque à conscientiæ suæ lege, atque fide ne tantulum quidem discedat, tu simulationem, & dissimulationem in vita non modo commodam, atque sanctam, verum etiam necessariam esse affirmasti, quippe sine qua (sic enim es locutus) nec geri, aut administrari vnquam recte, nec ad optimos exitus perduci vlla res possit, quod videri cuipiam fortasse possit Pauli esse verbis, sententiæque contrarium, quanquam de isto post videro. Nunc de externis cultibus, ceremonijsque dicamus ea, quæ ad rem putamus pertinere. Non enim nescij sumus vbique fere locorum Paulum ita conuellere, elidereque cerimonias, vt nullam omnino partem in pietate colenda, nullum eis locum relinquere videatur. Nam & Moysis legem semper infringit, & eleuat, quæ tota ferme est in cultibus, & ritibus cerimoniarum occupata, & totos illos mores sacrorum, holocausta victimarum, ornatus templorum, ac sacerdotum, cætera quoque in lege sancta, atque præscripta, cuncta propemodum reijcit, quæ quidem sunt hominum sensibus, aspectibusque exposita, cuiusmodi circumcisio est, & sabbatorum obseruatio, & ciborum, dierumque distinctio. Atque ita reijcit, vt in vno illo cultu & conuersu ad summũ Deum, quo se effectori tantum suo applicat interior, & rationalis homo, omnem sitam esse ostendat veram aduersus Deum religionem, atq; fidem. Non ignoro, inquam, ista, Paulumque velut nostrum athletam maximè contra legem decertasse intelligo, vestimentum authoritate deiecta, alibi quã in templo, & legis cerimonijs Dei colens, & metuens homo suam esse salutem locatam intelligeret. Sed nos hanc rationem sic exponamus, ac primum illud dicamus, quod & maximè verum est, & imprimis necessariũ totam hunc cultum omnipotentis Dei totam pietatis vim, ac religio-

nis, per

sit, per quam homo cum Deo reuera coniunctus est, & illius numini, ac maiestati deditus, in mente, & spiritu, & in ipsa intestina voluntate cõsistere. Etenim si hæc ipsa sola satis est, quæ nos cum Deo copulet, atq; coniungat, cætera autem, quæ extra sunt, si ab hac mente, & voluntate deserantur, nihil omnino sunt omnia, neq; quicquam, quod vllius sit momenti afferunt ad promerendam gratiam, & misericordiam summi Dei, quis dubitet, quorũ nullum idoneum per se ad agendum aliquid, & conficiendum, alterum vero sine isto ad eandem rem præstandam nullam vim habet, quin eius, quod oporteat agi tota vis, & potestas posita in eo sit, quod solum per se ad id efficiendum est accommodum? Nec vero Paulus solum in hoc spiritu semper, & in hac veritate mentis insistit. Sed & Samaritanæ mulieri Dominus diligenter percunctanti vtro potius in loco adorare Deum conueniret, in montẽne eo, in quo prisci adorauerant patres, an in templo Hierosolymis: respõdit neutrobi amplius Deum adorari oportere, sed venturos adoratores, qui adoraturi eum essent in spiritu, & veritate. Quo responso planè ostendit sibi nõ esse cordi locorum religiones, neque rituum cerimonias, sed mentis, cordisque affectum, qui mentiri sibi ipse, & simulando suscipi non potest, ab se præcipuè quæri. Cui ergo rei, dixerit quispiam, cerimoniæ istæ sunt, gradusque ordinum, & cœtus templorum, & genuum flexiones, & symphonię in templis, & thuribula, aut quem pietatis fructum afferunt, si sunt à Domino, & à præcone Domini Paulo repudiata, atq; abiecta? hoc enim esse arbitror, quod turbatores Ecclesiæ induxit in fraudem, vel potius fraudi illorum, & temeritati nostram præbuit, quam nacti ipsi sibi visi sunt, non tam cerimonias (has enim haud ita grauiter oderunt) quam Ecclesiam Catholicam, cui sunt inimicissimi, ornatam cerimonijs, & sese in illis insignioren exhibentem posse euertere, ad nihilumque redigere. Quibus nos dicamus, Quod cum mens, & ratio in hoc nobiscum corpore simul conclusa sit, atque ita diuino numine copulata, vt quoad Deus idem, qui nos effecit, & condidit, hanc ipsemet animæ, corporisque iunctionem diremerit, vinculumque mortalis vitæ dissoluerit, debeat ea interea totam hominis molem regere, & sustinere, illamque secum, in quam ipsa cunque partem se verterit, trahere, atque conuertere, nequaquam esse abhorrens, neque alienas piæ, ac religiosæ menti habendas cerimonias, quibus dominam suam rationem corpus tendentem ad Deum, & ad illum propius applicare se cupientem, suis & ipsum motionibus, suis compositionibus, & figuris, suo habitu, gestu subsequi conetur, quippe quod capiti, & duci suo obsecundans ad imperium illius præsto sit paratumque se exhibeat. Quòd si mens nuda esset ipsa in sese, & nullo membrorum inuoluero

irreti-

irretita, aut etiam si iuncta, & implicata cum corpore, sola tamen agere per se, & sine corporis adminiculo moueri, ac niti ad summum Deum posset, essent fortassis externæ corporis gestiones ad colendum, & venerandum Deum minus necessariæ. Cum vero illis imaginibus rerum corporearum, quæ per varios sensus in anima impressæ corporeã semper menti, & cogitationi nostræ suggerunt naturam, ratio ipsa ita nitatur, vt quam diu in hac vita sit, his tanquam fundamentis, & gradibus sublata, sic demum scendere in cœlum, & se constituere in summo bono posse videtur, cumque illæ ipsæ imagines, quæ menti Deum contemplanti subseruiunt, eædem sint corporis, & membrorum dominæ ad ducendum illud, atque flectendum, in quam visum fuerit, partem. Quæ est tam auersus à vero, qui has in corpore, & motu corporis cerimonias, mentis iudicio, & voluntati parentes, illiusque veritatem, & synceritatem consequentes, alienas esse a pietate nolunt dicere? cum præsertim eadem veritas, quæ animum, & voluntatem erga Deum commouit, corpus vna cum voluntate, eodem motu impellat, vnamque ac inter se connexam secum trahat seriem, & mentis Deo se summittentis, & corporis mentem tanquam dominam sequentis. Quòd si in omnibus planè agendis, tractandis, considerandisque rebus corporis consensu, & ministerio animus vtitur, num in adorando, & venerando Deo illius tantum reijciet societatem, consensumque nihili ducet? & hæc vna in re agenda duntaxat ab illo se segregabit? Qui enim a Deo Dominus ipse corporis est creatus, corpus tamen ab eodem authore factum, atque compactum, socium secum eiusdem humilitatis, & erga Deum obseruantiæ non debet repudiare. Iure itaque nos, neque id natura solum, sed consilio etiam perbono ita motum mẽtis, motionibus corporis assequimur, vt siue animus peccati, & culpæ conscius prosternat se, atque abijciat coram Deo, corpus eundem gestum, eundemque actum subeat, atque conficiat, siue agendis pro accepto beneficio gratijs mentẽ ad Deum cogitationemque tollamus, eandem ad Deum sublationem vultus, oculi, manusque sequantur, siue quid quoquo modo studiat animus, atque decernat repente, tanquam in speculo: sicut corporis motu, illud intestinum animi consilium, voluntasque cernatur. Iam illæ pectorum percussiones, capitum inclinationes, genuum inflexiones, quæ passim in communi Ecclesia adhibentur, imitationes sunt, & simulacra animi varios in se affectus erga Deum suscipientis, quæ si falso, & per simulationem vsurpantur, essentque ementita, atque ficta, maximum nimirum hic crimen, & nefaria improbitas consceleratæ mentis existeret. Sed si ita habet se intus res, si est voluntas conuersa rite ad Deum, si mens tota in ipso Deo vere collocata est, cur repellamus corpus

a pie-

pietatis huius, atque aduersus Deum venerationis consortio? quod præsertim huic rei factum natumque est, vt præceptionibus animi, & imperijs, eius opera, & ministratio semper parata sit? An cum & ipsum in partem gloriæ, & immortalitatis venturum aliquando apud Deum sit, non in hac vita cupiditatem quoque eius rei suam aliquibus signis præseferet? Non gratias ager conditori suo? non illum colet, quibus poterit modis, ac venerabitur? Non est profecto ne corporis quidem ipsius humilitas, ac reuerentia Deo ipsi ingrata, qui se ita coli, atque appeti ab omnibus creatis rebus vult, quantum est in vnaquaq; re naturæ ad id faciendum, & facultatis, in quo tamen genere corpus præsertim humanum naturis cæteris antecellit, vt quod etiam si ipsum ratio non sit, domestica: tamen ratione, atque mente regatur, ac moueatur. Itaque ipsum iure spiritus sancti templum appellat Paulus, idemq; cum assiduas preces, obsecrationesque exigit, vt omni tempore fundamus ad summum Deum, nónne mentem in illis precibus è suis penetralibus sedibus egressam in vocem, & in sabia iubet progredi? corporisq; sibi vsum, & ministerium aduocare? Nam quòd detecto capite viros, velata coma mulieres in Ecclesia vult esse, num non ad externas iam id pertinet cerimonias? Ieiunium vero, & decimarum Deo dicatio, percussioq; pectoris, necnon deiectus oculorum in terram, orisq; demissio, quę sunt cuncta in publicano illo veniam sibi à Deo deprecante per Dominum Iesum CHRISTVM exposita & comprobata, nónne in corpore testimonia sunt animi cum Deo rationes suas pie conferentis? Quanquam quid ego singula colligo potius, quàm illud vniuersum proloquor, cultum & venerationem summi Dei cum in anima, & in corde vere susceptus sit, etiam in corpore propè necessario suscipi: tum quia corpus animam, tanquam imago semper sequitur, tum quoniam æquum, rectumq; est, vt tota nostra creatio, quæ à Deo simul effecta, compactaque est, simul etiam authori suo & conditori agat gratias, cum præsertim, si veritas ea, quæ animum in Deum commouit, eadem & corpus ad affectus animi imitandos moueat, non queat extraneum, neque alienum dici, quod ductum ab animo, & eadem cum illo veritate conflatum in vnam, atq; eandem conuenit operationem. Sed de his corporis gestibus, & cerimonijs, quæ sunt animi motibus, & voluntatibus adiunctiores, non tam acris fortasse apud litigiosos homines quæstio sit, & si hæretici prorsus eas omnes repudiasse visi sunt, cultumque & studium omnipotentis Dei, in vna tantum fidei professione posuisse: Veruntamen nõ tam forte illi in his obijciendis insistunt. Illæ sunt ab illis in contemptum, atq; irrisionem cerimoniæ præcipuè vocatæ, quæ longius etiam à corpore progredientes, in sacramentis Ecclesiasticis, in ordi-

num distributionibus, in apparatu, in tempore, in cultu, & ornatu corporum, deniq; in toto isto ordine, quid, à quo, quo tempore, quóue pacto suscipi, agi, tractariq; conueniat, positæ, & constitutæ sunt. De quibus si velim singula enucleate persequi, dies me deficiat. Nam & honorum gradus omnes hi sustulerunt, vt non parem solum sacerdotem Episcopo, sed Christianum hominem quemlibet sacerdoti esse constituerint. Ex quo omnis illis non modo distinctio ordinum, sed ratio etiam, religioque consecrandi, per quam varijs modis, & ritibus ipsi ordines discernuntur, habentque diuisas inter se, & saparatas potestates, penitus repudiata est, & id, quod maximè nituntur, & quò præcipue anhelant, regale summi pontificatus sacerdotium ex Catholica Ecclesia conati sunt auferre, qua mente, & quo consilio satis ipsi de se indicant, qui leuibus quibusdam argumentis, & rationum innixi, cum graues aliorum, & solidas rationes audire non perferant, ea temeritate, vesaniaq; feruntur, vt ingerendis cõtumeliis, clamoreque profundendo maleuolentiam maximè exprimant suam. Nihil enim, neq; euidentius est à CHRISTO IESV Domino nostro, nec populis fidelibus salutarius constitutum, quam vt vnus dux, & vnum caput communis Ecclesiæ sit. Quod si publici cõmodi ratio est ducenda, cæteros omnes in fide vna, & veritate, & bono ordine contineat, cùm id quidem alia ratione nõ modo recte fieri, sed omnino fieri nec possit. Si vero vis alicuius mysterij attendenda est, quemadmodum corpus reliquum militantis in hoc seculo, & quasi peregrinantis Ecclesiæ ad illius, quæ in cœlesti patria triumphat, imitationem, atq; formam distinctum, ornatumq; est, quod legitur Moysi Deus præcipisse, vt tabernaculum, omnemque ornatum tabernaculi, & apparatum ad exemplum formæ illius efficeret, quæ fuerat illi in monte demõstrata, quemadmodum, inquam, hæc quæ in terris est Ecclesia, cœlestem illam Ecclesiam imagine, & simulacro in cæteris partibus refert, sic in hac caput aliquod, quod illius capiti respondeat, necessario est dandum. Non enim aliter integra, neque absoluta sit similitudo. Vt vero aut corpus hoc veluti truncum sine capite, aut illud in cœlo caput duorum corporum idem, atq; vnum esse possit, vtrunq; horum non solum incongruum, abhorrens, sed monstri etiam simile. Nihil autem conuenit esse diuinis rebus constituendis, atq; ornandis virtute, bonitate, præcipuisque perfectius. Nam quòd idem, qui caput est Ecclesiæ cœlestis CHRISTVS, terrenæ etiam huius coniunctum, atq; hæreat esse possit, vnaque, & eadem opera, & triumphator simul, & miles, & in via, & in patria esse intelligatur, ne concipi quidem cogitatione vlla potest. Sed nos sigillatim ista non excutimus, de vniuersa genere cerimoniarum huiusmodi loquimur, quæ etiam si ab vni-

ro sunt remotiores, & à corpore quoque disiunctæ, vt iam aliene, atq; extraneæ iure vocari posse videantur, nec vllam præsefe-rat illustrem, & perspicuam ad Deum se adiungendi, & illius animi rite deseruiendi necessitatem, tamen in illa semper ratio-ne, & sententia positæ fuerunt, vt per eas rudiorum hominum, & ipsa magis, quàm ratione se mouentium mentes in animaduer-sionem summi Dei, & ad studium colendæ pietatis adducerentur. Ita duplex ordo rituum, ac cerimoniarum inductus est. Sunt enim quæ à veritate mentis profectæ cerimoniæ in corpore ipso continuo, & in his, quæ iuncta sunt corpori suscipiantur, quas non semper pias, semper sanctas, & salutares esse dicimus. Quod genus preces, Deique inuocationes sunt, & sublationes, deiectionesque vultuum, & oculorum, & capitis, corporis, genuum flexiones, in quibus summum bonum est veritas, summum scelus, simulatio. Sunt item è contrario, quæ non magis à veritate proficiscuntur, quàm aspirant, & contendunt ipsæ ad veritatem, eiusmodi istæ iam existunt exteriores, quæ in templis, ornatibusque templorum in varietate ordinum, in ritu quorundam sacrorum, in cantibus, in vestibus, in festorum dierum celebrationibus sitæ sunt, quarum omnis tractatio, & actio ad doctrinam, & eruditionem populi sumpta, atque instituta est. Sunt enim plerique homines profecto, atque vtinam non maxima multò hominum pars, qui cum suis cogitationibus excitari, atque adduci ad Deum agnoscendum, & ad illius eximiam benignitatem erga nos intelligendam, gratiasque illi pro facultate agendas non queant, his externis rebus, atque exemplis, quæ in oculos interrulit, quæ sensibus offeruntur, pulsati sæpius, & admoniti, curam, & meditationem aliquam suscipiant Christiano homine dignam. Quorum in animos, intimasque mentes hæc simulacra fidei, ac pietatis, tanquam à foribus sensuum infarcienda sunt, vt possit deinde in illis vera aliquãdo fides, & pietas aduersus Deum sedem sibi, & locum domicilio constituere. Hæc si me quispiam, num ad salutẽ sint necessaria, interroget, distinguam, & respondebo, aut de homine eo agi, qui suo ipse iudicio Dei veneratio-ni sit deditus, & hunc hominem fatebor, etiam si nunquam in celebritate vixerit, etiam si nil horum vnquam fuerit conspicatus, in quantumuis deserta regione, in solo loco amabilem Deo, & gratum effici posse. Aut si de populo mentio habeatur, & de eo genere hominum, quod sanè plurimum, & frequentissimum est, quod affectionibus animi magis regitur, quàm consilijs, habetque sibi non quomodo rectè Deum colat, sed quemadmodum licenter, & suo arbitratu viuat præcipuè, propositum: huic ego hominum generi instabo, & contendam non solum vtilia, sed necessaria etiam huiusmodi esse cerimoniarum docu-

menta, quæ per auditum, & visum animos spectantium commo-
ueant, vt Dei esse velint studiosi, ac colentes, quod vel in primis
formæ, & simulacra diuorum ex marmore, aut ex ære ducta, aut
in tabulis, parietibusque depicta facere intelliguntur, in quæ im-
pij homines eo intemperantius, furiosiusque debacchati sunt,
cum ea è templis, atq; delubris, è locis sacris, prophanisq; omni-
bus eijcerent, & abolerent, quo per illa acrius admonebantur, vt
continentiæ, & innocentiæ, necnon omnis patientiæ & sobrie-
tatis vellent esse memores. Sancte igitur & sapienter hæc omnia
à communi Ecclesia indicta, obseruataque esse dico. Siquidem
Christianæ proprium est pietatis non quenquam velle ibi sibi
regnum Dei quærere, sed cupere reliquos omneis eiusdem se-
cum boni esse participes. Hæreticosque qui ista perturbare &
violare ausi sunt, non modo reprehensione, verum etiam pœna
dignos iudico, qui præsertim quotidianum quoque rei diuinæ sa-
crificium commutauerunt, sublatis ex illo solenni cum partibus
quibusdam, alijsque inductis, in quo mirari satis non queo, quid-
nam ab illis fuerit spectatũ. Cerimonias despexerunt? Cur alium
ipsi ritum, & modum alium cerimonijs statuere? An improba-
runt, quæ à Romanis Pontificibus statuta, & à fidelium cœtu ad-
scita ante fuerant? quæ ista tanta fuit audacia, quæ temeritas?
Quis illis hoc dedit negocij? quis potestatem, & authoritatem
tribuit? Nónne patet, perspicuumque est consilia eiusmodi non
à Deo, neque ab amore Dei, sed à libidine esse, & ab arrogantia
profecta? Quòd si passim licitum fuerit ad suum cuiq; arbitrium
confundere omnia, & permiscere, nónne ordine sublato, & anti-
quatis, ac concultatis legibus omnibus, non in societate, & con-
uentu hominum, sed inter feras degere satius multo fuerit? Nam
quod sacramenta Ecclesiæ vnicuiq; conficere liberum esse voluerit,
nónne sustulerunt omnes gradus? Confuderunt omnes ordines?
Cur ergo non omnibus omnia conficere erit licitum? quod si
fiat, vbi dispertita sunt dona spiritus sancti? Vbi erit oculus
corpore, si totum sit manus? aut vbi caput, si totum eiusdem
corpus? Verum nos ab istorũ iam abeamus reprehensione, qui
nec ratio vnquam vlla edocuit, nec castigatio fecit meliores, ad
has de quibus sermo nobis est, cerimonias reuertamur. Quarum
maxima semper fuit apud Iudæos, & instituendarum accuratio,
& obseruatio institutarum. De illis loquor, quæ ad Deum apro-
scendum, meliusque colendum, tanquam ad finem referuntur,
atque ab externis sensibus in animum ingressæ, Dei in illo cu-
ras, & cogitationes aliquas excitant. Hæ enim sine dubio acce-
ptæ, adscitæque a Iudæis in Ecclesiam nostram translatæ sunt,
eædem apud illos monstrante Deo inuentæ, atq; præceptæ, quæ
si haberentur inutiles, nequaquam illæ profecto tanti authori-
tate

ne doctoris quantus Deus est, ad constringendos hominum re-
pone animos comprobatæ fuissent. Itaq; & in sacris literis spi-
nus sanctus per Dauidem nos Deum laudare iubet, neque eum
ipso duntaxat, & in diuinis virtutibus eius, rebusq; omnibus ab
eum creatis: sed & in sono tubę laudate eum, inquit, & in Psal-
terio, ac cithara, & in tympano ac choro, in fidibus, & tibijs, in
cymbalis lætitiæ, atque ad extremum, Omnis spiritus laudato
dominum, inquit. At enim quid ita eas tantopere refellit Paulus,
omnibusque modis illarum vsum, obseruantiamque insectatur,
unde redarguit? Videnda est nobis Apostoli mens, & consilium
ipse hominis ratione altius. Ac cum illud quidem dici potest,
quod sæpenumero & à multis est dictum, idcirco argui à Paulo
cerimonias, quòd homines veritatis & Dei rite colendi penitus
ignarum in spirituali illa, intestinaque adoratione, sed in his,
quæ extra posita sunt, sacrificijs, mundicijs, purgationibus, to-
tum illius cultum & pietatem veram positam esse arbitrabantur,
cum ille ab errore retrahere eum cuperet, contrariam ipse viam
dationem est ingressus, vt penitus despiceret, abijceretque cere-
monias, & religionis, ac fidei erga Deum veritatem in vna ipsa
mente, ac voluntate constitueret. Et reuera in quibus est hic er-
ror, vt placare, & conciliare sibi Deum his externis rebus, & riti-
bus arbitrentur, non est in his huiusmodi religio magistra pieta-
tis, sed inclamentum potius criminis. Licere enim sibi isti putãt
impune circumuenire proximum, & spoliare hospitem, & suis
malis cupiditatibus indulgere, qui iram Dei forte aliqua re con-
tra se excitatam non mœrore cordis, neq; pœnitentia repudia-
taque peccati, sed paruulo sumptu victimæ, aut aspersione ci-
nis confidunt se redempturos, quales è numero nostrorum nõ-
nullos etiam sunt, qui posteaquam notos omnes atque vicinos fœ-
nore expilauerunt, remque vndecunque quacunque ratione coa-
cernarunt, si hæredem demum iusserint sacellum aliquod inædi-
ficare, statasq; in eo precationes & sacrificia Deo cõstituere, pur-
gatos se, & mundos ex hac discedere vita arbitrantur. Hac ergo
quidem etiam de causa ritus legis, & cerimonias aspernabatur
Paulus, sed erat ratio alia subtilior, eademq; magis efficax, quam-
obrem hoc illi faciendum necessario esset. Etenim si illæ Iudæo-
rum cerimoniæ ex eo erant genere, quod non ab intestina men-
te manat veritate, sed ipsam menti veritatem potius insinuat,
datæque illi genti præcipue ob eam rem datæ, atque præceptæ,
vt populus ille suapte natura durior, & terreno sensu præditus,
ingereretur paulatim tanquam manu atq; illis figuris, significatio-
nibusque erudiretur, quò aduentante postea Dei filio, & perspi-
cuam omnibus salutem, ac pietatem veram erga Deum afferen-
te, intelligeretur statim diuinum consilium, atq; admitteretur.

Siquidem finis legis CHRISTVS & ritus illi, obseruantiaq; Iudæorum tanquam imagines erant futuræ veritatis, gens peruersa, & contumax illis cerimonijs imbuta, & assuefacta, vbi à sacrilacris transeundum ad veritatem, & in fini ipso conquiescendum fuit, renuit eò transduci, quò toto illo cursu superiorum temporum, apparatuque cerimoniarum contendisse videbatur. Igitur Paulus cupientissimus illorum salutis, & prauam ignorantiæ generis sui ægreferens, omni ope infringit, labefactatque cerimonias. Quippe quas intuetur non adiumento illis ad animam tendam veritatem, sed ad eandem veritatem & cognoscendam, & accipiendam maximo potius impedimento esse, quando ostendem sapiens Dei, & salutare in ipsis erudiendis consilium sua beatitia, pertinaciaq; peruerterent. Hæc Paulo causa, & ratio inimicitiarum aduersus legis cerimonias fuit, cum eas nitentur infringere, atque deijcere, quæ aditum CHRISTO & fidei CHRISTI intercludebant. Quam etiam amentiam Iudæorum, & caecitatem illi confirmabant, qui pseudo Apostoli CHRISTI prædicantes eam aiebant cum cerimonijs legis iungi oportere, quos contra vbique quidem acriter, sed in epistola ad Galatas præcipuè inuehitur Paulus: ostendens si circumcisio, & legis opera admittantur, inanem ad salutem fore CHRISTVM. Et sanctius est, vt si via aliqua inita sit, qua perueniatur in oppidum, & cum ad mœnia, portasque accesseris, retro rursum te referas, quam in itinere faciundo, non in eo, quò accedebas oppidi finem te adeptarum, ad quem contendebas, existimes, stultus nimirum sis, & aut monitione, si leuis, aut conuitio etiam, si pertinax, insurgendus, sic qui cerimonijs tanquam itineribus ad CHRISTVM ducebantur, cum iam venissent ad vltimum, Christumque in manibus haberent, repente auersi & ad easdem se cerimonias referentes grauiter a Paulo fuerunt obiurgandi, illæque eleuandæ, & inspiciendæ cerimoniæ, quæ se Iudæis duces ad veritatem prodiderunt, maiore illos in errore constituebant. HIC EGO vere, inquam, hoc Triulti abs te dictum est, tibique ego vehementer assentior, legis cerimonias ex genere eo fuisse, quod cum tenderet ad veritatem, inuenta mox veritate inane factum sit. Etenim illæ eiusmodi cerimoniæ non ad Deum primo, neque potissimum sed ad CHRISTVM contendebant, vt cum in illo se terminassent, consumptæque essent, tum veriores deinde in eo, & sanctiores ad Deum se conuerterent. Nostræ vero ex eo sunt genere, quod non flexu aliquo, sed curriculo rectà ad Deum nos deducãt, sed hæc tamen deductione indigeant, quæ certè pars multo maxima est. Quapropter de illis sic statuo, de eis loquor cerimonijs, quæ ad insinuandam tantummodo pietatem in rudes animos à communi Ecclesia constitutæ sunt, cuiusmodi varietas symphoniarum

est, &

& cantus in templis altior, & diuitiæ, ornatusque fanorum, & sacerdotum, has ob eam rem potissimum inuentas, vt quæ ratiocinatione suarmens ad intelligendum Deum, pieq; cum colendum minus adducitur, eadem hisce rebus, ac sensionibus veluti manibus pulsata, & admonita, ad benignitatē summi Dei suamque ex illo animaduertendam sperandamq; salutem fiat aptior, quæ certè cum edocta est, amplius harum rerum non egeret, si non maximam semper multitudinem his rebus doceri, erudiri esset necesse, quanquam ne illud quidem non proficit erudiri, vt quibus adminiculis in sanctas cogitationes sublati sunt, per eadem subsidia, & veluti firmamenta in illis contineantur. Quòd igitur vnusquisque in optima mente erga Deum vel potendus est, vel retinendus, iure vsum huiusmodi cerimoniarum & semper coluit, & nunc diligenter tuetur Ecclesia. Equidem recordor haud ita multis annis cum duo doctissimi & sapientissimi viri Thomas Caietanus, & Ægidius Viterbiensis tecum vnà in senatū, & in istum amplissimum Cardinalium ordinem cooptati essent, suamque pristinam dignitatem, quam quemadmodum rure scis, laudibus doctrinæ, & integritatis insignem obtinebant, hoc etiam honore illustriorem fecissent, me ad eos gratulatum tunc accessisse, sermonemque inter nos protinus inductum fuisse, quid purpura ista, & amictus, & comitum stipatio aliis, & ad causam religionis valeret, in quo videbam illos consentire, hæc ipsa ornamenta status, & dignitatis, siquis illos tantum spectet, quibus commissa sunt, inania ad pietatis fructum existere. Si vero multitudinis, & eorum, qui vt in officio contineantur, superiorum indigent cura, ratio ducenda sit, ad communem religionem conseruandam vehementer esse vtilia. Quam ego illorum sententiam, & quæ præterea de communi genere cerimoniarum, ac de illis Iudaicis quoq; ritibus ab illis dicta sunt, valde tum me probare memini. Etenim cum tales ambo sint, vt etiam si rationem nullam sui dicti redderent, authoritate tamen quemuis commouere possent, tum his vtebantur rationibus, & argumentis, quæ abs te modo Triulti exposita planè ad probandum valida esse & firma intelligo. Illud abs te præterea subtilius cognoui dictum, quod non iudicio solum, sed stomacho etiam quodam sancto, atque iusto adductus Paulus grauius contra legis cerimonias inuectus esset, quod illarum cultus, & obseruantias apud obstinatos Iudæorum animos intelligentiæ fidei, & communi gentium saluti non parum intelligere obstare. ATQVI INQVIT ILLE, si hæc vera sunt, vti certe sint, aliquidque suscipi rectè licet, quod in seipso minus syncerum, atque verum, cæteris tamen ad veram, & sanctam conducat vtilitatem, soluta iam altera Langei quæstio est, qua

ille ſimulationem, & diſſimulationem in vita tanquam neceſſariam ad plurimas res gerendas eſſe admittendam exiſtimat, quod tamen Paulo videatur eſſe contrarium. Sapere enim vnumquemque tantum, quantum ſolum oportet, nec plus ſuſcipere curationis, aut negocij, quàm quod probare fidei, & cõſcientiæ ſuæ poſſit, quæ quidem ipſa conſcientia ex Deo etiam, non ex animi ſui ſtudio cuiq; ſit dimetienda. Ad id ego præcipuè exiſtimo pertinere, vt non aliorum vtilitatem, quæ ſimulando ſæpe, & diſſimulando à rectoribus probis, & prudentibus curanda eſt, ſed propriã cuiuſq; auiditatem gloriæ, & ambitionem ſeſe oſtentandi, atque ingerendi hoc Pauli præcepto putem eſſe repreſſam, quandoquidem hoc ambitioſæ cupiditatis genere nihil Chriſtianæ humilitati, & inter fratres cõcordiæ, ac conſenſioni poſſit eſſe infeſtius. Nam quæ ad commodum, & fructum aliorum ſuſcipitur ſimulatio, ſiue ea ad inducendum hominum mentes in ſtudium ſanctæ, & rectæ religionis, ſiue ad eoſdem ab aliquo crimine, & vitio deducendum ſuſcepta ſit, ſiue eadem ob rem illam, cauſamq; ſimulatur, vt occultatis proprijs cuique, & peculiaribus peccatis, ne aliquo malo exemplo cæteri ad peccandum prouocentur, ſiue quoquo modo quis ſimulat, vt ſimulatione ea reliqui meliores, prudentioresq; efficiantur. Nihil autem ex ea ſimulatione ad illum ipſum qui ſimulat, aduentitiæ gloriæ, vtilitatisque referatur, ſed ſit totum illud conſilium ſimulandi, aut diſſimulandi ad æquum, ad bonum, ad commodum cæterorum, ad laudem, gloriamque Dei intentum, atq; ſuſceptum, nunquam ego ſimulationem eiuſmodi, aut ab Apoſtolo interdictam, aut Deo, & conſcientiæ aduerſariam confitebor, quippe quam video planè non participem eſſe vanitatis, ſed miniſtrã potius & comitem veritatis. Et ſi enim in progrediendo ea, & in agendo contrahat forſitan aliquid extrinſecus fucatæ apparitionis, quo perſtringat animos intuentium, eosque habere poſſit in poteſtate: tamen cum ab optima profecta animo, ad optimum item, & cæteris ſalutarem contendat finem, quæ in extremo & primo proba eſt, ne in medijs quidem degenerare eſt exiſtimanda. Nec vero quicquã foras egreſſi falſum ex animo, aut reprehendendum poteſt, quod ſuapte natura ſanctum ſit. Sed nihil ſanctius eſt, nihil in omni genere Chriſtianæ virtutis præſtabilius, quàm procuratio alienæ ſalutis. Ea enim charitas eſt & cum Deo maxima neceſſitudinis, bonitatisq; cognatio. Quæ ergo ad hanc aliorum curam amanter prouideq; gerendam ſuſcepta interdum ſimulatio eſt, non illa ex mendacio ducta, ſed ex veritate orta eſſe intelligatur. Non igitur ſemper malum eſt ſimulare, ſed tunc ſimulare malum eſt, & peſtiferum, & fugiendum, cum ipſa ſimulatio nequaquam alienum, ſed ſuum cõmodum reſpicit, quod eſt ferè cum alterius damno, iniuriaque

conſiſ-

munctum. Itaque & Dominus Iesus natura hominis assumpta, infirmitatis vim nonnunquam dissimulauit, & Petrus cùm se a coetum conuictu abduxit, ne ex Iudæa hospites in ipso offenderentur: Paulus quoque noster cùm Timotheum iussit circumcidi, cumque ipse ante templi ingressionem legitimis illis purgationibus se expiauit, simulauerunt omnes isti profectò, aliudq; voluit, & opere promptũ habuerunt, quàm in animo gererent, in conscientia, sed simulârunt in alienum, non in suum commodum. Idcirco neque illorum simulationi repugnauit veritas, consilium iuuandi, ac confirmandi cæteros approbatio in illa conscientiæ est consecuta. Quia quod agere instituerant, vt eruditarent cæteros, in eo simulare, aut dissimulare aliquid nequaquam à Deo alienum esse duxerunt. Quare tibi assentior saepe simulationem interdum, & dissimulationem in vita recte suscipi posse. Illud quoque difficilioris operæ, & maioris laboris esset dijudicare, vtra sit Deo gratior, & ad hominis felicitatem accommodatior, vita pacatane, & Deo in solitudine, ac otio seruiens: an quæ in negotiis occupata est, & districta, non huius ea de re agere statuo esse temporis. Est enim maximis quibusdam illa implicita difficultatibus, multosque habet ex vtraque parte patronos, quorum nunc controuersias disceptare longum est. Nam quòd tu factum Domini in præponendo cæteris Apostolis Petro tecum facere arbitraris, alius tibi dictum Domini obiiciam, & tanquam decretum facilè opponeret, quo is Martha de Maria sorore conquerenti, quòd se in cura, & labore apparandi hospitij illa deseruisset, tantumque in audiendo Domino occupata: Respondit sororem eius Mariam optimam electionem sibi partem, quæ illi nunquam adimenda esset. Sed, vt dicam non intrabo altius, neque hunc diem Paulo destinatum in alium genus disputationis conuertam, hocque libentius sermonem hunc relinquam, quòd spero hunc eum ipsum (sic autem loquebatur me intuens) aliquando tempus, otiumque capturum, quo nobis separatim de ista ipsa re quid sentiat ipse, vel disputando, vel in scriptis tradat, atque demonstret. Quamobrem nunc quidem Sadolete reuertitor ad Paulum, & quæ iamdudum exorsi es, ea nobis porrò pertexito. EGO VERO, inquam, ita faciam, ac lubens. Vestris enim istis sermonibus tanquam bono cibo, ac bene condito recreatus, ad omnem nunc laborem exurgam paratior. Ac primum vobis illud proponam, Paulum tanquam dispensatorem bonum, & corpus totum Ecclesiæ concors, atque vnum retinere cupientem, suppeditantem partibus singulis, quæ cuique congrua sunt, primò fecisse verba de his, qui in societate fratrum, & in æqualium cœtu pares inter se sunt, quorum nemo quidem debet plus quam ab aliis concessum sibi sit,

aut in curatione, aut in consilio dando velle sibi apperere, ne nimis curiosus & molestus, aut etiam sectator inanis gloriæ esse videatur. Nunc verò etiam de iis, qui inferiores sunt, quo pacto gerere se debeant erga maiores, necnon quemadmodum maiores, & potentiores ipsi imbecilliotibus se dedant, idonea præcepta tradere. Nunc lege tu, quod sequitur.

Omnis anima potestatibus excellentibus subiecta est. Non enim est potestas nisi à Deo. Quæ autem sunt potestates, à Deo ordinatæ sunt. Quare oppositus potestati, Dei ordinationi obstat. Qui autem obstiterunt, sibiipsis iudicium capient. Principes enim non sunt terror bonorum operum, sed malorum. Vis non formidare potestatem? bonum fac, & habebis laudem ex illa. Dei enim minister est tibi in bonum: Si verò malum feceris, formida. Non enim frustra gladium portat. Dei enim minister est vindex in iram malum agenti. Ideo necesse subiici, non solùm propter iram: sed & propter conscientiam. Propter hoc enim & vectigalia penditis. Ministri enim Dei sunt in hoc ipsum insistentes.

OMNEM à Deo ordinatam, & constitutam potestatem vita ipsa demonstrat, quæ si non ordinibus his, & gradibus distincta esset, vt subessent alij, alij verò præessent, nec legi esset locus, nec bono mori esset locus, omniaque confusa, & perturbata forent. Porrò omnis ordo, & omnis bona ratio à Deo est. Sunt igitur à Deo principatus, & potestates. Atque hic de ipsis potestatibus, non de principibus est sermo. Omnis enim sancta, & commoda potestas est, non omnis princeps commodus. Nam multi quidem ad principatum per scelus, nefasq; perueniunt, & in eo, quod malè sunt adepti, flagitiosius etiam versantur. Quid ergo? Num malo principi subiecti esse debemus? Debemus equidem, vt feramus patienter illius insolentiam, nō autem vt alacriter parere illi debeamus. Etsi enim princeps improbus est, tamen sancta est potestas. Ex quo quis nouos hosce hæreticos non coarguendos esse intelligat, qui hoc caput Pauli cùm optimè nossent, cùm cæteras quidem humanas potestates, tum verò illam, quæ præcipuè ex Deo est, pontificatus summi authoritatem infringere sunt conati? Si enim potestas omnis à Deo est, cui non ista sit, quæ ab illo nominatim Petro fuit commissa? hanc igitur negent Petro quicquam peculiariter à Deo fuisse commendatum, & traditum, aut si inficiari hoc non possunt, pontificatum summum fatentur potestatem esse institutam à Deo. Ac-

enim si quid Deus Petro commisit, ipsi vni commisit, succes-
sionem autem eiusmodi commissionis ad posteros nullam vo-
lunt dimanare. Quæ ergo ista est potestas, quæ in vno homine, &
cepta, & terminata est? aut quam huiuscemodi potestatem,
quinquam cognoscit vita? Saulem regem primum post iudices
Israel creauit DEVS, neque mentionem successionis fecit,
quid vnus homo rex duntaxat nominatus est? an regnum
illi constitutum, & factum, in quo qui successerunt, ean-
dem quam Saul potestatem omnes sunt adepti. Quod si quis re-
gno malè, aut pontificatu vsus sit, omnino Christianæ fuit pie-
tatis pati, atque perferre, aliorumque malitiam, vt suæ virtutis
exercitationem accipere. Sed tamen si reclamandum fuit, & resi-
stendum, homines erant notandi, non ipsæ labefactandæ, euer-
tendæque potestates. Vtinam quidem omnes, qui ad hunc sa-
crum, sanctumque honorem à Deo sunt sublati, nosse vellent,
atque animaduertere, quid sui muneris officijque sit. Ipsum qui-
dem munus, atque officium nos institutum à Deo, & credimus,
& veneramur, quòd is, qui nunc gerit optimus certè Pontifex,
& Religione ac pietate erga DEVM præditus, difficilimè, vt vi-
deris, potest sustinere, quando superiorum errata grauia Pon-
tificum molem hanc malè hærentis Ecclesiæ, quam ipsi labe-
factauerunt, & cuius ipsi fundamenta conuellerunt, in huius in-
nocentissimi caput cogunt procumbere. Ita omnia vbique sunt
cum domesticis dissensionibus pessimisque voluntatibus, cùm
bellis, atque armis violata, atque rupta: quodque dolentius
deplorandum est, tanta facta est legum, & bonorum morum
vanitas, vt omne propè iam fidei Religionisque in Christiana
Ecclesiæ vestigium oppressum, aut deletum esse videatur. HIC
LANGEVS Iure ista, inquit, deploras Sadolete, quæ hac nostra
ætate cuncta fermè in deterius lapsa sunt, nec dum malorum
finem cernimus. Regem quidem nostrum sæpe audio loqui, quo-
ties de his hæreticis sermo est, non se videre, cui rei, aut cui ho-
minum vtilitati ista noua factio exorta sit. Nam cæteros antè, qui
nouas aliquas opiniones, & sectas in Ecclesia Dei intulerunt,
bene moratos ipsos, atque castos, modestiam quandam, & tem-
perantiam præ se tulisse, atq; aliquid omnino in commune attu-
lisse, quod ad correctionē vitæ pertineret. Hos verò, qui & conta-
minatis morib. viuerent, & ea, quæ in fide CHRISTI, ac creduli-
tate posita sunt nefariis, & prauis, sępeq; antea damnatis opinio-
nib. peruerterent, nullo modo esse ferēdos. Itaq; acriter illos edi-
ctis, armisq; insequitur, nec in tanta amplitudine regionū, quan-
tis ipsius imperio scitis esse subiectas, vllū patituristorū sceleris &
impietatis vestigiū remanere. Nam q̄ ad cęteros ingenuos mores
attinet, nulli omnino terrarū arbitror Galliā nostrā, neq; æqui-
tate

tate inter suos, nec humanitate aduersus hospites, neque verò erga Deum pietate, ac religione concedere. MAGNA inquam, ista est laus, cùm totius gentis, tum imprimis Christianissimi regis nostri Francisci, cuius ego quoque imperio, & potestati subiectus sum. Namque, quemadmodum ambo nostis, Carpentoracte vrbs in Gallia prouincia, cuius quidem curam, rectionemque ciuitatis, quod ad spiritualem prouidentiam attinet, Pont. Max. voluit me gerere, ipsa quidem pontificiæ ditionis est, feliciterque sub tutela ecclesiasticæ mansuetudinis acquiescit, Sed habet suæ diœceseos partem in Galliæ regno constitutam, qua occasione, quoque iure ipsi quoque regi fidelitatis sacramento sum obstrictus, gaudeoque plurimum mihi ita contigisse, vt sub duobus optimis, & clementissimis principibus illa mihi cura, & administratio spiritualis muneris gerenda sit. Non enim verent tantis præsidiis munitus, quin meum mihi certè charissimum & dilectissimum gregem ab incursione, insidiisque luporum facilè tutari possim, præsertim cum Regis iustitia, & prouidentia, vt te memorare audio Langee, itemque omnium communis sententia fertur, in ingenuis, & rectis moribus Gallia permaneat. Ex quo illam sapientissimi hominis vocem iure probari ab omnibus intelligo, Quales in rebus publicis principes ipsi regesque sint, tales ferè reliquos ciues esse solere. Et verè vobis, vt confitear, amicissimis mihi hominibus, iampridem est cùm ego nihil appeto, cupioque ardentiùs, quam me ad meam conferre Ecclesiam, atque in ea Deo perpetuò deseruire, vt eidem etiam vestra ista tranquillitate mi Langee, & humanitate Galliæ perfruar. Ex qua quidem regione cùm te omnium, & tam insigni morum elegantia præditum esse conspicor, facilè de genere vniuerso amplè, honesteque existimo. Quanquam cùm alios quoque complureis illinc habeo cognitos egregios & præstantes viros, de quibus sæpe, & libenter loqui soleo, tum verò vnum habeo semper in ore, quem maximè admiror, Antonium Pratum summi senatus in Gallia principem, qui nunc Senonum Archiepiscopus est. Quo homine quid quæso maius aut admirabilius dici, aut proferri potest? Ac mitto doctrinam in eo, iuris ciuilis scientiam, in qua etsi est maximus: summam tamen laudem aliunde sibi, atque ex eo potiùs peperit, quòd est ingenio, quòd prudentia, quòd integritate eximius, quòd illius cura, & prouidentia optimo rege sic volente leges, & iura in Gallia præcipuè vigent, locusque fraudibus, atque iniuriis angustior est relictus. Sed ego habeo aliud in eo, quod me maiore administratione afficiat. Homo enim prouectiore iam ætate, grauibus iam diu curis, & tantis laboribus perfunctus, quantos videlicet afferre potest amplissimi regni, & tantarum rerum procuratio: ae-

qua-

quam adhuc tamen neq; labori succumbit, nec oneri. Quod
credibile videri possit, nisi si quis ingenij eius, atq; animi vim,
stantiamque cognoscat, quæ ea, quæ difficilima sunt, redigit
facilia. Regis quidem sapientiam summoperè laudo, qui ta-
virorum opera atque industria libenter vtitur. Hoc enim
præcipuum semper visum est imperij firmamentum, vt ij
mines adhibeantur ad gerendas, & communicandas res, qui
torem, ac fidem in vita esse primariam putent. Sed vt dice-
, veniet profectò illa dies, & aliquando dabitur illud tem-
quo me ex his curis, negotiisque euolutum pacata, & tran-
illa excipiet vita, licebitque operam omnem impendere opta-
mis studiis, tuncque inquirere, & videre vtra vita sit præsta-
, quæ in silentio, & quiete posita est, an quæ in turba,
negotio. Quod ego exquisitiùs fortasse potero disceptare,
plerique, quòd non tam doctrina quidem, quàm vtriusq;
vsu fuero edoctus. Et quidem huic Pontifici optimo, ac
dentissimo libentissimè inseruio. Quid enim illo est probius?
mansuetius? quid dignius? quod ametur ab omnibus, atq;
? Veruntamen meum hinc discessum, & hanc relictionē
alienarum, ad meumque gregem accessum, & profectio-
mei à me officij ratio, & Deus, & conscientia ipsa vehemen-
effligitat. TVM TRIVLTIVS, Ecquid animaduertis, in-
, Paulum affirmare omnem oportere animam subiectam
potestatibus excellentibus? Cur igitur de te mittendo, aut
endo non Pontificis fuerit potestas? Et tamen non te de-
, quin adiuuabo etiam, vt quod tantoperè expetis, id tibi
factu sit, ex tuaque sententia eueniat. Spero enim si in ociū
contuleris, aliquid per te effectum iri, quando tantoperè stu-
rum auidus es, quod nobis quoque amantibus tui magnis li-
regionibus, spatiisque disiunctis & iucunditati, & emolu-
to esse possit. Nec Pontificem ipsum arbitror in alia futurum
voluntate, qui vt humanissimus est, & liberalibus studiis e-
gregè fauens, animum istum tuum boni consulet, & in optimā
te accipiet partem. Illud tibi confirmo, si te in Galliam, & ad
clesiam tuam contuleris, futurum vt nec prouinciæ te, nec
orum hominum pœniteat: Regi quidem optimo, & præstan-
mo principi tuam etiam quietem, & tranquillitatem curæ
non dubito. Sed redeamus iam, vnde sumus digressi. RE-
TE ADMONES, inquam, & cernis quidem Paulum in paucis
verbis cùm obedientiam, & studium parendi in subiectis,
etiam in principe modum, & rationem potestatis exprime-
, vt se præsidem, & curatorem intelligat. constitutum esse à
ad salutem, pacemque bonorum, & ad terrorem ac metum
proborum. Potestas autem varia est, & multiplex. Vel enim vt
paren-

parentis in filios, vel vt regis est in subiectos, quanquam ex patria quidem potestate regia illa videtur initium, originemque duxisse. In eo certè differunt inter se, quòd pater, quæ per amorem facienda sunt, vt qui ab eo reguntur, probi, rectique exudant, in iis acrius se, diligentiusque exercet: Rex verò in iis quæ per potestatem, & timorem. Domini quoque in seruos imperii certum est, atq; in discipulos magistri, qui tamen sponte illi se subjiciunt. Virorum porrò in fœminas naturalis quædam est potestas. Nam seniores iunioribus non imperant, sed ab illis in honore habiti, & ob ætatis reuerentiam culti ius quoddam auctoritatis, & doctrinæ in illos videntur obtinere. Has potestates legitimas, atque sanctas, à Deoque institutas qui peruertunt, ac labefactant, vel detrectando aliorum imperia, maioribusque repugnando, vel illas ipsi in se praue, perniciosèque gerendo, omnes hi Dei sunt hostes, magnoque suo cum damno, atque adeò exitio opponunt se ordini, & instituto summi Dei. Est enim planè princeps Dei minister ad insudandum, & vigilandum, vt ius teneatur, & omnium ordine constituta vita sit. Atque ob eam causam & vectigal illi penditur, & tributa persoluuntur, quæ principi, & regi libenter reddenda sunt. Nam quòd ait, nos debere principibus esse subiectos, non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam: Alterum dictum est, vt malum ex iracundia contempti regis vitemus, alterum, vt virtutis, & boni moris simus participes, quod assequemur, si non coacti, vt nolentes, ac repugnantes, sed tanquam edocti esse in principibus publicam vtilitatem constitutam, sponte illis, & libente animo subjiciemur.

Reddite igitur cunctis id, quod debetur: cui vectigal, vectigal: cui tributum, tributum: cui timorem, timorem: cui honorem, honorem. Nemini quippiam debeatis, nisi vt diligatis inter vos. Qui enim diligit alterum, legem impleuit. Etenim non adulterabis, Non occides, Non furabere, Non pro testimonio mentiris, Non concupisces: & si quod aliud præceptum est, in hoc sermone comprehenditur, qui est, Diligas proximum tuum, sicut teipsum. Dilectio proximo malum non operatur. Complementum igitur legis est dilectio.

REDDITE dixit, quoniam debentur ista, non donantur, & omnia ad principes, ac potestates relata sunt, quorum vt teneatur imperium, & authoritas, vectigalia necessaria sunt, quæ sunt certa, & annua emolumenta Reipub. Tributum verò extraordinaria coactio pecuniarum est ex aliqua noua, & aduentiua ratione indicta, cum proportione opum, & facultatum vnius-

quis-

quisque contribuit. Timor autem, atque honor eidem principi debentur. Et sanè expediebat nouos docere Christianos, non esse illis libertatem, quam ex CHRISTO acceperant ad contemptum principum, & legum conuertendam. Reddi igitur illis, quæ eorum sunt, iubet, nihilque quod cuiquam debeatur teneri, præter vnum, quod eiusmodi est, vt & reddatur semper, & debeatur, quod est, vt diligamus inter nos. Mutuæ enim benevolentiæ est hoc proprium, vt se acuat semper, vegetetque alternus amor, neque illud, quod intercurrit mutuum, refrigescere vnquam, aut extingui sinat. Et certè qui hanc proximo benevolentiam impendunt, legem totam obseruant, quatenus illa ad prohibendas iniurias, & offensiones lata est. Non adulterabis enim, Non occides, Non facies furtum, Non in alterius iactum mentiere: Nihil deniq; alienum, & non tuum concupisces. Si proximum tuum tanquam temetipsum amabis. Itaq; summa omnium huiusmodi præceptorum proximi dilectio est, in eaque completur imperium legis, quoniam qui propter amorem, bene vt sit alteri optat, non quemadmodum illum lędat, sed quo pacto illi sit vtilis, & commodus, aget potiùs semper & cogitabit.

Et hoc cùm sciatis temporis opportunitatem, quoniam hora nos iam è somno excitari. Nunc enim propius est nostra salus, quam quando credidimus. Nox præcessit, dies autem appropinquauit. Deponamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis: sicut in die honestè ambulemus. Non comessationibus, & ebrietatibus: non cubilibus, & petulantiis: non contentione, & obtrectatione: sed induamini Dominum IESVM *Christum: & carnis procurationem ne facite in concupiscentias.*

TANTO, inquit, studiosius mutua inter vos charitate ametis, quantò acceditis propiùs ad vitam alterã, in qua est nobis salus, & beata vita reposita. Est enim tempus nunc maximè aptũ, atque opportunum, iamque instat hora, vt debeamus exurgere ex somno, quando fides nostra ad exitum huius mortalitatis est propior, quam tunc cum initio suscepta est. Etenim hoc loco somnus atq; nox vitæ adhuc remissiori, & in terrenis rebus implicitæ comparatur, in qua somnia, & tenebræ omnia optata nostra sunt. Vt etiam si à turpibus actionibus remoti aliquam bonorum rationem sine CHRISTO tamen ducamus, somnia esse ista intelligamus, quemadmodum Iudęis illæ legis vmbræ cerimoniæque fuerunt. Nam vera, & sola virtus in CHRISTO, & per CHRISTVM est. Sin autem omni dimissa virtutum, & bonorum morum cura, in turpitudine, & in flagitiis viuamus, in nocte, tenebrisque versamur. Nam dies, & lux in eodem tantùm

CHRI-

CHRISTO est. Iubemur ergo si quid etiam nunc remanet in nobis noctis, & somniorum, excutere id totum, atque abjicere, surgereque velut oriente die, id est, appropinquante tempore vitæ beatioris, cùm Deum non in ænigmate ampliùs, neque sub inuolucris, sed toto contuitu nostro contemplaturi mox simus. Cui luci & diei hæc comparata vita, non quidem nox est, si bonis, & sanctis operibus traducatur, sed diluculum potiùs, & auroræ prima illa prægressio diem nondum afferentis, sed annunciantis, cum qua nos excitati, ac consurgentes nosmetipsos componimus, atque adornamus, vt honestiores, ac decentiores ingrediamur. Huius enim compositionis curam dies à nobis postulat, nox remittit. Atque hic videndum est, cùm Apostolus inter fidei nostræ in CHRISTVM credulitatisque initium, & inter finem, exitumque vitæ, nos tanquam in operibus carnis, & concupiscentiæ adhuc positos ad modestiam, & continentiam, & ad CHRISTVM ipsum reuocet, falsam esse illorum sententiam, qui existimauerunt, & si qui in eadem nunc opinione sunt, post acceptam fidem CHRISTI, & post baptismum nullum ampliùs peccatum, quod committatur, veniam, aut pacem apud Deum inuenire. Ecce enim disertè hoc loco, & palam homines cognito, & adscito iam fidei mysterio in comessationibus, & in contentionibus implicitos excitat rursus Apostolus, & prouocat ad induendum CHRISTVM: quod profectò non faceret, si esset spes veniæ & misericordiæ post criminum nouationem peccatoribus penitus interempta. Non is est CHRISTVS seruator noster, qui tam seuerè, & asperè nobiscum agat. Non talis in eo erga nos amor, neque tam infirma, & fragilis ad opitulandum nobis diuina voluntas. Venit ille in mundum, vt saluti omnibus esset, neque semel hoc effecit, vt fraternam suam erga nos ostenderet charitatem. Non facit autem quotidie, imò diebus omnibus, neque diebus solùm, sed & horis, atque punctis, quos pœnitet criminum suorum, hos de integro amplectitur, & consortes secum paterni regni nominat. Cuius tantam humanitatem, tam excellens, & singulare nostræ salutis studium iniqui fatebimus, si non agnoscamus, si non omnis illi gratiæ, omnis beneuolentiæ, omnis officij ac studij fateamur nos debitores, nec tantum fateamur, sed quoad possumus, id quod debemus alacriter persoluamus. Non enim principi, & proximo iubemur reddere, quod debitum sit, & non reddemus Deo? Verùm Nouatiani, qui huius sententiæ dicuntur fuisse authores, quique potissimam in Deo virtutem benignitatis, & misericordiæ illi adimere studuerunt, pœnitentiamque superuacaneam in nobis, & sine fructu veniæ inanem constituere, piè, & sapienter ab Imperatore Constantino illusi sunt, cùm is iussisset illos qui talia præ-

dica-

tent scalam capere ipsos, si possent, & in cœlum solos ascen-
Nos verò cum Paulo, & cum veritate sentiamus, quo magis
tum vitæ accedimus, & quo lumini melioris vitæ efficimur
piores, hoc nobis studiosiùs esse, enixiusque curandum, vt de-
to nocturno habitu carnalium appetituum, diei, atque lucis
potes reddamur, tanquam in conspectum hominum prodi-
Quòd si per vrbem interdiu ambulantes vestimenta ea ge-
us, quibus membra nostra ab oculis intuentium obtegantur,
dorisque in ea re, & honestatis rationem summam habemus,
obsecro vestimenta sumemus, quæ oculis Dei nos occul-
qui quoniam intus, & in ipso corde nos cernit, nulla alia ve-
obtegere, & velare nos valemus, quæ arceat illius conspectū
rpitudinibus nostris, præterquam pudore, & continentia, i-
que veritate, qui est CHRISTVS. Hunc igitur ipsum depo-
, & reiectis illis carnis vestibus, quæ non corporis superficiem
uxat, sed hominem totum tegunt, atque obnubunt, comes-
nibus videlicet, & petulantiis, & rixis, induere penitus debe-
tanquam vestimentum eiusmodi, quod nullam corporis, a-
que partem, expertem honoris, & venustatis esse sinat. Quo
mio pro nobis, quoniam & nos quoque cum illo commor-
carni peccati esse debemus, idque in baptismo, & fidei sacra-
to sumus professi, carnis curam vllam ne geramus, quate-
ad concupiscentiam illa propensa est, hoc est, nihil illi in-
geamus præter id, quod debetur, nec auiditati illius intem-
tiæque seruiamus, sed tantùm ea suppeditemus, quæ ad ob-
dum munus communis vitæ sunt necessaria.

*Imbecillum autem fide suscipite, non in disceptationes dispu-
tationum. Hic quidem fidit vesci omnibus. Imbecillus verò ole-
bus vescitur. Qui vescitur, non vescentem ne aspernetur: & qui
non vescitur, vescentem ne iudicet: Deus enim eum suscepit. Tu
quis es, qui iudicas alienum famulum? Proprio Domino stat, vel
cadit: statuetur autem. Potens enim est Deus statuere ipsum.
Hic quidem iudicat diem ad diem: hic autem iudicat omnem
diem. Vnusquisque in proprio sensu sibi satisfaciat. Considerans
diem, Domino considerat: & non considerans diem, Domino
non considerat. Qui vescitur, Domino vescitur: gratias enim
agit Deo: Et qui non vescitur, Domino non vescitur, & gratias
agit Deo.*

Scio horum Pauli verborum communem hanc doctorum
interpretationem esse, quòd cùm fides CHRISTI iugum illud
legis Mosaicæ laxasse videretur, & onus subleuasse, quod vt Apo-

ſtolus Petrus in actis, inquit, etiam antiqui patres ferre non potuerant, eſſentque illæ obſeruationes & differentiæ dierum ciborumque ſublatæ, vt CHRISTVM iam ſectantibus nihil immundum, neque aſpernabile videretur eſſe eorum, quæ creauſſet Deus, contingebat, vt hæc perſuaſio, quæ eſt nil habere diſtincti, neque diſcreti, neque in tempore, neque in cibo à multis ſuſciperetur, & re, atque facto vſurparetur, quam aliqui è contrario tanquam ex Iudaiſmo, & ab illis multis obſeruationibus adhuc recentes exhorreſcebant, duplici quidem de cauſa hæſitantes. Primũ quia longa illa opinione imbuti per huiuſmodi abſtinentias & obſeruationes iuſtitiam, & virtutis habitum ad Deum rectiùs colendum acquiri, nondum ab illa voce legis, illoque imperio animum ſuum vacuum liberumque habebant. Deinde quòd diuturno iam vſu quiddam naturæ ſimile contraxerant, vt à cæterorum eſculentorum conſuetudine, atque eſu non poſſent non abhorrere. Ac prior quidem ille legis timor ad imbecillitatem fidei pertinebat, hoc autem poſterius quorundam ciborum faſtidium ad carnis infirmitatem, quæ tamen poterat aliquo modo excuſari. Nam metus ille legis in noua CHRISTI vita, reprehenſione vera non carebat: Fiebat autem vt in hac voluntatum, & conſuetudinum diſparitate aliquæ inter eos diſſenſiones exiſterent. Cùm qui eſculenta omnia ad veſcendum admitterent, tanquam nihil in his rebus eſſet, quod ad diuinæ gratiæ adeptionem alterutram in partem momentum aliquod afferret, neque in obſeruationibus & diſcriminibus dierum, aut ciborum ſalus noſtra, ſed ſolùm in vera fide erga Deum per Ieſum Chriſtum eſſet poſita, illos contemnerent, qui in ea adhuc cura eſſent occupati, vt cibos, dieſq; alios ſuſciperent, alios aſpernarentur, idq; imbecillitati, & inconſtantiæ illorum fidei aſcriberent. Illi verò è contrario hos, qui omnia paſſim admittebant, nullamque diſtinguendo rationem ducebant, neq; ciborum, nec temporum, intemperantes, & irreligioſos eſſe arbitrarẽtur. Quæ illorum diſſidia præmetuens Apoſtolus, ne ad dedecus illa Chriſtianæ fidei, & ad detrimentum pacis, charitatisq; erumperent, huic malo mederi nititur, atq; hoc oſtendere non in his diſtinctionibus, neq in obſeruantiis ciborum, & dierum, ſed in charitate, & pace, Dei regnum conſiſtere. Atq; ipſe qui dem illorũ partes magis amplectitur, qui in meditationibus ſpiritualibus vim fidei exercentes hęc exteriora ne animaduertebant quidem, eademque, & paria omnia eſſe ducebant Hi enim cùm & liberiores & fortiores erant, profectò tum in virtute fidei multò firmiores. Sed tamen conueniebat, vt qui iam in fide robuſtiores erant, imbecillorum & lapſantium potiùs miſererentur, quam per reprehenſiones, & iurgia illis moleſti eſſent. Quin etiam cùm viderent

eos

illa in se suspicione offendi, quod communem ciborum o-
rum vsum magis ad intemperantiam vitæ, quàm ad fidei ro-
illi putarent pertinere, causam illius offensionis iis adimit
us, & hos firmiores hortatur, docetque æquius esse, vt
inent se, & accommodent ad alienam infirmitatem, deq; illa
lentorum libertate aliquid remittant, quàm insistendo in ea
sociis causam malè de se sentiendi, grauiterque suspicandi.
quidem, inquit, regnũ Dei non potus est, neq; cibus, sed
& inter fratres charitas. Hæc est monitio Pauli ad robustos,
imbecilles altera. Ne de his ipsi, qui omnia vt munda susci-
nt, nullumq; faciunt discrimen aut dierum, aut ciborum, tan-
m de incontinentibus, & intemperatis audeant iudicare, cùm
a Domino in numerum seruorum iræ recepti sint, & Domini
de seruis suis iudicatio, nõ autem nostra. Quod si & qui cunctis
stitur, vescatur Domino, agatq; illi gratias, & qui plerisq; absti-
Domino item abstineat, hoc est, si vterq; vtrumq; in hono-
Domini agat, & in illius gratiam, laudemq; moueatur, non
stinendo est, neq; in vescendo, sed in inseruiendo Deo vera
gio. Hæc mens verborum esse Pauli existimatur, & ad hunc fi-
tota hæc suscepta monitio, ac cohortatio, perspicuè quidem
ostendat omnia munda mundis, latentius autem, vt etiam il-
inferat legis regulas, & interdictiones de esculentis obserua-
ibusque temporum nullius ad salutem momenti existere,
ndo salus quidem in spiritu, & fide in Deũ per IESVM Chri-
, tantùm reposita est. Sed ego in hac potiùs sententia sum,
non de abstinentiis, & obseruationibus legis fit sermo,
de his, quas sibi quisque ob cupiditatis, & carnis motus com-
endos ad arbitrium suum statuit, atque præscribit, cuiusmo-
ultæ nunc sunt ab Ecclesia de ieiuniis, discriminibusq; tem-
rum, ac ciborum legibus latis obseruantiæ indictæ. Vt autem
intelligam illa imprimis firma, & valida ratio me mouet,
quòd si de differentiis esculentorum his, quæ à veteri lege sta-
tæ sunt, oratio haberetur, nequaquam hortaretur Paulus, ac
permitteret quidem eos, qui in fide iam robustiores delectum
ciborum omisissent, ad eorum, qui in fide adhuc titubarent, ac
facis ritibus tenerentur superstitionem inclinare. Non e-
id esset alios in fide confirmare, sibique eos adiungere, sed
potiùs fidei præuaricari. Quo igitur pacto intelligendum
primùm vt fidem hîc pro fiducia accipiamus. Etenim hu-
verbi in hac sententia vis à Paulo non rarò est vsurpata, ne-
ea tamen à communi intelligentia aliena abhorrensque
Deinde vt credere, quod Græcè πιστεύειν, transferamus confi-
. Qui ergo sibi parum confidebant, nec se facilè frenare cu-
pitates suas, aut carni posse resistere arbitrabantur, opem sibi,

& remedium à ciborum lautiorum abstinentia quærebant: qui verò è contrario in fide, & amore Dei erant flagrantiores, facilè illo ardore animi erga Deum inflammati cupiditatum fluminis omneis obruebant, intentique, & ablati rerum diuinarum inuestigatione nec cibos, nec tempora vlla discernebant, parem in omnibus honorem, & gratiam Deo habebant, quod sanè esset potentioris, & firmioris fidei iudicium. Verùm accidebat, vtin diuersis consiliis, & actionibus alteri de alteris minùs commodè suspicarentur. Qui enim spiritu feruentes carnem non agnoscebant, infirmiores illos luctanteis aduersus carnem, & ieiunio, atque inediis impetum illius frangere meditantes quodammodo irridebant, & veluti molles, atque eneruatos habebant despicatui, hocque agebant non vt parum fideles, aut spirituales, sed vt parum prouidi, tanquam qui doctrinæ prudentioris indigerent. At illi è contrario, qui molestias carnis ne esu quidem olerum duntaxat, & pomorum poterant propulsare, primum hos mirabantur ad omnia passim manus, osque admouentes, deinde grauius etiam aliquid de eis suspicabantur, nec fieri posse existimabant, vt cum virtute, & continentia, & religione vlus omnium ciborum, & licentia iungeretur. Ita horum vterq; ordo alteri ordini peccandi aduersus fratrem, & charitatis vinculum violandi præbebat occasionem, à quo nunc vitio eos Paulus, atque errore dimouere nititur, redigereq; in vnum studet omnes, & in consensu mutuo, ac fraterna societate continere. Sed quid est Lange, quod inceptas? Video enim ex gestu, atque vultu habere te aliquid, quod nostris sermonibus putes opponendum. HABIO enimuerò, inquit ille. Et profectò quando de ieiuniis & obseruationibus inducta est mentio, aut hodierno die, magna ac diuturna animi mei dubitatione exoluar, aut nunquam alias. Etenim quòd illæ obseruantiæ temporum, & ciborum, quæ præscriptæ, & traditæ in lege Moysis sunt, minimum siue adeò nihil ad comparandam salutem valeant, planè persuasus sum, idque tam ipsi & Paulo totiens affirmanti, & fidei Christianæ credidi, sed quòd eædem mox in fide CHRISTI, & in nostris moribus, ac ritibus magna ex parte relatæ sunt, quam obsecro te causam, aut quam habere rectam rationem ista res potest. Neque ego nunc conciliorum reprehendo Ecclesiæ, quam & semper syncera mente veneror, & omnia eam sanctè ac sapienter instituisse iudico. Sed hoc intelligo hoc planè cuiusmodi sit, cupioq; id mihi explanari perte, & disseri. Equidē hæreticos hosce, qui ita superbè, & ferociter spretis ipsius Ecclesiæ decretis, legibusq; ruptis & cibos, & tempora ad suum arbitrium, libidinemq; reuocauere, non solùm accusandos, verùm etiam detestandos, & cum horrore quodam eorum contagionis à cunctis, qui in fide CHRISTI constituti, reſu-

...giendos esse censeo. Veruntamen inter nos, quod cum mo...
...a, & pietate licitum sit, & quæri de his rebus, & disputari
...est incongruum. Quæro itaque de te, cùm legis veteris de-
...quatenus ad differentias ciborum, & ad dierum quorun-
...selectus, & discrimina pertinent, mundarumque, & inqui-
...um in se rerum distinctiones, necnon purgationum, &
...onum continent præcepta, noua CHRISTI fide abro-
...; antiquataque sint, nosque ab his oneribus, & vinculis so-
... Christiana libertate perfrui debeamus, cur sanctorum pa-
...n decretis, & Romanorum Pontificum institutis ad eadem
...; aut grauiora etiam perferenda rursus simus redacti atque
...ti? cùm si vis veræ religionis capienda sit, in vna fide erga
...m, & in spirituali nostro Dei cultu, nostræ salutis ratio po-
...esse intelligatur. Quid sibi ergo voluerunt summi Pontifi-
...; antistitesque Romani? qui quasi hac re potissimùm sui pon-
...tatus memoriam ad sermones hominum commendare cu-
...nt, addiderunt penè vnusquisque aliquid, de antiquioribus
...loquor, quo nostra seruitus in obseruandis eorum scitis, at-
...præceptis indies fieret grauior, & maioribus propè quàm
...Iudæos oneribus premeretur. Ac vt nonnulla, ex vetustis Iu-
...rum ritibus, & obseruationibus ciborum atque temporum,
...non purorum impurorumque contactuum (nam de cerimo-
...supra abundè dictum est) in medium adducam, eaque cum
...conferam moribus, festum illi diem obseruabant septi-
...redeuntem in orbem tempore suo semper, dieque eo ab o-
...omnino gerendis, tractandis, communicandisq; rebus
...ebant, ea ratione quidem, quòd Deus item illo ipso die,
...in antecedentibus sex diebus mundum, & omnes mundi
...fabricatus esset, quietem sibi demũ, & ab omni opere ces-
...nem constituisset. Nos hoc sabbatum ipsum exauthorantes,
...ter prophanos dies numerantes, diem solis, quem Domini-
...appellamus, hebdomadis primum, & initium dierum con-
...entium pro septimo illo in honorem adduximus, ocioque,
...cessationi totum consecrauimus. Esto, sit huiusce quidem rei
...bona ratio, non enim minor videtur deberi honor luci
...qua in nouam vitam exurgente à mortuis CHRISTO pro-
...sumus, quàm illi, qua à vetere vita, & occupata cessauimus.
...tum illud mihi mirari sæpe in mentem venit, quòd cùm extra
...septimum, & nouarum lunarum exordia, quibus vnum
...festum singulis mensibus Iudæa tribuebat, cæteri penè o-
...festi solennesque Iudæorum dies, neque numero multi, &
...ti penè in vnum collati mensem essent, quem illi septimum,
...septembrem appellamus. Etenim excepto Phase die festo, qui
...illis primo, hoc est apud nos, quoad ratio mensium con-

gruere potest, Martio celebrabatur, & Pentecostes, quæ post Phasen die quinquagesimo colebatur, quinq; celebritates reliquæ, neq; enim plures apud Iudæos existebant, in mense Septembri erant collatæ. Nos neq; mensem certum, nec moderatum dierum numerum diebus nostris festis videmur tribuisse. Sed cùm multos solennes, & statos dies in honorem, & memoriam rerum earum, quas Dominus noster IESVS aut gessit pro nobis, aut perpessus est, in varia anni tempora dispersos agamus. Damus quidem hunc honorem DEO & Dei filio à nobis debitum, nec; tam pura, & religiosa mente à nobis quicquam, quàm hoc die colendos, & venerandos ducimus. Addamus his & illos, quos sanctissimæ, & immaculatissimæ virginis eius, quæ DEI filium seruata semper corporis, & animi integritate ex suo vero hominibus effudit, honor à nobis, & tanti beneficij memoriam resirit. Principibus item Apostolorum Petro, & Paulo diem suum concedamus, quo & ipsorum singularis ac diuina virtus, & Apostolici collegij totius memoria in honore à nobis habita esse videatur. Tantum quidem præterea festorum, ociosorumque dierum numerum, quantus ab Ecclesia in nostros mores, & intellectus est, & colitur, nónne sunt, qui arbitrentur magis ad dissolutionem animorum, & corporum, quàm ad vllam egregiam pietatis vtilitatem vim habere? quanquam sanctè quidem omnia ab Ecclesia constituta, & optimo animo inducta fuisse non dubito. Veruntamen euentus rerum effecit, vt nonnulli, quid erimentum, & iacturam ex nimio ocio sentiebant, consilium autem Ecclesiæ non ita planè perspiciebant, alium sibi ordinem ipsi, & alium modum festorum colendorum dierum citra Ecclesiæ consensum adsciscerent, suiq; huiusce consilij, atq; facti approbationem non ex aliorum authoritate, sed ex sua temeritate ipsi sibi constituerent, qui vt licenter, audacterque fecerunt, ficta quidem fecerunt, cùm ad caput & ad authoritatem Ecclesiæ deferre ista omnia multò æquius sit, & opem sibi ac consilium exilla petere, tamen ipso exitu rerum apparuit tantam multitudinem sacrorum, feriatorumque dierum populo Christiano non minus ferre incommodi, quàm vtilitatis. Et sanè videntur, qui de hac rebus disputant, idque agunt modestè, & temperatè, intelligentis tantùm causa, non vt hæretici superbè, & insolenter, aliquas afferre rationes præ se ferentes ius & æquitatem. Aut enim, inquiunt, opulenti & diuites homines sunt, & his talibus dierum feriatorum numerus augendus etiam magis, quam minuendus est, quippe qui omni tempore anni, atque in his potissimùm delectis, consecrarisque diebus gratiarum Deo agendarum, & colendi spiritus præcipuè sunt debitores, idq; nullo domi detrimento rutò agere possunt. Aut ex eo sunt genere, quod manibus

ibi victum, & labore corporis quærit, quibus cùm damnosa omnis cessatio, operæq; vacatio sit, conueniret certè multorũ paupertatum, atq; egentiũ commodo & necessitatibus prospici. Quòd si omnes, qui a diurnis operis, & opificiis interdictione dierum festorum prohibentur, homines essent spirituales, menti, & contemplationi rerũ diuinarum dediti, conduceret forsitan magis, vtilisq; esset vacare, quam operari. Quando maior semper vtilitas minori præponenda est. Nihil autem omnium rerum est vtilius, quàm in Deo, & in Dei beneficiorũ memoria perpetuò deberem esse. Sed cùm tales vulgò homines sint cœlestium rudes rerum, terræque addicti, & sensibus magis, quàm ratione viuentes, nihilque patet, manifestumq; est, hanc illos cessationem, quam sacri indicunt dies, non ad meditationem retũ diuinarum, sed ad delectationem humanarum conuertere? cum matutinis exceptis totis dies illis ferè in cantibus & lusibus, & in comessationibus, vnoq; agantur? Sed vt abeamus à festis diebus, atq; sacris, in quibus non tam onus nobis impositũ, quàm nimia licentia esse tradita videtur, ad illa veniamus, quæ verè, & propriè sunt onera, quorum longè maximum, & vt plerisq; videtur durum, ac perdifficile ieiunium est, quod in veteri lege vno tantùm singulis annis die Israelitico populo indictũ, qui dies festum tabernaculorũ antecedit, nos in omne tempus anni ita diffudimus, & sparsimus, vt totum penè annum in seruitute viuere, & nunquam vacuo animo esse posse videamur. Ac Iudæi quidem præter illum diem ieiunij statum, atq; solennem, qui illis vnicus in toto annuo orbe a Deo seruandus propositus est, quatuor sibi pręterea ieiuniorum adsciuerunt dies, quos quasi atros ipsi obseruant in luctum videlicet, & in priscarum memoriam calamitatum institutos. Nos verò & triduana quater in anno ieiunia, & omnium festorum dierum pridianos dies, & quadragenarium præcipuè dierum numerum coactum, & cumulatum in vnum ieiunare sumus iussi, quibus quidem quadraginta diebus, quasi exiguus iste dierum numerus esset, sex postea alij etiam adiecti sunt, vt dierum sex & quadraginta perpes, & continuatum ieiunium nobis existeret. Atque cùm hęc, quæ ad ieiunium pertinent grauiora nobis multò, quàm populo quondam Iudaico sunt imposita: tum verò Iudęis licitum est seruato adusque solis occasum ieiunio, eos demum cibos adhibere, quos illis libuerit. Nobis verò in ieiunando etiam illa lex est posita, vt ab esu omnium carnium penitus abstineamus, semelque tantum cibum sumamus, idq; circiter meridiem, qui autem fecerit secus, cunctisque legibus ieiuniorum, dierumque festorum sextæ quoq; & septimæ in hebdomadibus diei, quarum vtraq; si minùs seuero illo, strictoq; ieiunio, carnium tamen abstinentia, & interdictione ab Ecclesia ipsa

notata est, qui inquam, omnibus his legibus ad vnguem non paruerit, non pœna adiecta est aliqua moderata, atq; mitis, vt prouidentia pastorum nobiscum agi videatur, aut lenitate, indulgentiaque parentum, sed perinde ac nostrarum iactura animarum apud rectores nostros parui momenti sit, capitalis peccati pœna, & ademptione regni cœlestis qui contrauenerit, punire. In quo quantò lex Iudæorum fuit tolerabilior, quæ præuaricatoribus legis non animæ mortem, sed corporis præstituit? Quidam in Græcia sapientem ferunt, cùm leges conderet ciuibus suis, etiam mediocrium, & leuium peccatorum mortem pœnam constituisse. Ex quo cùm quæreretur, quid ita æquaret paruis grata magnis, vt omnia iuxta mortis supplicio plectenda esse censeret, dicitur respondisse, quia tenuia etiam peccata morte digna esse existimaret, maioribus delictis grauius supplicium non inueniret. Quæ dura imprimis, & aspera visa est sententia. Itaque crebruit hominum illorum prouerbio, leges illas non atramento, sed sanguine fuisse scriptas. Quantò nostri legumlatores acerbius? qui cùm id, quod per se, & suapte sponte nõ est improbum, ipsi vetando, vt vitaretur, effecissent, eam insuper pœnam non obtemperantibus addiderunt, qua nulla esse possit durior, neq; asperior, siquidem æterna morte damnari deterius multò est, quam hanc mortalem vitam amittere. Hæc, vt dico, disputant isti sæpenumero, qui hoc ab sese iugum nimium asperæ seruitutis, vt ipsi prædicant, cuperent excutere, non hi solùm, qui iam excussérunt, quorum quidem scelus, & arrogantiam nulla vnquam satis digna pœna vlcisci posse videatur. Non enim ratione, sed libidine, nec vt spiritum ab onere seruitutis subleuarent, sed vt cupiditatibus obsequerentur, ad id faciendum sunt adducti. Verùm nos qui Ecclesiæ decretis facilè obedimus, semperque illi parendum, non semper flagitandam eorum, quæ ab ea decernuntur, rationem existimamus, possumus tamen causas harum rerum & rationes, & petere inter nos, & dare, non vt nouum ipsi consilium aliquod capiamus, sed vel vt reperta ratione hæreticis respondeamus, qui & imperantem Ecclesiam, & nos & parentes ludibrio, & irrisui habere non desinunt: vel si quid latesse ratio nobis monstrauerit esse corrigendũ id ram ad summi Pontificis iudicium, & ad Ecclesiæ authoritatem referamus. Quod item si tibi videbitur, de hac religionum & opinum, vt appellant, multitudine, atque turba, quæ habitu amictuque vestium vario, nouis, & inter se dissimilibus institutis in vnitate fidei, & simplicitate CHRISTI locum habere non debuisse videbatur, estque item ab his improbis illusa, atque reiecta, faciendum erit, vt aliquid dicas, vt posthac instructiores ad respondendum contradicentibus & magis parati esse

possi-

ssimus. TVM IVLIVS: Sanè mihi videris Langee, inquit, mpestiue admodum harum mentionem rerum intulisse, cum his modo à Paulo ipso agatur, qui præsertim videatur in ea esse ntentia, vt robustiorem fidem, & virtutem existimet eorum, qui ullo ciborum, neque temporum delectu habito, neque animi ura sub hasce res subiecta magis in ipso cogitando, & amplectendo Deo omnibus mentis sensibus semper sunt intenti, quicquid ad vescendum offeratur, sine discrimine accipitur, angelicumque in eo conseruatur præceptum, quo Dominus scipulos missos ad prędicandum admonuit, vt comessent, quæ-, sibi essent apposita. Et nimirum hoc magis videretur conuenire Euangelicæ, apostolicæque doctrinæ, vt nulla omninò ra, neque delectus in cibis, neque discriminis in temporibus ab ominibus deditis Deo duceretur, qui in contemplatione diuinarum rerum positi, cum cibos nõ ad voluptatem, sed tantum ad necessitatem vitæ soliti sint accipere, illa distinguendi, & variandi solicitudine interpellari non debuissent, nisi horum talium mma esset paucitas, aliorum vero, qui voluptati, atque ventri plus æquo indulgeant, maxima multitudo. Qua etiam ratione cum Romanos Pontifices, tum cõuentus eos fidelium, quos concilia vocamus, adductos fuisse puto, vt talium & ciborum, & dierum differentias, obseruationesque instituerent. Quorum quidem consilium, vt tu rectissime ais, debemus potius nos venerari, quam reprehendere. Quòd si aliqua tamen harum rerum ratio reddenda est, hac lege inter nos quæramus, ac disceptemus, vt quicquid nobis rectius visum fuerit, id si forte à maiorum institutis discrepauerit, nostrum semper consilium illorum sapientia iudicemus inferius. Equidem memini cum essem apud collegas nos Triulti, eos ipsos, qui paulò antè à fratre meo nominati sunt, Ægidium Viterbiensem, & Thomam Caietanum homines eruditissimos, ibidemq; vnà adesset Laurentius Campegius collega item vester, vir ea sapientia, & grauitate vitæ, necnon in gerendis rebus consilio, magnitudineque animi, qua vos scitis, & cui in Pontificio iure, ac ciuili primas propè partes nostræ ætatis homines soliti sunt concedere, incidisse de his rebus acrem disputationem, cum hanc Thomas sententiam defenderet, probareq; adniteretur omissionem ieiunij, quæ in cõtumeliam modo præcepti non fieret, ad capitale peccatum nemini valere, quando solum illud crimen statuendum esset, quod aut de honore summi Dei detraheret, aut de commodo proximi: id est, quod Christianam charitatem, quæ & ad Deum, & ad proximum intenta est, violaret aut frangeret, quorum neutrum cum in prætermittendo ieiunio accideret, non esse id peccatum exitiabile habendum, quod charitati ipsi nequaquam officeret. Huic opinioni Campe-

gius adstipulabatur, hoc ab legũ interpretibus defensitatum esse memorans, cum ieiunium ad eam rem indictum esset, vt per abstinentiam quorundam esculentorum fractis cupiditatibus facilis vnicuiq; fieret virtutis, continentiæq; exercitatio, siquis eam ipsam continentiam iam obtineret, cuius assequendæ causa fuissent ieiunia instituta, cupiditatesq; suas haberet in potestate, nõ tantopere eũ ad obseruationem ieiuniorum, nec tanto cũ animæ periculo adstrictum esse. Repugnabat acriter ex aduerso Ægidius, & Campegio quidem respondebat, si ieiunij indictio, suasio tantum esset, & non præceptum legis seuerum ac diligens, non habituram vtique esse eius rationem, quoniam quicquid alterius rei adipiscendæ gratia suadeatur, aut consulatur, si ea ipsa tantum quadam via & ratione obtenta sit, recte id, quod suasum sit, prætermitti posse videatur: vbi vero præceptum in imperando, & non suasio sit, sine peccato graui præteriri id non posse. Ad Thomam vero dicebat eodem modo posse concludi de binis hebdomadum diebus, quibus esus carnium interdictus esset, ac de cæteris festis solennibusque diebus, qui cum essent ad Dei cultum instituti, atque dicati, dum coleretur Deus, qui quidem pura impuraq; mente, & religione colitur, licitum fore sine peccato ad suum cuique diurnum munus, suaque opificia redire. Ac multa tum quidem in omnem partem dicta disputata sunt, quæ hominibus doctissimis erant in promptu, ex quibus Thomas plura, & præclara ingenii sui, & doctrinæ monumenta iam in scriptis edidit, reliqui autem duo idem existimantur esse facturi. In summa ab illis in eam sententiam conueniebatur, æquum fore, vt summus Pontifex, cuius vniuersa esset potestas, hunc scrupulum ex animis fidelium eriperet, ieiuniique hanc legem, & conditionem edicteret, vt qui seruassent illud, magnis à Deo indulgentiarum, quas appellant, præmiis afficerentur, qui verò non seruassent, dum ijdem abesserent contemptu, & contumacia, non propterea tamen capitalis peccati scelere intelligerentur obstricti. Distinguebatur porrò ab illis aliud ieiunium esse, aliud abstinentiam. Ac abstinentiam quidem in eo intelligi, cum statis temporibus, & diebus à quodam esculentorum genere, vtpote carnibus abstineretur. In ieiunio autem præter abstinentiam id etiam adiungi, vt semel in die tantum cibus caperetur. Quod quidem posterius illi arbitrabantur rectè, & tuto posse corrigi, si summi authoritas pontificis intercederet, ea quidem ratione, quoniam & qui illam legem ieiunij retinerent, cum darent hoc legi, vt semel tantum in die vescerentur, suæ mox dabant intemperantiæ & voluptati, vt se effusius, atque immoderatius in epulando explerent, quos verò illa lex ieiunij non contineret, quominus in die plus quã semel comessent, eos in graue suarum animarum periculum incidere, cui

decti-

mento præberi occasionem, & sterni quodammodo ab ipsa via, longe alienum à mansuetudine Christiana esse optimis viris, & dignitate omni præstantibus videbatur. TVM TIVLTIVS, Mihi accidit, inquit, qua primum tempestate hanc vrbem admodum adolescens veni, vt ad salutandum Oliverium Carapham Cardinalem Neapolitanum accederem, cum tu Iacobe in domo & disciplina aliquot annis educatus. Etenim eius ego visendi & alloquendi miro desiderio tenebar, e quo tot, tantaque absens virtutis & sapientiæ, & singularis cuiusdam integritatis testimonia cognoueram. Atque is vt est humanissimus, summamque grauitatem cum illa humanitate coniunctam obtinebat, accepit me quidem iucunde, atque amanter, cum ita diceret, neminem sibi dari potuisse, cuius libentius aspectu, quam meo frueretur, id adeo & mea causa, & familiæ nostræ nobilissimæ (sic enim loquebatur) in qua lumen aliquod residere priscæ fortitudinis affirmabat. Erat enim vt sciunt, qui eum norunt, Ioanni Iacobo patruo meo, qui tunc præfectissimus rei militaris author & dux habebatur, amore, officiisque coniunctus. Sed ego summi illius viri aspectu, & sermonum tum perfruens, cum esset cum eo vna Nicolaus Fliscus eiusdem ordinis vir egregia doctrina, & authoritate, quem nuper vt fatis mortuum, cum gemitu, & lachrymis prosecuti sumus omnes, sensi hac de re inter eos agitari vtrum istas religiosorum hominum societates, quas fratrum religiones vulgo nominamus tot iam præsertim, & tam varias, habitu, institutis, appellationibusque differentes, sic permitti, & tolerari expediret Christiano nomini, an eas certum ad numerum, eumque exiguum redigi vtilius esset. Et manarat fortè illis diebus rumor in populo prospici hoc rei à summo pontifice, & de hac redactione in senatu actum in. Atque illi quidem leuiter inter se dissidebant, cum Oliverius sanctissimus semper antiquitatis defensor diceret, non fuisse bonorum pontificum eos, qui sese nouis quotidie legibus obligare, ac supponere ad carnis motus magis coërcendos, Deumque liberius contemplandum sponte sua vellent, non in illorum optima voluntate confirmare, necesseq; item fuisse dari illis potestatem proprios quosdam cœtus, conuenticulaq; constituendi, habitu, & nominib. à cæteris se distinguendi, quo & ipsi inter ipsos noscere se possent, & a reliquis internoscerentur. Contradicebat Nicolaus exitum rei declarare hanc varietatem religionũ Christiano nomini parum commodam esse, quod & qui eorũ ad manus diuitias peruenissent, his ferè illi iam ad alenda corpora diuitiis, non ad misericordiã, neq; ad bonitatem vterentur, & quę professæ inopiam ac paupertatem religiones victum sibi ostium aut à prætereuntibus mendicarent, genus in Christianos

nos mores inducerent minimè ingenuum, neq; liberale, quippe cum quotidiana illa flagitatio & pudorem in hominibus extingueret, & authoritati religionis detraheret, & impediret eam studia de Deo cogitandi, atq; in eius vnius contemplatione acquiescendi. Quòd si contractis, & imminutis dissimilitudinibus vna tantum monachorum, quos vocamus, religio linqueretur, qui in solitudine, & silentio, à turba, & fluctibus huius seculi semoti in inuestigando Deo præcipuè insisterent, dum illi tamen id, quod minimè faciunt, optimis literis, & studijs date operam cogerentur: Duæ verò reliquæ darentur religiones, quibus versari inter homines docendo, atque hortando, annunciare pœnitentiam, insinuare in populo sensum scripturarum, laborare, sudare, seruire publicæ vtilitati necesse esset, se iudicare multo commodius cum populo Christiano actum fore, quàm quomodo nunc agitur in tanta tot ordinum dissimilimorum differentia, & varietate. Duas autem illas idcirco se velle esse religiones aiebat, quæ negotiosam, & laboriosam perferrent vitam, vt sancta & pia æmulatione inter se alterni ordines contenderent, vter eorum maiorum, & plurium bonorum author Christiano populo existeret. Hæc tum duorum amplissimorum hominum, & in Ecclesia principum disputatio cum insueto mihi auditionum talium ad aures prima accidisset, aculeos quosdam mihi in animo reliquit, qui me postea crebro admonuerunt, vt de hisce rebus mihi meditandum, & aliquanto diligentius considerandum putarem. Itaque re sæpius excussa, atque examinata possim vobis liquidò de meo sensu pronunciare. Harum tot religionum, & tam variarum consilium si ad rationem eorum referatur, qui aut pepererunt primi institui, aut qui indulserunt petentibus, & instituerunt, sanctum illud, & iustum, & imprimis graue, ac sapiens extitisse. Non enim alium ad finem tam multæ istæ fraternitates inductæ sunt, nisi vt homines illi, quos leges istæ communes, & tam vsu contritæ minus in officio continerent, arctioribus quibusdam vinculis in pietatis studio, & continentiæ tenerentur, penasque propterea leges sibi adsciscerent, in quas voluntaria primo inductione animi cum iurassent, earum nox seruandarum necessitate constringerentur. Consulebatur igitur hac ratione vel maximè hominum virtuti, & integritati, si humana infirmitas perpetuò manere in robore animi, & constanter, quod fuisset perat, nauare potuisset. Sed cum pleraque videamus nostris temporibus commutata esse, atq; inuersa, equidem dicerem sententiam si liceret, & si licebit vnquam, dicam videri mihi nostræ religioni, ac Christianæ Reip. melius consulturn fore, si triplex illa ordinum institutio induceretur, quæ non tam quidem denumero religiosorum diminueret, quàm varietatem, & dissimilitudi-

nem re-

...m religionum prohiberet. Quod si explanatius de hac re ali-
...id dicendum est, placeret admodum mihi, & mendicitatē tol-
...quæ speculationi, & pudori, & opum affluentiam, quæ integri-
...est aduersaria. Quid ergo est potissimum, quod ego de hac re
...te statui arbitrer? Illud nimirum, si habito censu huiusmodi
...orum, & facultatum, dimidiam totius summæ partem, dua-
...s illis sodalitatibus assignari viderem, quas in opere, & in ne-
...tio docendi homines, ac cohortandi versari assidue, ac labora-
...conueniret: Alteram vero partem dimidiam ei religioni reser-
...ri, quam tranquillam, & tacitam, Deoque, & sibi seorsum vi-
...m agentem Græco vocabulo monasticam appellamus. Atque
...us tamen silentis, atque pacatæ fratrum, religiosorumque ho-
...inum coitionis eas vellem esse leges primum, vt literis bonis in
...a, & liberalibus studijs ab omnibus opera daretur, quorum stu-
...orum, atque eruditionis exordia ducta à grammatica, & dein-
...in rhetoricis, dialecticisque instructa ad extremum termina-
...tur, in philosophia, theologiaque. Deinde vt liceret ex quoli-
...et hominum genere parentibus liberos eò mittere in discipli-
...nam, qui acutiores natura, & ad literas perdiscendas apti essent,
...dolemque ingenij bonam præ se ferrent, qui si ab ipsis præsidi-
...us, & collegiorum rectoribus, qui recipi deberent idonei iudi-
...centur, cum alerentur sumptibus religionis communibus, tum
...tem industrie, diligenterque instituerentur ad omnem exerci-
...tationem, & studium adipiscendæ doctrinæ, atque virtutis, quan-
...que manerent in conuentu illo, quod illis ad certum tempus
...ter licitū, quoad videlicet in literis & moribus probè instructi
...ent, eodem omnes vestitu, eodem victu, eademque prorsus vi-
...tæ regula vterentur, post vero tempore exacto liberum foret vni-
...cuique & leges sibi vitæ rectè degendæ, quas vellet, & quibus vel-
...et in locis domicilium eligere. Etenim siquid est humani, quod
...præstari à nobis possit, audacter vobis confirmo hoc huiusmodi
...more inducto in consuetudinem, quemadmodum ex seminario
...acceptas arbores, & per sua deinde spatia dispositas hortos vide-
...mus, & viridia ornare, atque illustrare, sic hos ex optima discipli-
...na educationeque profectos, & in diuersas missos vitæ functio-
...nes, eas regiones orbis terrarum, in quibus insedissent, optimis
...ex moribus, & præstantibus virtutibus illustraturos. Quòd si id
...quoque accederet, vt à principibus, & à maximis regibus, sum-
...musque imprimis pontificibus prouidentia, curaque adhibere-
...tur, vt ex horum numero potissimum eligerentur, qui præfice-
...rentur Ecclesijs, & sacerdotijs, & qui ad magnas res gerendas ad-
...hiberentur: næ ego pro certo ausim polliceri statum orbis ter-
...ræ, qui nunc perturbatione legum, atque morum, omniumque
...concursu propemodum calamitatum collabascere videtur, estq;
ruinæ,

ruinæ, & confusioni proximus, firmitatem ac stabilitatem, decus-
que & ordinem bene agendæ vitæ facile recuperaturum. Sed
quoniam nos hoc tempore leges non scribimus, tantum que in-
nuimus, quid nostræ sententiæ, & opinionis sit, concludamus il-
lud Langęe, quod in tua oratione positum fuit extremum, hos,
qui hasce religionum sectas accusant, si consilium reprehendant
instituendarum, falsa illos ratione duci, atque aberrare. Si mo-
res, vitiaque quorundam insectentur, iam hoc esse hominibus,
non rei ipsi detrahere, in quo ego cum illis vna consentio, fateor-
que non pauca esse in abusionem his temporibus inducta, atque
prolapsa, quod quidem ad religiones attinet, quæ prudentium
iudicio minime possint probari. Illud dico, neminem, qui sanus
sit, æquo ferre animo, ac pati inuentos esse homines perditos, qui
annis permultis in religione cum fuissent, legibusque illis, quibus
voluntate sua primò se obligauerant, diutius paruissent, repente
mox nulla idonea de causa, neque expectata authoritate maio-
rum ipsi inde se proripuerint, à vetereque religionis instituto i-
psi se abdicauerint, quanquam hactenus fortassis fuerit illis cō-
cessum, sed vt appareret, quæ eos ratio, aut quæ amentia potius
impulisset, non modo ad prophanam de integro vitam, sed ad o-
mne genus intemperantiæ fuerint relapsi, quorum alij nefariis
nuptiis se obligauerunt, alij dierum, & ciborum obseruantias sus-
tulerunt, mandataq; omnia ecclesiæ irrisui habuere, cuncti verò
superbas, & impias aduersus Deum, ipsaq; Dei præcepta, quæ in
humilitate animi, & erga proximum charitate præcipue consi-
stunt, extulerunt mentes. HIC EGO: Iure istis talibus irasceris Tri-
ulti, & hominum damnas temeritatem. Sed quod ad obseruan-
tiam ieiuniorum attinet, haud ita quaquam dies multi sunt, cum
me appellauit Clemens VII. Pontif. Max. quæsiuitque ex me,
quid mihi videretur de ieiuniis? num ego ea populis recte rela-
xari censerem. Quærebat autem hactenus, non vt percontare-
tur, licerétne passim vesci cibis omnibus, id enim incontrouer-
sum est, nec dubium non licere, sed an semel tantum ieiuniis ve-
sci id necessarium esse existimarem. Cui cum dixissem ieiunium e-
iusmodi, quod temperatis hominibus detrimento esset, helluo-
nibus causam grauioris intemperantiæ afferret, quodq; non mi-
nus læderet prætermissum, quàm prodesset seruatum, cum præ-
sertim in tam dissolutis morib. paruam ad continendum homi-
nes vim id iam haberet, recte mihi videri, remitti posse, aperuit
mihi sententiam suam, seq; in eo velle prospicere communi Chri-
sti gregis saluti affirmauit. Cuius ego laudata probitate, & cle-
mentia (est enim, vt scitis, omni prorsus humanitate, & bonita-
te lenissimus, eamq; populorum sibi creditorū curam gerit, quam
filiorum optimus pater) tamen dixi expectandum mihi videri,
quoad

ad peteretur ista remissio, non vt vltro illa, & inopinantibus
retur. Quo ille responso vsque adhuc retardatus est. Itaque
ad vnicam istam in die sumptionem cibi pertinet, potestis
intelligere sententiam meam nequaquam à Thomæ Caie-
sententia discrepare, qui etiam sui dicti rationem hanc red-
, non se arbitrari priscos illos patres prætermissione ieiu-
um voluisse homines ad capitale crimen obligare, qui præ-
paterna quadam charitate cunctis prodesse, & consulere
ssent. Sed hoc illorum ieiunandi præceptum modò absit
emptus, in eam potiùs partem accipi conuenire, vt docean-
omines, quid recti moris sit, conducatq; ad vitæ continen-
, non vt cogantur, quæ mihi imprimis bona visa est senten-
nisi ego hoc fortasse meæ imbecillitati tribuo, qui cum malo
macho sim, soleo equidem interdum semel tantum cibo vti,
id meæ valetudinis ratio à me postulat. In ieiuniis autem i-
si accidat, vt appetam cibum, diuidere libentiùs in duo tem-
soleo, ita vt in vtroq; tempore me geram, quam moderate
ertim, cùm mihi necesse sit ob corporis periculum à legumi-
omnino, & à salsamentis, maxima quoq; ex parte oleribus,
ibus abstinere, quòd hæc esculentorum genera pernicio-
mihi sint. Ac sic equidem agendi veniam sum, & facultatem
itatim à Pontifice adeptus. Sed quoad authoritate Ecclesię,
Pontificis vinculum istud ieiunandi retinetur, legibus pa-
dum censeo. De cibis autem ipsis, deq; eorum dierum pecu-
abstinentia, qui bini semper in singulis hebdomadibus in-
positi sunt, necnon de aliis vigiliarum, & temporum, & qua-
gesimæ (sic enim appellamus) diebus vix quicquam ego pu-
vtilius, ac sanctius constitutũ ab Ecclesia fuisse. Quid enim
isti qui contra pugnant? legem improbatam fuisse Iudæo-
, quæ tanta superstitione cibos distingueret, vt alios reijce-
alios verò admitteret, iure ego improbatam patefacta verita-
confiteor, nullaq; nobis cibos superstitione inter se differre.
omnibus passim vtimur. Cur ergo aliquos aliquando repu-
mus? quia rationum & temporum discrimen est, non ciborũ.
hoc est, quod Paulus reprehendit, Ne quis nos iudicet in cibo,
potu, inquiens, aut in parte diei festi, aut nouilunij, aut sab-
orum. Et rursus abjiciens decreta legis, Ne tetigeris, ne gusta-
, ne contrectaris, quæ ipso pereunt abusu, inquit: alioq; item
sub elementis mundi in seruitutem adactos nos minimè
vult. Quæ ego omnia ita esse concedo, nullamq; confiteor in
, & potionibus ad inquinandum esse, & ad commaculandũ
am vim. Sed neque item in temporibus, quatenus ipsa per
tempora spectentur. Verum si agitur in illis memoria aliqua
rum rerũ, si & pro illis, quæ nobis lęta, & salutaria diuinitus

tribu-

tributa sunt, in agendis Deo gratijs dies nonnullos ponimus, quod festorum, & solennium dierum proprium est, & recordatione rerum tristium, quæ obuenerunt, aliquam speciem pœnobis mœroris ferimus, quam maximè ciborum quorundam indicat abstinentia, quis hunc optimum, & sanctissimum morem in Christiano populo indictum, indicem gratæ aduersus Deum voluntatis, coarguere iure possit? nisi sit is, qui redarguatur, ab omni ipse hominis sensu, & humanitate remotissimus? Nulla vnquam gens fuit, neq; tam corrupta, & profligata moribus, neque natura tam immanis, ac barbara, quæ non aliquas dierum quorundam religiones haberet, quos dies partim arros custodiret, partim celebraret lætos. Sed sit hic humanus mos, non tamen à bona ratione abhorrens, neque ijs non concedendus, qui sua laboris, & quietis tempora cum honore Dei immortalis dispertiunt. Nos vt longius rem aliquanto repetamus, dicimus tam istam rationem festorum, solenniumque dierum idcirco inuentam fuisse primò, in consuetudinemque adductam, vt mortalis fragilitas, quæ continenter ferre corporis laborem, & contentionem animi non potest, festos huiuscemodi dies haberet, tanquam interualla, & spiramenta occupationum, atque curarum, quod necessitati primò datum, & hominem deinde sapientum prouidentia ad honorem deorum contulit. In quo orbis terræ communis prope fuit error, vt in opinione olim deorum homines fallerentur, quos commentitios, & falsos pro veris accipiebant. Eum porro errorem verus Deus genti ab se delectæ Iudæorum cum eripuisset, festosq; agi ab illis dies in honorem sui præcepisset, remissionem illam animorum à terrenis curis humanæ infirmitati attribuit, honorem & celebritatem lætitiæ sibi, quod in nostros mores, ritusque relatum, quis iure quear reprehendere, aut condemnare? at cur ieiunamus pridianis festorum diebus? quia decet, rectumque est, quem diem tribuere debeamus laudibus, & commemorationibus beneficiorum summi Dei, quæ ab eo in nos beneficia, vel in ipsomet, vel in sanctis eius collata sunt, ad eam nos diem imprimis castos, sobriosque accedere, vt experrectiore & vigilantiore animo cogitemus, quanam ipse de nobis meritus sit, quarum illi agendarum, & ferendarum gratiarum simus debitores. Sexti vero quique, & septimi in hebdomadibus dies idcirco à cibis lautioribus, esuque carnium dirempti sunt, quò speciem habeant mœrentium, atque lugubrium, quòd illorum dierum altero in crucem sublatus seruator noster est, altero iacuit sepultus, quanquam & in vtroq; altera præterea spectata ratio est, quoniam enim sextum illum diem tanquam Veneris sacrum in ludis, & epulis, nequitijsque omnibus gentes consumebant, Sabbatum autem Iudæi præcipuè in honore, & in obser-

seruantia gerebant, sapienter, & pie maiores nostri eosdem dies, quos illi hilares, lætosque ducerent, nobis tanquam habendos constituerunt, ne quos à ritibus illis, & superstitionibus auocare cuperent, eos viderentur, si essent in dierum imitati, non tam auocare, quàm in suis pristinis erroribus firmare. Verum & in sabbato eadem illa concurrit, quæ in festas celebritates antecedentibus ratio. Est enim hic dies dominico pridianus, qui imprimis status apud nos, celeberrimus est. Quadraginta autem dierum ieiunium Dei omnipotentis honori ita datum est, vt quasi decumas in eo annui temporis pendere instituamus. Verum id potuit diebus sex, & triginta fieri: quatuor porrò reliqui adiecti sunt, ad imitationem quadragenarij ieiunij, quod Dominus IESVS CHRISTVS in solitudine continens, & perpetuum seruasse legitur, quod etiam in monte Syna à Moyse tanquam simulacrum rerum futurarum vsurpatum est. Demptis enim dominicis diebus dies integros quadraginta in ieiunio isto numeramus, additi trini præterea in singulorum trium mensium spatia dies, veluti indices numerorum temporum, quæ aut accedens sol, aut recedens ipso voluendo distinguit, & variat, quasi fas rectumque sit adiutari à Dei immortalis honore, & nomine temporum cunctarum initia. Verum vt à reddendis dierum rationibus abeamus, sint omnes à maioribus nostris cum inuentæ sapienter, tum primis sancte constitutæ. Si opponatur nobis in differentijs insistere ciborum, & temporum, atque eo pacto Iudaicam superstitionem referre, negabimus planè vtrunque, atque id profitebimur, habere nos, & ducere in obseruationibus nostris non ferum, neque ciborum, sed sobrietatis nostræ, ac temperantiæ, & erga summum Deum honoris rationem. Nam discrimina illa Iudæorum ad abstinentiam minimè pertinebant: hanc dico sanctam, & spiritualem. Quid enim aut solidis animantium vngulis, aut etiam multifidis, auibus quoque rapacibus, & piscibus squamis non contectis, cum spiritu, cum sanctitate, cum abstinentia negocij est? quæ si Iudæis verita sunt, vt in moribus illi erudirentur, humanam redolent philosophiam, non diuinam. Sin quoniam sunt insalubria, iccirco illis fuerunt interdicta, quis est, qui non intelligat Moysem Ægyptiorum artibus imbutum extitisse? Quòd si id quod verius est, simulacra quædam, illæ res fuerunt, & veluti argumenta futuræ veritatis, inducta iam veritate simulacris amplius non indigemus. Iudæi ergo in cibis, & in temporibus inhærebant. Nos ad Deum, & ad spiritum omnia referimus, neque in hoc genere abstinendi, aut obseruandi aliud quid sequimur, nisi & vt nostrorum laborum interualla consecremus commemorationi diuinorum beneficiorum, & nos ipsi ad reco-

lenda illa eadem Dei beneficia vigilantiores, ac paratiores per abstinentiam reddamur. At enim vis (inquiunt) non debere differri, sed cunctos suo ipsorum arbitrio oportuit permitti, quando fides CHRISTI libertatem omnibus dat, neque vlli quemquam veteris legis vinculo, aut eiusmodi necessitate aliquo obnoxium esse. Quibus ego respondeo, vt se ista habeant res, quemadmodum exponunt ipsi, vtrum tamen fuit æquius, & Christianæ mansuetudini conuenientius his de rebus modeste expostulare, & conqueri, causamque ad caput, & ad principes Ecclesiæ deferre, an ipsosmet per temeritatem, & arrogantiam nouum statuere consilium, seque à communi more fidelium abscindere? Nam quòd dicunt non se concedere, vt Ecclesiæ caput Romanus pontifex sit, omnes semper concesserunt, quicunque ante in Christiano nomine fuere, exceptis paucis quibusdam, qui eo ipso nomine apud maiores nostros condemnati sunt. At illi stolidi, excæcique fuerunt, omnesque errore opinionis sunt lapsi. Vos ergo soli in omnibus seculis, in omnibus hominibus, vestra prædicatione estis sapientes. Quid ergo ait Salomon? Vidistin hominem, qui sibi ipse sapiens videtur? spes est de stulto, quam de eo longe maior. Certe hanc vobis sapientiam, quam assumitis ipsi, nemo facile concedit. Quid potius sentiant de vobis cæteræ nationes, ego non dicam, varia est enim, & multiplex vituperatio, tamen illud hæreticorum nomen, atque appellationem omnia crimina fugere, & succedere videantur, vosque penitus amentissimi estis, si hoc non intelligitis. Sed vt veniam ad libertatem fidei, quæ à vobis proposita est, fateor CHRISTI fidem esse libertatis magistram, nullisque eiusmodi legibus, nec seruitutibus eam non adstringere, quæ ad corporum cultum, curamue pertineant, sed tamen vt Apostolus Petrus inquit, non debet illa libertas mantellum malitiæ esse. Quicunque enim spiritu intentus in Deum est, huic omnia corporea, & terrea minimi momenti sunt, neque ille diem operosum à festo, nec escas ab escis, potionesue discernit, quippe qui aliis curis, aliis studiis, contemplationibusque ducatur, imperque in sobrietate sit, & in Deo corde, cogitationeque maneat. Atque illud quoque adiicio, si tales Christi fideles, multique quidem esse debuerunt, extitissent, non hanc fuisse necessariam legum condendarum solicitudinem, & curam, per quas in officio homines, & in sobrietate continerentur, fuisset enim debi tum vnusquisque lex, neque in se solum, sed in cæteros quoque exemplo, & doctrina moderandis habuisset authoritatem. Sed ô perquam sanè pauci isti sunt, qui spiritum sequantur, qui Christi fidem, quemadmodum quidem oportet, teneant, si maxima longe multitudo ad carnem, corpusq; delabitur, & ab his, quæ bona sunt, non solum vsu, sed etiam intelligentia est remota, quod tandem

rem decuit fieri? Quæro enim abs te Luthere, qui primus hasce leges, & obseruantias damnare ausus es, Cum peccarent homines illi laberentur, cum ad libidines, & ad facinora prœcliues essent, cum epulis, vino, luxuriæ se dederent, cùm verbis tantum, & voce CHRISTVM confiterentur, cæterà gentium similes existerent, nihil fieri fuit necesse? Sinere eos, & suo arbitratu ferri, sua libidine permittere: quî ergo non male, & perperam leges imperatoriæ sunt, quæ delinquentibus pœnas, & summum sæpe supplicium proponunt? quas te authore antiquari oportet, & impiorum consilium condemnari. Astringunt enim homines seruare leges istæ, quos CHRISTVS liberos esse omneis voluit. Quam igitur vitæ spem, aut quem ordinem rerum, aut publicarum, aut etiam priuatarum hominibus relinquis? Quòd si in his, quæ ad societatem pertinent ciuilem, cœtusque hominum, quas ciuitates vocamus, in officiis mutuis, & in concordia continent, necessario fuit prouidendum, legesque ponendæ, quæ delicta hominum pœnis comprimerent, ne facinorosis, & audacibus Reipub. prædæ aut ludibrio esset, fideique CHRISTI in eo, quo minus ita fieret, non est spectata, neque animaduersa libertas, tilde minus iusta, aut minus idonea videbatur ratio homines ad abstinentiam, & sobrietatem legibus adigendi, quo nomen omnipotentis Dei, & ratio vera fidei nostræ, quæ in spiritus libertate, non quæ in carnis licentia posita est, etiam ab inuitis quoquo pacto coleretur? Equidem video monumentis esse traditum, primo illo inductu fidei nostræ, cum increbresceret quotidie CHRISTI nomen, hominesque ardore quodam amoris ad Deum se adiungerent, nullas huiusce modi leges, neque conditiones rerum necessario seruandarum impositas hominibus fuisse, tum ipsum studium fidei, atque Dei sat valida per se lex esset omnes à corporeis studiis ad spiritualia reuocandi. Itaque & quadragesimam legimus nulla indicta lege, quæ communiter tenerent omnes, tantum suo cuique arbitratu, & sua sponte obseruatam tunc fuisse. Qua de re in antiquis historiis est scriptum, quòd in ipsis quadragesimæ ieiuniis aliæ apud alios obseruationes vigebant. Romani treis ante pascha hebdomadas continuato ieiunio obseruabant: Illyrium, & Græcia, necnon Alexandria, totaque Ægyptus hebdomadas sex, quod ieiunii tempus vocabant quadragesimam. Alii vero septem ante pascha hebdomadibus ieiunium inchoantes, primis tribus confectis duas intermittebant deinde in duas reliquas hebdomadas resumebant ieiunium, quos dictum numerum non tenentes, quadragesimam tamen id tempus appellare parum congruum etiam temporibus illis videbatur. Ciborum quoque mos, & abstinentia non omnibus par. Nam alii omnino ab animatis abstinebant, alii ex animantibus

pisces solos recipiebant, addebant alij & volucres, tanquam aereum id genus à Moyse, non terrestre fuisset iudicatum, quidam ne oleribus quidem vtebantur, sed arido tantum vescebantur pane. Nonnulli panem quoque ipsum reijciebant, oleta dantaxat adhibebant. Alij ad nonam vsque horam ieiunantes, quocumque cibo post indifferenter reficiebantur. Ita variæ apud diuersos vigebant consuetudines. Et quoniã huius rei (est enim hoc quoque in historia ascriptum) nullum verus præceptum intercessitur, credibile fuit Apostolos hoc vniuscuiusque arbitrio liberum reliquisse, vt timore nemo nec necessitate, sed voluntate, & libero corde sibi id præscriberet, quod salutare, & bonum ipse iudicasset. Videmus igitur hoc vetustatis testimonio, quod circa Constantini tempora, aut paulo infra literis mandatum est, quoad vis fidei in cordibus hominum fortiter versata sit, nullum vnè præceptum abstinendi, aut ieiunandi hominibus datum, neque vim impositam legibus latis fuisse. Non enim tum erat causa præcipiendi, cum æqualiter omnes voluntariam moderationem, abstinentiamque præstarent. Quòd si præcipere tunc opus non fuit, in communi illo more, & hominum bonorum, & temporum, concede postea necessarium fuisse, quàm homines sensim illo amore Dei, & cœlestium rerum cura soluti indulgere flagitijs, & in omne genus intemperantiæ dedere se cœperunt. Quibus à aliqua ratione obuiam non fuisset itum, nónne ignorato Dei, & gentilitas penè ipsa in Christianum nomen reuertisset? Nunciam igitur, & salutare fuit Ecclesiæ institutum talibus immoderationem legibus, & licentiam coërcendi, quibus etiam qui nollent, ad curam aliquam tamen & ad cogitationem colendi Dei adigerentur. Quòd si altior quoque horum ieiuniorum ratio reddenda est, & cum CHRISTI, fideique mysterio coniunctior, sic intelligendum est, accessum, atque aditum ad regnum Dei, & ad honorem beatæ immortalitatis in eo maximè constare, si qui illò ingredi conantur, omne imprimis onus, & carnalem sarcinam mundanarum curarum, voluptatumque deponant, & dimissis terræ impedimentis ad Deum se conferant expediti, atque alacres. Quòd si gula, & palatum, & ciborum omnium suauiorum voluptas corporea maximè est nec solum ipsa per se vituperanda, sed quæ pluribus præterea indecoris, & inhonestis voluptatibus præbeat ortum, vt plurimarum turpitudinum sit mater, tum autem eadem in amore mundi præcipuè nos contineat, spiritualiumque virtutum & operationum sit inimica, necesse fuit nominum ad Deum, & ad spiritum nos inuitantibus huic errori hominum, & corporeæ labi, culpæque obsistere. Itaq; & CHRISTVS ipse suo primus exemplo à baptismo Ioannis, tanquam ab ipsis foribus, adituque fidei, in cognationem Dei, & regni spem ingrediens,

sissus, vt cæteris iter ostenderet, quà transituri essent, qui idem regnum appeterent euestigio in desertum, & ad ieiunium transiuis est. Et populus Hebræorum, cum Ægyptum tanquam munum, & regnum carnis relinqueret, atque in promissam terram, ue figura, & simulacro cœlestem patriam referebat, iter esset sicturis, ante eò quàm peruenirent, atque in illis speratis, atque optatis sedibus collocaretur, per annos quadraginta in deser-, & retentus, & instructus, & omnibus patientiæ operibus exaatus est. Moyses quoque neque congredi cum Deo, neq; tabulas accipere diuinæ legis potuit, nisi quadraginta dierum præante ieiunio, quem eundem numerum dierũ Helias ieiunauit, t ad montem Dei posset se conferre. Ac deniq; si & documenta uitatis, & scripturæ sacræ testimonia diligentius inspiciantur, facilè apparebit intuentibus, atque intelligetur hanc esse ieiunij, & abstinentiæ vim, vt ea homines maximè, & in spiritualibus virtutibus confirmet, & ad regnũ cœleste obtinendum faciat aptos. Quod etiam in illo genere malorum dæmonum difficiliore ad expellendum ostendit nobis CHRISTVS, cum illud tantum ci posse dixit in oratione, & ieiunio. Cur autem quadragenarius ste numerus potissimum spectatus sit, qui à quaternario ducitur, qui & ipse est in quaternis temporibus anni ieiunio consecratus, vt nesciam, aut, vt illud dicam, quod à plerisque dicitur, hunc numerum imprimis corporeum esse, vel ex quaterno elementorum numero, vel quòd quaternarius primus plures accipsectiones in paria membra diuisas, quæ natura corporum propria videtur esse, verum vt magis istud nesciam, neq; enim omnia core nobis est fas, illud quidem scio, quod video hunc semper fere numerum in tristitia, & mœroribus à scriptura adhiberi. Itaque & in ieiunio CHRISTI, & Heliæ, & Moysis is numerus ponitur, & in commemoratione populi in deserto, & quadraginta, in tertis diebus post exurrectionem CHRISTVS, & totidem Niuitis ad pœnitendum præscripti dies, & XL. annis desertam fore Ægyptum Ezechiel testatus est. Idemq; tot dierum somnum in dextrum latus pro tribu Iuda obdormijt. Pluuiæ quoque diluuij diebus XL. in terram se effudere, vt cum tot exemplis, & monumentis antiquarum rerum videamus hunc præcipuè numerum comprimenda corporis, carnisque luxuria diuino consilio imprimis consecratum quasi fuisse, iure is in ieiunium quadragesimale relatus, & summa cum ratione indictus esse videatur. In quo sanè pudor, & moderatio veterum Romanorum Pontificum iure laudanda est, qui non domesticum quadragesimæ ieiunium, quod ipsi obseruabant, ne nimium sibi tribuere, & ad suam authoritatem omnia retrahere viderentur, sed illud Ægyptiacum, & Alexandrinum Christiano populo indixere, seque ea

lege primum, tum cæteros deinde omnes voluere esse constrictos, quæ lex voluntarium antea morem illum ieiunandi, & abstinendi fluentem iam desidia, & ad luxuriam, intemperantiamque collabentem necessaria quadam obseruatione vinciret. Nam quòd sancti quoque & spirituales viri his legibus comprehensi sunt, non fuit hoc quidem consilium legis hos taleis comprehendere, neque enim hi præcepti, aut admonitionis indigebant. Sed cum lex in vniuersum posita sit, nec fieri commode queat ista distinctio, æquius multo fuit paucos subiici legi, quam vniuersos sine lege viuere. Quid autem, num hi legibus tenebuntur, quibus superuacanea est præceptio legis? tenebuntur enimuero. Etenim præclarum est bono exemplo continere in officio cæteros neq; minus necessaria probis, & rectis exercitatio virtutis, quam lubricis, & inconstantibus vitij interdictio. Atque ego istos recte si noui, qui spiritum, non carnem diligenter excolunt, nequaquam vereor, quin se libenter hi sub præceptum subiecturi, & imperium legis non grauate accepturi sint. Non enim illi elatione animi, & arrogantia, sed humilitate, & sobrietate sunt sapientes. Quod si qui sunt, qui aut valetudine infirma sint, aut à prisinis moribus ægre dimoueantur, aut etiam qui sibi indulgeri aliquitum plus velint, causasque dicant quaslibet, non solum graues & necessarias, verum etiam leuiores, vt itinerum, vt studiorum, vt laborum. Denique qui quoquo modo remitti sibi hanc necessitatem postulent, quid est ad indulgendum his, motumq; gerendum Ecclesia Romana, & hac apostolica benignitate propensius? quæ non modo hanc veniam poscentes, nunquam non audit, sed sæpe etiam vltro nil postulantibus offert. Cuius authoritatem infringere, & clementiam aspernari hominum est, non libertatis ius, nec veritatem fidei tutantium, sed totos se superbiæ, maleuolentiæque permittentium. Verum de his quoniam satis dictum est, ad Apostoli verba, si placet, redeamus. REDEAMVS, inquit, Langeus, quando sedato iam incipio esse animo, scrupulosque mihi eos disputatio tua extraxit, qui me ante & crebrò, & valde stimulabant. Facile enim nunc intelligo optimo ista consilio, & à catholica Ecclesia indicta, & à populis fidelibus suscepta, obseruataque fuisse, nempe quæ viris temperatis, & sponte sua spiritum excolentibus, ingrata esse non possunt. Intemperantes vero, & carneos ad aliquam habendam modestiæ, & sobrietatis rationem compellunt, vt compressis per abstinentiam effusis illis animorum motibus castus in hominibus mos & probus insinuetur. Denique quod caput est, homines à terrenis, & carneis voluptatibus ad illa diuina, & spiritualia gaudia per hæc abstinendi præcepta video reuocari. Quamobrem istos plane non probo, qui tam proiecte, & petulanter aduersus principes, authores-

stitiæ Ecclesiæ & contra abstinentiæ decreta non verbis irruunt
odo, verum etiam factis, cum præsertim, vt dicis, nemini cupi-
us his se legibus exolui suam ecclesiastica mansuetudo beni-
tatem intercludat. Et sanè ita est, vt non sint leges consilio, &
otentia latæ, temere, atque ad arbitrium cuiuslibet infringendæ,
atque ipsæ minime, quæ diuturno vsu vetustatis comprobatæ
sint, sed earum moderatio, si quid forte incidat nouæ rationis,
temporum inclinatio sic postulet, vt mutandum aliquid in eis,
et corrigendum esse videatur, ab illis ipsis petenda, qui earum
ndendarum habuerint potestatem. A quibus equidem id po-
stem, vt saluis præceptionibus cæteris cibum tamen ieiu-
ni semel tantum in die susceipi non foret necesse, cum, vt tu-
respondisti, id temperatis hominibus sit detrimento, intem-
perantibus vero nullam vtilitatem afferat, neque enim pro-
pterea hi fiunt continentiores. Quadragesimæ autem tem-
pora, quæ dominicis quoque diebus in eandem abstinentiam
minicis ad dierum sex & quadraginta numerum excreuere, sic
uidem moderanda, vt maneret quidem ieiunium vetus Roma-
um illud, quod tribus hebdomadibus ante pascha religiosissi-
me seruabatur, idque ita præcepto, & lege sanciretur, vt graue
esse crimen, & spiritualis mulcta illud violantibus, reliquos au-
tem quinque, & viginti dies non tam metus criminis, quàm
merito apud Deum spes faceret religiosos: quos vt qui possent,
libentius retinerent dierum illorum abstinentiam spiritualibus
etiis indulgentiarum prouocari, & populis commendari puta-
m conuenire, hoc quidem etiam magis, quòd in hac vulgo ho-
minum insolentia, & temeritate, hisque contaminatis moribus
um contrà leges & loqui, & facere iam populare esse videatur,
quæ ad continendos in virtute, & religione homines sanctissi-
no consilio reperta sunt, ea non tam nunc continere, quàm
ad delinquendum grauius illicium, & causam subiicere viden-
tur. DEISTO videbitur, inquam, alio tempore, sic accider,
vtilia res veniat in disceptationem. Nunc quidem illud con-
stare nobis est necesse, si volumus esse hi, qui debemus, hoc est,
si in Christiana humilitate, & modestia constituimus viue-
re, leges maiorum nostrorum à nobis diligenter esse retinen-
das, quas præsertim optima ab illis mente, & salutari consilio la-
tas constet fuisse. Etenim post fidei, & charitatis erga Deum, &
erga proximum præcepta, quid magis nobis præscriptum,
indictumque est, & in euangeliis, & in Paulo, quàm repressio
carnis, vsusque ieiunii, & oratio ad Deum continens? Qui enim
corpus suum in seruitutem redigebat, ne, cum aliis prædicas-
set, ipse incontinens reperiretur, nónne leges abstinentiæ, ieiunii-
que prædicabat? quanquam illas tunc voluntarias, quas postea in

legem ſcriptam, neceſſitatemque relatas, ſi temporum nunc ratio ex parte aliqua peruellit, ac duriores, quam antea facit videri, non id eſt vitio legis, ſed noſtro attribuendum, qui ſi in ea cura intenti manſiſſemus, vt ſpiritu viueremus, non corpore, hoc eſt, vt cum Deo, non cum mundo rationes noſtras duceremus, ne animaduertendi quidem, & diſtinguendi ſpatium haberemus, quo quiſque ex genere cibus, aut quota diei hora ſumendus eſſet. Sed tantum cum flagitaret corporis neceſſitas, ad ea, quæ prima nobis oblata eſſent, edenda prouocati, vt primum naturæ, & fami ſatisfeciſſemus, ad beatas ſtatim cœleſtium rerum curas reuerteremur. Atqui hoc fortioris eſt, & conſtantioris fidei proprium, nullum facere diſcrimen in eſcis, & potionibus, omnino iſta paria, atq; vniuſmodi ducere. Quòd ſi cibos, qui diſtinguunt, vt lautioribus abſtineant, veluti infirmiores habendi ſunt, quantò magis, qui eos diſcernunt, vt exquiſitiſſimis vtantur, hi ſunt reprehendendi? Quanquam Paulo hic quidem non de intemperantibus & luxurioſis eſt oratio, ſed de his, qui partim in cibis & temporibus diſcrimen nullum faciebant ea fiducia, quòd nihil fidei firmæ pernicioſum in illis, neque aduerſarium virtutis eſſe arbitrabantur, partim, qui carnis motum ſentientes ad ipſam retundendam, & debilitandam carnem temporum, & ciborum obſeruantias adhibebant, quos tanquam diffidenteis, & imbecillos ſuſcipi à fortioribus, & foueri, ac ſuſtentari indicat debere. Hoc enim eſt, quod ait, Aſſumite ne fiat ſectio, id eſt, ne diſſimilitudo opinionum, ac morum diſſidium aliquod gignat ac pariat, aggregate vobis illos, & ſi illi ſe erigere, atque attollere ad parem vobiſcum fiduciam non poſſunt, inclinamini ad illos, vosque demittite, vt coëat in vnum fraterna veſtra conſenſio. Eis vero reprehenſionibus, ac diſceptationibus, quæ inimicæ pacis ſunt, exaſperantque animos, non placant, penitus ſuperſedete. Non enim litigando, neque arguendo, ſed pariter agendo, cumq; illis vnà abſtinendo multo eos facilius in veſtrum ſenſum, iudiciumq; pertrahetis. Et qui ergo fidit poſſe abſque periculo omnibus veſci, diffidentem is ne ſpernat. Et qui diffidit, ne iudicet fidentem, hoc eſt, illam in cibis communiter admittendis animi libertatem, ac fiduciam male ne interpretetur. Qui enim confidit, à Deo aſſumptus eſt, hoc eſt per fidem, & profeſſionem Chriſtianam homo iam Dei factus, ad eumque aggregatus, qui videtur in eo hærere etiã conſtantius, quando illius amore tectus, atq; munitus, carnis lapſus, & pericula haud ita pertimeſcit, cuiusquidem Deo iam mancipati, & traditi ſerui ad te neutiquã pertinet iudicatio. Siue enim ſteterit ille ſeu cadet, Dominum ſuum habet iudicem, cui & ſtat, & cadit, & à quo ſi ceciderit, etiam reſtituetur. Iudicare porrò diem, ad diem, inter dies & tempora diſcer-

nere

est, iudicare omnem diem, est dies omneis pares, & eorum illum eximium habere, quod respondet illi, quod sequitur, Qui non considerat diem, Domino non considerat. Siue enim abstineatur, siue non, siue tempora discernantur, siue paria ducantur, dum vtrumque in Dei honorem fiat, & in vtroque Deo gratia habeatur, in neutro est quicquam, quod iure possit reprehendi. Non quod interponit Paulus, Vnusquisque in his animo suo satisfaciat, minimè certè interposuisset, si de obseruantiis, & ritibus Mosaicæ legis, ac non de priuatis legibus abstinendi, quas sibi quisque fert, fuisset dicendum. Illæ enim semper Christiano omnino interdictæ sunt, propterque earum obseruantiam grauiter à Paulo Petrus fuit increpitus. Nec verò ex eo sunt genere, quod ad comprimendam carnis petulantiam valeat, sed quod ad superstitionem animis asserendam. Qui enim adhibet illas, vt in epistola ad Galatas est scriptum, is a CHRISTI gratia, & præmio crucis deseritur, neque simul potest idem & operum, & fidei iustitiam exhibere, considereque sibi ipsi, & in DEO spem suæ salutis ponere.

Nemo enim nostrum sibiipsi viuit, & nemo sibiipsi moritur. Siue enim viuimus, Domino viuimus: siue morimur, Domino morimur. Siue ergo viuimus, siue morimur, Domini sumus. Ad hoc enim Christus & mortuus est, & surrexit, ac reuixit, vt & mortuorum, & viuentium sit Dominus. Tu verò quid iudicas fratrem tuum? Et tu quid aspernaris fratrem tuum? Omnes enim sistemur ad tribunal Christi. Scriptum est enim, viuo ego dicit Dominus: Mihi curuabitur omne genu, & omnis lingua confitebitur Deo. Itaque vnusquisque nostrum de seipso rationem dabit Deo. Ne amplius igitur inter nos iudicemus. Sed hoc iudicate potius, ne ponatis offendiculum fratri, vel scandalum.

DETERRET semper Paulus à iudicando proximo, & ab eo iudicio, quod sit in deteriorem partem. Nam bene sentire de altero, commodeque opinari, atque in melius interpretando accipere omnia, non solùm Christianæ est charitatis, sed communis etiam humanitatis officium, cuiusmodi quidem iudicia de proximo facere rectè possumus. Capere autem ea, quæ fiunt, quæque dicuntur, in non bonam partem, & iudicium illis notæ peruersæ existimationis adiungere, animi est non alienam pranitatem coarguentis, sed suam potiùs indicantis. Quid ita enim si ad te nihil eiusmodi quicquam pertineat, de alieno facto tuo sententiam, in qua ferenda non dolore, & misericordia

commoueris, quasi alterius damnum ægrè patiare. Nam id quidem forsitan tolerabile sit, aut ascribendum etiam charitati. Sed tuam maleuolentiam cura illa oblectas, perinde ac tibi accedat, quicquid bonæ de altero opinionis detrahitur. Hoc genus vitiandi de altero, maleque sentiendi, cum de principio huius epistolæ grauiter confutauit Paulus, tum nullo loco, cùm iuciter omittit, quin insectetur. Nec Paulus tamen magis, quàm ipsemet CHRISTVS. Illam enim synceritatem Christiani animi, sanctamque simplicitatem, quæ pura semper, & integra nititur conscientia, iste curiositatis & maleuolentiæ liuor tanquam fuligine quadam sic infuscat, vt non amplius queat Deus in illa, tanquam in domicilio mundo residere. Ad nostrum igitur neminem pertinet iudicium tale facere de eo, qui seruus CHRISTI sit electus. Est enim is non nostra, sed aliena possessio, habeque à nobis iudicetur, & cuius vel lucro stet, vel detrimento concidat. Quamquam nequit Deus quidem vllum in se exiactura nostra detrimentum accipere, sed ad amplificationem tamen gloriæ illius pertinet, plurimos esse, qui ei cum fide, & cum honore deseruiant, quorum salus, & vita lucrum est gloriæ Dei, damnumque contrario eorum mors, atque interitus. Est enim propria hæc seruorum, quatenus serui sunt, conditio, vt nemo eorum sibi ipse viuat, aut moriatur, sed vtrumque agat Domino suo. Nec verò quisquam vlla pecunia emptus tam sui Domini seruus fuit, quam nos sumus serui Iesu CHRISTI. Empti enim sumus pretio magno, vt Apostolus inquit, & vitam, quam viuimus, totam debemus Deo. Etenim ipse CHRISTVS ob hoc ipsum & mortuus est, & surrexit, ac reuixit, quo fieret Dominus mortuorum, ac viuentium. Mortuorum porrò hoc loco intelligendum est, eorum, qui in hac vita stantes, ac spirantes, Deo tamen summo non spirabant, neque viuebant, quorum ipse CHRISTVS mortuorum suscitator secum vna factus est. Nam & mortuus ipse est, vt illi cum eo simul commorerentur, & reuixit, vt iidem illi in nouam & incorruptam vitam restituerentur. Quod verò ad iudicandum hominum consilia, atque facta vel proba, vel secus pertinet, nemo sibi assumat hanc curam, solicitudinemque iudicandi. Non deerit enim iudicium, cùm sistendi simus omnes in nouissimo die ante tribunal CHRISTI, neque fideles tantùm qui simus, & erimus, verùm omnes prorsus. Sic enim Dominus per Esaiã. Viuo ego, inquit, quæ est iurisiurandi formula vulgata apud Hebræos, vt cùm aiebant, Viuit Dominus, quoniam iurabat, quod erat idem, ac si iuraret ille, & diceret, per DEVM viuentem. Ita, viuo ego vsurpatur, cùm per semetipsum iurat Deus. Sed quid ait Dominus in Esaia? Viuo ego, quòd mihi flectetur omne genu, & omnis lingua confitebitur Deo. Reddet quoque vnu-

quisque tunc nostrum suorum factorum rationem, quam-
um nequaquam inter nos nunc quidem iudicemus. Illud po-
agendum, & iudicandum est à quoque nostrûm, ne creet
offendiculum fratri suo, néue eum in duram suspicionem
at. Habere videmini, in quo vos alter alterum coarguatis.
e quidem illum, vt imbecillum, & diffidentem spernit. Ille
e, quòd nimis eum fidere, longiusque progredi suspicatur.
uter vestrum vnusquisque ansam, qua occasionem alteri dat
sentiendi, tu qui confidis, de ista tua fiducia aliquid remit-
, non in opinione quidem, & fide, sed in opere, ne quòd cun-
e passim & liberè vteris, id tam videare facere, quia ipse fir-
es, quàm vt proximi tui infirmitas contemnatur. Tu autem
ntrario, qui alterius fiduciam condemnas, plus statue in fide
uis roboris, & virtutis esse ad consistendum, quam in cibis ad
dictandum, vt & tu quoque addiscas melius tibi in Domino,
in spiritualibus operibus fidere. Sic enim agendo, & remitten-
e vterque ordo aliquid in accommodationem alterius, stabit,
nbarebit domus Dei, ac ædificatio, quæ fidelium est societas,
uo mutuæ charitatis spiritu iuncta, & coagmentata. Et cùm
omnes quidem pertinet sic facere, tum multò magis ad robu-
tiores, hi sunt enim, qui se inclinare debent, ac summittere, vt
biles subleuent, & secum deinde attollant, quando illi sua vi
uillere se non possunt.

*Scio, & confisus sum in Domino Iesu, quòd nihil commune est
is: nisi reputanti aliquid commune esse, illi est commune. Si
autem propter edulium frater tuus contristatur, non iam secun-
um charitatem ambulas, ne esu tuo illum interimas, pro quo*
CHRISTVS *mortuus est. Ne accusetur igitur vestrum bo-
um. Non enim est regnum* DEI *esca, & potus, sed iustitia, &
ax, & gaudium in Spiritu sancto. Qui enim in his seruit*
CHRISTO, *gratus Deo est, & probatus hominibus. Proinde
a, quæ pacis sunt, sectemur, & quæ sunt ædificationis mutuæ.
e propter escam dissoluas opus Dei.*

HAEC est remotio scrupuli cuiusdam, & suspicionis, quam vi-
detur ingenerare Paulus in animis eorum, quos ad summit-
endum se debiliorum fratrum opinioni hortabatur, cùm mone-
et, & obsecraret, vt desisterent potiùs ab illo libero vsu omnium
ciborum, quam fratrem imbecilliorem offensum illa libertate,
in culpam, & crimen malè opinandi conjicerent. Nam & si illos
quoque infirmiores est hortatus, vt ne facerent iudicium de alieno
seruo, quandoquidem omnes serui CHRISTI essent, néue

alie-

alienum ab se, & ad Deum pertinens sibi vsurparent indecens officium, tamen cum robustioribus hoc agit diligentius, vt eos intelligit dociles magis existere. Nam illi quidem imbecilli imprudentia labebantur, vsum esculentorum, non vsum, ex animi, & ingenij sui imbecillitate metientes. Vult autem hos fortiores inducere ad sese demittendum, quando hoc ipsis facilius est, quàm illis infirmioribus niti ad se erigendum. Admouet ergo à verbis suis, & à monitionibus suspicionem, petitè videatur illos ab vsu promiscuo ciborum deterrere, quòd aliqua genera esculentorum immunda, & sordida sint, quòd erat in prima illa Ecclesia paulò antè ab Iudaismo egredientibus vehementer suspiciosum. Non enim se inquit ea de causa facere, nec se arbitrari quicquam esse inquinatum, sed vt seruetur in ædificatio quæ est fractum pax inter se, & concordia Spiritu sancto conflata atque conspirans. Scio equidem, inquit, & idem habeo in CHRISTO Iesu, qui has ciborum differentias euacuauit, quòd nihil est commune ex se, id est, sua vi, sua natura commune. Est autem commune vsitato scripturæ vocabulo id, quod immundum, quòd gentes communia omnia, hoc est illecta genera escarum, eduliorumque habebant, quorum abstinuatio non erat cum gentibus communis. Ita in Actis Petrus, demisso è cœlo linteo, in quo cuncta animantium genera continebantur, iussus mactare vulgo, & vesci. Minimè, inquit, Domine. Non enim quicquam commune, aut immundum ingressus est in os meum. Cui vox est reddita. Quod Deus mundauit, tu ne commune dixeris. Nihil igitur per se commune est. Vult enim Deus omnia, quæ fecerat, & erant valde bona sed fit commune opinione sua cuique, si quis videlicet, quod commune, & immundum esse arbitratur, eo nihilominùs vescatur. Est enim sibi comparat inquinamentum, non ab esca quidem, sed ab opinione sua. Facit enim id, quod minimè existimat esse faciendum, estque ipsemet suæ conscientiæ aduersarius. Ne ergo Paulus quidem illos dehortatur ab illis sumendis cibis, qui debilioribus fratribus injiciunt scrupulum, facere id videatur ipsa ciborum natura, tanquam communium, ac inquinantium, negat se quicquam existimare commune eorum, quæ in escam accipiuntur, nec reuera esse commune, nisi ei, qui reputet aliquid esse commune. Sed & si omnia rectè edulia sumi possint, non est tamen cibi, & epularum causa frater in tristitiam, & suspicionem conjiciendus, qui in eo, quod spernitur, doleat necesse est, in quem ò alterum intuetur, siue delectu cibis omnibus vescentem, putet aliquid grauius, illamque libertatem edendi non ad fidem, sed ad intemperantiam putat pertinere. Est ergo hæc illi causa suspicandi auferenda. Alioquin non secundum charitatem ambu-

lat.

dat. Porrò hoc vult charitas, vt frater tibi tuus, quàm cibus
tior sit, quem si in animi hæsitationem esu tuo inducis, absti-
potiùs ab edendo, néue eum perime, pro quo Christus mor-
us est, hoc est, ne illi tribuito peccandi occasionem, qui à pec-
is vt extergeretur, Christus pro eo mortuus est. Et simul hîc
monet, quantum fratris causa nos velle debeamus, cui ipse er-
Christus vitæ, & sanguinis sui putauerit se debitorem. Ac
num quidem est nullum adhibere delectum ad cibos, sed hoc
num ex altera parte noxium esse non debet, vt obsit fratri. Plus
m mali est charitate violanda, quàm boni in eo, si illud cibo-
m discrimen sustuleris. Neque enim regnum Dei esca, aut po-
est, inquit, quæ magna per se non sunt neque habent vim in
tate, & religione admodum animaduertendam, sed regnum
Dei iustitia, paxq; est, & gaudium spirituale. Id enim est in Spi-
ritu sancto ne hoc gaudium, quod regnum Dei est, vllo pacto ad
corpus, & ad carnem referatur. Nam qui in his, inquit, seruit
Christo, ille & Deo acceptus est, & hominibus probatus. Qua-
propter cedant minora maioribus, si occasio ferat, vt simul stare
non possint. bonum est ciborum tollere differentias, nec habere
animum occupatum in discernendo, bonum nimirum, habemus
enim potiora in quibus melius, & sanctius curam animi pona-
mus. Sed si frater tuus ex tua ista libertate offenditur, melius
multò est prospicere, & consulere fratri ac charitatem retinere
fraternam. Namque distinctio illa ciborum, atque adeò etiam
coæquatio parum admodum pertinet ad regnum Dei. Pax au-
tem, & charitas ipsum est Dei regnum. Abstine ergo & tu, ne tua
indistinctio, ciborumque coæquatio sanctum hoc charitatis vin-
culum interrumpat, ne pacem violet, néue illam humanitatem,
quam debemus fratri, quæ quidem germana, & propria iustitiæ
est, ac bonitatis summi Dei imitatio, inficiat, ac turbet. Ex quo
spirituale gaudium illud corrumpatur, quod non ex cibo nasci-
tur, sed ex concordia inter fratres, & ex charitate, quod quidem
gaudium ex Spiritu sancto regnum etiam Dei à CHRISTO est
appellatum, cùm dixit, Regnum Dei intra vos est in hoc gaudio,
in hac bonitate, & pace, qui Christo seruiunt, illi & Deo proba-
ti sunt, & hominibus. Quapropter quæ pacis sunt, præcipuè se-
ctemur, retineamusque ædificationem mutuam, qua inuicem
nos adiuuamus, vt alter alteri vicissim demus causam lætandi de
nobis, beneque suspicandi, quam ædificationem concordiæ, &
consensionis exemplis mutuis iustitiæ, humanitatisque constru-
ctam, proprium Dei opus, minimè debet quisquam escarum
causa dissoluere.

Omnia quidem pura, sed malum homini est, qui per offen-
sionem

sionem vescitur. Bonum est non esse carnes, nec bibere vinum, neq; in quo frater tuus offenditur, aut perturbatur, aut imbecillus fit. Tu fiduciam habes per teipsum. Habe in conspectu Dei. Beatus qui non iudicat semetipsum in eo, quod probat. Qui autem ambigit, si comedat, condemnatus est, quia non ex fide. Omne autem, quod non ex fide, peccatum est.

QVÆ PER se munda sunt, inquit, qualia quidem sint omnia facta, & creata à summo Deo, fiunt immunda tamen si grauent, & excitent in fratris animo scrupulum, & offensionem. Nam quod ex se bonum alioquin est, illo modo fit malum, dum eo frater perturbatur. Itaque idem ipse ad Corinthios scribens, inquit, Si esca perturbat fratrem meum, non edam ullo tempore carnes, ne perturbem fratrem. Quare etiam è contrario, quod per se est malum abominari, & cuitare esculentorum genera quædam videlicet propter ipsa, tanquam ea suapte natura, & infita labe immunda sint, efficitur bonum, si propter eam causam vitentur, vt inde oriatur ædificatio fratris. Ac quòd de illis rebus inquinamentis, quæ sunt certis generibus eduliorum attributa, nequaquam loquatur Paulus, satis ex eo perspicuum est, quod etiam vino differit bonum abstinere, à quo frater abstinuit imbecillus, ratus ex eo luxuriæ fomentum subijci. Quare meus Paulus tota est, vt ostendat, & doceat in rebus quidem ipsis, quarum ad discrimen, aut æqualitatem ciborum attinet, bonum, malum ve accidere, si aut per superstitionem discernantur, aut recta, & libera animi fiducia exæquentur, sed hoc bonum, maximè, quod in æquando, aut discernendo est, non tanti tamen momenti ipsum esse, vt cum maiore bono, malóue collatum non immutet naturam suam, atq; in naturam illius maioris transeat, vtpote superstitio discernendi & deligendi, etiam si non bona sit, quia inanis, & cura inutili occupata, si tamen fratris continendi ratio cationem, veluti bona adsciscenda sit, contraq; exæquatio mala ex sese, si lædatur ex ea, & turbetur animus fratris pro nulla habenda sit, & rejicienda. Siquidem paci, & charitati, commodo priùs proximi, quàm escæ, & vino consulere obligati sumus. Ex quo fit, vt quod non bonum ex sese est, abstinere videlicet vino atque carnibus, efficiatur bonum, si in eo fratris salus, tranquillitati animi consulatur. Et si enim tu, qui tua ipsius causa non abstines, rectè confidis, & persuasus es, nihil in carnium, vinique vsu vitij, labisq; inesse, istam tamen tui animi fiduciam secum habe, & aduersus Deum. Actionem verò eius rei vllam differe, qua tuus frater offenditur, absiste, & desine. Ac beatus quidem ille est, qui expertus in semetipso, & visa iam cedens ra-

Iam

m sibi genus cibi officere, neque ad luxuriam, neque ad distra-
nem animi a summo Deo, neque ad fratris damnum, aut of-
sionem in eo, quod probat, esse que rectum existimat, sine
nscientiæ scrupulo vllo versatur. Qui verò conscius sibi ipse
, si esculentis quibusuis liberè vescatur, aliquod sibi vnum ho-
um incommodorum euenturum esse, si comedit is nihilomi-
s, & vescitur, incidit in crimen, atque ea re incidit, quòd non
bde comedit, hoc est, non ex fiducia interiore, non ex libera
nscientia, quæ cùm reclamet, admoneatque periculum esse
i abstineatur, in non abstinendo commissum iam peccatum
, quicquid enim contra iudicium conscientiæ committitur,
crimins, & vitij parte id numeratur, peccatumque iudicatur.
ergo iudicat quis non se posse absq; proximi offensione car-
bus, & vino vti, & tamen vtitur, quod non per se malum est,
efficitur malum, quia suæ conscientiæ iudicio ille condemna-
r. Etenim illa intima cordis approbatio, atque consensio in
nibus spectanda est, quæ si non reclamet solùm, ac dissen-
at, verum hæreat modò, & titubet, quòd non de illius senten-
a, & suasione factum sit, vim nanciscitur criminis, vt non ne-
quam antiquo prouerbio vsurpatum sit, non esse facien-
m, quod dubites. Sanctè quoque & rectè Iob, Nunquam me
a mea cormeum adhuc reprehendit, inquit, tanquam omnis
gnitio, animaduersioque peccati ab illo intestino mentis,
nscientiæque oculo sit ducenda, qui cùm solus finem intuea-
r, quò tenditur, solus habet etiam veri, falsique, nec non recti,
auique iudicium.

*Debemus autem nos fortes imbecillitati impotentium sub-
uare, & non placere nobis ipsis. Quilibet enim nostrum proxi-
mo placeat in bonum ad ædificationem. Etenim Christus non
ipsi placuit, sed sicut scriptum est, Opprobria opprobrantiũ
tibi inciderunt in me. Quæcunque enim antea scripta sunt, in
nostram doctrinam sunt scripta, vt per patientiam, & consola-
tionem scripturarum spem habeamus.*

Hæc est charitas vera, atque plena, vt summittamus nos
ad vilitatem fratris, quo illum paulatim parem nobis in virtute,
& fidei firmitate faciamus. Tu potis es vino abstinere, habes
autem fratrem, qui te vult quidem, sed nequit imitari, ideoq; in
periculum vitæ se demittit, aut stomacho languente a pietatis
aliquis operibus abducitur. Declina, & subueni fratri tuo, vinoq;
tu vtere, vt illum ab illa opinione dimoueas. Aut è contrario
tibi vinũ non obest, obest autẽ fratri tuo, atq; ille putans luxuriã
esse in vino, quod & Paulus alibi admonuit, suadens ne inebrie-
mur

mur vino, quòd in eo est luxuria, ipse abstinet sibi cauens, te verò, qui non abstineas, miratur, & tacita sua suspicione de tenuit iudicat, demitte te ad fratris opinionem, vt ne causam illi prauæ suspicandi afferas. Denique prorum est, & prudentum, & cum ratione bona, consilioque charitatem sectantium, non suæ tùm niti sententia nec suo ipsorum solùm iudicio viuere, sed accommodare sese, atque inflectere ad aliorum quoque sententiam, & iudicium, siquidem illa inflexio, ad bonam illorū, quorum voluntati te dedas, & ad illos in fide & charitate, omnesque Christianæ virtutis operibus construendos intenta, apta est. Atque ex hoc illi meliores, & fortiores futuri sunt, posthæc tecum vnà ad sublimiorem gradū virtutis ascensuri, vt cum eo, quasi manu traxeris in locum stabilem, atque tutum, ipse quidem nihil de firmitate tua constantiaque perdideris, proximo autem tuo pacatioris animi, & conscientiæ sedatioris fueris author. Faciendum igitur nobis semper est, vt vitæ nostræ actiones, & consilia ad vtilitatem, ac salutem proximi dirigamus: nec tam studeamus nobis ipsis, quàm fratribus satisfacere. Atque vt omnia Paulus sua consilia inde maximè comprobet, vnde omnis veritas, & sapientiæ lumen omne est exortum, Christum exemplo inducit, quem hoc modo operatum nos imitari omnes debeamus. Ille enim cùm haberet, quare sibi meritò, marimeque placeret, quòd Dei filius cùm esset, pari cum patre gloria, potentiaque fruebatur, demisit tamen sese, & tradidit in conditionem longè inferiorem, factusque homo est, vt eos, qui humanæ erant conditionis, posset ad suam gloriam, regnumque perducere, descenditque ex alto, vt nos deinde attolleret in altum. Et sanè vsitatum admodum Paulo est, cùm suadere aliquid, aut dissuadere vult, exemplum ducere à Christo. Ad misericordiam vbi nos hortatur, Agnoscite, inquit, gratiam Domini, qui dum cùm esset, pauper propter nos est effectus. Errursus, cùm ad mutuam charitatem hortatur, sicut Christus nos dilexit ait, Tolerantiam quoque contumeliarum, & insectationum, cruce, & ignominia Domini nostri sæpe confirmat. Hoc quidem in loco testimonium Psalmi adducit, in quo Dauid cecinit ex persona Christi, Opprobria opprobrantium tibi ecciderunt in me. Quibus in verbis duplex Christi humilitas cernitur. Et quod cùm esset Deus, cui nulla ex hominibus digna potest reddi gloria, factus est is, qui probris esset, despicationibusque subiectus, hoc hominum causa. Et quod patris quoque sui omnipotentis iram subiit, cùm submisit sese Iudæorum insolentiæ, & prauitati, qua illi patrem Deum & in [illegible]tudine a principio, vt primum egressi ex Aegypto, & postea terra iam parta, atque possessa diuina sæpe mandatis obrectantes, falsosque [illegible] Deos in contemp-

[illegible]

um veri Dei adſciſcentes, omnibus modis exaſperare conati ſunt. Namque omnia illa gentis præpoſteræ conuitia, & exprobramenta, quibus aduerſus Deum vſi ſæpe fuerant, in Chriſtum ſunt collata. Scripta porrò hæc, quorum vetus, & conſtans omnium ſeculis authoritas, in Chriſto Ieſu poſtea & in eius vita, doctrina, factisque declarata eſt: propter hanc cauſam iam diu ſcripta ſunt, vt nos illis edocti, & confirmati in patientia & ſpe eorum noſtram traducamus. Nam idcirco Prophetæ prædixerũt, & poſtea euentus rerum, illorum prædictiones cùm probaſſet, ſe conſtans, & perpetuum conſilium Dei duobus præclaris temporibus cognoſceremus, quorum alterum futura nobis indicaret, alterum iam facta, quæ prænunciabantur, oſtenderet, vnde ex vtroq; ſolatium ingens in hiſce mundi agitationibus caperemus, & pateremur fortiter aduerſa, & ſperaremus felicia. Felices verò eiuſmodi, in quibus non dolor, non mortis timor, non extremi caſus rerum humanarum partem aut locum vllum haberent, ſed quæ futura eſſent ſumma, & immortalia, qualia apud verum Deum in altera illa vita tantùm conſequi licitum eſt. Et ſane vt alio loco dictum eſt, ſpes & patientia ita ſe inuicem fulciunt, vt altera alteram & augeat, & ſuſtineat. Quantò enim duriora & difficiliora propter Deum patimur, hoc meliore in ſpe ſumus, & quo ſperamus alacrius, hoc ſumus in perferendis rebus fortiores magis fortes.

Deus autem patientiæ, & conſolationis det vobis idem ſapere in vobis mutuò ſecundum Chriſtum Ieſum, vt vnanimiter in vno ore glorificetis Deum, & patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti. Ideo ſuſcipite inuicem vos, ſicut & Chriſtus ſuſcepit nos in gloriam Dei. Dico autem Chriſtum Ieſum miniſtrum fuiſſe circumciſionis pro veritate Dei, ad confirmandum promiſiones patrum. Gentes autem vt pro miſericordia glorificarent Deum, ſicut ſcriptum eſt, Propter hoc confitebor tibi in gentibus, & nomini tuo pſallam. Et rurſus dicit, Lætamini gentes cum populo eius. Et rurſus, Laudate Dominum omnes gentes, & collaudate eum omnes populi. Et item Eſaias inquit, Erit radix Ieſſe & erediturus ad imperandum gentibus, in eo gentes ſperabunt.

Scripta ſunt omnia, inquit, ad doctrinam noſtram, vt per patientiam, & conſolationem ſcripturarum ſpem habeamus. Verum hanc patientiam, & conſolationem plenam habere, vt poſſimus, tribuat nobis Deus, vt ſimus inter nos concordes, eademque ſentiamus, quod idem ſæpe ad Corinthios ſcribens illos admonet, Idipſum dicatis omnes, inquiens. Et alio loco, Idem

ſentite, pacem habete. Quem tamen vnanimis concordiæ con-
ſenſum ſecundum CHRISTVM Ieſum eſſe vult. Eſt enim con-
ſenſio earundem voluntatum etiam mundanæ inter homines
amicitiæ præceptum primarium. Sed nos diuina quærimus, & ad
vnum Deum omnipotentem omnia referimus. In cuius hono-
rem, & venerationem, & gloriam conſentire proprium eſt cœle-
ſtis, perfectæq; amicitiæ. Conſentire autem per Ieſum Chriſtum
in Chriſto Ieſu, inq; ea fide, quæ à Chriſto nobis præcepta eſt.
Et eſt ad eum finem dictum, vt & Iudæi, & gentes in eo vna con-
ſentiant, quando inter ſe alioquin ſint diſſidentes. Nam ſine le-
gem attendas, illa vni ſoli Iudæorum nationi, non cæteris gen-
tibus lata eſt, ſiue Dei cultum, in eo gentes longè abertiuere.
Quòd ſi dicatur ad legem licitum fuiſſe accedere etiam gentibus,
Proſelytosque ex eo numero fuiſſe, qui ſe ex alienis ritibus, &
gentibus legi Moſaicæ ſeruandæ addixiſſent, idcircòne id illi
faciebant, vt eſſet populo Iſraëlitico illa ſuperbia, qua in con-
ſtruendo templo ſolos ſe liberos, ſeruilia autem opera per huius-
modi proſelytos fieri debere omnia commemorabant. Non eſt
idoneum profectò vinculum communis concordiæ ſuperbia, cui
quidem ſuperbiæ lex cauſam præbebat. Vera eſt, & ſola cunctis-
rum exæquatio Chriſtus Ieſus, apud quem non eſt diues, nec pau-
per: Dominus, vel ſeruus, homo, aut fœmina, ſed omnes in hono-
re pari, & gratia ſunt locati. Fidei enim myſterium humiliat to-
ta eſt, atq; vbi de humanis agitur neceſſitatibus, maior pro alio,
quàm pro ſeipſo ſolicitudo, ſi æternæ ſalutis ratio ducatur, par
certè de aliis, ac de ſemetipſo cura ac diligentia. Quo in genere
duntaxat, vitæq; inſtituto fides erga Deum, & charitas perfecta
ineſt. Eſt enim ipſa charitas alteri velle, ac ſtudere illud idem,
quod ſibi, neque ſua quenq; cauſa ſeorſum laborare, ſed curare,
vt eodem æquè labore fratri conſulatur, quod aliter fieri, quàm
in Chriſto non poteſt. Qui verò inuicem ſe ſic fouent, & amplo-
ctuntur, quiq; inter ſe hoc pacto diligunt, vt in Deo omnes vni,
idemque ſentiant, hi Dei miniſtri veri ſunt, & vnanimes cunctis,
vnoque ore glorificant Deum. Ab vno enim ſpiritu, vnaque, &
eadem omnes voluntate ad prædicandam Deo gloriam, gra-
tiamque adducuntur. Atque, vt dico, hoc in ſolo Chriſto ieſu
fas eſt fieri. Non enim iniuria Chriſtus ad partem opem ab eo
diſcipulis ſuis, & præſidium deprecans, In hoc cognoſcent o-
mnes, inquit, quòd tu me miſiſti, ſi fuerint vnum. Ac nemo qui-
dem poteſt, niſi à Deo miſſus, vel potiùs ipſe Deus, hanc con-
ſpirantem in cordibus hominum mutuam inter ipſos volunta-
tem creare, in vnumque ſic conflare, vt nemo alius alij in ea o-
mnino antecellere velit, ſed omnes ſtudeant eſſe pares, vel etiam
qui præſtantiores virtute, prudentiaque ſunt, inferiorem ſibi lo-
cum,

tum, & conditionem appetant. Namq; in humanis societatibus, conuenticulis, cùm illud imprimis quæratur, vt aut vnius potentia sit, aut certè ciuitas, genusque hominum certum alteris gentibus, nationibusq; dominetur, in quo vnius aut paucorum emineat potestas, cæteri ducantur serui, Christus vnus omnibus esse ipse par, & reliquos inter se æquales voluit esse. Ad hoc ergo iugo coniuncti in vnum cum gentibus Iudæi, omissis propriis vitæ prioris insignibus in communem habitum, & ornatus, & fidei ad Dei omnipotentis gloriam cum cæteris conueniant, & in angulari lapide Christo coagmententur. Quod hoc modo optimè facturi sunt, si quemadmodum Christus sumsit, inflexitq; se ad eorũ gradum, & conditionẽ, quos erat seruaturus, sic nos inter nos ad eorũ captum deflexerimus, qui forsitan nobis fuerint infirmiores, vt cum illis primò nos constituamus pares, quo deinde illos nobiscũ ad altiora opera virtutis, & fidei subleuemus. In quo est animorũ consensus, & cõciliatio, quã maximè Deus a nobis postulat, & quæ per Iesum Christum nobis est demonstrata, & tradita. Et enim ille, vt compleat veritatẽ Dei, Iudæos ad se adducit, gentes autem in eundem cœtum vocat, vt eiusdem Dei misericordiã demonstret: Nam cum Iudæis in Abraam fuisset promissum ex eorũ semine venturum, in quo gentes omnes benedicerentur, iccirco sub circumcisione CHRISTVS nasci voluit, vt seruaretur veritas factarũ posteritati Abraæ à Deo promissionũ. Vt verò gentes ad cognitionem veritatis eiusdem, & ad præmium cœlestis regni vocarentur, nõ promissio ampliùs extitit, sed Dei misericordia. Non enim ad illas, sed de illis facta fuerat olim semini Abraæ promissio, sic vnanimi corde prorsus omnes Deum glorificaturi sunt. Iudæi, quòd veritatem illius in seruando, quæ promisit. Populi gentium, quòd eiusdem erga se misericordiam sunt laudaturi. Atque hæc tamen gentium vocatio non minùs ipsa ferè Prophetarum vaticiniis denunciata, eoramque vocibus tantò antè prædicta, quàm expectatio Iudæorum promissionis Dei extitit. Nam & Dauid in persona CHRISTI Deum patrem alloquens, Constituens me in caput gentiũ, inquit. Et paulò infra, Propter hoc confitebor tibi in gentibus, & psallam nomini tuo. Et alibi scriptura: Lætamini gentes cum populo eius. In quo consensio gentium cum Iudæis in laude, & lætitia vnius Dei nunciata est. Iteremq; Dauid, Laudate Deum omnes gentes, & vt cum Iudæis concors sit laudatio, addit, Et collaudate eum omnes populi. Rursus Esaias, Erit radix Iesse, & qui exurget vt imperet gentibus, in eo gentes sperabunt. quod apertissimè de CHRISTO fuisse dictũ, rerum exitus comprobat. Nec est tergiuersandi, aut calumniandi cuiquã locus. Vt ergo hic cõcentus concordis hymni & ab vno ore, animoq; cunctorum con-

ſpirans, conſentiensq́; procedat Dei laudatio, quoniam & huius charitatis inter nos iucundiſſimæq́; concordiæ, & omnium bonorum noſtrorum vnus author nobis Deus eſt, ad eum ipſum orandum, ac precandum Deum conuertitur Paulus.

Deus autem ſpei impleat vos omni lætitia, & pace in credendo, vt abundetis in ſpe, in potentia Spiritus ſancti.

DEVS ſpei, inquit, in quo ſpes noſtras figimus, qui finis eſt noſter, & extremum bonorum omnium, vel vnicum ipſe bonum potiùs, quo aſpiramus atque contendimus, quiq́; nobis extitit author miſſione CHRISTI Ieſu filij ſui, vt in eo vno locaremus ſpes noſtras, impleat vos omni lætitia, & pace, hoc eſt, quod dixit ſuprà, Deus conſolationis. Et verè lætitiam, pacemq́; in hac vita, niſi ſpei huius in Deum munere habere non poſſumus. Nam nec læti eſſe illo ſancto, ſpiritualiq́; gaudio ſine ſpe poſſimus futurorum bonorum, neque habere ſtabilem pacem, ſi non à mundi huius bonis ſpem noſtram dimoueamus, & in cœlum totam transferamus. Quapropter iſta in Deo ſpes omnis nobis eſt lætitiæ, pacisq́; firmamentum. Porrò autem ſpes abſq; fide haberi nequit. Deus ergo ſpei impleat vos omni lætitia, & pace in credendo, vt tantò magis abundet in vobis ſpes, quò firmiore fide fuerit nixa. Quorum vtrumque in vobis ſit à Spiritu ſancto. Eſt enim hæc quaſi functio propria Spiritus ſancti inſinuandi in nos fidem, ſpem, amorem. In quo quidem amore præcipuè eſt lætitia, atque his tribus tota Chriſtianæ religionis extructio continetur. Pater enim filium miſit, vt doceremur ab eo, eumq́; ipſe voce è cœlo edita, vt audiremus, hortatus eſt. Filius acceſſit ad nos, verboq́ue, & exemplo nos erudiit. Vim autē doctrinæ, & monitionis Spiritus ſanctus ad cor noſtrum, & ad intestinos animi ſenſus influendo accommodat, icciroq́ue eſt dictum, Qui peccauerint in Spiritum ſanctum, hoc eſt, qui eum excluſerint, qui intimos animi ſenſus ei non patefecerint, veniam illos non reperturos. Et reuera parum prodeſt crucis, & mortis Domini noſtri IESV Chriſti audiſſe myſterium, eiusque fidem, & nomen profeſſum fuiſſe, ſi intro ad animum non allabatur vis & potentia Spiritus ſancti, quæ molliat corda noſtra, illaq́ue Deo prompta, parataq́; exhibeat, vt ea cum præceptis Dei ſingi, inſtitięq́; imitatione formari, tū diuino amore incendi facilè poſſint.

Perſuaſus ſum porrò, fratres mei, & ipſe ego de vobis, quod & ipſi pleni eſtis bonitatis, referti omni cognitione, valentes & aliis præcipere. Audacius autem ſcripſi vobis fratres in aliqua parte, vt commonefaciens vos propter gratiam datam mihi à Deo, vt ſim miniſter IESV Chriſti erga gentes, ſacrum gerens

nisterium Euangelij Dei, vt sit oblatio gentium bene accepta-bilis, sanctificata in Spiritu sancto.

PRVDENS Paulus & humilis, cùm & doctoris officium, & praeceptoris curam, diligentiamque praestitisset, partimque docuisset fidei CHRISTI mysteria, nimirum ex diuinis hausta libris, partim etiam quae ad mores pertinent, & ad communem pacem, concordiamque sunt idonea, admonuisset, fecissetque vtrumq; ob eam rem, quòd egebant illi vtroque, declinans hanc offensionem, excusat audaciam suam, quasi non ignorans eosdem & doctos illos quoq; & probos eximiè esse, sed vt impleret munus à Deo sibi commissum, iccirco pro parte sua illos commonefecisset. Porrò suum esse munus datum sibi à Deo per gratiã, non ob meritum, vt foret ipse minister IESV Christi, ergà gentes, delectus qui illud Dei Euangelium, quod à Christo IESV è cœlo deportatum, & hominibus communicatum fuisset, disseminaret vbique & spargeret, veluti sacerdos sacram curationem gerens, & diuinam rem inter homines tractans, vt quae ex gentibus Deo futura esset oblatio, illa eidem Deo grata, optabilisque existeret, tanquam sanctificata, non in sanguine neque in aspersione cineris, aut aquae, sed in Spiritu sancto, quae quidem propria est, & peculiaris in fide CHRISTI mundatio. Atque vt consilium Dei de se ostendat, tanquam diploma officij, & munens sui breuiter narrare ingreditur, quàm latè CHRISTI Euangelium prædicauerit.

Habeo igitur gloriationem in Christo Iesu in his, quae ad Deum pertinent. Non enim audebo loqui quicquam eorum, quae non operatus sit Christus per me ad credulitatem gentium, sermone & opere in potentia signorum, & miraculorum, in potentia Spiritus Dei, vt ab Hierusalem, & circum illam regionibus, vsque ad Illyrium referserim Euangelium Christi, sic contendens euangelizare, non vbi nominatus erat Christus, ne in alienum fundamentum ponerem ædificium, Sed quemadmodum scriptum est, Quibus non nunciatum fuit, de eo videbunt, Et qui non audiuerunt, intelligent. Ideoque interruptus fui sæpe, quò minùs venirem ad vos. Nunc autem non amplius locum habens in regionibus his, desiderium verò habens veniendi ad vos à multis iam annis, cùm iter faciam in Hispaniã, accedam ad vos. Spero enim præteriens videre vos, & quod prosequimini me eũ-dem illuc, cum vobis priùs aliqua ex parte fuero saturatus. Nunc autem proficiscor in Hierusalem, ministrans sanctis. Placuit e-

nim Macedoniæ, & Achaia communionem quandam facere in pauperes sanctos, qui sunt in Hierusalem. Placuit ipsis, & debitores illis sunt. Etenim si spiritualibus illorum communicatæ sunt gentes, debent hæ & in carnalibus suppeditare eis. Hoc igitur vbi perfecero, & consignauero illis fructum hunc, discedam per vos in Hispaniam. Scio autem, quòd veniens ad vos, in complemento benedictionis Euangelij Christi veniam.

HÆC DE suis factis prædicatio, quoniam videtur præ se ferre quandam gloriam. Iccirco Paulus quicquid gloriæ est, ad Deum totum conuertit, nihil sibi, neq; virtuti suę, sed omnia Deo, Christoq; tribuens, à quibus ipse minister adhibitus fuerit. Gloriam, inquit, mea in CHRISTO Iesu est, & de eis rebus dum taxat, quæ pertinent ad Deum. Nihil enim meum proloquor, sed quæ per me operatus est CHRISTVS, ex quibus fides, & credulitas gentium, sermone, & opere, meo quidem vt ministrantis, sed Dei operantis, in potestate signorum, & miraculorum, & in virtute Spiritus sancti excitata est. Et sanè ista opera eiusmodi sunt, vt humana sibi virtus illa nō queat adscisc̃re. Diuina enim planè sunt, & potentiam indicant immensam, omniaq; valentem, quæ sint per Paulum à Deo ad hominum salutem gentibus administrata, & tradita. Quibus ego Deo fretus, inquit, ab Hierusalē ambitos regiones vsq; ad Illyrium inferi passim Euangelium Christi, quod ibi contendens prædicare, vbi iam nominatus fuisset Christus, ne super alienum ædificarem fundamentum, sed aperiō ostio populos, & nationes, de quibus scripsit Esaias, Quibus non nunciatum fuit de ipso, hi videbunt. Et qui nō audiuerunt, intelligent. Quod ab illo Propheta prædictum est futurum, quoniam mox gentes per Christum celebrandus esset Deus, ideoque, inquit Paulus, hoc euangelizandi negotio sæpiùs recordatus sum, quòd minus cùm cuperem proficisci possem ad vos. Et respondet huius quibusdam præ se ferentibus conclusio proœmij etiam sententiæ, quatenus & excusationem quandam affert libertatis suæ in docendo, monendoque, & desiderium eos visendi præ se fert. Sed nunc, inquit, cùm pō amplius locum habeam in his regionibus, cùm quod per me fuit faciendum, effectum sit, iamq; hoc negotio sim vacuus, obsequar desiderio annorum iam multorum meo, vt veniam ad vos, tum cùm iter in Hispaniam faciam. Quid est autem, Locum non habeo? Num omnes ad fidem iam conuersi in tantis terrarum spatiis, & salutaribus documentis plenè erant instructi? Nequaquā omnes, sed quos per Paulum Deus voluit conuerti, hi conuersi iam, & eruditi in fidei doctrina fuerant: Sic & Dominus Paulo Corinthi multum sibi esse in illa ciuitate populum dixit. Sed quòd in Hi-

spa-

...iam profecturus, & quasi corollarium itineris sui diuersio-
...ad vrbem Romam facturus eos se inuisurum pollicetur,
...ne illis futurum erat hoc molestum tanquam exigui amoris
...gnum esset? Erat fortasse, verum id veretur Paulus, ne grauius
...piant, si ad eos ipse tanquam magister, & censor videatur ac-
...ere. Huic ergo suspicioni, quæ est acrior, medetur, quòd eum
...quam hospitem pergentem in alias terras, non vt assiduũ do-
...tem essent accepturi. Et tamen illa amoris verba affert, se tunc
...sum iter in Hispaniam egressurum ipsis etiam prosequenti-
...s, cum eorum vsu, & familiaritate, quando omnino non pote-
...in quo est significatio vehemens cùm amoris sui, & desiderij,
...illorum virtutis, atq; humanitatis, aliqua tamen ex parte
...it ipse saturatus. Nunc autem, inquit, proficiscor Hierusa-
...m subsidium pauperibus sanctis, qui sunt illic, à Macedonibus,
...Achæis, deferens, quod subsidium communionem vocat ipse,
...ue vt communiter munus sanctis collatum, siue vt denotetur
...erma quædam permutatio inter vtrosq; facta, cùm isti suppedi-
...ent carnalia, & suppeditati sint spiritualibus, quod & ipse paulò
...ost quasi interpretatur, iustum, & debitum esse demonstrans, vt
...ab istis fiat, quando ipsi adiuti in spiritualibus vicissim debent
...carnalibus suppetias sanctis ferre. Hanc communionem cùm
...luc tulero, & consignauero sanctis, inquit, tum decedam per
...os in Hispaniam, quod deinde & fecit, ad vrbem vti accederet,
...eq; tam accederet tamen, quàm traheretur: Vinctus enim Hie-
...rusalem, & ad Cęsarem, ad quem prouocauerat reiectus, Romam
...sub custodia perductus est, in qua per biennium ex Actis Lucæ
...mansit, neq; de eius pòst in Hispaniam profectione, sed de mor-
...te, & martyrio in eadem vrbe plurimorũ literis, & vetustatis me-
...moria est traditũ. Scio enim, inquit, cùm accessero ad vos, quod
...in complemento benedictionis Euangelij CHRISTI accedam,
...hoc est: Si quid deerit, si quid erit faciendum, aut intelligendum
...amplius, noster congressus, & aliquot dierum consuetudo, ac
...communicatio sermonis, & consiliorum explebit id, ac perficiet,
...vel fortasse melius, quòd eos offendet ita cumulatos benedictio-
...ne ea, quæ per Euangelium CHRISTI hominibus allata est:
...quæ quidem est in fide posita, & in virtutibus illis, quæ veram fi-
...dem sequuntur, vt non sit operæpretium futurũ diutiùs apud eos
...commorari, quæ quasi quędam sit facti sui defensio, & ratio con-
...silij initi, quòd eos in transitu, & non data opera sit inuisurus.

Obsecro autem vos fratres per Dominum nostrum Iesum Christum, & per dilectionem spiritus, vt collaboretis mecum in deprecationibus pro me, ad Deum, quo liberer à non credentibus in Iudæa, & vt ministratio hæc mea in Hierusalem grata sit

ſanctis, vt in gaudio veniam ad vos per voluntatem Dei, & requieſcam vobiſcũ. Deus autem pacis cum omnibus vobis, Amen.

RVRSVS eleuat ſeueritatem ſuperiorum monitionum, ac pręceptorum, tanquam nõ ea ſcripſerit indigentibus, ſed vt officij ſui munus impleret. Itaq; & modò excuſauit audaciã, & nunc optimã ſuam de illis indicat opinionem, quando eorum ad Deũ orationibus ſe iuuari cupit. Per dilectionem autem ſpiritus ait, quia cùm ex vultu & facie Paulum nondum noſſent, ſpiritu eum amabant, non ſenſu, quaſi dicat, per amorem illum quo me incognitum, & non viſum, mentibus tamen veſtris amatis. Petit autem ſupplicari per eos Deo, vt ipſe ab infidelibus Iudęis liberetur, quorum intelligebat acerbas, & implacabiles contra caput ſuum atq; vitam flagrare inimicitias, cùm illi odio inexpiabili Paulũ inſequerentur. Quos illorũ impetus, & quas acerbitates vt gentis iniquiſſimæ iramq; & inimicitiam nulla lege moderantis, quibus in Paulum poſtea graſſati, atq; incitati ſunt, qui noſſe vult, ex Apoſtolorum diſcat actis, non ab re quidem, neq; inani metu ab illis Paulus ſe liberari optat, cunctorumq; ſibi auxilio apud Deum aduocat preces, itemq; ab eodem Deo, & per ſe, & per alios obſecrando poſtulat, vt ſedulitatem ſuam, & ſubſidium, quod ipſe fert ſanctis, illi, quibus id defertur, æqui, boniq; conſulant, gratumq; ſibi habeant Pauli miniſterium. Eo enim opere confecto lætum ſe reuerſurum ad eos, qui ſunt Romæ, pollicetur, ſi Deo volente fuerit datum, vt cum illis conquieſcat, non ſolùm reficiendo ex labore itineris corpore, ſed multò magis mente ſpiritualibus epulis, & gaudio fraternæ pacis, charitatisq; recreanda. Atque vt mos ei eſt, poſt obteſtationes, & monita, vt Deum ſemper aduocet, propitiumq; precetur, illis, quos eſt obteſtatus, Deus pacis, inquit, ſit cum omnibus vobis, Amen.

Commendo autem vobis Phæben ſororem noſtram, quæ eſt miniſtra Eccleſiæ in Cenchreis, vt eam excipiatis in Domino, ſicut decet ſanctos, & adſitis ei in quocunque vobis eguerit negocio, nam & ipſa affuit multis, ac mihi ipſi. Salutate Priſcam, & Aquilam, cooperarios meos in Chriſto Ieſu, qui pro vita mea ſuummet iugulum ſuppoſuerunt. Quibus non ego ſolus gratiã habeo, ſed & omnes Eccleſiæ gentium. Et quæ domi eſt apud illos cõgregationem. Salutate Epenetũ dilectum meum, qui eſt primitiæ Achaiæ in Chriſto. Salutate Mariã, quæ multum laborauit erga nos. Salutate Andronicum, & Iuniam, cognatos meos, & concaptiuos meos, qui ſunt inſignes in Apoſtolis, qui & ante me fue-

erunt in Christo. Salutate Ampliam dilectum meum in Do-
mino. Salutate Vrbanum cooperarium nostrum in Christo,
& Stachin dilectum meum. Salutate Apellem probatum in
Christo. Salutate eos, qui sunt ex Aristobuli familia. Salutate
Herodionem cognatum meum. Salutate eos, qui sunt ex Nar-
cissi familia in Domino. Salutate Triphenam, & Triphosam,
quæ laborant in Domino. Salutate Persiden dilectam, quæ mul-
tum laborauit in Domino. Salutate Ruffum electum in Domi-
no, matremq; ipsius, & meam. Salutate Asyncritum, Phlegon-
tem, Hermam, Patrobam, Mercurium, & qui cum his sunt fra-
tres. Salutate Philologum, & Iuliam, Nereum, & sororem eius
& Olympam, & qui cum his sunt omnes sanctos. Salutate in-
uicem vos in osculo sancto. Salutant vos Ecclesiæ Christi.

Hæc salutatio nominatim multis missa cùm humanitatem o-
stendit Pauli, virtutemque illorum, quibus salus missa est, tum
vero nobis lumen præfert, vt intelligamus, quo pacto Christi no-
men fuerat Romam allatum. Multi enim ex hoc numero Iudæi
sunt, quos in illo furore persecutionis, quo Iudæi Christi discipu-
los ex Iudæa expulerunt, nouæque fidei surgenti, & crebrescenti
illa exterminatione interitum & obliuionem posse afferri rati,
illam per orbem magis terrarum disseminauerunt feceruntque i-
niquitate suæ iniuriæ claram inter gentes, ac illustrem, vrbs Ro-
ma ad se venientes excepit, illorumque vocibus erudiri cœpta,
paulatim nomen Domini Iesu Christi didicit non aspernari. At-
que hi quidem primo cum suæ gentis hominibus collocuti, quo-
rum semper erat in vrbe magna copia quibusdam eorum persua-
serunt, vt ad fidem Christi se conferrent. Deinde etiam inter na-
tiuos Italos, aliarumq; nationum homines sanctum Christi Iesu
nomen vulgari, & adorari est cœptum. Cumque conuentus cun-
ctorum gregatim fierent, coirentq; in vnum Iudæi cum gentibus,
lenibus a principiis exortæ erant discordiæ, quòd Iudæi præser-
tim recens conuersi, legis nomen, & authoritatem relinquere nõ
poterant: gentes vero cum se faciles Christo, docilesque præbe-
rent, legi obligari, & se addicere recusabant. Ita paulatim cre-
scente dissensione, animi illorum inter se mutuò exasperabantur,
nec tantum poterant habere authoritatis Priscilla, & Aquila, An-
dronicus, & Iunius, cæterique ex Iudæa noui hospites, & aduenæ,
vt comprimere penitus, & sedare valerent lites, contentionesque
inter fratres commotas. Proinde alium quoque fructum illis af-
fert ista salutatio, quod Apostoli testimonio, quod graue & san-
ctum apud omnes habebatur, propter sapientiam quidem etiam

& celebres virtutes Pauli, sed multo etiam magis propter conuersionis modum commemoratum apud omnes, quo à CHRISTO ipse fuerat vocatus atque compulsus, illi qui recte de fide sentiebant, cæterorum opinionibus, & mentibus commendantur, quo plus in eorum sententia ponderis, & momenti apud fratres existeret. Sunt autem omnes ferè non sine aliqua insignitate nominati. Ac Phæbe quidem fuit, quæ pertulit hanc epistolam. Priscillæ autem, & Aquilæ etiam Lucas perhibet testimonium non solum religionis, atque virtutis, verum etiam cum Paulo familiaritatis, & amicitiæ, qui etiam cum illis necessitudine hospitii coniunctus fuit. Nam quòd se illi pro eo morti, & periculo obiecerint, non est quidem nominatim in historia scriptum, sed argumento sunt hæc Pauli verba eos in Iudæa, cum efferuescerent Iudæorum in ecclesiam CHRISTI crudelitas, præcipueque Paulum illa vis furoris appeteret, hos causam fortassis Pauli, & sententiam defendentes, in discrimen capitis fuisse ipsos adductos. Magnam certe se illis gratiam debere testatur Paulus, & propter se cæteras quoque gentium Ecclesias, quæ veritatis à Paulo habere notionem nequiuissent, nisi istorum duorum operam eis lumis ipse illis seruatus fuisset. Andronicum autem, & Iuliam quis afficere honore, & laude maiore possit, quam eos insignes inter Apostolos vocare? Domus porrò Narcissi, illius vt opinor, qui Claudij Cæsaris liberrus imprimis gratiosus, & potens, principio imperij Neronis Agrippinæ opera est interfectus, vel mortuo iam tunc Domino aliqua adhuc ex parte cohærebat, vel tempus, quo scripta est hæc epistola, non exiguum ante absentem Pauli ad vrbem significat. Sed nos de his, quæ incerta nobis sunt, nihil diffinimus. illud tenemus certò iam tum constare ex Iudæis, & gentibus ecclesiam Romæ constitisse, quæ à fugientibus ex Iudæa discipulis CHRISTI congregata primò esset illorum narrandis rebus gestis Domini, & miris illius operibus prædicandis quæ præsertim etiam ipsi signis, & virtutibus comprobarent, illexerant complurium animos, vt sanctissimam illam, omniumq; saluberrimam acciperent doctrinam, quæ est Deo per Christum Iesum in sola spe, & cupiditate cœlestium præmiorum, mundanis rebus contemptis velle & adhærere, & credere. illam his salutationibus subiuncta est hortatio, vt salutent inuicem le in osculo sancto, quod tanquam pignus sit reconciliatæ inter omnes gratiæ, discordiæq; pacatæ, & animarum in vnum spiritu, voluntatemq; conuenientium pius consensus. Salutem illis postremò ab ecclesiis Christi quas ipse constituerat, vel per eum Christus, verbis impartit. Atq; vt non humano more terminet epistolam, sed ad Christianum reuertatur institutum, subiungit rursus salubre præceptum, vt deuitent eorum consuetudinem,

qui

per præposteram, peruersamque doctrinam lites, & seditiones inter ipsos disseminant.

Adhortor autem vos fratres animaduertere eos, qui dissidia & offensiones præter doctrinam, quam vos didicistis faciunt, & declinate ab eis. Hi enim tales Domino Iesu Christo non seruiunt, sed suo sibi ventri, & per bonum, benedicumq; sermonem seducunt corda minime malorum. Nam obedientia vestra in omnes permeauit. Gaudeo igitur de eo quod in vobis est. Volo autem vos sapientes quidem esse in bonum, simplices vero in malum. Deus autem pacis conteret Satanam, sub pedibus vestris citò. Gratia Domini nostri Iesu Christi vobiscum sit.

Solent enim qui sunt fraudulentiores, & vafri prætexere honestos, probosq; sermones prauitati suæ, vt cum authoritatem sibi nomenq; comparauerint, tum demum effundant venenũ suæ impietatis, sibique commoda comparent, non illis consultant, eorum se profitentur doctores, ac magistros. Atq; hi hoc se facilius agere posse confidunt, cum sunt, & versantur inter simplices, hoc est inter eos, qui audiunt quidem libenter omnia, quę ad fidem, & pietatem existimant pertinere, animum autẽ eorum, qui docent, & consilij exitum haud ita perspiciunt, sed quo ipsi animo simplici, rectoq; sunt, eodẽ doctores suos esse præditos arbitrantur, suntq; ad auscultandũ, & ad parendum imprimis faciles. Quales nimirum isti erant, quibus Paulus annunciat obedientiã, & humilitatis ab omnibus gentib. dari testimonium. Igitur hos eos, & sancta monitione corrigit, vt hanc quidem bonitatẽ audisq; puritatem adhibeant ad ea, quæ mala sunt, quasi totius generis eius, quod in fraude, & malitia, & nimio amore suimet constitit, expertes penitus, rudesq; sint, ad discernendũ autem, & distinguendum, quæ sunt bona, prudentiam sibi, & calliditatem retineant, vt sciant segregare mala, & deuitare. Quî autem poterunt, dixerit aliquis, si ipsi malarum artium ignari omnino fuerint, illam aliis vitia ad declinandum pernoscere? Quia inquam, quod bonum est, cum tenuerint, & scierint, omnem a bono, & recto declinationem facilime intelligent malum esse, nec se ab arcboni consilij, vllius malo consilio patientur deijci. Satis est enim contrarijs in duobus illud experiri, & nosse, quod est præstãtius, quando quidem alterum, quod est inferius huius præstantionis veluti discessus, & defectio quędam est. Itaq; & Dominus discipulos suos monuit, vt prudentes essent, sicut serpẽtes, simplices vero vt columbæ. Et reuera nosse malum, vt malum est, præclara est imprimis, vtilisq; scientia. Fugitur enim ab omnibus omnino malum,

malum, cum cognoscitur. Boni autem ignoratio maximum est malorum omnium. Hæc enim facit, vt sæpe pro bonis mala accipiamus, vitamque nostram propterea acerbis, & variis mœroribus, & curis infestam habeamus. Quòd si fuerimus ad intelligenda bona experrecti, & callidi, scientiam mali cognoscemur illius esse fugam, & deuitationem, Deus autem pacis, inquit, conteret Satanam sub pedibus vestris vt non perturbet pacem vestram, quam & inter vos tueri, & erga Deum ipsum præcipue debetis. Pax enim erga Deum sanctitas est vitæ, per quam etiam cum hominibus dissidia, dissensiones que excluduntur. Gratia autem Domini Iesu Christi fidei donum est, perfectæ illius videlicet, quæ viuida spe, charitateque munita, & in hac vita solidam lætitiam præbet hominibus, & in altera æternam beatitudinem.

Salutant vos Timotheus cooperarius meus, & Lucius, & Iason, & Sosipater cognati mei. Saluto vos ego Terentius, qui scripsi hanc epistolam in domino. Salutat vos Caius hospes meus, & ecclesiæ totius. Salutat vos Erastus gubernator ciuitatis, & Quartus frater. Gratia Domini nostri Iesu Christi sit cum omnibus vobis.

Hæ interpositæ, relatæque salutationes simplicitatem illam cordium declarant, quæ Christianorum debet esse propria. Non enim ordinem lautum illum seruant, & elegantem, sed tanquam vndis quibusdam amoris feruntur, & referuntur, idque imprimis præseferunt, quod mos amantium continet, vt ne videantur posse à scribendo, quasi à colloquio charissimorum discedere. Atque vt omnis bonorum operum inceptio à Deo oriatur, & item ad Dei gloriam terminetur, subiungit tanquam basim epistolæ Christiani mysterij breuem commemorationem ad summi Dei honorem, gloriamque relatam, sic inquiens.

Ei autem, qui potens est nos firmare secundum Euangelium meum, & præconium Iesu Christi per reuelationem mysterij, temporibus æterni taciti, patefacti autem nunc, & per scripturas propheticas secundum præceptum æterni Dei in obedientiam fidei in omnes gentes notificati, soli sapienti Deo per Iesum Christum, cui gloria in secula. Amen.

Hæc alio quodam huius epistolæ loco verba à doctoribus Græcis posita leguntur, quæ nobis visa sunt in hoc fini scriptionis sat commode quadrare. Est autem breuis commemoratio rerè cunctorum, quæ ante dicta sunt. De hoc enim mysterio fuit potissimum est disputatum. Quod à nobis quoque strictim hic repetendum est. Etenim æternum Dei altissimi consilium iam re-

principio extitit, hominem imprimis nobilem creationem
velle sibi adiungere, & participem facere liberalitatis suæ.
ita hoc voluit, vt tanti honoris præmium non ignauiæ,
diæué proponeret, sed industriæ, & fortitudini. Itaque illum
mundum hunc inferiorem induxit, præfecitque rebus omni-
& comitatu locuplete sensuum honestauit, quorum ductu,
subsidio appeteret, & compararet sibi ipse ea, quæ vtilia, ac
taria esse cognouisset, deuitaretque contraria. Mentem au-
in eo, & rationem natam ad dominandum, principem totius
inseruit, quæ in ipso ortus principio ignara quodammodo
& vim suam non sentiens, mox processu temporis, & rerum v-
condocefacta agnosceret semetipsam, illudque primum intel-
ret se id potissimum in homine existere, quod colendum es-
& omnibus modis in honore habendum, quod tum quidem
meritò contingeret, si nosset ipsa præcipue, & modis omnib.
eraretur, authorem, & principem, & conditorem sui Deum.
conditione, & natura primus homo factus & in possessioné
clarissimæ virtutis à Deo statim inductus, cum sua culpa, &
ine haud ita multo post, defecisset, mentique imperiũ quod
ingendis sensibus habebat, conseruare proprium neglexisset,
erito imperio omnipotentis Dei, ipse quoque est æternam in
tionem, & continens bellum cum semetipso datus, atque re-
sis, sedibusque commutatis, cum è requie in laborem, è para-
incultam in terram immigrasset, curis, solicitudinibus, ope-
labore, cupiditatibus quoque variis, & turbulentis, falsis vt
imum gaudiis, veris doloribus implicatus est, atque ita impli-
tus, vt exoluere se ipse, subleuareque deinceps, aut erigere ad
Deum, nisi illo opem sibi afferente non posset. Non desistebat
idem Deus, quamuis rebelli homini, & ad deteriora semper
proclini atque prono, humanitatem tamen, & misericordiam, &
mentiam suam ostentare, nunc docendo illum, nunc adiuuan-
nunc somniis, visis, oraculisq; deterrendo, multa quoque i-
noscebat, alia dissimulabat, quæ quanquam crimina essent, ta-
men quòd à summi sceleris culpa aberant, nequaquàm homini
nunc exprobrabantur. Sed cum corrupta hominis natura longius
se à Deo semper abduceret, cumque bonitatem omnipotentis
Dei, memoriamq; accepti ab eo beneficij non obliuione solum,
rum contemptu etiam, & impietate obrueret, ad obruendum
se vicissim genus nostrum illuuione aquarum est adductus, qua-
nouam de integro creationem instituens. Atque vt experiretur,
genus humanum, quod flecti beneficio ad colendum impri-
creatorem suum non potuisset, compressum pœna, atq; sup-
plicio ad meliorem aliquando mentem se conuerteret, cui etiam
consilio, & rationi summi Dei cum improbitas hominum aduer-
saretur,

faretur, omnesque ferè communi quasi constituto, atque pacto ad mentitos, & falsos pro spei quisque suæ errore colendos Deos se conferrent, nõ amplius ratus hominem temeritati suæ permitti penitus oportere, aliquot sibi ipse elegit ex illa prisca, & celebrata antiquitate viros, quos maiore quodam conatu, & clarioribus suæ beneuolentiæ signis in sui nominis honore, & cultu retineret, quod potissimum Dei occulto, inscrutabiliq; iudicio parenti fidei nostræ Abraam contigit, ex quo gens deinde nata, profectaq; est, quæ lege per Moysen a Deo lata, a nationibus reliquis hac vna re distincta est, quod sola perstitit, atq; manet in veneratione, & cultu vnius Dei, anceps illa quidem sæpe etiam, & lubrica, sed tamen quæ diuinis fulta subsidiis hoc in orbe terrarũ exemplum intermori non sineret, vnum esse solum in cœlo, & in terra hominibus colendum & adorandum Deum. Huic porrò genti ita electæ a Deo, atq; adscitæ eiusmodi erat tradita lex, qua eos quidem in terra spes suas, & suorum optata bonorũ collocare non prohiberet, sed illos ea ipsa bona expetere, & poscere, a summo tamen Deo, atq; illi accepta referre consuefaceret, vt ex vna parte natio illa mundana esset, & altera tamen parte emineret cœlestis. Non enim ab vno extremorũ ad contrariũ extremũ alterum illico transitus est, sed oportet per interiecta, & media ad finem optimũ peruenire. Hac igitur lege diuturnis manente temporib. cum illius quoq; sensim diminui vis, & obsolescere auctoritas cœpisset, aut siqui constantius eam retinuissent, omnia illi iam non ad sinceram veritatem, & ad intestinam animi virtutẽ, sed ad superstitionis cultũ magis conuerterent, essentq; peccata & facinora inter homines hoc grauiora, quod obicibus prostratis, & tanquam repagulis continentiæ refractis, vniuersa improbitas cateruatim se effuderat: tum vero statuit Deus bonitatis semper suæ, & misericordię memor maximo, & vltimo suo beneficio cunctum hominũ genus sibi obligare, & adiungere, missoq; filio suo in carne, naturaq; hominis non solum veniam nobis ab ipso, pacem, sed patrium etiam nomen, illamq; charitatem, quæ in patris affectu erga filios est innata obtulit, & pollicitus est, fore vt eiissim infidos illos & turbidos mundi amores deponentes ipsum Deum amorem omnem nostrum, omne animi studium contulissemus, neq; in his, quæ mundi sunt, sed in iis, quæ ab ipso meliora nobis multo ac præstantiora proponũtur, figere spes nostras, & cupiditate illorum flagrare instituissemus. Hic mihi nemo obijciat, quid ita per hosce gradus Deus tam consiliorũ suorum, cum temporum, ac non de principio statim hac opitulandi ratione vsus sit, vt benignitate magis, quam pœna nos vinceret. Nescio qui talia obponit, profectò cogitare, quæ sint curricula, & processus diuinæ prouidentiæ, quę in seipsa stabilis, vnaq; semper in-

her

in creatis reb. interualla, neq; se aliter ostenderet, si non distinguis foret spatiis, & operib. Quid enim dixerim ego fructib. terræ serendis, cur annuum tempus datum est, ac non protinus sata protinuò demessa sunt. Quòd si his ad pubem, frugemq; perduc ortus, & auctio, & maturitas est attributa, alioquin si processus isti non fiant, & veluti gradus, neq; tempora distingui, necesse cœlum conuerti sit necessarium, omnisq; & motus rerum, & varietas, & differentia fuerit sublata, si inquam, omnibus in reb. esse sub moru naturæ sunt, quædam primum ingressiones, deinde moræ, mox reprehensiones instituti conatus, & aduersus impellentia luctationes, cursus deinde liberior, approperationesq; ad notandum finem suum existunt, quæ omnes interuallis quibusdam, & velut passib. paulatim productæ, curriculum tandem omne emetiuntur, cuius stultitiæ est quærere, & scisciari hoc in Deo, cuius consilia arcanis ponderata rationib. ad opportunitates temporũ dimensa, effectibus dispertita, vno tamen, atque eodem fini ad salutem hominum gradatim ab eo deprompta, & perfacta sunt? Voluit igitur Deus in extremo tempore, æterno illo ex consilio nouum, & inexpectatum beneficium hominibus offerre, vt vnigenum filium suum pro nobis vitę mortali, & vitam illam consequentib. ærumnis, necnon ludibriis, ignominiis, morte cruciq; addiceret, ad eum finẽ, vt nos præclaro illo, admirabiliq; exẽplo è mundo penitus euelleret, sibiq; cõiungeret. Et quoniam durius esse hoc videbatur, tam multarũ rerũ iucundissimarum, quę è terra nobis blandiũtur, tanta varietate diuelli, in Christi suscitatione ascensuq; in cœlum ostenderet, quanto maiora contemptorib. terrenorũ bonorum, & in cœlo mentes suas collocantib. ac diuiniora apud Deũ præmia essent proposita. Vt n. hoc, & nudiustertius disputauimus, Christus ipse oratio est, & sermo Dei patris habitus ad homines, per quem veram doctrinam nacti simus adipiscendę salutis, & immortalitatis, si Deo ipsi credere, & fidẽ illi habere summi, & æterni boni nostri in animũ induxerimus, quod quoniam sine Christo facere non possumus, ipse n. Dei veritas est, & Dei consilium, idemq; via nostra, atq; iter, quo ad Deum perueniamus, totũ in Christo sitũ est salutis hominum mysteriũ. De quo quãdo satis hoc biduo dictũ est, illaq; à nobis, quę inspirante Deo, plata de eo expositaq; sunt, omnia Iulius frater habere se dixit, in cõmentario relata, petetis ab eo, cũ vobis liberit, q̃ quidem ad hæc pertinet Pauli verba, patere vobis iam arbitror hoc mysterium æterno ex tempore absconditũ omnib. & occultũ fuisse, neq; hominib. solum, verum etiam angelis, non quin partẽ eius aliq̃ aliqui aliquando, ꝓspexerint, tum angeli, tũ etiam homines, sed quod totũ planè nunquam cuiquam est patefactum. Vidit Hieremias vim nouę legis, quę in cordibus hominum

minum vocem suam, non autem in litera amplius expressura esset, Vidit Esaias ducem melioris seculi deformatum, & contemptum, suo mœrore & luctu lætitiam cęteris, gaudiumque afferentem, Videre multi prophetarum, & patriarcharum de Christo multa, neque enim omnia hic referri est necesse, sed vt plures cõplura viderint, illud tamen fœdus inenarrabileque coniugium diuinitatis cum humanitate nemo satis videre, aut perspicere potuit vnquam. Qui vero præpotenti Deo propiores semper sunt, assidueque astant in eius conspectu angeli, potestates, & cœlestes mentes reliquę facilè quidem illi noscebant collegam propè suũ, & socium eiusdem naturæ hominem in errorem ideo lapsum, auersumque planè à Deo, quod nimis magnam rationem terrenorum bonorum duceret, huicque malo, quod lex non fecerat, datum iri remedium à Deo præuidebant, tantam illam tamen humanitatem, tam inauditam, inusitatamque clementiam, tam incredibilem Dei erga homines amorem ne potuerunt quidem suspicari, vt filium is mitteret veluti legatum suæ voluntatis. Primũ hoc quanti? Deinde vt ad mortem & ad ignominiam mitteret, hoc vero est, quod cum attendere, & considerare incipimus, si nõ sumus planè ferrei, in lachrymas, & gemitus erumpamus oportet, tantúmne amorem, tantúmne de nobis studium, tantam cupiditatem, & curam salutis incolumitatisq; nostræ suscepit Deus, nos vt iudicarit dignos, quorum gratia æqualem sibi filium non minorem solum angelis, sed ne potentibus quidem & claris inter homines viris parem efficeret? Cum & antea sæpe patriarchis, & prophetis, ipsoque ad nos angelorum ministerio docendos, & adiuuandos vsus esset. Verum hoc, quod postea factum, ipsa cœlestis exercitus multitudo nato in paupere tugurio Christo admirata voce sua imprimis, cantuque celebrauit, pastores mox cognouerunt, nos mortales reliqui maximo nostro cum bono, incomparabili erga nos omnipotentis Dei beneficio sensimus ante aliquot secula prophetarum vaticiniis, & prædictionibus significatum, annunciatum, promulgatum, non tamen quantum nec eiusmodi futurum esset, potuit planè intelligi, quo quidem diuino suo munere, & filii sui exemplo nos instituit Deus, vt illi, quoad homini fas est, fieri velimus similes, vnamque in hac Dei imitatione, & similitudine, quæ ex fide iustificatio sæpe dicta Paulo est, virtutis veræ, & constantis rationem constituamus. Nam cæteræ quidem, quæ ex mundanis honoribus, atque laudibus velut ipsa etiam traduntur philosophia virtutum curricula, atque inuenta, neque soliditatem habent stabilem, neque ad immortalitatis præmium nos deducunt. Hæc similitudo Dei ex imitatione Iesu Christi vna sola est crepido stabilitatis nostræ, eadem inuicta seculis, immota cupiditatibus, quæ cum veluti procellæ quædam

& tem-

tempestates vitam nostram assidue quatiant, hac fide CHRI-
ri sola frangi, & propulsari queunt. Firmati enim à Deo per fi-
dem ac iustitiam, in eaque statuti, cum Christum habeamus ver-
um patris, viam nobis per aspera, & ardua aperientem, quam et-
ipsum subeũtem videmus, atq; excipientẽ durissimos mundi
ictus, quo illi leuiores deinde, & tolerabiliores in nos incidant,
atque prætereuntem quoque nobis in cœlum, & suo illuc a-
stu eodem nos vocantem, nos spe illorum cœlestium bonorum
certati, neque abducimur postea mundi blanditiis, nec asperita-
tibus deterremur, quin certi, atque constantes etiam si offendi-
mur interdum in via, & labimur, mente tamen, atque animo in
eo hæreamus. Hæc itaque firmitas nobis à Deo ex Euangelio
patefacta est, quod est totum præconium Iesu Christi, in quo mysterium
illud salutis nunc demum reuelatum est, quod ex æternis secu-
lis delituit, obscurumque permansit, tametsi Deus per prophetas
suos aliquas eius partes in omnes mundi oras voluit promulgari,
atque eo effecit, vt late diffusum Iudæorum nomen, & in o-
mnibus ferè prouinciis, ac ciuitatibus disseminata illa natio le-
gisque vim, & notionem hominibus proponeret, quo Iesu Chri-
sti futuri seruatoris testimonio prædicato vbique inter homines,
& publicato cum ipse postea Christus aduentasset, facilius à gen-
tibus, planiusque agnosceretur, fidesque eius, tanquam vnici filij
Dei acciperetur. Huic igitur sic nos firmanti, & curanti, & tanto-
pere nos amanti soli sapienti Deo honor à nobis, & gloria per Ie-
sum Christum Dominum nostrum in seculorum sempiternas æ-
tates, Amen. HIC TRIVLTIVS, Iure sanè, inquit, atque addecet ita
fieri. Solus enim & sapiens, & laudabilis est Deus, qui si etiam non
alio nobis indicio suam beniuolentiam ostendisset, quam quod
mundo inferiori nos præfecit, cæterorumque animantium cun-
ctorum constituit dominos, esset tamen eius liberalitas & sapien-
tia cum amore nobis, & cum veneratione omni recolenda. Cum
vero humanis beneficiis non contentus, diuinæ etiam hæredita-
tis præmium nobis proposuerit, atque id nos facilius, vt adipisci
possemus post multa, variaque suæ prouidentiæ, doctrinæque in-
dicia, filium suum vnicum postremo legauerit ad terras, moriq;
eum pro nobis, & in crucem tolli permiserit, quo nos cum eo vnà
interrenis nostris affectibus mundo crucifixi, nihil nisi cœlestia,
& alta cogitaremus, quid possumus quæso amoris, & gratiæ Deo,
quod tanto illius, & tam singulari beneficio respondeat, à nostra
parte exhibere? Equidem angor animo non hæc vbique gentium
cognita, & diuulgata esse, quæ disputata heri à te & nudiustertiũ,
nos hodie tantum quasi delibando tractauimus, & ea tamen
breui ipsa commemoratione perspicuam ostendunt sui luminis
veritatem. Quid enim potest esse illustrius quam esse vnicum hũc

æternæ, & veræ assequendæ beatitudinis modum, si à Deo primum egressi, ad Deum item nos recipiamus? quod nostræ perpetuæ salutis mysterium totum abstrusum olim gentibus, Judæis dimidia ex parte datum, nos integrum, & plenum in omnem partem accepimus. Dux porrò, & monstrator huius mysterii solus Christus, vel potius ipse mysterium, (sic enim te exponente cognoui id quod magis, magisque deinceps animo volutans intelligo esse verissimum,) Christum ipsum doctrinam, & verbum existere patris nos monentis, & condocefacientis, si cœlestium bonorum compotes esse velimus, eius omnia præcepta nobis esse perdiscenda, hoc est Christum induendum, & quod vt iterum interpretemur, terrenarum rerum amoribus deserendis, atque abiiciendis & cœlestibus capessendis solam Dei gratiam, & eam eo cognationem nobis esse appetendam. Cuius rei documentum nobis est ipse Christus, missus ob hoc ipsum è cœlo, & quamuis homo ad hanc ipsam rem creatus totus, atque factus, nomen vt nobis filiorum Dei, & paternam secum cœli hæreditatem tanquam charissimis fratribus communicaret. Hoc igitur vt dicò, tam perspicuæ sapientiæ, & veritatis lumen, quod veluti fulgur è medio olim regionibus terræ in omneis circumcirca rerum fines emicuit, voceque ea insonuit, vt non illa ab homine prolata vox, sed è cœlo edita planè intelligeretur, quo quidem tempore cunctæ propemodum gentes & nationes quantumuis feræ & barbaræ ad Deum sese facilè, & ad Christum contulerunt, hoc, inquam, lumen nunc relanguisse vsque adeo, vt non iam firmo, & recto intuentibus oculo, sed quasi hallucinantibus apparere videatur. De his loquor, qui illud quoquo modo tamen accipiunt, & se id præferre suis actionibus profitentur, à multo maxima vero parte aut ignorari idem illud, aut etiam contemni, quis pij hominis sensu præditus grauissime potest non dolere? Cernimus Christianum nomen eò deductum esse, primum vt qui illud tenent, & norunt, verbo quidem vsurpent, re autem, atque factis omnia alia potius consectentur, quam quæ sunt huic professioni, & nomini consentanea. Nolim equidem integris, probisque hominibus, quicunque illi sunt, & vbicunque terrarum sunt, vllam meis verbis labem, maculamque afferre. Non enim hos reprehendere, aut violare intendo, sed de communi hominum, qui se ostendunt, & offerunt more, & de vsitato genere viuendi loquor, quod in eo positum nunc est, vt videamus omneis ferè quærere, quæ sua sunt, vt Apostolus ait, non quæ Iesu Christi. Atque vtinam tamen quæ sui essent verè quærerent, neque in alienis & externis rebus appetendis occuparentur vano profectò labore, dum solicitudines suas ad eas res conferunt, quarum propria, & certa nunquam est possessio. Etenim quid magis proprium, magisque copularum, atque

hæreditatis,

rens, quam sibi vnusquisque? Et tamen qui hoc cogitet, & sa-
ut, suamque imprimis integritatem, & suimet curet incolumi-
tatem quotus iste reperiatur? Imminemus foras penè omnes, &
nostrimet obliti ad illa externa propendimus, quæ sonitu, & ru-
moribus complent aures nostras, falsoque splendore oculos per-
stringunt, quibus dum potiamur, & compotes eorum simus, ex-
timimus nosmetipsos veritate propriorum bonorum, iustitiæq;
& fidei, & ipsius sæpenumero Dei, qui solus salus nostra est, cum
possessione fallacium bonorum facimus commutationem. Nam
quod vita plena est simulationis, insidiarum, mendacii, quod adu-
timur, quod vultus fingimus, quod assentamur præsentibus, ab-
sentes laceramus, quod dum ad optata nostra perueniamus non
equitatis, non concordiæ, non publici commodi, non pietatis,
aut charitatis, aut religionis ducimus rationem, quis non intelli-
gat causas omnium malorum, quæ Christianam iam diu depo-
pulata Remp. sunt, hodieque maxime & vastant, & depopulantur,
in hoc errore hominum, & communis vitæ consistere? Eò enim
adducti his moribus sumus, vt non amplius videamur, neque no-
stro consilio salui fieri posse, neque Dei ope, atque auxilio, pro-
pterea quod alterum iniustis cæcati cupiditatibus non videmus,
altero sumus indigni. Itaque præter bella, & seditiones intestinas,
quibus longo iam tempore laborat Christiana Resp. accessit pau-
cis his annis grauis ista hæresis, quæ & concordiam publicam, &
religionis authoritatem aliquot in locis vehementer comminu-
it, metuque legum sublato, suapte sponte homines ad carnis li-
centiam, & ad cupiditatum studia proiectos, non solum exoluit
timore, frænoque conscientiæ, sed animauit etiam vltro, atque
ad explendos improbos animorum affectus hortata est. Nā quid
de nostro, & fidei nostræ ac religionis perpetuo hoste principe
Turcarum dicam? cuius admirabiles & inauditi fortunæ cursus
nonne indicant manifestò alienatum à nobis Dei animum, & ab-
horrentem ab vtilitatibus nostris illius voluntatem esse? vt quo-
niam nos, quod debemus, id minime agimus, hostis noster quic-
quid ipse agit, facile sibi id factu, & quasi paratum inueniat. Atq;
vt appareat magis, quæ sit in hac re voluntas, & quod iudicium
summi Dei, potestnè esse certius quicquam, quam si velimus nos,
hoc est, si principes nostri in vnum consentiant, facilè illum re-
pressum ab his, in quæ imminet, quæ nobis ex amplo, & vetere
Christiani nominis imperio pauca iam reliqua sunt facta, neque
hoc solum, verum etiam ex illis, quæ iam diu occupat, quæ ex da-
mnis nostris possidet, non maximo negocio eum expulsum iri?
Nihil est profectò, quod patere possit magis. Quid igitur est cau-
sæ, quod non prouidetur, quod non occurritur, quod impendens
cunctis exitium non attenditur? Cæci, cæci, inquam, sumus, neq;

conſpicimus, quid timere oporteat, quid cauere rectum ſit, deſertiq; à Deo, & derelicti, nec conſilii capiendi, nec bonæ rationis ineundæ vllam habemus facultatem. Atq; ille quidem auctoritas in immenſum, amplificatoq; imperio, quod ex ruinis totum noſtris coagmentauit, atq; extruxit non contentus Syria, Ægyptoque, quam paucis his annis, armis eſt adeptus, cum Aſiam cuiſſi nobis antea abſtuliſſet, Græciam occupauiſſet, Illyrium eſſet vniuerſam depopulatus, munitiſſima recens nunc quoque Panoceriæ oppida expugnauit, imminetque regno illi, quod ſi ceperit, ac poſſederit, quanquam quo minus accipiat, nihil à nobis remedii paratum eſſe video, non poſthac mari diſcretum quoque modo hoſtem, ſed in faucibus Italiæ habituri ſumus. Recitantur quotidie in ſenatu ex Pannonia literæ, etenim illic legatione, vt ſcitis, pro ſummo pontifice fungitur vir nobiliſſimus Siculorum, idemque ſine omni controuerſia prudentiſſimus Antonius Pulleo Burgius, tuus Sadolete vetus amicus, atque hoſpes, de quo tibi maxime debet eſſe notum, tua enim iſtæc eſt curatio, tuum munus de his, quæ ad regnum illud, & legationem pertinent, pontificem quotidie conſulendi, literisque accipiendis, & mittendis rerum, ac temporum conſilia communicandi. Sed vt dicere inſtitueram, leguntur in ſenatu crebrò literæ ſummum illarũ nationum periculum ſignificantes, nec tamen ſpem vllam oſtendentes ſalutis, niſi forte tale quid eueniat, quo hoſtis ab infinitate, & voluntate huiuſmodi deducatur, ita illi volenti in manibus victoriam eſſe legati noſtri renunciant. Qua in re maxime notare, & animaduertere ſoleo Clementis VII. Pontif. Mar. pietatem, bonitatemque, qui cum & tanto pondere auri, quam tum ab ipſo effici potuit, regno illi ſubuenerit, & labore, cura, vigiliſque nihil prætermittat, quin omnia tentet, atque experiatur, ſi quid bonæ ſalutis collabentibus illis rebus queat afferre, tum autem vultu, aſpectuque denunciat dolore animi ſe contabeſcere, neque vllam diurnæ, aut nocturnæ partem capere quietis, dignus profectò, cuius & aſſiduas preces ex alto Deus, & quotidiana monita, atque conſilia Chriſtiani in terris principis exaudiat. Sed videtis, quæ impedimenta ſunt, flagramus in Italia bello acerbo, ac diuturno, duobus potentiſſimis regibus inter ſe decertantibus, qui totum robur Chriſtiani nominis ſecum deferunt, quorũ non meũ quidem eſt diiudicare controuerſias. Illud meum, vt de Franciſco rege Chriſtianiſ. id dicam, quod aut meus in illum amor, aut meum perpetuum, & conſtans de ipſius virtute, & magnitudine animi iudicium me cogit dicere. Sic enim mihi perſuaſum habeo, ſi illi aliquando contigerit liberum eſſe ab his ſocialibus bellis, quæ dum res repetit ſuas, neceſſariò ſuſcipere coactus eſt, hanc eum prouinciam, expeditionemque liberandæ

ab ha-

ab hostibus Christianæ Reip. & suscepturum maximo animo, & [illegible]aturum fortiter esse, quod vt sperem adducor, non solùm ex [illegible], quas perspicor in eo esse, virtutibus, quod honoris, quod lau[illegible], quod eius gloriæ præcipuè cupidus est, quæ sit ad Deum i[illegible]um, & ad Reip. commodũ conuersa, sed eò etiam magis, quod [illegible] in sermonibus, quotidianisq; colloquiis singulare quoddam [illegible]per eius rei studium, & insignem cupiditatem præ se fert. Et[illegible] eo est animo præditus, vt se à nemine suorum proauorum, [illegible]que maiorum, qui plures multa, & magna pro Christiana Re[illegible] egerunt, in hac præclara laude passurus sit superari, vtinam [illegible]odò acerbæ istæ discordiæ, exitiabilesque contentiones, quæ [illegible]to publico officiunt bono, Dei primùm ope, ac beneficio, tum [illegible]inde Clementis Pont. nostri consilio, qui nihil aliud dies no[illegible]tesq; cogitat ad tolerabilem aliquam conditionem finiantur, [illegible]teq; & compositione quandoq; terminentur. In qua quidẽ cu[illegible], & labore pacificandi video te Sadolete cùm in intimis rerum deliberationibus Pontifici assiduè adsis, laborare præcipuè, & præter cæteros solicitum esse. SVM enimuerò, inquam, nec mi[illegible] quicquam est optatius, quàm intueri aliquando quiescentem [illegible]liam, & ista ipsa arma, quæ tam facilè vibrantur inter nos, pro propugnatione fidei Christi aduersus impios hostes conuersa aspicere. Habeo autem mecum eiusdem muneris, animiq; colle[illegible]gam, hunc, qui ætate quidem adhuc penè adolescens, ingenio, virtute, eloquentia, cum summis viris est comparandus, Benedictum Accoltum Archiepiscopum Rauennæ. Sed quàm facile sit in mediis ipsis ardoribus inimicitiarum animis contentione, iraque exasperatis sanum, & salubre valere posse consiliũ, existimare ipsi per vosmetipsos potestis. Pontifex quidem optimo animo, & incredibili vrget studio, vt molliantur corda, pacisque aliqua cogitatio suscipiatur. Sed nihil adhuc profectum est, Deo, vt ego suspicor, nostris rationibus suorum perfugia auxiliorum obstruente, qui quoniam vnde ipse abest, nihil ibi omnino recti, nec commodi capi potest consilij: à nobis Triulti orandus, atq; obsecrandus est, vt populos aliquando suos benigniore oculo aspicere dignetur. FACIVNDVM id quidem est, inquit, & fuit his aliquot annis etiam factũ, cum Leone X. Pontifice maximo quinquennales illæ induciæ in omni Christiano nomine indictæ fuerunt, quo quidem tempore constare inter homines vsu rerum edoctos, & sapientes intelligebam vno illo in consilio, & in illa vna saltem ad tempus suscepta Christianorum principum concordia, salutem Christianæ Reipub. consistere. Sed vt reuertar ad Deum, cùm essemus tunc in senatu, literasque omnium penè principum haberemus significantes animi mœrorem, quem ex felicitate, & victoria hostis nostri Turcæ eorum quisq; cepisset:

(etenim tempore illo Turcarum rex Syriam, atq; Aegyptum armis occupârat, vi debaturq; nouis imperiis auctus, & maiore multò quam priùs, ac propè duplicata cumulatus potentia tuendum nobis detrimenta, atq; clades futurus parator) remittere initium fuisse nobis repentè id consilium, vt in quinquennium fœdus, & amicitiam Christianis principibus indiceremus, deneremusq; omnipotenti Deo aliquot dierum ad omnia tempora, & pulumaria supplicationes, vt quando nos nostris operibus mereremur, sua is misericordia, & bonitate opem ferret Christianæ Reipub. eosque, qui ipsius sanctum nomen colerent, mentem, atque adorarent, a potestate, & libidine crudelissimum hostium redderet saluos, quas tum supplicationes omnibus in locis, a cunctis qui Christianam Remp. saluam cuperent, tum coniugibus, & liberis iussimus celebrari. Dixit sententiam in natu homo omni grauitate, sapientia, authoritate, amplissimus Antonius à Monte, qui iam diu in principibus est moderatione, cui ad vnum omnes fuimus assensi, nec ponit nec eadem iudicio sapientius tum agi, quam actum fuit. Et tanta mentis mœroris, & tristitiæ tenebris, quantæ animos concionantium occupauerant, lux quædam spei bonæ, salutisq; communis operat apparere, nisi illud lumen optimi consilij familiarium nostrarum caligo cupiditatum citò extinxisset. Astrologus, aquit, Iulius cùm in Gallia tunc essem, fui enim illis in locis, vt meminisse potestis, biennium, cùm Bernardus Dimitrius Bonna summi ingenij, & magni consilij vir, ex vestro Tridentino Cardinalis legatus ibidem summi Pontificis esset, egoq; omnibus illis in rebus, & consiliis semper interessem, dicam quod vidi egomet, affuiq; præsens, cùm fieret, neq; hunc clarissimum, & præstantissimum regem suæ virtutis, & gloriæ testimonio fraudabo, qui cum hac ipsa de re, inducijsq; edictis, eaufq; quamobrem edictæ illæ fuissent, literas, & nuncios ab vrbe accepisset, itemq; de eadem re à nobis fuisset edoctus, vehementer commotus animo, & Christianæ detrimentum religionis grauiter ferens, quam amplificata hostium potentia proximâ esse periculo intelligebat, non continuò respondit, diemq; sibi postulauit ad deliberandum, quæ cùm venisset dies, effectique frequens coactum nobilissimorum procerum, & grauissimorum hominum ornatissimorumq; consilium, pro suggestu in stitutæ respondere credo, vt quod erat Deo, & fidei Christi oblaturus, istorum aduentu illustrium, grauiumque virorum & rerum magis maiore firmitate ratum esset. Atque ibi commemoratis maximis beneficiis, quæ sibi tam in seipso, quàm in maiorib⁹ suis diuinitus collata fuissent, suaq; exposita cupiditate referendæ ad liceret, Deo gratiæ, obtulit ad extremum pollicitus se

Cla-

Christiani cæteri principes inducias assensi essent, eausamq; Dei
manis dissensionibus præuertendam esse constituissent, sese
m quadraginta millibus peditum, duobus millibus cataphra-
ctum equitum ad bellum, atque in expeditionem aduersus
ticas iturum, neq; ante finem facturum, quam profligato bel-
o, atque confecto, aut vitam suam quam deuoueret Deo, aut
ores prouincias, quas Christianæ iampridem Reipublicæ im-
hostes eripuissent, eidem Deo restituisset. Quo ego spectacu-
nullum vnquam me arbitror maius visurum, neque magnifi-
ntius. Etenim cùm virtus regis, atq; animus, illaq; mentis ma-
gnitudo, qua insigni præditus est, totam se in illo facto tunc
ndit, ac patefecit: tum verò nos in eam spem, atque opinio-
em omnes discessimus, vt non ampliùs de metu, aut periculo,
d de victoriis, ac triumphis cogitari à nobis putaremus opor-
re, quæ tamen spes, vt dixti, celeriter nobis è manibus elapsa
t, quorum culpa non dico, est enim nobis positum ante oculos.
Illud mœreo, grauiq; ex eo dolore animi afficior, quod iam ad
omnium nostrum perniciem, & certè ad perspicuam infamiam
nominis Christiani pertinet, quod ex his nostris importunissimis
dissensionibus principem Turcarum impium orbis terræ affe-
ctatem vagandi qua velit impunè, omniaq; corripiendi intelli-
go: video facultatem sibi esse concessam. TVM LANGEVS,
Quæ tu Iuli de rege nostro palàm ab eo facta, atq; dicta vidisse te
ais, ego qui illius consiliis intimus sum, totamq; eius vitam spe-
ctator, quippe qui in cubiculo semper illi sum proximus, facilè
adducerare tibi possum eo animo fuisse dicta, vt non consilium
repentinò captum, sed perpetuæ in eo voluntatis testis oratio il-
la extiterit. Atq; vtinam videre interius posses tis domesticas illius
actiones, & priuata studia, amaretis profectò humanitatem, li-
beralitatem, bonitatem, quæ etsi extra quoque, & in publicum
proferunt, domi tamen, atq; intus expressiora sunt. Nam quod
ad hanc in fidei hostes expeditionem pertinet, noui ego illius
motus animi, & conatus, nil nisi de laude, & de gloria cogitan-
tes, scioq; quanta is rerum magnarum flagret cupiditate geren-
darum, vtq; totus ad Deum, & ad studium tutandæ religionis sit
conuersus. Quod quidem in hac nouarum hæresum, atq; opinio-
num labe à suis populis propulsanda facilè poteritis animaduer-
tere. Itaq; sperare iure debemus, si hac illius firmata, & stabili vo-
luntate occasionem ipsi Deus & ab his ciuilibus penè, vt ita di-
cam, quæ inter Christianos agitantur, dissidiis pacem, ociumq;
præbuerit, futurum eum Christiani nominis in veterem potenti-
am, amplitudinemque vindicandi, & authorem, & principem
VTINAM, inquam, Langee hoc ita fiat, ficq; iubeat ille, qui o-
mnium potens est Deus, quem rogamus supplices, vt in consti-
tuen-

tuenda quando illi cunque fuerit visum salute nominis nostri quod certè externis, intestinisq; hostibus, sed multò etiam magis vita hominum corrupta, & contaminatis moribus grauiter laborat, hanc velit propriam esse gloriam Francisci regis nostri Christianiss. vt ipse electus præcipuè à Deo ad hoc præclarum munus virtute, & victoria, & felicitate Christianam rempublicam stabiliat, cuius deinde gloria beneficij in vniuersa posteritate perpetua, illustrisq; sit. Cui à nobis Deo soli potenti, & sapienti, & optima semper volenti honor sit, & gloria in sempiterna secula, Amen.

Hic idem omnes cùm precati essent, Deumque supplices cum pietate adorauissent, iamque in Vaticanum nos ad suas quenq; de Republica curas diei tempus reuocaret, soluto cœtu discessimus.

FINIS.


UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN





UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN